COLLEGII

SALMANTICENSIS

FRATRVM DISCALCEATORVM

BEATÆ MARIÆ DE MONTE CARMELI, PARENTI SVO ELIÆ CONSECRATI, CVRSVS THEOLOGICVS, SVMMAM THEOLOGICAM D. THOMÆ COMPLECTENS.

Syt. 2 l
And 4ª
Tom 6

Eidem Angelico Doctori dicatus.

TOMI SECVNDI

POSTERIOR PARS, COMPLECTENS EA, QVÆ IDEM Angelicus Doctor à quæst. 50. 1. partis vsque ad 64. & â quæst. 106. vsque ad 108. tradidit, siue tractatum de Angelis.



BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

CVM PRIVILEGIO.

SEGOVIÆ: Ex Typographia Didaci Diaz de la Carrera
ANNO M. DC. XXXVII.

COLLEGII

SALMANTICENSIS

FRATRVM DISCALCEATORVM

DIVÆ MARIÆ DE MONTE CARMELI FLORENTIS

SVO ELIM CONSECRATI, CVRSVS THEOLOGICVS

SVMMAM THEOLOGICAM D. THOMÆ

COMPLECTENS.

Præsidem Angelico Doctori dicatus

TOMI SECVNDI

POSTERIOR PARS, COMPLECTENS EA, QVÆ IDEM Angelicus Doctor à quæst. 50. vsque ad 90. à quæst. 91. vsque ad 108. tradidit, hucusque tractanda de Angelis.



CVM PRIVILEGIO.

SEGOVIÆ: Ex Typographia Ildef. Diaz de la Carrera.

ANNO M. DC. XXXVII.

D. THOMAE AQVINATI, DOCTORVM ANGELO, ANGELORVM CHERUB, Sacræ Theologiæ primario Syderi, Ecclesiæ fulgentissimo lumini, veritatis verè Magistro.

COLLEGIVM SALMANTICENSE SANctissimi Vatis Eliæ, Carmelitarum Discalceatorum B. Mariæ de Monte Carmeli.

O. D. C.

EVOLANT Ad tuum gremium (O Doctorum Angele) nostri Angeli, & tuis manibus auidissimè insidere gestientes, non iam talaria, quæ nobis erant in votis, pedibus nectunt; sed vitulinas potius, quibus ocyssimè ad te perueniant, plantas assumunt. Nec nouum sanè bouinas plantas, pennatos pedes in velocitate cursus anteire: cum & Seraphim apud Isaiam sibi pennas, & plumas, quas pedibus, quas capiti, quas corpori adaptant, multiplicent; qui tamen repetitis alarum ductibus nituntur volare, seu (vt nuperus Auctor interpretatur) *volaturiunt*. fixi tamen stare perhibentur. Ast Ezechielis Cherubim minori alarum apparatu, inæqualique pennarum tumultu, quia tamen planta pedis eorum quasi planta pedis vituli erat, non ambulare modò, sed eleuari à terra videbantur: quia planta vituli, quæ rotunda est, & perfectionis figuram vndequaque præsefert, *omnibus amputatis angulis* (vt Hieronymus in præsenti loquitur) *in quibus terra detinetur, ad cœlestia facit subuolare.*

Isaiæ 6. n. 2.

Cornel. ibi.

Ezech. 1. n. 7. & c. 10. per totum.

Hieron.

Sed cur hæc animalia, quæ & Cherubim à Propheta dicuntur, omnia planta vituli, & non homo hominis, aquila aquilæ, & leonis leo deambulant? Cur multiplices pedes recti, & planta pedis vna? Cur, si boui tantummodo facies Cherub, omnia tamen animalia Cherubim nomenclatura indigitantur? Cur denique quatuor hæc animalia vnum dicuntur, & vnum animal Cherubim plurali numero nuncupatur? sic enim habet Propheta cap. 10. num. 20. *Ipsum est animal, quod vidi subter Deum Israel iuxta fluuiũ Chobar: & intellexi quia Cherubim essent.* & num. 15. *Et eleuata sunt Cherubim: ipsum est animal, quod videram iuxta fluuium*

Chobar. Sed ecce rem totam ad noſtrum inſtitutum ſic expendimus. *Cherub* interpretatur (Laureto teſte) quaſi *Magiſter*, in quo ſapientiæ, & cognitionis reſidet plenitudo. *Bos* autem dicitur *Angelus*, qui nobis verbum veritatis annuntiat: nam, vt appoſitè Auguſt. inquit, *Homines non ob aliud boues dicti ſunt, niſi quod Euangelizando Verbum Dei Angelos imitantur. Quanto igitur facilius ipſos Angelos nuntios veritatis boues accipimus, quando Euangeliſta participatione nominis eorum boues vocati ſunt?*

Auguſt. ſup. Pſ. 8.

Cornel. ibi.

Iure ergo Angelus bos *qui in motu, & tractu currus primas tenet*, quem veluti anteſignanum, & ducem, fidumque veritatis nuntium reliqua ſequuntur animalia, facie Cherub, id eſt *Magiſtri*, ipſa ſui muneris dignitate exigente decoratur. Quia vero tunc omnis eſt *perfectus diſcipulus, ſi ſit ſicut Magiſter eius*, quia ſcilicet ſic greſſus ſuos in Magiſtri ſemitis perficit, ſicque ipſius hæret veſtigijs, vt huius planta ab illius pede penitus indiſtincta credatur, & vtriuſque veſtigium nulla ratione probari poſsit diſcretum, ſicque inſuper ingenium ingenio, intellectumque intellectui coadaptat, vt etſi in eſſe entitatiuo diuerſitas inter Magiſtrum & alumnum ipſum interſit; in eſſe tamen (vt ſic dicamus) intelligibili docentis mens diſcenti iudicetur infuſa. Ideo, licet myſtica hæc animalia, quæ bouis Cherubici ſequuntur ductum, diſcernat peculiaris vniuſcuiuſque naturæ proprietas; vnum tamen animal ſunt, ab vnanimi cum ſuo Ductore intelligentiæ concordia; à quà proinde ſui Magiſtri nomen quadam dignitatis extenſione ipſa animalia participant, vt *Cherubim* nominentur, quæ *bouis*, cui facies *Cherub*, greſſus imitantur: & cum nec hilum ab ipſius *bouis Cherubici* exorbitant orbita, in multiplici curſu veſtigium vnum, & in diuerſis pedibus vnica ſolum *bouis planta* iudicatur.

Luc. 6. v. 40.

Cernis iam (O Doctorum Angele, O Angelorum Cherub) quo noſtra hæc tendat oratio. Cernis te ipſum in *bouis Cherubici* ingenio mirabiliter, ne dicam adumbratum, expreſſum: cum in omnium veritatum verbis enuntiandis *bos* ſis, iam non mutus, ſed qui vniuerſum orbem fremitibus, & mugitibus feciſti reſonare, boare, vt meritò de te Chariophilus Cidonius cecinerit.

Bos, qui mutus erat, mugitibus perculit orbem:
Mutaque multiloquum fecit vt ora forent.

Chariophil.

Cum inſuper tibi facies ſit *Cherub* in plenitudine ſcientiæ, à quo etiam nomen *Cherubim*, & *Magiſtrorum* participant, qui tuæ

Sum-

Summæ Theologiæ quaſi quadruplici alarum armati remigio, & tuis ſcriptis omnibus quaſi pulcherrimo oculorum circumcincti apparatu, in *vituli planta*, via ſcilicet tua, militantis Eccleſiæ veloci curſu deferunt toto orbe quadrigam. Cernis denique, noſtros Angelos ſub tuo nomine, tuis veſtigijs, tua planta, ad te, & poſt te, Cherub noſtrum, Magiſtrum, & ducem, adeô indiuulsè currere, vt nec tranſuerſum vnguem ab orbita tua veſtigia eorum probentur diſcedere. Imò ideò eorum *pedes recti* ſunt, nec reuertuntur cum incedunt, nec in incertum ad dexteram, læuamue declinant, quia *planta pedis vituli*, tua ſcilicet, & te ipſo, ad quem ſponte tendunt, in greſſu firmantur.

Sed ad quem Angeli noſtri vltronei, & ſpontanei, niſi ad te Angelum, geſſus ſuos dirigerent, qui nomen, quod ſumpſiſti ex meritis, ſeruaſti ſemper veritate vocabuli, vt Angelus iugiter dicereris à vita, qui à ſupereffluente ſapientię fonte Angelus meruiſti compellari. Tenellus adhuc manens ad vbera, ſalutationem Angelicam deuoraſti. vt iam inde Angelico aſſuetus cibo, Angelicam ſemper inhiares eſcam, quam ſemel animus concepiſſet. Sed ſi Angelorum eſca *manna* dicitur, & iure Angelus dici poteſt, qui hoc ſemper nutritus eſt alimento, nullus iam ambiget, qui *manna* perpendat etymon, quanto iure Angelici nominis dignitate potiaris. *Manna* enim interpretatur, *quid eſt hoc?* Hoc ergo manna, hac eſca mens tua veſcebatur aſsiduè, dum cognitioni rerum intentus, *quid eſt hoc* vniuſcuiuſque iugiter ruminabas: *& quid eſt hoc* cœleſtium myſteriorum contemplans, tanquam pane Angelorum de cœlo præſtito, eſurientem tuum animum omnis ſaporis ſuauitate obdulcabas, replebas, vegetabas. Neque ex cibo, & *manna* ſapientiæ, à quo Angelus diceris, nomen ſumpſiſti alienum ab eo, quod in tuis moribus poterat inueniri: cum & à puritate vitæ meritô tibi *Angeli* nomen deriuetur, quod etiam à iugi ſapientiæ eſu diximus emanaſſe. Habēs enim puritas vitæ coniunctiſsimam cum Angelis cognationem, virginem ad eam euehit gloriam, quæ in Angelis ex principijs naturæ pullulauit. Nam, vt Chryſologus loquitur, *Virginitas hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura.* Cum ergo puritas ab incunabulis tibi arriſerit, omnemque vitam, effrænæ libidinis petulantia ſuperata, egeris incorruptus, meritò tua caſtitas, tua puritas tibi *Angeli* nomen acquiſiuit, quod cœleſtibus ſpiritibus natura comparauit: *Chryſol. ſerm. 143*

Ergo ad te Angelum vita, Angelum ſapientia, noſtri euolant Angeli. Imo dum ipſi ad te euolant, tu cum ipſis volas, cum illi in te ſint, & tu in ipſis: illique per te volent, tu per ipſos. Ipſi ad te euolant, vt ſub tua cuſtodia tuti permaneant: eſto tu illorum *Cuſtos Angelus*. Nam, dum cuſtodieris ipſos, tua cuſtodis: cum, quicquid in illis eſt, à te effluxerit, qui ex tui Solis rota ſplẽdorem (ſiquis in ipſis eſt) benigne vibraſti. Nec ipſorum ſolùm, noſter etiam Angelus eſto, qui ſicut in via præcedis, etiam in via cuſtodias, & in tractatus ſubſequentes noſtri Curſus, quos præparamus iam, fœliciter introducas. Hæc noſtra vota, tuis ſemper in noſtro Curſu ſubleuari ſuppetijs, cuius auſpicijs ſapientia ipſa penê viuit, & florentis Theoſophiæ gloria æternat.

FACVL-

FACVLTAS, SIMVL ET CENSVRA Ordinarij.

SECVNDVS Hic tomus Curſus Theologici Religioſiſsimi, pariter ac Sapientiſsimi Collegij Salmanticenſis Sancti Eliæ Patrum Carmelitarum Diſcalceatorum tractatum, alterum de Trinitate, alterum de Angelis complectens, vt typis procuſus in lucem prodeat, libenter concedimus. Quinimô ſummopere nobis gratulamur noſtri Epiſcopalis muneris fuiſſe operi prælo, & æuo digniſsimo facultate noſtra aditum aperire, vt communem lucem aſpiciat: ſiquidem luci datum, lucem & ipſum quàmmaximam daturum non dubitamus Eccleſiæ ſanctæ Dei, litterariæ Reipublicæ, Scholaſticæ Theologiæ, & D Thomæ placitis, dictis, ſententijs, quæ adeò ebibit vbertim, humiliter ſuſcipit, ſuſpicit reuerenter, fideliter propinat, ſeriô, & maturè ſeligit, ſapienter elucidat, ornat eruditè, explanat dilucidê, diſcutit altè, profundè rimatur, ſequitur indiualſe, fulcit neruosè, defenſat ſtrenuè, viriliter propugnat, fœliciter verſat; vt ipſo Sanctiſsimo Præceptore capitis inſtar dictante, per fideliſsimorum horum diſcipulorum manus exaratum opus videatur. Vt enim verbis D. Auguſtini vtar. *Nequaquam dicendum eſt, quod ipſe non ſcripſerit, quandoquidem membra eius id operata ſunt, quod dictante capite cognouerunt. Quicquid enim de ſuis factis, & dictis nos legere voluit, hoc ſcribendum illis tamquam ſuis manibus imperauit.* Quod ſanè mihi Diuo Thomæ addictiſsimo, cuius Angelica doctrina cordi eſt, & cunctis de Sacra Theologia benemerentibus non potuit non iucundiſsimum fore. Nec cenſura dumtaxat ſapientiſsimi Magiſtri, cui opus recognoſcendum dedimus, in qua nihil vltra veritatem, nihil extra merita audet maturus cenſor, ſed etiam quod vidimus, quod perſpeximus, quod manus noſtræ contrectauerunt de libro hoc, nos in hanc ſententiam pertraxit. Vt enim de luce dixit Diuus Ambroſius. *Plus in eo eſt, quod probetur aſpectu, quam quod ſermone laudari poſsit: ſuo enim vtitur teſtimonio, non ſuffragio alieno.* Quamobrem non poſſum non fateri ſæpius me in admirationem rapuiſſe Religioſiſsimos Patres iſtos, è tam mirabili nudę paupertatis penu tam copioſam ſcientiæ ſupellectilẽ, è religioſę auſteritatis minimè aulicis glebis adeò diuitẽ doctrinę theſaurum, è iugi, & non intermiſſo orationis ſtudio, miruminmodum ſic elucubrata ſapientiæ monumenta deprompſiſſe. Cæterum verum eſt illud, *Qui Deo ſtudent, nihil non procliue ſentiunt, nihil non ex voto conſequuntur.*

D. Aug. de cõſenſu Euangel. lib. 1. c. 35

D. Ambr. lib. 1. Exameron c. 9.

Et ni

Et ni fallor, Angelicus Præceptor ſapientiam à Patre luminum præcipuè in oratione, & ieiunio hauſtam, per viros orationis, & auſterioris vitæ ſtudioſiſsimos in poſteritatem gaudet tranſmitti. Quo operi numeris omnibus abſoluto, non ſolum communem plauſum, quem prior tomus iam expertus eſt, verum etiam toti Theologico curſui ad vmbilicum vſque perducto perennitatem, ex voto, ex animo, ex merito Senecæ verbis auguramur dicentis. *Sapientiæ veſtræ monumenta nulla delebit ætas præſens, & nulla diminuet ſequens, ac deinde ſemper vlterior aliquid ad veſtram conferet.* Dat. Salmanticæ in noſtro Epiſcopali Palatio, die vigeſima ſeptima menſis Septembris. Anno Domini M.DC.XXXVI.

Seneca lib. de breuita te vitæ ca. 15.

Chriſtophorus Epiſcopus Salmantinus.

De mandato Domini mei Epiſcopi

Didacus de Mendieta.

APPRO-

APPROBATIO R. P. M. Fr. Gaſparis de los Reyes, in florentiſsima Salmanticenſi Academia Philoſophiæ naturalis Cathedræ digniſsimi moderatoris.

PRÆCLARVM Hunc Collegij Salmanticenſis ſecundum Theologici Curſus tomum, continentem tractatum de Angelis, diu deſideratum, & iam concupiſcenti animo præparatum (ex commiſsione Domini D. Chriſtophori de la Camara Epiſcopi Salmanticenſis) non inferiori voluptate, & cura non impari, atque priorem eiuſdem Curſus tomum volutaui & perlegi, cunctas illius paginas, omnes ipſius lineas, vniuerſoſque apices oculorum acie, & præcipuè mentis diligentiſsimæ perluſtraui. In illo, quod correctioni obnoxium ſit, nihil; quod in Eccleſiæ, & Thomiſticæ doctrinæ candidatorum vtilitatem cedat, plurimum reperi. In ipſo enim, præter ſplendidam, & ditiſsimam locorum ſacræ ſcripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum ſupellectilem, qua opulentiſsime locupletatur, præter rerum ordinem, quem continet admirabilem, præter claritatem, ſubtilitatem, & profunditatem rationum, in quibus ipſius opifices ſe ipſis quotidie maiores effecti, adeò ſuperiora ſua commentaria ſuperant, & excedunt, vt meritò auctores iudicarentur diuerſiſsimi, ſi doctrinæ vniformitas, ſi ſtyli identitas, ſi veritatum connexio, ſi ſententiarum conſequentia mirabilis non ipſiſsimos eſſe comprobarent. Tam admirabili enim conſonantia omnia, quæ à primis Dialecticæ elementis vſque ad vltimum huius ſecũdi tomi apicem dicta ſunt, ſibi ipſis correſpondent, tamque artificioſa armonia ſolida fundamenta antea in Philoſophicis præiacta cum ſuperimpoſita Theologica mole connectuntur, vt non ſolum vnica vox (vt in priori dicitur tomo) in Artium, & Theologiæ perſonet curſu; ſed etiam ſcribentium manus prima facie in vtroque videatur ipſiſsima. Præter hæc, inquam, omnia (quæ non inter minima computari debent) illud eſt, quod omnibus, non ſolum qui in ſubſellijs ſedent, ſed etiam qui eminent in orcheſtra gratiſsimum futurum eſſe non dubito, quod ſcilicet Angelici Præceptoris rationes adeò expenduntur ſedulo, adeò enucleãtur ſtudioſe, adeó trutinantur diligenter, vt illud audeam pro veritate dicere, inter omnes, eoſque inſignes Scholaſticos, quos ego viderim, com-

commentatores nullum esse, qui id, in quo Diui Thomæ placitum nititur, nitatur circunspicere attentiùs, percalere veriùs, probare neruosius, fulcire validiùs, defendere potentiùs: nullum, qui obstantibus in contra alicuius momenti rationibus satisfaciat pleniùs, respondeat acutiùs, nullũ, qui fallaces argumentationes detegat clariùs, infringat faciliùs: nullum denique, qui ad genuinam & veram Diui Thomæ mentem accedat proximiùs: imò aureum hoc opus non solùm proxime ad Angelicum Præceptorem accedit, sed intelligibilem etiam identitatem est cum ipso consecutum: quippe quod non solum ipsius vita viuit, atque informatur spiritu, sed etiam quia ipsius est velut quædam intelligibilis species. nam sicut ista obiectum intelligibile reddit, sic opus hoc adeò erudite Diui Thomæ mentem edisserat, vt omnibus peruia, facilis, & intelligibilis proponatur per ipsum, nihilque sit quod amplius desiderari possit pro illius explicatione doctrinæ. Et non solum est Angelici Doctoris intelligibilis species, verum etiam ipsius mentis partus, fœtus, & filius, qui perfectam imaginem, & similitudinem sui principij præ se gerens, nihil in eo latitat, quod non actualissime repræsentet. Et sicut de Anthæo filio terræ figmentata olim fabulabatur vetustas, quod scilicet in Herculeo conflictu, quoties matrem contingebat terram, toties vegetiores vires resumebat, & præstantiores, ad horridaque promptior arma resurgebat: sic sane opus hoc, legitimus Angelicæ mentis filius, quò magis ipsum Aquinatem parentem mente contingit & intellectu, oculis, manibusque versat, quô magis ipsius rationes euoluit, quò magis ipsius doctrinæ vnitur, eô robustior & animosior, fortior, & insuperabilior, sicut Libicus ille Anthæus, reperitur. In hoc tamen vno fœlicior isto: nam istum Alcmenæ natus altè sublatum terræ contactu prohibuit, pectorique suo arctiùs strictũ enecuit; hoc verô opus, cum neque persecutio, nec gladius, cũ neque principatus, neque virtutes, nec fortitudo, aut altitudo, aut creatura aliqua possit illud ab Angelico Thoma, à quo vitã participat, separare, cum omni immortalitate aduersus aduersantium machinas perdurans cum æternitate adæquabitur. Quare ipsum vt in communem vtilitatem lucem aspiciat non modo dignum, sed digniſsimum iudico. Habebit in illo quilibet veræ sapientiæ amator, vnde & sibi veritatem assequi, & alios in doctrina sana erudire, & eos, qui contradicunt, arguere possit. O vtinam Deus faxit, auctores ipsius vsque ad vltimam huius cursus peruenire metam: vt labore ipsorum vniuersus orbis perfruatur. Sic iudico in hoc nostro Collegio Veræ Crucis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum in Salmantina Vniuersitate erecti, die decimo septimo Augusti, Virginei partus anno 1636.

Fr. Gaspar de los Reyes.

CENSVRA R. P. M. Fr. GABRIELIS GONçalez, *in Sacra Theologia Magiſtri, & ſupremi Senatus S. Inquiſitionis Conſultoris.*

PRÆCLARISSIMA Commentaria poſterioris partis ſecundi tomi Curſus Salmanticenſis, totam de Angelis materiam complectentis, à Sapientiſsimis Patribus Excalceatis ſacri Cœnobij Magni Eliæ ſummo ſtudio elaborata, ea qua potui cura, & diligentia, non ſine magna animi voluptate reuolui, vt mãdato ſupremi Senatus Regij facerẽ ſatis. In quibus multũ abeſt, vt fidei Catholicæ oppoſitũ, aut bonis moribus diſſonũ quid inueniatur. Imò ita ſubtiliter, & acutè, ita dilucidè, & profundè altiſsimam, & â noſtris ſenſibus materiam remotiſsimam Angelorum diſcutiunt, ita ſuauiter ſtudioſis, veritatiſque amatoribus propinant, vt nõ manu aut hominis ſtylo, ſed Angelorum pennis exarata videatur, aut quod Patres prædicti ab Angelico Doctore, & â Cherubica Virgine Thereſia Beatiſsima pennas ſuas, quibus ſanctam illuſtrarunt Eccleſiam, ad talia Cõmentaria conſcribenda mutuatas acceperint. Pluribus, & ſatis notis cauſis Beatiſsimum Thomam Aquinatẽ nomen Angelici Doctoris promeruiſſe compertum eſt: inter quas non infimum tenet locum, quod de ſubſtãtia Angelorum, de motu, de virtute cognoſcitiua, de modo cognitionis, de voluntate, de productione in *eſſe* naturæ, & in *eſſe* gratiæ, deque malitia aliquorum, &c. primus Theologica methodo altius, & verius, quaſi cum ipſis in oratione continuè verſatus, diſſeruerit. Vocetur ergo Doctor Angelicus. Abſit modo à verbis adulatio. Præclara iſta Cõmẽtaria ita doctrinã Angelici Doctoris in omnibus exhalant, eamq; vnice tuẽtur, ita difficultates de Angelis recõditas dilucidãt, vt non iam humana, ſed vere Cõmẽtaria Angelica dici poſsint. Nec defuere ſapientiſsimi multi, qui acutiſsimum, & vniuerſaliſsimũ D. Thomæ ingeniũ ita mirati ſunt, vt dicere conditionaliter nõ dubitauerint, quod ſi ille error Pitagoræ de trãſmiſsione vnius animæ in corpus alterius hominis error nõ eſſet, ſed veritas, animã D. Auguſtini corpus D. Thomę animaſſe crederetur. Error ille eſt ab Eccleſia reprobatus; ſed ſublimitas ingenij Doct. Angelici inde nõ parũ exprimitur. Sic ſanè egregia iſta Cõmentaria diuinũ D. Thomæ ingeniũ in omnibus redolẽt: ſic eius mentẽ ad viuũ in cũctis exaratã, & expreſſam relinquũt: ſic ſcriptis eiuſdem Angelici Præceptoris in doctrina, quã ab ipſo in proprio fonte copioſè ebibũt, fideliter tradenda, ſapienter enucleanda, eruditiſsimè elucidãda, acriter tuenda, acutè pertractãda, perſpicuè, & mirificè declarãda, ſolidiſque factis Thomiſticis fundamẽtis, quibuſdã quaſi præſidijs firmiſsimè cõmunienda, neruoſè fulcienda, ſtrenuè, & fœliciter propugnãda, ſimilia ſunt, & (vt ſic dicam) tãtam cũ eiſdem S. Doctoris ſcriptis identitatem habent, vt ſi Pitagoricus ille error de tranſmiſsione vnius animæ in corpus alterius hominis non iam error, ſed veritas eſſet, Angelici Præceptoris animam corpora horum Venerabilium Patrum animaſſe, illoſque ani-

animando,& non aliter,ad Angelicũ ordinem,& modũ, ac ſtylum docendi itidem Angelicum euexiſſe merito crederetur. Error ſanè (vt dicebam) dictum illud Pitagoricũ eſt: ſed maxima celſitudo, ſummaque ſublimitas, qua præclara hæc Commẽtaria ſupra multa alia caput extollant, non parum perſpicuè hinc innuitur, ſignificatur, & velut digito demonſtratur. Rurſus aſsiduus,& continuus D. Thomæ in docẽdo,& ſcribendo labor talis erat, vt etiam ad menſam Ludouici Regis Galliæ inuitatus, perpetua ſuorũ ſtudiorũ meditatione, nec ibi interrupta, quaſi extra ſe poſitus, manu menſam percutiens protulit: *Concluſum eſt contra Manichæos.* Ecce ingenium, attende labores,& magis perpende, quod humilis Thomas ſocio ſuo fratri Reginaldo faſſus eſt, quicquid ſciret, non tam ſtudio, & labore ſuo peperiſſe, quàm diuinitus traditum orationis merito accepiſſe. Miror modô ſine dubio ſublimia,& acutiſsima ingenia Patrum Diſcalceatorum Collegij S. Eliæ Salmãticenſis: veneror immẽſos, aſsiduoſque in explicãdis difficultatibus Theologicis labores: ſtupeo ſummopere inueſtigationes plurimas ad inueniendam veram, puram,& genuinam Diui Thomæ ſententiam, tam in liberalium artium ſcriptis apud Complutenſes, quam in rebus Theologicis apud Salmanticẽſes: & adhuc mihi videtur illis accidiſſe, quod Diuo Thomæ, cui ex corde addicti ſunt, videlicet, quod Cõmentaria iſta non tam ſtudio,& diligentia humana cõcinnata ſint, quam diuinitus (hoc eſt media oratione) à Deo tradita. Fructus orationis floridi, ſanctitatem, veritatem,& modeſtiam redolentes apparent. Prodeant ergo in lucem, prodeant in vtilitatem,& obſequium Eccleſiæ Catholicæ, in ſingularem profectum Theologorum veritatem amantium, in honorem, & augmentum ſcholæ Diui Thomæ veritatis Doctoris. Ita ſentio. In hoc Regali Cœnobio Beatiſsimæ Virginis Mariæ de Atocha, die 31. menſis Octobris, anni 1636.

Fr. Gabriel Gonçalez.

FACVLTAS ORDINIS.

FRATER Stephanus à Sancto Ioſeph Generalis Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli, de conſenſu noſtri Diffinitorij; vt liber, cuius titulus eſt (Curſus Theologicus Carmelitarum Diſcalceatorum Collegij Salmanticenſis, Tomus ſecundus in 1. p. Diui Thomæ) ab eodem Collegio accuratè cõpoſitus,& à grauioribus doctiſque viris noſtri Ordinis (quibus ipſum videndum,& examinandũ commiſimus) recognitus,& approbatus typis mandetur,& in lucem prodeat, obtenta facultate Ordinarij, ac ſupremi Senatus, tenore præſentium licentiam concedimus. In quorum fidem præſentes manu noſtra, ac Secretarij nomine ſubſcriptas fieri iuſsimus. Matriti die ſexta menſis Februarij, Anni Domini M. DC. XXXVI.

Fr. Stephanus à S. Ioſeph
Generalis.

Fr. Dominicus à Matre Dei
Diffinitor,& Secretar.

EL

EL REY.

POR Quanto por parte de vos el Colegio de los Carmelitas Descalços de la Ciudad de Salamanca fue fecha relacion auiades compuesto vn libro del tercero tomo del Curso Salmanticense que tiene la materia de Angeles. Y nos fue pedido, y suplicado os mandasemos dar licencia para le poder imprimir, y priuilegio por diez años, ò como la nuestra merced fuesse: lo qual visto por los del nuestro Cõsejo, y como por su mandado se hizieron las diligẽcias que la pragmatica por nos vltimamente fecha sobre la impresion de los libros dispone, fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha razon, è nos tuuimoslo por bien. Por la qual os damos licencia, y facultad, para que por tiempo de diez años primeros siguientes que corran, y se quenten desde el dia de la fecha desta nuestra cedula en adelante, vos, ô la persona que vuestro poder ouiere, y no otra alguna, podays imprimir, y vender el dicho libro, que de suso va fecha mencion por su original, que en el nuestro Consejo se vio que va rubricado, y firmado al fin de Diego Gonçalez de Villaroel nuestro Escriuano de Camara, de los que en el residen, con que antes que se venda lo traygais ante ellos, juntamente con el dicho original, para que se vea si la dicha impresion està conforme à el, è traygais fee en publica forma, como por corrector por nos nombrado se vio, y corrigio la dicha impresion por el dicho original: y mandamos al Impressor que assi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio, y primer pliego, ni entregue mas de solo vn libro, con su original al Autor, ò persona à cuya costa lo imprimiere, para efecto de la dicha correccion, y tassa, hasta que antes, y primero el dicho libro estè corregido, y tassado por los del nuestro Consejo, y estando hecho, y no de otra manera pueda imprimir el dicho principio, y primer pliego, y seguidamente se ponga esta nuestra cedula, y la aprobacion que del dicho libro se hizo por nuestro mandado, y la tassa, y erratas, so pena de caer, è incurrir en las penas contenidas en las leyes, y pragmaticas de nuestros Reynos, que sobre ello disponen, y mãdamos que durante el tiempo de los dichos diez años persona alguna sin la dicha vuestra licẽcia no pueda imprimir, ni vender el dicho libro, so pena que el que lo imprimiere, ò vendiere aya perdido, y pierda todos, y qualesquier libros, moldes, y aparejos, que del dicho libro tuuiere, y mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis, la tercia parte para la camara, y la otra tercia parte para el juez que lo sentẽciare, y la otra tercia parte para la persona que lo denunciare. Y mãdamos à los del nuestro Consejo, Gouernador, y Oydores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, Alguaciles de la nuestra Casa, y Corte, y Chancillerias, y à todos los Corregidores, Assistente, Gouernadores, Alcaldes mayores, y ordinarios, y otros juezes, y justicias qualesquier de todas las Ciudades, villas, y lugares de los nuestros Reynos, y señorios, y acada vno en su jurisdicion, que os guarden, y cumplan esta nuestra cedula, y contra ella no vayan, ni passen, ni consientan yr, ni passar en manera alguna so pena de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra Camara. Fecha en Madrid à treze dias del mes de Nouiembre de mil y seyscientos y treinta y seys años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro Señor
Francisco Gomez de Lasprilla.

*** TASSA

TASSA.

YO Miguel Fernandez Eſcriuano del Rey nueſtro ſeñor, oficial mayor en el oficio de Diego Gonçalez de Villaroel Eſcriuano de Camara de ſu Mageſtad, de los que en ſu Conſejo reſiden, doy fe, que auiendoſe viſto por los ſeñores del vn libro intitulado Collegij Salmanticenſis tertius Tomus, ſobre la prime ra parte de Santo Thomas, que con licencia de los dichos ſeñores fue im preſſo à inſtancia de la Ordē de los Deſcalços de nueſtra Señora del Car men taſſaron cada pliego de los del dicho libro à cinco marauedis, y a eſ te precio mandaron ſe venda, y no à mas: y que eſta taſſa ſe pōga al prin cipio de cada libro de los que ſe imprimieren, como conſta del decreto de la dicha taſſa que en eſte oficio queda, à q̄ me refiero. Y para que dello conſte, de pedimiento de la dicha Orden doy eſta fe en Madrid à veinte y quatro de Diziembre de mil y ſeyſciētos y treinta y ſiete años: y en fe de ello lo ſignè. En teſtimonio de verdad, Miguel Fernandez.

ERRATA.

FOl.105.col.2.lin.35.congit, lege contingit. fol.228 col.1.lin.9.ergo poteſt, ergo non poteſt, fol.304.col.2.lin.46.Angeli, Angelis. fol.314.col.2.lin.20.reſpondent, reſpondet, fol. 349.col.2 lin.28.*quod.quo* fol.375.col.1.lin.11. ſuperioris, inferioris, fol. 376.col.2. lin 47. vt eſſe rèi, vt in eſſe rei, fol.377.col.2.lin.3.comprehenſibilis, incomprehenſibilis, fol.419.col. 2.lin.1.auæ, quæ, fol.435.col.1.lin 9.vicis, vocis, fol.439.col.1.lin.44.reuelationes, reuelationis, fol.440.col.1.lin.30.rationes, rationem, fol.441.col.1 lin.17.erant, erat, fol.451. col.2. lin.45.intelligibilis, intelligibili, fol.463.col.2.lin.40.riſibile, viſibile. Ibid. lin. 57. ſemel, ſimul. fol.492.col.2.lin.6.remori, remoueri, fol.496.col.1.lin.17.Deus, Deū, fol.516. col.1.lin. 36.Angelus, Angelis. Ibid.col.2.lin.3.Domiſius Dominus, fol.532.col.2.lin.6.viſibilem, riſibilem, fol.535.col.2.lin.28.maior, minor, fol.537.col.2.lin.23. operationem, operationum, fol.540.col.2.lin.8.differentiam, indifferentiam, fol.541.col.2 lin.59.dolore, dolere, fol.553. col.2.lin.22.maior, minor, fol.555.col.1.lin.46.ipſum finem, ipſum in finem, fol. 583. col. 1. lin.6.Angeli, Angelo. Ibi col.2.lin.6.ſubſtantiæ, ſubſiſtentiæ, fol.616. col. 1. lin. 11. obiectiones, obiectionis, fol.621.col.2.lin.39.conuenit, inuenit, fol.636.col.1.lin.20.voliti, volita, fol. 645.col. 1. lin. 42. itat, iſta. fol.652.col.1.lin.2.conuenit, conuincit. Ibidem lin. 51. ſpiritualiter, ſpecialiter, fol.766.col.2 lin.51. apprehenſio, apprehenſione. fol.803.col.1.lin.19. accipe, accipit.

Liber hic nomine inſcriptus de Angelis, demptis his mendis correſpondet ſuo exemplari. Datum Matriti die 16. menſis Decembris anno 1637.

Licentiatus Franciſcus
Murcia de la Llana.

AD

AD LECTOREM.

TRACTATVM de Sacroſancto Trinitatis myſterio, quem nuper edidimus, iam tractatus de Angelis (humaniſsimè Lector) ſubſequitur, in alio, vt vides, ſeparatus corpore, ne te mole grandioris libri (vt in ſuperiori tomo diximus) grauaremus. Sed ecce ex hoc ipſo, quia tractatũ duplicem nõ niſi duplici integro volumine abſoluimus, nos circumlocutionibus, confirmationum, obiectionum, impugnationũ, & explicationum cauſaris liberiùs euagatos; cum preſsiori dicendi methodo poſſemus aliena plenè, & facilè refutare, & noſtra non minùs validè, quam neruosè fulcire. Sed ne nimis nobis ſuccenſeas, ſcito ex Quintiliano, illam vtilẽ eſſe breuitatem, non quæ minus dicit, ſed quæ plus, quàm oporteat, copioſa verborum turba non extenditur. *Poſſunt quidem quandoque* (inquit V. Petrus Mauricius) *multa breuiter dici, ſed vbi breuitas ſententiarum ponderа non euacuat; non vbi intellectui multa neceſsariò intelligẽda defraudat.* Vnde, cum multoties D. Thomæ profunditas, ipſiusque rationum ſubtilitas nequeat etiam multiplicatis verbis conuenienter exponi, immeritò ſanè prolixitati extenſionẽ noſtram adſcribis: *Cum nemo breuiter dicere poſsit* (vt inquit præfatus Author) *quod nec verborum multitudo vix valet explicare.* Huic excuſationi, quæ in expenſione rationum Angelici Doctoris habet præcipuè locum, alia etiam pro enodatione argumẽtorum accedit, quod ſcilicet, etſi leuis, & vilis obiectionis quandoque videatur ſagitta, quæ cõtra ipſius Angelici Magiſtri ſententiam, & mentem penè ſine ictu conijcitur; aliquãdo tamen, ſi nõ vſquequaque infringatur, imò ſi non decineretur, in ſagittarũ ſyluam fortaſse pullulabit. Quapropter non inutiliter tempus abſumitur, ſi minimus ſurculus, ex quo arbor noxia, & lethalis excreſcenda erat, diſsipatur: quia (vt Petrus Damianus in re non abſimili loquitur) *Non otioſum* credimus, *multorum lignorum pyram accẽdere, qua baſiliſcum, licet exiguũ, incolumi populo neceſſe ſit interire: nec multa aqua inaniter funditur, ſi ſcintilla ignis, qua vrbs cremãda fuerat, extinguatur,*

Epiſt. 34. lib. 1.

Aliam etiam rationem, quæ multiplicationem obiectionũ,

explicationum, & confirmationum excuſet, & ſimul cauſam explicet, poſſemus adducere, aſsiduam ſcilicet in doctrina D. Thomæ meditationem: in cuius profunditate, qui eam non quaſi in tranſcurſu penetrare conantur, illud Regij Vatis, *Abyſſus abyſſum inuocat*, experiuntur eſſe completum: vt ad vnius rationis profunditatem explicandam neceſſe ſit ex ipſiuſmet doctrina aliam profunditatem euocare. Vnde Angelici Doctoris ſtudioſis euenit, quod in aere ſtabiliter circunſtante Solem aliquãdo dicitur accidiſſe; qui ab ipſius Solis radijs percuſſus, paulatim in multiplices circulos coloris varij, quorum alius ex alio figurari videretur, formabatur. Quos circulos, inquit Seneca, *Græci Halo vocant, & nos dicere coronas aptiſsimè poſſumus*. Sed hæ coronæ, hi circuli, non niſi in aere ſtabili (vt ipſe Seneca docet) conſpiciũtur. *Nam qui ſtat aer* (inquit ille) *in aliquam faciem fingi poteſt: is autem, qui fluit, nec feritur quidem lumine*. Quod exẽplo explicat, & confirmat: *Lapillus* (inquit) *in lacum, & alligatã aquã immiſsus, circulos facit innumerabiles; & hoc quidem nõ facit in flumine: quia omnem figuram fugiens aqua diſturbat. Idẽ in aère euenit: vt ille, qui manet, poſsit figurari: at ille, qui rapitur, & currit, omnem ictum, venientemque formam diſturbet*. Idem nobis (humaniſsimè Lector) accidit, qui dum perpetui ſumus cellularum inquilini, non curſitantes per vicos, per domos, per plateas, ſemper fulgentiſsimo Soli Aquinati immoti colligamur, & quietẽ, placideque ipſius lucidiſsimos radios recipimus, ex quibus alius, & alius circulus rationũ, cõfirmationũ, & explicationũ efformatur: quæ omnia, cum ad maiorem ſententiarum claritatem ſpectent, non inanis loquacitatis circumlocutiònes vocare debes, ſed circulos, ſeu aptiùs coronas, quibus & aſſertiones, & ipſius rationes coronẽtur. Nec tibi faſtidiũ debet ingerere, quod, vt faciliùs, & clariùs mentem Angelici Doctoris percipias, nos non ſine labore propinamus: ne ipſe ex Auguſtini ore audias: *Laborant homines in diſcendo, & breuia non valent intelligere, & prolixa non amant legere*: noſque pariter audiamus: *Laborant homines in docendo, qui & pauca tardis, & multa pigris fruſtra ingerunt*. Vale.

Lib. 1. natur. quæſt. cap. 2.

Epiſt. 101.

IN-

INDEX DISPVTATIONVM, ET DVBIORUM, quæ in hac ſecundi tomi poſteriori parte, vnà cum quæſtionibus, & articulis D. Thomæ continentur.

QVÆSTIO L.

DE Subſtantia Angelorum abſolutè fol. 2.

Articulus 1. Vtrùm Angelus ſit omninò incorporeus? fol. 3.

Articulus 2. Vtrùm Angelus ſit compoſitus ex materia, & forma? fol. 4.

Articulus 3. Vtrùm Angeli ſint in aliquo magno numero? fol. 7.

Articulus 4. Vtrùm Angeli differant ſpecie? fol. 9.

Articulus 5. Vtrùm Angeli ſint incorruptibiles? fol. 11.

DISPVTATIO I.

De ſubſtantia Angelorũ abſolutè fol. 13.

Dubiũ 1. Vtrùm Angelus ſit omninò incorporeus? ibidem.

Dubium 2. Vtrùm Angelus ſit compoſitus ex materia eiuſdem rationis cum noſtra, ſiue (vt ſic dicamus) materiali, necnon & ex ſua forma ſpirituali? fol. 24.

Dubium 3. Vtrùm Angelus ſit phyſicè cõpoſitus ex materia prima purè ſpirituali, & ſua forma? fol. 31.

Dubium 4. Vtrùm numerus Angelorum excedat multitudinem omnium ſpecierum materialium creaturarum? fol. 38.

Dubium 5. Vtrùm de facto omnes Angeli differant ſpecie? fol 45.

Dubium 6. Vtrùm ſub eadem ſpecie atoma potuerint eſſe plures Angeli ſecũdùm legem ſeu potentiam Dei ordinariam? fol. 52.

Dubium 7. Vtrùm per potentiam Dei abſolutam poſsint eſſe plures Angeli eiuſdem ſpeciei atomæ? fol. 59.

Dubium 8. Vtrùm Angeli ſint incorruptibiles ex natura ſua? fol. 65.

QVÆSTIO LI.

De cõparatione Angelorum ad corpora fol. 70.

Articulus 1. Vtrùm Angeli habeant corpora naturaliter ſibi vnita? fol. 71.

Articulus 2. Vtrùm Angeli aſſumant corpora? fol. 75.

Articulus 3. Vtrùm Angeli in corporibus aſſumptis opera vitæ exerceant? fol. 78.

QVÆSTIO LII.

De cõparatione Angelorum ad loca? f. 81.

Articulus 1. Vtrùm Angelus ſit in loco? fol. 82.

Articulus 2. Vtrùm Angelus poſsit eſſe in pluribus locis ſimul? fol. 83.

Articulus 3. Vtrùm plures Angeli poſsint ſimul eſſe in eodem loco? fol. 84.

DISPVTATIO II.

De comparatione Angelorũ ad loca? f. 85.

Dubium 1. Vtrùm Angelus ſit in loco? & an propriè habeat eſſe in illo? ibidem.

Dubiũ 2. Vtrùm ſubſtãtia Angeli ſit ei ratio proxima, & immediata exiſtendi in loco? fol. 92.

Dubiũ 3. Quæ ſit Angelo ratio formalis, & proxima exiſtẽdi in loco corporeo? f. 105.

Dubium 4. Quid ſit Angelis ratio formalis fundandi vbicationem in loco violento, vel præternaturali? fol. 134.

Dubiũ 5. Vtrùm ex cõtactu virtutis Angeli ad locũ reſultet in ipſo Angelo aliquod intrinſecũ *vbi*? & an hoc ſit *vbi* prædicamentale? ac tandem cuius rationis ſit? fol 138.

Dubium 6. Vtrùm Angelus ſit in loco diuiſibili ſecundùm realem præſentiam? & an vbique? fol. 145.

Dubium 7. Vtrùm Angelus poſsit eſſe in minori, & minori loco vſque in infinitum? & vtrùm queat eſſe in ſolo puncto? fol. 148.

Dubium 8. Vtrùm Angelus poſsit eſſe in pluribus locis ſimul? fol. 152.

Dubium 9. Vtrùm plures Angeli poſsint ſimul eſſe in eodem loco? fol. 162.

Dubiũ 10. Vtrùm Angelus poſsit eſſe in eſſentia alterius Angeli, aut etiam in eſſentia animæ rationalis tanquam in loco? fol. 171.

QVÆSTIO LIII.

De motu locali Angelorum fol. 175.

Articulus 1. Vtrùm Angelus poſsit moueri localiter? ibidem.

Articulus 2. Vtrùm Angelus tranſeat per medium? fol. 177.

Articulus 3. Vtrùm motus Angeli ſit in inſtanti? fol. 179.

DISPVTATIO III.

De motu locali Angelorum? fol. 182.

Dubium 1. Vtrùm Angelus poſsit moueri localiter? ibidem.

Dubium 2. Quid ſit motus localis Angeli? fol. 183.

Dubium 3. Vtrùm Angelus moueatur

motu continuò? & in quo prædictus motus conſiſtat?fol.194.

Dubium 4. Vtrùm Angelus poſsit moueri motu diſcreto? vbi etiam quid hic motus importet?fol.208.

Dubium 5. Vtrùm Angelus poſsit per vires ſuæ naturæ tranſire per motum localem de extremo ad extremum, abſque eo, quòd tranſeat per medium?fol.213.

Dubium.6. Vtrum vterque motus localis, nempe continuus,& diſcretus ſint in Angelo tanquam in ſubiecto?fol 225.

Dubium.7. Vtrum motus localis Angeli continuus ex parte ſpatij poſsit fieri in inſtanti?fol.230.

Dubium 8. Vtrùm motus localis, & diſcretus Angeli poſsit fieri in inſtãti? fol.237.

Dubium 9. Vtrùm ratione D. Thomæ articulo 3. huius queſtionis adducta ſufficiẽter probetur motum localem Angeli non poſſe fieri in inſtanti noſtri temporis, ſed debere exerceri in tempore?fol.241.

QVÆSTIO LIIII.

De cognitione Angelorum,fol.253.

Articulus 1. Vtrùm intelligere Angeli ſit eius ſubſtantia?fol.254.

Articulus 2. Vtrùm intelligere Angeli ſit eius eſſe?fol.255.

DISPVTATIO IIII.

De efficacitate rationum D. Thomæ ad oſtendendas concluſiones primi,& ſecundi articuli,fol.256.

Dubiũ 1. An duabus rationibus, quas in articulo 1. huius quæſt. adducit D. Thomas, ſufficiẽter ſuadeatur intentũ,ſcilicet intelligere Angeli non eſſe eius ſubſtantiam?ibidem.

Dubiũ 2. Vtrùm ratio,qua D. Thomas articulo 2. huius q. probat, quòd intelligere Angeli non eſt eius eſſe, ſit efficax? fol. 261.

Articulus 3. Vtrùm potentia intellectiua Angeli,ſit eius eſſentia?fol.265.

Articulus 4. Vtrùm in Angelo ſit intellectus agens,& poſsibilis?fol.266.

Articulus 5. Vtrùm in Angelis ſit ſola intellectiua cognitio?fol.268.

QVÆSTIO LV.

De medio cognitionis Angelicæ fol 269.

Articulus 1. Vtrùm Angeli cognoſcant omnia per ſuam ſubſtantiam?ibidem.

Articulus 2. Vtrùm Angeli intelligãt per ſpecies à rebus acceptas?fol.271.

Articulus 3. Vtrùm ſuperiores Angeli,intelligant per ſpecies magis vniuerſales,quàm inferiores?fol.273.

DISPVTATIO V.

De medio cognitionis Angelicæ, fol.276.

Dubiũ 1. Vtrùm Angelus cognoſcat omnia per ſuam eſſentiam? & an id ratione D. Thomæ ſufficienter probetur?fol:275.

Dubium 2. Vtrùm Angelus accipiat ſpecies rerum corporearum, & ſenſibilium ab eiſdem rebus ſenſibilibus?fol.280.

Dub.3. Vtrùm Angelus cognoſcat res immateriales per ſpecies acceptas ab illis?f.286

Dub. 4. Vtrùm ſpecies intelligibiles productæ à Deo in intellectu Angelico propriè habeant rationẽ naturaliũ proprietatum reſpectu illius,& eſſentiæ Angelicæ ab eiſdem per naturalem reſultantiam actiuè dimanantiũ? fol.292.

Dub.5 Vtrũ quò Angeli ſunt ſuperiores, eò intelligãt per vniuerſaliores ſpecies?f.303

QVÆSTIO LVI.

De cognitione Angelorum ex parte rerũ immaterialium?fol.333.

Articulus 1. Vtrùm Angelus cognoſcat ſeipſum?ibidem.

Art.2. Vtrùm vnus Angelus aliũ cognoſcat?fol.334.

Art. 3. Vtrùm Angeli per ſua naturalia Deum cognoſcere poſsint?fol.336.

DISPVTATIO VI.

De cognitione Angelorum ex parte rerũ immaterialium,fol.338.

Dubium 1. Vtrum Angelus per ſuam formam,ſeu eſſentiam ſeipſum intelligat?ibidẽ.

Dub. 2. Vtrùm vnus Angelus cognoſcat alium,vel per eſſentiam Angeli cognoſcẽtis, vel per eſſentiam Angeli cogniti tanquam per formam intelligibilem?fol.350.

Dubium 3. Vtrùm Angeli inferiores comprehendant ſuperiores?fol.365.

Dub. 4. Vtrùm Angelus per ſuam eſſentiam tanquam per ſpeciem intelligibilẽ cognoſcat Deum? An verò per ſpeciem ſuperadditam repræſentantem ipſum quidditatiuè, vel abſtractiuè?fol.386.

Dubium 5. Vtrùm eſſentia Angeli cõcurrat ad intellectionem naturalem Dei, nõ ſolum vt ſpecies intelligibilis,& ratio cognoſcendi incognitã,verùm etiam vt obiectũ, & ratio cognoſcendi cognita?fol.392.

QVÆSTIO LVII.

De Angelorum cognitione reſpectu rerum materialium,fol.396.

Articulus 1. Vtrùm Angeli cognoſcant res materiales?ibidem.

Art.2. Vtrùm Angelus cognoſcat ſingularia?fol.398.

Articulus 3. Vtrùm Angeli cognoſcant futura?fol.400.

Articulus 4. Vtrùm Angeli cognoſcant cogitationes cordium?fol.402.

Art.5. Vtrùm Angeli cognoſcant myſteria gratiæ?fol.404.

DISPVTATIO VII.

De cognitione Angelorum reſpectu rerum materialium,fol.406.

Dub.1. An Angeli cognoſcant res materiales?ibidem.

Dub. 2. Vtrùm Angelus cognoſcat materialia ſingularia?fol.410.

Du-

Dub. 3. Vtrùm Angelus per eãdem ſpeciẽ cognoſcat naturã communẽ, & illius indiuidua? vbi etiã an ſimul omnia illorum accidentia? fol. 413

Dub. 4. Vtrùm Angelus per vires ſuæ naturæ certò cognoſcat futura contingentia, & libera? fol. 442.

Dub. 5. Vtrùm cogitationes cordis hominis, aut alicuius Angeli ſint, aut poſsint certò eſſe notæ alteri Angelo viribus ſuæ naturæ relicto antequam ad illum dirigantur, eidemque manifeſtentur? fol. 434.

Dubium 6. Vtrùm Angelus per vires ſuæ naturæ cognoſcat myſteria gratiæ? fol. 449.

QVÆSTIO LVIII.

De modo cognitionis Angelicæ, ibidem.

Art. 1. Vtrùm intellectus Angeli quandoque ſit in potentia, quandoque in actu? fol. 450.

Articulus 2. Vtrùm Angelus ſimul poſsit multa intelligere? fol. 451.

Art 3. Vtrùm Angelus cognoſcat diſcurrendo? fol. 452.

Art. 4. Vtrùm Angeli intelligant componendo, & diuidendo? fol. 453.

Art. 5. Vtrùm in intellectu Angeli poſsit eſſe falſitas? fol. 455.

Art. 6. Vtrùm in Angelis ſit cognitio matutina, & veſpertina? fol. 456.

Art. 7. Vtrùm vna ſit cognitio matutina, & veſpertina? fol. 458.

DISPVTATIO VIII.

De modo cognitionis Angelicæ? fol 460.

Dub. 1. Vtrùm Angelus poſsit ſimul plura intelligere? ibidem.

Dub. 2. Vtrùm Angelus intelligat diſcurrendo? fol. 470.

Dub. 3. Vtrùm Angeli intelligant componendo, & diuidendo? fol. 478.

QVÆSTIO LIX.

De voluntate Angelorum? fol. 480.

Art. 1. Vtrùm in Angelis ſit voluntas? ibidẽ.

Articulus 2. Vtrùm in Angelis voluntas differat ab intellectu? fol. 481.

Art. 3. Vtrum in Angelis ſit liberum arbitriũ? fol. 483.

Art. 4. Vtrùm in Angelis ſit iraſcibilis, & cõcupiſcibilis? fol. 484.

QVÆSTIO LX.

De Amore, & dilectione Angelorum. fol. 486.

Art. 1. Vtrùm in Angelis ſit amor, ſeu dilectio naturalis. ibidem.

Art. 2. Vtrùm in Angelis ſit dilectio electiua? fol. 488.

Art. 4. Vtrùm Angelus diligat ſeipſum dilectione naturali, & electiua? fol. 491.

Art. 3. Vtrùm vnus Angelus naturali dilectione diligat alium, ſicut ſeipſum? fol. 492.

Art. 5. Vtrùm Angelus naturali dilectione diligat Deum, pluſquam ſeipſum? fol. 494.

QVÆSTIO LXI.

De productione Angelorũ in eſſe naturæ, f. 497.

Art. 1. Vtrũ Angeli habeãt causã ſui eſſe? ibidẽ

Art. 2. Vtrùm Angelus ſit productus à Deo ab æterno? fol. 598.

Art. 3. Vtrùm Angeli ſint creati ante mundũ corporeum? fol. 449.

Articulus 4. Vtrùm Angeli ſint creati in cœlo empyreo? fol. 502.

QVÆSTIO LXII.

De perfectione Angelorum in eſſe gratiæ, & gloriæ, fol. 503.

Art. 1. Vtrùm Angeli fuerint in ſua creatione beati? fol. 504.

Art. 2. Vtrùm Angelus indiguerit gratia ad hoc, quòd conuerteretur in Deum? fol. 508.

Articulus 3. Vtrùm Angeli ſint creati in gratia? fol. 510.

Art. 4. Vtrùm Angelus creatus ſuam beatitudinem meruerit? fol. 511.

Art. 5. Vtrùm Angelus ſtatim poſt vnum actum meriti, beatitudinem habuerit? fol. 512.

Art. 6. Vtrùm Angeli ſint conſequuti gratiã, & gloriam ſecundùm quantitatem ſuorum naturalium? fol. 514.

Art. 7. Vtrùm in Angelis beatis, remaneat cognitio naturalis? fol. 516.

Art. 8. Vtrùm Angelus beatus peccare poſsit? fol. 518.

Art. 9. Vtrùm Angeli beati in beatitudine poſſint proficere? fol. 520.

QVÆSTIO LXIII.

De Angelorũ malitia quoad culpam. fol. 522.

Articulus 1. Vtrùm malum culpæ poſsit eſſe in Angelis? fol. 523.

DISPVTATIO IX.

De peccabilitate, & impeccabilitate creaturæ intellectualis, fol. 525.

Dub. 1. Vtrùm per potentiam Dei abſolutã poſsit dari creatura aliqua intellectualis, quæ per ſe, & ex natura ſua ſit omninò impeccabilis? ibidem.

Dub. 2. Vtrùm ſit dabilis per diuinam potentiã aliqua ſubſtantia intellectualis creata, quæ præcisè circa finem naturalem ſit ex propria natura, per ſe primò, directè, & immediatè impeccabilis? fol. 541.

Dub. 3. Vtrùm de facto detur aliqua creatura intellectualis, quæ per ſe primò, directè, & immediatè ſit impeccabilis circa finem naturalem præcisè ſumptum? fol. 549.

Art. 2. Vtrùm in Angelis poſsit eſſe tantùm peccatum ſuperbiæ, & inuidiæ? fol. 560.

Art. 3. Vtrũ diabolus appetierit eſſe vt Deus? fol. 562.

DISPVTATIO X.

De primo peccato Angeli, & de alijs illud comitantibus? fol. 564.

Dubium 1. Vtrùm primum Angeli peccatum fuerit ſuperbiæ propriè, & ſpecialiter dictæ ibidem.

Dub. 2. Vtrùm obiectum excellẽs circa quod Angelus primo ſuperbijt, fuerit omnimoda æqualitas per æquiparantiam cum Deo? fol. 574.

Dub. 3. Vtrùm obiectum excellẽs circa quod Angelus primò ſuperbijt, fuerit vnio hypoſtatica, vel nolle ſubijci Chriſto, & eius dignitati? fol. 596.

Dubium 4. Vtrùm obiectum excellens, circa quod Angelus primò ſuperbijt, fuerit tyrannica aliqua poteſtas, ſiue principatus ſupra alias creaturas inferiores. & intellectuales? fol. 601.

Dubium 5. Vtrùm obiectum excellens, circa quod Angelus in primo ſuo peccato habuit primò ſuperbire, fuerit ſua beatitudo naturalis? & quomodo circa illã primò ſuperbierit? fol. 604.

Dub. 6. Vtrùm obiectum excellẽs, circa quod Angelus in primo ſuo peccato ſuperbijt, fuerit etiam beatitudo ſupernaturalis? & quomodo circa illam ſuperbè deliquerit? fol. 631.

Dub. 7. Vtrùm Angelus potuerit primò peccare alio peccato, quàm peccato ſuperbiæ? f. 647

Dub. 8. Vtrùm ad primum peccatum Angeli debuerit in intellectu eius præcedere aliquis error, vel aliqua inconſideratio? fol. 660.

Art. 4. Vtrùm aliqui Dæmones ſint naturaliter mali? fol. 676.

Art. 5. Vtrùm diabolus fuerit malus in primo inſtanti ſuæ creationis, per culpam propriæ volũtatis? fol. 678.

DISPVTATIO XI.

De incapacitate Angeli ad peccandum in primo inſtanti. fol. 680.

Dub. vnicum. Vtrùm Angelus in primo inſtãti ſui *eſſe* potuerit per culpam propriæ voluntatis peccare? fol. 681.

Art. 6. Vtrùm aliqua mora fuerit inter creationem, & lapſum Angeli? fol. 710.

DISPVTATIO XII.

An fuerit aliqua mora inter primum inſtans creationis Angeli, & eius lapſum? necnon & quanta fuerit mora totius viæ Angelicæ, fol. 712.

Dub. 1. Vtrùm Angelus malus ſtatim poſt primum inſtans, lapſus fuerit? & an bonus ſtatim poſt idem inſtans omninò deliberatè ſe, & omnia ſua in Deum finem ſupernaturalem retulerit? ibidem.

Dub. 2. Vtrùm Angeli boni in eodem inſtanti ſui meriti omninò liberi præmium eſſentiale, nempe viſionem claram Dei, acceperint, & Angeli mali in eodem inſtanti ſui demeriti damnati ſint. fol. 724.

Dub. 3. An totum negotium Angelorum bonorum, & malorum duabus dumtaxat morulis, ſiue inſtantibus Angelicis, an verò tribus morulis, ita vt non pluribus, neque paucioribus peractum ſit. fol. 734.

Art. 7. Vtrùm Angelus ſupremus inter peccantes, fuerit ſupremus inter omnes? fol. 745.

Art. 8. Vtrùm peccatum primi Angeli, fuerit alijs cauſa peccandi. fol. 747.

Articul. 9. Vtrùm tot Angeli peccauerunt, quot permanſerunt. folio 749.

QVÆSTIO LXIIII.

De pœna Dæmonum. fol. 751.

Articulus 1. Vtrùm intellectus Dæmonis ſit obtenebratus per priuationem cognitionis omnis veritatis. ibidem.

Art. 2 Vtrùm voluntas Dæmonum ſit obſtinata in malo. fol. 755.

DISPVTATIO XIII.

De obſtinatione Dæmonum. fol. 757.

Dub. 1. Ex quibus cauſis procedat obſtinatio in Dæmonibus. ibidem.

Dub. 2. Vtrùm Dæmones non obſtante, quòd ſint obſtinati in ſuo primo peccato, poſſint nihilominùs aliquod bonum opus ex omni capite tale patrare. fol. 778.

Art. 3. Vtrùm dolor ſit in Dæmonibus. f. 782.

Art. 4. Vtrùm aer iſte ſit locus pœnalis Dæmonum. fol. 783.

QVÆSTIO CVI.

Quomodo vna creatura moueat aliam fol. 785.

Art. 1. Vtrùm vnus Angelus illuminet alium. fol. 786.

Art. 2. Vtrùm vnus Angelus poſſit mouere voluntatem alterius. fol. 788.

Art. 3. Vtrùm Angelus inferior ſuperiorem illuminare poſſit. fol. 789.

Art. 4. Vtrùm Angelus ſuperior illuminet inferiorem. fol. 791.

DISPVTATIO XIIII.

De illuminatione Angelorum. fol. 792.

Dub. 1. Vtrùm vnus Angelus aliũ illuminet. fol. 793.

Dub. 2. Vtrùm vnus Angelus alterum illuminet per hoc, quòd phyſicè infundat ei aliquid in ordine ad prædictam illuminationem. f. 798.

Dub. 3. Quomodo in Angelis fiat illuminatio, fol. 806.

Dub. 4. de quibuſnam rebus fiat illuminatio. fol. 809.

QVÆSTIO CVII.

De locutionibus Angelorum. fol. 811.

Art. 1. Vtrùm vnus Angelus alteri loquatur. ibidem.

DISPVTATIO XV.

De Angelorum locutione. fol. 813.

Dub. 1. Vtrùm vnus Angelus alteri loquatur. ibidem.

Dub. 2. In quo conſiſtat Angelica locutio. fol. 815.

Art. 2. Vtrùm inferior Angelus ſuperiori loquatur. fol. 824.

Art. 3. Vtrùm Angelus Deo loquatur. fol. 827

Art. 4. Vtrùm localis diſtantia operetur aliquid in locutione Angelica, fol. 828.

Art. 5. Vtrùm locuutionem vnius Angeli ad alterum omnes cognoſcant. fol. 830.

COLLEGII

SALMANTICENSIS

DISCALCEATORVM

FRATRVM BEATAE MARIAE DE

MONTE CARMELI

Cursus Theologicus

POSTERIOR PARS TOMI SECVNDI,

Complectens ea, quæ D. Thomas à quæst. 50. 1. p. vsque ad 64. & à quæst. 106. vsque ad 108. tradidit.

TRACTATVS SEPTIMVS

de Angelis.

PROOEMIVM.

POSTQVAM Præceptor Angelicus à q. 27. vsque ad 43. de processione diuinarum personarum, & de alijs ad mysterium Trinitatis spectantibus, & a q. 43. vsque ad 49. de emanatione creaturarū a Deo primo rerū principio, & in vniuersum de earum distinctione sermonem instituit: iure optimo volens de creaturis in particulari differere, in q. 50. incipit ab Angelis, vtpotè excellentioribus, & sublimioribus inter cæteras. Angelica namque natura originē hominis (quanuis ad Trinitatis conditi similitudinem) superat, præcellit conditionem, excedit dignitatē. Licet enim hominis natura excelsa quidē sit, cui Deus Optimus Maximus omnia sub pedibus subiecit; excelsior tamen Angeli sublimis principatus, cui terrestria, & homo ipse existunt subdita. *Excelso*, namque, *excelsior est alius*, inquit Ecclesiastes

ſtes c. 5. n. 7. *Et ſuper hos quoque eminentiores ſunt alij.* Excelſus enim iſte ſuper excelſum, vt Diuus Hieronymus interpretatur, Angelorum non ſupremorum ſuper homines deſignat principatum. *Hæc* (inquit) *reſpicit Deus, qui Angelos ſuos ſuper Iudices, & Reges terræ poſuit, qui poßunt vtique prohibere iniuſtitiam, & magis in terra valere, quam quæuis hominum poteſtates.* Cui concinit D. Auguſtinus lib. 8. de Geneſi ad litteram c. 24. vbi ſic fatur: *Angelis ſubdita eſt omnis natura corporea, omnis irrationalis vita, omnis volũtas vel infirma, vel praua: vt hoc de ſubditis, vel cum ſubditis agant, quod naturæ ordo poſcit in omnibus iubente illo, cui ſubiecta ſunt omnia.* Nos igitur Magiſtri Angelici veſtigia ſectantes, Angelorum ſpiritibus inter creaturas omnes ſubſtantiales primatum obtinentibus, primum etiam locum poſt tractatum de Trinitate damus. Et licét ante quam de creaturis in particulari ſermo fieret, de illis in communi videretur agendum: nihilominus id, propter rationem in prooemio primi tomi n. 6. allatam, merito prætermittimus, & ab his ſpecialibus, omniumque nobiliſsimis creaturis ſubſtantialibus exordium ſumimus.

Eccleſ. 5. D. Hier.

D. Aug.

QVAESTIO L. D. THOMAE DE ſubſtantia Angelorum abſolutè, in quinque articulos diuiſa.

PROOEMIVM.

POST hæc conſiderandum eſt de diſtinctione corporalis, & ſpiritualis creaturæ. Et primò de creatura purè ſpirituali, quæ in ſcriptura ſacra Angelus nominatur. Secundò, de creatura purè corporali. Tertiò, de creatura compoſita ex corporali, & ſpirituali, quæ eſt homo. Circa verò Angelos conſiderandum eſt primò de his, quæ pertinét ad eorum ſubſtantiam. Secundò, de his, quæ pertinent ad eorum intellectum. Tertiò, de his, quę pertinent ad eorum voluntatem. Quarto, de his, quæ pertinent ad eorum creationem. De ſubſtantia autem eorum conſiderandum eſt, & abſolutè, & per comparationem ad corporalia.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Angelus ſit omninò incorporeus.

2. Con. cap. 46. & 50. & pot. q 6. ar. 6. cor. & ſpi. ar. 5. & opuſ 3. cap. 74 & opuſ. 15. c. 1

AD primum ſic proceditur. Videtur, quòd Angelus non ſit omninò incorporeus. Illud enim, quod eſt incorporeum ſolùm quoad nos, & non quoad Deum, non eſt incorporeum ſimpliciter. Sed Damaſcenus † dicit in lib. 2. quòd Angelus in corporeus, & immaterialis dicitur quàtum ad nos; ſed comparatus ad Deum, corporeus, & materialis inuenitur. Non eſt ergo incorporeus ſimpliciter.

† Lib. 2 ortho. fidei. c. 3. non longé á princ.

¶ 2. Prætereà. Nihil mouetur, niſi corpus, vt probatur in 6. Phyſicorum. † Sed Damaſcenus † dicit ibidem, quòd Angelus eſt ſubſtantia intellectualis ſemper mobilis. Angelus eſt ergo ſubſtantia corporea.

† Lib. 6. Phyſ. tex. 12. † Damaſ. lib. 2. cap. 3

¶ 3. Prætereà. Ambroſius † dicit in lib. de Spiritu Sancto: Omnis creatura certis ſuæ naturæ circunſcripta eſt limitibus. Circunſcribi autem proprium eſt corporum. Ergo omnis creatura eſt corporea. Angeli autem ſunt Dei creaturę, vt patet in Pſalm. 148, Laudate Dominum omnes Angeli eius. Et poſteà ſubditur: Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt. Ergo Angeli ſunt corporei.

† Lib. 1. de Spiritu Sancto ca. 7. in prin. to. 2.

Sed contrà eſt, quòd dicitur in Pſalm. 103. Qui facit Angelos ſuos Spiritus.

Reſpondeo dicendum, quòd neceſſe eſt ponere aliquas creaturas incorporeas. Id enim, quod præcipue in rebus creatis Deus intendit, eſt bonum, quod conſiſtit in aſsimilatione ad Deum. Perfecta autem aſsimilatio effectus ad cauſam attenditur, quando effectus imitatur cauſam ſecundùm illud, per quod cauſa producit effectum, ſicut calidum facit calidum. Deus autem creaturã producit per intellectum, & voluntatem, vt ſuprà oſtenſum eſt. † Vnde ad perfectionem vniuerſi requiritur, quòd ſint aliquæ creaturę intellectuales. Intelligere autem non poteſt eſſe actus corporis, nec alicuius virtutis corporeæ: quia omne corpus determinatur ad hic, & nunc. Vnde neceſſe eſt ponere, ad hoc quòd vniuerſum ſit perfectum, quòd ſit aliqua incorporea creatura. Antiqui autem ignorantes vim intelligendi, & non diſtinguentes inter ſenſum, & intellectum, nihil eſſe exiſtimauerunt in mundo, niſi quod ſenſu, & imaginatione apprehendi poteſt. Et quia ſub imaginatione non cadit niſi corpus, exiſtimauerunt, quòd nullum ens eſſet niſi corpus, vt Philoſophus dicit in 4. Phyſicorum. † Et ex his proceſsit Sadduceorum error dicentium, non eſſe ſpiritum. Sed hoc ipſum, quôd intellectus eſt altior ſenſu, rationabiliter oſtendit, eſſe aliquas res incorporeas, â ſolo intellectu comprehenſibiles.

Q. 14 ar 8. & q. 19. ar. tic. 4.

Lib. 4. Phyſic. text 5 1. & 57. to. 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſubſtantiæ incorporeæ medium ſunt inter Deum, & creaturas corporeas. Medium autem comparatum ad vnum extre-

mum, videtur alterum extremum, ſicut tepidum comparatum calido, videtur frigidum. Et hac ratione dicitur, quod Angeli Deo comparati, ſunt materiales,& † corporei; non quod in eis ſit aliquid de natura corporea.

Tertul. lib. 1 de an. c. 2 Hilar. can. 5. ſup. mat. Gennad. de Eccle. dog. c. 11.

Ad ſecundum dicendū quòd motus ibi accipitur, prout intelligere, et velle motus quidam dicuntur. Dicitur ergo Angelus ſubſtantia ſemper mobilis: quia ſemper eſt actu intelligens, non quandoque actu, & quandoque potentia, ſicut nos. Vnde patet, quòd ratio procedit ex æquiuoco.

Ad tertium dicendum, quòd circumſcribi terminis localibus, eſt proprium corporum: ſed circumſcribi terminis eſſentialibus, eſt commune cuilibet creaturæ tam corporali, quàm ſpirituali. Vnde dicit Ambroſius † in libro de Spiritu ſancto, quòd licèt quædam locis corporalibus non contineantur, circumſcriptione tamen ſubſtantiæ non carent.

† Lib. 1. de Spiritu ſancto. ca 7. in princ. to. 2.

Concluſio.

Neceſſe eſt ponere aliquam creaturam omninò incorpoream.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Angelus ſit compoſitus ex materia, & forma?

2. Diſt. 8 q. 5. art. 1. & 2 con. ca. 49. & 50. & ſpiritu a. 1. & quod. 9.



D ſecundum ſic proceditur. Videtur, quòd Angelus ſit compoſitus ex materia, & forma. Omne enim, quod continetur ſub aliquo genere, eſt compoſitum ex genere, & differentia, quæ adueniens generi conſtituit ſpeciem. Sed genus ſumitur ex materia, differentia verò ex forma, vt patet in 8. Metaphy. † Ergo omne, quod eſt in genere, eſt compoſitum ex materia, & forma. Sed Angelus eſt in genere ſubſtantiæ. Ergo eſt compoſitus ex materia,& forma.

art 6. & 9. puſ. 3 c 74. & 95. & opuſ. 15 c 3. 5. 6. 7 8 & 18. & opuſ. 30. lib. 6. & 9. & opuſ. 42. c. 4. & 5.

† Text. 6. tom. 3.

¶ 2. Prætereà. In quocunque inueniuntur proprietates materiæ, ibi inuenitur materia. Proprietates autem materiæ ſunt recipere, & ſubſtare. Vnde dicit Boet † in lib. de Trinit. quòd forma ſimplex ſubiectum eſſe non poteſt. Hoc autem inuenitur in Angelo. Ergo Angelus eſt compoſitus ex materia,& forma.

† Ante medium lib. de Trinit.

¶ 3. Prætereà. Forma eſt actus. Quod ergo eſt forma tantùm, eſt actus purus. Sed Angelus non eſt actus purus (hoc enim ſolius Dei eſt.) Ergo non eſt forma tantùm, ſed habet formam in materia.

¶ 4. Prætereà. Forma propriè limitatur, & finitur per materiam. Forma ergo, quæ non eſt in materia, eſt forma infinita. Sed forma Angeli non eſt infinita: quia omnis creatura finita eſt. Ergo forma Angeli eſt in materia.

Sed contrà eſt, quòd Dionyſius † dicit 4. c. de diuinis nominibus, quòd primæ creaturæ ſicut incorporales, ita & immateriales intelliguntur.

Cap. 4. non remotè á prin.

Reſpondeo dicendum, quòd quidam

quidam ponunt, Angelos eſſe compoſitos ex materia, & forma, & hanc opinionem aſtruere nititur Auicembron. in lib. fontis vitæ. Supponit enim, quôd quæcunque diſtinguuntur ſecundùm intellectum, ſint etiam in rebus diſtincta. In ſubſtantia autẽ in corporea intellectus apprehendit aliquid, per quod diſtinguitur â ſubſtantia corporea, & aliquid, per quod cum ea conuenit. Vnde ex hoc vult concludere, quòd illud, per quod differt ſubſtantia incorporea à corporea, ſit ei quaſi forma: & illud, quod ſubijcitur huic formæ diſtinguenti quaſi commune, ſit materia eius. Et propter hoc ponit, quòd eadem eſt materia vniuerſalis ſpiritualium, & corporaliũ: vt intelligatur, quòd forma incorporeæ ſubſtantiæ ſic ſit impreſſa in materia ſpiritualium, ſicut forma quantitatis eſt impreſſa in materia corporaliũ. Sed primo aſpectu apparet eſſe impoſsibile, vnam eſſe materiam ſpiritualium, & corporalium. Non enim eſt poſsibile, quòd forma ſpiritualis, & corporalis recipiatur in vna parte materię: quia ſic vna & eadem res numero eſſet corporalis, & ſpiritualis. Vnde relinquitur, quòd alia pars materiæ ſit, quæ recipit formam corporalem, & alia, quæ recipit formam ſpiritualem. Materiam autem diuidi in partes, non conuenit, niſi ſecundùm quòd intelligitur ſub quantitate: qua remota, remanet ſubſtantia indiuiſibilis, vt dicitur in 1. Phyſic. † Sic igitur relinquitur, quòd materia ſpiritualium ſit ſubſtantia ſubiecta quantitati, quod eſt impoſsibile. Impoſsibile eſt ergo, quod vna ſit materia corporalium, & ſpiritualium. Sed adhuc vlteriùs impoſsibile eſt, quòd ſubſtantia intellectualis habeat qualemcunque materiam. Operatio enim cuiuslibet rei eſt ſecundùm modum ſubſtantiæ eius. Intelligere autem eſt operatio penitus immaterialis. Quod ex eius obiecto appareat, à quo actus quilibet recipit ſpeciem, & rationem. Sic enim vnumquodque intelligitur, in quantum â materia abſtrahitur: quia formę in materia ſunt indiuiduales formæ, quas intellectus non apprehendit, ſecũdùm quòd huiuſmodi. Vnde relinquitur, quòd ſubſtantia intellectus eſt omninò immaterialis. Non eſt autem neceſſarium, quôd ea, quæ diſtinguuntur ſecundùm intellectum, ſint diſtincta in rebus: quia intellectus non apprehendit res ſecundùm modum rerum, ſed ſecundum modum ſuum. Vnde res materiales, quæ ſunt infra intellectum noſtrum, ſimpliciori modo ſunt in intellectu noſtro, quã ſint in ſeipſis. Subſtantiæ autem Angelicę ſunt ſupra intellectum noſtrum. Vnde intellectus noſter non poteſt attingere ad apprehendendũ eas, ſecundũ quòd ſunt in ſeipſis, ſed per modum ſuum, ſecundum quòd apprehendit res compoſitas. Et ſic etiam apprehendit Deum, vt ſuprà dictum eſt. † Q. 3. art. 3. ad 1.

Ad primum ergo dicendum, quod differentia eſt, quæ conſtituit ſpeciem. Vnumquodque autem conſtituitur in ſpecie, ſecundum quòd determinatur ad aliquem ſpecialem

Tex. 25. Videtur habe ri tom. 1.

gradum in entibus: quia ſpecies ſunt ſicut numeri, qui differunt per additionem, & ſubtractionẽ vnitatis, vt dicitur in 8. Metaphy. † In rebus autem materialibus aliud eſt, quod determinat ad ſpecialem gradum, ſcilicet forma, & aliud, quod determinatur, ſcilicet materia. Vnde ab alio ſumitur genus, & ab alio differentia. Sed in rebus immaterialibus non eſt aliud determinans, & determinatum: ſed vnaquæque earum ſecundum ſeipſam tenet determinatum gradũ in entibus. Et ideò genus, & differentia in eis non accipitur ſecundùm aliud, & aliud, ſed ſecundùm vnum, & idem: quæ tamen differunt ſecundùm conſiderationem noſtram. In quã tum enim intellectus noſter conſiderat illam rem vt indeterminatè, accipitur in eis ratio generis: in quantum verò conſiderat vt determinatè, accipitur ratio differentiæ.

8. Met. tex. 10. tom. 3.

Ad ſecundum dicendum, quòd ratio illa ponitur in libro fontis vitæ. Et eſſet neceſſaria, ſi idem eſſet modus, quo recipit intellectus, & quo recipit materia. Sed hoc patet eſſe falſum. Materia enim recipit formam, vt ſecundùm ipſam conſtituatur in eſſe alicuius ſpeciei, vel aeris, vel ignis, vel cuiuſcunque alterius. Sic autem intellectus non recipit formam: alioqui verificaretur opinio Empedo. † qui poſuit, quòd terram terra cognoſcimus, & ignem igne. Sed forma intelligibilis eſt in intellectu ſecundùm ipſam rationem formæ: ſic enim cognoſcitur ab intellectu. Vnde talis receptio non eſt receptio materiæ, ſed eſt receptio ſubſtantiæ immaterialis,

Lib. 1. de anima apud Ariſt. tex. 25. tom. 3.

Ad tertium dicendum, quòd licèt in Angelo non ſit compoſitio formę, & materiæ; eſt tamen in eo actus, & potentia. Quod quidem manifeſtum poteſt eſſe ex conſideratione rerum materialium, in quibus inuenitur duplex compoſitio. Prima quidem formæ, & materiæ, ex quibus conſtituitur natura aliqua. Natura autem ſic compoſita non eſt ſuum eſſe; ſed eſſe eſt actus eius. Vnde ipſa natura comparatur ad ſuum eſſe, ſicut potentia ad actum. Subtracta ergo materia, & poſito, quòd ipſa forma ſubſiſtat non in materia, adhuc remanet comparatio formæ ad ipſum eſſe, vt potentiæ ad actum. Et talis compoſitio intelligenda eſt in Angelis. Et hoc eſt, quod à quibuſdã dicitur, quòd Angelus eſt compoſitus ex quo eſt, & quod eſt; vel ex eſſe, & quod eſt, vt Boet dicit. Namquod eſt, eſt ipſa forma ſubſiſtẽs. Ipſũ autem eſſe eſt, quo ſubſtantia eſt, ſicut curſus eſt, quo currens currit. Sed in Deo non eſt aliud eſſe, & & quo eſt, vt ſuprà oſtenſum eſt. † Vnde ſolus Deus eſt actus purus.

Q. 3. art. 4.

Ad quartum dicendum, quôd omnis creatura eſt finita ſimpliciter, in quantum eſſe eius non eſt abſolutè ſubſiſtens, ſed limitatur ad naturam aliquam, cui aduenit. Sed nihil prohibet, aliquam creaturam eſſe ſecundùm quid infinitam. Creaturæ autem materiales habent infinitatem ex parte materiæ, ſed finitatem ex parte formæ, quæ limitatur per materiam, in qua recipitur. Subſtantiæ autem immateriales creatæ ſunt finitæ ſecun-

ſecundùm ſuum eſſe, ſed infinitæ ſecundùm quòd eorum formæ non ſunt receptæ in alio: ſicut ſi diceremus, albedinem ſeparatam exiſtentem eſſe infinitam quantum ad rationem albedinis, quia non contrahitur ad aliquod ſubiectum; eſſe tamen eius eſſet finitum, quia determinatur ad aliquam naturam ſpecialē. Et propter hoc dicitur in libro de cauſis, quòd intelligentia eſt finita ſuperiùs, in quantum ſcilicet recipit eſſe à ſuo ſuperiori: ſed eſt infinita inferiùs, in quantum non recipitur in aliqua materia.

Concluſio.

Impoſsibile eſt ſubſtantiam intellectualem, qualis eſt Angelus, eſſe compoſitam ex materia, & forma, quacunque illa ſit.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Angeli ſint in aliquo magno numero?

2. Diſt. 3. q. 1. art. 3. & 2. con c. 91. & 92. & po. q. 6 ar. 6 cor fi. & opuſ. 35. c. 2. 3. & 4.

† Art. 1. huius quæſt.

AD tertium ſic procedi-tur. Videtur, quòd Angeli nō ſint in aliquo magno numero. Numerus enim ſpecies quantitatis eſt, & ſequitur diuiſionem continui. Hoc autem non poteſt eſſe in Angelis: cùm ſint incorporei, vt ſuprà oſtenſum eſt. † Ergo Angeli non poſſunt eſſe in aliquo magno numero.

¶ 2. Prætereà, Quantò aliquid eſt magis propinquum vni, tantò minùs eſt multiplicatum, vt in numeris apparet. Natura autem Angelica inter alias naturas creatas eſt Deo propinquior. Cū ergo Deus ſit maximè vnus, videtur, quòd in natura Angelica inueniatur minimum de multitudine.

¶ 3. Prætereà. Proprius effectus ſeparatarum ſubſtantiarum videtur eſſe motus corporum cœleſtium. Sed motus corporum cœleſtium ſunt ſecundùm aliquem determinatum numerum paucum, qui à nobis apprehendi poteſt. Ergo Angeli non ſunt in maiori multitudine, quàm motus corporum cœleſtium.

¶ 4. Prætereà. Dionyſius † dicit 4. cap. de diuinis nominibus, quòd propter radios diuinæ bonitatis ſubſiſtunt intelligibiles, & intellectuales omnes ſubſtātiæ. Sed radius non multiplicatur, niſi ſecundùm diuerſitatem recipientium. Non autē poteſt dici, quòd materia ſit receptiua intelligibilis radij: cùm ſubſtantiæ intellectuales ſint immateriales, vt ſuprà oſtenſum eſt. † Ergo videtur, quòd multiplicatio ſubſtantiarū intellectualium non poſsit eſſe, niſi ſecundùm exigentiam primorum corporum, ſcilicet cœleſtiū, vt ad ea quodammodò proceſſus prædictorum radiorum terminetur. Et ſic idem, quod priùs.

† Cap. 4. aliquantulum à princ.

† Art 2 huius quæſt.

Sed contrà eſt, quòd dicitur Dan. 7. Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſsiſtebant ei.

Reſpondeo dicendum, quòd circa numerum ſubſtantiarum ſeparatarū diuerſi diuerſis vijs proceſſerunt. Plato enim poſuit, † ſubſtantias ſeparatas eſſe ſpecies rerum ſenſibilium, vtpotè ſi poneremus, ipſam naturam humanam eſſe ſeparatam: & ſecundum

† Ita refert. Ariſt. 1. Metap tex. 6.

hoc oportebat dicere, quòd ſubſtantiæ ſeparatæ ſint ſecundùm numerum ſpecierũ ſenſibilium.

† Lib. 1. Meta. tex. 31. per multos textus. to. 3. Sed hanc poſitionem improbat Ariſtoteles † ex eo, quôd materia eſt de ratione ſpecierum ſenſibilium. Vnde ſubſtantiæ ſeparatæ non poſſunt eſſe ſpecies exemplares horum ſenſibilium; ſed habent quaſdam naturas altiores naturis rerum ſenſibilium.

† Lib. 12. Meta. text. 43. tom. 3. Poſuit tamen Ariſtoteles, † quòd illæ naturæ perfectiores habent ordinem ad ſenſibilia iſta, ſecundùm rationem mouentis, & finis. Et ideô ſecundum numerum primorum motuum conatus eſt adinuenire numerum ſubſtantiarum ſeparatarum.

Sed quia hoc videtur repugnare documentis Sacræ Scripturæ, * Rabbi Moyſ. Iudæus, volens vtrumque concordare, poſuit, quòd Angeli, ſecundùm quòd dicuntur ſubſtantiæ immateriales, multiplicantur ſecundùm numerum motuum, vel corporum cœleſtium, ſecundum Ariſt. * Sed poſuit, quôd Angeli in Scriptura dicuntur etiam homines diuina annuntiantes, & iterùm virtutes rerum naturalium, quæ Dei omnipotentiam manifeſtant. Sed hoc eſt alienum â conſuetudine Scripturæ, quòd virtutes rerũ irrationabilium Angeli nominentur. Vnde dicendum eſt, quòd etiam Angeli, ſecundùm quòd ſunt immateriales ſubſtantiæ, in quadam multitudine maxima ſunt, omnem materialem multitudinem excedentes. Et hoc eſt, quod dicit Dionyſ. * 9. cap. Cœleſtis Hierarch. Multi ſunt beati exercitus ſuper-

† Lib. 2. per plexorum ca. 4. & 6.

† Lib. 12. Meta. text. 43. tom. 3.

Cap. 14. in med. illius.

narum mentium, infirmam, & conſtrictam excedentes noſtrorum materialium numerorum commenſurationem. Et huius ratio eſt. Quia cùm perfectio vniuerſi ſit illud, quod præcipuè Deus intendit in creatione rerum: quanto aliqua ſunt magis perfecta, tantò in maiori exceſſu ſunt creata à Deo. Sicut autem in corporibus attẽditur exceſſus ſecundũ magnitudinem; ita in rebus incorporeis poteſt attendi exceſſus ſecundùm multitudinem. Videmus autem, quòd corpora in corruptibilia, quæ ſunt perfectiora inter corpora, excedunt quaſi incomparabiliter ſecuudùm magnitudinem corpora corruptibilia. Nam tota ſphæra actiuorum, & paſsiuorum eſt aliquid modicũ reſpectu corporum cœleſtium. Vnde rationabile eſt, quód ſubſtantiæ immateriales excedant ſecundum multitudinem ſubſtantias materiales quaſi incomparabiliter.

Ad primum ergo dicendum, quòd in Angelis non eſt numerus, qui eſt quantitas diſcreta cauſatus ex diuiſione cõtinui, ſed cauſatus ex diſtinctione formarum, prout multitudo eſt de tranſcendentibus, vt ſuprà dictum eſt. * Q. 11.

Ad ſecũdũ dicẽdũ, quòd ex hoc quod natura Angelica eſt Deo propinqua, oportet, quòd habeat minimũ de multitudine in ſui compoſitione: non autem ita, quod in paucis ſaluetur.

Ad tertium dicendum, quòd ratio illa eſt Ariſt. in 11. Metaph. & ex neceſsitate concluderet, ſi ſubſtantiæ ſeparatæ eſſent propter ſubſtantias corporales: ſic enim fruſtrà eſſent immateriales

ſub-

ſubſtantiæ, niſi ex eis aliquis motus in rebus corporalibus appareret. Non eſt autem hoc verum, quòd ſubſtantiæ immateriales ſint propter corporales: quia finis nobilior eſt his, quæ ſunt ad finem. Vnde etiam Ariſtoteles dicit ibidem, quòd hæc ratio non eſt neceſſaria, ſed probabilis. Coactus autem fuit hac ratione vti: quia ad cognoſcendum intelligibilia non poſſumus peruenire, niſi per ſenſibilia.

Ad quartum dicendum, quòd ratio illa procedit ſecundum opinionem eorum, qui cauſam diſtinctionis rerum ponebant eſſe materiam: hoc autem improbatum eſt. * Vnde multiplicatio Angelorum neque ſecundum materiam, neque ſecundum corpora eſt accipienda, ſed ſecundum diuinam ſapientiam, diuerſos ordines immaterialium ſubſtantiarum excogitantem.

Q. 47. ar. 1.

Concluſio.

Subſtantiæ immateriales excedunt ſecundùm multitudinem ſubſtantias materiales quaſi incomparabiliter.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Angeli differant ſpecie?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quòd Angeli non differant ſpecie. Cum enim differentia ſit nobilior genere, quæcunque conueniunt ſecundum id, quod eſt nobiliſsimum in eis, conueniunt in vltima differentia conſtitutiua, & ita ſunt eadem ſecundum ſpeciem. Sed omnes Angeli conueniunt in eo, quod eſt nobiliſsimum in eis, ſcilicet in intellectualitate. Ergo omnes Angeli ſunt vnius ſpeciei.

* Dist. 3. q. 1. art 4. Et 2 con. c. 91. & 92 & 93. ratione 4. & ſpi. a. 9. & opu. 30. lect 6. & lect. 9. prin. & opu 32. cap. 161

¶ 2. Præterea. Magis, & minus non diuerſificant ſpeciem. Sed Angeli non videntur differre ad inuicem niſi ſecundum magis, & minus, prout ſcilicet vnus alio eſt ſimplicior, & perſpicacioris intellectus. Ergo Angeli non differunt ſpecie.

¶ 3. Præterea. Anima, & Angelus ex oppoſito diuiduntur. Sed omnes animæ ſunt vnius ſpeciei. Ergo & Angeli.

¶ 4. Præterea. Quantò aliquid eſt perfectius in natura, tantò magis debet multiplicari. Hoc autem non eſſet ſi in vna ſpecie eſſet vnum tantum indiuiduum. Ergo multi Angeli ſunt vnius ſpeciei.

SED contrà eſt quod in his, quæ ſunt vnius ſpeciei, non eſt inuenire prius, & poſterius, vt dicitur in 3. Metah. † Sed in Angelis etiam vnius ordinis ſunt primi, & medij, & vltimi, vt dicit Dionyſius † 10. cap. Angelicæ hierar. Ergo Angeli non ſunt eiuſdem ſpeciei.

† Lib. 3. Meta. tex. 11. tom. 3.

† Cap. 4. & 10. Cæleſt. Hierarch. á medio.

RESPONDEO dicendum, quôd quidam dixerunt, omnes ſubſtantias ſpirituales eſſe vnius ſpeciei, etiam animas. Alij verò, quod omnes Angeli ſunt vnius ſpeciei, ſed non animæ. Quidam verò quod omnes Angeli vnius Hierarchiæ, aut etiam vnius ordinis. Sed hoc eſt impoſsibile.

bile. Ea enim, quæ conueniunt ſpecie, & differunt numero, conueniunt in forma, ſed diſtinguuntur materialiter. Si ergo Angeli non ſunt compoſiti ex materia, & forma, vt dictum eſt ſuprà, † ſequitur, quòd impoſsibile ſit, eſſe duos Angelos vnius ſpeciei: ſicut etiam impoſsibile eſſet dicere, quòd eſſent plures albedines ſeparatæ, aut plures humanitates: cùm albedines non ſint plures, niſi ſecundùm quod ſunt in pluribus ſubſtantijs. Si tamen Angeli haberent materiam, nec ſic poſſent eſſe plures Angeli vnius ſpeciei: ſic enim oporteret, quòd principium diſtinctionis vnius ab alio eſſet materia: non quidem ſecundùm diuiſionem quantitatis, cùm ſint incorporei; ſed ſecundùm diuerſitatem potentiarum: quæ quidem diuerſitas materiæ cauſat diuerſitatem non ſolùm ſpeciei, ſed generis.

Art. 1. huius q.

Ad primum ergo dicendum, quòd differentia eſt nobilior genere, ſicut determinatum indeterminato, & proprium communi; non autem ſicut alia, & alia natura. Alioqui oporteret, quòd omnia animalia irrationalia eſſent vnius ſpeciei: vel quòd eſſet in eis aliqua alia perfectior forma, quàm anima ſenſibilis. Differunt ergo ſpecie animalia irrationalia ſecundùm diuerſos grados determinatos naturæ ſenſitiuæ. Et ſimiliter omnes Angeli differunt ſpecie ſecundùm diuerſos gradus naturæ intellectiuæ.

Ad ſecundum dicendum, quod magis, & minus, ſecundum quod cauſantur ex intenſione, & remiſsione vnius formæ, non diuerſificant ſpeciem; ſed ſecundum quòd cauſantur ex formis diuerſorum graduum, ſic diuerſificant ſpeciem: ſicut ſi dicamus, quòd ignis eſt perfectior aere: & hoc modo Angeli diuerſificantur ſecundùm magis, & minùs.

Ad tertium dicendum, quòd bonum ſpeciei præponderat bono indiuidui. Vnde multò meliùs eſt, quòd multiplicentur ſpecies in Angelis, quàm quòd multiplicentur indiuidua in vna ſpecie.

Ad quartum dicendum, quòd multiplicatio ſecundùm numerum, cùm in infinitum protendi poſsit, non intenditur ab agente, ſed ſola multiplicatio ſecundùm ſpeciem, vt ſuprà dictum eſt. † Vnde perfectio naturæ Angelicæ requirit multiplicationem ſpecierum, non autem multiplicationem indiuiduorum in vna ſpecie.

Q. 47. Art. 1.

Concluſio.

Omnes Angeli differunt ſpecie.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Vtrùm Angeli sint incorruptibiles?

2. Dist. 3. q. 1 ar 1. cor. & dist. 7. q. 1. ar. 1. cor. & 2. cõt. c. 54. & 91. ad 3. & 1.o. q 5. ar. 3. & 4. cor & opus. 3. ca. 74. & opus. 9. c. 47 † Lib. 2. ortho fid. c. 3.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quòd Angeli non sint incorruptibiles. Dicit enim Damascenus* de Angelo, quòd est substantia intellectualis, gratia, & non natura immortalitatem suscipiens.

† Circa finem 5 fol. á prin. lib. numerando.

¶ 2. Præterea. Plato dicit in Timæo. O dij Deorum, quorum opifex idem paterque ego: opera siquidem vos mea, dissolubilia natura. Hos autem Deos non aliud quàm Angelos intelligere potest. Ergo Angeli natura sua sunt corruptibiles.

† Lib. 16. moral. c. 18. non procul á prin.

¶ 3. Præterea Secundùm Gregorium † omnia in nihilum tenderent, nisi ea manus omnipotentis conseruaret. Sed quòd in nihilum redigi potest, est corruptibile. Ergo cùm Angeli sint à Deo facti, videtur, quòd sint corruptibiles secundùm suam naturam.

† Cap. 4. parûm à prin.

SED contrà est, quod Dionysius † dicit 4. cap. de diuinis nominibus, quòd intellectuales substantiæ vitam habent indeficientem, ab vniuersa corruptione, morte, & materia, & generatione mundæ existentes.

RESPONDEO dicendum, quòd necesse est dicere, Angelos secundùm suam naturam esse incorruptibiles. Cuius ratio est. Quia nihil corrumpitur, nisi per hoc quòd forma eius à materia separatur. Vnde, cùm Angelus sit ipsa forma subsistens, vt ex dictis patet, † impossibile est, quòd eius substantia sit corruptibilis. Quod enim conuenit alicui secundùm se, nunquam ab eo separari potest. Ab eo autem, cui conuenit per aliud, potest separari, separato eo, secundùm quod ei conueniebat. Rotunditas enim à circulo separari nõ potest, quia conuenit ei secundùm se ipsum: sed æneus circulus potest amittere rotunditatẽ per hoc, quòd circularis figura separatur ab ære. Esse autem secundùm se competit formæ, vnumquodque enim est ens actu secundùm quòd habet formam: Materia verò est ens actu per formam. Compositum igitur ex materia, & forma desinit esse actu per hoc, quòd forma separatur à materia. Sed si ipsa forma subsistat in suo esse, sicut est in Angelis, vt dictum est, † non potest amittere esse. Ipsa igitur immaterialitas Angeli est ratio, quare Angelus est incorruptibilis secundùm suam naturam: & huius incorruptibilitatis signum accipi potest ex eius intellectuali operatione. Quia enim vnumquodque operatur, secundùm quòd est actu, operatio rei indicat modum esse ipsius. Species autem, & ratio operationis ex obiecto comprehenditur. Obiectum autem intelligibile, cùm sit suprà tempus, est sempiternum. Vnde omnis substantia intellectualis est incor-

Art. 1 & 2. huius quæst.

Ar. 2 huius quæst.

corruptibilis secundùm suam naturam.

Ad primum ergo dicendum, quòd Damascenus accipit immortalitatem perfectam, quę includit omnimodam immutabilitatem: quia omnis mutatio est quædam mors, vt Augustinus † dicit. Perfectam autem immutabilitatem Angeli non nisi per gratiam assequuntur, vt infrà patebit.

† Lib 3. cõt Maximiniũ. c. 12. á medio to. 6. & in epist. ad Dioscor. ferè circa medium.

Ad secundum dicendum, quòd Plato per Deos intelligit corpora cælestia, quæ existimabat esse ex elementis composita. Et ideò secundùm suam naturam erant dissolubilia, sed voluntate diuina semper conseruabantur in esse.

Ad tertium dicendum, quòd sicut suprà dictum est. † quoddam necessarium est, quod habet causam suæ necessitatis. Vnde non repugnat necessario, nec incorruptibili, quòd esse eius dependeat ab alio sicut â causa. Per hoc ergo, quod dicitur, quòd omnia deciderent in nihilum, nisi continerentur à Deo, & etiam Angeli, non datur intelligi, quòd in Angelis sit aliquod corruptionis principium; sed quòd esse Angeli dependeat à Deo sicut â causa. Non autem dicitur aliquid esse corruptibile per hoc, quòd Deus possit illud in non esse redigere, subtrahendo suam conseruationem; sed per hoc, quòd in se ipso aliquod principium corruptionis habet, vel contrarietatem, vel saltem potentiam materiæ.

* Q. 62.

Q. 44. art. 1.

Conclusio.

Angeli sunt incorruptibiles ex natura sua.

DISPVTATIO I.
De ſubſtantia Angelorum abſolutè.

QVONIAM Priùs eſt conſiderare rem abſolutè, & in ſe, quàm reſpectiuè, & in ordine ad aliud: ideò diſputatio hæc de ſubſtantia Angelorum abſolutè ſumpta, præcedit diſputationem de ipſa per comparationem, & in ordine ad corporalia.

DVBIVM I.

Vtrùm Angelus ſit omnino incorporeus?

QVIA Termini in titulo poſiti expoſitione indigent, & ex diuerſa eorum acceptione, nõ parua confuſio oriri poſſet: ideò tituli declaratio præmittenda eſt.

§. I. *Explicatio tituli.*

Explicatur termini tituli.

1 IN Titulo ſunt quatuor termini, quorum ſinguli elucidandi ſunt. Primus eſt, *Angelus*: quod nomen Græcum officij quidem eſt, non naturę, vt communiter docent Sancti Patres, noſter Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 7. exponens illud: *Fuit homo miſſus à Deo.* Ambroſius ad Hebræos 1. Hilarius lib. 5. de Trinitate, Iſidorus lib. 1. Sententiarum cap. 10. Auguſtinus Pſalmo 103. & Gregorius homil. 34. in Euangelia. Significat autem Latinè idem, quod *nuntius*, ſeu *legatus*: ac propterea Chriſtus Dominus, qui miſſus eſt à Patre ad annuntiandum hominibus nouam legem, & nouum teſtamentum, in quo magna nobis promittuntur, Angelus dicitur teſtamenti, Malachiæ 3. vt inquit Auguſtinus lib. 2. de Trinitate cap. 13. & Iſaiæ 9. ſecundum editionem ſeptuaginta, *Magni conſilij Angelus* nominatur. Et B. Ioannes Baptiſta, qui venit ad annuntiãdum Domini aduentum, vocatur Angelus Malachiæ 3. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem meam, &c.* vt expoſuit Chriſtus Dominus Matthæi 11. Imo, & Sacerdotibus Malachiæ 2. idem nomen tribuitur, quia legem, & voluntatem Dei nobis annuntiant. Et eadem ratione viri ſancti, qui bonis ſuis operibus diuinam virtutem, & voluntatem hominibus declarant, Angeli nuncupantur, iuxta illud Deuteronomij 32. *Conſtituit terminos Gentium ſecundùm numerum Angelorum Dei*, vt legunt Septuaginta. Ita Tertullianus lib. contra Iudæos cap. 9. & Auguſtinus lib. 15. de Ciuitate cap. 23.

Cyrillus Ambroſ. Hilarius Iſidorus Auguſtin. Gregorius

Malachiæ 3. Auguſtin. Iſaiæ 9. Malachiæ 3. Math. 11. Malachiæ 2.

Deutero. 32. Tertullianus Auguſtin

Verùm, quanuis nomen hoc ex ſua primæua inſtitutione habeat vim ad ſignificandum omnem nuntium; vſu tamen Scripturæ, Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum appropriatum eſt ad ſignificandos ſpiritus Angelicos, ſeu ſubſtantias ſeparatas, purè ſpirituales, per ſe ſubſiſtens, & completas, quæ à Peripateticis *motrices cœlorum, & intelligentiæ* vocantur, vt conſtat ex Ariſtotele 12. Metaphyſicæ, & 8. Phyſicorum: à Platonicis verò ſuperiores earum dicuntur *Dij*, & inferiores appellantur *Dæmones*, hoc eſt, ſcientes, vt liquet ex Auguſtino lib. 8. de Ciuitate cap. 14. & lib. 9. cap. vltimo, & ex ipſo Platone in Timæo, & lib. 10. de Legibus. Vnde meritò hoc nomen D. Thomas in titulo huius quæſtionis in iſta ſignificatione accepit, & nos cum illo in titulo huius dubij in hac etiam acceptione ſumimus, prout nimirum comprehendit omnes ſpiritus Angelicos, tã bonos, quàm malos, non ſolum infimi ordinis, ſed etiam omnes illos, qui per nouem ordines diſtinguuntur.

Ariſtoteles

Auguſtin. Plato D. Thom.

Explicatur 2. term.

2 Secundus terminus in titulo poſitus eſt verbum *ſit*, quod quidẽ poteſt ſumi, vel quatenus ſolam eſſentiam, vel prout ſolam exiſtentiam, vel tandem vt eſſentiam, & exiſtentiam ſimul importat. In præſenti ergo ſumitur hoc poſteriori modo, ſicut & Angelicus Doctor in eodem ſenſu in titulo primi articuli huius quæſtionis illud accepit, ita vt ſit ſenſus: Vtrùm Angelus, cui conueniat *eſſe* omnino incorporeũ, exiſtat in rerum natura? quia niſi ſumeretur, prout dicit exiſtentiam, prætermiſſa eſſet quæſtio *an eſt*: quæ tamen,

Angelicus Doct.

men, cùm agitur de re nõ ita nota, vt in præsenti contingit, non est omittenda, iuxta id, quod docet Aristoteles 2. Posteriorum, & D. Thomas suprà quæst. 2. art. 2. Siverò nõ sumeretur etiam prædicta particula, prout dicit essentiam, non posset intelligi, de qua natura probaretur esse productam, neque *quid nominis* eiusdem Angeli, de quo inquirebatur, an sit in rerum natura. Et licèt posset de Angelo inquiri, an sit omninò incorporeus, prout ly *sit*, dicit essentiam, & deinde sigillatim, an sit incorporeus, prout ly *sit*, dicit existentiam: quia tamẽ quælibet ex his quæstionibus non est tanti momenti, vt seor sim petat agitari, propterea cum Angelico Doctore vtramque in vnico dubio coniunximus.

Aristot. *D. Thom.*

Tertius terminus.

Tertius terminus est, *omninò*: qui commodiùs exponetur, explicato priùs termino *incorporeus*: & ideò hic, licèt quarto, & vltimo loco sit positus, in tertio declarandus venit. Quod vt præstari possit, supponendum est, *incorporeum* importare negationem corporis: & ideò sicut corpus potest tripliciter accipi: primò pro tertia specie quantitatis cõtinuæ, scilicet pro corpore importante, modo à N. Complutensibus in Logica disput. 13. num. 45. explicato, trinam dimensionem: secundò pro altera parte compositi substantialis, nempe pro materia prima, quæ est radix totius quantitatis: tertiò pro toto composito ex tali materia, & forma substantiali coalescente: sic *incorporeum*, aliis tribus modis valet sumi: primò pro eo, quod nullo modo habet prædictam extensionem quantitatiuam: secundo, prout dicit negationem materiæ: & tertiò, prout importat negationem compositionis ex prædicta materia, & forma. In præsenti ergo illa particula *incorporeus* sumitur præcisè primo ex his tribus modis, prout solùm dicit negationem prædictæ extensionis quantitatiuæ. Ex quo etiam manet explicatus tertius terminus in titulo positus, nempe, ly *omninò*: quia iuxta dicta, non accipitur, vt dicit negationem horum trium modorum habendi *esse* corporeum, sed tantùm prout dicit omnimodam negationem corporei primo modo accepti, ita vt sit sensus, an Angelus sit inextensus quantitatiuè omnimodè, idest, nõ solùm per se, sed etiam per accidens, & nõ tantùm adhuc per accidens quoad suam substantiam, sed etiam quoad omnem operationem.

N. Compl.

Ratio prior præcisè explicationis.

Ratio autem, quare in hoc sensu prædictas particulas sumimus, est: quia hoc dubiũ peculiariter excitatur ad explicandum primum articulũ præsentis quæstionis D. Thomæ: & S. Doctor in sensu nuper dicto sumpsit particulas istas, vt optimè notarunt Ferrara 2. contra Gentes cap. 49. Caietanus, & Bañez in præsenti, idque satis colligitur ex D. Thoma: tum ex eo, quod articulo sequenti inquirit: *Vtrùm Angelus sit compositus ex materia, & forma?* (quod de omni materia debet intelligi, non solùm spirituali, sed etiam physica, & materiali, vt intuenti, & etiam ex infra dicẽdis cõstabit) & quæst. 51. art. 1. sciscitatur: *Vtrum Angeli habeant corpora naturaliter sibi vnita?* seu (quod in idem quoad præsens redit, vt ibidem dicemus) vtrùm informent corpora? Constat autem hos duos posteriores articulos superfluere, si in primo art. huius quæst. omnes tres modos, quibus aliquid dicitur incorporeum, iam recensitos cõprehendisset, qui tamen non superfluunt, sed omnia optimè consonant, si in hoc primo articulo inquiratur, vtrùm Angelus sit omninò inextensus quantitatiuè? in sequenti verò, an sit ex materia, & forma compositus? & q. 51. art. 1. vtrùm informet materiam, vel vniatur illi?

D. Thom. *Ferrar a.* *Caietan.* *Bañez.*

Secunda ratio.

Tum etiam. Quia art. 4. huius quæstionis probat, Angelos non posse distingui inter se solo numero quanus constarent materia: quia in eo casu materia non esset principium distinctionis vnius ab alio, eò quòd nõ subesset diuisioni quantitatis: nam Angeli sunt incorporei. Vbi clarè condistinguit esse incorporeum ab hoc, quod est esse compositum ex materia, & forma: & præcisè sumit illud pro inextenso per quãtitatem, supponitque, Angelos esse incorporeos iuxta hanc acceptionẽ incorporei dictam in hoc art. 1. vt ita explicaret, se hanc vocem *incorporei* pro sola carentia quantitatis in illo accepisse.

Tertia.

Deinde. Quia suprà quæst. 3. art. 1. & 2. excitat alias duas similes quæstiones de Deo. In art. quidem 1. *Vtrùm Deus sit corpus?* in 2. *Vtrùm sit compositus ex materia, & forma?* sed (vt ipse S. Doctor se ibi explicat) per corpus sumit solùm trinam dimensionem, & non aliquid compositum ex materia, & forma, alias superflueret articulus secundus. Ergo pariformiter id ipsum in præsenti debet intelligi.

Vltima. *D. Thom.*

Tum denique. Quia D. Thomas 2. contra Gentes cap. 49. probat, Angelos non esse corpus: & cap. 50. carere compositione materiæ, & formæ: & cap. 51. non informare materiam: quæ tres quæstiones sunt eædẽ met, quas disputat in art. 1. & 2. huius quæstionis, & q. sequenti art. 1. Sed in prima illarum, quas loco citato ex 2. contra Gentes discutit, per corpus intelligit corpus de prædicamento quantitatis: & propterea in prima ratione assumit hanc propositionem, quòd nullum corpus inuenitur, quod contineat aliquid, nisi per commensurationem quantitatis: ergo id ipsum dicendum est in præsenti. Vnde ex omnibus hucusque dictis integer tituli sensus erit: Vtrùm Angelus, qui fit omninò

minò inextenſus quantitatiuè, ideſt, non ſolùm in ſe, ſed etiam in omni ſua operatione, quantitate carens, exiſtat in rerum natura?

Obiectio 4. Nec obſtat, ſi obijcias primò, quòd D. Thomas hic agit de ſubſtantia Angelorum abſolutè, vt patet ex titulo: carentia autem extenſionis non ad ſubſtantiam, ſed ad accidens pertinet.

Secundò. Quia D. Thomas in præſenti tractat de incorporeitate, quæ ſit ſufficiens ad inducendam intellectualitatem: ad quod non ſufficit negatio ſolius quantitatis, vt de ſe patet.

Tertio. Quia ratio D. Thomæ ea eſt, quòd quia vniuerſum debet habere aliquam partem, per quam aſſimiletur Deo, vt eſt ſubſtantia intellectualis, & ſpiritualis omninò, ideò debet dari aliqua ſubſtãtia omninò ſpiritualis: at non eſſet talis, ſi ſolùm eſſet incorporea per ſolam negationem quantitatis, haberet tamen materiam phyſicam, & corpoream: ergo D. Thomas non ſolùm vult in art. 1. huius quæſt. Angelos eſſe incorporeos per negationem quantitatis, ſed etiam alijs duobus modis initio explicatis.

Quarta. Quartò. Quia D. Thomas in præſenti, vt ex verbis ipſius conſtat, excludit ab Angelis omne corpus, quod determinatur ad hic, & nunc: ſed non ſolùm corpus de prædicamento quantitatis, ſed etiam corpus in alijs duabus acceptionibus clauditur ſub corpore, quod determinatur ad hic, & nunc: ergo etiam excludit corpus in alijs duabus acceptionibus.

Vltima. Quinto denique. Nam expreſsè loquitur S. Doctor de quodam incorporeo oppoſito illi, quod ponebãt Antiqui, quos ipſe refert in corpore articuli: ſed hoc corpus, quod ponebant iſti, non erat ſola quantitas: ergo non loquitur de incorporeo, prout ſolùm dicit negationem quantitatis.

Reſpondetur primæ obiectioni. Reſpondetur enim ad primam ex his obiectionibus, quòd ſubſtantia Angelorum abſolutè explicatur per hoc, quòd ſit talis, quæ neque in ſe, neque in ſuis operationibus recipiat quantitatem, quod eſt eſſe omninò in extenſam per ſe, & per accidens, vt declaratum eſt.

Ad ſecundã Ad ſecundam reſpondetur, Sanctum Doctorem non inducere incorporeitatem ad probandam intellectualitatem, ſed potius è conuerſo, ex intellectualitate oſtendere incorporeitatem, hoc eſt, negationem quantitatis modo iam dicto.

Ad tertiam Ad tertiam dicendum eſt, quòd licèt ex ratione perfectionis vniuerſi, ac proinde ex gradu puræ intellectualitatis, qui in eo debet reperiri, poſſet optimè probari, dari incorporeum omnibus modis: nihilominùs in art. 1. huius quæſt. D. Thomas ſolùm intendit cõcludere id, quod nobis magis notum eſt, ſcilicet, dari incorporeum, prout dicit omninò negationem quantitatis iam dictã: & poſteà in ſequentibus ex eodem gradu intellectualitatis concludit, dari in vniuerſo creaturam incorpoream alijs modis.

Ad quartã Ad quartam reſpõdetur, quòd licèt omne corpus, etiam in alijs duabus acceptionibus ſumptum, determinetur ad hic, & nunc, & optimè poſſet ratio D. Thomæ ita diſponi, vt ex ea prædictum corpus excluderetur: attamen S. Doctor in præſenti ſolùm concludit negationem corporis de prædicamento quãtitatis, quod determinatur ad hic, & nũc, quippe quod eſt nobis magis notum, & ſenſibile: quia de excluſione corporis in alijs acceptionibus inſequentibus erat acturus.

Ad vltimã Ad vltimam ſimiliter dicendum eſt, quòd licèt incorporeum in alijs acceptionibus ſit oppoſitũ illi, quod ponebant Antiqui, quos refert in corpore articuli, in eo tamen eorum ſententiam non intendit impugnare, niſi præcisè quoad corpus quantitatiuum, quod ponebant, propter id, quod nuper dicebamus, & propter rationes à nobis aſſignatas.

§. II. *Deciſio dubij.*

Concluſio. 5 DIcendum ergo eſt, Angelos, qui ſint omninò incorporei, ſeu inextenſi per quantitatem, exiſtere in rerum natura. Hæc cõcluſio habet ſaltem virtualiter duas partes. Vnam ſcilicet, Angelos exiſtere: alteram, eſſe omninò incorporeos, ſeu quantitatiuè inextenſos. Et quoad primam partem eſt certa ſecundùm fidem, vt conſtat ex illo Matthæi 18. Vbi dicitur, puſillorum Angelos frui viſione Dei: *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem patris mei.* Matt. 18. Ex illo 2. Petri 2. *Si Deus Angelis peccantibus non peper-* 2. Petr. 2. *cit.* Ex illo Iudæ in ſua epiſtola Canonica. *Angelos, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, in iudicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſeruauit.* Iudæ ep. Vbi fit mẽtio peccati, & punitionis Angelorum. Et ex innumeris locis Scripturæ, vbi tã in nouo, quàm in veteri teſtamento refertur, Angelos apparuiſſe, locutos, vel operatos fuiſſe: ex quibus patet, illos exiſtere.

6 Quoad ſecundam verò partem, eſſe videlicet omninò incorporeos, ſeu quantitatiuè inextenſos, etiam eſt certa. & non obſcurè probatur ex teſtimonio Pſalm. 103. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus.* Quod nomẽ *ſpiritus* licet interdum in Scriptura tribuatur rebus corporeis, & quantitatiuè extenſis, quales ſunt ventus, & aer, vt conſtat ex illo actuum 2: *Factus eſt repẽtè de cœlo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehemẽtis*: hìc tamen non poſſe ſumi niſi pro vero ſpiritu carente omnino corporeitate, & extenſione quan-

Pſal. 103. Actor. 2.

quantitatiua, deducitur, tum ex communi ex
Dionys. positione Sanctorum Patrum. Dionysij 4. de
Cyrill. diuinis nominibus, nostri Cyrilli 4. in Ioan-
Nazian. nem cap. 10. Nazianzeni oratione 38. Gre-
Greg. Nyss. gorij Nysseni oratione in illa verba: *Fiat vo-*
sen. *luntas tua.* Chrysostomi homil. 22. in Gene-
Chrysost. sim, Damasceni lib. 2. de Fide cap. 3. Grego-
Damasc. rij Magni 4. Dialog. cap. 29. & D. Thomæ
Gregor. in præsenti art. 1. huius quæstionis in argu-
Magn. mento, *Sed contra*: tum etiam ex communi
D. Thom. Theologorum consensu, qui ducti hoc testi-
monio docent, Angelos esse omninò incorporeos.

Confirmatur hæc secunda pars ex verbis
Cõc. Lat. Concilij Lateranensis in confessione fidei, vt refertur in cap. *Firmiter. De summa Trinitate & fide Catholica*, vbi sic dicitur: *Vnum vniuersorum principium, creator omnium visibilium, & inuisibilium, & spiritualium; & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam*: vbi clarè distinguit Angelum à natura corporea. Ex quibus verbis licèt non colligatur, sententiam nostrã quoad hanc vltimã partem esse de fide, quia Cõcilium non intendebat diffinire, Angelos esse incorporeos, sed tantùm vtramque creaturam esse conditam à Deo: ex eis tamen satis colligitur eius veritas.

Probatur cõclusio ratione.

7. Deinde probatur simul vtraque pars conclusionis ratione desumpta ex D. Thoma art. 1. huius quæstionis, quæ potest ad
D. Thom. hanc formam reduci. Quoniam vniuersum hoc debet esse perfectè simile Deo, eo saltẽ modo, quo creatura queit suo creatori assimilari: ergo debent esse in eo creaturæ purè intellectuales: ergo creaturæ, quæ sint omninò incorporeæ, seu inextensæ quantitatiuè, quas Angelos nominamus.

Antecedens probatur. Tũ quia id, quod est valdè bonum, & valdè perfectum, debet (modo dicto) esse valdè, & perfectè simile Deo. Constat autem hoc vniuersum esse valde bonum, & valdè perfectum: ex eo quòd
Genes. 1. dicitur Genesis 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*, cum de singulis tantùm dixisset esse bona: quod notauit D.
D. Thom. Thomas 2. contra Gent. cap. 45. ratione 7. his verbis: *Hinc est, quòd dicitur Genesis 1. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. cùm de singulis dixisset, quòd sunt bona: quia singula quidem sunt in suis naturis bona: simul autem omnia valdè bona, propter ordinem vniuersi, qua est vltima, & nobilissima perfectio in rebus.*

Tum etiam. Quia licèt hæ, vel illæ creaturæ figillatim sumptæ sint similes Deo in aliqua, vel aliquibus perfectionibus: attamẽ vniuersum, vtpotè ambiens vniuersas creaturas, est simile ipsi in vniuersitate, seu collectione omnium perfectionum: ac proinde est illi perfectè simile. Quod innuit Doctor Angelicus 2. contra Gentes dicto cap. 45. *Ang. Doctor.* ratione 3. dicens: *Quanto aliquid in pluribus est Deo simile, tanto perfectius ad eius similitudinem accedit.* Tum denique. Quia virtus causæ maximè splendet in vniuersitate, seu collectione omnium effectuum, qui ab illa procedunt: & per consequens in illis effectibus simul sumptis reperitur, pro captu suo, maxima, & perfecta similitudo inter ipsos, & suam causam.

Prima verò consequentia ex antecedenti constat. Quia similitudo perfecta vniuersi, vt est effectus Dei, petit, vt quoad aliquas creaturas sit simile suæ causæ in eo, quod ei est ratio agendi: sicut perfecta similitudo effectus ignis cum eodem igne exigit, vt sit similis ipsi in eo, quod est ei ratio agendi. Ergo cùm Deus, quippe naturę pure intellectualis, agat solùm per intellectum, & voluntatem, oportet, vt in vniuerso reperiantur aliquæ creaturæ purè intellectuales, seu habentes naturam purè intellectualem, & intellectum ei correspondentem, & solummodò per illum, & voluntatem agentes.

Secunda verò consequentia ex hac priori constat. Quoniam creatura purè intellectualis debet esse omnino incorporea, seu in extensa quantitatiuè: ex eo quod id, quod nõ est tale, vel quia est ipsa quantitas, vel per accidens habet, siue quoad suam substantiam, siue quoad aliquam operationem, esse extensum à quãtitate, non potest elicere operationem, nisi per organum corporeum, & talis operatio, ac potẽtia elicitiua illius nequit versari nisi circa singularia, vt in sensibus omnibus, tam internis, quàm externis cernitur, & N. Complutenses in lib. de Anima disp. 16. *N. Compl.* num. 18. & 19. ostendunt. Hæc autem duo pugnant cum natura purè intellectuali, & cũ *intelligere* ei correspondente, vt constat, tum ex se, tum etiam ex eo, quòd natura purè intellectualis non habet aliam operationem præter *intelligere*, & *velle*, quæ nequeũt exerceri per organum corporeum: sicut neque *intelligere* terminatur tantùm ad singularia, sed extenditur quoque ad vniuersalia, vt ex se etiam patet.

8. Confirmatur primò. Quia in vniuer- **Confirm. 1.**
so ad hoc, vt sit perfectum, & perfectè simile Deo, concedendus est gradus puræ intellectualitatis: ergo creatura aliqua omninò incorporea, & inextensa per quantitatem: ergo dabuntur Angeli, qui sint omninò incorporei, & inextensi per quantitatem. Secunda consequentia patet ex prima: siquidem gradus puræ intellectualitatis solùm in suprema creatura substantiali, quam nomine

Angeli

intelligimus, valet reperiri. Prima autem ſequitur ex antecedenti, vt in ratione nuper facta probauimus. Antecedens autem probatur. Quia in vniuerſo ad hoc, vt ſit perfectũ, & perfectè ſimile Deo, concedendi ſunt ſpeciales gradus eſſendi, viuendi, & ſentiendi, qui ſunt minùs perfecti: ergo concedendus eſt gradus puræ intellectualitatis, qui eſt magis perfectus. Quam rationẽ tradit D. Thomas Opuſculo 2. cap. 75. ſub his verbis: *Quãtò aliqua ſunt ſuperiora in entibus, tantò magis pertingunt ad ſimilitudinem diuinam. Videmus enim, res quaſdam infimi gradus participare diuinam ſimilitudinem quantum ad eſſe tantùm, velut inanimata; quædam autem quantum ad eſſe, & viuere, vt plantæ: quædam autem quantum ad ſentire, vt animalia. Supremus autem modus eſt per intellectum, & maximè Deo cõueniens. Supremæ igitur creaturæ ſunt intellectuales.*

D. Thom.

Confir. 2. 9. Confirmatur ſecundò ratione, quam ex parte quodammodò innuit D. Thomas loco ſtatim referendo. Quia in homine, qui dicitur *Micocroſmos*, epilogus, ſeu mundus paruus, vel vniuerſum paruum, dantur omnes gradus eſſendi, viuendi, ſentiendi, & intelligendi adunati: ergo in vniuerſo magno debent dari diuiſi, & diſtincti: ergo debent dari creaturæ purè intellectuales, omni extenſione quantitatiua carentes, quas Angelos appellamus, in quibus ſupremus ex illis gradibus, nempe gradus intellectualitatis, diuiſus reperiatur. Antecedens conſtat. Ex eo enim nomine omnis creaturæ, vel creaturæ mundi intelligitur homo, Marci vltimo, & ad Romanos 1. quia in eo, tanquam in epilogo mundi, ſeu vniuerſo paruo, reperiuntur omnes gradus eſſendi, viuendi, ſentiendi, & intelligendi adunati, qui in alijs rebus ſunt exparſi, & diuiſi, vt notauit Angelicus Doctor ad Romanos 1. lect. 6. explicans illud: *Inuiſibilia Dei à creatura mundi, &c.* Vbi ſic ait: *A creatura mundi, per quod poteſt intelligi homo, Marci Vltimo: Prædicate Euangelium omni creaturæ: quia communicat cum omni creaturæ: habet enim eſſe cum lapidibus, viuere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis, vt Gregorius dicit.* Prima autem conſequentia aperte ſequitur ex antecedenti: alias enim non eſſet cur totum vniuerſum diceretur vniuerſum magnum, & homo vniuerſum partium; nec homo eſſet epilogus, & totus mundus ab illo epilogatus. Secunda verò conſequentia ex prima, ſuppoſitis iam dictis, ſatis patet.

Marci vltimo.

Ad Rom. 1.

D. Thom.

§. III. *Aliquæ obiectiones contra rationem D. Thomæ proponuntur, & diluuntur.*

Obijcitur 1. contra rationem.

10 SEd obijcies primò contra rationem præcipuam ex D. Thoma art. 1. huius quæſtionis deſumptam, quòd hoc ipſo, quòd Deus agat per intellectum, & voluntatem, ac proinde liberè, non poteſt ſufficiẽter probari, aliquid egiſſe, niſi deſumatur, vel ex ſcriptura, & Patribus, vel experimento, vel ex effectibus: ſed ratio facta à D. Thoma ex nullo horum capite procedit: ergo non eſt ſufficiens ad probandum, dari in hoc vniuerſo prædictas creaturas. Minor, & conſequẽtia patẽt. Maior autem probatur ex eo, quod in nobis accidit liberè operantibus: nequit enim ſufficienter probari, nos aliquid huiuſmodi egiſſe, niſi vel ex ſufficienti authoritate, ideſt, nobis, vel Deo reuelãtibus, vel experimento, vel ex effectibus, vt ſe conſtat: ergo, &c.

D. Thom.

Diluitur. Reſpondetur, rationem factam à D. Thoma virtualiter ex ſcriptura, & Patribus procedere. Nam ex ſcriptura, & Patribus habetur, vniuerſum eſſe à Deo productum: hoc autem ſemel ſuppoſito, vt in hac ratione ſupponitur, optimè infertur, productum fuiſſe cum omnibus gradibus: ex eo quòd iſti ad eius perfectionem ſpectant, vt benè notauit idem D. Thomas ſuprà quæſt. 22. art. 4. vbi poſtquam dixit: *Poſt bonitatem autem diuinam, quæ eſt finis à rebus ſeparatus, principale bonum in ipſis rebus exiſtens, eſt perfectio vniuerſi quæ quidem non eſſet, ſi non omnes gradus eſſendi innenirentur in rebus*, ſtatim ex hoc intulit, omnes hos gradus eſſe productos: & ideò concludit: *Vnde ad diuinam prouidentiam pertinet, omnes gradus entium producere.*

D. Thom.

Elucidatur ſolutio. Poteſtque hoc explicari ex eo, quod inuenitur in mundo minori, nempe in homine, qui ex mundo maiori, ſcilicet toto vniuerſo, deſumptus, & epilogatus eſt: vbi omnes gradus iam dicti ad eius perfectionem ſpectãt. Et ita hoc ipſo, quòd habeatur ex ſcriptura, productum eſſe prædictum mundum minorem, optimè inde infertur, fuiſſe productum cum omnibus his gradibus, ad eius perfectionem ſpectantibus. Sicut etiam hoc ipſo, quòd tradat ſcriptura, hominem fuiſſe à Deo factum, benè etiam hinc colligitur, factum eſſe cũ manibus, & pedibus: ex eo quòd iſtæ ſunt partes illius, ad eius perfectionem pertinentes.

Prima obiectio. Nec refert ſi dicas, quòd quanuis manus, vel pes pertineant ad perfectionem integram hominis, non tamen ex eo, quòd conſtet ex aliqua reuelatione, vel authoritate, hominẽ eſſe productum, conuincitur productum fuiſſe cum manibus, & pedibus: cùm aliquando contrarium ſine eo, quod inuertatur ſuauis ordo, & prouidentia Dei, contingat. Ergo quanuis daretur, gradum purè intellectualẽ eſſe partem ad vniuerſi perfectionem integram pertinentem, non cõcluderetur ex eo, quòd ſit reuelatum, vniuerſum eſſe productum,

ctum, dandum esse in rerum natura prædictũ gradum, atque adeò Angelos productos fuisse: quia posset oppositũ sine inuersione suauis ordinis, & prouidentiæ Dei contingere, vt sine illa accidunt monstra.

Enodatur primò. Respondetur enim primò, quòd sicut si constaret, Deum tantùm per se ipsum hominem produxisse, probaretur iuxta suauẽ ordinem, & prouidentiam ipsius, illum integrũ fuisse productum cum omnibus suis partibus: ita cùm in præsenti constet, totum vniuersum fuisse à Deo solo immediatè productũ, optimè inde deducitur, fuisse ab eo iuxta communem, & suauem eius prouidentiam factum cum omnibus illis, quæ ad eius naturalem perfectionem spectant.

Secundò. Secundò respõdetur, quòd licèt id, quod pertinet ad complementum alicuius naturæ particularis, possit aliquando ex concursu, aut defectu alicuius causæ secũdæ iuxta suauem ordinem, & prouidentiam Dei deesse, non tamen id, quod pertinet ad perfectionẽ naturæ vniuersalis, siue huius vniuersi: quia adhuc id, quod aliquando deest naturæ particulari, seu quòd aliquando dentur mõstra, vt puta, si daretur homo sine manibus, & pedibus, fit propter perfectionem vniuersi, ad quam quodammodò requiruntur monstra: & ideò monstra & defectus isti non sunt con-

D. Thom. tra naturam vniuersalem, vt notauit D. Thomas de Potentia quæst. 6. art. 2. ad 8. his verbis: *Dicendum, quòd monstra licèt fiant contra naturam particularem; non tamen fiunt cõtra naturam vniuersalem.* Cæterùm si deficeret id, quod pertinet ad perfectionem naturæ vniuersalis, vt si deesset aliquis gradus, nẽpe gradus intellectualitatis, tunc, cùm non posset hic defectus ordinari ad perfectionẽ alicuius alterius naturæ vniuersalis, seu vniuersi, siquidem solùm istud, quod nunc est, habet esse creatum à Deo, non esset cur talis defectus daretur: sicut propter ordinationẽ iam dictam, qua defectus naturæ particularis ordinatur ad perfectionem huius vniuersi, redditur sufficiens ratio, propter quã possint aliquando tales defectus, siue monstra dari.

Obiectio. 2. 11. Secundò, & principaliter contra eãdem rationem obijcies, quòd prima consequentia non videtur rectè deduci. Nam in agentibus per intellectum effectus tantùm cuadit similis rationi agẽdi per modum formæ intelligibilis, non verò alijs rationibus agendi: ergo ex hoc, quòd in hoc vniuerso debeant esse effectus similes Deo in ratione agendi, & Deus agat per intellectum, non sequitur, dãdas esse in eo creaturas intellectuales, nempe Angelos, vt in illa consequentia infertur. Antecedens patet in domo producta per intellectum, & voluntatem artificis, quæ solùm exit similis formæ intelligibili, non verò alijs rationibus agendi. Consequẽtia verò probatur: tum, quia intellectus non est ratio agendi per modum formæ intelligibilis: tum etiam, quia ex hoc, quòd aliquid euadat simile formæ intelligibili, non est necesse, vt sit creatura intellectualis, vt in exẽplo domus nuper posito constat.

Solutio: Respondetur, quòd licèt ad similitudinẽ vtcunque effectus cum sua causa sufficiat, quòd euadat similis formæ intentionali, quę est ratio agendi quoad id, quod repræsentat, vt ostendit exemplum domus ab artifice factæ: ad perfectam tamen similitudinem effectus cum sua causa, qualis est inter vniuersum productum à Deo, & ipsum Deum producentem illum, maior similitudo concedẽda est, vt videlicet non solum assimiletur formæ intelligibili, quoad id, quod repręsentat, sed quòd modo sibi possibili habeat similẽ modum essendi illi, quem habet forma intelligibilis: & quia hæc in Deo habet modum essendi intelligibilem, & saltem infert naturam purè intellectualem, in qua sit, inde colligitur, quòd ad hanc perfectam similitudinẽ vniuersi ad Deum in forma agendi, & modo essendi illius, requiratur, dari creaturas purè intellectuales, in quibus prædicta ratio agendi sic sumpta inueniatur, quæque operentur præcisè per hanc formam, & intellectum, ac voluntatem, sicut Deus, & nõ aliter: alioqui non esset perfecta similitudo vniuersi, vt habet rationem effectus ad Deum, vt est causa illius.

Quam solutionem tradit, & explicat optimè Angelicus Præceptor 2. contra Gentes cap. 46. ratione 4. his verbis: *Similitudo effectus ad causam agentem attenditur secundùm formam effectus, qui præexistit in agente: agẽs enim agit sibi simile in forma, secũdùm quam agit. Forma autem agentis recipitur quidem in effectu, quandoque secundùm eundem modum essendi, quo est in agente, sicut forma ignis generati eũdem essendi habet modum cum forma ignis generantis, quandoque verò secundùm alium modũ essendi, sicut forma domus, quæ est intelligibiliter in mente artificis, recipitur materialiter in domo, quæ est extra animam. Patet igitur, perfectiorem esse primam similitudinem, quàm secundam. Perfectio autem vniuersitatis creaturarum consistit in similitudine ad Deum: sicut etiam perfectio cuiuslibet effectus in similitudine ad causam agentẽ. Requirit igitur summa vniuersi perfectio, non solùm secundam assimilationem creaturæ ad Deum, sed etiam primam, quantum possibile est. Forma autem, per quam Deus agit creaturam, est forma intelligibilis in ipso. Est enim agens per intellectum, vt suprà ostensum est. Oportet igitur, ad summam perfectionem vniuersi esse aliquas creaturas, in quibus secundùm esse intelligibile forma diuini intellectus* Angelic. Præcept.

expri-

exprimatur. Et hoc eſt eſſe creaturas ſecũdùm ſuam naturam intellectuales.

Replica. Ex quo fit, nihil referre, ſi dicas, quòd forma intelligibilis, cui aſsimilatur vniuerſum, in Deo, eſt idea diuina: idea autem, cùm ſit attributum diſtinctum ab eſſentia, ac proinde ab intellectu Dei, necnon à ſapientia, & reliquis virtutibus intellectiuis, vt tomo 1. tractatu 5. diſput. 2. n. 128. innuimus, non habet formaliter *eſſe* intellectiuum, ſed ſolùm *eſſe* intelligibile per modum termini, & obiecti cogniti: ergo ex eo, quòd vniuerſum perfectè debeat aſsimilari formæ intelligibili, non ſequitur, in vniuerſo dandas eſſe creaturas intellectiuas.

Occurritur Non itaque hoc refert. Nam ex dictis facilè reſpondetur, quòd licèt idea, propter rationem dictam, non ſit formaliter intellectiua: attamen hoc ipſo, quòd in vniuerſo debeat dari participatio diuinarum idearum, prout habent modum eſſendi intelligibilem, & ſecundùm illã rationem, ſecundùm quam Deꝰ per illas operatur, oportet, vt detur creatura intellectualis, in qua prædicta idea ſic ſumpta recipiatur, & quæ intendens ad illam, dum ad extrà operatur, operetur, & non aliter, vt in Deo contingit. Et propterea in fine teſtimonij nuper citati ſic concludit D. Thomas: *Oportet igitur ad ſummam perfectionem vniuerſi eſſe aliquas creaturas, in quibus ſecundùm eſſe intelligibile forma diuini intellectus exprimatur: & hoc eſt eſſe creaturas ſecundùm ſuam naturam intellectuales.*

D. Thom.

Aliter enodatur. Adde, quòd quanuis idea non ſit formaliter intellectiua, non tamen illa ſola habet rationem formæ intelligibilis per modum rationis agendi in Deo, ſed etiam ſpecies intelligibilis, quæ quidem formaliſsimè ex parte rei conceptæ eſt purè intellectiua, quia ſpectat ad lineam diuinæ naturæ in pura intellectualitate conſiſtentis: atque adeò in vniuerſo, quod debet euadere perfectè ſimile huic ſpeciei, ſaltem quoad id, quod dicit gradum eſſendi, qualis eſt gradus intellectualitatis, debent reperiri creaturæ purè intellectiuæ.

Obiectio. 3 12 Tertio contra eandem rationem obijcies, non eſſe legitimam probationem illius ſecundæ conſequentiæ in ea adductam, nempe, creaturam purè intellectualem debere eſſe omninò inextenſam quantitatiuè: ex eo quòd id, quod eſt extenſum quantitatiuè, debet, prout ſic eſt extenſum, operari per potentiam, quæ eliciat ſuam operationem per organum corporeum: & quòd id, quod ſic operatur, ſolummodò poteſt ſecundùm hanc rationem operari circa ſingularia, ſolumque poteſt illa cognoſcere, non verò vniuerſalia: ac proinde nequit eſſe naturæ intellectualis, cuius proprium eſt cognoſcere vniuerſalia. Nam contra hoc obſtat, quod etiam per organum corporeum poſſet cognoſci quidditas materialis, ſeu ratio corporis in communi: quia ſicut talis quidditas non excedit organum corporeum in *eſſe* rei, quandoquidem tale organum habet etiam quidditatem materialem: ſic non eſt cur excedat illud in *eſſe* obiecti: ac per conſequens non eſt cur per illud organum non poſsit cognoſci quidditas materialis in communi.

Reſpondetur, negando antecedens. Et ad probationem dicẽdum eſt, quòd licèt quidditas materialis non excedat organum corporeum in *eſſe* rei; excedit tamen illud in *eſſe* obiecti. Cuius ratio eſt. Quia (vt optimè notarunt N. Complutenſes in lib. de Anima diſput. 16. n. 15. & diſput. 17. n. 27.) ratio corporis in communi eſt quodammodò in materia ſingulari, & quodammodò extra materiam. Eſt quidem in materia ſingulari, quatenus à parte rei identificatur cum illa. Eſt autem quodammodò extra eam, quatenus per ſpeciem intelligibilem, repræſentantem naturam ſine ſingulari, quodammodò abſtrahitur ab illa. Vnde, quia obiectum connaturale alicuius potentiæ cognoſcitiuæ, & talis potentia debent conuenire in eodem gradu immaterialitatis, ita vt vel ſint omninò commenſurata in tali gradu, vt in 1. tomo, tractatu 2. diſput. 2. nu. 153. & deinceps diximus, vel ſi non ſint omninò commenſurata, tunc potentia cognoſcitiua debet habere gradum immaterialitatis eleuatiorem, vt in Deo reſpectu creaturarum ab eo cognitarum accidit: ideò potentia cognoſcitiua rationum vniuerſalium, & materialium debet eſſe vel omninò commenſurata cum illis in gradu immaterialitatis (vt contingit in noſtro intellectu, qui eſt potentia ſpiritualis, & eſt quodammodò in materia, quatenus eſt in anima, quæ eſt in materia, & quodammodò eſt ſeparatus à materia, prout eſt ſpiritualis, & recipitur immediatè in ipſa anima ſpirituali) vel ſi prædicta potentia cognoſcitiua non habuerit omnimodam commenſurationem cum his quidditatibus materialibus, & vniuerſalibus in gradu immaterialitatis, tunc immaterialitas potentiæ non debet eſſe infra gradum immaterialitatis obiecti, ſed habere gradum immaterialitatis eleuatiorẽ, vt in Deo, & in Angelis reſpectu prædictarum quidditatum materialium conſtat.

Diluitur.

N. Compl.

Quare, cùm potentia, quæ operatur per organum corporeum, non ſit huiuſmodi, ſi quidem talis potentia cognoſcitiua, eo ipſo, quòd operatur per illud organum, eſt in eo, vt in ſubiecto proprio, & immediato ipſius, ac proinde non habet adhuc quodammodò non eſſe in materia, & quodammodò eſſe in illa, vt in intellectu noſtro cõtingit: ideò prædicta potentia non poteſt attingere rationem corporis in communi: & per conſequens prædicta quidditas excedit in *eſſe* obiecti talem

potentiam, & eius operationem.

D. Thom. Quæ solutio desumpta est ex D. Thom. 1. p. q. 14. art. 2. & 4. & in 4. dist. 49. q. 2. art. 1. de Veritate q. 8. art. 1. & 3. contra Gentes c. 49. necnon infrà q. 75. art. 2. his verbis: *Omne autem corpus habet aliquam naturam determinatam. Impossibile est igitur, quod principium intellectuale sit corpus. Et similiter impossibile est, quòd intelligat per organum corporeum: quia si esset natura determinata illius organi corporei, prohiberet cognitionem omnium corporum.* Vbi nomine naturæ determinatæ non intelligit S. Doctor naturam contractam ad specialem gradum, atomamque speciem, aliàs enim neque potentiæ spirituales possent percipere omne corpus (intellige, secundùm rationem communem corporis) sed naturam ita determinatam, & limitatam, vt non sit indifferens ad hoc, vt fiat in *esse* cognoscibili, & per species vniuersales omne corpus: qualem determinationem, & limitationem habet potentia operans per organum corporeum, vt ex ratione nuper facta constat. Videantur tamen N. Complutenses

N. Compl. disput. 16. nuper citata à. num. 14. vsque ad 22.

§. IIII. *Aliæ obiectiones contra duas confirmationes rationis D. Thomæ, & earum solutiones.*

Quarta obiectio. 13 QVartò contra primam confirmationem, in qua ex eo, quòd *esse* intellectuale est supremus omnium gradus, infertur esse communicatum, ac propterea concedendas esse creaturas intellectuales, nempe Angelos, in quibus talis gradus reperiatur, obijcies, quod *esse* intellectuale per modum actus purissimi constituit in Deo gradum diuinæ intellectualitatis: & tamen hic non communicatur: ergo ex eo, quòd *esse* intellectuale sit supremus omnium graduum, malè colligitur esse aliquibus creaturis, nempe Angelis, communicatum.

Confirmatur. Confirmabis. Nam hic gradus supremus intellectualitatis in homine reperitur: ergo ex eo, quòd debeat necessariò communicari ad perfectionem vniuersi, non infertur, dandos esse in rerum natura Angelos, ne perfectio prædicti gradus desit vniuerso.

Respondetur ad obiectionem. Respondetur, quòd *esse* intellectuale per modum actus purissimi non solùm dicit gradum secundùm generalem rationem gradus intellectiui, sed modum illius, seu ipsum, vt intra propriam lineam contractum ad *esse* intellectuale, & gradum proprium Dei, & omni alteri extra Deum repugnantem. Ex ratione autem facta non infertur, modum, & gradum istum, sicut nec modos infinitatis, entis à se, &c. qui solius Dei proprij sunt, debere perfectionem vniuersi communicari in sua plenitudine alicui creaturæ (nõ enim ad perfectionem vniuersi desideratur id, quod omninò incommunicabile est) sed dandos esse quatuor gradus rerum suprà enumeratos, nempe, gradus essendi, vegetandi, sentiendi & intelligendi; non qualitercunque, sed perfectos, seu completos, vt statim magis explicabimus.

Nec refert, si vrgeas, hinc fieri, non pertinere ad perfectionem vniuersi, quòd alicui creaturæ in eo contentæ debeant communicari gratia, & gloria, aliaque dona supernaturalia, aut vnio hypostatica: siquidem omnia hæc non sunt participationes Dei, nisi quoad modum proprium, secundùm quem Deus habet *esse* in se, non verò dicunt præcisè participationem gradus intellectualis, vt constat ex illis, quæ in 1. tomo tractatu 2. disput. 3. nu. 31. & 32. diximus. Replica.

Respondetur enim primò, aliud esse, an ex alijs capitibus pertineat ad perfectionem vniuersi hæc communicatio gratiæ, gloriæ, vnionis hypostaticæ, & aliorum donorum supernaturalium, ac proinde quodammodò ei debeatur; aliud verò, an ex vi rationis factæ in articulo 1. huius quæstionis ad probãdum dari in rerum natura Angelos, qui sint omninò incorporei, seu inextensi quantitatiuè, id inferatur. Dicimus ergo, quòd ex vi huius rationis id non sequitur; quauis ex vi illius sequatur, dandos esse Angelos, qui sint omninò incorporei. Vtrùm autem ex alijs capitibus id colligatur, constabit ex his, quæ alibi (Deo dante) dicemus. Dilaitur 1.

Secundò respondetur, probabile esse, quòd in ratione facta in art. 1. huius quæstionis, debitè tamen applicata, probatur congruenter, dandam esse in hoc vniuerso aliquam creaturam, aut partem illius, cui prædicta dona supernaturalia; ac proinde modus proprius Dei prout est in se, non quidem in sua plenitudine, sed duntaxat per participationem quandam, communicentur: quatenus ad perfectionem vniuersi spectat, vt in eo dentur tam omnes gradus, quàm ordines rerum. Idque etiam potest colligi ex eo, quod in mundo minori, & perfectissimo intra rationem mundi minoris cernimus, nempe in Christo Domino, in quo vnio hypostatica, gratia, gloria, cæteraque dona supernaturalia, necnon & gradus omnis essendi adunatè inueniuntur: nam hinc congruenter infertur, quòd omnia hæc debent, quantum naturæ rerum cum debita decentia exposcunt, dari in alijs diuisa: ac proinde quòd gratia, & gloria, quæ nõ exigunt vnionem hypostaticam, communicandæ erant aliquibus creaturis intellectualibus, absque eo, quòd eis vnio hypostatica, quæ modo alibi tacto requirit, saltem per modum ornatus decentis, siue dispositionis omninò subsequentis, gratiam, & Secundò.

glo-

gloriam, & alia dona supernaturalia, communicanda erat ipsi Christo vnà cum gratia, & gloria.

Explicatur hæc posterior solutio.

Cæterùm cùm dicimus, ex hac ratione modo dicto sequi, pertinere ad perfectionem vniuersi hanc communicationem vnionis hypostaticæ, & donorum supernaturalium non est sensus, quòd ipsi vniuerso secundùm *esse* naturale, quod dicit, ac proinde partibus eius naturalibus sit debita prædicta communicatio; sed quòd eidem vniuerso, vt coalescit ex omnibus ordinibus, debetur quodammodò talis communicatio. Sicut licèt in Christo Domino dona supernaturalia non sint debita naturæ humanæ secundùm se sumptæ; sunt tamen debita coniuncto illi, quod ex persona Verbi, & natura humana resultat nempe Christo domino, ratione vnionis ad personam diuinam. Sed de his iterùm suo loco redibit sermo, & ex ibidem dicendis patebit, quænam ex his duabus solutionibus probabilior sit.

Respondetur ad confirm.

Ad confirmationem respondetur, quòd ex eo, quòd in homine, qui est mundus, seu vniuersum paruum, gradus intellectualitatis adunatè reperiatur cum alijs gradibus, optimè infertur, dandum esse separatim in aliqua huius mundi creatura, puta in Angelo, vt ratio, & perfectio magni vniuersi in illo saluetur, vt ex dictis n. 9. patet. Cui addi potest ex *Caietanus* Caietano in præsenti, & q. 51. sequenti art. 1. quòd quandocunque datur aliqua creatura, seu gradus distinguibilis per plures modos, aut differētias essentiales, oportet, quòd si inuenitur secundùm imperfectiorem modum, aut differentiam, quòd inueniatur etiā secundùm perfectiorem. Nam cùm vtrumque sit possibile, natura non est magis sollicita circa imperfecta, quàm circa perfecta. Et sic ex hoc ipso, quòd gradus intellectualitatis sit distinguibilis per modos, aut differentias essentiales, homini, & creaturæ purè intellectuali conuenientes, & inueniatur secundùm modum, & differentiam omnium imperfectiorem in homine, debet etiam secundùm differentiam magis perfectam, quàm sit differentia hominis, in creatura purè intellectuali, nempe in Angelo, reperiri.

Elucidatur solutio.

Quod etiam magis explicari potest, si attendatur, tum id, quòd suprà n. 7. innuimus, scilicet, ad perfectionem vniuersi spectare, vt dentur in eo creaturæ valde similes Deo in modo agendi: ita vt sicut Deus solùm operatur media forma intelligibili, & non aliter, ita & aliquæ creaturæ vniuersi: alioqui (vt n. 7. dicebamus) vniuersum nō esset valdè, & perfectè simile Deo, vt effectus suæ causæ. Constat autem solos Angelos, non verò homines habere hunc modum operandi. Tum etiam, quòd ad perfectionem vniuersi, & perfectam similitudinem eius cum Deo pertinet, dari in eo creaturas habentes intellectum, fundatum, & receptum in natura integra, & totali, non verò præcisè partiali: & ideò ad perfectionem eiusdem vniuersi spectat, quòd cæteri alij gradus reperiantur in naturis completis, & integris, in quibus potentiæ proximæ agendi prædictis gradibus correspondentes radicentur. Constat autem hominem ratione solius animæ habere intellectum, non verò ratione suæ naturæ completæ: & ita intellectus in illa, non verò in toto homine subiectatur: ac proinde debet dari Angelus, qui est naturæ completæ purè intellectualis, in quaque intellectus radicetur.

Quinta obiectio.

14 Quintò, & vltimò contra secundam confirmationem rationis D. Thomæ, in qua ex eo, quòd in homine, qui est vniuersum paruum, dantur omnes gradus vniti, infertur, eos dandos esse diuisos in vniuerso, ac propterea dandas esse creaturas purè intellectuales, omni extensione quantitatiua carentes, in quibus supremus gradus diuisus reperiatur, sic obijcies. Quia ex eo, quòd omnes gradus sint vniti in homine, qui est mundus paruus, non sequitur, in vniuerso dandum esse gradum sentiendi, qui non sit simul viuendi, & essendi: ergo neque sequitur dandum esse gradum intelligendi, qui non sit simul sentiendi: ergo malè infertur, dandas esse creaturas purè intellectuales, omni extensione quantitatiua carentes. Secunda consequentia ex priori constat. Nam hoc ipso, quòd gradus intelligendi sit etiam principium sentiendi, non potest esse purè intellectualis, omnique extensione quantitatiua carere creatura, in qua reperitur, vt ex se, & ex iam dictis patet. Prima verò consequentia ex paritate rationis videtur sequi. Antecedens autem ex se constat: quandoquidem gradus sentiendi supponit gradum essendi, & vegetandi: & propterea nulla datur creatura sensitiua, quæ non sit simul vegetatiua, habeatque gradum essendi.

Confirmabis.

Confirmabis. Nam ex eo, quòd in mundo paruo, nempe in homine, dentur vnita sensitiuum, & locomotiuum per motum progressiuum, necnon & intellectiuum, non infertur, dandum esse in vniuerso locomotiuū sine sensitiuo, neque intellectiuum sine loco motiuo: ergo ex eo, quòd in homine reperiatur *esse* vegetatiuum, & sensitiuum coniunctum cum intellectiuo, non infertur, dandum esse gradum intellectualem separatum à gradu vegetandi, & sentiendi.

Soluitur obiectio cum sua confirmatione.

Respondetur, illationem illam in nostra vltima confirmatione factam procedere seruata natura cuiuscunque gradus: taliter, quod illi separati in vniuerso reperiantur, qui in homine inueniuntur adunati, quique separabiles fuerint. Et quia gradus puræ intellectualitatis separabilis est, tam à gradu

loco

locomotiui, quàm sensitiui, rectè ibi deducitur, esse dandum sic in vniuerso. At verò quia gradus sentiendi est omninò inseparabilis à gradu viuendi, & essendi, sicut gradus locomouendi per motum iam dictum à gradu sentiendi, vt perse patet: ideò in illis non sequitur, dandos esse separatim in vniuerso hos gradus perfectiores sine imperfectioribus, eò quòd coniunctim in homine repetiantur. Per quod patet ad confirmationem.

§. V. *Oppositasententia, & duo priora pro ea argumenta, nec non & responsio ad illa.*

Contraria sententia.

15 CONtrariam nihilominùs sententiam, nimirum, non dari Angelos, qui sint omninò incorporei, seu inextensi quantitatiuè, tenuerunt Saducæi, quos refert D. Thomas in præsenti, & aliqui Antiqui, quorum meminit Aristoteles in 4. Physic.

D. Thom. Aristotel.

Probatur ex Scriptura.

Probarique potest primò ex Scriptura Genesis 6. vbi sic dicitur iuxta antiquam lectionem Septuaginta, cuius meminit D. August. lib. 15. de Ciuita. Dei c. 23. *Videntes Angeli Dei filias hominum quia bonæ sunt &c. & generabant eis, &c.* Quæ verba de veris Angelis exponũt Lactantius Firmianus lib. 2. diuinarum institutionum c. 14. Tertullianus lib. de Idololat. c. 9. & de Velandis virginibus c. 7. & alij plures, quos referunt Pereira lib. 8. in Genesim disput. 1. Vazquez in præsenti disput. 178. c. 2. & Bubalus hìc quæsito 3. difficultate 1. §. 9. Quare, cùm id, quod est omninò incorporeum, ideſt carens omninò quantitate, non possit generare filium corporeum, vt dese patet, fit inde, vt Angeli nõ sint omninò incorporei: ac proinde non dabuntur in rerum natura Angeli, qui omninò incorporei sint.

Genesis 6. Lactantius Firm. Tertul. Pereira. Vazquez. Bubalus.

Solutio.

Respondetur, quòd licèt in Septuaginta legatur: *Videntes Angeli Dei, &c.* nihilominùs ibi non de veris Angelis, sed de hominibus nobilibus, & potentibus, vel de fortibus, aut bonis, vel filijs Seth, aut Iudicum illius temporis est sermo, vt docent Chrysostomus homil. 22. in Genesim, Augustinus lib. 15. de Ciuitate Dei c. 23. Theodoretus q. 47. in Genesim, Cassianus collatione 8. c. 21. noster Cyrillus lib. 9. contra Iulianum, Rupertus lib. 4. in Genesim c. 12. D. Thomas q. sequenti art. 3. ad 6. & alij plures. Attribuitur autem hoc nomen istis, vel quia nobilitas, & fortitudo in Angelis maximè resplendet, vel quia suis bonis operibus diuinam virtutem, & voluntatem hominibus declarabant, qui nomine Angelorum optimè significantur, vt initio huius dubij n. 1. notauimus. Cui expositioni fauent diuersæ translationes Symmachi, Aquilæ, Hieronymi in quæstionibus Hebraicis, Genebrardi, & Chaldaicæ.

Chrysost. Augustin. Theodor. Cassianus Cyrillus. Rupertus. D. Thom.

Ratio autem, propter quam dicimus, verba ista non esse intelligenda de veris Angelis, potest reddi. Quia Deus puniturus istum accessum ad filias hominum, ait: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Si autem, qui accesserant, essent veri Angeli, & non homines, non statuisset Deus homines propter illud peccatum punire, & delere: siquidem illud non commisissent. Qua ratione ad hoc ipsum probandum vsi sunt D. Thomas, & Theodoretus locis nuper relatis.

Roboratur solutio.

Genes. 6.

D. Thom. Theodor.

Ad id autem, quod in argumento obijciebatur de expositione Patrum, respondendum est, quòd licèt inficiari non possimus, aliquos ex ibi citatis exposuisse hoc testimonium de veris Angelis, non tamen satis constat, an loquantur de generatione per semen ab eis decisum, vel per semen aliquorum hominum ad hoc acceptum: quod satis est ad hoc, vt ex eorum authoritate non possit probari, Angelos non esse omninò incorporeos.

Quid sensérint Sancti Patres.

16 Secundò probatur eadem contraria sententia ex Concilio Nicæno secundo actione 5. vbi postquam Demetrius Diaconus legit verba quædam Ioannis Episcopi Thessalonicensis, cum quodam Gentili de Angelorum natura disceptantis, in quibus asserebat, Angelos esse quidem intelligibiles substantias, non tamen omninò corporis expertes, sed tenui corpore aêreo, siue igneo constare iuxta illud: *Qui facis Angelos tuos spiritus & ministros tuos ignem vrentem*, idque tenere Ecclesiam Catholicam, & multos ex Sanctis Patribus, vt Basilium, Athanasium & Methodium, nosque illos, vt creaturas intelligibiles, & ministros Dei, non tamen verè incorporeos pingere, & colere debere. Postquam igitur Demetrius Diaconus hæc Sacro Concilio fusè legit, tunc illa in summam collegit Tarasius Patriarcha, Concilioque exposuit in hæc verba: *Ostendit Pater* (Ioannes scilicet Episcopus) *quòd Angelos pingere oporteat, quando circunscribi possunt, & vt homines apparuerunt.* Quæ vbi proposita sunt, respondit Sacra Synodus: *Etiam Domine.* Ergo Concilium apertè sensit, dari in rerum natura Angelos, qui habeant esse corporeos, seu per quantitatem extensos. Patet cõsequẽtia: tum, quia id, quod constat corpore tenui aêreo, vel igneo, debet quantitate extendi: tum etiam, & maximè, quia ratio, ob quam Concilium approbauit, Angelos esse depingendos, est, quia circunscribi possunt: quod quidem est proprium earum solummodò rerum, quæ per quantitatem extenduntur.

Secundum argumentum. Concilium Nicenum.

Psal. 103.

Basilius. Athanas. Method.

Solutio.

Respondetur, Nicænum Concilium minime approbasse verba Ioannis Thessaloni censis, cùm inter ea plura reperiantur à veri-

tate

Bubalus. tate aliena, vt optimè notauit Bubalus in præsenti quæsito 3. difficultate 1. Sed solùm ea diffinisse, quæ tanquam diffinienda Concilio proposita fuere à Tarasio Patriarcha, nimirum, quòd Angelos pingere oporteat. Per quod patet ad primam probationem. Ad secundam autem dicendum est, rationem propositam à Tarasio Patriarcha non esse, Angelos esse depingendos, quia seipsis loco circunscribi possint, sed reddere hunc sensum: *Quando circunscribi possunt, & vt homines apparuerunt* ideſt, Angelos pingere oportet, quia corporei apparuerunt. Vnde circunscribi possunt pictura aliqua, nimirum in eo corpore, quod assumunt pro varietate apparitionum, vt ignis, fulgoris, &c. & præsertim in figura hominis, in qua plerunque apparuerunt. Ex quo, vt patet, nullo modo sequitur, in seipsis esse corporeos, seu quantitate extensos, sed solùm vt tales apparere.

§. VI. *Aliud argumentum contrariæ sententiæ, & eius enodatio.*

17 TErtiò probatur ratione hæc eadem sententia. Quia Dæmones cruciantur igne inferni: ergo sunt extensi per quantitatem. Antecedens patet ex illo Matthæi 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Consequentia verò probatur. Quia id, quod non est extensum per quantitatem, non potest in se recipere actionem corpoream, qualis est actio, qua ignis inferni cruciat: siquidem subiectum *quo* actionis, & cuiusuis alterius accidentis, corporei debet esse quantitas, vt N. Complut. in lib. de Generatione disput. 4. n. 41. docent.

Tertium argumentum Matthæi 25.

N. Compl.

Confirm. 1. Confirmatur primo. Nam plures res corporeæ habent virtutem fugandi Dæmones: ergo signum est, illos, & per consequens cæteros alios Angelos, qui quoad hoc sunt eiusdem rationis, vt ex dictis constat, esse extensos per quantitatem. Consequentia patet ex nuper dictis. Antecedens autem probatur: tum ex illo Tobiæ 6. vbi dicitur, Dæmonem fuisse fugatum fumo iecoris cuiusdam piscis: tum etiam, quia Exorcistæ ad fugandos Dæmones vtuntur fumo rerum fœtidarum, vt fumo stercoris caprini, & hyperici, quod à Latinis vocatur fuga Dæmonum.

Tobiæ 6.

1. Reg. 16 Tum denique, quia 1. Regum 16. habetur, quòd virtute musicæ Dauidis recedebat à Saule spiritus malus.

Confirm. 2. Confirmatur, & explicatur secundò. Nam ex eo Christus Dominus prout in Eucharistia nequit agere, vel pati per actionem corpoream, quia quamuis habeat quantitatem, caret tamen extensione in ordine ad locum, vt communiter docent Theologi: ergo quod non solùm caruerit prædicta extensione, sed etiam quantitate, erit incapax actionis, & passionis corporeæ: ergo è conuerso, quod actu cruciatur, aut fugatur per actionem corpoream, vt in Angelis contingit, non erit inextensum: & ita non dabuntur in rerum natura Angeli, qui sint omninò incorporei, & inextensi per quantitatem.

18 Respondetur, Dæmones non cruciari per hoc, quòd ignis inferni imprimat illis aliquam qualitatem corpoream: ac proinde neque per hoc, quòd in se recipiant actionem corpoream, ad cuius receptionē fit ipsis necessaria quantitas. Quomodo autem fiat hic cruciatus, an scilicet per alligationem, vel per hoc, quòd ignis inferni operando circa alterum subiectum, habeat actionem præuiam ad actionem Dei principalis agentis, & in virtute Dei, vt agentis principalis, eliciat aliam actionem altiorem, & spiritualem circa ipsos Angelos, vel aliquo alio modo, commodiùs solet explicari infrà q. 64. art. 4.

Euersio tertij argum.

Ad primam confirmationem respondetur, Dæmones fugari rebus corporeis, vel tanquam instrumentis diuinæ virtutis, vel quatenus sunt contrariæ alijs rebus corporeis, quibus velut signis rerum spiritualium ipsos allici, ex D. Augustino docet Angelicus Doctor infrà q. 115. art. 5. ad 3. his verbis: *Ad tertium dicendum, quòd sicut Augustinus dicit 21. de ciuitate Dei, Dæmones alliciuntur per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum, non vt animalia cibis, sed vt spiritus signis, in quantum scilicet hæc eis exhibentur in signum diuini honoris, cuius ipsi sunt cupidi.* Per quod patet ad primam, & secundam probationem.

Ad 1. cōfir.

D. Aug. Angelicus Doct.

Fit satis. 1. & 2. instantiæ.

Ad tertiam de musica Dauidis dicendum est, vel quòd virtute diuina, & supernaturali hymnorum, quos concinebat Dauid, recedebat spiritus malus à Saul; vel quòd musica illa concurrebat indirectè ad hunc effectum, mutando dispositionem corporalem, ratione cuius Dæmon inhabitabat Saulem: erat enim in eo mediante causalitate humoris melancholici, quem in ipso excitabat. Musica ergo Dauidis, quæ mitigabat tristitiam Regis, expellebat Dæmonem, impediendo dispositionem, per cuius excitationem erat in eo. Et siue hoc, vel illo, vel alio quouis modo, in isto, & in alijs casibus Dæmones arceantur, nunquam tamen (vt nuper dicebamus) hoc fit, quia in se vel qualitatem aliquam, vel actionem, aut passionem corpoream recipiant, ratione cuius egeant extensione quantitatis. Per quod etiam patet ad secundam confirmationem.

Ad tertiam instantiam.

(?)

DVBIVM II.

Vtrùm Angelus sit compositus ex materia eiusdem rationis cum nostra, siue (vt sic dicamus) materiali, necnon & ex sua forma spirituali?

19 POSTQVAM explicatum est, quomodo Angelus sit incorporeus, idest, omni extensione quantitatiua carens, recto ordine sequitur dubium præsens: vt ita innotescat, quomodo etiam omnis compositionis materiæ eiusdem rationis cum nostra, siue (vt sic dicamus) materialis sit expers. Et licèt revera hoc ex illo sequatur: quia tamen Auicembron (vt refert D. Thomas in præsenti) ponebat Angelos quantitate carentes, vera tamen compositione formæ, & materiæ, eiusdem rationis cum nostra constantes, ideò præsens dubium præcedenti meritò annectimus. Consultò autem in titulo non de omni materia, sed de sola materia eiusdem rationis cum nostra, siue (vt sic dicamus) materiali, prout distinguitur à spirituali, inquirimus: quoniam an Angelus ex materia spirituali, & sua forma itidem spirituali physicè constet, dubio sequenti discutiemus.

Auicemb. D. Thom.

§. I. *Vera sententia, & primum eius fundamentum.*

Assertio. 20 DIcendum ergo est, Angelos non constare materia nostra, seu eiusdem rationis cum illa, neque vlla alia materia corporea, & (vt sic dicamus) materiali, & forma spirituali. Hæc conclusio colligitur ex Sacra Scriptura. Nam Psalmo 102. & Lucæ 21. Angeli appellantur *virtutes*. Quæ loca sic eleganter explicat, & ex eis hoc ipsum deducit D. Thomas opusculo 15. c. 18. his verbis: *Si quis autem diligenter velit verba Sacræ Scripturæ inspicere, ex eisdem accipere poterit, eos* (scilicet Angelos) *immateriales esse: nominat enim eos Sacra Scriptura quasdam virtutes. Dicitur enim in Psalmo 102. Benedicite Domino omnes Angeli eius. Et posteà subditur: Benedicite Domino omnes virtutes eius. Et Lucæ 21. dicitur: Virtutes cœlorum mouebuntur: quod de sanctis Angelis omnes Doctores exponunt. Quod autem materiale est, non est virtus, sed habet virtutem, sicut non est essentia, sed habens essentiam: sequitur enim essentiam virtus. Non est autem homo sua humanitas, neque sua essentia, neque sua virtus: similiter autem neque aliquid aliud ex materia, & forma compositum. Relinquitur igitur, secundùm intentionem Scripturæ Angelos immateriales esse.* In quo autē sensu verū sit id, quod D. Thomas ait, nēpe, quod id, quod est cōpositum ex materia, & forma, non sit sua quidditas, & essentia, benè autem id, quod tali compositione caret, alibi Deo dante explicabitur: interim tamen potest videri Bañez suprà q. 3. art. 3. dubitatione 2. vbi ex mente S. Doctoris id explicat.

Psal. 102. Lucæ 21. D. Thom.

Bañez.

Eandem conclusionem tenent ex Sanctis Patribus Dionysius c. 4. de Diuinis nominibus in principio & 10. de Cœlesti hierarchia, Damascenus 2. de Fide c. 3. & D. Thomas in præsenti art. 2. & de Spiritualibus creaturis art. 1. & in 2. dist. 8. q. 5. art. 1. & 2. & opusculo 15. c. 3. 5. 6. 7. 8. & 18. & alibi sæpè, & est communis Theologorum, atque adeò non est opus singulos referre.

Dionys. Damas. D. Thom.

Ratio prior 21 Prior, & fundamentalis ratio desumitur ex his, quæ ex D. Thoma in 1. tomo tractatu 3. disput. 1. à n. 19. vsq; ad 26. diximus, vbi ostendimus, immaterialitatem esse rationem (modo ibidem explicato) intellectualitatis, ita vt, quod intellectuale fuerit, debeat secundùm hanc rationem esse omninò expers, saltem materiæ, quæ sit eiusdem rationis cum nostra, aut cuiuslibet alterius materiæ (vt sic dicamus) materialis, prout materia ista distinguitur à materia purè spirituali. Ergo id, quod fuerit secundùm se totum intellectuale, quale est Angelus, vt ex dictis dubio præcedenti constat, debet secundùm se totum carere prædicta materia. Videantur illa, quæ loco citato adduximus, vbi plures obiectiones contra rationem militantes soluimus.

Confirm. 1. *D. Thom.* 22 Confirmatur primò ratione D. Thomæ art. 2. huius quæstionis in corpore, quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam intellectio est operatio penitùs immaterialis: ergo etiam subsistantia intellectualis, quæ est eius principium, caret omni materia. Consequentia patet. Quia operatio cuiuslibet rei est secundùm modum subsistantiæ eius, quod est talis operationis principium: ac proinde, si intellectio est operatio penitùs immaterialis subsistantiæ intellectualis, quæ est eius principium, debet talis subsistantia carere omni materia. Antecedens autem probatur. Quia obiectum intellectionis est penitùs immateriale, cùm sit abstractum ab omni individuatione, & per consequens ab omni materia

teria, quæ eſt principium indiuiduationis: ergo ipſa intellectio erit etiam penitùs immaterialis: quoniam intellectio, ſicut quilibet alius actus, recipit ſuam rationem, & ſpeciem ab obiecto.

Confirm. 2 *Angel. Doctor.*

23 Confirmatur ſecundò ex his, quæ Doctor Angelicus ibidem in ſolutione ad 2. docet, quæque loco nuper citato à n. 22. vſque ad 25. explicuimus. Nam forma intelligibilis recipitur in intellectu, & ſubſtãtia intellectuali ſecundùm ipſam rationem formæ: ergo quod ſecundùm ſe totum fuerit intellectuale, vt in Angelo contingit, erit ſecundũ ſe totum expers prædictæ materiæ. Antecedens probatur, & elucidatur. Nam forma non limitatur quoad ſuam vniuerſalitatem & amplitudinem, niſi per materiã, vt tom. 1. trac. 1. diſp. 1. à n. 20. vſq; ad 24. diximus. Et ita hoc ipſo, quòd forma recipiatur, & media hac receptione limitetur eius amplitudo, recipitur vt participans aliquid de materia, nempe limitationem: ac proinde admiſcetur ibidem ratio formæ, & ratio effectus materialis, & ideò forma illa non recipitur ſecundũ ipſam rationem formæ, ideſt, conſeruando ibi puram rationem formæ. Vnde, quia forma intelligibilis recipitur in intellectu ſecundùm totam ſuam amplitudinem & vniuerſalitatem, ita vt ſi repræſentauerit naturam in ſua amplitudine, non ideò limitetur & coarctetur, ſed poſt talem receptionem maneat ita ampla in *eſſe* repræſentatiuo, ſicut ſecundùm ſe ampla & vniuerſalis erat, fit inde, vt prædicta forma recipiatur in intellectu, & ſubſtantia intellectuali ſecundùm rationem formæ.

Conſequentia verò ex antecedenti conſtat. Quoniã, vt loco citato oſtendimus, proprium eſt materiæ limitare & coarctare amplitudinem & vniuerſalitatem formæ vniuerſalis: & ita hoc, ipſo, quòd albedo recipiatur in ſubiecto, & forma ſubſtantialis in materia, limitantur in illis, ita vt albedo recepta ſit hæc ſingularis albedo, & non illa, nec habeat omnem rationẽ albedinis: quod idem de forma ſubſtantiali cum proportione dicimus. Ergo quod ſecundùm ſe totum recipit formam intelligibilem in tota ſua vniuerſalitate, qualis eſt ſubſtantia Angeli, debet ſecundùm totam ſuam ſubſtantiam eſſe expers prædictæ materiæ.

D. Thom.

Quod totum eleganter explicuit, mireque complexus eſt D. Thomas de Spiritualibus creaturis art. 1. in corpore his verbis: *Talem igitur potentiam oportet in ſubſtantijs ſpiritualibus requirere, quæ ſit proportionata ad receptionem formæ intelligibilis. Huiuſmodi autem non eſt potentia materiæ primæ. Nam materia prima recipit formam contrahendo ipſam ad eſſe indiuiduale: forma verò intelligibilis eſt in intellectu abſque huiuſmodi contractione: ſic enim intelligit intellectus vnumquodque intelligibile, ſecundum quòd forma eius eſt in eo. Intelligit autem intellectus intelligibile præcipuè ſecundum naturam communem & vniuerſalẽ: & ſic forma intelligibilis in intellectu eſt ſecundùm rationem ſuæ communitatis. Non eſt ergo ſubſtantia intellectualis receptiua formæ ex ratione materiæ, ſed magis per oppoſitam quandam rationem. Vnde manifeſtum fit, quòd in ſubſtantijs ſpiritualibus illa prima materia, quæ de ſe omninò ſpecie caret, eius pars eſſe non poteſt.* Ac proinde ſi ſubſtantia intellectualis ſecundùm ſe totam fuerit receptiua formæ intelligibilis, ſicut eſt Angelus, ſecundùm ſe totam erit expers materiæ, quæ de ſe omni ſpecie careret.

Obiectio prima.

24 Nec refert, ſi contra primam confirmationem obijcias, pati plures defectus. Tum primò. Quia in ea probatur, obiectũ intellectionis eſſe omninò abſtractum à materia, ex eo quòd eſt abſtractum ab indiuiduatione, & quæcunque materia eſt indiuiduationis principium: at hæc probatio nõ videtur legitima: ergo, &c. Minor probatur. Quoniam materia non ſolùm eſt principiũ indiuiduationis, ſed etiam naturæ ſpecificæ, & materialis, vt eſt abſtracta à conditionibus indiuiduantibus: ergo ex eo, quòd obiectum intellectionis ſit abſtractum à materia, prout eſt principium indiuiduationis, ſiue à conditionibus indiuiduantibus, non ſequitur, eſſe omninò abſtractum à materia.

Tum ſecundò. Quia non videtur, D. Thomam rectè adducere hanc probationem abſtractionis obiecti à materia, vt eſt principiũ indiuiduationis, ad probandum, intellectionem Angelicam, ac proinde eius ſubſtantiã eſſe penitùs immaterialem: ſiquidem Angelicæ intellectionis obiectũ directum eſt etiam ſingulare materiale: ex eo quòd Angelus directè cognoſcit iſta ſingularia. Vnde ad probandam ſpiritualitatem Angeli potiùs erat recurrendum ad hoc, quòd Angelus poteſt cognoſcere ſingularia ſpiritualia, quàm ad id, ad quod in hac probatione recurrit.

Tum denique (id, quod ex præcedenti ſequitur.) Nam ſi ex eo, quòd obiectum intellectionis eſt omnino immateriale, prout hæc immaterialitas dicit abſtractionẽ à conditionibus indiuiduantibus, colligitur, intellectionem, & ſubſtantiã Angelicã eſſe immaterialẽ, tunc fieret inde, vt eadẽ ratione colligeretur, talẽ intellectionẽ, & ſubſtantiam Angelicam eſſe materialem, ex eo quòd eius obiectum eſt etiam ſingulare materiale.

Soluitur.

25 Non itaque hoc refert: negandum eſt enim antecedens. Et ad primam probationẽ reſpondetur, quòd D. Thomas in hac probatione nomine obiecti omninò abſtracti à materia nõ vult excludere materiã cõmunẽ, ſed ſolùm

solùm illam, quæ impedit, quominùs obiectum sit simpliciter in gradu immaterialitatis: ac proinde solùm vult, quòd penitus careat materia impediẽte prædictum gradum, vt ita distinguatur ab illis obiectis, quæ solùm comparatiuè sunt in tali gradu, vt obiecta sensuum comparatiuè ad obiecta potentiarum vegetatiuarum: quatenus etsi talia obiecta cum singularitate percipiantur; attinguntur tamen per species intentionales, quæ aliquo modo, & secundùm quid eleuantur supra materiam: sicut & ipsi sensus solùm comparatiuè dicuntur immateriales, quatenus non sunt ita immersi in materia, sicut virtutes rerum inanimatarum, aut animæ vegetatiuæ. Vnde ad probandum hunc immaterialitatis gradum absolutè, & simpliciter eleuatum supra materiã, vsus est S. Doctor optimo medio, nempe, prædictum obiectum abstrahere à materia singulari, quæ est principium indiuiduationis. Quoniam obiectum sic abstractum cõstituit prædictum gradum, qui simpliciter & absolutè sit per modum obiecti eleuatus supra materiam. Et ideò, quamuis solùm careat prædicta materia; nihilominùs petit potentiam cognoscitiuam, nempe intellectum, quæ sit in sua intrinseca entitate purè spiritualis, & simpliciter eleuata supra alias potentias cognoscitiuas materiales, vt nu. 12. dicebamus, & statim magis explicabimus. Quare hoc ipso, quòd substantia Angeli secundùm se totam sit intellectualis, ac proinde possit attingere prædictum obiectum sic eleuatum, consequens est, vt optimè hinc intulerit D. Thomas, debere secundùm se totam esse spiritualem, & expertem materiæ (vt sic dicamus) materialis.

Ad secundam probationem.

Ad secundam probationem respondetur, quòd licèt potentia directè attingens singulare materiale tantùm, non debeat esse omninò spiritualis in sua entitate, vt in sensibꝰ patet: quando tamen attingit taliter singulare materiale, quòd simul possit se extendere ad percipiendas rationes vniuersales materiales abstractas à singularibus, optimè infertur, talem potẽtiam debere esse spiritualem: defectu enim huius spiritualitatis sensus externi, & interni, directè attingentes singularia materialia, non possunt se extendere ad percipiendas rationes vniuersales materiales abstractas à singularibus. Et quia intellectus Angelicus, etsi directè attingat singulare materiale, potest tamen se extendere ad rationes materiales vniuersales vt sic abstractas percipiendas, rectè deducitur, debere esse omninò immaterialem: ac proinde eius substantiam, quæ secundùm se totã recipit talem potentiam, debere etiam secundùm se totam esse omninò immaterialem. Et quamuis hanc immaterialitatẽ Angeli posset D. Thomas probare ex eo, quòd obiectũ cognitionis Angelicæ est etiam obiectum spirituale: in hac tamen ratione præcisè id voluit deducere ex principio communi intellectionis, prout abstrahit ab humana, & Angelica, quæ vt sic non respicit vniuersale spirituale, benè tamen vniuersale materiale: ex quo quidem principio rectè intulit Angelicus Doctor puram spiritualitatem Angeli. Nam si intellectio vt sic debet esse omninò immaterialis, propter immaterialitatem obiecti, substantia etiam, à qua talis intellectio procedit, erit omninò immaterialis: ita vt si tantùm secundùm vnam partem intellectionem efficiat, & recipiat, tunc secundùm illã partem omni materia careat, vt contingit in homine secundùm animam rationalem. Si verò substantia secundùm se totam intellectionem eliciat, & recipiat, tunc secundùm se totam omninò sit spiritualis: & hoc est, quod in Angelo reperitur. Per quod patet ad secundã partẽ huius secũdæ impugnationis.

Ad tertiã.

Ad tertiam probationem respondetur, negando sequelam. Ratio autem, quare in Angelo non sequatur, dandam esse materialitatem aliquam ex eo, quòd attingat singulare materiale, est, quia ita attingit illud, vt possit etiam rationes communes abstractas à conditionibus indiuiduantibus, cùm sibi libuerit, percipere. Potentia autem cognoscitiua, quæ taliter attingit singularia, vt cùm libuerit, possit cognoscere rationes communes abstractas à conditionibus indiuiduantibus, est potentia purè spiritualis: sicut è contrà, quia sensus ita sunt addicti ad cognoscẽda singularia, vt nequeant attingere res vniuersales abstractas à singularibus, idcircò sunt potentiæ corporeæ, & materiales. Quæ solutio tacta est à nostris Complutensibus in lib. de Anima disp. 9. n. 29. *Complut.*

Occurritur obiectioni Durandi, & aliorum. *Durand.* *Valent.*

26. Ex his fit primò, nullius esse roboris obiectionem, quæ ex Durando in 2. dist. 3. quæst. 1. & Valentia in præsenti contra primam, & secundam confirmationem ex D. Thoma allatas potest fieri, nempe, quòd in homine datur intellectio, & similiter forma intelligibilis recipitur in intellectu humano secundùm rationem formæ: & nihilominùs homo est compositus ex materia, & forma: ergo ex eo præcisè, quòd in Angelo sit intellectio, & forma intelligibilis recipiatur secundùm rationem formæ, non colligitur, Angelum non esse compositum ex materia, & forma.

Ex dictis enim iam patet disparitatis ratio. Quia intellectio, forma intelligibilis, & intellectus non recipiuntur in homine, nisi secundùm vnam partem; in Angelo verò secundùm se totum. Imò hinc etiam immaterialitas Angeli efficaciter conuincitur. Si enim vbi intellectio, & forma intelligibilis recipitur solùm secũdùm vnã par-

partem, ibi ſecundùm illam debet dari omnimò immaterialitas, vt in homine ſecundùm animam rationalem cernitur, conſequens eſt, vt vbi intellectio, forma intelligibilis, & intellectus ſecundùm totam ſubſtantiam recipiuntur, vt contingit in Angelo, ibi ſecundùm totam ſubſtantiam concedenda ſit ſpiritualitas, ſeu immaterialitas.

Obiectio ſecunda.

27 Fit ſecundò, nihil referre, ſi contra eandem ſecundam confirmationem objicias ſecundò, formam intelligibilem limitari in *eſſe* entitatiuo per hoc, quòd recipiatur in intellectu: ergo ſicut propter iſtam limitationem non conceditur illi compoſitio ex materia, ita è contrà propter hoc quòd non limitetur in *eſſe* repræſentatiuo, etiam non erit concedenda omnimoda carentia compoſitionis ex materia. Antecedens ex ſe, & ex dictis in 1. tomo tractatu 3. diſput. 2. n. 22. conſtat. Conſequentia verò probatur. Si enim carentia limitationis eſſet cauſa carentiæ compoſitionis ex materia, etiam limitatio eſſet cauſa compoſitionis ex illa.

Solutio.

Hoc igitur nihil obſtat. Ad limitationem enim in *eſſe* entitatiuo ſufficit recipi aliquid in alio tanquam in ſubiecto, ad quod non eſt neceſſaria materia prima: ad limitationem verò in *eſſe* repræſentatiuo requiritur materia prima: hæc enim ſola limitat in hoc genere, vt tomo 1. tractatu 3. diſput. 1. à n. 22. & deinceps oſtendimus. Et ſic, vbi limitatio in *eſſe* repræſentatiuo non datur, ibi immaterialitas iam dicta in eo, quod ſuſcipit, & non limitat prædictã formã intelligibilẽ, inuenitur.

Replica.

Quòd ſi vrgeas. Species intentionalis coloris recipitur in duplici oculo eadem numero in *eſſe* repræſentatiuo, atque adeò in hoc *eſſe* non limitatur, vt tractatu citato diſput. 2. n. 72. diximus: & nihilominùs oculus non eſt ſimpliciter immaterialis: ergo id, quod non limitat in *eſſe* repræſentatiuo, non ſequitur, eſſe ſimpliciter immateriale.

Reſponſio.

Reſpondetur, quòd viſus, propter aliquam immaterialitatem, quam habet, non limitat in *eſſe* repræſentatiuo ſecũdùm quid ſpeciem coloris, vt obiectio probat; limitat tamen ſimpliciter, quatenus non poteſt talis ſpecies repræſentare colorem ſine indiuiduatione. Quando autem dicimus, ex receptione formæ intentionalis ſine limitatione in *eſſe* repræſentatiuo inferri immaterialitatẽ, quam intendimus, debet intelligi de receptione ſine limitatione ſimpliciter, quatenus repreſentat rationem communem ſine ſingularibus.

Vrgebis.

Quòd ſi iterùm vrgeas, ſpeciem Angelicam non repræſentare naturam v. g. humanam ſine ſingularibus, atque adeò non recipi ſine hac limitatione ſimpliciter.

Occurrit.

Reſpondetur, quòd per ſpeciem Angelicam repræſentatur ſimul natura humana cum omnibus ſuis ſingularibus, in quo maior amplitudo, & illimitatio reſplendet: & *ille* modus repræſentationis eſt talis conditionis, vt poſſit prædicta ſpecies deſeruire Angelo ad cognoſcẽdam naturam communem ſine ſingularibus, ac proinde ad formandam ſpeciem expreſſam illius naturæ abſtractæ à ſingularitate. Vnde ſicut ſufficeret ad immaterialitatem repræſentatio naturæ ſolius, ſine ſingularibus: ita maiori ratione ſufficiet repræſentatio naturæ, modo dicto, cum omnibus ſuis indiuiduis: quod tamen è contrà in ſenſu accidit.

§. II. *Alterum fundamentum veræ ſententiæ.*

Secunda & fundamentalis ratio ex eodem deſumpta. *D. Thom.*

28 SEcunda, & fundamentalis ratio deſumitur ex D. Thoma in præſenti art. 2. in corpore, quæ poteſt ad hanc formam reduci. Nam Angelus non eſt compoſitus ex materia (vt ſic dicamus) materiali, quæ ſit eiuſdem rationis cum noſtra, neque ex materia etiã materiali, quæ ſit diuerſæ rationis ab illa: ergo ex nulla materia (vt ſic dicamus) materiali eſt compoſitus. Conſequentia patet. Et antecedens quoad vtramque partem probatur.

Quad primam quidem. Quia cùm Angelus ſit inextenſus per quantitatem, vt ſuprà oſtenſum eſt, non poterit diuidere ſibi partem materiæ in qua forma recipiatur: materia enim ſecluſa quantitate in partes diuidi non poteſt: ergo ſi recipitur in materia eiuſdem rationis cum noſtra, recipietur vtique in eadem parte materiæ, in qua recipitur forma corporalis noſtra: hoc autem ſtare non poteſt, tum quia aliàs idẽ indiuiduum, vtpotè habens eandem materiam, eſſet ſimul corporale, quatenus in eo eſſet forma corporalis, & ſpirituale, quatenus haberet formam ſpiritualem: tum, quia iam daretur, quòd duæ formæ ſubſtantiales informarent eandem materiam, quod implicat, vt N. Complut. in lib. Phyſicorum diſput. 4. num. 61. & deinceps oſtendunt. *N. Compl.*

Quoad ſecundam verò partem probatur idem antecedens. Quoniam ad hoc, vt materia diuerſæ rationis à noſtra eſſet materialis, deberet reperiri in ea capacitas ad recipiendas alias formas præter Angelicam, quæ eſſent materiales: quia materia, in qua non reperitur capacitas ad recipiendas formas materiales, ſed ſolùm ſpirituales, qualis eſt Angelica, nequit eſſe materia (vt ſic dicam) materialis, prout diſtinguitur ab ſpirituali. At eo ipſo, quòd poſſet recipere alias formas materiales, ſit idem argumentũ, ac ſi eſſet eiuſdem rationis illa materia cum materia noſtra. Nam eo ipſo, nec poſſet recipere illas, & formam ſpiritualem in diuerſis partibus eiuſdem materiæ: ſiquidem materia, quæ recipit formam Angelicam, ponitur incapax quantitatis, per quam (modo tamen à

Nostris Complut. in lib. de generat. disput. 5 n. 32. latiùs ostenso, & explicato) materia nostra habet diuidi in partes, seu fieri aliam, & aliam materiam numericè distinctam: nec valeret talis materia prædictas formas, & formam Angelicam recipere in eadem parte materiæ, propter illa, quæ in præcedenti probatione primæ partis eiusdem antecedentis dicebamus. Ergò sicut Angelus nequit esse compositus ex materia eiusdem rationis cum nostra, ita neq; ex materia diuersæ rationis, quæ (vt sic dicamus) sit materialis.

Confirmatur ex D. Thoma.

29 Corfirmatur ratione, quam innuit D. Thomas opusculo 15. c. 7. Quia prædicta materia, vt sic dicamus, materialis, siue eiusdem, siue diuersę rationis cum nostra, vel postulat ex natura sua quantitatem, vt sit in rerum natura, vel solùm habet indifferentiam, vt iuxta exigentiam formæ, vel habeat quantitatem, vel careat ea? Si primum dicatur: ergo naturaliter non potest informari forma Angelica, cùm hæc sit incapax quantitatis: & consequenter Angelus non poterit ex tali materia componi. Secundum autem dici non potest: quia quælibet entitas, vt existat in rerum natura, postulat determinatè vnum ex duobus modis essendi, vel diuisibilem prouenientem à quantitate, vel indiuisibilem prouenientem ab indiuisibilitate positiua quantitati opposita. Nam cùm hi duo modi essendi sint ita incompossibiles, inæquales, & extremè oppositi, non potest eadem entitas postulare ex natura sua vtrumque, neque simul, propter incompossibilitatem, & oppositionem; neque successiuè, propter inæqualitatem perfectionis. Ergo non potest materia habere indifferentiam ad alterum ex his duobus modis essendi: & consequenter neque ad hoc, vt habeat quantitatem, vel careat ea iuxta exigentiam formæ.

Euasio prima.

30 Occurres primò rationi factæ. Quia materia illa communis Angelo, & rebus corporeis, sic diuisa est, quòd per receptionem quantitatis facta est vna pars materiæ rerum corporalium: reliquum verò materiæ, hoc ipso quòd remansit sine quantitate, est distinctum ab eo, quod mansit sub prædicta quantitate, & sic est materia rei spiritualis, nempe Angeli: ac proinde cessat inconueniens in hac ratione adductum.

Euersio euasionis primæ. *Caietan.*

Sed hanc euasionem optimè præcludit Caietanus in præsenti art. 2. Tum, quia hæc responsio non potest dari ab illo, qui teneat, dari ad minùs duos Angelos. Nam in illis materia communis non est quomodo in partes diuidatur, siquidem caret quantitate, tam actu, quàm potentia. Tum etiam, quia per eam non subterfugitur, quin materia Angeli sit diuisibilis quantitatiuè, quamuis non sit actu diuisa. Nam cùm sit vna secundùm se & ante receptionem quantitatis, non est maior ratio, quare secundùm hanc portionem potiùs, quàm secundùm illam, queat esse affecta quantitate. Ponere autem substantiam Angeli diuisibilem quantitatiuè, non minus inconueniens est, quàm ponere eam actu diuisam: siquidem potentia, & actus illi correspondens ad eundem ordinem rerum spectant.

Nec potest dici, non esse inconueniens, quòd materia Angeli sit diuisibilis quantitatiuè secundùm se, & (vt sic dicamus) in sensu diuisò, licèt in sensu composito, idest, vt informata forma Angeli, nequeat per quantitatem diuidi. Nam contra hoc est, quòd materia, quæ secundùm se est capax quantitatis, est prima radix illius, vt docent N. Complutenses in sua Logica disput. 9. n. 15. & 16. & constat ex illis, quæ in 1. tomo tractatu 1. disput. 1. dubio 3. 4. & 5. diximus: ergo nequit materia, adhuc vt informata forma Angeli, esse incapax quantitatis, si semel secundùm se erat capax illius: quia forma connaturalis materiæ non tollit ab ea, quòd sit radix eorum, quæ ab ipsa connaturaliter, vt à primo principio *quo* dimanant: ex eo quòd prædicta forma perficit materiam, & ideò non tollit illa, quæ sunt propria eiusdem materiæ. Sicut è contrà hoc ipso, quòd forma sit radix alicuius accidentis secundùm se sumpta, non tolliturab ea, quòd actu fluat ab illa prædictũ accidens, per hoc quòd recipiatur in materia connaturali; quin potiùs hoc ipso, quòd in ea susciptatur, habet ibidem, quòd ab illa accidentia ei connaturalia fluant. *Complut.*

Secunda euasio.

31 Occurres secundò eidem rationi, quòd non est necessaria quantitas ad hoc, vt partes materiæ distinguantur. Siquidem distinctio vnius partis materiæ ab alia, vtpotè substantialis non prouenit à quantitate, sed ab ordine ad formam distinctam substantialem, sicut ab eodem ordine prouenit, quòd vna natura totalis, & materialis sit substantialiter diuersa ab alia natura totali; non verò hoc ab ipsa quantitate ortum ducit.

Impugnatio eius. *Complut.*

Hæc autem euasio satis impugnata manet ex ijs, quæ tradunt N. Complut. in lib. de Generat. disput. 5. num. 21. & deinceps, vbi latè ostendunt, actualem distinctionem partium materiæ esse effectum formalem quantitatis, & in ipsa materia intra propriam lineam substantiæ nunquam talem distinctionem actualem substantialem per modum partis à parte reperiri: indeque optimè disput. citata à n. 39. vsque ad 41. & n. 94. & 95. deducunt, substantiam materialem non distingui numero ab altera substantia materiali, nisi vt materia præhabet radicaliter hanc potiùs quantitatem, quàm illam: quod etiam constat ex illis, quæ in 1. tomo tractatu 1. disput. 1. num. 98. & 99. diximus,

vbi

vbi oſtendimus, quomodo materiam eſſe diſtinctam ab alia parte materiæ per modũ partis, & partis entitatiuæ, & integralis proueniat à quantitate, vt à forma inhærente; ipſam verò materiam diſtingui ab alia materia totali per modum partis, & partis ſubiectiuę, ideſt, per modum duplicis indiuidui ſubſtantialis, non proueniat à quantitate, vt forma inhærente, & habita; ſed vt radicaliter præhabita in ipſa materia, idque latiùs à n. 116. vſque ad 133. explicuimus: & peculiariter ab hoc n. vſque ad n. 143. radicitùs expoſuimus, quomodo materia, vt radicaliter præhabens quantitatem, & ipſa quantitas, vt habet eſſe ſic præhabitam in materia, dicat aliquid ſubſtantiale: ac proinde quomodo ſubſtantialis, & numerica diſtinctio indiuiduorum materialium, & ipſarum materiarum proueniat ab aliquo ſubſtantiali: & per conſequens hinc conſtat, qua ratione materia, quæ eſt incapax præhabendi quantitatem, ſit etiam incapax diſtinctionis numericæ, & diuiſionis in partes ſubiectiuas.

Euaſio vltima confirmationis.

32 Occurres deinde confirmationi, quòd licèt materia actuata per formam petat determinatum modum eſſendi, ipſa verò ſine tali actualitate, cùm ſit entitas imperfecta, & potentialis ad diuerſas formas, ſiue ſpirituales, ſiue materiales, nullum ex his duobus modis eſſendi poſtulat determinatè, ſed ab vtroque abſtrahit, vt ita poſsit eſſe ſubiectum tam formæ materialis, quàm ſpiritualis.

Præcluditur

Complut.

Verùm hæc etiam euaſio facilè corruit. Primò quia materia prima, quantumcunque potentialis ſit, & imperfecta, ſubeſt (modo à Noſtris Complutenſibus in lib. Phyſic. diſput. 3. explicato) exiſtentiæ per ſuam entitatem in particulari ſumptam: ergo per eam poſtulat aliquem modum eſſendi in particulari ex illis, qui in hac confirmatione recenſiti ſunt, ſiue iſte tribuatur ei immediatè, ſiue mediante forma. Patet cõſequentia. Quia cũ iſti duo modi eſſendi diuidant omnẽ modũ eſſendi cõuenientẽ cuiuis rei creatæ, vel increatæ nequit vlla res in particulari, quantumuis ſit potentialis, habere vnum, vel alterum indifferenter, ſed determinatè petit vnum ex illis: ſicut quia *eſſe* per ſe, & *eſſe* in alio diuidunt omne ens, ſiue creatum, ſiue increatum, ideò cò nullum ens in particulari, quantumuis potentiale, eſt dabile, quod non dicat determinatè, vel modum eſſendi per ſe, vel modum eſſendi in alio, ſeu rationem ſubſtantiæ, vel accidentis.

Secundò. Quia ſaltem debet ex natura ſua materia prima poſtulare formam, qua media competat ipſi aliquis modus eſſendi ex illis duobus: & ſic conficitur idem argumentum. Nam formæ, quibus mediis reſultant illi duo modi eſſendi, quorum vnus ſit indiuiſibilis, & alius diuiſibilis, non minùs erunt inter ſe incompoſibiles, & inæquales in perfectione, quàm ipſi modi: & ita materia prima non poterit ex natura ſua poſtulare vtramque ſimul, propter incompoſibilitatem; neque ſucceſſiuè, propter inæqualitatem, & diſtantiam in perfectione: ergo poſtulabit ex natura ſua vnam formam ex illis determinatè: & conſequenter modum eſſendi, qui ab illa reſultat.

Confirm. & explicatur.

Confirmatur, & explicatur ſimul totum hoc. Nam per duos modos eſſendi, diuiſibilem ſcilicet, & indiuiſibilem, intelligimus vnum modũ eſſendi, qui ſit incapax quantitatis, & alium, qui ſit capax illius: ſed inter iſtos duos modos cernimus talem diſtantiam, & inæqualitatem, quòd forma communicans materiæ vnum ex illis, nimirum, quòd ſit capax quantitatis, nequit alterum communicare, quamuis talis forma in ſe habeat modum eſſendi indiuiſibilem, vt patet in anima noſtra rationali: & inſuper forma, quæ habet prædictum modum eſſendi indiuiſibilem, nunquam poteſt habere modum oppoſitum, neque ſimul, neque ſucceſſiuè, vt patet in eadem anima, quæ in ſe neque ſimul, neque ſucceſſiuè eſt capax habendi quantitatem: ergo ſignum eſt, iſtos duos modos eſſendi adeò eſſe incompoſibiles, & inæquales, quòd materia, aut quælibet alia res, quæ exiſtit in rerum natura non poſsit manere cum indifferentia ad vtrumque, vel ſimul, vel ſucceſſiuè habendum, ſed quòd eo ipſo, quòd ex natura ſua poteſt recipere vnum ex illis, eſt incapax recipiendi alterum: ac per conſequens poſtulat ex natura ſua, ſiue immediatè, ſiue mediatè vnum tantum determinatè.

§. III. *Auicembron ſententia, argumenta pro ea, vnà cum ſolutione eorum.*

Contraria ſententia. *Auicembron.*

33 Oppoſitam tamen ſententiam tenuit Auicembron lib. fontis vitæ, dicẽs, Angelos eſſe inextenſos quantitatiuè, conſtare tamen ex forma ſubſtantiali, & ex materia prima eiuſdem rationis cum noſtra: quam quidem materiam (vt innuit D. Thomas in art. 2. huius quæſtionis, & clariùs explicat opuſculo 15. c. 5.) credit hic Author eſſe genus reſpectu noſtræ, & Angelorum.

D. Thom.

Primũ fundamentum & PP. *D. Aug. Damaſ. Origenes Boetius.*

Probatur primò teſtimonijs Patrũ. Quia D. Auguſtinus lib. 12. Confeſsionum c. 21. aſſerit: *Deus fecit materiam communem viſibilium, & inuiſibilium.* Inuiſibilia autem ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, ſcilicet Angeli: & ita Angeli habent materiam. Et Damaſcenus lib. 2. de Fide c. 3. inquit: *Solus Deus immaterialis eſt.* Idemque habet Origenes lib. 2. Periarch. c. 2. Et deinde Boetius in 1. de Trinitate ait, quòd *forma ſimplex ſubiectum eſſe nõ poteſt.* Quare cùm Angelus ſit ſubiectum ſciẽtiæ, virtutum, & gratiæ, non erit forma ſimplex, ſed compoſitus ex materia, & forma.

Respõdetur. Respondetur ad testimonium D. Augustini, quòd nomine *materiæ visibilium, & invisibilium* non intellexit materiam primam, sed informitatẽ quandam proportionaliter conuenientem materiæ corporeæ, & substantiæ spirituali; illi quidem, quatenus caret omni specie; huic verò, quatenus fuit priùs creata, quàm conuerteretur (conuersione statim dicenda) in Deum. Ita explicat Augustinum D. Thom. D. Thomas de Spiritualibus creaturis art. 1. ad 4. his verbis: *Ad quartum dicendum, quòd non est intentio Augustini dicere, quòd eadem numero sit materia visibilium, & invisibilium: cùm ipse dicat, duplicem informitatem intelligi per cœlum, & terram, quæ dicuntur primò creata, vt per cœlum intelligatur substantia spiritualis, adhuc informis, per terram autem materia rerum corporalium, quæ in se considerata informis est, quasi omni specie carens. Vnde etiam dicitur inanis, & vacua, vel invisibilis, & incomposita secundùm aliam litteram: cœlum autem non describitur inane, & vacuum. Per quod manifestè apparet, quòd materia, quæ caret omni specie, non est pars substantiæ Angelicæ; sed informitas substantiæ spiritualis est, secundùm quòd nondum est conuersa ad verbum, à quo illuminatur: quod pertinet ad potentiam intelligibilem. Sic ergo materiam communem visibilium, & invisibilium notat vtrumque, prout est informe suo modo.*

Idem Angel. Doct. Ad testimonium D. Damasceni respondet idem Angelicus Doctor loco nuper citato in solutione ad 14. his verbis: *Ad 14. dicẽdum, quòd solus Deus dicitur immaterialis, & incorporeus: quia omnia eius simplicitati comparata possunt reputari quasi corpora materialia, licèt in se sint incorporea, & immaterialia.* Et eodem modo exponendus est Origenes loco in argumento adducto.

Locum denique Boetij interpretatur idem D. Thomas ibidem in solutione ad primum his verbis: *Ad primum ergo dicendum, quòd ratio formæ opponitur rationi subiecti. Nam omnis forma, in quantum huiusmodi, est actus. Omne autem subiectum comparatur ad id, cuius est subiectum, vt potentia ad actum. Si qua ergo forma est, quæ sit actus tantùm, vt diuina essentia, illa nullo modo potest esse subiectum: & de hac Boetius loquitur. Si autem aliqua forma sit, quæ secundùm aliquid sit in actu, & secundùm aliquid in potentia, secundùm hoc tantùm erit subiectum. Secũdùm quòd est in potentia. Substantiæ autem spirituales, licet sint formæ subsistentes, sunt tamen in potentia, in quantum habent esse finitum, & limitatum. Et quia intellectus est cognoscitiuus omnium secundùm sui rationem, & voluntas est amatiua vniuersalis boni, remanet semper in intellectu, & voluntate substantiæ creatæ potentia ad aliquid, quod est extra se. Vnde si quis rectè consideret, substantiæ spirituales non inueniuntur esse subiecta, nisi accidentium, quæ pertinent ad intellectum, & voluntatem.*

34 Secundò probatur ratione eadem sententia. Nam ens substantiale diuiditur in duo extrema suæ lineæ, in actum purum, nẽpe Deum, & potentiam puram, quæ est nostra materia prima: itavt hæc linea quasi inciat à Deo, & finiatur in prædicta materia: ergo omnia alia entia substantialia, & completa, qualia sunt Angeli, includent tanquam partem sui materiam primam: & per consequens erunt composita ex materia, & sua forma substantiali. Hæc secunda consequentia patet ex prima. Prima autem videtur colligi ex antecedẽti. Nã cùm prædicta entia substantialia, & completa sint medium quoddã inter duo extrema iam dicta, debent participare de vtroque extremo iuxta naturam cuiuslibet. Et ideò, sicut participant aliquid actualitatis ab actu puro, nempe Deo, tanquam à causa efficiente, & propterea Deus est causa extrinseca illorum, & non inclusa per modum partis intrinsecæ in illis: ita debent participare de altero extremo, nempe materia prima, tanquam à causa materiali, quæ est causa intrinseca, ac proinde tanquam ab aliquo intrinseco, & per modum partis, respectu eorum se habente. Antecedens autẽ ex se constat: siquidem linea entis substantialis nequit ascendere vltra actum purum, neque descendere infra puram potentiam, quæ est nostra materia prima. Et ita hæc duo erũt veluti duæ extremitates eiusdem lineæ. Secundum ex ratione petitum.

Confirmatio prima. Confirmatur primò. Nam Angeli habent potentialitatem: ergo materiam primam: & per consequens erunt compositi ex prædicta materia, & forma substantiali. Antecedens patet. Nam Angeli possunt recipere plura accidentia, quibus multoties carent. Prima verò consequentia ex antecedenti, & ex nuper dictis videtur constare. Quoniam primũ in vnoquoque genere est causa cęterorum illius generis: ergo sicut quia Deus est primus in ratione actus, debet ab eo omnis actualitas prouenire: ita quia nostra materia prima est prima in ratione potentiæ (& ideò est omninò pura potentia, sicut Deus est omninò purus actus, quia est actus omninò primus) oportebit, vt ab ea omnis potentialitas proueniat. Cumque materia, quippe causa materialis intrinseca, non causet, nisi dando seipsam, necesse erit, vt id, quod habet prædictam potentialitatem, includat etiam materiam.

Confirmatur secundò. Quia Angeli sunt simul in actu, & potentia respectu suarum operationum: ergo habent diuersas partes, secundùm quarum vnam sint in actu, & secundùm alteram in potentia: ergo habent materiam. Hæc secunda consequentia patet ex Secunda.

prima

prima: ſiquidem ſubſtantia, quæ habet diuerſas partes, non poteſt non habere materiam. Prima verò conſequentia ex antecedenti ſequitur: quia idem ſecundùm idem non poteſt eſſe ſimul in actu, & in potentia. Antecedens autem probatur. Nam Angeli efficiunt ſimul, & recipiunt ſuas operationes: efficere autem non conuenit rebus, niſi ſecundùm quòd ſunt in actu, ſicut nec recipere, niſi ſecũdùm quòd ſunt in potentia, vt ex ſe patet: ergo &c.

Reſpondetur ad fundam. & primam confirm.

35 Reſpondetur, admiſſo antecedenti, negando primam conſequentiam. Et ad probationem illius dicendum eſt, quòd quando medium eſt ſuperioris rationis, & gradus, & duo extrema ita ſe habẽt, vt vnum perfectiſſimum, & alterum imperfectiſsimum ſit, tũc medium non participat de extremo omninò imperfecto, ſed de perfectiſsimo, cum elõgatione tamen ab illo: nam quæ ſunt ſuperioris rationis, & gradus, non oriuntur ab imperfectis. Et quia Angelus eſt medium inter Deum perfectiſsimum, & materiam imperfectiſsimam, & eſt ſuperioris rationis, & gradus, ſi conferatur cum materia, propterea debet participare de Deo, cum elongatione, non verò de materia. Quam ſolutionem tradit D. Thomas de Spiritualibus creaturis art. citato in ſolutione ad 25. his verbis: *Ad 25. dicendum, quòd quantò aliquid eſt plus in actu, tantò perfectius eſt: quanto autem aliquid eſt plus in potentia, tanto eſt imperfectius. Imperfecta autem à perfectis ſumunt originem, & non è conuerſo. Vnde nõ oportet, quòd omne, quod quocunq; modo eſt in potentia, hoc habeat à pura potentia, quæ eſt materia. Et in hoc videtur fuiſſe deceptus Auicembron in lib. fontis vitæ, dum credidit, quòd omne illud, quod eſt in potentia, vel ſubiectum, quodammodò hoc habeat ex prima materia.* Per quod etiam patet ad primam confirmationem.

D. Thom.

Ad ſecũdã.

Ad ſecundam confirmationem conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia, ſi nomine diuerſarum partium partes Phyſicę intelligantur; concedenda verò, ſi nomine partium diuerſarum ſolùm intendatur, debere dari realem diſtinctionem inter eſſe in actu, & in potentia inter agens, & paſſum. Et ſic, quia operationes Angeli tantùm ſunt intellectio, & volitio, reſpectu intellectionis Angelus eſt in actu per ſuum intellectum informatum ſpecie intelligibili, eſt verò in potentia per eundem intellectum nudum: reſpectu autem volitionis eſt in actu per voluntatem connotantem verbum mentis, tanquam cauſam formalem extrinſecam, in potentia verò per voluntatem ſolam. Imò reſpectu poſteriorum operationum ſunt in actu tàm voluntas, quàm intellectus per primam operationem, in potentia verò abſque illa. Ex quo (vt intuenti conſtabit) nihil contra nos. Videantur tamen N. Complut. in lib. Phyſicorum diſput. 18. à num. 4. & deinceps, vbi hoc latè tractant, & expendunt.

N. Compl.

Tertiũ fundament.

36. Tertio probatur eadem oppoſita ſententia Auicembron ratione, quam pro ea facit D. Thomas opuſculo 15. cap. 8. Quoniam omnis ſubſtantia creata, oportet, quòd diſtinguatur à creatore: ſed creator eſt vnum tantùm: oportet igitur, quod omnis ſubſtantia creata non ſit vnum tantùm, ſed compoſita ex duabus: quorum neceſſe eſt, vt vnum ſit forma, & aliud materia: quia ex duabus materijs non poteſt aliquid fieri, neque ex duabus formis.

Solutio Angelici Doctoris.

Huic argumento reſpondet Angelicus Doctor ibidem in ſolutione ad 4. rationem his verbis: *Quarta verò ratio efficaciã non habet. Non enim oportet, vt ſi ſubſtantiæ ſpirituales materia careant, quod ideo non diſtinguantur* (intelligo à Deo) *ſublata enim potẽtialitate materiæ, remanet in eis potẽtia quædã, in quantũ nõ ſunt ipſum eſſe: nihil autẽ per ſe ſubſiſtens, quod ſit ipſum eſſe, poterit eſſe, niſi vnum ſolum.* Vbi (vt vides) licèt Angelus non ſit compoſitus ex materia, & forma, poteſt tamen eſſe compoſitus ex alia potentialitate, & alio actu, nimirum, ex eſſentia, & exiſtentia: & ita ibi non erit vna tantùm realitas, & entitas, aut vnum tantùm ſimplex ens, ſed multiplex realitas, ſiue entitas actu, & ſecluſo intellectu diſtincta, hoc ipſo quòd ibidem reperiatur realis compoſitio. At proprium eſt ſolius Dei, ſeu eius, qui eſt ipſum *eſſe*, caretque compoſitione ex *eſſe*, & eſſentia, quòd ſit vnum ſolùm, ideſt, vnicum ſimplex ens, in quo nulla realitas, ſiue entitas diſtincta actu & ſecluſo intellectu ab eius eſſentia eſt aſsignabilis.

DVBIVM III.

Vtrùm Angelus ſit phyſicè compoſitus ex materia prima purè ſpirituali, & ſua forma?

EX Se, & ex dictis ſuprà num. 19. conſtat, quo ordine dubiũ iſtud poſt præcedẽs ſequatur. In titulo autem nomine *materiæ primæ ſpiritualis* nihil aliud intelligimus, quàm entitatem phyſicam partialem, omninò indiuiſibilem, ſeu incapacem quantitatis, & quæ ſit pura potentia.

§. 1. D. Thomæ mens, & primum eius fundamentum.

Assertio. 37 Dicendum ergo est, Angelum nō componi physicè ex sua forma, & prædicta materia prima spirituali. Ita D. Thomas in præsenti art. 2. in D. Thom. corpore, vbi postquam probauit contra Auicembron, Angelum non componi ex materia (vt sic dicamus) materiali, ad excludendam materiam etiam spiritualem, & relegādā illā ab Angelo, addidit: *Sed adhuc vlteriùs impossibile est, quod substantia intellectualis habeat qualemcunque materiam.* Et quæst. 6. de Potentia art. 6. ad 4. vbi postquam inquisiuit, an in Angelo sit materia distinctæ rationis à materia corporea, quæque sumatur per ordinem ad formam alterius generis, & tanquam potentia proportionetur actui purè spirituali, ac per consequens sit ipsa spiritualis, illam negat his verbis: *Posset autem dici, quòd esset alia materia à materia corporū diuisa, non quidem dimensionis diuisione, sed per ordinem ad alterius generis formam, nam potentia actui proportionatur. Magis tamen credimus, quòd non sint Angeli ex materia, & forma compositi.* Et vt mens eius clariùs pateret, subiecit immediatè: *Sed sint formæ tantùm per se stantes.* Non autem essent formæ tantùm, vt de se patet, si materia spirituali constarent.

D. Dion. D. Thom. Huius sententiæ fuit etiam D. Dionysius cap. 4. de Diuinis nominibus, vbi loquens de Angelis, dicit, quòd intellectuales substātiæ ab vniuersa materia mundæ existunt: & cap. 1. & 2. Cœlestis hierarchiæ appellat eos immateriales. Ex quibus locis concludit D. Thomas opusculo 15. cap. 18. hanc fuisse mentem D. Dionysij, his verbis: *Ex quibus patet omnibus, hanc fuisse Dionysij sententiam, quòd Angeli sunt immateriales, & simplices substantiæ* (hoc est nulla prima materia, etiam spirituali compositi.) Eandem etiā sententiam tuentur D. Damascenus 2. de Fide ca. 3. Hugo de Sancto Victore super cap. 4. Dionysij, & ex Scholasticis cōmuniter ferè omnes, qui quæstionem hanc excitāt, Capreolus in 2. dist. 3. quæst. 1. in principio, Caietanus, Zumel, Nazarius, Molina, & Vazquez in præsenti, Valentia, quæst. 1. punct. 4. Suarez, disput. 13. Metaphysicæ sect. 14. n. 8. referens Marsiliū, Henricū, & Herbeū, & lib. 1. de Angelis cap. 7. num. 2. Granado in præsenti tractatu 1. disp. 2. n. 7. Bubalus q. 2. de difficultate vltima, §. 1. & alij plures,

Damasc. Hug. de S. Vict. Capreol. Caietan Zumel Nazar. Molin. Vazquez Valent. Suarez. Marsil. Henric. Herbeus. Granad. Bubal.

38 Ratio autem prima, & fundamentalis huius assertionis est eadem, qua ex D. Thoma art. 2. in corpore dubio præcedenti num. 22. & 23. probauimus nostram conclusionem, quæ maioris claritatis gratia potest sic ad præsens vrgeri. Nā Angelus secundùm se totum est intellectualis: ergo secundùm se totum est expers qualiscunque materiæ primæ, etiam spiritualis. Antecedens constat ex dictis dubio 1. Consequentia autem probatur. Tum, quia materia prima etiamsi sit spiritualis, sicut est principium singularitatis, sic limitat principium media illa cognoscens, vt non possit attingere, nisi tantùm singulare, & non vniuersale abstractum: ergo cùm res intellectualis debeat esse talis conditionis, vt possit media sua intellectione attingere rem huiusmodi vniuersalem tanquam proprium obiectum, consequens est, vt si secundùm se totam fuerit intellectualis, vt est Angelus, secundùm se totam debeat esse expers cuiuscunque materiæ primæ, adhuc spiritualis. Tum etiam, quia id, quòd est secundū vnam partem intellectuale, vt homo secundū animam rationalem, debet secundùm illam esse expers cuiuscunque materiæ, etiam spiritualis: ergo id, quod secundùm se totum fuerit intellectuale, erit secundùm se totum etiam expers cuiuscunque materiæ, adhuc spiritualis.

Fundamentalis ratio. D. Thom.

Confirmatur primo. D. Thom. 39 Confirmatur primò ratione D. Thomæ loco statim citando. Nam Angeli eo ipso quòd secundùm se totos sunt purè intellectuales, inter omnes creaturas magis appropinquant Deo: ergo carent omni materia prima, etiam spirituali. Antecedens patet, tum ex D. Dionysio cap. 4. cælestis Hierarchiæ: D. Dion. tum etiam, quia eo ipso, quòd secundùm se totos sint purè intellectuales, sunt substantiæ, quæ participant in Deo gradum nostro modo concipiendi perfectissimum. Vnde si Deus vellet alias perfectiores creaturas producere ordinis naturalis, excederent quidem in specie Angelos productos, non verò essent in alio gradu, nisi in quo sunt Angeli de facto. Consequentia autem probatur. Nam materia prima, etiam spiritualis, cùm sit pura potentia, est res, inter omnes substantiales magis distans, & elongata à Deo, qui est purissimus actus: ergo eo ipso, quòd Angeli inter omnes creaturas magis appropinquent Deo, debent carere omni materia prima, adhuc spirituali.

Angelic. Doctor. Quam rationem tradidit Angelicus Doctor de Spiritualibus creaturis art. 1. his verbis: *Inter omnes autem creaturas Deo maximè appropinquant spirituales substantiæ, vt patet per Dionysium 4. c. cælestis Hierarchiæ. Vnde maximè accedunt ad perfectionem primi actus, cùm comparentur ad inferiores creaturas, sicut perfectum ad imperfectum, & sicut actus ad potentiam. Nullo ergo modo hæc ratio ordinis rerum habet, quòd substantiæ spirituales ad esse suum requirant materiam primam, quæ est incompletissimum inter omnia entia, sed sunt longè supra totam materiam, & omnia materialia elevatæ.*

Con-

Confirm. 2. 40. Confirmatur ſecundò ratione eiuſdem S. Doctoris. Nam Angeli ſunt inter omnes creaturas altiſsimi: ergo inter omnes illas magis participant de ratione eſſendi: ergo carent materia prima, etiam ſpirituali, eo ipſo quod ſit pura potentia. Antecedens patet ex nuper dictis, & prima conſequentia ſequitur ex antecedenti: quia quantò aliquid in entibus eſt altius, tantò magis habet de ratione eſſendi. Secunda autem conſequentia ſic probatur. Quia quod inter omnes creaturas magis participat de ratione eſſendi, magis participat de actu, & eſt remotius à pura potentialitate: ſiquidem actus eſt potiſſima ratio eſſendi, & quod magis participat de actu, magis eſt remotum à pura potentialitate. Id autẽ, quod magis participat de actu inter omnes creaturas, & eſt magis remotum à pura potentialitate, oportet, quòd ita ſit actus, vt nõ conſtet ex aliquo, quod ſit pura potentia: alioqui non eſſet id, quod magis inter omnes creaturas participat de actu, neque eſſet remotius à pura potentialitate, vt ex ſe conſtat: ergo, &c.

D. Thom. Quam rationem tradidit D. Thomas opuſculo 15. cap. 7. his verbis: *Manifeſtũ ſit, quòd tanto aliquid in entibus eſt altius, quanto magis habet de ratione eſſendi. Manifeſtum eſt autem, quòd cum ens per potentiam, & actum diuidatur: quia actus eſt potentia perfectior, & magis habet de ratione eſſendi: nõ enim ſimpliciter eſſe dicimus, quod eſt in potentia, ſed ſolum quod eſt in actu: Oportet igitur id, quod ſemper eſt ſuperius in entibus, magis accedere ad actum; quod autẽ eſt in entibus infimum, propinquius eſſe potentiæ.* Et paulò infrà infert: *Relinquitur igitur, quòd materia ſubſtantiarum ſpiritualium non ſit potentia pura.*

§. II. *Euaſiones ad hanc D. Thomæ rationem, & earum præcluſio.*

Euaſiones ad D. Thomæ rationẽ 41 SEd occurres primò rationi factæ, cõcedendo antecedens, & negando conſequentiam. Et ad primam probationem dices, per eam optimè probari, Angelum debere eſſe expertem materiæ primæ corporalis, ſeu materialis (vt ſic dicamus) nã hæc eſt radix indiuiduationis, & limitat principium media illa cognoſcens ad attingendum tantùm ſingulare: non verò ex hac ratione inferri, Angelum carere etiam materia prima ſpirituali: hæc enim ſicut eſt eleuata ſupra materiam noſtram propter ſuã ſpiritualitatem, ita eſt eleuata ſupra conditiones materiæ noſtræ, nempe, ſupra conditiones indiuiduandi, & limitandi principium media illa cognoſcens ad attingendum ſolùm ſingulare.

Quibus etiam fortè addes, quòd etſi daretur, materiam illam ſpiritualem eſſe radicem indiuiduationis ſubſtantiæ ſpiritualis, non tamen idcircò limitaret eam ad percipiendum ſola ſingularia materialia. Sicut licèt noſtra materia ſit radix indiuiduationis animæ rationalis, & intellectus in ea reſidentis, non tamen idcircò limitat animam, & intellectum, ne percipiant niſi tantùm ſingularia.

Et tandem ad ſecundam probationem eiuſdem conſequentiæ reſpondebis, non benè ſequi ex eo, quòd id, quod eſt ſecundùm vnam tantùm partem intellectuale, ſit ſecundùm illam expers materiæ, etiam ſpiritualis, debere etiam id, quod ſecundùm ſe totum eſt intellectuale, eſſe expers eiuſdem materiæ. Nam pars, hoc ipſo quòd talis, non poteſt eſſe compoſita ex materia, & forma, alioqui in genere ſubſtantiæ non eſſet pars, ſecùs tamen id, quod eſt totum quoddam, vt contingit in Angelo, qui ſecundùm ſe totum eſt intellectualis.

Earum præcluſio. Verùm ſolutio iſta facilè euaneſcit. Nam in primis negari non poſſet, prædictam materiam fore radicem indiuiduationis. Quoniam materia prima ſpiritualis, non obſtante ſpiritualitate, ſolùm importat ſecundùm ſibi propriam, & vltimam formalitatem, eſſe puram potentiam, vt ſupponimus ex titulo, & Aduerſarij etiam admittunt: & ſic non obſtante ſpiritualitate, nullum includet actum etiam entitatiuum tranſcendentaliter. Nam vt optimè Noſtri Complut. in lib. Phyſicorum diſput. 3. num. 12. *Complu* expendunt, ſicut repugnat, rationem veræ potentiæ in aliquo tranſcendentaliter imbibi, quod à ſua vltima, & propria ratione non dicat ſpecialem potentialitatis modum: ita etiam repugnat, imbibi tranſcendentaliter aliquem in re illa, quæ à ſua vltima ratione non habeat aliquem ſpecialem modũ actus. Et ita repugnabit, quòd in materia prima ſpirituali tranſcendentaliter imbibatur ratio actus, eo ipſo quòd ipſa ſecundùm ſibi propriam, & vltimam formalitatem ſolum importat eſſe puram potentiam. Ergo prædicta materia erit principium indiuiduationis eius ſubſtantiæ, in qua eſt, & non eleuabitur quoad hoc (proportione tamen ſeruata) ſupra conditiones materiæ noſtræ: ſed ſicut hæc eſt principium indiuiduationis ſubſtantiæ materialis, ita illa erit principium indiuiduationis ſubſtantiæ ſpiritualis. Patet conſequentia. Nam cùm prima ſubſtantia ſit, quæ neque in ſubiecto eſt, neque de ſubiecto dicitur, conſequens eſt, vt illa pars ſubſtantiæ ſpiritualis ſit accommodata ad hoc, vt ſit reſpectu eiuſdem ſubſtantiæ totalis, & ſpiritualis principium indiuiduationis, & radix illius, quæ hoc ipſo, quòd ſit pura potentia,

nequit

nequit esse in aliquo, tanquam in primo subiecto, vt in materia nostra respectu substantiæ materialis contingit.

Et deinde neque posset negari, quin prædicta materia spiritualis limitaret Angelum, ne perciperet rationes vniuersales, & abstractas, sed singularia, aut spiritualia, aut materialia. Nam id ipsum cum proportione debet habere materia, quæ per modum puræ potentiæ est principium indiuiduationis substantiæ spiritualis, quod habet materia, quæ vt pura potentia est principium indiuiduationis substantiæ materialis: ergo si illa, hoc ipso, quòd modo dicto sit principium indiuiduationis substantiæ materialis, limitat eam, ne percipiat nisi singularia materialia: ita illa, quia est principium per modum puræ potentiæ indiuiduationis spiritualis, limitabit talem substantiam ad hoc, vt percipiat singularia spiritualia, non verò rationes vniuersales, & abstractas, licèt permitteret cognitionem singulariũ materialiũ, quia ad hanc cognitionem minus immaterialitatis requiritur.

Neque id, quod in hac solutione additur de materia nostra indiuiduante per modum puræ potentiæ animam rationalem, & eius intellectum, & non limitante eam ad attingendũ sola singularia, est alicuius momenti, propter apertã disparitatẽ in hoc repertam. Quoniam anima nostra, & eius intellectus ita indiuiduatur à nostra materia (modo tamen in 1. tom. tract. 1. disp. 1. n. 31. & deinceps dicto) quòd ipsa, adhuc informata per animã, non concurrit ad intellectionem, sicut concurrit ad audiendum, aut olfaciendum, secundùm quòd per eandem animam actuatur: & ita non mirum, quòd non limitet intellectionem, ne se extendat nisi tantùm ad singularia: quia munus hoc non præstat, nisi quatenus indiuiduat concurrendo simul vnà cum anima ad eius productionẽ: ex eo quòd ipsa nequit se extendere ad vniuersalia, nisi illa limitando, & indiuiduando. Et propterea dum sic influit in olfactionem vnà cum anima, limitat eam, ne olfaciat rationes communes, & abstractas, sed tantùm singularia. Cæterùm si materia spiritualis componens Angelum daretur, tunc ipsa materia, non vtcunque, sed per modum puræ potentiæ esset radix indiuiduationis, & simul concurreret cum forma Angeli, & vt actuata per illam, ad cognitionem eius: sicut nostra materia corporalis actuata per animam concurrit ad actionem corporalem, nempe olfactionem: ex eo quòd anima sola non olfacit, sed coniunctum ex anima, & materia: & ideò limitaret eam ad perceptionem singularium, ita vt non se extenderet ad rationes vniuersales, & abstractas.

Confirmatur & explicatur.

Confirmatur, & explicatur ex discrimine, quod intercedit inter subiectum spirituale v. g. substantiam Angeli, vt est radix indiuiduationis, & limitationis suorum accidentium spiritualium, & inter materiam primã, vt est etiam radix indiuiduandi, & limitandi formam. Nam subiectum spirituale non est radix indiuiduationis, & limitationis per modum puræ potentiæ, sed per modum potentiæ admistæ actualitate: & ideò non limitat summè, sed relinquit satis amplitudinis in suis accidentibus, ratione cuius possint se extendere ad cognitionem vniuersalium. Cæterùm materia prima est radix indiuiduationis, & limitationis per modum puræ potentiæ: & propterea, quia proprium est potentiæ, limitare, & potentiæ receptiuæ puræ, ac proinde summæ, summè limitare iuxta suam naturã, consequens est, vt licèt prædicta materia, quia est capax recipiendi formas cognoscitiuas, non tollat ab eis, quòd sint cognoscitiuæ, & vna cum illis ad cognitionem (modo tamen insinuato) concurrat: nihilominùs limitat illas intra latitudinem formarum cognoscituarum summè: & ita quatenus concurrit cum eis, solùm possunt esse in infimo gradu, cognoscẽdi, nimirũ, in gradu cognoscẽdi sensitiuo, qui solũ potest ad singularia se extendere.

Ex quo etiam solutio ad secundam probationem eiusdem consequentiæ corruit. Quoniam licèt non repugnet, partem formalem esse incompositam ex materia, & forma, secus verò totum aliquod: attamen in præsenti id omnino repugnat: siquidem Angelus, qui esset quoddam totum intellectuale, haberet magis de intellectualitate, quàm pars formalis, nempe anima nostra: ergo si hęc, quæ est minùs intellectualis, debet esse expers materiæ, multò magis id habebit Angelus: siquidem immaterialitas est radix intellectualitatis, & maior immaterialitas est radix maioris intellectualitatis.

Vnde ex his omnibus satis constat, quomodo prædicta materia spiritualis esset principiũ indiuiduationis, & limitationis, ne Angelus intelligeret rationes vniuersales, & abstractas. Quanus etiam (vt verum fateamur, per quod eius implicatio magis apparet) sequeretur, tum prædictam materiã, quæ sit pura potentia spiritualis, fore, & non fore per modũ puræ potentiæ primũ principium indiuiduationis, ac proinde afferre, & non afferre prædictã limitationẽ. Fore quidẽ, propter rationẽ nuper factam, & quia esset principium distinctionis materialis, prout condistinctæ à distinctione formali, quæ prouenit à forma: nõ fore verò, quia non est aliquod accidens spirituale, quod à se aliquo modo habeat indiuiduari quodque cõnotet prædicta materia, & ipsa est pura potentia de se indifferens, & non postulans hanc potiùs, quàm illam formam: non secùs ac materia nostra quæ si non connotaret, seu præhaberet hanc potiùs quantitatem;

tatem, quam illam, quæ ex ſe eſt quodammodò indiuidua, ex eo quòd ex ſe habet partes eiuſdem rationis, ſeu ſolo numero diuerſas, vt cõſtat ex illis, quæ in 1. tom. tract. 1. diſp. 2. n. 21. & deinceps diximus, tunc non poſſet eſſe principium indiuiduationis, vt ex dictis in eodem tractatu diſput. 1. dubio penultimo, & vltimo patet.

Tum etiam ſequeretur, prædictam materiam primam ſpiritualem eſſe, & nõ eſſe vnà cum toto, in quo eſt, intellectiuam: eſſe quidem, quia eſſet principium cognoſcendi ſingularia ſpiritualia, ſicut materia informata anima corporea bruti concurrit ſimul cum anima ad cognoſcenda ſingularia corporea: at prædicta materia ſpiritualis non eſſet principium cognoſcendi ſingularia illa ſpiritualia per cognitionem ſenſitiuam, vt de ſe patet: ergo per intellectiuam. Non eſſe verò, quia non poſſet attingere vniuerſalia: intellectiuum autem eſt de vniuerſalibus, ſicut ſenſitiuum de ſingularibus.

§. III. *Aliæ ſolutiones vtriuſque confirmationis ex D. Thoma §. 1. adductæ, & impugnationes illarum.*

Prima euaſio primæ confirmationis.

42 DEinde occurres primæ confirmationi ex D. Thoma §. 1. adductæ, quòd licèt materia prima materialis (vt ſic dicamus) ſit ſubſtantia magis elongata à Deo inter omnes res ſubſtantiales, eo ipſo quòd ſit pura potentia in ordine infimo ſubſtantiæ materialis, & corporeæ: materia tamen prima ſpiritualis, etiamſi in ſuo ordine ſpirituali ſit pura potentia, non eſt res magis diſtans, & elongata à Deo, qui eſt purus ſpiritus, ſed excedit ſupremas ſubſtantias creatas corporeas, etiam ſi ſit infima inter ſpirituales: infimum enim ſupremi excedit ſupremum infimi, vt ex D. Dionyſio admittunt communiter omnes.

Refellitur.

Sed contra hanc ſolutionem obeſt, quòd prædicta materia prima ſpiritualis, licèt non in ratione ſpiritualis, attamen in ratione puræ potentiæ non poteſt nõ eſſe magis elongata à Deo, quàm alia quæuis ſubſtantia: & ita ſubſtantiæ, quæ Deo magis appropinquauerint, quales ſunt Angeli, debent eſſe magis elongatæ à prædicta materia, atque adeò expertes illius. Neque id, quod ibi dicitur, ſcilicet, infimum ſupremi debere eſſe perfectius ſupremo infimi, ſi de perfectione ſimpliciter ſit ſermo, eſt vniuerſaliter intelligendum. Sufficit enim, quòd infimum ſupremi ſit perfectius ſecundùm quid tantùm ſupremo infimi, vt patet in forma incorruptibili cœli, quæ ſolùm ſecundùm quid excedit formas corruptibiles animalium, etiam ſi incorruptibile ſit ſuperius ad corruptibile. Adde, quòd ſequuntur ambæ partes contradictionis, nimirum, quòd prædicta materia ſpiritualis excederet ſimpliciter actus, & formas corporeas, quia ſpiritualis eſt, & non excederet illas ſimpliciter, quia pura potentia eſt.

Euaſio ſecũda ſecundæ confirmationis.

43 Occurres præterea ſecundæ confirmationi ex eodem S. Doctore §. 1. allatæ, & reſpondebis, quòd cùm illud magis participet ſimpliciter de ratione eſſendi (vt ipſa cõfirmatio fatetur) quod magis aſſimilatur Deo; & eſt in ſupremo ordine, hinc eſt, quòd materia hæc ſpiritualis, magis ſimilis Deo, & in ſupremo ordine, quàm res corporeæ, magis etiam ſimpliciter participet de ratione eſſendi, quàm illæ: licèt cum hoc ſtet (& hoc, & nihil aliud videtur probare hæc ſecunda confirmatio) vt ſecundùm quid excedatur à formis, & actibus corporeis, illique etiam ſecundùm quid magis participent de ratione eſſendi.

Refutatur.

Sed contra hanc ſolutionem obſtat, quòd in ea magis reſplendet ratio implicationis prædictæ materiæ primæ ſpiritualis: Nam ex quo capite ſpiritualis eſt, oportet, vt ſit actu intelligibilis, ſiquidem ſpiritualitas eſt ratio intelligibilitatis: ac proinde debet aliquid actus includere, & ita participare magis de ratione eſſendi. Ex capite verò, quo eſt pura potentia, non poteſt participare magis de ratione eſſendi, neque eſſe ſpiritualis, & ex ſe intelligibilis. Nam (vt optimè noſtri Complut. in lib. Phyſicorũ diſput. 3. n. 78. & 79. ex Ariſtotele, & D. Thoma probant) intelligibile debet participare aliquid actus. Nã cùm intellectio ſit quædam commenſuratio, & adaptatio actualiſſima rei intelligibilis, & intellectus, ratione cuius intellectus ipſe quodammodò transformatur in ipſum obiectũ intelligibile, propter quod dicitur, quòd intellectus intelligẽdo fit omnia: inde eſt, quòd ſicut intellectio eſt actus, ita etiam ipſum intelligibile debet aliquo modo participare rationem actus, vt poſſit intellectus in illud transformari, & fieri ipſum.

N. Compl. *Ariſtot.* *D. Thom.*

Obiectio prima.

44 Nec obeſt, ſi contra hanc impugnationẽ obijcias, tum non obſtare prædictæ materiæ purã potentialitatẽ, quominùs ſit intelligibilis, aut intellectiua: eò quòd nõ impedit ei, quominùs ſit magis propinqua Deo ſimpliciter, quàm accidens, & perfectior illo: ergo ſicut non tollit ab accidenti, quominùs ſit intelligibile, aut intellectiuum, quòd habeat *eſſe* imperfectius ſimpliciter, & magis elongatũ à Deo, quàm pura potentia, quæ eſt ſubſtantia: ita non impediet materiæ primæ eſſe puram potentiam per modum ſubſtantiæ, quominùs ſit intelligibilis, aut intellectiua. Tum etiã, quòd ad hoc, vt materia prima ſit ordinis ſpiritualis, & intelligibilis, ſatis eſt, quòd licèt ſit pura potẽtia, ſit actuabilis præcisè per formã ſpiritualem: ſicut ad hoc, vt ſit ordinis vegetatiui, & ſenſitiui, etiamſi

ſit

sit pura potentia, sufficit, quòd actuetur per formam vegetandi, & sentiendi.

Solutio. Respondetur ad primam ex his impugnationibus, quòd licèt in modo essendi sit simpliciter accidens imperfectius, & magis elongatum à Deo, quàm substantia, quæ est pura potentia; non tamen in actualitate, & immaterialitate, sed potiùs è contrà, vt de se patet. Et propterea accidentia propria substantiæ v. g. Angelicę, habent eundem immaterialitatis, & actualitatis gradum, quem substantia Angelica habet, vt in 1. tomo tractatu 2. disput. 2. n. 157. diximus: & materiæ primæ nõ quæcunque maior elongatio à Deo tollit rationem intelligibilis, sed quæ est ab ipso in ratione puri actus.

Ad secundam verò impugnationem respondetur; negando paritatem. Et ratio est. Quia per hoc, quod materia prima per formam vegetatiuam, & sensitiuam, eleuetur ad ordinem vegetatiuum, & sensitiuum, non tollitur à materia quòd solùm sit capax concurrendi vnà cum forma ad operationẽ, quæ solùm attingit obiectum singulare, & nullo modo vniuersale, & abstractum: at verò eo ipso, quòd eleuaretur ad ordinem spiritualẽ, deberet esse capax concurrendi vnà cum forma ad operationem spiritualem, quæ (vt sæpè diximus) debet habere pro obiecto aliquid vniuersale: quod tamen est contra rationem puræ potentiæ, vt ostensum est.

Secunda obiectio D. Thom. 45 Nec obest, si contra hanc eandem confirmationem, quam elucidamus, obijcias ex alio capite, quòd D. Thomas in ea consulrò concludit in hæc verba: *Relinquitur igitur, quòd materia substantiarum spiritualium non sit potẽtia pura.* Vt denotaret, esse quidem in substãtijs spiritualibus materiam, licèt nõ cum conditionibus nostrę materiæ, ac proinde cum conditionibus purę potentialitatis.

Respondetur. Respondetur enim, quòd Angelicus Præceptor nomine materiæ, quæ non est pura potentia, sed est ens actu, solùm intelligit substãtiam rei: & sic in eodem sensu concedit in Angelo materiam, in quo ab omnibus conceditur in illo substantia rei: atque ita occurrens huic obiectioni, subdit: *Vbicunque autem ponitur materia ens actu, nihil differt dicere materiã, & substantiam rei. Sic enim antiqui naturales, qui ponebant, primam materiam corporalium rerum esse aliquid ens actu, dicebant, materiam esse omnium rerum substantiã, per modum quo artificialium substantia nihil est aliud, quàm eorum materia. Si igitur si materia spiritualium substantiarum non potest esse aliquid ens in potentia tantum, sed est aliquid ens actu, ipsa spiritualium rerum materia est eorum substantia: & secundùm hoc, nihil differt ponere materiam in substantijs spiritualibus, & ponere substantias spirituales simplices non compositas ex materia, & forma.*

Angel. Præcept.

§. IIII. *Aliud fundamentum veræ sententiæ.*

Secunda & fundamentalis ratio ex D. Tho. desumpta. 46 Secundò, & principaliter probatur assertio ratione desumpta ex eodem D. Thoma, partim in præsenti art. 5. & partim q. sequenti art. 1. quæ ad hanc formam valet reduci. Nam vel Angeli constant materia prima spirituali, à qua eorum forma sit naturaliter separabilis; vel materia prima spirituali, à qua eorum forma naturaliter nequeat separari? Neutra ex his: ergo nulla materia spirituali constant. Maior, & consequentia de se patent. Quia non est excogitabilis materia prima spiritualis, cui aliquod ex illis prædicatis contradictorijs non conueniret. Minor autem quoad primam partem probatur. Nam eo ipso, quòd Angeli constarent materia prima, à qua eorum forma esset naturaliter separabilis, essent naturaliter corruptibiles, sicut propter eandem rationem homines corrumpi possunt: Angelum autem naturaliter incorruptibilem esse, art. 5. ostendemus. Quoad secundam verò partem eadem minor etiam constat. Nam si forma Angelorum esset naturaliter inseparabilis à materia, non esset forma per se subsistens, vt de se patet, & inductiuè in alijs formis inseparabilibus cernitur: esse autem Angelicam formam per se subsistentem, ex se, & ex his, quæ q. 51. art. 1. dicemus, constabit.

Solutio pro aduersarijs 47 Nec obest, si occurras huic rationi, eligendo secundam partem illius dilemmatis, scilicet, Angelos constare forma inseparabili naturaliter à materia spirituali, & dicendo ad impugnationem, quòd ad hoc, vt forma Angeli sit per se subsistens, sufficit, quòd si supernaturaliter separaretur à materia spirituali, existeret sine illa, & sic existens posset omnes proprias operationes efficere: propterea enim forma equi v. g. nõ est per se subsistens, quia vel nec supernaturaliter potest existere sine materia, vel saltem sic existens non posset efficere operationes proprias formæ equi.

Euersio eius. Nam contra hanc solutionem est, quòd in formis, signum indicans eas per se subsistere, tantùm est, quòd naturaliter sint separabiles à materia; non verò, quòd supernaturaliter possint, aut sic separatæ operari, vt patet in forma ignis, quę si cum suo calore à materia separaretur supernaturaliter, tunc sic separata posset operari, & nihilominùs non esset per se subsistens. Cui etiam addi potest, quòd si semel Angelus constaret forma physica spirituali, & materia itidem physica, & spirituali, tunc omnes operationes spirituales, quarum forma esset principium, penderent etiam à materia illa spirituali, & pura potentia: quia non excederent ordinem talis

lis materiæ. Sicut propter eandem rationem omnes operationes materiales, vt videre, &c. pendent à materia prima hominis, neque supernaturaliter potest eius forma elicere illas sine materia, quia non excedunt ordinem materiæ materialis. Et ita sicut ratione vitalitatis, quàm habent, nõ possunt procedere, nisi à sua forma: ita nec possunt exerceri, nisi dependẽter à composito viuo coalescente ex materia & forma viua.

Ex quo etiam vltimò sequeretur manifesta ratio implicationis, nimirum, quòd forma Angeli esset per se subsistens, & non esset per se subsistens. Esset quidem, quia est superior forma hominis, & illa nobilior: ergo cùm per se subsistere sit maxima perfectio in forma, non deberet ea carere, qua non caret forma hominis. Non autem esset forma per se subsistens, quia nullas haberet operationes independentes à materia propter rationem factam.

48. Ex quibus omnibus sequitur, non benè Bubalum in præsenti quæsito 2. difficultate 2. & 3. distinguere in Angelo id, quod est de facto, ab eo, quod potuit esse de possibili, & concedere, Angelum non componi de facto ex materia prima spirituali, non tamen implicare talem compositionem de possibili. Ex dictis igitur constat, non bene quoad hoc Bubalum distinxisse: rationes enim à nobis ex D. Thoma factæ æquè vtrũque probant, vt intuenti constabit.

§. V. *Contraria sententia, argumenta pro ipsa prater vltimum, & solutiones eorum.*

Oppositasententia.

49. OPpositasententia asserit, Angelos constare prædicta materia prima spirituali, quæ sit entitas partialis, & incompleta per modum puræ potentiæ omninò indiuisibilis, & incapax quãtitatis: ac proinde ex ea, vnà cum sua forma spirituali illos physicè componi. Ita Alensis 2. part. quæst. 20. membro 1. in fine, & quæst. 44. membro 2. D. Bonauen. in 2. dist. 3. art. 1. q. 1. & 2. Richardus ibidẽ art. 1. quæst. 2. & art. 2 q. 1. & 2. Aureol⁹ apud Capreolũ in 2. dist. 3. quæst. 1. circa primã conclusionẽ. Plocus, & alij.

Alensis. D. Bon. Richard. Aureol. Plocus.

Fundamentũ primum *D. Aug.*

Probatur primò ex D. Augustino 12. Cõfessionum cap. 20. vbi in duobus locis exponens illud, *In principio creauit Deus cœlum, & terram, &c.* dicit, quòd quinque expositiones dantur, quæ omnes veræ sunt, inter quas ponit illam, quæ inquit, quòd Deus fecit informem materiam omnis creaturæ spiritualis, & corporalis: ergo cùm materia creaturæ puræ spiritualis non possit esse corporalis, sicut neque materia creaturę purè corporalis potest esse spiritualis, fit inde, vt in sentẽtia Augustini creaturę purè spirituales, quales sunt Angeli, cõstẽt materia spirituali.

Respondetur cum Capreolo in 2. d. st. 3. quæst. 1. art. 3. quòd vel D. Augustinus loco citato nomine materiæ creaturæ spiritualis, scilicet Angeli, solùm intelligit, quòd in illo est aliquid potentiale, nempe essentia respectu existentiæ: vel secũdò, & meliùs, quòd nomine materiæ solùm intelligit informitatem naturæ spiritualis, secundùm quòd non dum est conuersa ad verbum, à quo illuminatur. Quæ expositio est expressè ad mentẽ S. Thomæ, vt constat ex his, quæ num. 33. ex ipso Doctore Angelico retulimus.

Respondetur cũ Capreolo.

50. Secundò probatur eadem sententia argumento facto à D. Thoma de Spiritualibus creaturis art. 1. Nam *Philosophus dicit in 8. Metaphysicæ, quod si qua substantia est sine materia, statim est ens, & vnum, & non est ei alia causa, vt sit ens, & vnum: sed omne creatũ habet causam sui esse, & vnitatis: ergo nullum creatum est substantia sine materia: ergo omnis substantia spiritualis creata est composita ex materia, & forma*: ita vt illa materia sit, non quidem corporea, & (vt sic dicamus) materialis, ne totum illud compositum sit corporeum, & materiale, sed ita vt tam forma, quàm materia sint quid spirituale.

Secundum fundamẽtũ *D. Thomæ.*

Respondet idem Angelicus Doctor ibidem in solutione ad 5. his verbis: *Ad quintũ dicendum, quòd Philosophus loquitur ibi, non de causa agente, sed de causa formali. Illa enim, quæ sunt composita ex materia, & forma, statim sunt entia, & vnum: quia materia est ens in potentia, & fit ens actu per aduentum formæ, quæ est ei causa essendi; sed forma non habet sic esse per aliam formã. Vnde si sit aliqua forma subsistens, statim est ens, & vnum, neque habet causam formalem sui esse; habet tamen causam influentem ei esse, non autem causam mouentem, quæ reducit ipsam de potẽtia præexistenti in actum.*

Solutio eius ex D. Thom.

51. Tertiò probatur argumẽto 23. quod conficit ibidẽ Angelicus Doctor. Nã, *Omne quod est in genere, participat principia generis. Substãtia autẽ spiritualis creata est in prædicamẽti substantiæ: principia autẽ huius prædicamẽto sunt materia, & forma, quod patet per Boetiũ in cõmento prædicamẽtorũ, qui dicit, quòd Aristoteles relictis extremis, scilicet materia, & forma, agit de medio, scilicet de cõposito, dans intelligere, quòd substãtia, quæ est prædicamẽtũ, de qua ibi agit, sit cõposita ex materia, & forma: ergo substãtia spiritualis creata est cõposita ex materia, & forma: non quidẽ materialibus, vt patet: ergo spiritualibus.*

Tertiũ fundamentũ.

Respondet etiam idẽ Angelicus Doctor ibidem in solutione ad 23. his verbis: *Ad 23 dicendum, quòd intentio Boetij non est dicere, quòd de ratione substantia, quod est genus, sit esse compositum ex materia, & forma: cùm substantia sit de consideratione metaphysici*

Respondetur.

physici non naturalis: sed intendit dicere, quòd cùm forma, & materia nō pertineant ad genus substantiæ tanquā species, sola substantia, quæ est compositū, colloc atur in genere vt species.

§. VI. *Vltimum argumentum contrariæ sententiæ, & responsio illius.*

Vltimū fundamentū.

52. QVartò, & vltimò probatur eadem sententia. Quia inter formas quædam sunt materiales: quædam spirituales, ergo inter materias aliæ etiam erunt materiales, aliæ spirituales: ergo datur materia spiritualis, ex qua componatur Angelus. Hæc vltima consequentia patet ex prima. Semel enim admissa in rerum natura materia purè spirituali, cum nō possit esse separata, quia est pura potentia, non est vbi melius possit existere, quàm in Angelo, qui est purè spiritualis. Prima autem sequitur ex antecedēti: tum, quia nulla apparet repugnantia talis materiæ spiritualis: tum etiam, quia secundum communem doctrinam Philosophi, actus, & potentia sunt in eodē genere, hoc est, quòd vbicunque reperitur aliqua forma, debet etiam reperiri materia illi proportionata, & eiusdem generis cum forma: ergo eo ipso quòd detur forma spiritualis intra genus substantiæ, debet dari materia spiritualis. Antecedens autem non indiget probatione.

Confirmatio prima.

Confirmatur primò. Nā Angeli constāt genere, & differentia: ergo debent constare aliqua materia saltem spirituali. Antecedēs ab omnibus recipitur. Consequentia probatur. Nā genus, & differētia nō est vnde sumā tur in Angelo, secluſa omni materia, adhuc spirituali.

Secunda.

Cōfirmatur secūdò. Nā si propter aliquā rationē Angeli nō constarent materia spirituali, maximè, quia se totis sunt intellectiui, & materia impedit esse aliquid se toto intellectiuū: at hæc ratio nihil obstat: ergo, &c. Minor probatur. Quoniā etsi materia corporea, & (vt sic dicamus) materialis impediat rationē purè intellectiui, & tollat, quòd aliquid sit se toto intellectiuū, nō tamē materia spiritualis: nam ista, hoc ipso quòd sit spiritualis, pertinet ad eundem ordinem, siquidē spiritualitas est ratio intellectiui.

Responsio ad argumētum.

53. Ad argumentum respondetur, negando primā consequentiā. Et ad primam probationē satis patet ex dictis, materiā primā purè spiritualem implicare contradictionē. Ad secundā verò probationem dicendū est, quòd illud axioma, scilicet, quòd actus, & potentia sunt sub eodem genere, non intelligitur de quocunque actu, sed solùm de actu receptibili, aut dependente à materia: forma autem Angeli neque est receptibilis, neque depēdet à materia: & ideò nō oportet, quòd sit aliquod genus, sub quo contineatur cum materia.

Ad primā. N. Comp.

Ad primā confirmationem concesso antecedēti, negāda est consequētia. Et ad probationem optimè nostri Complut. in Logica disp. 5. n. 72. & 73. respōdent ex D. Thoma opusculo 42. c. 4. genus, & differentiā in Angelis sumi ex tota essentia: genus quidem ab illa, secundùm quòd cōsideratur elongata ab existētia, differētiā verò ab eadē tota essētia, secūdùm quòd cōsideratur, modo ibidē explicato, magis appropinquata existētiæ.

Ad secūdā cōfirmationem.

Ad secundam confirmationem respōdetur, concedendo maiorem, & negando minorem. Et ad eius probationem patet ex dictis n. 43. quomodo vtrūque sequeretur, & quòd talis materia esset intellectiua, quia spiritualis, & non esset intellectiua, quia esset (vt supponitur) pura potentia.

DVBIVM IIII.

Virùm numerus Angelorum excedat multitudinem omnium specierum materialium creatarum?

PROSTQVAM In dubio prę cedēti de his, quæ ad *an est*, & ad *quid est* Angelorū spectāt, egim⁹, nūc ad inuestigādū eorū numerū, & multiplicitatē nō incōgruè præsens dubiū excitamus. Cognita enim essentia, & existētia rei, recto ordine sequitur eius multiplicitatis inuestigatio.

§. I. *Vera sentētia, & primum eius fundamentum.*

Assertio.

54. DIcendū ergo est, numerū Angelorū excedere multitudinē omniū specierū materialiū creatarū. Assertio hæc est valdè cōsona scripturæ: dicitur enim Danielis 7. *Millia milliū ministrabāt ei, & decies millies cētena millia assistebāt ei.* Super quæ verba sic loquitur D. Th. infrà q. 112. art. 4. ad 2. *Nec tamē hoc pro tāto dicitur, quia tātus solū sit Angelorū numer⁹; sed multò maior, quia omnē materialē multitudinē excedit. Quod significatur per multiplicationem maximorū numerorū supra se ipsos, scilicet denarij, centenarij, millenarij, vt Dion. ibidē dicit*, et est communis inter Doctores, docentque eam ex Patribus D. Dionysius cap. 14. Cœlestis hierarchiæ, relatus à D. Thoma in præsenti, S. Bernardinus Senensis tomo 4. serm. 48. & D. Thomas in præsenti art. 3. & infrà q. 112. art. 4. ad 2. & 2. contra Gent. c. 92. & de Potentia q. 6. art. 6.

Daniel. 7.

D. Thom.

Dionysius S. Bernar. Severis D. Thom.

in

D. Hier. *D. Greg.* *D. Anſel.* *Caietan.* *Bañez.* *Nazarius* *Zumel.* *Ripa.* *Molina.* *Vazquez* *Granado.* *Arrubal.* *Bubal.* *Ferrara.* *Suarez.*

in corpore circa finem. Fauent illi D. Hieronymus in c. 7. Danielis, D. Gregor. libr. 17. Moralium cap. 9. & D. Anſelm. ſuper Apocalypſis 5. Ex ſcholaſticis tenent eam communiter omnes, Caiet. Bañez, Nazar. Zumel, Ripa, Molina, Valentia, Vazquez, Granado, Arrub. & Bubal⁹ in præſenti, Ferrar. 2. cõt. Gẽtes c. 92. & Suar. lib. 1. de Ang. c. 11. n. 15.

Primũ fundamentum

55. Prior, & fundamentalis ratio deſumitur ex D. Thoma 2. cõtra Gẽtes c. 92. ratione 5. quæ poteſt ad hanc formam reduci. Quoniam Angeli ſunt in *eſſe* intelligibili ſecũdùm ſuã naturã: ergo ſunt magis multiplicabiles, quàm omnes ſpecies materiales: ergo de facto maior multiplicitas reperitur in Angelis, quàm in omnibus ſpeciebus materialib⁹. Antecedẽs ex ſe, & ex ſuprà dictis patet. Et prima conſequentia probatur. Nã magis eſt aliquid multiplicabile ſecundùm *eſſe* intelligibile, quàm ſecundùm *eſſe* materiale, vt patet, tum in linea finita, cui poteſt fieri additio vſque in infinitũ ſecũdùm intellectũ, nõ autẽ materialiter: tũ etiã in raritate corporũ, velocitate motuum, & diuerſitate figurarum, in quibus etiã augmentũ poteſt fieri in infinitum ſecundùm intellectũ, quãuis ſit impoſsibile in natura ſic eſſe materialiter. Ergo *eſſe* intelligibile, & id, quòd ſecundùm ſuã naturã eſt in tali *eſſe*, vt ſunt Angeli, erit magis multiplicabile, quàm *eſſe* materiale, & id, quod ſecũdùm ſuã naturã eſt in tali *eſſe*, vt ſunt omnes ſpecies materiales. Secũda quoq; cõſequẽtia probatur. Nã Angeli ſunt perpetui: in perpetuis autẽ nõ differt eſſe, & poſſe.

Obiectio cõtra primum fundamẽtũ.

56. Nec refert, ſi obijcias, tũ falſum eſſe, aliquid eſſe magis multiplicabile ſecũndùm *eſſe* intelligibile, quàm materialiter, vel facta collatione inter eãdẽ rem ſub vtroque *eſſe*, vel inter vnã in *eſſe* intelligibili, & alterã in *eſſe* materiali. Secundùm priorẽ quidẽ cõparationẽ. Nã ſpecies materialis lapidis v.g. in intellectu eſt tantùm vna, in materia autẽ multiplicatur. Secũdùm poſteriorem etiam collationem: quia anima rationalis ſecũdùm ſuam naturam eſt in *eſſe* intelligibili; & arẽa maris ſub *eſſe* materiali: & tamen illa non magis, quàm hæc, eſt multiplicabilis.

Tum etiã. Quia ſecunda cõſequentia nõ rectè probatur, ſcilicet, Angelos de facto magis multiplicari, quia ſunt magis multiplicabiles, & in perpetuis nõ differt eſſe, & poſſe. Siquidẽ ſi hęc ratio aliquid valeret, probaret vtiq; de facto eſſe infinitos Angelos: quia ſunt poſsibiles, & in perpetuis idẽ eſt eſſe, ac poſſe: hoc autem eſt apertè falſum: ergo, &c.

Enodatur.

57. Non itaque hæc referunt. Non quidẽ primum: illa enim propoſitio, ſcilicet, *Magis eſt aliquid multiplicabile ſecũdùm eſſe intelligibile, quàm materialiter*, vera eſt in vtroque ſenſu, modo tamen iam explicando. Et ad impugnationem illius, ſi ſumatur in primo, reſpondetur, quòd licèt ſpecies, ſeu natura lapidis, v.g. in intellectu ſit tantùm vna ſecundùm rationem ſpecificam, & ſecundùm *eſſe* ſpecificum, attamen ſecundùm *eſſe* numerale, modo alibi inſinuato, & ſecundùm *eſſe* apprehenſum. poteſt magis per intellectum, aut imaginationem multiplicari, quàm ſecundùm *eſſe* materiale, & extra intellectũ: ac proinde, prout habet *eſſe* intelligibile in ſpecie impreſſa, vel expreſſa, eſt magis multiplicabilis, quàm vt habet *eſſe* materiale. Et ad impugnationem eiuſdem propoſitionis, ſi ſumatur in ſecundo ſẽnſu, reſpõdetur, multiplicationem animarum non fieri niſi dependẽter à corpore, vt à prima radice indiuiduationis, & multiplicationis numeralis earum, & ideo non eſſe capaces multiplicationis, vt præcisè pertinent ad ordinem intelligibilem: ac proinde in eis non eſſe neceſſarium, vt verificetur propoſitio D. Thomæ, quæ tantùm petit eſſe veram in his, quę præcisè pertinent ad ordinem intelligibilẽ, vt in Angelis contingit.

Neque etiam obſtat ſecũdum. Nam cùm ex vno capite gradus puræ intellectualitatis, ſeu Angelorum ſit magis ex natura ſua multiplicabilis in ſpecies, quàm gradus rerũ materialium, oportet, vt de facto ſic multiplicetur. Quoniam cùm genus connaturaliter loquendo petat ad ſui conſeruationem plures ſpecies, conſequens eſt, vt genus ex natura ſua magis multiplicabile exigat plures ſpecies, adhoc vt connaturaliter conſeruetur. Cumque ex alio capite huiuſmodi genus, ſeu gradus menſuretur æuo, in quo non eſt variatio, & ſucceſsio quoad *eſſe* rei menſuratæ per illud, neceſſe eſt, vt hæc potentia connaturalis, quam prędictum genus habet, ad hoc vt multiplicetur in plures ſpecies (quæque licèt non logicè, benè tamen phyſicè ſumpta exiſtit à parte rei vnà cum ipſo genere fundamentaliter ſumpto) ſit ſemper ad actum reducta. Et ita loquendo de hac potẽtia connaturali, de qua ratio D. Thomæ intelligitur, verum eſt, quòd in perpetuis idem ſit eſſe, ac poſſe. Multiplicari autem de facto in infinitũ ſpecies Angelicas, non ſolùm nõ petit connaturaliter genus puræ intellectualitatis, imò implicat contradictionem: & ſic reſpectu huius infinitę multiplicabilitatis in actu nõ poteſt verificari, quòd ſit idẽ eſſe, ac poſſe. Quòd autem præter maiorem multiplicitatem ſpecierum purè intellectualium, quàm materialium tot determinatè, & finitè, potiùs quàm aliæ de facto producantur, in liberam Dei voluntatem, congruè ad naturã huius vniuerſi operantis, debet reduci.

§ II. *Alterum fundamentum veræ ſententiæ.*

Secũdũ fundamentũ veræ ſententiæ.

58 SEcundò probatur aſſertio ratione, quàm innuit D. Thomas infra

fra quæst. 113. artic. 2. in corpore, quæ potest sic efformari. Nam cuilibet generi, & cuilibet speciei, & cuilibet etiam individuo naturæ humanæ assignatur in custodiam proprius, & determinatus Angelus: ergo tot sunt Angeli, quot species, & insuper alij innumerabiles: ergo numerus Angelorum incomparabiliter excedit omnes species rerum materialium. Hæc vltima consequentia patet ex prima, & prima ex antecedenti. Antecedens autem quoad omnes eius partes probatur auctoritate, & ratione. Auctoritate quidem. Quia secundum D. Gregorium homil. 34. in Euangel. relatum à D. Thoma art. 2. nuper citato, diuersi ordines deputantur diuersis rerum generibus: quæ est prima pars antecedentis. Et secundùm Augustinum, Anselmum, & Origenem, adductos à Caietano super eundem articulum D. Thomæ, singulis speciebus diuersi Angeli designantur: quæ est secunda pars prædicti antecedentis. Et tandem secundùm D. Hieronymum Matthei 18. quem omnes Doctores, & Scholastici communiter cum D. Thoma sequuntur, singuli Angeli singulis hominibus in tutelam delegantur: quæ est tertia pars eiusdem antecedentis.

D. Greg. *Augusti.* *Anselm.* *Origenes* *Caietan.* *D. Hier.*

Ratione verò probatur idem antecedēs, assignando congruentiam, quare de facto ita contingat: vix enim aliter à nobis ea, quæ à Deo liberè fiunt, ita de facto accidisse, suppositâ authoritate possunt probari, quàm ostendendo, id optimè rationi congruere. Congruit autem optimè, quòd singulis generibus, speciebus, imò & singulis naturæ humanæ individuis, singuli Angeli in custodiam deputentur. Nam Angelorum custodia est quædam executio diuinæ prouidentiæ. Manifestum est autem, quòd diuina prouidentia principaliter est circa illa, quæ perpetuò manent: cùm circa transeuntia sit, vt ordinantur ad perpetua. Ergo cùm genera, & species, & individua, etiam naturæ humanæ, quantum ad proprias formas singulorum perpetuò maneant, rationi consonum est, quòd singulis generibus speciebus, & individuis naturæ humanæ singuli Angeli à diuina prouidentia ad custodiam delegentur.

Cōtra secūdū fundamentum obijcitur primo.

59 Sed obijcies primò, hoc videri impossibile. Quia tot sunt adminùs homines beati, quot Angeli damnati: & Angeli beati multò pauciores sunt, quam homines damnati: ergo plures sunt homines, quàm Angeli: ac per consequens impossibile erit, non solùm quòd generibus speciebus, & individuis naturæ humanæ simul singuli Angeli deputētur, verùmetiam quòd singuli homines singulos habeant Angelos delegatos. Hæc vltima consequentia patet ex prima. Et prima ex vtraque parte antecedentis apertè sequitur. Quia si duæ multitudines ita se habeant, vt diuisæ in duas partes, quoad alteram illarum sint æquales, necesse est, vt illa sit absolutè maior, quæ quoad alteram fuerit maior: ergo cùm multitudo hominum, & multitudo Angelorum sint diuisæ in antecedenti in duas partes, & in prima sint æquales, & secunda pars multitudinis hominum sit maior secunda parte multitudinis Angelorum, simpliciter multitudo hominum erit maior multitudine Angelorum.

Vtraque autē pars antecedentis probatur Prima quidē, tot scilicet ex hominibus saluari, quot ex Angelis ceciderunt. Tū quia colligitur ex illo Psalmi 109. *Indicauit in nationibus, implenit ruinas*: & ex illo Pauli ad Ephesios 1. cùm dicit, instaurāda omnia per Christū, *quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso*. Tum etiā, quia id affirmant D. Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei c. 1. & in Enchirid. c. 29. 61. & 62. & Diu. Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo*. c. 18.

Psal. 109. *Ad Eph. 1.* *D. Aug.* *D. Anselm.*

Secunda etiam pars antecedentis, nimirū, Angelos beatos pauciores esse hominibus damnandis, probatur. Nam Angelorū beatorum numerus solùm est duplò maior numero Angelorū damnatorū, vt colligitur ex illo Apocalyp. 12. vbi dicitur, quod Lucifer traxit de cœlo tertiā partē stellarū, ideſt Angelorū. Numerus verò hominū damnatorū plus est, quàm duplò maior numero hominū beatorū vt satis ostēdit maximus numerus peccatorū & infidelium. Ergo eo ipso, quòd sint tot homines beati, quot Angeli dānati, Angeli beati multò pauciores erūt, quam homines damnati.

Apoc. 12.

Confirmatur.

Confirmabis. Quia tot sunt homines beādi, quot Angeli remanserūt: sed multò plures sunt homines damnāndi, quā Dæmones: ergo multo plures sunt homines, quā Angeli. Minor cum consequentia ex nuperdictis cōstat. Maior autē est. D. Gregorij homil. 34. in Euāgelia, vbi sic ait: *Superna illa ciuitas ex Angelis, & hominibus cōstat: ad quam tantùm credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos Angelos remansisse.*

D. Greg.

Obijcitur secundo. *Dent. 32.*

60 Obijcies secundò. Quòd Deuteron. 32. iuxta editionem Septuaginta sic legitur: *Constituit terminos gentium secundùm numerum Angelorum Dei.* Quibus verbis videtur significari, terminum, ideſt numerum hominū, æqualem esse numero Angelorum: ergo cùm Angeli in custodiā solū ex infimo ordine deputentur, vt docet D. Thomas infra q. 113. art. 3. consequens erit, vt non solū omnibus generibus, speciebus, & individuis naturæ humanæ simul, verū nec etiā singulis hominibus seorsū proprij possint Angeli deleg ari.

D. Thom.

Respondetur primo ad primam obiectionē.

61 Ad primā ex his obiectionibus respondetur, quòd trāseat prima pars antecedentis (optimè enim posset absolutè negari, cùm loca illa quibus probatur, plures alias habeant

habeant expoſitiones, quæ videri poſſunt apud interpretes. Deinde nec SS. Patres Auguſtinus, & Anſelmus id expreſsè, vel certè, & indubitanter affirmant). Data ergo gratis hac prima antecedentis parte, neganda eſt ſecunda. Ad cuius probationem neganda eſt maior, quæ non ſatis probatur ex illo Apocalypſis 12. *Et cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram*: ibi enim non de caſu Angelorum, ſed de ruina fidelium in fine mundi, cuius tertia pars dicitur ab Antichriſto ſeducenda, & tanquam ſtellæ de cœlo in terram, hoc eſt, à fide Eccleſiæ in errorem, & à ſpe cœleſtium ad gloriæ ſæculi ambitionem trahendam, ad litteram ſit ſermo. Hanc expoſitionem tradit D. Gregorius lib. 32. Moralium cap. 12. in hæc verba. *Cœlum eſt Eccleſia, quæ in hac nocte vitæ præſentis, dum in ſe innumeras Sanctorum virtutes continet, quaſi radiantibus deſuper ſideribus fulget. Sed draconis cauda in terram ſtellas deijcit: quia illa Satanæ ſtremitas per audaciam aſſumpti hominis erecta* (puta Antichriſti) *quoſdam, quos velut electos Dei in Eccleſia inueniet, obtinendo reprobos oſtendet. Stellas itaque de cœlo in terram cadere, eſt nonnullos relicta ſpe cœleſtium, illo duce, ad ambitum gloriæ ſecularis inhiare.* Sic de Antiocho Epiphanæ dicitur Daniel 8. verſu 10. *Deiecit de fortitudine, & de ſtellis, & conculcauit eas*: Vbi ſtellas vocat Iudæos, doctrina, pietate, vel genere illuſtres, quos Antiochus ſuis minis ad idololatriam inflexit, vt interpretantur S. Hieronymus, Theodoretus, & alij ibidem. Et eandem expoſitionē D. Gregorij amplectitur D. Thomas (vel ille cuius hoc opus eſt) ſuper eundē locum Apocalypſis, Aretas, Viegas, Ribera, Cornelius, & alij ibidem.

Auguſt. *Anſelm.* *Apoc. 12.* *D. Greg.* *Daniel. 8.* *S. Hiero.* *Theodor.* *D. Thom.* *Aretas.* *Viegas.* *Ribera.* *Cornel.*

Et inſuper quanuis daremus, hunc locum Apocalypſis ad Angelos poſſe transferri, reſpondetur cum Bubalo, Viega, & Cornelio ibi, numerum determinatum poni pro indeterminato: & ſic tertiam partem nō ſignificare tertiam partem mathematico more, ſed magnam partem: hoc enim ſenſu (inquit Viegas) ſæpè Ioannes in hoc opere tertiam partem nominat, velut cùm ait cap. 8. tertiam partem terræ combuſtam, tertiā partem arborum concrematam: tertiam partem maris conuerſam in ſanguinem; tertiam partem creaturarum, quæ bibebant in mari, interiiſſe; tertiam partem ſolis obſcuratam, itē que tertiam partem lunæ, imò & tertiam partem ſtellarum, vt eandem omnino phraſim in eiſdem verbis liceat agnoſcere: quibus omnibus in locis communiter interpretes tertiam partem, non tertiam partem mathematico more, ſed magnam partem interpretantur.

Bubal. *Viegas.* *Cornel.*

Reſpondetur.

Secundò reſpondetur cum D. Thoma ſuper eundem locum, draconem tertiam partem traxiſſe, ideſt omnes illos, qui reprobi ſunt: diuiditur enim multitudo Angelorum in tres partes, in Angelos ſcilicet aſsiſtentes, in eos, qui mittuntur, & in reprobos. Stat autem optimè, traxiſſe tertiam partem, quanuis hæc alijs duabus incomparabiliter minor ſit. Sunt autem verba Doctoris Angelici hæc: *Secundùm aliquos exponūtur hæc verba præter modum præmiſſum de reprobis Angelis. Cauda eius, ideſt naturalium excellentia, qua alios traxit, ſicut aliquid trahitur cauda. Trahebat, ideſt, traxit, deijciendo per ſuperbiam. Ipſe enim Diabolus cùm primò eſſet omnibus excellentior, videns ſuam naturalem excellentiam ſuperbuit. Multi autem ex alijs videntes eum tam excellentem, conſenſerunt eius ſuperbiæ, & ei adhæſerunt. Tertiam partem ſtellarum, ideſt omnes Angelos reprobos, qui ſtellæ erant per claritatem, ac volubilitatem naturæ. Vna pars Angelorum eſt multitudo eorum, qui aſsiſtunt, ita quòd ſi mittuntur, rarò mittuntur. Alia eſt eorum, qui ita aſsiſtunt, quòd frequenter mittuntur. Tertia pars ſint illi, qui nec ſunt de illis, nec de iſtis. Hos traxit Diabolus. Deprimis, & ſecundis Danielis 7. Millia millium, & decies centena millia, &c.*

Ad confirmationem huius primæ obiectionis reſpondetur, negando maiorem. Et ad probationem dicendum eſt, D. Gregoriū intelligi, non de omnibus ordinibus Angelorum, ſed ſolùm de Angelis ordinis infimi; & adhuc non de omnibus his, ſed de præcipuis illorum tantùm, qui præficiuntur hominibus prædeſtinatis. Vt enim docet D. Dionyſius 4. & 10. cœleſtis hierarchiæ, in quolibet ordine Angelorum ſunt primi, medij, & vltimi. Primi ergo, ideſt perfectiores, iuxta ſuam dignitatem deputantur nobilioribus, & perfectioribus rebus. Cumque homines prædeſtinati inter cętera inferiora ſint perfectiores, quatenus ſunt per ſe intenti, reliqua verò diſponuntur, vt conducunt ad eorum ſalutem: ideò Angeli primi, & perfectiores præficiuntur illis iuxta maiorem, vel minorem vtrorumque perfectionem.

Ad confirmationē prima ſolutio

D. Dion.

Vel ſecundò dici poteſt, D. Gregorium non loqui de indiuiduis hominum, ſed ſolùm de ordinibus eorum, ſolumque velle ſignificare, tot ordines reperiri in hominibus beatis, quot in Angelis, qui remanſerunt: quia ſcilicet (vt ibi latè proſequitur S. Doctor) non eſt ordo in Angelis, ad quem homines iuxta ſua merita non aſſumantur.

Poſterior enodatio.

62. Ad ſecundam obiectionem reſpondetur, illud teſtimonium Deuteronomij in noſtra vulgata editione non legi, *ſecundùm numerum Angelorum Dei*, ſed *iuxta numerū filiorum Iſrael*. Filij autem Iſrael, iuxta lectionem Septuaginta, Angeli nuncupantur

Diluitur ſecunda obiectio.

quia legem, & voluntatem Dei nunti abant populis, in quibus habitabant, & huiusmodi munus exequêtes solent in Scriptura Angeli nominari, vt ex D. Augustino, & Tertulliano suprà dubio 1. n. 1. obseruauimus. Et ita sensus erit, Deum ita constituisse terminos alijs populis, vt tantum spatium relinquerent filijs Israel, quantũ ipse nouerat sufficere ad eorum habitationem: vel, quòd tãta cura statuerit Dominus terminos populorum filiorum Israel, vt maior, vel minor terminus cõstitueretur, iuxta maiorem, vel minorem multitudinem Israelitarum. Nam quando erant pauci, non deleuit totaliter habitatores Canaam, sed tantùm extendit terminos, quantum sufficiebat paucis. Multiplicatis autem illis, totaliter deleuit inimicos, vt extenderentur termini filiorum Israel.

D. Aug. Tertull.

§. III. *Postremum fundamentum veræ sententiæ.*

Vltima ratio pro verâ sententia.

63. TErtia, & fundamentalis ratio desumitur ex D. Thoma in præsenti artic. 3. & 2. contra Gentes cap. 92. ratione 3. potestque ad hanc formam reduci. Quoniam entia perfectiora per se intẽta, quò sunt nobiliora, eò sunt in maiori excessu creata: sed Angeli sunt perfectissimi inter omnes species substantiales creatas, & per se intenti: ergo sunt creati in maiori excessu, quàm omnes illæ. Minor, & consequentia non indigent probatione. Maior autem probatur. Tum, quia maxima perfectio vniuersi, quam Deus in productione illius intendit, vt disput. 1. dubio 1. diximus, per se postulat, vt entia per se intenta, quò fuerint perfectiora, eò plus multiplicentur, aut in maiori magnitudine producantur: quia eo ipso entia illa per se intenta, & ipsum vniuersum ex eis coalescens, erit saltem extensiuè perfectius: ac proindè à Deo Optimo Maximo, qui vniuersum cum maxima perfectione sibi connaturali condidit, talia entia, quò fuerint perfectiora, eò erunt in maiori excessu creata. Tum etiam, quia videmus corpora cœlestia, quia sunt per se intenta, & perfectissima, esse creata in magno excessu secũdùm magnitudinem.

Obijcitur primo contra hanc rationem.

Neque obstat, si obijcias primò, illam maiorem vniuersaliter intellectam esse falsam, vt apparet aliquibus instantijs. In primis. Quia aurum perfectius est ferro, & gemmæ pretiosiores sunt lapidibus: & tamen neque aurum, neque gemmę in maiori excessu sunt à Deo creata, quàm ferrum, & lapides. Deinde. Nam ex perfectis animantibus sæpè pauci, vt Elephantus, & Phœnix, quæ auis perfecta, & vnica tantummodò in rebus reperitur: è contrà verò ex imperfectis innumeri reperiũtur, vt culices: ex muscis item ingẽs, & copiosa adest multitudo. Præterea. Corpora viuentia perfectiora sunt corporibus cœlestibus, à quibus in magnitudine incomparabiliter superantur. Rursus. Astra, & Planetæ sunt corpora distinctæ speciei à suis orbibus, & illis perfectiora (habent enim nobiliora accidentia, & virtutes perfectiores) suntque per se intenta, cùm sint incorruptibilia: non autem excedunt quantitatem suorum orbium, vt per se patet. Tandem. Luna non adæquat quantitatem terræ, licèt sit illa perfectior: ergo, &c.

Vrgetur instantijs.

Occurritur

Non itaque hoc obstat. Neque instantiæ nuper allatæ eneruant vim rationis D. Thomæ, si rectè intelligatur. Non enim in ea est sermo de perfectione per se non intenta ab authore naturæ, qualis est multiplicatio indiuidualis. Neque illa maior propositio taliter accipienda est, quòd semper, & quibuscunque occurrentibus circunstantijs, debeat verificari: hoc enim apertè falsum esset, vt conuincunt plures ex appositis instantijs, & alię similes, quę adduci possent. Sed sensus illius dũtaxat est, quòd entia perfectiora per se intenta, qualia sunt species à Deo productæ, quò sunt nobiliora, eo sunt ab ipso in maiori excessu creata, vel secundùm magnitudinem, si sint corporea, vel secundùm multitudinem, & numerum, si sint incorporea, nisi vel peculiaris natura alicuius rei oppositum petat, vel aliunde hoc impediatur, ex eo quòd reliquæ partes vniuersi aliquo modo læderentur, tunc enim impediretur maior perfectio intensiua vniuersi, quæ ex diuersis speciebus cõsurgit, quæque præcipuè intenditur: vel tandem propter alias causas naturaliter occurrentes. Et aliquo ex his modis contingit in omnibus instantijs appositis.

Replica.

64 Sed dices, nõ posse hæc duo cohærere, & quòd ex ratione generali rei magis perfectæ petat aliquid maiorem quantitatem, & quòd simul ratione suæ differentiæ, & formæ specificæ exigat oppositum: sicut in homine v. g. nequeunt hæc duo coniungi, & quòd ratione animalis petat aliquid, & ratione rationalis postulet oppositum.

Solutio.

Respõdetur, quòd dupliciter potest aliquid postulari ex aliqua ratione communi: vel simpliciter, & in omni euentu, vel solùm quantum est ex vi rationis communis, & cum hoc addito, nimirum, nisi aliũde id impediatur. Et licet quando aliquid petitur primo modo, non possit ex ratione differentiali postulari oppositum ei, quod exigitur ex ratione communi; benè tamen posteriori modo, vt patet exemplo actus odij Dei, qui quantũ est ex vi rationis cõmunis præcisè actus humani versantis hîc, & nunc circa Deum, postulat rectitudinem, & nihilominùs, quia

eam

eam non petit ſimpliciter, & priori modo iam dicto, ideò exigit ratione ſuæ vltimæ differentiæ, & quatenus eſt actus odij, oppoſitum.

In hoc ergo ſecundo ſenſu debet intelligi illa maior propoſitio: in quo ſemper, & vniuerſaliter eſt vera, ſatiſque accõmodata ad inferendum, quòd de facto ſpecies Angelorum omnes alias à Deo productas incomparabiliter ſuperent: cùm Angeli ex ſuis peculiaribus conditionibus non petant oppoſitum: imò genus Angelicum, quippe nobiliſſimum inter omnia alia genera, & non vtcũque, ſed pertinens ad ordinem intelligibilẽ, & menſuratum æuo, petat connaturaliter plures ſpecies, in quibus conſeruetur, vt nu. 57. dicebamus: nec rationabiliter aſsignari poſsit aliquid naturaliter impediens, quominùs id ita de facto cõtingat: quod tamen optimè præſtari valet in omnibus adductis, & alijs ſimilibus inſtantijs.

Ad primam inſtantiam. Vnde ſingulis ſigillatim occurrendo, dicẽdum eſt. Ad primam quidem, quòd peculiaris natura auri, & gemmarum petit, vt in minori quantitate aurum, & gemmæ, quàm ferrum, & lapides producantur. Quod poteſt à poſteriori probari, ex eo quòd de facto hoc ipſum experimur: cumque non viuentia petant intrinſecum ſuæ magnitudinis, & paruitatis terminum, non minùs quàm vi

Complut. uentia, vt conſtat ex illis, quæ N. Complut. in lib. Phyſicorum diſp. 27. nu. 9. & 22. docent, ſignum eſt, quòd hoc, quod de facto in auro, & prædictis gemmis communiter experimur, oriatur ex peculiari, & intrinſeca natura ipſorum.

Ad ſecundã Ad ſecundam inſtantiam de maiori multiplicatione animalium imperfectorum ſupra perfecta, reſpondetur, illam multiplicationem vt potè materialem, & indiuidualẽ, non eſſe ab authore naturę per ſe intentam,

D. Thom. vt docet D. Thomas in præſenti art. 4. in ſolutione ad 4. & ſuprà quæſt. 23. art. 7. Ratio autem Angelici Doctoris procedit de rebus per ſe intentis, vt iam diximus.

Adde, has beſtiolas multiplicari adhuc ſecundùm numerum, propter alias cauſas naturaliter occurrẽtes: ex eo quòd fiunt ex putrefactione terræ, & mediantibus certis influentijs cœleſtibus, quæ contingunt dari in tanta quantitate, quanta ſatis ſit ad hoc, vt detur maior harum beſtiolarum multiplicatio.

Ad tertiam Ad tertiam conſtat ex ſolutione ad primam: nam corpora viuentia non excedunt in magnitudine cœleſtia: ex eo quòd tanta quantitas, quanta eſt illa, quam habent cœli, eſt extra terminum magnitudinis, quam exigunt eorum formæ ad proprias operationes exercendas.

Ad quartã, & quintam. Ex quo etiam ad quartam, & quintam reſpondetur, aſtra (quicquid ſit de maiori eorũ perfectione ſupra cœlum) creata eſſe in minori quãtitate, ſeu magnitudine, quia id eorum peculiaris natura, & forma exigebat. Sicut ob hanc eandem rationem luna, quæ eſt perfectior, quàm terra, producta fuit in minori quantitate, quàm illa. Hoc autem poteſt colligi à poſteriori, ex eo quòd de facto data eſt illis ea quantitas, quam habent, & non maior, neque minor. Nam cùm ſint incorruptibilia, & neque augmentum, neque decrementum in ſe ipſis naturaliter in quantitate recipiant, ſignum eſt, illam quantitatẽ à Deo accepiſſe de facto, quam eorũ formæ naturaliter exigebant.

Adde pro maiori ſolutione huius quartę, & quintæ inſtantiæ, aſtra, & planetas eſſe creata vt ornamenta cœlorum, iuxta illud Geneſis 2. *Igitur perfecti ſunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorũ*: & ſic debebant in quãtitate eſſe minora, quàm id, quod ornant. Si cut etiam, ſi luna eſſet maior, quàm terra, impediretur bonum vniuerſi: quia cùm contingeret ſolem mediante luna eclipſari, impediret magis influentiam ſolis in terram, & hoc in damnum vniuerſi redundaret: ex eo quòd tanta poſſet eſſe eius quãtitas, vt penitus obſtaret prædictæ influentiæ. Aliter occurritur. *Geneſ. 2.*

65 Neque etiam obſtat, ſi contra eandẽ rationem obijcias ſecundò, quòd ordo vnionis hypoſtaticæ, & tres perſonæ diuinæ incomparabiliter excedũt in dignitate, & perfectione omnes ſpecies creatas: & tamen nõ excedunt illas in numero, & multiplicatione ſui: ergo ex eo, quòd ſpecies Angelicæ excedant omnes ſpecies materiales in perfectione, & dignitate, non rectè infert S. Thomas, quòd debent excedere illas in numero, & multiplicatione ſui. Secunda obiectio contra rationẽ.

Reſpondetur ad id, quod dicitur de vnione hypoſtatica, quòd cùm ſola natura humana ſit, quam congruebat aſſumi à Verbo diuino, vt oſtendunt Theologi 3. part. quæſt. 4. art. 1. ſi vniones hypoſtaticæ multiplicarentur, eſſent tantùm ex hoc capite numero diſtinctæ. Multiplicatio autem, & diſtinctio numerica non eſt neceſſe, vt ſit per ſe intẽta, vt ſæpè diximus, & maximè in præſenti non erat conueniens, eam à Deo intendi, aut executioni mandari: quia vnio hypoſtatica ex natura ſua eſt perpetua: & vnica dumtaxat vnio, qua verbum vnitum eſt humanitati, erat ſufficiens ad remedium generis humani, propter quod fuit per ſe primò conueniens eam dari. Et ita, quia ad hunc per ſe primum finem proximum vnionis hypoſtaticæ, & ad alios fines ſecundariò intentos fuit conueniens multiplicatio plurium donorum, ex hac vnione hypoſtatica prouenientium, id circò Deus multiplicauit id, quod in hoc ordine congruum eſt multiplicari, nimirũ do- Solutio.

na ſu-

na supernaturalia, vt procedentia ab hac vnione, merita, & satisfactionem Christi, causalitatem, & influentiam, quam habet in omnia: nã à Christo Domino prouenit perfectio totius mundi, omnis beatitudo hominum, & omnes actus boni, quos habebunt in æternitate, necnon ab ipso etiam proueniũt saltem Angelorum gaudia accidentalia, & multæ reuelationes, quas habent extra verbum. Atque adeò, cùm Angeli excedant species materiales corporeas, & quilibet Angelus participet à Christo Domino plura istorum donorum, consequens est, influentiam ipsius Christi pertinentem ad ordinem hypostaticum incõparabiliter, plusquàm species corporeas, aut quasuis alias de facto creatas multiplicari. Videantur ea, quæ in 1. tomo tractatu 5. disp. 1. num. 24. & 25. diximus.

Dilucidatur. Addi etiam potest (vt simul soluatur id, quod obijcitur de personis diuinis) Angelicum Doctorem solùm loqui de perfectionibus, & rebus à Deo factis, quas non est incõueniens multiplicari. Vnde, quia personæ diuinæ non sunt factæ, vnionem verò hypostaticã multiplicari est incõueniẽs, propter rationes adductas ab eodem D. Thoma. 3. p. quæst. 4. art. 5. & in 3. dist. 2. quæst. 1. artic. 2. quæstiuncula 1. ideò, etiamsi dignitate, & perfectione superent species creatas, nõ plus multiplicantur. Angeli autem sunt verè facti, & non inconuenit, quòd multiplicentur: & ita in eis ratio D. Thomæ rectè procedit. D. Thom.

§. IIII. *Opposita sententia, argumenta pro ea, & solutiones illorum.*

Error oppositus conclusioni. 66. OPpositam tamen sententiam, animarum, numerum Angelorum nõ excedere multitudinem omnium specierũ materialium creatarum, tenuerunt, tum quidam hæretici relati à D. Thoma in 2. dist. 10. art. 1. existimantes, solùm esse vnicum Angelum, qui iuxta varia ministeria, quæ exercet, habet diuersa nomina, & nomine multorum insignitur: tum etiam Algazem, putans esse tantùm decem Angelos, vt inter eius errores refertur in 2. part. directorij Inquisitorum q. 4. num. 5. Tum deinde Rabbi Moyses lib. 2. Morex cap. 7. & Aristoteles 12. Metaphysicæ cap. 7. & 8. ponentes tantùm quadraginta septem Angelos iuxta numerum motuum cœlestium. Algazem. Rabbi Moyses. Aristot.

Probatur primò. Probatur primò. Nam Iob 2. & Apocalypsis 1. & alibi sæpè dicitur, septem esse Angelos, qui astant coram Deo: ergo Angeli nõ solùm non excedunt numerum substantiarum materialium, verùm etiam neque illi cõparari possunt. Iob 2. Apoc. 1.

Respõdetur, nequaquam ex his locis colligi, omnium Angelorum numerum ad septenarium tantùm determinatè coarctari. Nã in illis vel per septenarium intelligitur numerus indeterminatus, & copiosus, iuxta sæpè repetitum Scripturæ morem apponendi numerum septenarium determinatum pro magno numero indeterminato, vt Ecclesiastes 11. *Da partem septem, necnon & octo: quia ignoras quid futurum sit mali super terram*, ideſt, distribue opes tuas multis indigentibus, aut potiùs omnibus, vt seueris ab imminenti calamitate. Et Zachar. 3. *Super lapidem vnum septem oculi*, ideſt, multę custodiæ. De quo videri potest Cãtapetrensis lib. 6. hypothepseon cap. 4. §. *Numerum definitum*. Vel per septenarium numerum Angelorum intelliguntur septem primarij, qui assistunt coram Deo, quibus commissa est gubernatio totius terræ, quique parati sunt ad omne imperium Dei, vel per se, vel per alios Angelos exequendum, præsertim in cura, & administratione hominum. Ita explicat Cornelius à Lapide super caput 1. Apocalypsis. Tandem plures alias expositiones adducunt Serarius Iob 12. per 13. quæstiones, & Ludouicus Alcazar Apocalypsis 1. annotatione 4. & 5. Resp. tur. Eccles. 11. Zach. 3. Cantap. Cornelius à Lapide. Serarius. Ludouic. Alcazar

67. Probatur secundò eadem sententia. Nam omnes Angeli debent influere in hæc inferiora, ne sint frustrà in hoc vniuerso: sed qui influunt, tantùm sunt 47: ergo omnes Angeli non excedunt hunc numerũ: ac per consequens incomparabiliter sunt pauciores, quàm omnes species rerum materialium. Hæc vltima consequentia patet ex prima: & prima ex maiori, & minori apertè sequitur. Maior autem probatur. Tum, quia totum vniuersum est vnum vnitate ordinis, vt Aristoteles, & D. Thomas docent: hic autem ordo consistit in hoc, quòd hæc inferiora regantur à superioribus, & inferiora agãt in infima, vt decet D. Augustinus 3. de Trinitate cap. 4. Vnde si aliqui Angeli non agerent in hæc inferiora, non dicerent ordinem ad totum vniuersum, & sic essent frustrà. Tũ etiam, quia ideò cœlum empyreum influit in hæc inferiora corpora, ne sit frustrà, & præter ordinem vniuersi. Minor etiam probatur. Nam Angeli non possunt influere in res corporeas, nisi motum localem: sed teste Philosopho 12. Metaphysicæ cap. 8. tantùm sunt 47. motus orbium cœlestium: ergo tantùm sunt 47. Angeli, qui causent illos: cum singuli sufficiant pro quolibet motu. Secundum fundam. Aristot. D. Thom. D. Aug. Philos.

Respondetur, non esse necessarium, quòd omnes Angeli immediatè influant in hæc inferiora, ad hoc vt non sint frustrà in hoc vniuerso; sed sufficit, quòd supremi Angeli influant in medios, & vltimos, vt expresè docet Diluitur primo.

cet

D.Thom. cet D. Thomas infrà quæſt. 66. art. 3. ad 2. explicans, qualiter ſit probabilius, cœlum empyreum habere influentiam in inferiora his verbis: *Probabilius tamen videtur dicendum, quòd ſicut ſupremi Angeli, qui aſſiſtunt, habent influentiam ſuper medios, & vltimos, qui mittuntur, quamuis ipſi non mittantur ſecundùm Dionyſium: ita cœlum empyreũ habet influentiam ſuper corpora quæ mouentur, licèt ipſum non moueatur: & propter hoc poteſt dici, quòd influit in primum cœlum, quod mouetur, non aliquid tranſiens, & adueniens per motum; ſed aliquid fixum, & ſtabile, puta, virtutem continendi, & cauſandi, vel aliquid huiuſmodi ad dignitatem pertinens.*

Aliter enodatur. Et deinde dicendum eſt, quòd in inferiora non ſolùm influunt 47. Angeli ſicut aſſeritur in minori huius argumenti. Quod quidem clarè patet ex his, quæ docet idem Angelicus Doctor infrà quæſt. 110. art. 1. in ſolutione ad 2. vbi ſimul ſoluit probationem eiuſdem minoris adductam in argumento his verbis: *Ad ſecundum dicendum, quòd ratio iſta procedit ſecundùm opinionem Ariſtotelis, qui poſuit, quòd corpora cœleſtia mouentur à ſubſtantijs ſpiritualibus: quarum numerum conatus fuit aſſignare ſecundùm numerum motuum, qui apparẽt in corporibus cœleſtibus ſed non poſuit, quòd eſſent aliquæ ſubſtãtiæ ſpirituales, quæ haberent immediatam præſidentiã ſupra inferiora corpora, niſi forte animas humanas: & hoc ideò, quia non conſiderauit aliquas operationes in inferioribus corporibus exerceri niſi naturales, ad quas ſufficiebat motus corporum cœleſtium. Sed quia nos ponimus multa in corporibus inferioribus fieri præter naturales actiones corporum, ad quæ non ſufficiunt virtutes cœleſtium corporum: ideò ſecundùm nos neceſſe eſt ponere, quòd Angeli habeant immediatam præſidentiam, nõ ſolùm ſupra cœleſtia corpora, ſed etiam ſupra corpora inferiora.*

Angelic. Doctor.

Vltimum fundam. 68. Tertiò, & vltimò probatur eadem ſententia. Nam quãtò aliqua ſunt vni primo principio propinquiora, tantò ſunt minoris multitudinis: ſicut quantò numerus eſt propinquior vnitati, tantò eſt multitudine minor: ſed Angeli inter omnes ſpecies ſubſtantiales creatas, ſunt propinquiores Deo, qui eſt primum principium, & maximè vnus: ergo erunt minoris multitudinis, quàm cæteræ ſpecies ſubſtantiales creatæ.

Diſſoluitur. Reſpondetur diſtinguendo maiorem, & concedendo illam de minori multitudine in ſui compoſitione: negando verò eam de minori multitudine ſuppoſitorum, in quibus eorum natura ſaluetur. Et conceſſa minori neganda eſt conſequentia hoc poſteriori ſenſu intellecta, de quo ſolùm concluſio noſtra procedit. Quam ſolutionem tradit *D.Thom.* D. Thomas in præſenti art. 3. in ſolutione ad 2. his verbis: *Dicendum, quòd ex hoc, quòd natura Angelica eſt Deo propinqua, oportet, quòd habeat minimũ de multitudine in ſui compoſitione; non autem ita quòd in paucis ſaluetur.*

Replica. Nec obeſt, ſi vrgeas, quòd ſi ſemel maior propinquitas ad Deum tollit maiorem multitudinem in compoſitione, etiam tollet eã quoad pluralitatem ſuppoſitorum: ſiquidem Deus parùm habet de multitudine ſuppoſitorum, & nihil de multitudine compoſitionis.

Solutio. Reſpondetur enim ex dictis, quòd maior propinquitas ad Deum aufert multitudinem in compoſitione phyſica ex materia, & forma ſubſtantiali, quia tollit prædictam compoſitionem; non tamen habet auferre compoſitionem metaphyſicam, aut ex ſubiecto, & accidente: nam carentia omnis compoſitionis, etiã Metaphyſicæ, in entibus cõpletis arguit infinitatem, & non qualemcunque, ſed infinitatem per eſſentiam, vt in lib. Phyſicorum diſput. 18. num. 17. & deinceps N. Complutenſes docẽt. Et ideò, quia compoſitio Metaphyſica, vt v. g. ex genere, & differentia, petit, vt quò aliquid eſt propinquius Deo ſecundùm ſuam rationem generi cam, eò illud genus ſit perfectius, ac proinde poſtulat reperiri in pluribus ſpeciebus, vt ex dictis num. 57. & 64. conſtat: idcircò ex maiori propinquitate Angelorum ad Deum non ſequitur, eos non dẽbere magis multiplicari ſecundùm ſpeciem, ſed potius oppoſitum inde infertur. Videantur tamen ea, quę num. 73. adducemus,

Complut.

DVBIVM V.

Vtrùm de facto omnes Angeli differant ſpecie?

QVONIAM Dubio præcedenti de diuerſitate, & multitudine Angelorum egimus: vt clarè percipiatur, de qua multitudine, & diuerſitate locuti ſumus, ideò ad id indagandum hoc dubium proponimus. Quia tamen circa diuerſitatẽ ſpecificam Angelorum tria dubitari poſſunt. Primum, an defacto omnes Angeli differant ſpecie? Secundum, dato, quòd defacto ſpecie differant, an de potentia Dei ordinaria poſſent ſolo numero differre? Tertiũ, vtrùm ſaltem per potentiam Dei abſolutam hoc fieri poſſet? Ideò ſingula ſingulis dubijs. primum quidẽm in hoc præſenti, duo verò

alia

alia posteriora duobus sequentibus maioris claritatis gratia decidemus.

§. I. *Verior, & communior sententia.*

Assertio. 69. DIcendum ergo est, omnes Angelos de facto inter se specie differre. Hæc est communior sententia Theologorum. Docent eam à fortiori D. Thomas, & omnes Doctores asserentes, Angelos esse solo numero immultiplicabiles, vel secundùm potentiam Dei ordinariam, vel secundùm potentiam Dei etiam absolutam, quos duobus sequentibus dubijs pro nobis referemus. Et licèt posset hæc assertio eisdem rationibus fulciri, quibus ibidem huiusmodi numericam Angelorum immultiplicabilitatem probaturi sumus: nihilominùs abstrahendo pro nunc ab hoc, quòd sit possibile, vel impossibile, Angelos solo numero differre, suadetur de facto non esse plures vnius speciei, vna vel altera congruentia deducta ex Angelico Præceptore de Spiritualibus creaturis art. 8. & 2. contra Gentes cap. 93.

Congruentia prima pro assertione. Prima quidem est. Quoniã *illa sola videntur multiplicari secundùm numerum in vnica specie, quæ sunt corruptibilia: vt natura speciei, quæ non potest conseruari in vno, cõseruetur in pluribus. Sed Angeli sunt incorruptibiles* (vt infrà ostendemus.) *Ergo non sunt plures Angeli vnius speciei.*

Confirm. Confirmatur. Quia Sol, Luna, & cœlestes orbes omnis corruptionis expertes, in vnico individuo à Deo condita sunt: eò quòd in vnico individuo natura speciei valet cõseruari: sed eadem est ratio de Angelis: ergo, &c.

Obiectio. 70. Nec refert, si dicas, quòd anima rationalis etiam est incorruptibilis: & nihilominùs dantur plures animæ rationales eiusdem speciei: & similiter dantur plura accidẽtia incorruptibilia, qualia sunt intellectus, & visio beatifica, quæ de facto sub eadem specie multiplicantur: ergo ex solo capite incorruptibilitatis non rectè videtur deduci, non esse plures Angelos eiusdem speciei.

Præcluditur. Nõ itaque hoc refert. Nam anima rationalis quanuis in se sit incorruptibilis, est tamen forma corporis, ad cuius multiplicationem ipsa multiplicatur: at verò Angelus taliter est incorruptibilis, quòd nequeat esse forma corporis, vt infrà ostendetur. Non ergo à quacunque incorruptibilitate intulit Angelicus Doctor immultiplicabilitatẽ numericam, sed ex incorruptibilitate rei subsistẽtis per se subsistentis, & completæ, qualis est Angelus. Per quod manet excluſum id, quod dicitur de accidentibus, quæ ad multiplicationem subiectorum multiplicantur.

Nec etiam refert, si vrgeas, quòd stellæ cæli sunt substantiæ cõpletæ, per se subsistẽtes, & incorruptibiles: & nihilominus solo numero multiplicantur: quia communicant in vna forma nobilissima, quæ est lux: ergo etiã ex incorruptibilitate rei subsistantialis completæ, & per se subsistentis, qualis est Angelus, non infertur numerica immultiplicatio sub eadem specie. Vrgebis.

Nõ inquam hoc refert. Nam vel stellæ fixæ sunt inter se, & cum cœlo sidereo continuè, vel solùm contiguè? Si primum, verum est, quòd non distinguuntur specie, non tamẽ erunt substantiæ completæ, sed partiales, vt contendit Nazarius in præsenti art. 3. controuersia 1. dicens, quòd huiusmodi stellæ non differunt à reliquis eiusdẽ sphæræ partibus, nisi densitate, inter se verò virtutibus influendi distinguũtur: quod indicat illius orbis nobilitatẽ, qui diuersis suis partibus, velut quibusdam organis, vtitur ad suæ virtutis influxum in inferiora transmittendum: sicut idẽ hominis corpus plures habet partes sic à natura dispositas, vt apta sint instrumẽta vnius animæ ad multiplices eius operationes exercendas. Sicut ergo (concludit Nazarius) nõ dicimus, partes illas organicas humani corporis, vt aures, & oculos, specie substantiali differre, quanquam figura, & dispositionibus valdè differant: sic nec eiusdem globi stellas, asserẽdum est, esse specie differentes ob solam influendi diuersitatem. Soluitur dupliciter. *Nazarius*

Si autem dicatur secũdum, nempe, quòd stellæ solùm sunt inter se, & cum globo contiguæ, tunc omnes erunt specie distinctæ. Quod veriùs putamus: eò quòd D. Thom. articulo nuper citato de Spiritualibus creaturis incorpore, & in solutione ad 12. in hoc inclinat. Vnde ad obiectionem respõdetur, negãdo minorem. Cuius probationi occurrit idem Angelicus Doctor ibidem in hæc verba: *Corpora autem cœlestia etiam sunt diuersarum specierum, vt dictum est: lux enim nõ est forma substantialis eorum, cùm sit qualitas per se sensibilis, quod de nulla forma substantiali dici potest.* *Angelicus Doct.*

71. Secunda congruentia deducitur ex eodem Angelico Præceptore loco citato de Spiritualibus creaturis, & potest sic efformari. Nam bonum, & perfectio vniuersi consistit in ordine per se, qui in ipso reperitur, non verò in ordine per accidens, qui per accidens in eodem inuenitur: ergo suprema pars eiusdem vniuersi, ad quam pertinẽt omnes, & singuli Angeli, debet participare hãc perfectionem, ita vt inter eos non sit tãtùm ordo per accidens, sed sit ordo per se: ergo non debent solo numero, sed specie distingui. Antecedens probatur, & explicatur à D. Thoma. Nam bonum vniuersi est duplex, quoddam separatum, scilicet Deus, qui est Secunda cõgruẽtia pro assertione.

sicut

ſicut dux in exercitu, & quoddam in ipſis rebus, hoc eſt, ordo partium vniuerſi, ſicut ordo partium exercitus eſt bonũ exercitus. Prima verò conſequentia ex antecedenti patet. Tum, quia ſuprema pars vniuerſi debet magis de perfectione & bono eiuſdem vniuerſi participare: ſicut aliæ partes ſupremæ cæterorũ totorũ participant magis de bono & perfectione eorum: ergo prædicta pars ſuprema, ſcilicet Angeli, debet habere ordinẽ per ſe; non verò ſolùm ordinem per accidens ſecundùm ea, quæ in ſe includit: ſiquidẽ in hoc ordine per ſe cõſiſtit bonũ & perfectio ſui totiꝰ, ſcilicet vniuerſi. Tum etiam, nam cæli, quia ſunt ſuperior vniuerſi pars, licèt nõ omnium ſuprema, idcircò habent ordinem per ſe.

Secunda verò conſequentia cõſtat ex hac prima, & ex antecedenti: quia alioqui illi Angeli, qui ſolo numero differrent, haberẽt inter ſe, non obſtante quòd ſpectarent ad ſupremam vniuerſi partem, ordinem tantùm per accidens, & non per ſe: ſiquidem in omnibus indiuiduis vnius ſpeciei non eſt ordo, niſi ſecundùm accidens: tum, quia ſicut ordo, qui eſt inter ſpecies, eſt formalis, & per ſe, ita ordo, qui reperitur inter ea, quæ ſolo numero multiplicantur, eſt quaſi materialis, & per accidens. Tum etiam, quia indiuidua vnius ſpeciei conueniunt in natura, & differunt ſecundùm principia indiuiduantia, & diuerſa accidentia, quæ per accidens ſe habent ad naturam ſpeciei: quæ autem ſpecie differunt, ordinem habent per ſe, & ſecundùm eſſentialia principia: ergo eo ipſo, quòd Angelus debeat habere ordinem per ſe, & non per accidens, in illo non debet eſſe multiplicatio tantùm numerica, & indiuidualis.

Obiectio cuiuſdam Iunioris.

Ex quo fit, nihil obſtare id, quod contra hanc congruentiam obijcit quidam Iunior nempe, quòd licet in vniuerſo detur ordo per ſe, penes quem potiſsima eius perfectio deſumitur, poteſt dari ordo per accidens, qui per accidens in eo inuenitur: ergo idem etiam dabitur in ſuprema vniuerſi parte, vt ita participet magis de ipſo vniuerſo: ac proinde poterit in ea multiplicatio aliqua ſecundũ numerũ in aliquibus Angelorũ ſpecieb⁹ inueniri.

Soluitur.

Reſpondetur enim ex dictis, negando conſequentiam. Quoniam vniuerſum habet vtrumque ordinem, quia vniuerſum eſt: atque adeò quia conſtat partibus inferioribus, & ſuperioribus. Et ideò illa, quæ conueniunt ei per accidens ratione partium inferiorum, quia inferiores, & imperfectæ ſunt, non debent competere parti ſuperiori: maximè, ſi eo ipſo tollatur ab illa quoad ea, in quibus talis imperfectio per accidens admiſceretur, ratio partis ſupremæ, vt in præſenti contingeret: ſiquidem (vt nuper dicebamus) hoc ipſo, quòd aliqui Angeli diſtinguerentur ſolo numero, ac proinde eſſet in eis ordo tantùm per accidens, tunc iſti amitterent hoc, quod eſt eſſe, aut pertinere ad ſupremam vniuerſi partem, cuius proprium eſt, vt non ſit in ea ordo tantùm per accidẽs, collata cum eis, ex quibus aliquo modo conſtat, aut ad illam connaturaliter ſpectãt, vt patet ex dictis.

Obiectio ſecunda.

72. Neque etiam obſtat, ſi contra eandem congruentiam obijcias ſecundò, quòd inter indiuidua eiuſdem ſpeciei datur ordo per ſe: ergo ex hoc, quòd in Angelis detur ordo per ſe, non ſequitur, eos diſtingui ſpecie. Antecedens probatur. Quoniam Petrus v. g. ita pendet per ſe à ſuo patre, vt non potuerit, naturaliter ſaltem loquẽdo, fieri ab alio, quàm ab illo: & pater eiuſdem Petri ita etiã habet pendere à ſuo patre, vt eodem modo nequiret fieri ab alio: & ſic de alijs aſcendendo vſque ad Adamum: et ſimiliter idem cõtingit in cæteris rebus, vt in igne producto ab alio igne. &c, vt optimè probant N. Cõplut. in lib. Phyſicorum diſput. 15. num. 50. Et propterea Angelicus Præceptor quodlibeto 5. art. 8. ita inquit: *Impoſsibile eſt, eundẽ filium naſci, ſiue ſit alius pater, ſiue ſit alia mater. Sicut etiam non eſt idem numero ſigillum, ſiue ſit alia cera, ſiue ſit aliud corpus ſigilli, ex cuius impreſsione cera ſigillatur.*

Complut.

Angelic. Doct.

Reſpondetur enim, negando antecedens, abſolutè & ſimpliciter loquendo. Quoniam multiplicatio prædictorum indiuiduorum ſub vna & eadem ſpecie nõ intenditur abſolutè & ſimpliciter per ſe, ſed ſolum per accidens, vt ſpecies conſeruari poſsit pereunte vno, aut pluribus ex illis indiuiduis. Et ita, licèt ex ſuppoſitione huius intentionis detur ordo per ſe aſsignatus in hac obiectione inter indiuidua eiuſdem ſpeciei, hic tamen ſolùm eſt per ſe ex prædicta ſuppoſitione, non tamen abſolutè & ſimpliciter: & propterea non arguit multiplicationem ſecundùm ſpeciem inter illa, inter quæ prædictus ordo verſatur. Cùm tamen ordo, qui eſt inter Angelos, ſit ordo per ſe abſolutè & ſimpliciter: & ideo arguat diſtinctionem ſpecificam inter ipſos.

eſponde-ro.

Obiectio tertia.

73. Nec etiam obſtat, ſi contra eãdem congruentiam obijcias tertiò non rectè in ea deduci ex eo, quòd Angeli conſtituant ſupremam partem vniuerſi, debere eſſe in illis diſtinctionem ſpecificam, & ordinem per ſe, & non ſolam numericam, & ordinem per accidens: potiùs namque videtur ſequi oppoſitum. Quia quantò aliqua ſunt ſuperiora, debent eſſe propinquiora Deo, in quo nulla eſt diuerſitas, & ſic tãtò minùs debent eſſe diuerſa: ſed magis diuerſa ſunt ad inuicem, quæ differunt numero, & ſpecie & faciunt ordinem per ſe, quàm quæ differũt numero, & conueniunt in ſpecie, & reddũt ordinẽ per accidẽs: ergo ex eo, quòd Angeli ſint in ſu-

in ſuprema parte vniuerſi, tãtùm abeſt, quòd ſequatur, eos diſtingui in ſpecie, & habere ordinem per ſe; quòd potiùs videtur ſequi oppoſitum.

Eneruatur

Reſpõdetur enim, quòd illa propoſitio, *Quantò aliqua ſunt ſuperiora, debent eſſe propinquiora Deo, in quo nulla eſt diuerſitas, & ſic tantò minùs debent eſſe diuerſa*, eſt intelligenda ſaluis naturis rerum. Vnde, ſi vna natura ſola Deo comparatur, in illa, quò fuerit maior propinquitas, eò erit minor diuerſitas. At verò ſi plures ſimul conferantur ſpecie diuerſæ, non poterit per propinquitatem tolli talis diuerſitas: atque adeò ex hac obiectione ſolùm colligitur, in natura primi Angeli Deo propinquiſſima eſſe minimam diuerſitatem, quod veriſimum eſt, ſiquidem in illa neque eſt diuerſitas ſpecifica, neque numerica: non verò infertur, in pluribus Angelis ſimul ob propinquitatem cũ Deo, in quo nulla eſt diuerſitas, non eſſe diuerſitatem ſpecificam. Quam ſolutionem tradidit D. Thomas quæſtione citata de Spiritualibus creaturis art. 8. in ſolut. ad 2. his verbis: *Ad ſecundum dicendum, quòd cùm inquiritur de differentia, vel conuenientia ſpeciei, eſt conſideratio de rebus ſecundùm naturas ipſarum. Et ſecundùm hoc non eſt loquendum de omnibus Angelis, ſicut de natura vna Deo propinquiſſima; ſed ſolus primus Angelus erat ſecundùm hoc natura Deo propinquiſſima. In qua quidẽ natura eſt minima diuerſitas: quia nec ſecundùm ſpeciem, nec ſecundùm numerum.*

D. Thom.

Obiectio quarta.

74. Neque etiam refert, ſi contra eandẽ congruentiam obijcias quarto. Quòd vegetatiua, ſenſibilia, & rationalia (nempe homines) ſunt perfectiora, quàm cœli: ac proinde ſunt perfectior, & ſuperior pars vniuerſi, quàm ipſi, ſiquidem iuxta maiorem, vel minorem perfectionem vniuſcuiuſque rei habet, quòd ſit perfectior, ſeu ſuperior, aut non ita perfecta, & ſuperior vniuerſi pars. Et tamen hoc non obſtante, inter homines v.g. aut inter ſenſibilia, vt inter leones, non ponitur ordo per ſe: ergo ex eo, quòd cœli ſint perfectior pars vniuerſi, malè colligitur in hac congruentia, eſſe inter eos ordinem per ſe: atque adeò hinc etiam non colligetur, eſſe inter Angelos prædictum ordinem.

Solutio.

Reſpondetur enim, quòd cùm perfectio vniuerſi, vt eſt quoddam totum, coaleſcat ex concatenatione (vt ſic dicamus) partium illius, quia prædictum vniuerſum tantùm eſt vnum quid concatenatione: inde eſt, quòd ratio ſuperioritatis in partibus vniuerſi, quatenus partes illius ſunt, non tam attenditur ex exceſſu, & ſuperioritate in gradu, quàm ex concatenatione prædicta: & ideò illa cenſenda eſt pars ſuperior, quæ in plures alias influit, cuique plures ſunt ſubordinatæ, ſeu cõcatenatæ, & non vtcunque, ſed loquendo de illis partibus, quæ per ſe intenduntur in ipſo vniuerſo, quales ſunt ſpecies. Quare, cùm omnia, & ſingula ex his inferioribus habeãt concatenationẽ cum cœlis, quippe quæ ab illis pendent, eisque ſubordinantur; nõ verò omnia illa ſic ſint cum leonibus, aut hominibus v.g. concatenata: inde eſt, quòd licèt homines excedant cœlos in gradu eſſendi, nempe in intellectualitate, nihilominùs in ratione partium vniuerſi excedantur ab eiſdem cœlis. Sicut etiam hinc erit, quòd Angeli excedant tam in gradu peculiari intellectualitatis, vt ex ſe conſtat, quàm in ratione partis vniuerſi cætera alia: ſiquidem plura ſunt cõcatenata cum ipſis, quàm cum cœlis: nam cũ cœlis concatenantur hæc inferiora, tanquã quid, in quod ipſi influunt; cum Angelis verò ſunt concatenati hoc modo ipſi cœli, nec non & prædicta inferiora: nam præter plura alia, quæ in hæc inferiora cauſant, habẽt peculiariter in illa, vt in ipſos cœlos influere ſpecialem quandam firmitatem, & ſtabilitatem, vt ex D. Thoma infra quæſt. 52. diſcutientes, an Angelus ſit in loco per ſuam operationem, explicabimus.

§. II. *Sententia oppoſita, tria priora ipſius fundamenta, & ſolutiones eorum.*

Oppoſita ſententia.

75. OPpoſitam nihilominùs ſententiã tenent aliqui, tam antiqui, quàm moderni, iuxta duplicem modũ dicẽdi, quorum primus eſt eorũ, qui aſſerunt, omnes Angelos de facto ſolo numero diſtingui. Pro quo refertur Albertus 2. p. tractatu 2. q. 8. & D. Bonauentura in 2. diſt. 9. q. 1. art. 1. Alter eſt eorũ, qui conſtituũt aliquas diſtinctas ſpecies in Angelis, & dicũt, inquacũque ſpecie dari plura individua, aut pertinẽtia ad eãdẽ hierarchiã, & ad eũdẽ ordinẽ, vt Gabriel in 2. diſt. 3. q. vnica art. 2. concluſione 3. Gregorius de Valentia in præſenti diſp. 4. q. 1. pũcto 3. Alexãder Alenſis 2 p. q. 20. mẽbro 6. art. 2. aut ſine reſpectu ad hierarchiã, & ordinem, vt Marſilius in 2. q. 3. art. 1. Argentida diſt. 3. quæſt. 2. art. 3. Molina in præſenti concluſione 2.

Albert. D. Bon. Gabriel. Valent. Alexãd. Alenſis. Marſil. Argẽtina Molin.

Primũ fundamentum ex SS. Patribus deſumptum.

Id autem, in quo omnes iſti Doctores cõueniunt, nimirum, nõ omnes Angelos de facto diſtingui inter ſe ſpecie, probatur primò ex authoritate Sanctorum Patrum, qui ſæpè dicunt, omnes, vel plures Angelos eſſe eiuſdem naturæ, & eſſentiæ, ſicut homines: quod non potuiſſent dicere, ſi loquerentur de natura, & eſſentia generica, niſi cum aliquo addito, quo id explicarent. Sic loquuntur Athanaſius quæſt. 8. ad Antiochum: *Vna & eadem eſt* (inquit) *eſſentia Angelorũ, ſicut etiam vna eſt eſſentia hominum.* Anſelmus lib. 2. *Cur Deus homo* c. 21. *Omnes* (inquit) *Angeli*

Athanaſ. Anſelm.

Angeli ſunt vnius naturæ. Et eodem ferè modo loquuntur Baſilius in Apol. ad Ceſſarianos, quæ inter Epiſtolas ipſius, & Gregorij Nazianzeni eſt 83. & lib. 3. aduerſus Eunomium parùm poſt principium, Nazianzenus in lib. de Laudibus virginitatis, Niſſenus lib. de Creatione hominis. c. 17.

Baſilius. *Nazian.* *Niſſenus.*

Confirmatur primò ex D. Auguſtino in Enchirid. cap. 29. vbi ait, Deum ideò reparaſſe hominem, quia tota ſpecies perierat; non verò reparaſſe Angelos, quia non perierat tota ſpecies illorum: ergo ſentit D. Auguſtinus, quòd nulla ſpecies totaliter perijt in Angelis, ſeu damnata eſt. Sed ſi omnes Angeli inter ſe ſpecie differrent, aliquæ ſpecies in Angelis totaliter perijſſent, illæ ſcilicet, quas habebant, qui cecidérunt: ergo in ſententia Auguſtini omnes Angeli non poſſunt inter ſe ſpecie differre.

Confirm. 1. ex D. Auguſt.

Confirmatur ſecundò ex D. Damaſceno lib. primo inſtit. c. 7. vbi ſic inquit: *Intelligendum eſt, eas, quæ ſola individua continent, ſpecies infirmas vocari, cutuſmodi ſunt Angelus, homo, equus, &c.* Ergo expreſsè ſentit, non omnes Angelos ſpecie differre.

Confirm. ſecundo ex D. Damaſ.

76 Reſpondetur, Sanctos Patres nomine ſpeciei, aut naturæ, vel eſſentiæ non intelligere ſpeciem infimam, ſed ſubalternam, aut conuenientiam in gradu puræ intellectualitatis. Nec oportuit, eos addere aliquid, quo id explicaretur: quia cùm gradus particulares, quibus Angeli inter ſe ſpecie differunt, ſint nobis tam occulti, & ignoti, ſatis eſt, pronuntiari aliquid de eis abſolutè, vt debeat intelligi de gradu manifeſto & noto, qui eſt huiuſmodi gradus communis. Oporteret tamen propter oppoſitam rationem id explicare in alijs ſpeciebus v. g. animalis: vt ſi diceretur, quòd omnia animalia ſunt eiuſdē eſſentiæ, ſpeciei, vel naturæ, nimirum, quia harum ſpecierum diſtinctio valdè nota & manifeſta eſt.

Explicatur mens SS. Patr. & ſoluitur fundamentum.

Ad primam confirmationem dicendum eſt, D. Auguſtinum non loqui de natura & eſſentia Angelorum ſecundùm *eſſe* naturale ipſorum, ſed vt ordinantur in beatitudinem: & quia omnes Angeli vno modo inflexibiliter per vnicam actionem perfectè liberam perueniunt in beatitudinem, vel ab ea diſiciunt, ideò omnes appellantur eiuſdem naturæ & eſſentiæ, quanuis in *eſſe* naturali omnes ſint diuerſarum ſpecierum. Neque obſtat, quòd Auguſtinus diſtinxerit ibi homines, tanquam aliam naturam ab Angelis. Optimè enim poteſt hoc accipi in eodem ſenſu, vt videlicet homines dicantur eiuſdem naturę, inter ſe, & diſtinctæ ab Angelis, quia conueniunt inter ſe in modo tendendi in beatitudinem, ſcilicet multis actibus, & longo tẽporis decurſu, in quo diſtinguũtur à modo tẽdendi Angelorũ.

Ad primam confirmationem.

Quam ſolutionem tradit D. Thomas q. vnica de Spiritualibus creaturis artic. 8. in ſolutione ad 1. his verbis. *Ad primum dicendum, quod Auguſtinus loquitur ibi de natura Angelica, & humana, non ſecundùm quòd conſiderantur in eſſe naturali, ſed ſecundùm quòd ordinantur ad beatitudinem: ſic enim aliqui in natura Angelica, & humana perierunt. Quantum autem ad ordinem beatitudinis, natura humana diuiditur contra totam naturam Angelicam: quia tota natura Angelica vno modo nata eſt peruenire ad beatitudinem, vel ab ea deficere irreparabiliter, ſcilicet ſtatim ad primam electionem: natura verò humana per decurſum temporis: & ideò loquitur ibi Auguſtinus de omnibus Angelis, ſicut de vna natura propter vnum modum ordinis ad beatitudinem, licet differant ſecundùm ſpeciem naturæ.*

D. Thom.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, D. Damaſcenum in illo loco apponere illud vt exemplum, ad quod non eſt neceſſe, quòd loquatur in propria ſententia, ſed ſufficit, quòd vtatur aliorum opinione: & ſic in propria ſententia ſolùm ſub dubio rem iſtam reliquit lib. 2. de Fide c. 3. vbi quæſtionem hanc propoſuit: ſic enim ibi de Angelis loquitur: *Ac de eſſentia quidem, aqua lisne natura inter ſe, an diſpares ſint haud quaquam compertum habemus. Sol ille ſcit, qui eos creauit Deus, quique omnia perſpecta, atque explorata habet.*

Ad ſecundã confirmationem.

77 Secundò probatur eadem oppoſita ſententia. Quia in Angelis eſt perfecta ad inuicem dilectio: nihil ergo eis ſubtrahendum eſt, quod ad perfectionem dilectionis pertineat: ſed quòd ſint plures eiuſdem ſpeciei, pertinet ad perfectionem dilectionis: quia, quæ ſunt vnius ſpeciei, naturaliter ſe inuicem diligunt, vt patet in animalibus, ſecundùm illud Eccleſiaſtici 13. *Omne animal diligit ſimile ſibi*. ergo in Angelis ſunt plures vnius ſpeciei.

Secundum fundamentum oppoſitæ ſentẽtiæ. *Eccleſ.* 13

Reſpondetur, non impediri mutuam dilectionem inter Angelos propter eorũ diſtinctionẽ ſpecificam, ſed potiùs iuuari. Quoniã dilectio in eis, qui ſequũtur cognitionẽ purè intellectualem, & quæ nullã habet connexionẽ cum appetitu ſenſitiuo, magis reſpicit bonum commune, quàm particulare: & diſtinctio ſpecifica Angelorum magis pertinet ad bonũ cõmune vniuerſi, quã numerica, vt oſtẽſum eſt. Quam ſolutionem tradit D. Thom. loco ſæpè citato de Spiritualibus creaturis in ſolutione ad 5. his verbis. *Ad quintum dicendum, quòd cùm affectio ſequatur cognitionem, quantò cognitio eſt vniuerſalior, tantò affectio eam ſequens magis reſpicit commune bonum: & quantò cognitio eſt magis particularis, tanto affectio ipſam cõſequẽs magis reſpicit*

Diſſoluitur. *D. Thom.*

priuatum bonum. Vnde & in nobis priuata dilectio ex cognitione sensitiua exoritur: dilectio verò communis, & absoluti boni ex cognitione intellectiua. Quia ergo Angeli, quantò sunt altiores, tantò habent scientiam magis vniuersalem, vt Dionysius dicit 12. capite Angelicæ hierarchiæ: ideò eorum dilectio maximè respicit commune bonum. Magis ergo diligunt se inuicem, si specie differunt, quod magis pertinet ad perfectionem vniuersi, vt ostensum est, quàm si in specie conuenirent, quod pertineret ad bonum priuatum vnius speciei.

Exemplum. Et explicari potest exemplo charitatis, qua diligimus magis Deum, quàm nos ipsos, non obstante infinita distantia, quæ est inter ipsum, & nos: eò quòd Deus comparatur ad vnumquenque nostrum sicut bonum commune ad particulare.

Tertiũ fundamentum. 78 Tertiò probatur eadem sententia. Quia si omnes Angeli distinguerentur specie, nullus Angelus inferior cognosceret naturaliter superiorem quidditatiuè, & intuitiuè: consequens est falsum, vt ex se constat: ergo, &c. Sequela probatur. Nam eo ipso, quòd Angeli distinguerentur specie, sicut essentia Angeli inferioris excederetur in immaterialitate ab essentia Angeli superioris, quoniam ratione huius excessus distinguerentur specie: ita virtus intellectiua, & species intelligibilis, quæ sunt in Angelo inferiori, superarentur in immaterialitate ab eodem Angelo superiori, quia virtus intellectiua, & species intelligibilis Angeli inferioris sunt eiusdẽ immaterialitatis cũ essentia illius: at hoc ipso, quòd virtus intellectiua, & species intelligibilis Angeli inferioris superarentur in immaterialitate ab Angelo superiori, non posset Angelus superior connaturaliter ab inferiori quidditatiuè, & intuitiuè cognosci: cùm ad huiusmodi cognitionẽ requiratur, obiectum non excedere in immaterialitate virtutem cognoscitiuam, & speciem intelligibilem repræsentantem prædictum obiectum: ergo, &c.

Diuiditur. Respondetur ex his, quæ diximus tom. 1. tract. 2. disp. 2. à n. 165. & deinceps, vbi ostẽdimus, ad cognitionem connaturalem quidditatiuam, & intuitiuam Angeli superioris sufficere conuenientiam ipsius in gradu immaterialitatis (scilicet in hoc, quod est esse separatum ab omni materia physica, quanuis non à potentialitate) cum virtute intellectiua, & specie intelligibili Angeli inferioris, quanuis talis virtus, & species Angeli inferioris excedatur à superiori in immaterialitate non proueniente à prædicto gradu: quia hic excessus non est in immaterialitate per se, & formaliter requisita ad rationem speciei in *esse* speciei formalissimè inspectæ; sed in immaterialitate importata de materiali ab eadem specie, & conueniente ei in *esse* rei formaliter consideratæ. Videantur tamen ea, quæ ibi diximus, vbi plures obiectiones, quæ contra hanc solutionem militare videntur, ex professo soluimus: & insuper illa, quæ disput. 6. huius tractatus num. 73. & 86. dicemus.

§. III. *Alia duo argumenta eiusdem oppositæ sententiæ, vnà cum enodatione eorum.*

Quartũ fundamentum. 79 QVartò probatur prædicta sententia. Quia omnes Angeli conueniũt in hoc, quòd sint purè intellectiui, seu naturæ intellectualis cõpletæ: sed hæc ratio eli ratio atomæ: ergo omnes illi erunt eiusdẽ speciei atomæ. Maior & cõsequentia patent. Minor probatur. Tum, quia vltra hanc rationem, solùm superest in Angelis esse magis, vel minùs intellectiuos, & alia ad hoc consecuta: sed esse magis, vel minùs intellectiuos, & quidquid ad hoc consequitur, tantùm dicit rationes accidentales: sicut esse magis, vel minùs album, vel magis, vel minus calidum, & quidquid ad hoc consequitur, tantùm addit in albo, aut calido aliquid accidentale. Tum etiam, quia esse magis, vel minus intellectiuum, aut quæuis ratio intellectiui, quæ poterat habere rationem differentiæ essentialis, non sunt extra intellectualitatem vt sic: siquidem quæcunque ratio intellectualitatis est actu, & formaliter intellectualitas: cùm tamen rationes differentiales debeant esse extra rationem generis, vt constat ex his, quę N. Complutenses in Logica cap. de Differentia docent. *N. Compl.*

Confirmatur. Confirmatur. Nam sicut Angeli conueniunt in intellectualitate, ita animæ nostræ in rationalitate: ergo sicut intra latitudinem rationalitatis nullæ sunt differentiæ specificæ, sed ipsa est vltima: ita neque intra latitudinem intellectualitatis. Patet consequentia. Quia non est cur infra rationalitatem nullæ sint differentiæ essentiales, benè tamen infra intellectualitatem.

Respondetur ad argumentum. 80 Respondetur negando minorem. Ad cuius primam probationem dicendum est, differentias particulares, quibus Angeli sub intellectualitate distinguuntur, differre penes magis, & minùs secundùm gradum diuersarũ formarum, non secundum diuersum modum participationis vnius, & eiusdem formæ. Et ratio est. Quia adueniunt essentiæ nõ completæ in ratione essentiæ, eò quòd gradus ille communis intellectualitatis non importat aliquid certum & determinatũ in suo ordine, sicut requiritur ad essentiam vltimò completam. Illa autem, quæ differunt penes magis, & minùs secundùm gradum diuersarum formarum, specie, & essentialiter distin-

diſtinguuntur, vt cùm album dicitur magis clarum, quàm rubeum, aut viride; licèt illa, quæ diſtinguuntur ſecundùm magis, & minùs penes diuerſum modum participationis eiuſdem formæ, ſolùm differant accidentaliter, vt in gradibus eiuſdem albedinis cernitur.

Quam ſolutionem tradit D. Thomas, q. *D. Thom.* de Spiritualibus creaturis art. 8. citato in ſolutione ad 8. his verbis: *Ad 8. dicẽdum, quòd magis, & minùs dupliciter accipitur. Vno modo, ſecundùm diuerſum modum participationis vnius, & eiuſdem formæ, ſicut magis albũ dicitur magis clarum, quàm minus album: & ſic magis, & minùs non diuerſificant ſpeciem. Alio modo dicitur magis, & minùs ſecundum gradum diuerſarum formarum, ſicut album dicitur magis clarum, quàm rubeum, aut viride: & ſic magis, & minùs diuerſificãt ſpeciem. Et hoc modo Angeli differunt in donis naturalibus ſecundùm magis, & minùs.*

Ad ſecundam autem probationem eiuſdem minoris reſpondetur, negando, differentias particulares Angelorum non eſſe actu extra intellectualitatem communem omnibus Angelis. Etenim in eſſentia completa intellectualitatis duo poſſunt diſtingui. Primũ eſt, id, quod præcisè requiritur, & ſufficit ad habendam naturam intellectualem, quod eſt eſſe principium potentiarum, & operationum intellectualium. Secũdum eſt, certus & determinatus modus participandi intellectualitatem, qui eſt id, quod conſtituit principium potentiarum, & operationum tantæ, vel tantæ perfectionis, & immaterialitatis: & hoc ſecundum poteſt multiplicari in infinitum ſecundùm diuerſos, & inæquales modos, quibus poteſt participari ratio conſtituendi tale principium: & ex his duobus primum importatur actu à gradu communi intellectualitatis; ſecundum verò ſolùm in potentia. Et ſic, cùm in argumẽto dicitur, quòd quecunque ratio intellectualitatis eſt actu, & formaliter intellectualitas, debet iuxta dicta diſtingui.

Elucidatur ſolutio. Et explicari poteſt exemplo differentiarũ ſpecialium, per quæ inter ſe differunt bruta. Huiuſmodi enim differentiæ, etſi actu, & formaliter ſint aliquid ſenſibile, prout ſenſibile dicit ſpecialem modum, & ſub tanta, vel tanta perfectione conſtitutiuum ſpeciei contentæ ſub ſenſibili generico, non tamẽ actu ſunt aliquid ſenſibile, quod eſt commune per modum generis omnibus brutis formaliter loquendo: neque in tali ſenſibili actu, ſed ſolùm in potentia continentur. Vnde de illis verificatur actu, & formaliter ſenſibile iam infinuatum; non verò ſenſibile commune communitate generis. Et ſic in his, & in alijs ſimilibus differentijs, quæ conſtituit in ſpecie, diſtinguitur à differentia, quæ conſtituit in genere, ſolùm ſicut determinatum ab indeterminato, & tanquam actus à potentia, non verò tanquam addens ſupra eam aliquid nobilioris naturæ, ſeu (quod in idem quoad præſens redit) non tanquam aliquid eleuans, & trahens genus illud ad aliquam naturam ſuperioris ordinis, ſicut rationale trahit, & eleuat idem ſenſibile, ſcilicet animal. Quod optimè obſeruauit D. Thomas loco nuper ci- *D. Thom.* tato in ſolut. ad 9. vbi ſic inquit: *Ad 9. dicendum, quòd illud, quod conſtituit in ſpecie, eſt nobilius eo, quod conſtituit in genere, ſicut determinatum indeterminato: habet enim ſe determinatum ad indeterminatum vt actus ad potentiam: non autem ita quòd ſemper illud, quod conſtituit in ſpecie, ad nobiliorem naturã pertineat, vt patet in ſpeciebus animaliũ irrationalium. Non enim conſtituuntur huiuſmodi ſpecies per additionem alterius naturæ nobilioris ſupra naturam ſenſitiuam, quæ eſt nobiliſſima in eis; ſed per determinationem ad diuerſos gradus in illa natura. Et ſimiliter dicendum eſt de intellectuali, quod eſt commune Angelis.*

Ad confirmationem reſpondetur, negãdo conſequentiam. Quia rationalitas, vt conuenit homini, habet rationem extremi, & termini, vel ſupremi in ordine naturarum corporearum, vel etiam infimi in ordine ſubſtãtiarum ſpiritualium, quia natura corporea in rationalitate attingit infimũ ordinis ſubſtantiarum ſpiritualium. De ratione autem extremi, & vltimi, eſt carere ſecundùm ſe latitudine, atque adeò non eſſe diuiſibile, aliàs eſſet vltimum, & non eſſet vltimum. At verò intellectualitas, vt conuenit Angelis, non habet rationem extremi, cùm ſit medium inter Dei intellectualitatem ſuperiorem, & hominum inferiorem, & ſic poteſt optimè ſecundùm ſe habere latitudinem, & eſſe diuiſibile in plures ſpecies. Quam ſolutionem tradit D. Thomas loco ſæpè citato in ſolutione ad *D. Thom.* 10. his verbis: *Quòd autem eſt vna ſola ſpecies animalis rationalis, multis exiſtẽtibus ſpeciebus irrationalium, ex hoc prouenit, quia animal rationale conſtituitur ex hoc, quod natura corporea attingit in ſui ſupremo naturã ſubſtantiarum ſpiritualium in ſui infimo. Supremus autem gradus alicuius naturæ, vel etiam infimus eſt vnus tantùm.*

Ad confirmationem.

81 Quintò, & vltimò arguitur pro eadẽ ſententia. Nam multi homines inueniuntur æquales in beatitudine. Tũ, quia paruuli decedentes cum gratia baptiſmali omnes ſunt æqualis beatitudinis: tum etiam, quia de- *D. Aug.* beatis Apoſtolis Petro, & Paulo affirmat D. Auguſtinus in 5. ſermone eorum, quòd per omnia ſunt æquales: tũ denique, quia de alijs multis id ipſum docent idem Auguſt. 2. cõtra aduerſarios legis, & Prophetarum cap. 5. & Hieronymus Matthæi 11. Ergo Angeli *D. Hier.* eorum

Vltimũ fundamentũ.

eorum custodes erunt æquales omninò in sua perfectione specifica. Patet consequentia. Nam sicut maiores Angeli maioribus officijs deputantur, & minores minoribus: sic officijs omninò æqualibus, qualia sunt custodire homines, qui futuri sunt æquales in beatitudine, Angeli omninò æquales debent deputari.

Cõfirmat. Confirmatur. Nam omnes Angeli eiusdem ordinis habent idem officium, v.g. omnes Potestates ordinant ea, quæ sunt ab alijs exequenda secundùm determinationem Dei: ergo sunt eiusdem speciei, sicut officia, quæ sortiuntur.

Ad fundamentum vltimum. Respondetur, quòd licèt multi homines sint æquales in beatitudine supernaturali, reperiturtamen in eis aliqua inæqualitas, vel in donis, vel in conditionibus naturalibus: & ideò tunc perfectioribus in naturalibus, licèt in beatitudine æqualibus, deputantur Angeli perfectiores. Quæ solutio manifestè

D. Thom. colligitur ex D. Thoma infrà q. 113. artic. 2. ad 3. vbi postquam sibi opposuisset simile argumentum deductum ex æqualitate in natura humana, respondet in hæc verba: *Ad 3. dicendum, quòd quãnis homines in natura humana sint pares; tamen inæqualitas in eis inuenitur, &c.*

Ad cõfirm. Ad confirmationem respondetur quenlibet Angelum, etiam eiusdem ordinis, secundùm suam maiorem perfectionem specificã sortiri perfectius officium, & ministerium, quod secundùm suam specialem rationem est nobis ignotum, ob imperfectionem cognitionis nostræ, & tantùm manifestatur secũdùm rationem communem. Quam rationẽ

Angel. Doct. tradit, & optimè illustrat Angelicus Doctor infrà quæst. 108. art. 3. in corpore: *Ille, qui perfectè cognoscit res aliquas, potest vsque ad minima, & actus, & virtutes, & naturas earũ distinguere. Qui autem cognoscit eas imperfectè, non potest distinguere nisi in vniuersali. Quæ quidem distinctio fit per pauciora: sicut qui imperfectè cognoscit res naturales, distinguit earum ordines in vniuersali, ponẽs in vno ordine cœlestia corpora, in alio corpora inferiora inanimata, & in alio plãtas, & in alio animalia. Qui autẽ perfectiùs cognosceret res naturales, posset distinguere, & in ipsis corporibus cœlestibus diuersos ordines, & in singulis aliorũ. Nos autẽ imperfectè Angelos cognoscimus, & eorũ officia, vt Dionysius dicit cap. 6. Hierarchiæ cœlestis. Vnde nõ possumus distinguere officia, & ordines Angelorũ, nisi in cõmuni, secundùm quẽ modũ multi Angeli sub vno ordine cõtinẽtur. Si autẽ perfectè cognosceremus officia Angelorũ, & eorũ distinctiones, perfectè sciremus, quòd quilibet Angelus habet suum propriũ officiũ, & suum propriũ ordinem in rebus, & multò magis qualibet stella, etsi nos lateat.*

DVBIVM VI.

Virùm sub eadem specie atoma potuerint esse plures Angeli secundùm legem, seu potentiam Dei ordinariam?

EX Dictis initio dubij præcedentis aliqualiter cõstat, quo ordine dubium hoc tanquam distinctũ post illud sequatur, & ad subsequens etiam dubiũ tanquam distinctum præcedat. In eo autem animaduertendum est, quòd nomine potentiæ ordinariæ nihil aliud intelligimus, quàm eã, quæ sequitur directionem sapientiæ diuinæ, instituentis ordinem seruãdum in effectibus iuxta exigentiam causarum secundarum, aut naturæ ipsorum effectuum, quando effectus non habent causas secundas. Et sic idem est, ac inquirere, an hoc sit factibile iuxta naturã Angelorum, & seruato modo eis conueniẽte? In quo sensu dubium hoc distinguitur, tã à præcedenti, quàm à sequenti: à præcedenti quidem, quia non est satis, non esse factã multiplicationem Angelorum sub eadẽ specie, ad hoc vt extet huius præcisè non esset possibilis secundùm potentiam Dei ordinariã: multa enim sunt possibilia secundùm communem dispositionem, atque adeò secũdùm potentiam Dei ordinariam, quæ tamen nunquam fient: à sequẽti verò dubio, in quo idẽmet iuxta potentiam Dei absolutam est inquirendum, satis constat distingui: quia certum est multa non posse fieri iuxta exigentiã naturæ, atque adeò esse impossibilia secundùm potentiam Dei ordinariam, quæ tamen fieri possunt præter, vel supra id, quod ipsorum natura postulat: quod est esse possibilia per potentiam Dei absolutam.

Animaduersio.

§. I. *Sententia D. Thomæ.*

82. DIcendum ergo est per respectum ad legem, seu potentiam Dei ordinariam, seu (quod idem est) iuxta naturam Angelorum, & seruato modo eis conueniente, non posse Angelos numero multiplicari sub eadẽ specie atoma. Hãc cõclusionẽ proculdubiò tenet D. Thom. in præsenti, & 2. contra Gentes c. 93. & q. de Spiritualibus creaturis art. 8. & in 2. dist. 3. q. 1. art.

Conclusio.

D. Thom.

art. 4. & suprà q. 41. art. 6. & infrà q. 75. art. 7 & alibi sæpè, ex quibus testimonijs præcipua verba sequenti dubio referemus. Eädem etiam tuentur Herbeus in 2. dist. 3. q. 1. art. 2. Capreolus ibidem q. 1. art. 1. conclusione 5. & art. 3. in solutionibus ad argumenta Scoti contra eandem quintam conclusionem. Richardus eadem distinctione art. 4. q. 1. Hispalensis ibidem q. 1. art. 1. conclusione 4. Ægidius Romanus quodlibeto 2. q. 7. Caietanus de ente & essentia cap. 5. q. 9. Petrus Bergomensis in concordantijs dictorum D. Thomæ dubio 115. Nazarius, Bañez & Ripa in præsenti, Granado tractatu 1. de Essentia, & substantia Angeli disput. 4. num. 9. & cõmuniter discipuli D. Thomæ.

Herbeus
Capreol.
Richard.
Hispalen.
Ægidius Romanus
Caietan.
Petrus Bergom.
Nazarius
Bañez
Ripa
Granado

Ratio fundamentalis ex D. Tho. desumpta

Ratio fundamentalis huius assertionis desumitur ex his, quæ tomo 1. tractatu 1. disput. 1. à num. 20. vsque ad 23. ex Angelico Præceptore tradidimus, & potest ad hanc formam reduci. Quoniam in Angelis repugnat naturæ speciei atomæ diuidi in indiuidua: ergo saltem per respectum ad legem Dei ordinariam non possunt Angeli solo numero multiplicari sub eadem specie atoma. Patet consequentia. Quoniam vt in titulo, & in conclusione explicatum est, in præsenti pro eodem sumimus, posse fieri aliquid per respectum ad legem Dei ordinariam, ac posse fieri iuxta naturas rerum, & seruato modo eis conueniente: ergo eo ipso, quòd non solùm non sit conueniens naturæ speciei atomæ in Angelis diuidi, seu multiplicari in indiuidua, sed etiam hoc illi repugnet, non poterit in illa dari talis multiplicatio per respectum ad legem Dei ordinariam. Antecedens autem probatur. Quia natura speciei atomæ in Angelis est forma irreceptibilis in materia: formæ autem irreceptibili in materia repugnat diuidi in plura indiuidua, vt patet exemplo albedinis adducto à D. Thoma in hoc art. 4. quæ si esset à subiecto tam actu, quàm aptitudine separata, ita vt nullo modo ad illud habitudinem importaret, repugnaret illi vt sic diuidi indiuidualiter.

D. Thom.

Confirmatur primò

Confirmatur primò ex his, quæ in 1. tomo disput. citata nu. 21. diximus. Quoniam indiuidua eiusdem speciei conueniunt in perfectione intrinsecè spectante ad essentiam specificam, ita vt cuncta illa perfectio reperiatur in eorum quolibet, & solùm discriminentur in diuersis modis substantialibus habendi eam: sed vbi natura specifica est ex natura sua per se subsistens, & omninò, seu tam actu, quàm aptitudine separata à materia, & à receptiuo, nequit dari pluralitas, aut diuersitas modorum habendi eam: ergo neque pluralitas, aut distinctio indiuidualis. Consequentia apertè sequitur ex vtraque præmissa. Minor autem, in qua est difficultas, potest sic explicari, & probari. Quoniam ad diuersitatem illorum modorum requiritur, quòd singula ex illis indiuiduis participent naturam specificam limitatè, idest, non adæquatè, & quantum participari potest ex parte modi participandi, alioqui non possent illi modi esse inter se distincti, & inæquales: sed vbi natura specifica habet esse omninò separatam à materia, nihil reperitur, à quo valeat huiusmodi limitatio prouenire: nam cùm vnumquodque limitetur per suum oppositum, vt actus per potentiam, necesse est, limitationem & coarctationem actus, qualis est natura specifica respectu indiuiduorum, fieri etiam per oppositum, nempe per potentiam, aut materiam. Ergo neque poterit ibidem inueniri multiplicitas prædictorum modorum.

Confirmatur secundò

Confirmatur secundò ex his, quæ loco nuper citato num. 22. diximus. Quoniam ipsum *esse*, seu ipsa existentia per se subsistens non potest esse, nisi vna tantùm numero, quia est omninò irrecepta, & ex cõsequẽti illimitata: & propterea, quia natura diuina est sua existentia per se subsistens, nequit multiplicari numero. Ergo eadem ratione quæuis forma omninò irrecepta, qualis est Angelus, nequibit multiplicari numero. Hæc consequentia apertè sequitur ex antecedenti, vt intuenti patebit. Vnde propter hanc rationem Angelicus Doctor multoties asserit; quodlibet indiuiduum naturæ Angelicæ habere infinitatem intra suam speciem, & ita non posse dari aliud intra illam. Quorum verborum non est sensus, quòd intra latitudinem illius speciei possit ita esse perfectum, vt habeat perfectionem positiuè infinitam (quo pacto Scotus & alij S. Doctorem interpretantur) sed solùm quòd habeat naturam specificam infinitè negatiuè ex parte modi habendi eam, hoc est, adæquatè, & sine determinatione ad aliquem modum limitatum participandi illam: ex eo quòd non habet formam receptam in materia: & proprium est materiæ, quod sit radix prædictæ limitationis, & multiplicationis indiuidualis.

Angel. Doctor

Scotus

Confirmatur tertiò

Confirmatur tertiò. Nam hoc ipso, quòd Angelus sit forma simplex per se subsistens, nullo modo dicens ordinem ad materiam, in qua recipiatur, in eo debent esse idẽ absque distinctione etiam virtuali vnitas, & distinctio specifica, & numerica, seu res, & *quod quid est* eius: ergo repugnat naturæ specificæ Angeli diuidi indiuidualiter: ac percõsequens talis diuisio, & multiplicatio sub eadem specie non poterit fieri, saltem per respectum ad potentiã Dei ordinariã. Hæc vltima cõsequẽtia apertè sequitur ex prima, vt ex se, & ex dictis cõstat. Prima autẽ ex antecedẽti.

Nam vnitati numericæ apertè repugnat diuidi indiuidualiter: atque adeò si in Angelo vnitas specifica, & numerica adhuc virtualiter non distinguuntur, repugnabit eius naturæ specificæ diuidi indiuidualiter.

Antecedens autem probatur. Nam hoc ipso, quòd Angelus sit forma simplex per se subsistens, nullo modo dicens ordinem ad materiam, in qua recipiatur, habet ex vi huius, absque eo quòd aliquid virtualiter distinctum ei addatur, vnde indiuiduetur, seu (quod in idem quoad præsens redit) quòd sit res, & *quodquid est* eius. Tum, quia sicut forma receptibilis in materia habet vnde indiuiduetur, hoc ipso quod sit receptibilis in hac materia potiùs, quàm in illa: ita forma irrecepti bilis in omni materia habet vnde indiuiduetur, hoc ipso quòd in nulla sit receptibilis. Tum etiam. Quia sicut compositum ex materia, & forma inde habet, quòd sit hoc, vnde ei prouenit, quòd neque in subiecto sit, neq; de subiecto dicatur: ita forma simplex, & cõpleta, ac per se subsistens, qualis est Angelus, inde habebit, quòd sit hæc, vnde ortũ ducit, quòd neque sit in subiecto, neque de subiecto dicatur. Cõstat autẽ, hoc ei conuenire, hoc ipso quòd sit forma simplex, cõpleta, & irreceptibilis in omni materia: ergo, &c.

Angel. Doctor. Desumiturque hæc confirmatio ex Angelico Doctore, tum de Spiritualibus creaturis, art. 8. in solutione ad 4. his verbis: *Ad 4. dicendum, quòd sicut forma, quæ est in subiecto, vel materia, indiuiduatur per hoc, quòd est esse in hoc ita forma separata indiuiduatur per hoc, quòd non est nata in aliquo esse. Sicut enim esse in hoc excludit communitatem vniuersalis, quod prædicatur de multis: ita non posse esse in aliquo.* Tum etiam 1. p. q. 3. art. 2. ad 3. his verbis: *Dicendum, quòd forma, quæ sunt receptibiles in materia, indiuiduantur per materiã, quæ non potest esse in alio, cùm sit primum subiectum substans: forma verò, quantum est de se, nisi aliquid aliud impediat, recipi potest à pluribus. Sed illa forma, quæ non est receptibilis in materia, sed est per se subsistens, ex hoc ipso indiuiduatur, quòd non potest recipi in alio.*

Ipsemet. Et similiter cuncta, quæ pro assertione diximus, desumuntur ex eodem Angelico Doctore in præsenti, & suprà q. 41. art. 6. & q. 44. art. 1. necnon infrà. q. 75. art. 7. & 3. de Anima lect. 8. quæ ipse ex Aristotele ibidẽ *Arist.* textu 8. sub his verbis deprompsit. *Natura speciei indiuiduatur per materiam. Vnde principia indiuiduantia, & accidentia indiuidui sunt præter essentiam speciei. Et ideò contingit sub vna specie inueniri plura indiuidua: quæ licèt non differant in natura speciei; differunt tamen secundùm principia indiuiduantia. Et propter hoc in omnibus habentibus formam in materia, non est omninò idem & res, & quod quid est eius: Socrates enim non est sua humanitas. In his verò quæ non habent formam in materia, sicut sunt formæ simplices, nihil potest esse præter essentiam speciei: quia ipsa forma est tota essentia. Et ideò in talibus non possunt esse plura indiuidua vnius speciei, neque potest in eis differre res, & quodquid est eius.*

83 Nec refert, si contra hæc obijcias primo, falsum esse vniuersaliter loquendo, quòd formæ irreceptibili in materia repugnet diuidi in plura indiuidua. Nam quando est limitata, vt in forma Angeli contingit, sicut propter sui limitationem non repugnat, imo secundùm se illi conuenit ratione suæ differentiæ specificæ limitare & contrahere naturam genericam: pari ratione non repugnabit illi, quòd sint dabiles in ea plures differentiæ, seu modi indiuiduales, qui secundùm se, & ex proprijs sint limitati, ac proinde idonei, vt limitent & determinent naturam specificam, licèt sit omninò separata à materia: ac per consequens nec repugnabit illi diuidi in plura indiuidua. *Obiectio prima contra rationem. D. Thom.*

Non itaque hoc refert. Iam enim satis constat ex tomo 1. loco nuper relato num. 23. negandum esse antecedens: & ad eius probationem concesso antecedenti, negandam esse consequentiam. Et ratio disparitatis, quam ibidẽ tradidimus, est, quòd differentiæ specificæ potest in Angelo assignari sufficiens radix, seu fundamentum suæ limitationis, nimirum, propria essentia actualis eiusdem Angeli: ex eo quòd prædictæ differentiæ competit, vt sit formalis, & actualis, sicut essentia Angelica. Cæterùm respectu prædictorum modorum, seu differẽtiarum indiuidualium nequit, imò repugnat simile fundamentum dari: quia competeret illis esse limitatos, ad instar materiæ, & potentiæ, vt ostensum est: & eadem natura specifica omninò separata à materia, ac proinde nõ includens formam receptibilem in potentia materiæ, nequit esse radix, aut fundamentum limitationis adeò diuersæ, imò repugnat illi. Videantur tamen ea, quæ loco citato diximus, vbi hanc eandem disparitatem magis elucidauimus. *Solutio.*

Nec etiam refert, si secundò obijcias, quòd D. Thomas q. vnica de Spiritualibus creaturis art. 8. ad 4. expressè dixit, nõ repugnare huic Angelo esse in multis, secundùm rationem speciei, sed ex eo quòd pertinet ad rationem indiuidui, his verbis: *Natura huius Angeli non prohibetur esse in multis, ex hoc, quod pertinet ad rationem speciei, sed ex eo quod pertinet ad rationem indiuidui.* Ergo non est ad mentem S. Doctoris dicere, tum repugnare naturæ specificæ Angelorum diuidi indiuidualiter, vt in ratione facta dictum est, siquidem expressè asserit D. Thomas oppositum: tum etiam, in Angelo vnitatem specificam, & indiuidualem non distingui adhuc virtua- *Secũda obiectio ex D. Thoma.*

virtualiter, vt in vltima confirmatione asseruimus: quandoquidem si distinctio virtualis non intercederet inter vnitatem specificam, & numericam, quidquid repugnat Angelo, ex eo quod pertinet ad rationem vnius, repugnaret etiam, ex illo quod spectat ad rationem alterius.

Responsio. Respondetur enim, quòd D. Thomas in isto loco distinguit duo munera inadæquata illius formalitatis, quæ in Angelo est simul absque distinctione virtuali natura specifica, & indiuidualis: & secundùm vnum munus per conceptus nostros assimilatur quodammodò naturæ specificæ rei materialis: & secundùm hoc munus sic conceptum, inquit S. Doctor, non repugnare illi multiplicationem indiuidualem, quanquam repugnet ei simpliciter, eò quòd prædictum munus est in eadem formalitate identificatum absque distinctione virtuali cum altero munere, ratione cuius adhuc ex parte nostri modi concipiendi assimilatur quodammodò vnitati indiuiduali rei materialis.

Itaque aliud est, an natura specifica, v. g. Angeli Michaelis, adæquatè intellecta secundùm omnia, quæ ex genere suo pertinent ad lineam naturæ, prohibeatur ex parte rei conceptæ esse in multis; aliud verò, an concepta præcisè secundùm id, quod exprimit, vt quodammodò æquiualet, & correspondet rationi specificæ rerum materialium, concipiatur expressè vt habens aliquid, quod prohibeat eam esse in multis. Etsi ergo prædicta natura secundùm priorem considerationē, ac proinde secundùm omnia, quæ importat, ad eam absque distinctione virtuali pertinentia, habeat aliquid ex parte rei conceptæ, prohibens illam esse in pluribus: attamen secundùm posteriorem cōsiderationem, & vt subest prædicto conceptui expresso, & inadæquato sui, nihil exprimit, quod prohibeat eā esse in multis: quia tantùm exprimit seipsam, vt comparatur ad suum genus, & ad suam differentiam atomam, nihil exprimēndo de sua differentia indiuiduali, & an sit receptibilis, vel irreceptibilis in aliqua materia, secundū quam rationem concipitur expressè vt indiuidua, ac singularis. Vnde, cùm D. Thomas dixit, quòd *natura huius Angeli non prohibetur esse in multis, ex eo quod pertinet ad rationem speciei, sed ex eo quod pertinet ad rationem indiuidui*, loquitur de eadem natura secundùm hanc vltimam considerationem, seu vt præcisè concipitur conceptu inadæquato, & expresso nuper explicato.

D. Thom.

Per quod etiam ad secundam impugnationem in eadem obiectione contentam patet. Nam etsi ex identificatione differentiæ indiuidualis, & specificæ absque distinctione virtuali reperta in Angelo, sequatur, quòd quicquid ex parte rei cōceptæ repugnat vni, repugnet etiam alteri adæquatè sumptæ; non tamen, quòd quicquid expressè non repugnat vni, vt præcisè concipitur aliquo conceptu expresso, & inadæquato, debet non repugnare alteri, vt intelligitur alio conceptu expresso, & inadæquato, qui correspondet ei, vt ex parte nostri modi concipiendi tantummodò distinguitur à se ipsa, vt est sub priori conceptu.

Esse autem hanc optimam explicationem mentis D. Thomæ, satis liquet ex contextu eiusdem solutionis. Nam ibi D. Thomas præmiserat, vt n. 82. retulimus, quòd formæ per se subsistētes, quales sunt Angeli, indiuiduātur ex hoc, quòd sunt formæ nō receptibiles in aliqua materia. Constat autē, quòd esse formas irreceptibiles in omni materia, pertinet ad conceptum specificum formarum per se subsistentium, & completarum, quales sunt Angeli, si prædictæ formæ adæquatè quoad rationem specificam concipiantur. Et ita secundùm Angelicum Doctorem ibidem, indiuiduatio, & specificatio in eis solùm distinguuntur ex parte nostri modi concipiendi: & quidquid affirmatur, vel negatur conuenire prædictis naturis ratione speciei, non verò ratione indiuiduationis, non intelligetur, iuxta mentem eiusdem S. Doctoris, de illis ex parte rei conceptæ consideratis, sed solùm vt subsunt nostro imperfecto modo concipiendi, vt explicatum est.

Nec obest, si vrgeas, non cohærere hæc cum his, quæ N. Complutenses docent in sua Logica disput. 6. tum n. 43. vbi asserūt, quòd sola natura diuina est essentialissimè singularis, tum etiam n. 37. vbi inquiunt, quòd singularitas non est de essentia alicuius creaturæ: & quòd licèt in Angelo *eadem entitas realis sit differentia specifica, & indiuidualis, munera tamen talis entitatis sunt valde diuersa*: quod ex eo colligunt, *quia singularitas non est de essentia alicuius creaturæ*. Constat autem, quòd si singularitas Angeli, seu indiuiduatio illius non distingueretur virtualiter ab eius essentia, tunc ex parte rei conceptæ singularitas esset de essentia illius: ac proinde non sola natura diuina esset essentialissimè singularis, sed etiam aliqua natura creata id haberet: & per consequens munera illius entitatis, quæ in Angelis simul est natura specifica, & indiuidualis, non essent ita diuersa, sicut à prædictis Complutensibus asseritur.

Replica. Complut.

Respondetur enim, nostros Complutenses loqui de singularitate, non qualicunque; sed quæ non sit mista, & identificata cū vniuersalitate. Et ita indiuiduatio Angelica identificatur absque distinctione virtuali cū natura atoma Angeli, quę est species prædicabilis secundùm rationem, vt prædicti Complutenses disput. citata à n. 35. vsque ad nu. 44. latè explicant: & in super prædicta indiui-

Solutio.

Complut.

duatio identificatur (intercedente tamen distinctione virtuali) cum vniuersalitate secundùm rationem, & secundùm rem, seu secundùm rationem fundatam in rebus, quam eadem natura generica reperta in Michaele, v. g. fundat: cùm tamen prædicta singularitas, seu indiuiduatio aliquo ex his modis mista cum vniuersalitate, non conueniat diuinæ naturæ. Et propterea prædicti Complutenses concludunt quod *sola natura diuina est essentialissimè singularis: ac proinde illi soli repugnat fieri vniuersalem, aut prædicabilem.*

Vnde dum ibi distinguunt multiplicem conceptum, quorum vno concipiatur Angelus quoad rationem specificã, & alio quoad rationem indiuidualem, solùm loquuntur de diuersis conceptibus formalibus, quibus ex parte rei conceptæ correspondet vnus & idem conceptus obiectiuus absque distinctione virtuali, & cum duplici tantùm munere ex parte solius nostri modi concipiendi satis diuerso, quodque sit talis conditionis, vt vel dicat vniuersalitatem secundùm rationẽ, vel identificationem absque distinctione virtuali cum eo, quod illam affert, nec non identificationem cum distinctione virtuali cum eo, quod importat veram vniuersalitatem secundùm rationem, fundatam tamẽ in rebus. Nam ad conuincenda munera ex parte solius modi concipiẽdi satis distincta, quæ habeãt has conditiones (quod quidem erat intentum ibidem nostrorum Complutẽsium) optimè adducitur pro ratione, quòd singularitas, nempe singularitas non mista cum vniuersalitate (modis dictis) non est de essentia alicuius creaturæ: quia adhoc solùm requiritur, quòd prædicta singularitas non sit de essentia illius, non verò id prohibet, quòd aliqua singularitas mista cum vniuersalitatibus iam recensitis sit ex parte rei conceptæ de essentia eiusdem.

Diximus, prædicta munera esse satis ex parte nostri modi concipiendi diuersa. Quia adhuc intra distinctionẽ ex parte nostri modi concipiendi est sua latitudo: quatenus illa munera, quæ in aliquo inueniuntur identificata absque distinctione virtuali, ex eo quòd ex genere suo pertineant ad vnam & eandẽ lineam, possunt inueniri in alijs rebus inferioribus distincta, vel realiter actualiter, vel virtualiter: cùm tamen multa distinguantur à nobis ex parte nostri modi concipiendi, quæ nullibi distinguuntur adhuc virtualiter. Et propterea ad significandam hanc maiorẽ distinctionẽ ex parte nostri modi concipiendi, consultò additum est à nostris Cõplutensibus quòd licèt in Angelo, *eadem entitas realis sit differentia specifica, & indiuidualis, munera tamen talis entitatis sunt valde diuersa.* Videatur ea, quæ infra n. 85. in solutione ad 1. & 2. cofirmationẽ dicemus.

§. II. *Sententia contraria, eius fundamenta, & responsio ad illa.*

Placitũ contrariorum.

84. OPpositam nihilominùs sententiam asserentem, per respectum ad potẽtiam Dei ordinariam posse Angelos solo numero distingui sub eadem specie, tenent omnes authores dubio præcedenti n. 75. relati, & præter eos Henricus quodlibeto 2. quæst. 8. Scotus in 2. dist. 3. quæst. 7. Durandus ibidem quæst. 3. Vazquez in presenti disp. 181. cap. 3. Suarez disput. 5. Metaphysicæ sectione 2. à num. 21. & expresè num. 28. & alij.

Henricus. *Scotus.* *Durãdus.* *Vazquez.* *Suarez.*

Probatur primò. Quia natura specifica in Angelis est à parte rei indiuidua, & singularis per differẽtiam indiuidualem distinctam saltem virtualiter ab ipsa: ergo quantum est ex natura sua, potest multiplicari in plura indiuidua: ac perconsequens per potentiam Dei ordinariam optimè poterit dari huiusmodi multiplicatio. Hæc vltima consequentia patet ex prima: & prima ex antecedenti. Quia saltem vna ex rationibus propter quas à nobis negatur naturæ specificæ Angeli multiplicatio numerica, est propter indistinctionem etiam virtualem inter ipsam, & rationem indiuidualem, vt constat ex dictis §. præcedenti.

Probatur primó.

Antecedens autem sic probat Scotus vbi supra §. *Dico igitur*, & latè explicat Suarez loco citato. Tum, quia diuina natura, propter suam infinitatem, aut quia est purus actus, includit in sua essentia indiuiduationẽ, aut non esse secũdùm suam essentiam in potentia ad eam: ergo cùm natura Angelica nõ sit infinita, neque purus actus, non includet actu in sua essentia indiuiduationem, sed erit in potentia ad eam: atque adeò habebit illã ex differentia saltem virtualiter distincta ab ipsa.

Scotus. *Suarez.*

Tum etiam. Quia natura diuina ita includit in sua essentia indiuiduationem, vt non possit concipi vt vniuersalis: quod requiritur adhoc, vt in ea non distinguantur virtualiter essentia, & indiuiduatio. Et huius rei non potest alia ratio assignari, quàm ratio actus puri, & infinitas diuinæ naturæ. Ergo cùm hæc non possit in Angelo reperiri, in eo distinguentur, saltem virtualiter, natura, & ratio indiuidualis.

Tum denique. Quia natura diuina, eò quòd est infinita, & purus actus, caret compositione metaphysica ex genere, & differentia; & ita propter eandem infinitatem, actualitatem, & puritatem carebit compositione etiam metaphysica ex specie, & differentia indiuiduali: atque adeò distinctione differẽtiæ indiuidualis ab essentia sufficienti ad hanc compositionem. Ergo natura Angelica, sicut quia non est purus actus, habet compositionem ex genere, & differentia, sic propter

tere eandem rationem habebit compoſitionẽ ex natura ſpecifica & indiuiduali, & conſequenter diſtinctionem virtualem inter vtrãque, quæ requiritur ad huiuſmodi compoſitionem.

Confirmatur primo. Confirmatur primò. Quia poteſt formari in nobis verus conceptus de natura ſpecifica Angeli, in quo non includatur differentia indiuidualis: ergo diſtinguuntur ſaltem virtualiter natura ſpecifica Angeli, & indiuidualis: acperconſequens Angelus erit ex natura ſua, ſeu per reſpectum ad potentiam Dei ordinariam ſolo numero multiplicabilis. Hæc vltima cõſequentia, iam cõſtat, quomodo ſequatur ex prima. Prima autem apertè ſequitur ex antecedenti. Quoniam ex defectu ſimilis diſtinctionis virtualis inter naturam diuinam, & ſuam indiuiduationem, & ſimiliter inter Petrum, & ſuam ſingularitatem, non poteſt formari de eis vt talibus verus conceptus, in quo ſua indiuiduatio non includatur. Antecedens autem probatur. Quia ſi quis concipiat naturã Angeli quoad omnia prædicata eſſentialia, & ſine negatione diuiſibilitatis in plura eiuſdem rationis, formabit verum conceptum naturæ Angelicæ, vt natura eſt: & tamen in huiusmodi cõceptu nõ includitur actu differentia indiuidualis, cùm hæc ad ſui propriam rationem aliquo modo petat negationem diuiſibilitatis in plura eiuſdem rationis: ergo &c.

Confirm. 2. Confirmatur ſecundò. Quoniam ſi natura ſpecifica, & indiuidualis ſaltem, virtualiter in Angelo non diſtinguerentur, tunc in eo non eſſet ſpecies, vt ſpecies diſtinguitur à genere, hoc eſt ſpecies infima, neque à parte rei fundamẽtaliter, neque in intellectu actu: cõſequens eſt falſum: ergo concedenda eſt huiuſmodi diſt. &c. ſaltem virtualis: & conſequenter quòd natura Angeli per reſpectum ad potentiam Dei ordinariam poſsit ſolo numero ſub eadem ſpecie multiplicari. Sequela probatur. Nam eo ipſo, quòd natura ſpecifica, & indiuidualis in Angelo ſint idem formaliter abſque diſtinctione virtuali, id, quod in Angelis appellatur ſpecies infima, haberet ex proprio conſtitutiuo formali eſſe indiuiduum, atque adeò incommunicabile multis: & ex hoc apertè ſequitur, non eſſe ſpeciem: tum, quia ſpecies infima, & indiuiduũ opponuntur relatiue, aut fundamentaliter, ſi conſiderentur quoad proprias realitates, vt habent *eſſe* extra intellectum, aut formaliter, ſi conſiderentur quoad ſecundas intentiones: ergo non poteſt eidem conuenire ex proprio conſtitutiuo formali eſſe ſpeciem, & indiuiduum. Tum etiam. Quia quod ex proprio conſtitutiuo eſt incommunicabile multis, atque adeò determinatum ad vnum, non poteſt aut à parte rei habere indifferentiam negatiuam ad plura, aut in intellectu poſitiuã, vt patet in Petro, & in quocũque alio indiuiduo materiali, quòd hoc ipſo, quòd ex proprio conſtitutiuo eſt determinatũ ad vnum, nequibit habere aliquam ex prædictis indifferentijs: cùm tamen ad rationem ſpeciei infimæ aliqua ex eis requiratur, ea nimirum, quæ fuerit proportionata ſuo modo eſſendi.

Euertitur fundamẽt. 85 Reſpondetur negando antecedens. Et ad primam probationem diſtinguendum eſt antecedens: *Natura diuina propter ſuam infinitatem, aut quia eſt purus actus, includit in ſua eſſentia indiuiduationem, aut non eſſe ſecundùm ſuam eſſentiam in potentia ad eam* ly *propter*, & ly *quia* importante rationem à priori præciſè abſolutè talem, concedimus: ly *propter*, & ly *quia* importante rationem à priori, quæ non ſolùm ſit ratio à priori abſolutè talis, ſed omninò adæquata, ita vt ſenſus ſit, propriam, præciſam, & adæquatã rationem, propterquam natura diuina eſt per ſuã eſſentiam indiuidua eſſe præciſè, quia eſt purus actus, aut infinita, negamus: quia vt hoc competeret naturæ diuinæ, ſufficeret eſſe ſeparatam à materia omni ò, ideſt, tam actu, quam aptitudine. Et ideò neganda eſt conſequentia: quoniam vt valeret, deberet eſſe antecedens verum in poſteriori ſenſu. Quæ ſolut. poteſt clarè inſtari in ſimili cõſequentia. Deus quia eſt purus actus, caret potentialitate materiæ primæ: ergo Angelus, cùm nõ ſit purus actus, non caret tali potentialitate. Hæc enim conſequentia non tenet: eo quòd antecedens non eſt verum in poſteriori ſenſu à nobis nuper explicato.

Ad ſecundam probationem eiuſdem antecedentis reſpondetur, infinitatem & rationẽ actus puri eſſe rationem adæquatam, quare natura diuina non poſsit eſſe vniuerſalis, etiam ſecundùm rationem tantùm, ſeu ex modo concipiendi noſtro, eo modo, quo natura Angelica v.g. Michaelis eſt vniuerſalis, vt N. Complutenſes in Logica diſput. 6. à n. 31. & deinceps latè tradunt & explicant, non verò eſſe rationem adæquatam, & præciſam, quare natura diuina non ſit vniuerſalis ſecundùm rem, & rationem ſimul: adhoc enim ſufficeret carere omninò materia, tam actu, quàm aptitudine, vt in Angelo contingit, atque adeò hæc vniuerſalitas etiam Angelo denegãda eſt: quod ſufficit adhoc, vt in eo non diſtinguantur, adhuc virtualiter, natura ſpecifica, & indiuidualis, ſed ſolùm ex parte noſtri modi concipiendi, & penes munera inadæquata. *Complut.*

Ad tertiam probationem concedendum eſt, infinitatem, & actualitatem puram Dei eſſe rationem propriam, & adæquatam, vt careat compoſitione generis, & differentiæ; negandum verò, eandem eſſe rationem adæquatam, & neceſſariam, vt careat compoſitione ex eſſentia, & ratione indiuiduali: quia adhoc

ad hoc sufficit omninò carere compositione physica. Et ratio discriminis est. Quia cõpositio ex genere, & differentia potest rẽperiri sine compositione physica ex materia, & forma, dũmodò reperiatur aliqua potẽtialitas, & elongatio ab *esse*, vt constat ex his, quę N. Complutenses in Logica disp. 5. à num. 74. & deinceps tradunt. Et ideò ad excludendam eam ab aliqua re, non sufficit simplicitas, quæ opponitur compositioni physicæ ex materia, & forma, cuiusmodi est simplicitas Angeli, sed requiritur alia maior, quæ nõ est alia, quàm pura actualitas. Et quia Angelus non est purus actus, optimè infertur, non habere huiusmodi simplicitatem, sed verè esse compositum ex genere, & differentia. At verò compositio ex natura specifica, & differentia indiuiduali non potest reperiri sine compositione physica, vt constat ex his, quę diximus pro probatione nostræ conclusionis: & ideò sufficiẽter excluditur propter simplicitatem, quæ opponitur eidem compositioni. Atque adeò, etiam si Angelus non sit purus actus, quia tamen caret hac physica compositione, ideò caret etiam compositione ex natura specifica, & differentia indiuiduali.

Ad primam confirmat. Ad primam confirmationem respondetur, distinguendo antecedens: *Potest in nobis firmari virtus cõceptus de natura specifica Angeli, in quo non includatur differentia indiuidualis*, taliter quòd iste cõceptus habeat fundamentum in ipsa natura Angeli immateriali, negamus: ex imperfecto modo concipiendi nostri intellectus, concedimus. Et sic neganda est prima consequẽtia: ad hoc enim, vt esset vera, requirebatur, quòd antecedens esset verum in priori sensu. Et ad probationem antecedentis, si adhibeatur ad probandum ipsum in hoc priori sensu, in quo illud nuper negauimus, dicendum est, quòd licet demus, illam negationem diuisionis in plura indiuidua importari intrinsecè, & essentialiter ab vnitate indiuiduali consecuta ad ipsam differentiam indiuidualem: non tamẽ pertinere intrinsecè ad prædictam differentiam, sed esse quid consequens ad eam: & propterea non esse necessarium concipere talem negationem expressè, & formaliter ad formandum conceptum prædictæ differẽtiæ indiuidualis.

Ad secundã confirmat. Ad secundam confirmationem respondetur, negando sequelã. Et enim in Angelis in primis saluatur ratio speciei atomæ, sumpta specie pro natura specifica, & atoma, quæ requirit tres conditionis, quarum prima est, quòd secundùm suum formale constitutiuũ importet determinatum, & etiã finitum gradum entis: per quam conditionem excluduntur transcendentia, quę important, aut communem rationẽ entis, aut eius modos, & proprietates communes: & etiam excluditur natura diuina, propter suam infinitatem. Secũda est, quòd hic gradus sit formalis, & sufficiens ad constituendã naturam, quæ sit principium radicale potentiarum, & operationum: & per hanc excluditur indiuiduum, v. g. humanum, quod secundùm formale constitutiuum nõ importat naturam aliquam, sed modum limitatum habendi eam. Tertia est, quòd huiusmodi gradus sit vltimò terminatus formaliter, ita vt natura, quam cõstituit, non sit ratione eius in potentia ad alium gradum formalem: & per hanc excluditur natura generica, quæ ratione proprij constituti-ui est in potentia, vt cõtrahatur per alias differẽtias formales. Et ita si in hoc sensu sumatur species, certum est, eam reperiri in Angelis. Neque faciunt in oppositum duæ probationes sequelæ in hac secunda confirmatione positæ. Non quidem prima: quoniam hęc natura specifica Angeli nullam oppositionẽ habet cũ differẽtia indiuiduali, adhuc sumpta pro secunda intentione, fundata tamen in rebus. Neque etiam secũda probatio vrget: cùm natura specifica non exigat ex sua ratione formali aliquam ex illis indifferentijs, sed sufficiẽter saluetur positis his tribus à nobis assignatis.

Deinde etiã saluatur in Angelis species, sumpta specie pro specie vniuersali secũdùm rationem tantùm, vt optimè tradunt, & ostendunt N. Complutenses in Logica disput. 6. à num. 31. & deinceps: atque adeò in hoc sensu debet etiã negari prædicta sequela. Ad cuius primã probationem respõdetur, quòd licèt secundùm rem sint idem formalissimè ratio specifica, & indiuidualis in Angelo absque distinctione virtuali, tamen propter imperfectionem nostri modi cõcipiendi potest intellectus noster concipere vnũ munus inadæquatum illius rationis, altero non concepto expressè: & sic concipiendo rationem specificam, potest postea referre illam ad rationem indiuidualem. Atque ita ex huiusmodi relatione, & oppositione non infertur distinctio, adhuc virtualis, inter illa duo munera eiusdem rationis formalis. Et similiter respõdetur ad secundam probationem, quòd id, quod est incommunicabile multis, eò quòd habet identificata formaliter absque distinctione virtuali prædicta duo munera rationis specificæ, & indiuidualis, potest per intellectum concipi secundùm prius munus, & sic habere per intellectum indifferentiam, & vniuersalitatem secundùm rationem tantùm.

Complut.

Secundum fundamentũ oppositæ sententię.

86. Secundò probatur eadem opposita sententia. Nam in Angelis datur principium connaturale, à quo possit sumi multiplicatio indiuidualis sub eadem specie, etiã si non detur materia prima: ergo iuxta legem Dei ordi-

ordinariam poterit dari talis multiplicatio. Conſequentia patet, & antecedēs probatur. Quia in Angelis datur *eſſe*, quod ſe habet vt quid formale ad eſſentiā Angeli: & datur eſſentia Angeli, quæ ſe habet, vt quid materiale ad tale *eſſe*: ſed vbi datur principium materiale, datur principium, à quo poſsit ſumi multiplicatio indiuidualis, ſicut vbi datur principium formale, datur principium, à quo poſsit ſumi vnitas, vel diuerſitas ſpecifica: ergo, &c.

Enodatur. Reſpondetur, negando antecedens. Et ad eius probationē dicendum eſt, quod *eſſe* eſt omninò extra eſſentiam, tam in rebus ſimplicibus, quàm compoſitis: & ſic non poteſt eſſe principium formale, & intrinſecū, à quo ſumatur vnitas, vel multiplicatio ſpecifica: & cùm ipſum nō ſit principium formale intrinſecum talis vnitatis, fit inde, quòd eſſentia Angeli collata cum eo non poſsit dici principium materiale in ordine ad talē vni-

D. Thom. tatem. Quam ſolutionem tradit D. Thom. quæſt. ſæpè citata de Spiritualibus creaturis art. 8. in ſolutione ad 3. vbi ſic inquit. *Ad tertium dicēdum, quòd ipſum eſſe ſe habet vt actus, tam ad naturas compoſitas, quàm ad naturas ſimplices. Sicut ergo in naturis compoſitis ſpecies non ſumitur ab ipſo eſſe, ſed à forma, quia ſpecies prædicatur in quid eſt, eſſe autem pertinere videtur ad quæſtionem an eſt ſic nec in ſubſtantijs Angelicis ſpecies ſumitur ſecundùm ipſum eſſe, ſed ſecundùm formas ſimplices, ſubſiſtentes, quarum differentia eſt ſecundùm ordinem perfectionis, vt dictum eſt.*

Tertiū fundamentū. 87. Tertiò denique probatur eadē ſententia. Quia alioqui non poſſet de potentia ordinaria dari adhuc vnicum indiuiduū intra ſpeciem v.g. Michaelis: hoc autē eſt falſum, vt ex ſe conſtat: ergo, &c. Sequela probatur. Quoniam tota ratio, propter quam poſſet dici, non eſſe ſecundùm potentiam Dei ordinariam factibilia plura indiuidua ſub ſpecie Michaelis tantùm eſt, quia caret materia: hæc autem ratio ſi aliquid probaret, conuinceret vtique, nō eſſe dabile adhuc vnicum indiuiduum ſub prædicta ſpecie: ſiquidem materia non ſolùm eſt principium multiplicitatis indiuidualis, ſed etiā ipſius indiuiduationis: ergo, &c.

Eliditur. Reſpondetur, negando ſequelam. Et ad probationem dicendum eſt, quòd etſi materia ſit principium pluralitatis indiuidualis, quæ præcisè ſit indiuidualis, & purè numerica, non tamen pluralitatis indiuidualis, quæ ſimul ſit ſpecifica, & numerica abſque diſtinctione virtuali: ac proinde, licèt ſit principium indiuiduationis, quæ præcisè eſt indiuiduatio, & diſtinguitur ſaltem virtualiter à natura ſpecifica; non tamen indiuiduationis, quæ ſimul, & abſque diſtinctione virtuali eſt ipſa natura ſpecifica, & indiuiduatio illius. Quare, cum Angelus non habeat indiuiduationem, quæ præcisè ſit indiuiduatio, ſed quæ ſimul abſque diſtinctione virtuali habeat eſſe indiuiduationem, & naturam ſpecificam, idcircò eius indiuiduatio non ſumitur à materia, ſed aliūde, nempe ex eo, quòd ſit forma irreceptibilis in omni materia. Quæ ſolutio, præter quam quòd deſumitur ex D. Thoma de Spiritualibus creaturis art. *D. Thom.* 8. in ſolutione ad 4. vt num. 82. retulimus; habetur etiam apud eundem ibidem in ſolutione ad 13. vbi cùm propoſuiſſet ſimile argumentum, ſic reſpondet: *Ad 13. dicendum, quòd indiuiduatio in Angelis non eſt per materiam, ſed per hoc, quòd ſunt formæ per ſe ſubſiſtentes, quæ non ſunt natæ eſſe in ſubiecto, vel materia, vt dictum eſt.*

DVBIVM VII.

Vtrùm per potentiam Dei abſolutam poſsint eſſe plures Angeli eiuſdem ſpeciei atomæ?

TItulus, & ordo dubij clarus eſt ex dictis circa titulum dubij præcedentis.

§. I. *Vera D. Thomæ ſententia, & primum eius fundamentum.*

88 DICENDVM Eſt, implicare contradictionem, dari plures Angelos ſub eadem ſpecie atoma. Hæc videtur expreſſa ſententia D. Thomæ infrà quæſt. 75. art. 7. vbi ſic in- *D. Thom.* quit: *Manifeſtum eſt quòd neceſſe erit in eis* (puta in Angelis) *eſſe diuerſitatem ſpecie. Nō enim poteſt intelligi, quòd aliqua forma ſeparata ſit niſi vna vnius ſpeciei: ſicut ſi eſſet albedo ſeparata, non poſſet eſſe, niſi vna tantùm.* Et de Spiritualibus creaturis art. 8. vbi ſic ait: *Si autem Angelus eſt forma ſimplex abſtracta à materia, impoſsibile eſt etiam fingere, quòd ſint plures Angeli vnius ſpeciei.* Id autē, quod non poteſt intelligi, & eſt impoſsibile etiam fingere manifeſtam inuoluit contradictionem. Et ſuprà quæſt. 41. art. 6. vbi probat, in diuinis non poſſe reperiri plures patres, aut filios, quia iſtæ formæ ſunt irreceptibiles in materia, & formæ irreceptibiles nequeunt multiplicari numero. Ergo cùm hæc ratio procedat de abſoluta omnipotentia Dei, & competat Angelis, vt de ſe patet, fit inde, vt de mente Angelici Præceptoris

Concluſio.

ſit;

Caietan. Nazarius Pet. Berg. Herbeus. Ægidius Capreol. Granado.

sit quòd Angeli non possint multiplicari tantùm numero, etiam per ordinem ab absolutam omnipotentiam Dei. Vnde hanc conclusionem tuentur Caietanus de ente, & essentia c. 5. q. 9. Nazarius ad art. 4. huius quæstionis controuersia 2. Petrus Bergomensis in concordantijs dictorum D. Thomę dubio 115. Herbeus in 2. dist. 3. q. 1. art. 2. Ægidius quodlibeto 2. q. 4. & vt quid demente D. Thomæ tuetur eam Capreolus in 2. dist. 3. q. 1. ad 2. argumentum Durandi contra 2. conclusionem, Granado controuersia 7. generali tractatu 1. disput. 4. n. 9. & alij.

Ratio prima fūdamētalis.

Prior, & fundamentalis ratio desumitur ex his, quę suprà n. 82. ex D. Thoma tradidimus, vbi ex ipso Angelico Doctore ostendimus, in Angelo differentiam specificam, & indiuidualem non distingui, adhuc virtualiter: ergo implicabit, dari plures differentias indiuiduales Angelicas, non datis pluribus differentijs specificis: ac per consequens impossibile erit, etiam per respectum ad absolutam omnipotentiam Dei, reperiri plures Angelos solo numero distinctos sub eadem specie.

Nec necesse erit solutionem, quam aduersarij huic rationi adhibent, referre, & impugnare: quoniam ex dictis dubio præcedenti facile euertitur.

§. II. *Posterius fundamentum pro D. Thoma sententia.*

Secunda ratio fundamentalis.

89 POsterior, & fundamentalis huius assertionis ratio, quam tom. 1. tractatu 1. disp. 1. n. 12. & deinceps ad indagandum principium indiuiduationis substantię materialis adduximus, desumitur ex Aristotele, & D. Thoma locis statim referendis, & potest ad hanc formam reduci. Quoniam Angelus est forma simplex omninò irreceptibilis in materia: ergo implicat in eo vnitatem, & distinctionem non oriri physicè, vt à prima radice, à forma: ac per consequens dari in ipso vnitatem, & distinctionem purè indiuidualem. Antecedens ex se, & ex iam dictis satis constat. Et prima consequentia apertè sequitur ex antecedenti. Secunda autem sic probatur ex prima. Nam vnitas, & distinctio prouenies à forma physicè, vt à prima radice, essentialiter petit, quòd sit vnitas, & distinctio specifica, & non purè indiuidualis: tum, quia implicat, quòd non sit vnitas, & distinctio formalis, vel sit merè materialis: sicut implicat, quòd vnitas, & distinctio prouenies à materia, vt à prima radice, non sit vnitas, & distinctio materialis, vel sit formalis. Tum etiam. Quia sicut distinctio prouenies ab albedine, aut calore, essentialiter petit, quòd sit in ratione albi, aut calidi, quia prouenit ab illis vt talibus, & hi effectus sunt propriè effectus formales albedinis, aut caloris: ita vnitas, & distinctio prouenies à forma debet esse specifica, & formalis, quia hic est effectus formalis illius.

Aristotel. D. Thom.

Quam rationem expressit Aristoteles 10 Metaphysicę textu 25. vbi asserit, formā esse primum principium distinctionis specificæ, & ita inquit: *Quoniam hæc idem est ratio, hæc autem materia, quæcumque quidem in ratione sunt contrarietates, specie faciunt differētiam: quæ verò in conceptu cum materia, non faciunt.* Quæ verba sic explicat D. Thom. ibidem lect. 11. *Quia in compositio est materia, & forma, hæc quidem est ratio, ideſt forma, quæ constituit speciem; hæc autē, ideſt materia, quæ est indiuiduationis principium. Quæcumq; cōtrarietates sūt in ratione, ideſt, ex parte formæ, faciunt differre secundùm speciem; illæ verò, quæ sunt ex parte materia, quæ sunt propria in diuidui, quod est acceptum cum materia, non faciunt differre secundùm speciem.* *D. Thom.*

Idem S. Doct.

Et hanc ipsam rationem magis expressit S. Doctor 2. contra Gent. cap. 93. ratione 2. his verbis. *Quæcumque sunt idem specie, differentia autem numero, habent materiam: differentia autem, quæ ex forma procedit, inducit diuersitatem speciei, quæ autem est ex materia, inducit diuersitatem secundùm numerum.* Et adhuc clariùs in præsenti art. 4. & de ente, & essentia cap. 6. & in 2. dist. 3. q. 1. art. 4. vbi vt redderet rationem propter quam Angeli non possunt distingui solo numero, hoc ipso quòd sint immateriales sic inquit: *Si enim immateriales ponuntur, cùm nulla forma, vel natura multiplicet numerum, nisi in diuersitate materiæ, oportet, quòd forma simplex, & immaterialis, non recepta in aliqua materia, sit vna tantùm. Vnde quidquid est extra eam, est alterius naturæ: eò quòd distet ab eo secundùm formam, non secundùm materiale principium, quod ibi nullum est.*

90. Confirmatur ex ijs, quæ ex D. Thom. tomo 1. tractatu 1. à num. 20. vsque ad num. 23. & in præsenti etiam à num. 82. & deinceps adduximus, quæ maioris claritatis gratia possunt ad hanc formam reduci. In Angelis non datur principium intrinsecum, & connaturale distinctionis indiuiduorum sub eadem specie atoma: sed implicat tale principium à Deo suppleri: ergo etiam per absolutam Dei potentiam, non possunt Angeli distingui indiuidualiter sub eadem specie atoma. Consequentia patet. Et maior satis constat, tum ex modo dictis: tum etiam ex his, quæ dubio præcedenti à dicto num. 82. adduximus: & admittitur etiam à pluribus Auctoribus oppositæ sententiæ. Minor autem probatur. Nam huiusmodi principium respectu distinctionis indiuidualis habet se eo proportionali modo, quo causa formalis respectu sui effectus formalis, quia vtrobique est principium intrinsecum: ergo cùm Deus nequeat

ſupplere defectum cauſæ formalis, vel intrinſecè habentis ſe eo proportionali modo reſpectu ſui effectus, quo cauſa formalis reſpectu ſui, nõ poterit ſupplere huiuſmodi principiũ.

§. III. *Prior aduerſariorum euaſio, & eius præcluſio.*

Effugiũ aduerſariorũ. 91 NEC obeſt ſolutio, quam aduerſarij adhibent huic vltimæ rationi D. Thom. ſcilicet, non omnẽ vnitatem, & diſtinctionem prouenientem à forma eſſe formalem. Nam ſicut duo actus, & formæ, aut duæ animæ rationales poſſunt diſtingui vt actus, & formæ, & nihilominùs illa diſtinctio non eſt formalis: ſed materialis: ita poſſunt aliqua diſtingui penes formã, & ratione illi⁹, ſine eo quòd diſtinguãtur formaliter, ſed materialiter: atq; adeò, licèt duo Angeli ſint formæ ſimplices, nihil eis oberit, quominùs poſsint diſtingui ſolũ materialiter, ſeu indiuidualiter.

Præcluditur Non igitur hæc ſolutio obeſt, ſed facilè corruit, ſi ratio facta rectè expendatur. Nã. diſtinctio, & vnitas prouenies à materia, quatenus materia, & vt eſt ab illa tanquã à primo radicali principio, nõ poteſt, quatenus ab ea prouenit eſſe formalis, ſiue ſpecifica. Tum quia effectus nõ poteſt eſſe vltra ſuã cauſam: atque adeò vnitas, & diſtinctio formalis nequit prouenire vt à prima radice, niſi à forma. Tum etiã ex eo, quòd in ſubſtantijs materialibus licèt ratio generica poſsit prouenire à materia ſecundùm id, quod predicta ratio habet de potentialitate, & materialitate, non tamen ſecundùm id, quod retinet de actualitate, & formalitate: quandoquidem ſecundũ iſtam rationem prouenit à forma ſubſtantiali, quatenus tali: atque adeò ſignum eſt, quòd diſtinctio proueniẽs à materia, quatenus materia, nequit eſſe formalis, ſiue ſpecifica: ergo neque diſtinctio proueniens à forma, quatenus forma tanquam à prima radice, poterit eſſe materialis, ſiue purè indiuidualis, ſed neceſſariò debet eſſe formalis, ſeu ſpecifica: cũ eadem ſit in forma reſpectu diſtinctionis materialis, ac in materia reſpectu diſtinctionis formalis aperta paritatis ratio.

Neque exẽplũ illud, quod de duplici anima rationali in hac ſolutione addducitur, aliquid conuincit. Quoniam duæ animæ rationales ideò poſſunt differre materialiter, ſeu purè indiuidualiter, licèt ſint actus, & formæ, quia indiuiduantur per materiam, tanquam per primum, & radicale principium ſuæ indiuiduationis. Vnde, licèt illa diſtinctio exerceatur in formis, non tamen prouenit ab illis: & ita poteſt non eſſe formalis, & ſpecifica, ſed materialis, & purè indiuidualis.

Aduerſariorum occurſus ad cõfirmationem. 92 Nec etiam obeſt ſolutio, quam confirmationi eiuſdem rationis aduerſarij tradunt, dicentes, ex ea ad ſummũ conuinci, non poſſe dari diſtinctionem indiuiduorũ per ſolam voluntatem Dei extrinſecam ſine principio indiuiduationis exiſtente in ipſis; non tamen debere huiuſmodi principium eſſe connaturale indiuiduis, aut ſpeciei, ſed ſatis eſſe, quòd ſit intrinſecè in eis, quanuis ſit præter, aut ſupernaturale. Quam ſolutionem confirmant ex Angelico Præceptore opuſculo 16. §. *Reſtat autẽ*, vbi funditùs euertens Auerroys, atque ei conſentientiũ errorẽ, quòd vnus ſit intellectus numero in omnibus hominibus, videtur clarè occurrere huic noſtræ cõfirmationi his expreſsis verbis: *Valdè autẽ ruditer argumentãtur, quòd Deus facere non poſſet, quòd ſint multi intellectus eiuſdem ſpeciei, credentes, hoc includere contradictionẽ, dato enim quòd non eſſet de natura intellectus quòd multiplicaretur, non propter hoc oporteret, quòd intellectũ multiplicari includeret contradictionẽ. Nihil enim prohibet, aliquid non habere in ſua natura cauſam alicuius, quod tamen habet illud ex alia cauſa: ſicut graue habet ex ſua natura, quod nõ ſit ſurſum: tamẽ graue eſſe ſurſum, nõ includit cõtradictionẽ: ſed graue eſſe ſurſum ſecundũ ſuã naturã, contradictionẽ includeret. Sic ergo intellectus ſi naturaliter eſſet vnus omniũ, quia non haberet naturalẽ cauſam multiplicationis, poſſet tamẽ ſortiri multiplicationẽ ex ſupernaturali cauſa, neque eſſet implicatio contradictionis. Quod non tantùm dicimus propter propoſitũ, ſed magis ne hæc argumẽtandi forma ad alia extendatur. Sic enim poſſent concludere, quod Deus non poteſt facere, quòd mortui reſurgant, & quòd caci ad viſum reparentur.*

Ang. Præcept.

Roboratur. ex D. Th. eorum ſolutio

Non igitur prædicta ſolutio obeſt. Quia indiuidua inter ſe diſtinguũtur ex ſua natura indiuiduali: ergo principiũ huius diſtinctionis debet eis conuenire ſuapte natura: atque adeò nõ poterit eſſe præter, aut ſupernaturale.

Impugnatur ſolutio.

Confirm. 1.

Confirmatur primò. Quia non magis conuenit naturale eſt generi, diuidi in ſpecies, & ſpecibus cõſtitui in proprio *eſſe* ſpecifico, & diſtingui inter ſe in eo, quã ſpeciei diuidi in indiuidua, & indiuiduis conſtitui in proprio *eſſe* in diuiduali, & diſtingui inter ſe in eo: ergo ſicut primum nõ poteſt ſuppleri à Deo per differentiam extraneam, & non connaturalem, ita neque ſecundum.

Confirm. 2.

Confirmatur ſecundò. Quia iſta differentia extranea deberet eſſe entitatiuè naturalis, vt de ſe patet: ergo eo ipſo, quòd tribueretur Angelo præter, aut ſupernaturaliter, deberet aſsignari aliqua creatura, cui eſſet connaturalis: ergo eo ipſo non diſtingueret indiuidualiter intrinſecè vnũ Angelũ ab altero. Prima conſequẽtia patet. Quia quicquid eſt entitatiuè ordinis naturalis, & conceditur vni creaturæ præter, vel ſupernaturaliter, debet competere alicui connaturaliter, vt inductiuè patet. Ex quo etiam ſecunda conſequentia liquet. Quia quod eſt ratio indiuidualis connaturalis alicui, ſolùm indiuiduat, & diſtinguit intrinſecè indiuidualiter illud, non verò aliquid aliud, ſed ad ſummum aduenit

illi iam cõstituto indiuidualiter: sicut illud, quod constituit connaturaliter aliquid in sua specie, non potest intrinsecè cõstituere aliud in eadem specie, sed ad summum ei iam constituto aduenire accidentaliter.

Explicatur locus Diu. Thomæ.

Neque locus D. Thomæ in hac solutione allatus aliquid probat. Ibi enim S. Doctor non loquitur de defectu principij, vel causæ connaturalis intrinsecæ per modum formæ, vel habentis se eo proportionali modo, quo se habet forma respectu sui effectus formalis: non enim hoc principio careret intellectus humanus adhuc in sententia Auerroys: cum mẽdiante anima rationali diceret ordinem ad materiam, quæ est principium multiplicationis indiuidualis; sed esset vnus numero in tali sententia ex defectu principij connaturalis extrinseci, nempe efficientis, & finalis. Ponebãt enim Auerroys, & alij, quòd Deus decreuisset producere vnum tantum intellectũ, & quòd ille vnus sufficeret ad intellectiones omnium hominum, vt explicat D. Thom. & quia Deus non potest supplere defectum principij intrinseci, vel formalis respectu sui effectus formalis ideò non potest tribuere Angelis multiplicationem numericam intra eandem speciem. Quia tamen potest tribuere rei id, quod non habet ex sua causa naturali efficiẽti, vel finali (de his enim loquitur D. Thomas in dicto opusculo, vt patet per exẽpla, quæ adducit descensus leuis, ascensus grauis, restitutionis visus, & resurrectionis mortuorum) ideò licèt intellectus non habeat multiplicari, vt sentit Auerroys, ex sua causa efficiẽti, vel finali, posset à Deo supernaturaliter multiplicari.

D. Thom.

D. Thom.

Auerroys

§. IIII. *Aliæ duæ aduersariorum solutiones, & earum impugnationes.*

Aliorũ euasio.

93 Secundò alij respõdent, tam rationi factæ, quã eius confirmationi, differentiã proueniẽtẽ à forma esse formalẽ, & specificam, quãdo oritur ab ea secundũ id, quod formale est in ipsa: non verò quando procedit ab illa secũdũ id, quod materiale est in ea; quauis vtrũq; sit propriũ talis formæ, & conueniat ipsi, quatenus tali. Et ita indiuiduationẽ, & distinctionẽ numericã Angeli posse ori ri à forma tãquã à principio intrinseco secũdũ id, quod est materiale in ipsa, scilicet secundũ differentiã indiuidualẽ seu hæceitatẽ ipsius, non verò secundũ id, quod est formale in ea, scilicet secũdũ differẽtiã specificã eiusdẽ.

Sed hæc etiam euasio ex his, quæ in simili tom. 1. tract. 1. disp. 1. à n. 17. & deinceps diximus, facilè euanescit. Nã in ratione. & confirmatione nostra non fit sermo de differentia indiuiduali, seu de ratione materiali, aut principio indiuiduationis Metaphysicè sumptis, sed de indiuiduatione, aut ratione materiali, & principio indiuiduationis physicè acceptis. Quoniam quæuis ratio metaphysica debet fundari in entitate physica, & physicè accepta, ab eaque, vt à prima radice, desumi.

Euertitur.

Hinc ergo euertitur prædicta euasio. Nã vel forma Angeli physicè accepta, & secundùm quòd est physicè indiuidua, seu indiuiduationis, & distinctionis tantùm numericæ principiũ, dicit aliquid materiale physicè supra se ipsam, vt est primũ principiũ specificationis, & distinctionis specificæ; vel nihil reale physicè materiale addit supra se, vt est physicè forma, & dicit *esse* formale physicũ (vt sic dicamus) *vt quod*? Si hoc secũdũ dicatur: ergo non potest esse radix in ordine physico distinctionis numericæ tantùm: siquidẽ in isto ordine nihil dicit, quod physicè sit materiale, sed quicquid in ea reperitur, est (vt sic loquamur) physicè quid formale *vt quod*. Si verò primum asseratur: ergo illud materiale, quod est physicè tale, debet oriri tanquam à prima radice à materia: ac proinde, licèt exerceatur, & reperiatur in forma, nõ debet prouenire ab illa, sed à materia. Quãdoquidem, sicut esse formale, & physicè tale nequit aliũ de quàm à forma prouenire: ita esse materiale, quod physicè habet rationẽ talis, nequit ab alio, tanquam à principio, nisi à materia originẽ ducere. Et per consequens iam Angelus non esset forma simplex, sed physicè cõpositus ex materia, & forma: cuius oppositũ latè à nobis in hac disputatione ostẽsum est, videantur illa, quæ in 1. tom. loco nuper citato num. 19. diximus: nam ex eis potest maior huius solutionis euersio desumi.

Tertio occurrũt Bubalus. & alij.

94 Tertiò occurrunt Bubalus, & alij dicentes, vnitatem, & distinctionẽ numericam in Angelis non sumi à forma, sed à subsistentia, quæ in ipsis gerit vicem materiæ: atque adeò neque huiusmodi vnitatem, & distinctionem debere esse formalem: nec opus esse Deum supplere aliquod principium connaturale talis distinctionis.

Roboratur solutio ex D. Thom.

Et hanc esse mentem D. Thomæ, probat Bubalus ex quodã celebri S. Doctoris loco in primo sentẽt. dist. 34. q. 1. art. 1. initio corporis, vbi sic inquit: *Dicẽdũ, quòd persona, & essentia omninò re in diuinis non distinguũtur. In illis enim, in quibus aliud est essentia, quàm hypostasis, vel suppositum, oportet, quòd sit aliquid materiale, per quod natura cõmunis indiuiduetur, & determinetur ad hoc singulare. Vnde illã determinationẽ materiæ, vel alicuius, quod loco materiæ se habet, addit in creaturis hypostasis supra essentiã, & naturã. Vnde nõ omninò ista in creaturis idẽ sunt. In Deo autẽ non est natura ipsius subsistens per aliquod, ad quod determinatur, sicut per materiam. sed per se ipsam est subsistens, & ipsum suum esse subsistens est. Vnde natura est ipsum, quod subsistit, & esse, in quo subsistit. Et propter hoc in Deo omninò idem est, quo est, & quod est.*

In quibus verbis satis apertè iunuit, quomodo

modo omnis eſſentia in qua aliud eſt natura, & aliud hypoſtaſis, eſt multiplicabilis in plura numenero individua ſub eadem ſpecie: ex eo quòd, vt inquit, Angelicus Præceptor, *hypoſtaſis addit ſupra eſſentiam, & naturam in creaturis determinationem materiæ, vel alicuius, quod loco materiæ ſe habet.* quod (vt conſtat) nihil aliud eſt, quàm ipſa ſubſiſtentia, ſiue perſonalitas: & ita iſta ſe habebit ad inſtar materiæ, ratione cuius Angeli intra eandem ſpeciem individuentur.

Ang. Præ.

Quod teſtimonium adeò idoneum viſum eſt Bubalo ad hoc confirmandum, vt dixerit, ſe illud animaduertendum ſeriò duxiſſe, ne tam nouus, atque illuſtris Angelici Doctoris proueritate locus in obſcuritate ſilentij in poſterum, ſicut hactenus, deliteſceret.

Bubalus.

Verùm neque etiam hæc reſponſio eneruat vim rationis noſtræ. Nam licèt individuatio in Angelo ſumatur à ſubſiſtentia, ſeu per ordinem, aut quaſi ordinem ad illam: nihilominus ſicut ipſa ſubſiſtentia eſt actus, & oritur à forma, ita vnitas, & diſtinctio, quæ ſumitur ab ea, non poteſt non ſumi à forma. Et ideò quemadmodum vnitas, & diſtinctio prouenies à forma non poteſt non eſſe formalis, aut eſſe numerica tantùm, & materialis: ſic neque diſtinctio, & vnitas prouenies à ſubſiſtentia poterit non eſſe formalis, & ſpecifica, aut eſſe merè materialis, & numerica.

Refellitur.

Neque locus Angelici Præceptoris nobis nocet, quin potiùs prodeſt. In eo enim ſolùm tribuit ſubſiſtentiæ, quòd ſit principium individuationis loco materiæ, hoc eſt, quòd individuatio ſumatur etiam per ordinem, aut quaſi ordinem ad ſubſiſtentiam in his, quæ omninò, ideſt tam actu, quàm aptitudine, carent materia phyſica, ſcilicet materia prima: non tamen quòd ſit principium individuationis eodem prorſus modo, quo prædicta materia. Nam ſubſiſtentia, & materia habent valdè diuerſas, imò oppoſitas rationes: quia materia habet rationem puræ potentiæ, & ſic excluditur à ratione radicis ſpecificationis, ſubſiſtentia verò habet rationem actus, & oritur à forma, quæ eſt ſpecificationis principium: atque ita materia eſt radix individuationis, & diſtinctionis, quæ præcisè ſit numerica, ſubſiſtentia autem in his, quæ omninò carent materia, eſt vnà cum forma illa per ſe ſubſiſtenti principium individuationis, & diſtinctionis, non quidem præcisè individualis, ſed quæ ſimul formaliter, & abſque diſtinctione virtuali ſit ſpecifica. Vnde quæcunque natura purè immaterialis, quæ ratione illius habet diſtingui ab alio, non diſtinguitur ſolo numero ab illo, ſed diſtinctione ſpecifica, quę abſque diſtinctione virtuali ſit ſimul numerica, & ſpecifica, vt ſuprà dictum eſt.

Non obſtat D. Thomas

Confirmatur, & explicatur. Nam ex eo quòd quantitas eſt principium individuationis ſubſtantiæ materialis, non vtcunque, ſed vt radicaliter præhabita in materia, vt in 1. tom. tract. 1. diſput. 1. n. 116. diximus, & materia præcisè eſt radix diſtinctionis purè individualis, & materialis, colligimus quantitatem, quatenus ſic præhabitam, ſolùm poſſe eſſe radicem prædictæ diſtinctionis, nõ verò diſtinctionis, quæ ſimul ſit formalis, & ſpecifica, vt diſp. citata dub. 1. & 5. aſſeruimus: ergo licèt in ſubſtantijs purè ſpiritualibus ſubſiſtentia, non quidẽ vt formaliter habita (ſic enim præſupponit formã individuam, ſicut quantitas ſic accepta ſupponit ſubſtantiam materialem iam individuatam) ſed vt præhabita in natura, ſeu forma purè ſpirituali, & completa, qualis eſt Angelus, ſit principium individuationis, & diſtinctionis individualis, nihilominùs non erit principium talis diſtinctionis, quæ ſit purè individualis, ſed quæ ſimul ſit individualis, & ſpecifica: ſiquidem forma, in qua radicaliter præhabetur, non poteſt non eſſe principium diſtinctionis, quæ non ſit formalis, ac proinde diſtinctionis, quę ita ſit individualis, vt ſimul abſque diſtinctione virtuali ſit ſpecifica: nam hic modus diſtinctionis individualis eſt formalis, & à forma vt tali, & per cõſequens vt præhabente per modũ formæ ſubſiſtentiã, proueniens.

§. V. *Oppoſita ſententia eius fundamenta. vnà cum eiusdatione eorum.*

Oppoſita ſententia.

95 OPpoſitam nihilominùs ſententiam, præter eos, quos in duobus præcedẽtibus dubijs ſententiæ noſtræ notauimus aduerſarios, tuentur Ferrara 2. cõtra Gẽtes c. 93 Bañez in 2. dubio ad hunc articulũ, Bubalus in præſet. quæſito 1. difficultate 3. §. 1. & probabilẽ cẽſet Capreol. in 2. diſt. 3. q. 1. & alij.

Ferrara. Bañez. Bubalus. Capreol.

Probatur primò ex D. Auguſt. lib. 3. de libero arbitrio c. 12. dicẽte, quòd ſi Deus annihilaret omnes Angelos, poſſet ſine dubio creare multò plures eiuſdem ſpeciei, & gradus: ergo, &c.

Probatur ex D. Aug.

Reſpondetur, D. Auguſt. loqui de ſpecie ſubalterna, & de gradu ordinis, vel hierarchiæ.

Reſpondetur.

96 Secundò eandẽ ſententiã ſic probat Bañez vbi ſuprà. Nam poteſt Deus per abſolutã potentiã facere, quòd natura Gabrielis, quanuis de facto habeat omnẽ perfectionẽ ſibi debitã, recipiat aliã maiorẽ perfectionẽ etiã ſubſtãtialẽ: ſicut poſſet Deus augere, & perficere lumẽ ſolis, quanuis habeat de facto omnẽ perfectionẽ ſibi debitã in ratione luminis: quoniã in hoc nulla apparet cõtradictio: ergo poteſt ſimiliter naturã ſpecificã Gabrielis cõſtituere in alio individuo. Probatur cõſequẽtia. Quia ſuppoſito, quòd eadẽ natura ſpecifica poteſt eſſe magis, aut minùs perfecta ſubſtãtialiter, nihil vetat, quòd ſit in pluribus individuis, ita quòd in vno minus, in alio verò magis perfecta ſit.

Secũdo probat Bañez.

Occurritur

Respondetur negando, Deũ posse adddere aliquid substantiale speciei Angelicæ, quod vel non adæquet totam speciem, cùm non posset dicere ordinem ad materiam, à qua limitaretur, vel quod variare posset eius indiuiduationem, cùm species Angelica se ipsa sit indiuidua absque aliquo, etiam virtualiter superaddito, vt ostensum est. Et ita si id, quod superadderetur, variaret indiuiduationem, variaret vtique speciem: quod est destruere subiectum, de quo est controuersia, vt de se patet. Per quod patet ad exẽplũ de luce ibi allato: quia cũ lux sit accidens, dicẽs ordinẽ ad materiam, seu quasi materiã, nimirũ ad subiectum, sicut in sole limitatur ad tantam perfectionem, & non ad maiorem, si Deus crearet aliud corpus postulans maius lumen, posset tunc perfectio luminis crescere.

Tertio.

97 Tertiò. Nam quanuis anima rationalis infusa materiæ creetur, & multiplicetur intra eandem speciem secundùm multitudinem corporum humanorum, nihilominùs tamẽ Deus posset extra corpus facere tot, & tales animas, quot, & quales facit in corpore: tum, quia causalitas Dei à corpore non dependet: tum etiam, quia causat per creationem, quæ terminatur ad ens, in quantum ens, quæ ratio eadem est in anima, siue sit in corpore, siue extra corpus. Ergo similiter poterit producere plures Angelos intra eandem speciem, non obstante quòd sint immateriales. Patet consequentia. Quia in eo euentu nihil præstarent corpora ad multiplicationem animarum, siquidem omninò extra illa, imò & eis non existentibus possent creari: ergo sicut prædictæ animæ essent tunc multiplicabiles numero, eadem ratione posset Deus substantias purè immateriales, nempe Angelos, solo numero intra eandem speciem multiplicare.

Respondetur.

Respondetur, quòd licèt Deus posset facere plures animas rationales extra corpus: attamen adhuc tunc haberent habitudinem, & inclinationem ad corpus: quia si eas faceret substantias separatas non habentes inclinationem ad corpus, vel materiam, non essent eiusdem speciei cum anima rationali. Vnde prædicta anima ex habitudine, quam habet ad materiam, multiplicabilis est. Sed non sic est de formis Angelicis, quæ sub eadem specie distingui non possunt: cùm non importent talem habitudinem ad materiam, & hæc sola posit esse ratio distinctionis purè indiuidualis.

Quarto probat Duran.

98 Quartò sic probat Durandus. Omnis natura, quæ producitur ab agente actione iterabili, potest secundùm numerum pluri ficari: sed species Gabrielis v. g. producta est à Deo actione iterabili: ergo, &c. Maior patet. Quia sicut agens vna actione producit vnum, ita pluribus eiusdem rationis producit plura eiusdem etiam rationis: propter quod, sicut actio est iterabilis, ita & terminus actionis. Minor verò probatur. Quia omnis actio, quæ voluntariè potest interrumpi manente virtute actiua, quæ est principium actionis, potest iterari, & maximè si tota actio dependeat ex sola virtute, vel voluntate producentis: ergo cùm actio, qua producta est à Deo species Gabrielis, possit interrumpi, manente virtute actiua, quæ est principium actionis, talis actio poterit iterari.

Dissoluitur

Respondetur, quòd cùm Gabriel nulla actione nisi diuina sit producibilis, & actio diuina, quippe formaliter immanens, vt constat ex dictis in 1. tomo tractatu 3. disput. 5. num. 35. & deinceps, non sit iterabilis, ad hunc sensum, quòd prima productio sit distincta essentialiter à secunda, aut quòd prædicta actio præterierit, sed semper manet eadem: ideircò ex hoc capite non est vnde possit desumi argumentum ad probandam multiplicitatem numericam intra eandem speciem Angelicam.

Vltima ratio.

99 Vltimò probatur ex tribus articulis, à Theologis Parisiensibus vnà cum Episcopo diffinitis. Primus est. Dicere, quòd quia intelligentiæ non habent materiam, Deus non potest plures eiusdem speciei facere, error. Secundus. Dicere, quòd Deus non potest multiplicare indiuidua sub vna specie sine materia, error. Tertius. Quòd formæ non recipiant diuisionem nisi secundùm materiam, error. Ergo contraria sententia sustineri non valet. Consequentia patet, tum ex se ipsa: tum etiam, quia in c. *ad abolendam De hæreticis* statuit Lucius III. non tantùm esse puniendos illos, qui asserunt aliquid à Sede Apostolica damnatum, sed etiam eos, qui aliquid asseruerint, quod ab Episcopo Diœcesano cum Clericorum Consilio damnatum fuerit.

Lucius III.

Respondetur, hos articulos reuocatos fuisse ab Stephano Episcopo Parisiensi, anno 1325. quatenus poterant esse contra D. Thomã, & ab Vrbano Pontifice, qui in Extrauaganti *Laudabilis Deus* præcipit, dotrinã D. Thomæ recipi vt Catholicã, & damnat omnes, qui damnant eam vt erroneam. Præterquam quòd in illis articulis (vt optimè aduertunt Caietanus, & Ferrara) solùm damnatur sententia Auerroystarum dicentium, intellectum humanum esse tantùm vnum numero in omnibus hominibus, & non posse multiplicari, quia est ita immaterialis, vt nec componatur, neque in suo *esse* depẽdeat ex materia. Quare iuxta hanc intentionem sensus illorum articulorum erit, non sufficere Angelum, speciem, vel formam carere his duobus modis materia, vt non possit multiplicari in indiuidua: neque ampliùs sonant eorum,

Enodatur. *Stephanus Episcopus. Vrbanus Papa.*

Caietanus Ferrara.

eorum verba. Huic autem sensui non repugnat sententia D. Thomæ, neque propositio vniuersalis, in qua fundatur, scilicet, nullam speciem posse multiplicari in individua sine materia: quia non intelligitur de exclusione materiæ præcisè quantum ad hos duos modos habendi eam, sed vniuersaliter quantum ad omnes modos, quibus materia potest alicui rei conuenire: datur enim alius tertius, secundùm quem forma, quæ per speciem importatur, habet materiam tanquam subiectũ, nõ à quo pendeat in suo *esse*, sed quod actuet, & informet: qui quidẽ modus excluditur ab Angelo, non verò ab intellectu humano, qui mediatè hoc modo dicit ordinem ad materiam, in quantum scilicet est potentia animæ rationalis, quæ verè, & essentialiter est actus, & forma corporis. Et ita intellectus humanus potest optimè numero multiplicari, non verò species Angelica.

DVBIVM VIII.

Virùm Angeli sint incorruptibiles ex natura sua?

AD substantiam Angelicam perfectè declarandam, hoc eius attributũ inuestigandum superat: & ideò ad hoc præsens dubium excitamus. Nomine autem *incorruptibilis ex naturâ suâ*, nihil aliud intelligimus, quàm aliquid ex natura sua carens potentia reali, & positiua, ad hoc vt corrumpatur, siue propria corruptione per transitum de *esse* ad non *esse* manente subiecto, siue impropriâ corruptione, per hoc quòd amittat *esse* per annihilationem, vel alio quouis modo: seu (quod in idem ferè redit) nomine *incorruptibilis ex natura sua*, intelligimus illud, quod non habet aliquod principium positiuum suæ corruptionis, adhuc impropriæ, scilicet annihilationis, siue illud sit aliqua contrarietas ad *esse*, siue potentia materiæ.

Explicatur titulus.

§. I. *Vera sententia D. Thomæ, & prior eius ratio ex eodem S. Doctore desumpta.*

Conclusio.

100 DIcendum ergo est Angelos esse ex natura sua incorruptibiles, siue propria, siue impropria corruptione, vel annihilatione. Ita D. Thom. in præsenti q. art. 5. in corpore, & in solutione ad 3. vbi sic inquit. *Dicendum, quòd sicut suprà dictum est quoddam necessarium est, quod habet causam suæ necessitatis. Vnde non repugnat necessario, neque incorruptibili, quòd esse eius dependeat ab alio sicut à causa. Per hoc ergo, quòd dicitur, quòd omnia deciderent in nihilum, nisi continerentur à Deo, & etiam Angeli, non datur intellegi, quòd in Angelis sit aliquod corruptionis principium: sed quòd esse Angeli dependeat à Deo sicut à causa. Non autem dicitur, aliquid esse corruptibile per hoc, quòd Deus possit illud in non esse redigere subtrahẽdo suam conseruationem; sed per hoc quòd in se ipso aliquod principium corruptionis habet, vel contrarietatem, vel saltem potentiam materiæ:* & idem docet suprà quæst. 9. art. 2. & infrà q. 75. art. 6. & 2. contra Gent. cap. 30. ratione 4. vbi sic ait: *Quãtò aliquid magis distat ab eo, quod per se ipsum est existens scilicet Deo, tanto magis propinquum est ad non esse. Quantò autem aliquid est propinquius Deo, tanto magis recedit à non esse. Quæ autem iam sunt, propinqua sunt ad non esse per hoc, quod habent potentiam ad non esse. Illa igitur, quæ sunt Deo propinquissima, & per hoc à non esse remotissima, talia esse oportet, ad hoc, quòd sit ordo rerũ completus, vt in eis non sit potentia ad non esse. Talia autem sunt necessaria absolutè. Sic igitur aliqua creata de necessitate habent esse:* quod quidem (vt constat) adminùs debet in Angelis, qui inter omnes alias creaturas sunt Deo propinquiores, verificari. Eãdem sentẽtiam tenet Durandus in 1. dist. 8 part. 1. q. 3. Capreolus ibidem quæst. 3. Caietanus, & Ferrara apud D. Thomam vbi suprà, & recentiores Expositores in præsenti.

Durand. *Capreolus* *Caietan.* *Ferrara.*

Prima ratio fundamẽt.

Probatur primò ratione Diui Thomæ locis nuper citatis, quæ potest ad hanc formã reduci. Quoniam Angeli carent potentia reali passiua ad non *esse*: ergo sunt ex natura sua incorruptibiles, siue propria, siue impropria corruptione, vel annihilatione. Patet consequentia. Nam ad hoc, vt aliquid sit corruptibile aliquo modo ex natura sua, requiritur in ipso aliqua potentia passiua ad nõ *esse*, & non sufficit esse in Deo potentiã actiuã ad eius destructionem. Antecedens autem probatur. Quia nihil in substantijs creatis potest dici potentia realis passiua ad non *esse* præter materiam primam: ergo cùm Angeli careant materia prima, vt suprà ostensum est, carebũt etiam potentia passiua reali ad non *esse*.

D. Thom.

Explicatur vlteriùs. *Caietan.*

Confirmatur, & explicatur ex Caietano vbi suprà. Quia nulla potentia, siue inclinatio est primariò ad non *esse*: nam cùm non *esse* sit malum, nequit esse obiectum primarium inclinationis naturalis, sed solùm secũdariò, & quasi per accidens, in quantum scilicèt est potentia ad aliud *esse* distinctum ab eo, quod habet, & incomposibile cum illo. At hoc modo sola materia prima est potentia ad nõ *esse*: quia tantùm ipsa est potentia ad formã substantialem incomposibilem cum forma, qua informatur: sicut materia ligni est potẽtia

tia ad formam ignis, & ex consequenti ad nõ *esse* formæ ligni, cum qua est incompossibilis forma ignis. Ergo cùm Angeli prorsus careant materia prima, carebunt etiam potentia ad non *esse*, & consequenter erunt ex natura sua incorruptibiles, siue propria, siue impropria corruptione, vel annihilatione.

Occurrit Vazquez.

101 Nec refert, si contra hanc rationem vnà cum sua confirmatione obijcias cum Vazquez, in præsenti disp. 182. c. 2. quòd in Angelis est non repugnantia, siue potentia Logica ad hoc, vt possint annihilari à Deo: sed hæc est verè potẽtia realis eis insita ex natura sua: ergo falsò ex D. Thom. diximus, in Angelis

D. Thom.

deesse potentiã realẽ ad non *esse*. Minor probatur. Quia non repugnantia, secundùm quã res, antequã fiant, dicuntur possibiles fieri per diuinam potentiam, non est denominatiõ extrinseca proueniens à potentia Dei, quatenus respicit eas, sed est potentia realis, non realitate existentiæ, sed realitate essentiæ, & insita à natura ipsis rebus, priùs ordine rationis, quàm respiciantur à diuina omnipotentia: aliàs enim committeretur inutilis circulus in explicatione possibilitatis obiectiuæ rerũ factibilium, & diuinæ omnipotentiæ factiuæ, si dicerem⁹, creaturas esse possibiles, quia possunt produci à Deo: & Deũ posse illas producere, quia ipsæ sũt producibiles ab illo. Ergo cũ eodẽ modo philosophandũ sit de nõ repugnãtia, secũdũ quã res, postquã factæ sunt, dicuntur possibiles annihilari à diuina omnipotentia, fit inde, hanc non repugnantiam non esse denominationem extrinsecam prouenientem à prædicta omnipotentia, sed potentiam realem insitam à natura ipsis rebus.

Confirmat.

Confirmabis. Nã in Angelo datur non repugnantia ad hoc, vt à Deo destruatur, & annihileturergo datur in eo aliqua forma connaturalis, & intrinseca, ratione cuius potest destrui, & annihilari. Antecedens patet. Et cõsequẽtia probatur. Quia talis negatio, & nõ repugnãtia debet conuenire ratione alicuius formę positiuę, & intrinsecę: sicut omnes negationes conueniunt rei ratione alicuius positiui.

Respondetur ad obiectionem.

102 Non itaq, hoc refert. Nam (vt diximus tom. 1. tract. 3. disp. 7. n. 39.) res nõ dicuntur creabiles, & producibiles ex aliqua reali, & physica potentia, quã habeãt ad essẽdũ, aliàs haberent potentiã realẽ ad essendũ, antequã essent, sed denominantur tales ex non repugnantia terminorũ, & ex potentia extrinseca

D. Thom.

actiua Dei. Quod expressè docet D. Thom. suprà q. 43. art. 1. ad 1. & 2. contra Gent. c. 3. & 55. & de Potentia q. 5. art. 3. Et eodem modo philosophandũ est de annihilatione Angelorũ, quòd illi non habent potentiam physicam, & naturalẽ, ratione cuius sint annihilabiles: sed dicuntur tales ex absoluta omnipotentia Dei, & ex habitudine terminorũ: quia non implicat, Deum, qui suo libero concursu conseruat omnia, subtrahere illum: quo sublato, Angelus annihilatur. Vnde negari debet minor. Et ad eius probationẽ dicendum est, non repugnãtiam, vel habitudinem terminorum, qui non implicant, sufficere ad tollendum illum circulum, & vt verè dicatur, Deũ esse omnipotentem; quia potest omnia, quæ non implicant ex habitudine terminorum.

Ad confirmationem

Ad confirmationem concesso antecedenti, neganda est consequentia. Quia illa non repugnantia non fundatur in potentia physica ad non *esse*, sed in ipsa natura, quæ indiget, vt à Deo conseruetur: & ita si desinat conseruari, consequens est, quòd debeat annihilari, absque eo quòd habeat ex natura sua prædictam potentiam passiuam: quoniã ad istam non sufficit dicere entitatem talis conditionis, vt non repugnet ei non esse, aut indigentem conseruatione Dei: sicut non est satis ad hoc, vt calor sit ex natura sua non calefactiuus, quòd non repugnet ei, nõ calefacere, aut quòd in calefactione pendeat à Deo; sed ad istam potentiam passiuam insuper desideratur, vt dicat ordinem ad aliquod *esse*, præterquam ad illud, quod habet. quodque sit incõpossibile cum præexistentia (vt iam diximus) potentia illa sit per se primò ad non *esse*.

Replica.

103 Nec obest, si vrgeas, satis esse ad prædictam potentiam passiuam ex natura sua Angelo conuenientem, quòd dicat ordinem ad *esse* non omninò indefectibile: ergo cùm hoc reperiatur in Angelo, habebit ex natura sua prædictam potentiam passiuam.

Solutio.

Respondetur enim, negando antecedens, si intelligatur (vt debet intelligi, adhoc vt sit ad rem) de *esse*, quod non sit omninò indefectibile vtcunque: quia, vt antecedens esset verum, debebat Angelus dicere ordinem ad *esse* non omnino indefectibile ex natura sua ideſt, cui non esset debitum, vt non deficeret adhuc ex suppositione, quòd semel produceretur: sicut (persistendo in exemplo nuper proposito) vt calor ex natura sua esset non calefactiuus, non satesset, vt aliquando per subtractionem diuini concursus, aut propter aliquod impedimentum extrinsecum non calefaceret, sed requireretur, quòd non sit ei debitum calefacere. Angelo autem ex suppositione, quòd semel producatur, debitum est, quòd semper sit.

Et ratio huius debiti est aperta. Tum, quia eius *esse* mensuratur æuo, quod à parte pòst est incorruptibile, vt communiter docent Theologi cum D. Thoma suprà q. 10.

D. Thom.

Tum etiam, quia vel Angelus respicit suum *esse*, vt expletiuum appetitus, quem habet, quoad

quoad omnia sua substantialia ad essendum, vel non? Si primum, tunc prædictum *esse* erit talis conditionis, vt sit ei debitum, quòd semper sit: quia *esse* expletiuum appetitus ad essendum, quem res aliqua quoad omnia sua substantialia habet, est *esse*, cui sit debitum, vt semper sit, ex suppositione quòd semel producatur: sicut è contrà *esse*, quod non est expletiuum prædicti appetitus ad essendum, est *esse*, cui non est debitum (adhuc facta prædicta suppositione) quòd semper sit, vt in rebus materialibus cernitur. Si autem non sit expletiuum appetitus quoad omnia substantialia, quæ illi rei competunt, necesse est, vt ille appetitus sit potentia passiua ad aliud & aliud *esse* substantiale inter se incompossibilia, ratione quorum expleatur prædictus appetitus, vt in rebus corruptibilibus, & materialibus apparet: & per consequens necesse etiã erit, vt ille appetitus, illaque potẽtia passiua sit materia prima. quæ sola est potentia passiua, dicitque appetitũ, ad aliud & aliud *esse* substantiale: & ita, vel Angelus erit materialis, vel nequibit potentiam passiuam ad corruptionem, ex natura sua habere. Tum denique. Quia si Angelo non esset debitum semper esse, ex suppositione quòd semel producatur, tunc esset miraculosa eius perpetua conseruatio: hoc autem esse contra communem sententiam Theologorum, satis constat.

§. II. *Alia ratio. D. Thomæ prouera sententia.*

Secunda ratio pro assertione. *N. Compl.*

104 SEcundò probatur ratione, qua N. Complutenses in lib de Anima disput. 16. nu. 33. & deinceps ex eodem Angelico Præceptore incorruptibilitatem animæ rationalis ostendunt, sic tamen ad præsens applicata. Quoniam nulla forma per se subsistens est corruptibilis ex natura sua, neque per propriam corruptionem, neque per annihilationem: sed Angelus est forma per se subsistens: ergo Angelus ex natura sua non est corruptibilis, siue propria, siue impropria corruptione, vel annihilatione. Consequentia patet, & minor constat: siquidem Angelus est forma simplex, & spiritualis, independens in suo *esse* à materia, quo nihil amplius requiritur ad formam per se subsistentem.

Maior autem quoad primam partem, scilicet, quòd nulla forma per se subsistens sit ex natura sua corruptibilis per propriam corruptionem, probatur. Nam forma per se subsistens non est corruptilis propria corruptione per accidens, ideſt, ad corruptionem alterius: quia vnumquodque eo modo, quo habet esse, potest generari, & corrumpi: generatio enim dat esse, & corruptio aufert: & ita forma per se existens, atque adeò ex se subsistens, vel corrumpi nequit, vel debet per se corrumpi. Neque etiam talis forma est corruptibilis propria corruptione per se, ideſt, tanquam id, quod præcipuè corruptionem terminat: quoniam omne corruptibile per se ideò corrumpitur, quia ab aliquo eius separatur *esse* existentiæ, vel forma tribuens illud *esse*, vel vtrumque: sed à forma per se subsistenti nequit separari *esse* per se subsistens: qua tale *esse* per se ei conuenit: & ita materia, & compositum intantum habent *esse*, inquantum habent formam, & in tantum illud perdunt, inquantum prædictam formam amittunt. Nec deinde à prædicta forma potest ipsamet forma separari: alioqui idem posset separari à semetipso. Nec tandem forma per se existens valet à se ipsa per se existenti separari, vt ex ipsis terminis constat: ergo, &c.

Quoad secundam verò partem, scilicet, quòd nulla forma per se subsistens sit ex natura sua corruptibilis impropria corruptione, vel annihilatione, probatur eadem maior. Nam desinere per annihilationẽ, à nulla creatura petitur: annihilatio enim, vt docet D. Thomas 1. part. quæst. 104. art. 4. est actio miraculosa: & ita connaturaliter loquendo nulla res per annihilationem desiner, licèt supposito, quòd Deus vtendo sua supernaturali potentia velit, vt substantiæ spirituales, & subsistentes desinant, debeat eas annihilare, vel alia actione supernaturali vtẽdo, eaidem in aliquid aliud conuertere. *D. Thom.*

Obijcitur contra rationem.

105 Neque refert, si contra hanc secundam rationem obijcias, falsum esse fundamentum in ea adductum ad probandum, formam per se subsistentem non posse corrumpi propria corruptione, nimirum, quia esse per se existens per se conuenit formæ subsistenti, ac proinde non potest ab illa separari. Nam idem est, aliquid conuenire alicui per se, & non conuenire illi per accidens: at omni formæ creatæ per accidens conuenit tam existere quàm existere per se: ergo nulli per se conuenit, siue existere, siue per se existere. Maior & consequentia ex se constare videntur. Minor autem est certa. Tum, quia existere, aut existere per se prædicatur per accidens de qualibet forma citra Deum, ita quòd nec sit de essentia alicuius formæ, nec fluat ab illa vt passio: ex eo quòd (vt constat ex his, quæ D. Thom. docet suprà q. 3. art. 4.) nulla res creata est sibi sufficiens causa quòd sit. Tum etiam. Quia nulla res potest intelligi sub oppositio eius, quòd illi conuenit per se: constat autẽ, quòd de quacunq; forma præter diuinã potest verificari, quòd non existit ac proinde quòd nec per se existit: ergo, &c. *D. Thom.*

Confirmatur. Quia existentia per se ad summũ potest per se conuenire formæ per se subsistenti, quatenus ly *per se* constituitur Confirmat.

contra *per aliud*, & idem significat, quòd cõuenire sine medio, seu immediatè: sed hoc nihil refert ad hoc, vt *esse* per se existẽs nequeat separari à prædicta forma: ergo ratio facta quoad hanc partem omninò corruit. Consequentia ex vtraque præmissa apertè constat. Minor autem etiam liquet. Nã ex hoc, quòd aliquid conueniat alicui per se, ideſt, non per aliud, sed immediatè, non rectè colligitur, conuenire ei inseparabiliter, vt in forma respectu materiæ, & in albedine respectu superficiei cernitur. Maior autem etiam constat. Quia esse per se subsistens non potest per se conuenire formæ per se subsistenti, nisi vel conueniat per se, prout ly *per se* condistinguitur contra *per accidens*, vel contra *per aliud*, vt per se patet: ergo cùm non possit conuenire priori modo, vt modò dicebamus, solùm poterit conuenire hoc posteriori.

Diluitur obiectio. *Complut.*

106 Non igitur hoc refert. Iam enim hoc argumentum vnà cum sua confirmatione optimè solutum est à nostris Complutensibus in libris de Anima disput. 16. à nu. 37. vsque ad 40. & ideò ex illis respondetur, concedendo maiorem, & distinguendo minorem: & si intelligatur de conuenientia per accidens, vt distinguitur contra conuenientiam per se simpliciter, concedenda est: quia reuerà existere, aut existere per se in actu exercito (secundùm quam rationẽ de illo loquimur) nulli creaturæ potest cõuenire per se perfeitate simpliciter, in quo sensu loquitur Angelicus Doctor loco nuper citato. Si verò intelligatur de conuenientia per accidens, prout distinguitur contra conuenientiam per se physicam, neganda est: quoniam forma per se subsistens; per se habet perfeitate physica, quòd per se existat. Et deinde neganda est consequentia. Nam ad vim rationis D. Thomæ satis est, quòd formæ per se subsistenti cõueniat perfeitate physica, vt per se existat.

Angelic. Doct.

Complut.

Quod optimè ijdem Complutenses ibidem ex Caietano in hoc art. 5. §. *Ad euidentiam verò secundi modi*, sic explicant. Etenim aliquid conuenire alicui per se, ideſt non per accidens, stat dupliciter, scilicet vel per se simpliciter, vel per se physicè. Ille prior modus conueniendi per se competit ex habitudine terminorum, sicut quinario per se competit esse imparem: vnde ita necessariò competit, vt non supponat aliquid nõ necessarium, nec posset res, cui conuenit, esse sub opposito eius, quod illi conuenire dicitur, vt in exemplo allato quinarij cernitur. Hic verò posterior modus conueniendi per se non competit ex habitudine terminorum, sed aliquid non necessarium supponit: & propterea potest res esse sub opposito eius, quod ei sic per se conuenire dicitur, quanuis facta illa suppositione non necessaria, tunc id, quod hoc modo per se conuenit, debeat necessariò necessitate naturalis cursus conuenire. Quo pacto corruptio Sortis competit illi per se: quia licèt supponat aliquid non necessarium, nimirum productionem Sortis; attamen hoc semel supposito, conuenit illi necessariò necessitate naturalis cursus, quòd aliquando corrumpatur: & propterea potest, vel non facta prædicta suppositione esse naturaliter sub oppositio huius, vel ea facta esse supernaturaliter sub oppositio prædictæ corruptionis.

Existere ergo, aut per se existere conuenit per accidens formæ subsistenti, prout ly *per accidens* condistinguitur contra *per se simpliciter*; nõ tamen prout distinguitur cõtra *per se physicè*: quia reuera cõuenit illi per se perfeitate physica, vt per se existat. Nam semel supposito aliquo non necessario, scilicet productione eiusdem formæ, nequit secundùm communem, & naturalem cursum separari ab *esse*, seu corrumpi, vt ex dictis constat, & ex statim dicendis amplius patebit. Et ita potest de prædicta forma verificari, tum quòd per accidens, & in sensu explicato existat, aut subsistat, tum etiam quòd possit esse sub oppositio prædictæ existentiæ, tùm denique quòd his non obstantibus, & supposita productione prædictæ formę, ac secundùm naturalem cursum, semper & necessariò habet existere, & existere per se.

Ad confirmationem. *Caietanus*

107 Ex quo ad confirmationem neganda est maior. Et ad probationem, constat ex modò dictis, addendum ex eodem Caietano loco citato, quòd dupliciter potest aliquid conuenire alicui per se, ideſt, non per aliud, seu non mediante alio, vel ita vt non mediet alia forma, quanuis mediet alia actio; vel ita vt (naturaliter saltem loquendo) nec forma, nec actio vnquam mediet. Licèt ergo ex hoc, quòd aliquid conueniat alicui immediate immediatione prioris rationis, ideſt sine media forma, non possit efficaciter colligi inseparabilitas, vt in hac eadem obiectione probatur, attamen quandocunque aliqua duo sic se habent, quòd vniuersaliter vnum conuenit alteri immediate immediatione posterioris rationis, ita vt semper (naturaliter saltem loquendo) coniungantur sine media forma, & sine media actione, tunc illa duo oportet esse inseparabilia ab inuicem: ex eo quòd quæcunque eadem generatione generantur, eadem quoque corrumpuntur.

Quare, cùm inter formam per se subsistentem, & eius existentiam, & subsistentiam, per quam per se existit, nulla vnquam (saltem naturaliter loquendo) mediet actio coniungens hæc cum prædicta forma, quoniam vniuersaliter contingit, vt non priùs fiat talis forma, & per aliam actionem coniungatur cũ per se *existere*, sed ipsum *fieri* formæ ad illam coniunctionem terminatur: propterea omnia prædicta semel cõiuncta debẽt

inse-

inſeparabiliter ſe habere. Sicut è contrario, quia materia ſublunaris non coniungitur vniuerſaliter cum ſua forma ſubſtantiali ſine media actione, ſed naturaliter loquendo, & ferè ſemper præſupponitur materia iam producta, & poſteà coniunguntur per actionem mediam ab agentibus naturalibus: & ſimiliter albedo non ſemper coniungitur immediate cum ſuperficie: propterea nec forma ſublunaris, & ſubſtantialis cum materia prima, nec albedo cum ſuperficie inſeparabiliter coniũguntur, ſeu vnum alteri per ſe perfeitate phyſica conuenit.

§. III. *Contraria ſententia, argumenta pro ipſa, & ſolutiones eorundem.*

Contraria ſententia. *Alenſis Bonauent Richard. Scotus. Gabriel OKam. Aureol. Vazquez*

108 OPpoſitam nihilominùs ſententiam, nimirum, Angelos non eſſe ex natura ſua incorruptibiles, licèt de facto non debeant corrumpi, tenuerunt Alenſis 1. part. quæſt. 4. membro 3. Bonauentura in 1. diſt. 8. in 1. part. diſtinctionis art. 2. quæſt. 2. Richardus ibidem art. 2. quæſt. 2. Scotus quęſt. 5. & in 4. diſt. 49. quæſt. 6. Gabriel in 2. diſt. 2. quæſt. 1. concluſ. 6. OKam ibidem diſt. 7. Aureolus in 1. diſt. 8. quæſt. 2. & Vazquez in præſenti diſput. 182. cap. 2. dicens, Angelos ex natura ſua, & ex potentia reali ſibi intrinſeca eſſe corruptibiles, & annihilabiles: ſubdit tamen, iſtam annihilationem quodammodo eſſe ſupernaturalem, quia eſt ſupra ordinẽ cauſarum naturalium, & communis curſus à Deo diſpoſiti, & quodammodò etiam naturalem, quia non eſt ſupra Angelorum naturã. Eandem ſententiam, quatenus negat Angelis incorruptibilitatem ex natura ſua, à fortiori amplexati ſunt omnes illi, qui dixerunt Angelos ita corruptibiles, vt diſtinguantur per diuerſitatẽ ſexuum maris, & fœminæ, vt deſeruiant generationi, & corruptioni. Hunc errorem inſinuarunt Iudæi, qui non ſequentes exemplar, quod in monte Moyſi monſtratum fuerat, Cherubim exiſtentia in Sancto Sanctorum maris, & fœminę formis diſtinxerunt, vt refert Bened. Arias Montanus in lib. de Sacris fabricis, & Theodoretus lib. 5. Diuinorum decretorum.

Bened. Arias M. Theodor.

Probatur 1 ex Scriptur. *Ad Timot 6.*

Probatur primò ex illo Apoſtoli 1. ad Thimotheũ 6. vbi dicitur, quòd *Solus Deus habet immortalitatem*: ergo Angeli carent illa: & conſequenter ſunt corruptibiles.

Confir. ex Patribus. 1. *Damaſc. Ambroſi. Iuſtinus Martyr. Cyrillus Alexan. Bernard. Baſilius Elias Cre. Hieron. Gregor.*

109. Confirmatur primò ex Patribus. Nã quamplures ex illis videntur docere, Angelos eſſe immortales, non natura, ſed gratia Dei. Ita Damaſcenus lib. 2. de Fide capit. 3. Ambroſius lib. 3. de Fide c. 2. Iuſtinus Mart. lib. quæſt. quęſt. 61. noſter Cyrillus Alexan. lib. 8. Theſ. cap. 2. Bernardus lib. 5. de Conſideratione ad Eugenium cap. 4. paulò poſt initium, Baſilius 2. contra Eunomium, Elias Cretenſis oratione 1. Nazianzeni, Hieron. 2. contra Pelagianos, & ad Titum 1. & Gregorius 27. Moralium, cap. 3. vt referunt Vazquez in præſenti, Suarez lib. 1. de Angelis c. 9. Ergo, &c.

Confirm. 2.

Confirmatur ſecundò. Nam in Concilio Conſtantinopolitano 3. (quod eſt 6. ſynodus vniuerſalis ſub Agathone Papa) ſeſſione 11. in epiſtola Sophronij, quæ approbata eſt à Concilio actione 13. dicitur, Angelos per gratiam, & non per naturam eſſe immutabiles. Et inter articulos Pariſienſium reperitur, eſſe errorem dicere, quòd aliqua creatura ſit ſuapte natura perpetua, & incorruptibilis. Ergo, &c.

Concilium Conſtant.

Confirm. 3.

Confirmatur tertiò. Quia vel Angeli natura ſua ſunt incorruptibiles reſpectu diuinæ potentię, vel corruptibiles? Si hoc ſecundũ dicatur, habetur intentum. Primum autem dici non poteſt: quia eſt oppoſitum teſtimonijs relatis, in quibus ſaltem hoc tãquam certum manifeſtè traditur, nimirum, Angelos reſpectu extrinſecæ potentiæ Dei non ex natura, ſed ex gratia habere eſſe incorruptibiles, & immortales: ergo, &c.

Reſpond. 1.

110. Reſpondetur, illum locum Apoſtoli ſolùm denotare, quòd ſolus Deus habet immortalitatem à ſe. In quo etiam ſenſu dicitur Marci 10. quòd *Solus Deus eſt bonus*: & ad Romanos 16. quòd *Solus Deus eſt Sapiens*. Et hęc expoſitio eſt conformis D. Auguſtino lib. de Natura boni cap. 39. & epiſtola 28. & Hieronymo in comment. mag. epiſtolæ ad Titũ ſuper illa verba capitis primi. *Quod promiſerat*, &c.

Marci 10 Ad Rom. 16. D. Augu. D. Hier.

Reſpond. 2.

Vel ſecundò reſpondetur, ſiue magis explicatur præcedens ſolutio, quòd per prædicta verba ſolùm ſignificatur, quòd ſolus Deus habet immortalitatem omnimodam reſpectu cuiuſcunque potentiæ, etiam extrinſecæ, & prout excludit corruptionem etiam accidentalem: Angeli verò habent quidẽ immortalitatem ſubſtantialem, non accidentalem, & ſolùm habent illam à principijs intrinſecis, quia in ſe carent principio corruptionis; non tamen habent illam reſpectu extrinſecæ omnipotentiæ Dei. Ita explicatur prædictus locus à Sanctis Patribus, Auguſtino lib. 83. quæſt. quæſt. 19. Iuſtino quæſt. 9. ad Gentes, Ambroſio lib. 3. de Fide ad Gracian. cap. 2. Hieronymo ad Galat. 1. & Gregorio lib. 21. Moralium capitul. 5. & lib. 27. capitul. 25.

Auguſtin. Iuſtinus Ambroſ. Hierony. Gregorius

Reſpond. 3.

Vel tãdẽ reſpondetur, ideò dici, quòd *Solus Deus habet immortalitatẽ*, quia immortalitas aliorũ multùm deficit ab immortalitate Dei, & reſpectu illius eſt veluti mortalitas. Ita Ambroſius in eodem loco, & noſter Cyrillus lib. 8. Theſ. cap. 2.

Ambroſ. N. Ciril.

Ad primã cõfirmationem, & ſecundam.

Ad primam confirmationẽ reſpondetur, ideò dici in illis teſtimonijs, hanc immortalitatem, & incorruptibilitatem non conuenire

nire Angeli naturā ſuā, ſed per gratiam, quoniam Angeli non habent eam à ſe, ſed à Deo acceptam dono creationis, quod in quantum ex libera & gratioſa voluntate Dei, & ſine vllo debito datur, non incongruè poteſt aliquomodo nuncupari gratia, vt docuerunt. *Auguſtin.* Patres Concilij Africani apud Auguſtinum epiſtola 106. Perquod etiam ad ſecundam confirmationem conſtat.

Ad tertiam 111 Ad tertiam verò confirmationem dicendum eſt ex doctrina D. Thomæ infrà q. *D. Thom.* 104. art. 4. interrogationem illam in maiori propoſitione contentam, vtrùm Angeli natura ſua ſint corruptibiles reſpectu diuinæ potentiæ, vel incorruptibiles? diſtinguendam eſſe. Aut enim intelligitur de diuina potentia abſoluta; vel ſolùm de ordinaria. Si de abſoluta, fatendum eſt, naturā ſuā nō eſſe incorruptibiles, ſeu (quod in idem quoad præſens redit) inannihilabiles, ideſt, nihil ex ſe habere, ratione cuius eis repugnet per ſupernaturalem Dei potentiam deſtrui: quod ſanè verum eſt. Cæterum ex hoc non licèt inferre, Angelos eſſe naturā ſuā ſimpliciter corruptibiles; ſed ſolùm deducitur, eos non habere ex naturā ſuā incorruptibilitatem ſeu inannihilabilitatem cum hoc addito, nempe, *reſpectu omnipotentiæ abſolutæ Dei*: quia ad primum neceſſarium eſſet, illos habere in ſe ipſis principium intrinſecum ſuę corruptionis, ſiue potentiam realem ad non *eſſe*; ratione cuius adhuc ſuppoſita creatione non ſit eis debita perpetua cōſeruatio in ſuo *eſſe*, quā tamē potentiam non habent, vt oſtenſum eſt: & ad ſecundum ſatis eſt, eos habere non repugnantiam, vt corrumpantur, ſeu annihilentur: quia eo ipſo clauduntur ſub obiecto diuinę potentiæ abſolutæ in ordine ad prædictam annihilationem. Si tamen interrogatio intelligatur ſecundo modo, nimirum de potentia ordinaria, dicendum eſt, Angelos naturā ſuā eſſe incorruptibiles, vel inannihilabiles: quia, vt ibidem docet D. Thomas, quæ facturus eſt Deus ſecundùm ordinem naturalem rebus inditum, ſeu (quod idem eſt) ſecundùm potentiā ordinatam, conſiderari poſſunt ex ipſis rerum naturis, hoc eſt, ex eo quod eſt conueniens & conſentaneum naturis earum: creaturarum autem naturæ hoc demonſtrant, vt nulla earum in nihilum redigatur: quia vel ſunt immateriales, & ſic in eis non eſt potentia ad non *eſſe*, vel ſunt materiales, & ſic ſaltem remanent ſemper ſecundùm materiam, quæ incorruptibilis eſt.

112 Secundò probatur eadem ſententia ratione. Quia ſolus Deus eſt ens per ſe neceſſarium; reliqua verò ſunt entia contingentia, ſiue indifferentia ad *eſſe*, & non *eſſe*, vt docet D. Thomas ſuprà q. 9. art. 2. omnia enim dependent ex libera Dei voluntate, vt ſint, vel non ſint: ergo Angeli, & reliqua omnia creata ſunt corruptibilia ex naturā ſuā. *Fundamentum 2.* *D. Thom.*

Reſpondetur ex dictis, diſtinguendo antecedens: *Solus Deus eſt ens per ſe neceſſarium*, ſi loquamur de neceſſitate Logica, hoc eſt, in ordine ad quamcunque potentiam, concedimus: quia cùm non habeat cauſam ſuæ neceſſitatis, ſed ex ſua eſſentia habeat illam, ſolus ipſe habet eſſe omninò independens ab aliquo extrinſeco: & ita per nullam potentiam poteſt deficere. Si autem loquamur de neceſſitate phyſica & naturali, negamus antecedens: quia etiam aliquæ creaturæ, quales ſunt Angeli, habent (ex ſuppoſitione quòd ſolum producantur) quòd ſint entia neceſſaria ex naturā ſuā: eo quòd per nullam cauſam intrinſecam deſtrui poſſunt, imò neque per extrinſecam attenta potentia Dei ordinaria, vt dictum eſt. *Fit ſatis.*

QVAESTIO LI. DE COMPARATIONE ANGELORUM AD CORPORA.

PROOEMIVM.

DEINDE quæritur de Angelis per comparationem ad corporalia. Et primò, de comparatione Angelorum ad corpora. Secundò, de comparatione Angelorum ad loca corporalia. Tertiò, de comparatione Angelorum ad motum localem.

ARTI-

ARTICTLVS I.

Vtrùm Angeli habeant corpora naturaliter ſibi vnita?

2. Diſt. 8. ar. 1. & 2. cont. 1. 48. 89. & 90. & pot. q. 6. art. 6. & mal. q. 16. ar 1. & Spirit. art. 5. & opuſc. 211. 3. c. & 221. & opuſc. 15. c. 18.

AD primum ſic procedi tu. Videtur, quòd Angeli habeant corpora naturaliter ſibi vnita. Dicit enim Origenes in lib. Periarchon. † Solius Dei, ideſt Patris, & Filij, & Spiritus Sancti naturæ illud proprium eſt, vt ſine materiali ſubſtantia, & abſque vlla corporeæ adiectionis ſocietate intelligatur exiſtere. Bernardus etiã dicit in 6. Homil. * ſuper Cant. Demus Deo ſoli ſicut immortalitatem, ſic in corporeitatem, cuius natura ſola neque propter ſe, neque propter alium ſolatio indiget inſtrumenti corporei. Liquet autem, omnẽ ſpiritum creatum corporeo indigere ſolatio. Auguſtinus * etiam dicit ſuper Geneſ. ad litteram: Dæmones aerea dicuntur animalia, quia corporum aereorum natura indigẽt. Eadem eſt natura Dæmonis, & Angeli. Ergo Angeli habent corpora naturaliter ſibi vnita.

† Lib. 1. c. 6. in fine to. 4.

† Serm. 5. & 6. circa prin.

† Lib 2 ca. 17. & lib. 3. ſuper Gen. c. 10 in prin tom. 3.

¶ 2 Præterea. Gregorius * in homil. Epiphaniæ nominat Angelum rationale animal. Omne autem animal cõponitur ex corpore, & anima. Ergo Angeli habent corpora naturaliter ſibi vnita.

* Homil. 10 in euangel. circa princi pium.

¶ 3 Pretereà. Perfectior eſt vita in Angelis, quàm in animabus. Sed anima non ſolùm viuit, ſed etiam viuificat corpus. Ergo Angeli viuificant corpora naturaliter ſibi vnita.

SED contra eſt, quod dicit Dionyſius * 4. capite de diuinis nominibus, quôd Angeli ſicut incorporales intelliguntur, ita & immateriales.

* Cap. 4. parũm à principio.

RESPONDEO dicendũ, quòd Angeli non habent corpora ſibi naturaliter vnita. Quod enim accidit alicui naturæ, non inuenitur vniuerſaliter in natura illa: ſicut habere alas, quia non eſt de ratione animalis, nõ conuenit omni animali. Cùm autem intelligere non ſit actus corporis, nec alicuius virtutis corporeæ, vt infrà patebit, * habere corpus vnitũ, non eſt de ratione ſubſtantiæ intellectualis in quantum huiuſmodi; ſed accidit alicui ſubſtantiæ intellectuali propter aliquid aliud: ſicut humanæ animæ cõpetit vniri corpori, quia eſt imperfecta, & in potentia exiſtens in genere intellectualium ſubſtantiarum, non habens in ſui natura plenitudinem ſcientię, ſed acquirẽs eam per ſenſus corporeos à ſẽſibilibus rebus, vt infrà dicetur. * In quocunque autem genere inuenitur aliquid imperfectum, oportet præexiſtere aliquid perfectum in genere illo. Sunt igitur aliquæ ſubſtantiæ perfectæ intellectuales in natura intellectuali, nõ indigentes acquirere ſcientiam â ſenſibilibus rebus. Non igitur omnes ſubſtantiæ intellectuales ſunt vnitæ corporibus; ſed aliquę ſunt à corporibus ſeparatæ: & has dicimus Angelos.

† Q. 75. art. 2.

† Q. 84. ar. 6 & 89. art. 1.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſicut ſuprà dictum eſt. * quo

† Q. 50. art. 1.

rundam

fundam opinio fuit, quòd omne ens eſſet corpus. Et ex hac exiſtimatione deriuatũ videtur, quod aliqui exiſtimauerunt, nullas ſubſtantias incorporeas eſſe niſi corporibus vnitas: adeò, quòd quidam etiam poſuerunt Deum eſſe animam mundi, vt Auguſtinus* narrat in ſeptimo de Ciuitate Dei. Sed quia hoc fidei Catholicæ repugnat, quæ ponit Deum ſuper omnia exaltatum, ſecundum illud Pſalmi 8. Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos. Origenes hoc de Deo dicere recuſans, de alijs ſecutus eſt aliorum opinionem, ſicut & in multis alijs deceptus fuit, ſequens antiquorum Philoſophorum opiniones. Verbum autem Bern. poteſt exponi, quòd ſpiritus creati indigeant corporali inſtrumento, non naturaliter vnito, ſed ad aliquid aſſumpto, vt infrà† dicetur. * Auguſtinus autẽ loquitur, non aſſerendo, ſed opinione Platonicorum vtens, qui ponebant, eſſe quædam animalia aerea, quæ Dæmones nominabant.

* Lib. 7 de Ciuit. Dei cap. 6. tom. 3.

† Art. ſeq.

Ad ſecundum dicendum, quòd Gregorius nominat Angelum rationale animal metaphoricè, propter ſimilitudinem rationis.

Ad tertium dicendum, quòd viuificare effectiuè, ſimpliciter perfectionis eſt. Vnde & Deo conuenit, ſecundum illud 1. Reg. 2. Dominus mortificat, & viuificat. Sed viuificare formaliter, eſt ſubſtantiæ, quæ eſt pars alicuius naturæ, & non habẽtis in ſe integram naturam ſpeciei. Vnde ſubſtantia intellectualis, quæ non eſt vnita corpori, eſt perfectior, quàm ea, quæ eſt corpori vnita.

Concluſio eſt negatiua.

Notationes circa hunc Articulum.

1 CIrca hunc articulum notandum eſt primò, doctrinam eius tradi ab eodem S. Doctore de Potentia. quæſt. 6. art. 6. de Malo. quæſt. 16. art. 1. de Spiritualibus creaturis art. 5. in 2. diſt. 8. & 2. contra Gent. cap. 48. 49. & 90. & alibi ſæpè & eſt communis inter Theologos, quos proinde in particulari referre non eſt neceſſe.

Animaduerſio.

Secundò circa rationem, qua S. Doctor concluſionem probat, animaduertẽdum eſt, eam eſſe ſatis elegantem. Vt autem eius vis melius capiatur, præſupponendum eſt, in idẽ redire, quòd Angeli habeant corpora ſibi naturaliter vnita, ac illos eſſe veras formas informantes prædicta corpora. Quia ſolùm formæ informantes habent corpora ſibi naturaliter vnita, ſiue vnita ſibi ex naturali neceſſitate, quandiù in ſtatu omninò connaturali ſunt, vt in anima noſtra patet. Et propterea, quæ non ſunt formæ informantes, ſolùm per accidens, omninò liberè, & ad nutum aſſumũt corpora, & eis vniuntũr, vt motor mobili. Poteſtque hoc magis elucidari ex eo, quòd quæ ſunt formæ informantes, ſunt etiã partes, & egent corporibus, vt compartibus, ad hoc vt ſint in ſtatu connaturali: & ideò habent corpora ſibi naturaliter vnita: in idemque redit, habere ſic corpora, & eſſe formas informantes. Cæterùm formæ non informãtes non ſunt partes, nec egent corporibus vt compartibus, vt ſint in ſtatu connaturali, & ideò non habent illa ſibi naturaliter vnita: in eiſque in idem redit, non habere ſic illa vnita, & non eſſe formas informantes.

Formatur ratio ex D. Thom.

2 Hoc ergo ſuppoſito, ratio D. Thomę in hoc articulo ad probandum ſuam concluſionem negatiuam adducta, poteſt ad hãc formam reduci. Quia vniri corpori per modum formæ informantis, & actuantis illud, ſeu habere corpus naturaliter ſibi vnitum, accidit naturæ intellectuali vt ſic: ergo non inuenitur vniuerſaliter in omni natura intellectuali: & perconſequens, cùm hoc reperiatur in anima noſtra rationali, non poterit reperiri in Angelica natura. Hæc vltima conſequẽtia patet ex prima. Quoniam natura intellectualis creata vt ſic adæquatè diuiditur in Angelicam, & in animam rationalem: ergo eo ipſo, quòd omni naturæ intellectuali non poſsit competere, quòd ſit forma corporis, ſeu habeat corpus ſibi naturaliter vnitum, & in anima rationali hoc inueniatur, vt per ſe patet, nõ poterit inueniri in natura Angelica.

Prima verò conſequentia liquet ex antecedenti. Nam quod accidit alicui naturæ, non inuenitur vniuerſaliter in natura illa: vt rationale, hoc ipſo quòd accidat animali, non reperitur vniuerſaliter in quauis natura

anima-

animalis. Antecedens autem probatur. Nam ſubſtantiæ intellectuali vt ſic conuenit, quòd ſit per ſe ſubſiſtens, cùm habeat per ſe operationem: de ratione autem rei per ſe ſubſiſtentis non eſt, quòd corpori vniatur per modum formæ informantis, & actuantis illud, ſeu quòd habeat prædictum corpus ſibi naturaliter vnitum: ac proinde hoc ei accidit. Vnde animæ noſtræ conuenit, quòd informet, ſeu habeat corpus ſibi naturaliter vnitum (vt loquitur D. Thomas in hoc articulo) quia eſt imperfecta, & in potentia exiſtens in genere intellectualium ſubſtantiarum, non habens in ſui natura plenitudinem ſcientiæ, ſed acquirens eam per ſenſus corporeos à ſenſibilibus rebus, vt infrà dicetur.

Confirmatur ratione D. Thomæ.

Confirmatur ratione eiuſdem Angelici Præceptoris, quam in hoc eodem articulo, & 2. contra Gentes innuit. Nam ſi detur aliquid imperfectum in aliquo genere, inuenitur ante illud ſecundùm naturæ ordinem aliquid in genere prædicto perfectum: ſed in genere intellectuali dantur formæ, quæ ſint naturaliter vnitæ corporibus, quæque proinde ſint actus imperfecti, & incompleti: ergo inuenientur formæ, quæ ſint actus perfecti, & completi, per ſe ſubſiſtentes, & ſpeciem completam habentes: & per conſequens quę non habeant ſibi corpora naturaliter vnita, quos Angelos nominamus. Vtraque conſequentia apertè ſequitur ex præmiſſis. Minor etiam conſtat. Nã in genere intellectuali vt ſic dantur animæ rationales, quæ hoc ipſo, quòd ſint vnitæ corpori, ſunt actus imperfecti, & incompleti, habentque corpora ſibi naturaliter vnita. Maior probatur. Nam perfectum natura prius eſt imperfecto.

Obiectio 1. cõtra rationem D. Thomæ.

3. Plura tamen ſunt, quæ contra hanc rationem obijci poſſunt. Primò quidẽ, quòd color, & quantitas accidunt naturæ animalis: & tamen inueniuntur vniuerſaliter in prędicta natura, ſiquidem omne animal eſt quantum, & coloratum: ergo non rectè infert D. Thomas, quòd id, quod accidit alicui naturæ, non inuenitur vniuerſaliter in illa.

Secunda.

Secundò. Id, quod accidit alicui rei, non vnitur illi ſubſtantialiter, nec facit cum illa vnum per ſe, vt patet in accidentibus, quæ vniuntur ſubſtantiæ: ſed animæ rationali, quæ eſt forma per ſe ſubſiſtens, vnitur corpus ſubſtantialiter, & facit cum illa vnum per ſe: ergo falsò dicitur, formæ per ſe ſubſiſtenti accidere, quòd vniatur corpori ſubſtantialiter per modum formæ, ſeu quòd habeat corpus ſibi naturaliter vnitum.

Tertia.

Tertiò contra confirmationem. Quoniam Angelus, & anima rationalis non pertinent ad idem genus: hoc autem ſupponitur in ratione D. Thomæ: ergo non erit legitima, quippe falſo innitens fundamento. Maior, in qua eſt difficultas, probatur. Quia anima rationalis non eſt ſubſtantia completa, ponibilis directè in aliquo genere, ſed partialis tantùm, ponibilis reductiuè in genere animalis, ſicut aliæ partes hominis: ergo non eſt in genere ſubſtantiæ intellectualis. Patet iſta conſequentia. Quia eadem res non poteſt eſſe in duobus generibus non ſubordinatis per modum ſuperioris, & inferioris: animal autem, & intellectuale non ſunt genera ſic ſubordinata: ſiquidem nec animal eſt ſuperius ad intellectuale, nec intellectuale ad animal: ergo anima rationalis pertinens ad genus animalis, nullo modo poteſt pertinere ad genus intellectualis.

Quarta.

4. Quartò contra eandem confirmationem. Quia ex eo, quòd ad imperfectum in aliquo genere oporteat præexiſtere aliquod perfectum, non ſequitur, quòd in natura intellectuali detur præter animam rationalem aliqua alia ſubſtantia creata, & perfecta nullo modo vnita corpori naturaliter, ſi licet Angelus: ergo etiam ex hoc capite ratio D. Thomæ corruere videtur. Antecedens probatur. Tum, quia ex hoc, quòd ad imperfectum in aliquo genere oporteat præexiſtere aliquid perfectum, ſolùm ſequitur, quòd præter animam rationalem detur aliqua forma naturaliter vnibilis corpori, quæ tribuat effectum ſatis nobiliorem, & perfectiorem, ſpecieque diſtinctum ab eo, quem tribuit prædicta anima. Tum etiam, quia ſi ob aliquam rationem ad imperfectũ in aliquo genere, v. g. intellectuali, deberet præexiſtere aliquid perfectum, maximè vt id, quod eſt perfectũ, perficeret, & reduceret ad actum intra genus intellectuale id, quod eſt imperfectum: ad hãc autem reductionem in actum ſatis eſt ponere in ipſa anima rationali intellectum agentem, qui illam de potentia ad actum per productionem ſpecierum intelligibilium reducat, & in genere intellectualis perficiat. Tum denique, quia ad hoc ſatis eſt, quòd præexiſtat in genere intellectuali aliqua ſubſtantia perfecta, quæ ſit ipſe Deus omninò incorporeus.

Quinta.

Quintò. Quoniam natura Angelica eſt diuiſibilis in plures ſpecies: ergo ex eo quòd id, quòd accidit generi, nempe naturæ intellectuali vt ſic, non debeat conuenire omnibus ſpeciebus, non ſequitur, quòd ſi ſemel conuenit vni ex illis, nempe animæ rationali, quòd non conueniat aliquibus ex naturis Angelicis, licèt ſequatur, quòd non cõueniat omnibus.

Enodatio primæ obiectionis.

5. Sed hæc nõ obſtant. Nã ad primũ reſpõdetur D. Thomã non loqui de accidẽti phyſico, quale eſt color, & quãtitas. Nã illud aliquando permittitur eſſe vniuerſaliter in natura, cui accidit, ſed de accidenti (vt ſic dicamus) logico, quale eſt differentia contrahens eſſen-

eſſentialiter genus: & hoc, impoſsibile eſt, in ueniri vniuerſaliter in natura generica, cui accidit, ſed ſolùm in ſpecie, cui eſt eſſentiale. Et hoc eſt, quod vult Caietanus, dum ait, Diuũ Thom. loqui non de eo, quod accidit ſuperiori, & inferiori, ſed de eo, quod accidit reſpectu ſuperioris, reſpectu verò inferioris vel eſt eſſentiale conſtitutiuum, vel conſequens ex prędicto cõſtitutiuo eſſentiali: vt v.g. rationale, vel riſibile accidunt animali, cùm tamẽ horum primum ſit eſſentiale homini, & ſecũdum conſequens ad eſſentiale.

D. Thom. Quæ ſolutio eſt valdè cõſona menti D. Thom. ſeu potiùs eſt ipſa mens illius, vt patet ex verbis, quibus rationem hanc (de qua in præſenti) in 2. contra Gent. c. 91. ratione 2. in hunc modũ format, ſic dicẽs: *Amplius. Omne, quod eſt de ratione generis, oportet ex ratione ſpeciei eſſe. Sunt autem quædam, quæ ſunt de ratione ſpeciei, non autem de ratione generis, ſicut rationale eſt de ratione hominis, non autem de ratione animalis. Quicquid autẽ eſt de ratione ſpeciei, non autem de ratione generis, nõ eſt neceſſe omnibus ſpeciebus generis ineſſe: multæ enim ſpecies ſunt irrationalium animalium. Subſtantiæ autem intellectuali ſecũdum ſuum genus conuenit, quòd ſit per ſe ſubſiſtens, cùm habeat per ſe operationem (ſicut ſuperiùs eſt oſtenſum.) De ratione autem rei per ſe ſubſiſtentis non eſt, quòd alteri vniatur. Non eſt igitur de ratione ſubſtantiæ intellectualis ſecundùm ſuum genus, quòd ſit corpori vnita, etſi ſit hoc de ratione alicuius intellectualis ſubſtantiæ, quæ eſt anima. Sũt igitur aliquæ ſubſtantiæ intellectuales corporibus non vnitæ.*

Secunda. 6 Ad ſecundum reſpondetur, accidere quidem naturę per ſe ſubſiſtenti, vniri corpori per modum accidentis (vt ſic dicamus) Logici, ſiue Metaphyſici, non verò Phyſici: accidens autem Logicum poteſt vniri ſubſtãtialiter, & facere vnum per ſe cum eo, cui accidit, vt conſtat exemplo rationalis, quod ſic accidit animali, & tamen vnitur cum eo ſubſtantialiter, & facit vnum per ſe cum ipſo.

Tertia. Ad tertium negandum eſt antecedens. Et ad probationem dicendum eſt, quòd homo eſt medium quoddam inter res purè ſpirituales, & purè corporales: eſt enim compoſitus ex corpore, & ſpiritu. Cùm ergo mediũ participet vtrumque extremum, poteſt ad vtrumque quodammodò reduci. Et ſic homo, quatenus habet animam ſpiritualem, & intellectiuam, pertinet ad genus intellectualium, tanquam infimum illius; quatenus verò habet corpus informatum anima rationali, pertinet ad genus animalium, tanquam ſuprema ſpecies illius: poteſt enim eadem res diuerſis rationibus pertinere ad diuerſa genera, etiam non ſubordinata: ſicut color rubeus pertinet ad contrarias ſpecies coloris albi, & nigri ſub diuerſis rationibus, quatenus ſcilicet participat vtrumque colorem.

7 Ad quartum negari debet antecedens. Et ad primam probationem dicendum eſt, quòd repugnat, dari aliam formã per ſe ſubſiſtentem vnibilem corpori per modum formæ, præter animam rationalẽ. Nam hæc eſt ſuprema inter omnes formas corpori vnibiles per modum formæ, ſicut homo inter omnia corpora abſolutè & ſimpliciter primatũ tenet. Et ratio huius poteſt reddi ex eo, quòd prædicta forma ſolùm poſſet eſſe intellectualis in eo immaterialitatis gradu, in quo anima noſtra, nempe, reſpiciendo tanquam obiectum connaturale quidditatem materialem, quæ quodammodo ſit in materia, quatenus reuera ex illa conſtat, & quodammodò in illa nõ ſit, quatenus per intellectũ abſtrahitur à materia ſingulari ſicut & illa forma (quæ falſo ponitur nobilior, quã anima noſtra) quodammodò eſſet in materia, quia eſſet forma illius, & quodammodò in ea non eſſet, ex eo quòd ab ea non penderet, vt de anima rationali ſuprà diſp. 1. dubio 1. dicebamus. Cumque intra hunc gradum non poſsit eſſe magis & minùs: quia prædicta forma per eaſdem ſpecies, nempe abſtractas miniſterio ſenſuum, ac proinde eiuſdem vniuerſalitatis intelligeret: conſequens eſſet, vt non foret vnde prædicta forma ab anima noſtra diſtingueretur. *Quartæ prior ſolutio.*

Adde, quòd adhuc data hac forma ſpecie diſtincta ab anima noſtra, deberet eſſe vnà cum illa maiori perfectione quid incompletum intra genus ſubſtantiæ intellectualis: & ita deberet intra idem genus dari aliquid cõpletum, vt in alijs generibus datur: ac proinde aliqua forma, ſiue actus completus, qui nõ ſit naturaliter corpori vnitus. ſiquidem ſatis cõſtat, quòd id, quod eſt completum in genere intellectuali, non eſt vnibile corpori vt forma, ſeu non habet corpus naturaliter ſibi vnitum. *Alia eiuſdẽ confutatio.*

8 Ad ſecundã probationẽ eiuſdem antecedentis dicendũ eſt, quòd ſi ratio D. Thom. contẽta in confirmatione fundaretur in hoc principio ſcilicet, *quod eſt in potẽtia debet reduci in actũ ab aliquo perfecto*, fortè ſatis ſaluaretur ponendo intellectũ agentẽ, vt anima reduceretur de potentia in actũ intelligendi: nõ tamen fundatur niſi in iſto, ſcilicet, quòd quãdo datur aliqua natura diſtinguibilis per plures differentias eſſentiales, neceſſe eſt, quòd ſi inuenitur ſecundũ differentiã imperfectiorẽ conſtituẽtẽ naturam incopletam, inueniatur etiam ſecundum perfectiorem, ideſt, quæ cõſtituat naturam completam. Cùm ergo natura intellectualis inueniatur ſecundùm illam differentiam imperfectiorem, nempe, in forma incompleta naturaliter vnita corpori, qualis eſt anima rationalis, oportet, vt reperiatur ſecundùm differentiam perfectiorem, ideſt, conſtituentem naturam completam,

vide-

videlicet in forma completa, & per ſe ſubſiſtenti, non vnita naturaliter corpori, nempe in Angelo.

Ad tertiam probationem reſpondetur, rationem D. Thomæ procedere de ordine rerũ pertinentiũ ad iſtũ vniuerſum, vt partium illius, ac proinde de ordine rerũ, quæ intra illud claudantur: Deus autem non clauditur in hoc vniuerſo, nec eſt pars illius, ſed eſt bonum ſeparatum eiuſdem vniuerſi, vt dicitur 12. Metaphyſicæ textu 52.

Reſponſio ad quintam obiectionẽ.

Ad quintum reſpondetur, quòd diuiſio naturæ intellectualis vt ſic in naturã rationalem, & intellectualẽ, eſt ſimilis diuiſioni animalis in rationale, & irrationale, ita vt vnũ extremum conſtituat ſpeciem atomam, & aliud ſubalternam. Vnde, ſicut id, quod accidit animali per modum accidentis logici ratione differẽtiæ rationalitatis, qua cõtrahitur, nequit conuenire omni animali, ſed ſoli animali rationali: ita id, quod accidit naturæ intellectuali vt ſic ratione ſui inferioris, ſcilicet ratione differentiæ atomæ naturę rationalis, ſcilicet animæ, non debet alteri extremo, ſcilicet naturæ Angelicæ, competere.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Angeli aſſumant corpora?

2. Diſt. 8. artic. 2. & pot. 46. art. 7.

AD Secundum ſic proceditur. Videtur, quòd Angeli non aſſumant corpora. In opere enim Angeli nihil eſt ſuperfluum, ſicut neque in opere naturæ. Sed ſuperfluũ eſſet, ſi Angeli corpora aſſumerent. Angelus enim nõ indiget corpore, cùm eius virtus omnẽ virtutẽ corporis excedat. ergo Angelus nõ aſſumit corpus.

¶ 2. Prætereà. Omnis aſſumptio ad aliquã vnionẽ terminatur: quia aſſumere dicitur, quaſi ad ſe ſumere. Sed corpus nõ vnitur Angelo vt formæ, ſicut dictũ eſt. † Ex eo autẽ quòd vnitur ſibi vt motori, non dicitur aſſumi: alioqui ſequeretur, quòd omnia corpora mota ab Angelis eſſent ab eis aſſumpta. Ergo Angeli non aſſumunt corpora.

Art. præc.

¶ 3. Prætereà. Angeli nõ aſſumunt corpora de terra, vel aqua: quia nõ ſubitò diſparerẽt. Neque iterũ de igne: quia cõburerẽt ea, quę cõtingerẽt. Neque iterùm ex aere: quia aer infigurabilis eſt, & incolorabilis. Ergo Angeli corpora non aſſumunt.

SED contra eſt, quod Auguſtinus † dicit 15. de Ciuitate, quod Angeli in aſſumptis corporibus Abrahæ apparuerunt.

Lib. 15. de Ciuit. Dei, c. 29. circa princ. & lib. 16. c. 29. to. 5.

RESPONDEO dicẽdũ, quòd quidã dixerũt, Angelos nũquam corpora aſſumere: ſed omnia, quę in Scripturis diuinis legũtur de apparitionibus Angelorũ, cõtigiſſe in viſione prophetię, hoc eſt, ſecũdùm imaginationem. Sed hoc repugnat intẽtioni Scripturæ. Illud enim, quod imaginaria viſione videtur, eſt in ſola imaginatione vidẽtis. vnde nõ videtur indifferenter ab omnibus. Scriptura autẽ diuina ſic introducit interdũ Angelos apparentes, vt cõmuniter ab omnibus vidẽrẽtur: ſicut Angeli apparẽtes Abrahę, viſi ſunt abeo, & tota familia eius, & à Loth, & à ciuibus Sodomorũ: ſimiliter Angelus, qui apparuit Tobię, ab omnibus videbatur. Ex quo manifeſtũ fit, huiuſmodi cõtigiſſe ſecũdum corporeã viſionẽ: quia videtur id, quod poſitũ eſt extra vidẽtẽ: vnde ab omnibus videri poteſt. Tali autẽ viſione nõ videtur, niſi corpus. Cùm igitur Angeli, neque corpora ſint, neque habeãt corpora naturaliter ſibi vnita, vt ex dictis patet †, relinquitur, quòd interdum corpora aſſumãt.

Art. præc. & art. 1. q. 50.

Ad primũ ergo dicendũ, quòd Angeli nõ indigẽt corpore aſſũp

to propter ſe ip ſos, ſed propter nos, vt familiariter cum hominibus conuerſando, demonſtrent intelligibilem ſocietatem, quam homines expectant cum eis habẽ dam in futura vita. Hoc etiam, quòd Angeli corpora aſſumpſerunt in veteri teſtamento, fuit quoddam figurale indiciũ, quòd verbũ Dei aſſumpturũ eſſet corpus humanũ. Omnes enim apparitiones veteris teſtamẽti, ad illã apparitionem ordinatæ fuerunt, quia filius Dei apparuit in carne.

Ad ſecundum dicẽdum, quòd corpus aſſuptum vnitur Angelo, non quidem vt formæ, neque ſolùm vt motori, ſed ſicut motori repræſentato per corpus mobile aſſumptum. Sicut enim à ſacra ſcriptura proprietates rerum intelligibilium ſub ſimilitudinibus rerum ſenſibilium deſcribuntur: ita corpora ſenſibilia diuina virtute ſic formantur ab Angelis, vt cõgruant ad repræſentãdũ Angeli intelligibiles proprietates. Et hoc eſt Angelũ aſſumere corpus.

Ad tertium dicẽdum, quòd licèt aer in ſua raritatè manens, nõ retineat figuram, neque colorem: quando tamen condenſatur, & figurari, & colorari poteſt, ſicut patet in nubibus. Et ſic Angeli aſſumunt corpora ex aere, cõdenſando ipſum virtute diuina, quantũ neceſſe eſt ad corporis aſſumendi formationem.

Prima cõcluſio eſt affirmatiua

Secunda ad ſecundum.

Angelos aſſumere corpora eſt, quòd corpora vniantur illis tãquam motoribus per illa repræſentatis.

Animaduerſiones circa iſtum articulum. Animadnerſiones circa 1. concluſionem.

1. CIrca primam concluſionem notandum eſt, eam intelligi de aſſumptione corporum, quæ poſſunt ſentiri ſenſibus exterioribus, & non ſola apparitione in phãtaſia. Sic autẽ intellecta aſſertio habetur etiã ex Auguſt. lib. 15. de Ciuit. cap. 23. vbi ſic habet: *Angelos apparuiſſe hominib⁹ in tali b⁹ corporibus, vt nõ ſolùm videri verùm etiã tangi poſſent, cadẽ veriſſima ſcriptura teſtatur.* Et idem docet in Enchiridion cap. 59. *Auguſt.*

Quod etiam tradunt Gregorius hom. 34. in Euangel. & lib. 28. Moralium c. 2. vbi ſic ait: *Abrahã nõ ſolùm tres viros videre potuit, ſed etiã hoſpitio ſuſcipere, &c. Niſi enim Angeli ad tẽpus ex aere corpora aſſumerẽt, exterioribus noſtris profectò obtutibus nõ appareret: nec cibos cũ Abrahã caperent, niſi propter nos ſolidum aliquod ex cæleſti elemento geſtarẽt.* *Gregor.*

Athanaſius ſerm. 4. contra Arrianos ante mediũ, vbi explicãs illud ad Hebræos 1. *Omnes adminiſtratorij ſpiritus ſũt*, ait de Angelis, qui mittuntur: *Quin & ipſe Angelus viſus, conſpectuq; ſe mittiã Domino confitetur: quẽadmodũ & apud Zachariam, & apud Deiparã confeſſus eſt Gabriel, & qui Angelũ viderat, nouerat, qui viderat, cũ Angelũ eſſe intellexit, & non Deũ: nam & Zacharias Angelum vidit.* *Athanaſ.*

Bernardus ſerm. 5. in Cant. vbi de Angelis ſic loquitur: *Hinc eſt, quòd viſi ſunt Patribus, & ad eos intrãuerunt, & mandducuerũt, & pedes lauerunt.* Iſidorus lib. 2. de Summo bono c. 10. his verbis: *Angeli corpora in quibus hominibus apparent, de ſupremo aere ſumunt ſolidamq; ſpeciẽ de cæleſti elemento inducũt, per quã humanis obtutibus manifeſtius detegantur.* Et Damaſcenus 2. de Fide c. 3. *Bernardus. Iſidorus. Damaſcen.*

Vnde D. Thomas in præſenti, & de Potẽtia q. 6. art. 7. inquit: *Simpliciter concedendũ eſt, quòd Angeli quandoque corpus aſſumũt, formãdo corpus ſenſibile exteriori, ſine corporali viſioni ſubiectum.* Et in 2. diſt. 8. q. 1. art. 2. ſic habet: *Dicendum eſt, Angelos quandoq; corpora ſumere, in quibus ab hominibus videntur.* Et tandem hæc ſentia eſt communis inter Theologos tam in præſenti, quàm ſuper ſecundùm ſententiarum loco nuper citato. *D. Thomas.*

Eſtque hic modus aſſumptionis corporũ ab Angelis ſatis conſonus illis, quæ ex Sacra Scriptura habemus. Nã in ea ſæpè narratur, Angelos apparuiſſe hominib⁹ ſub forma corporea, & humana, vt Gen. 18. vbi tres Angeli Abrahæ apparuerũt: & c. 19. in quo duo Angeli Loth apparuerũ: & in li. Tobiæ, Raphaẽl Tobiæ iuueni, & parẽtib⁹ eius in forma, & ſpecie humana ſe illis obieciſſe narratur. Illuſtratur 1. concluſio *Geneſ.* 18 & 19. *Tobiæ* 5.

2 Ex quo fit, nihil obeſſe ſi reſpondeas, huiuſm odi apparitiones fuiſſe factas olùm ſc undùm viſionem imaginariam. Nam hoc o ptime impugnat D. Thomas ex eo, quòd illud, quod imaginaria viſione tantũ modò Euaſio & preclu ſio eius.

cv.d-

videtur, eſt in ſola imaginatione videntis: vnde non videtur indifferenter ab omnibus. Scriptura autem diuina locis nuper citatis ſic introducit Angelos apparentes illis hominibus, vt communiter ab omnibus alijs viderentur. Sicut Angeli apparentes Abrahę viſi ſunt ab eo, & à tota familia illius: & à Loth, ciuibuſque Sodomorum inſpecti ſunt duo illi Angeli, qui Geneſis 18. & 19. deſcribũtur: ſimiliter Angelus, qui apparuit Tobiæ, ab omnibus videbatur.

Geneſ. 18. & 19.

Confirm. Confirmatur. Quia in Scriptura diuina videmus homines vigilantes locutos fuiſſe cum Angelis, & aliqua opera erga illos verè exercuiſſe: ergo hoc contigit in verbis corporibus aſſumptis, & non ſolùm ſecùndum imaginationem. Antecedens conſtat ex locis nuper citatis. Et conſequentia etiam liquet. Nã ſi ſolùm ſecundùm imaginationem, & non in veris corporibus aſſumptis cõtigiſſet, Sodomitæ non verè tentaſſent peccatum nefandũ cum Angelis, neque Abraham verè parauiſſet illis conuiuium, nec Tobias verè miſiſſet Angelum ad Gabellum, nec verè diligentia ipſius accepiſſet vxorem, aut liberatus fuiſſet à piſce deuorante: quæ omnia videntur eſſe contra teſtimonia Scripturæ.

Obiectio. 3 Nec refert, ſi obijcias, quòd ſi Angeli, vel Dæmones corpora aſſumunt, hoc non eſt propter eorum neceſsitatem, ſed vel propter nos inſtruendos, vt in Angelis bonis contingit, vel propter nos decipiendos, vt in Angelis malis accidit: at ſufficit ad vtrumq; ſola imaginaria viſio: ergo nõ eſt cur corpora aſſumant, quæ poſsint ſentiri ſenſibus exterioribus.

Reſpondet. Reſpondetur enim, quòd nõ ſolùm imaginaria viſio eſt vtilis ad noſtram inſtructionem, ſed etiam corporalis, & externa propter tres rationes, quas aſsignat Diuus Thom. quæſt. 6. de Potentia art. 7. in corpore his verbis. *Hoc autem conueniens eſt propter tres rationes. Primò quidem, & principaliter. Quia omnes illæ apparitiones veteris teſtamenti ad illam apparitionem ordinantur, in qua filius Dei viſibilis mundo apparuit, vt Auguſtinus dicit in 3. de Trinitate. Vnde cùm filius Dei verum corpus aſſumpſerit, & non phantaſticum, vt Manichæi fabulantur, conueniens fuit, vt etiam vera corpora aſſumendo, Angeli hominibus apparerent. Secunda ratio poteſt ſumi ex verbis Dionyſij in epiſtola, quam ſcribit ad Titum dicit enim, quòd ideò in diuina Scriptura res diuinæ nobis ſub ſenſibilibus traduntur, inter alias rationes, vt totus homo, quantum poſsibile eſt, ex participatione diuinorum perficiatur non ſolùm in intellectu, capiendo intelligibilem veritatem, ſed etiam in natura ſenſibili per ſenſibiles formas, quæ ſunt veluti quædam imagines diuinorum. Vnde ſimiliter cum Angeli hominibus appareant ad eos perficiendos, conueniens eſt, vt non ſolùm intellectum illuminẽt per intellectualem viſionẽ; ſed quòd etiam imaginationi prouideant, & exteriori ſenſui per imaginariam viſionem, corporum ſcilicet aſſumptorum. Vnde & hæc triplex viſio aſſignatur ab Auguſtino 12. ſuper Geneſ. ad litt. Tertia ratio poteſt eſſe. Quia etſi Angeli naturaſint nobis ſuperiores, per gratiam tamen adipiſcimur eorum æqualitatem, & ſocietatem, ſicut habetur Matthæi 22. Erunt ſicut Angeli in cœlo. Et ideò vt ſuam familiaritatem & affinitatem ad nos oſtendant, nobis ſuo modo per corporum aſſumptionem conformantur: vt quod noſtrum eſt accipientes, noſtrum intellectum in illud aſſurgere faciant, quod proprium eſt ipſorum. Sicut & filius Dei, dum ad nos deſcendit, ad ſua nos eleuauit. Dæmones autem quãdo in Angelos lucis ſe transfigurant, quod boni Angeli ad noſtrum profectum faciunt, ipſi ad deceptionem facere moliuntur.* Hucuſque Angelicus Doctor, quo quoad rem hanc nihil elegantius dici potuit.

D. Thom.

Animadueſſio circa ſecundã cõcluſionem.

4 Circa ſecundam verò concluſionem animaduertendum eſt, Angelum aſſumere corpus, conſiſtere in hoc, quòd vniatur eidem corpori tanquam motor mobili, formando illud, vt per figuras, & proprietates exterius ſenſibiles repræſentet virtutes ſpirituales, & intelligibiles. Ita Diuus Thomas in præſenti, & de Potentia quæſt. 6. art. 7. ad 1. vbi ſic ait: *Tunc ergo Angelus corpus aſſumere dicitur, quando corpus aliquod hoc modo format, quod ad repræſentationem ſuam eſt aptum; ſicut patet per Dionyſium in fine cæleſtis hierarchiæ, vbi oſtendit, quod per corporales formas Angelorum proprietates intelliguntur.* Et in 2. diſtinctione 8. quæſt. 1. art. 2. his verbis: *Secundùm hoc, quòd virtus ſpiritualis mouet aliquod corpus, coniungitur ſibi, ſicut motor mobili. Sed vlteriùs quando Angelus hoc corpus motum formatper modum in præcedentibus dictum, vt appareant in eo aliquæ proprietates viſibiles, inuiſibilibus eius proprietatibus congruentes, tunc dicitur illud corpus aſſumere. Vnde quãdoque apparẽt in figura hominis, vel leonis, & huiuſmodi, per quorum proprietates intelliguntur ipſæ virtutes intellectuales Angelorũ.* Vnde S. Doctorem ſequuntur communiter omnes Theologi.

Probatur & explicatur 2. concluſ.

Poteſtque probari, & ſimul explicari hæc ſecunda aſſertio Diui Thomæ ſic. Nam in ea tres conditiones aſsignantur ad aſſumptionem. Prima eſt, vnio corporis aſſumpti cum Angelo aſſumente: & hanc exigi, patet ex ipſo nomine aſſumptionis: aſſumere enim eſt, ad ſe ſumere, & ex conſequẽti vnire illud ſibi. Secũda cõditio eſt, quòd hæc vnio ſit mobilis ad motorẽ. Huius conditionis neceſsitas cõſtat. Quia vnio iſta nõ eſt vnio ſubſtãtialis, vel per informationẽ, vt oſtẽſum eſt;

vel per terminationem hypoſtaticam, cùm nõ ſolùm de facto perſonalitas creata alienam naturam non terminet, vt omnes fatentur, verùm neque de potentia Dei abſoluta terminare poſsit; vt cum D. Thoma 3. part. quæſt. 3. art. 1. Deo dante, dicemus. Semel autem ſublata hac vnione ſubſtantiali, nulla alia videtur eſſe magis proportionata ad hanc aſſumptionem, quàm vnio motoris ad mobile. Maximè, quia Angelus per nullam aliam vnionẽ poteſt ſe ipſum prædictis corporibus naturaliter vnire: ergo, &c. Tertia eſt, quòd Angelus formet corpus, vt per figuram, & proprietates exteriùs ſenſibiles repræſentet virtutes intelligibiles. Et hãc etiã conditionem exigi, probatur, tum ex communi acceptione Theologorum: tum etiã ex authoritate D. Dionyſij relati ab Angelico Doctore loco ſtatim citando.

Corollar. 1 5. Ex his ſequitur primò, quòd Angelus motor cœli, quanuis per huiuſmodi motum à poſteriori à Philoſophis, tam quoad exiſtentiam, quàm quoad proprietates aliquo modo cognoſcatur; adhuc tamen non dicitur aſſumere corpus illud cœleſte, ex defectu huius tertiæ conditionis. Sicut propter eundem defectum Dæmones non aſſumunt corpora obſeſſorum, quanuis moueãt illa localiter, & ſint verè, & realiter intra ipſa; nec corpora lamiarum, ſeu ſtrygum, licèt aliquo modo moueant illa etiam localiter.

Secundũ. Sequitur ſecundò, quòd neque Angelus, qui mouebat linguam aſinę, per quam locutus eſt ad Balaam, nec Dæmon, qui perſerpẽtem affatus eſt ad Euam, neque qui per linguam arreptitij format voces, vt explicet ſuos conceptus, aſſumunt corpora illa: ex eo quòd etiam in his caſibus interuenit prædictus defectus.

Tertium. Sequitur tertiò, Angelos per ſe ſaltem, & regulariter loquendo non aſſumere corpora viua, aut naturaliter genita, vt cadauer, vel lapidem: quia proprietates, quę ſunt in corpore viuo, aut naturaliter genito, potiùs repræſentant ipſum corpus, cuius ſunt proprietates, quàm ipſam ſubſtantiam ſpiritualem.

D. Thom. Quæ omnia ferè cõprehendens D. Thomas in 2. diſt. 8. quæſt. 1. art. 3. ſic inquit: *Corpus aſſumptum ab Angelo non habet veritatẽ illius naturæ, quæ oſtẽditur. Vnde, etſi aliquãdo Angelus bonus, vel malus moueat corpus alicuius veri animalis, non dicitur propriè illud aſſumere: ſicut non dicitur, Augelum, aſſumpſiſſe linguam aſinæ, per quam locutus eſt ad Balaam, nec Dæmon corpus hominis, quem vexat. Cuius ratio eſt. Quia proprietates, quæ ſecundùm veritatem ſunt in aliquo corpore, ducunt in cognitionem principiorum ſubiecti, & non actu in cognitionem ſubſtantiæ ſpiritualis: quæ ductio eſt totius finis viſibilium formationum ſecundùm Dionyſium.*

6. Nec refert, ſi contra hanc ſecundam concluſionẽ obijcias, quòd dum in ea poſtulatur ad aſſumptionem corporis, quòd repræſentet virtutes intelligibiles, vel eſt ſermo de virtutibus intelligibilibus, ſiue ſint Angeli aſſumentis, ſiue Dei, vel ſolùm ipſius Angeli aſſumentis? Si dicatur primum, videtur contra D. Thomam in præſenti, & q. 6. de Potentia art. 7. ad 1. vbi ad aſſumptionem exigit, quòd repræſentetur natura Angeli aſſumentis. Si autem ſecũdum dicatur, ſequeretur, quod corpora, in quibus apparuit olim Deus, non fuiſſent aſſumpta ab Angelis: quandoquidem nõ repręſentabant eos, ſed Deum: vnde dicebam, *Ego ſum Deus Abraham, &c.* At hoc eſt contra eundem D. Thomam loco citato ex q. 6. de Potentia in ſolutione ad 3. vbi docet, illa corpora fuiſſe ab Angelis aſſumpta. Obiectio.

Reſpondetur, Angelum aſſumentem corpus repræſentare per illud proprias virtutes proximè & immediatè, & (vt ſic dicamus) in actu exercito, quanuis vltimatè & remotè aliquando repræſententur ſimul virtutes intelligibiles Dei, aut alterius Angeli ſuperioris: quia quod neceſſariò requiritur ad aſſumptionem, tantùm eſt, quòd modo illo priori propriæ virtutes Angeli aſſumentis repræſententur. Poteſtque hæc diuerſa repręſentatio per idem corpus aſſumptum explicari exemplo ſupremi Senatus Regij, aliquid nomine Regio, & eodem nomine ſubſcriptum diſponentis: nã hæc diſpoſitio proximè & immediatè, ac in actu exercito Senatum ipſum Regium repræſentat, remotè autem & vltimatè ipſum Regem, cuius nomine ſubſcribitur, & in cuius nomine illa diſpoſitio fit: & ideò aliquando ſolemus dicere, illam eſſe diſpoſitionem Regiam; aliquando verò, Senatus Regij. Ita ergo in præſenti proportione ſeruata philoſophandum eſt. Solutio.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Angeli in corporibus aſſumptis opera vitæ exerceant?

AD Tertium ſic proceditur. Videtur, quòd Angeli in corporibus aſſumptis opera vitæ exerceant. Angelos enim veritatis 2. d. 8. art. 4. Et pot. q. 6. artic. 8. Et quodli. 3. artic. 5.

tis non decet aliqua fictio. Eſſet autem fictio, ſi corpus ab eis aſſumptum, quod viuum videtur, & opera vitæ habens, non haberet huiuſmodi. Ergo Angeli in aſſumpto corpore opera vitę exercent.

¶ 2. Præterea. In operibus Angeli nõ ſunt aliqua fruſtrà. Fruſtrà autẽ in corpore aſſumpto per Angelum formarentur oculi, & nares, & alia ſenſuum inſtrumenta, niſi per ea Angelus ſentiret. Ergo Angelus ſentit per corpus aſſumptum: quod eſt proprijſsimum opus vitæ.

¶ 3. Præterea. Moueri motu proceſsiuo, eſt vnum de operibus vitæ, vt patet in 2. de Anima. * Manifeſtè autem Angeli apparent in aſſumptis corporibus moueri. Dicitur enim Geneſis 18. quòd Abraham ſimul gradiebatur deducens Angelos, qui ei apparuerant. Et Angelus Tobiæ quærenti, Noſti viam, quæ ducit in ciuitatem Medorum? reſpondit: Noui, & omnia itinera eius frequenter ambulaui. Ergo Angeli in corporibus aſſumptis frequenter exercent opera vitæ.

Lib. 2. de Anima text. 13 tom. 2.

¶ 4. Præterea. Locutio eſt opus viuentis: fit enim per vocem, quæ eſt ſonus ab ore animalis prolatus, vt dicitur in 2. de Anima *. Manifeſtum eſt autem ex multis locis Scripturæ, Angelos in aſſumptis corporibus locutos fuiſſe. Ergo in corporibus aſſumptis exercent opera vitæ.

Lib 2. de Anima text. 90. tom. 2.

¶ 5. Præterea. Comedere eſt proprium opus animalis. Vnde Dominus poſt reſurrectionem in argumentum reſumptæ vitæ cũ diſcipulis manducauit, vt habetur lucæ vltimo. Sed Angeli in aſſumptis corporibus apparentes comederunt, & Abraham eis cibos obtulit; quos tamẽ priùs adorauerat, vt habetur Geneſ. 17. Ergo Angeli in aſſumptis corporibus exercent opera vitæ.

¶ 6. Præterea. Generare hominem eſt actus vitæ. Sed hoc cõpetit Angelis in aſſumptis corporibus. Dicitur enim Geneſis 6. Poſtquam ingreſsi ſunt filij Dei ad filias hominum, illęque genuerunt iſti ſunt potentes a ſęculo viri famoſi. Ergo Angeli exercent opera vitæ in corporibus aſſumptis.

SED cõtrà. Corpora aſſumpta ab Angelis non viuunt, vt ſuprà dictum eſt. * Ergo nec opera vitæ per eos exerceri poſſunt.

Ar. pręced. arg 2. præcipuè.

RESPONDEO dicẽdũ, quôd quædã opera viuentium habent aliquid commune cum alijs operibus, vt locutio, quæ eſt opus viuentis, conuenit cum alijs ſonis inanimatorum, in quantum eſt ſonus; & proceſsio cum alijs motibus, in quãtum eſt motus. Quãtum ergo ad id, quod eſt commune vtriſque operibus, poſſunt opera vitæ fieri ab Angelis per corpora aſſumpta; non autem quantum ad id, quod eſt proprium viuentium: quia ſecundùm Philoſophum in libro de ſom. * & vigil. Cuius eſt potentia, eius eſt actio. Vnde nihil poteſt habere opus vitæ, quod non habeat vitam, quæ eſt potentiale principium talis actionis.

Cap. 1. ante medium to. 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſicut non eſt contra veritatem, quòd in Scriptura intelligibilia ſub figuris ſenſibilibus deſ-

cribuntur: quia hoc non dicitur ad aſtruendum, quòd intelligibilia ſint ſenſibilia, ſed quòd per figuras ſenſibiliũ proprietates intelligibilium ſecundùm ſimilitudinem quandam danturintelligi: ita non repugnat veritati Sanctorum Angelorum, quòd per corpora ab eis aſſumpta videntur homines viuentes, licèt non ſint. Non enim aſſumuntur, niſi vt per proprietates hominis, & opera hominis ſpirituales proprietates Angelorum, & eorum ſpiritualia opera deſignentur. Quod non ita congruè fieret, ſi veros homines aſſumerent: quia proprietates eorum ducerent in ipſos homines, non in Angelos.

Ad ſecundum dicẽdum, quòd ſentire eſt totaliter opus vitæ: vnde nullo modo eſt dicendũ, quòd Angeli per organa aſſumptorũ corporum ſentiant. Nec tamen ſuperfluè ſunt formata: non enim ad hoc ſunt formata, vt per ea ſentiatur; ſed ad hoc, vt per huiuſmodi organa virtutes ſpirituales Angelorum deſignentur: ſicut per oculum deſignatur virtus cognitiua Angeli, & per alia membra aliæ eius virtutes, vt Dionyſius* docet vltimo capite cęleſtis hierarchiæ.

Cap. 15. inter princ. & medium.

Ad tertium dicendum, quôd motus, qui eſt à motore coniuncto, eſt proprium opus vitæ. Sic autem non mouentur corpora aſſumpta ab eis: quia Angeli non ſunt eorum formæ. Mouentur tamen Angeli per accidens, motis huiuſmodi corporibus, cùm ſint in eis ſicut motores in mobilibus: & ita ſunt hìc, quod non alibi: quod de Deo dici non poteſt. Vnde licèt Deus non moueatur motis his, in quibus eſt, quia vbique eſt: Angeli tamen mouentur per accidens ad motum corporũ aſſumptorum; non autem ad motum corporum cœleſtium, etiamſi ſint in eis, ſicut motores in mobilibus: quia corpora cœleſtia nõ recedunt de loco ſecundùm totum: nec determinatur ſpiritui mouenti orbem locus ſecundùm aliquam determinatam partem ſubſtantiæ orbis, quæ nunc eſt in oriente, nunc in occidente, ſed ſecundùm determinatum ſitum: quia ſemper eſt in oriente virtus mouens, vt dicitur in 8. Phyſic.*

Lib. 8. text. 8. tum. 2.

Ad quartum dicẽdum, quòd Angeli propriè non loquuntur per corpora aſſumpta; ſed eſt aliquid ſimile locutioni, in quantũ formant ſonos in aere, ſimiles vocibus humanis.

Ad quintum dicendum, quôd nec etiam comedere, propriè loquendo, Angelis conuenit: quia comeſtio importat ſumptionem cibi conuertibilis in ſubſtantiam comedẽtis. Et quanuis in corpus Chriſti per reſurrectionem cibus non conuerteretur, ſed reſolueretur in præiacentem materiam; tamen Chriſtus habebat corpus talis naturæ, in quod poſſet cibus conuerti: vnde fuit vera comeſtio. Sed cibus aſſumptus ab Angelis, neque conuertebatur in corpus aſſumptum, neque corpus illud talis erat naturæ, in quod poſſet alimentum conuerti: vnde nó fuit vera comeſtio, ſed figuratiua ſpiritualis comeſtionis. Et hoc eſt, quod Angelus dixit Tobiæ 12. Cùm eſſem vobiſcum, videbar

bar quidem manducare, & bibere; ſed ego potu inuiſibili, & cibo vtor. Abraham autem obtulit eis cibos, exiſtimans, eos homines eſſe: in quibus tamen Deum venerabatur, ſicut ſolet Deus eſſe in Prophetis, vt Auguſtinus dicit †Lib 16 de Ciuit. Dei c. 29 á medio. tom. 5. 16. de Ciuitate Dei.

Ad ſextum dicendum, quòd ſicut Auguſtinus † dicit 15. de Ciuitate Dei, multi ſe expertos, vel ab expertis audiſſe confirmant, ſyluanos, & faunos (quos vulgus incubos vocat) improbos ſæpè extitiſſe mulieribus, & earũ expetiſſe, atque peregiſſe concubitum: vnde hoc negare impudentia videtur. Sed Angeli Dei ſancti nullo modo ſic labi ante diluuium potuerunt. Vnde per filios Dei intelliguntur filij Seth, qui boni erant. Filias autem hominũ nominat Scriptura eas, quæ natæ erant de ſtirpe Cain. Neque mirãdum eſt, quòd de eis Gigãtes naſci potuerunt. Neque enim omnes Gigantes fuerunt; ſed multô plures ante diluuium, quàm poſt. Si tamen ex coitu Dæmonum ali †Lib. 15. de Ciuit. Dei c. 23. parũm á princ. to. 5 qui interdum naſcuntur, hoc nõ eſt per ſemen ab eis deciſum, aut à corporibus aſſumptis, ſed per ſemen alicuius hominis ad hoc acceptum: vtpotè, quòd idem Dæmon, qui eſt ſuccubus ad virum, fiat incubus ad mulierem: ſicut & aliarum rerum ſemina aſſumunt ad aliquarum rerum generationem (vt Auguſtinus † dicit 3. de Trinitate) vt ſic ille, qui naſcitur, non ſit filius Dæmonis, ſed illius hominis, cuius eſt ſemẽ acceptum. †Libr. 3. de Trinit. c. 8. & 9. tom. 3.

Concluſio.

Angeli in corporibus aſſumptis poſſunt exercere opera vitæ quantum ad id quod eſt in illis commune cum operationibus non vitalibus, vt poſſunt deambulare, & ſic de alijs, non tamen quoad id quod eſt proprium operationibus vitalibus.

CIrca concluſionem huius articuli notandum eſt, eam (vt ex terminis ipſis conſtat) intelligi quoad ſecundam partem de operibus vitæ, quæ ſunt propria corporum viuorum, vt talibus. Sic autẽ intellecta aſſertio neceſſariò admittenda eſt ab omnibus. Et ratio S. Doctoris id ſuadet. Quoniã prædictę operationes debent oriri à corpore viuo vt tali: quale non eſt corpus aſſumptum, vt quoad hoc in præſenti ſupponitur.

QVAESTIO LII. DE COMparatione Angelorum ad loca.

PROOEMIVM.

Deinde quæritur de loco Angeli.

POſtquam Angelicus Præceptor egit de Angelis in ordine ad corpora ab eis aſſumpta, quæ quidem non ſolùm cõtactu virtutis qualitercũque, ſed inſuper ſpeciali quadam ratione iam dicta ſunt eis cõiuncta: nũc de eis ſermonem inſtituit per comparationem ad corpora prorſus extrinſeca, quibus ſola ſuæ virtutis operatione copulantur, & in eis veluti in locis conſtituuntur.

AR-

ARTICVLVS I.

Virùm Angelus ſit in loco?

† 1.d.37.q. 3.art.1.&2. Et 2.d. 6. artic. 3. & pot.q.3 ar. 19. & quol. 11. q.1.

AD Primum ſic procedi tur. Videtur, quòd Angelus non ſit in loco. Dicit enim Boetius † in lib. de Hebd. communis animi conceptio apud ſapientes eſt, incorporalia in loco non eſſe. Et Ariſtoteles in 4. Phyſicor. † dicit, quòd nõ omne, quod eſt, eſt in loco; ſed mobile corpus. Sed Angelus non eſt corpus (vt ſupra oſtenſum eſt. *) Ergo Angelus non eſt in loco.

† Boet. in lib. anomne, quod eſt, bonum ſit, circ. pr.

† Lib. 4. Ph. text. 45. & 57. tom. 2.

† Q. 50. ar. 1

¶ 2. Prętereà. Locus eſt quantitas poſitionem habens. Omne autem, quod eſt in loco, habet aliquem ſitum. Sed habere ſitum nõ poteſt conuenire Angelo: cùm ſubſtantia ſua ſit immunis à quãtitate, cuius propria differentia eſt, poſitionem habere. Ergo Angelus non eſt in loco.

¶ 3. Prætereà. Eſſe in loco, eſt menſurari loco, & contineri à loco, vt patet per Philoſophũ in 4. Phyſic. † Sed Angelus non poteſt menſurari, neque contineri à loco: quia continens eſt formalius contento: ſicut aer aqua, vt dicitur in 4. phyſic. † Ergo Angelus non eſt in loco.

† Lib 4. ex tex. 119.

† Lib. 4. Ph. text. 35. & 49. tom. 2.

SED contra eſt, quod in collecta dicitur: † Angeli tui ſancti habitẽt in ea, qui nos in pace cuſtodiant.

† In collecta, quæ ſolet cantari in Completorio.

RESPONDEO dicendũ, quòd Angelo cõuenit eſſe in loco. Æquiuocè tamen dicitur Angelus eſſe in loco, & corpus. Corpus enim eſt in loco per hoc, quòd applicatur loco ſecũdùm cõtactum dimenſiuæ quantitatis: quę quidem in Angelis non eſt, ſed eſt in eis quantitas virtualis. Per applicationem igitur virtutis Angelicæ ad aliquem locum, qualitercunque dicitur Angelus eſſe in loco corporeo. Et ſecundùm hoc patet, quòd non oportet dicere, quôd Angelus commenſuretur loco, vel quòd habeat ſitũ in cõtinuo: hoc enim conuenit corpori locato, prout eſt quantum quãtitate dimenſiua. Similiter etiam non oportet, propter hoc quòd contineatur à loco. Nam ſubſtantia incorporea ſua virtute contingens rem corpoream, continet ipſam, & non continetur ab ea. Anima enim eſt in corpore vt continens, & non vt contenta. Et ſimiliter Angelus dicitur eſſe in loco corporeo, non vt contentum, ſed vt continens aliquomodo. Et per hoc patet reſponſio ad obiecta.

Prima concluſio.

Angelus eſt in loco; aquinocè tamen, ac corpus.

Secunda concluſio.

Angelus dicitur eſſe in loco per applicationem ſuæ virtutis ad aliquem locum qualitercunque.

Tertia concluſio.

Angelus cùm eſt in loco, non commenſuratur ipſi loco, neque eſt in eo vt contentum in continente, ſed vt continens aliquomodo.

AR-

ARTICVLVS II.

Vtrùm Angelus poſsit eſſe in pluribus locis ſimul?

2.diſt.17.q.3.ar.2 & q.4.art.2.cor. & 4.di.44.q.2.art.3.q.2. ad 1. & po.q.3.art.29.ad 1.

AD Secundum ſic procedi-tur. Videtur, quòd Angelus poſsit eſſe in pluribus locis ſimul. Angelus enim non eſt minoris virtutis, quàm anima. Sed anima eſt ſimul in pluribus locis: quia eſt tota in qualibet parte corporis, vt Auguſtinus * dicit. Ergo Angelus poteſt eſſe in pluribus locis ſimul.

Libr. 6. de Trinit. c.6. tom.3.

¶ 2. Prætereà. Angelus eſt in corpore aſſumpto. Et cùm aſſumat corpus continuum, videtur, quòd ſit in qualibet eius parte. Sed ſecundùm partes eius conſiderantur diuerſa loca. Ergo Angelus eſt ſimul in pluribus locis.

Lib.2.Ort. Fidei.c.3.& lib.1.c.17.

¶ 3. Prætereà. Damaſcenus † dicit, quôd vbi Angelus operatur, ibi eſt. Sed aliquando operatur, ſimul in pluribus locis, vt patet de Angelo ſubuertente Sodomam. Ergo Angelus poteſt eſſe in pluribus locis ſimul.

Lib.2.c.3. circa med.

SED contra eſt, quod Damaſcenus † dicit, quòd Angeli dũ ſunt in cœlo, non ſunt in terra.

RESPONDEO dicẽdum, quòd Angelus eſt virtutis, & eſſentiæ finitæ. Diuina autem virtus, & eſſentia infinita eſt, & eſt vniuerſalis cauſa omniũ: & ideò ſua virtute omnia contingit, & nõ ſolùm in pluribus locis eſt, ſed vbique. Virtus autẽ Angeli, quia finita eſt, non ſe extẽdit ad omnia, ſed ad aliquid vnum determinatum. Oportet enim, quicquid cõparatur ad vnam virtutem, vt vnum aliquid comparari ad ipſam. Sicut igitur vniuerſum ens comparatur, vt vnum aliquid ad vniuerſalem Dei virtutem: ita & aliquod particulare ens comparatur, vt aliquid vnum ad Angeli virtutem. Vnde cùm Angelus ſit in loco per applicationem virtutis ſuæ ad locum, ſequitur, quòd non ſit vbique, nec in pluribus locis, ſed in uno loco tantùm.

Circa hoc tamen aliqui decepti ſunt. Quidam enim imaginationem tranſcendere non valentes, cogitauerunt indiuiſibilitatẽ Angeli ad modum indiuiſibilitatis puncti. Et ideò crediderunt, quòd Angelus non poſſet eſſe, niſi in loco punctuali. Sed manifeſtè decepti ſunt. Nã punctum eſt indiuiſibile, habens ſitum; ſed Angelus eſt indiuiſibile, extra genus quàntitatis, & ſitus exiſtens. Vnde non eſt neceſſe, quòd determinetur ei vnus locus indiuiſibilis ſecundùm ſitum; ſed, vel diuiſibilis, vel indiuiſibilis, vel maior, vel minor, ſecundùm quôd voluntariè applicat ſuam virtutem ad corpus maius, vel minus. Et ſic totũ corpus, cui per ſuam virtutem applicatur, correſpondet ei vnus locus. Nec tamen oportet, quòd ſi aliquis Angelus mouet cœlum, quòd ſit vbique. Primò quidem: quia non applicatur virtus eius, niſi ad id, quòd primô ab ipſo mouetur. Vna autem pars cœli eſt, in qua primô eſt motus, ſcilicet pars Orientis. Vnde etiã Philoſophus in 8. Phyſicorum † virtutem motoris cœlorum attribuit parti

Lib.8.text. 84.tom.35

Orien-

Orientis. Secundo: quia non ponitur à Philoſophis, quòd vna ſubſtantia ſeparata moueat omnes orbes immediatè. Vnde non oportet, quòd ſit vbique. Sic igitur patet, quòd diuerſimodè eſſe in loco conuenit corpori, & Angelo, & Deo. Nam corpus eſt in loco circunſcriptiuè, quia commenſuratur loco. Angelus autem non circunſcriptiuè, cùm non commenſuretur loco; ſed diffinitiuè: quia ita eſt in vno loco, quòd non in alio. Deus autem, neque circunſcriptiuè, neque diffinitiuè, quia eſt vbique.

Et per hoc patet de facili reſpõſio ad obiecta: quia totum illud, cui immediatè applicatur virtus Angeli, reputatur vt vnus locus eius, licèt ſit continuum.

Prima concluſio.

Angelus non eſt vbique, neque in pluribus locis, ſed in vnico tantum.

Secunda concluſio.

Locus Angeli non eſt neceſſariò indiuiſibilis ſecundùm ſitum, ſed indifferenter poteſt eſſe diuiſibilis, vel indiuiſibilis, & maior, vel minor, pro voluntate ipſius Angeli.

Tertia concluſio.

Diuerſimodè ſunt in loco corpus, & Deus. Nam corpus eſt in loco circunſcriptiuè, Angelus diffinitiuè, Deus verò neutro modo, quia eſt vbique.

ARTICVLVS III.

Vtrùm plures Angeli poſſint ſimul eſſe in eodem loco?

1. Diſt. 37. q. 2. 3 & pot. q. 3. art. 7. 11 & art. 29. ad 1.

AD Tertium ſic proceditur. Videtur, quòd plures Angeli poſſint ſimul eſſe in eodẽ loco. Plura enim corpora non poſſunt eſſe ſimul in eodẽ loco, quia replent locum. Sed Angeli nõ replent locum: quia ſolum corpus replet locum, vt non ſit vacuum, vt patet per Philoſophum in 4. Phyſic. † Ergo plures Angeli poſſunt eſſe in vno lõco.

Lib. 4. Phyſi cor. text. 52 & 58. tom. 3

¶ 2. Præterea. Plus differt Angelus, & corpus, quàm duo Angeli. Sed Angelus, & corpus, ſunt ſimul in eodem loco: quia nullus locus eſt, qui non ſit plenus ſenſibili corpore, vt probatur in 4. Phyſic. † . Ergo multò magis duo Angeli poſſunt eſſe in eodem loco.

Lib 4. Phyſic. text. 58. tom. 2.

¶ 3. Præterea. Anima eſt in qualibet parte corporis ſecũdum Auguſtin. † Sed Dæmones licèt non illabantur mentibus, illabuntur tamen interdum corporibus: & ſic anima, & Dæmon ſunt in eodem loco. Ergo eadem ratione, quæcunque aliæ ſpirituales ſubſtantiæ.

Auguſt. lib. 6. de Trin. c. 6. nõ procul á fine tom. 3. & in epiſt. 28 ad Hieronym.

SED contrà. Duæ animæ nõ ſunt in eodem corpore. Ergo pari ratione neque duo Angeli in eodem loco.

RESPONDEO dicendũ, quòd duo Angeli non ſunt ſimul in eodem loco. Et ratio huius eſt. Quia impoſsibile eſt, quòd duæ cauſæ completæ ſint immediatæ vnius, & eiuſdem rei. Quod patet in omni genere cauſarum: quia vna eſt forma proxima vnius rei, & vnum eſt proximum mouens; licèt poſsint eſſe plures motores remoti. Nec habet inſtantiam de pluribus trahẽtibus nauem. Quia nullus eorum eſt perfectus motor: cùm virtus vniuſcuiuſque ſit inſufficiens ad mouendum. Sed omnes ſimul ſunt in loco vnius

mo to-

motoris, in quantum omnes virtutes aggregantur ad vnum motum faciendum. Vnde cùm Angelus dicatur eſſe in loco per hoc, quòd virtus eius immediatè contingit locum per modum continentis perfecti, vt dictum eſt *, non poteſt eſſe niſi vnus Angelus in vno loco.

Quæſt. præced art. 1.

Ad primum ergo dicendum, quòd plures Angelos eſſe in vno loco, non impeditur propter impletionem loci, ſed propter aliã cauſam, vt dictum eſt. *

In corpore art.

Ad ſecundum dicẽdum, quòd Angelus, & corpus non eodem modo ſunt in loco. Vnde ratio nõ ſequitur.

Ad tertium dicendum, quòd nec etiam Dæmon, & anima cõparantur ad corpus ſecundùm eãdem habitudinẽ cauſæ, cùm anima ſit forma, non autem Dæmõ. Vnde ratio non ſequitur.

Concluſio.

Duo Angeli non ſunt ſimul in eodem loco.

DISPVTATIO II.

De comparatione Angelorum ad loca.

QVIA D. Thomas (vt nuper dicebamus) totã hãc quæſtionẽ in explicatione Angelorum, vt comparãtur ad loca, conſumit, idcircò nos eius veſtigia ſequendo, præſentem diſputationem de comparatione Angelorum ad loca inſcribimus.

DVBIVM I.

Vtrùm Angelus ſit in loco? & an propriè habeat eſſe in illo?

1. QVONIAM Quæſtio *an eſt* cæteras alias ſolet doctrinæ ordine præcedere, idcircò primò inquirimus, an Angelus ſit in loco? & an eſſe in illo propriè ei conueniat? Nomine autem loci non intelligimus locum, quem aliqui appellant intrinſecum, nempe vbicationem: nam quid de ea dicẽdum ſit, pendet ex ijs, quæ tam in hoc, quàm in ſequentibus dubijs adducemus. Sed locum extrinſecum, & corporeum: an nimirum Angelus ſit in prædicto loco, habeatque ſuam ſubſtãtiam vnitã, ſiue indiſtantem, & præſentem prædicto loco, eo (proportionali tamen) modo, quo corpora ſunt præſentia prædicto loco, habentque ſuam ſubſtantiam vnitam, ſiue indiſtãtẽ ab illo, ſuntque in ipſo? & an totum hoc propriè ei competat?

§. *I. Aſſertio prior.*

2. DIcendũ ergo eſt primò, Angelũ eſſe in loco. Aſſertio hæc communis eſt inter Theologos, eãque tuentur Patres, vt Baſilius de Spiritu Sãcto c. 16. Gregor. lib. 2. Moraliũ c. 2. & hom. 24. in Euangelia, Athanaſius in epiſt. ad Serapionem Epiſcopum, Damaſcenus lib. 2. de Fide c. 3. & lib. 1. c. 17. Nazianz. relatus à D. Thom. in 1. diſt. 37. q. 3. art. 1. vbi etiam idẽ Angelicus Doctor hoc ipſum tuetur, nec nõ & in 2. diſt. 6. art. 3. de Potentia q. 3. art. 19. quodlibeto 11. q. 1. & plures alij: deſumiturque ex illis teſtimonijs Scripturæ, in quibus denotatur, Angelos eſſe alligatos & affixos quoad propriã ſubſtantiã alicui loco, vt Apocalypſis 20. *Apprehendit Draconem, ſerpentẽ antiquum, qui eſt diabolus, & Satanas, & ligauit eũ per annos mille: & miſit eũ in abyſſum, & clauſit, & ſignauit ſuper illum.* Et Tobię 8. *Tunc Raphael Angelus apprehẽdit Dæmoniũ, & religauit illum in deſerto ſuperioris Ægypti.* Idẽ etiã colligitur ex illis locis Scripturæ, in quibus aſſeritur, Dæmones eſſe in corporibus humanis, & inde expelli, vt Marci 3. Luce 8. & Matthæi 12.

Aſſertio.

Baſilius Gregor. Athan. Damaſc. Nazian. Angelic. Præcept.

Apoc. 20. Tobiæ 8.

Marci 3. Luc. 8. Matt. 12.

Nec obeſt, ſi dicas, ex his teſtimonijs non colligi intentum. Nam priora ex illis, in quibus agitur de alligatione Dæmonum, poſſunt intelligi de alligatione, prout eſt idem ac impedimentum, quo non eis

Euaſio.

permittitur agere, quod volunt, vt colligitur ex Augustino lib. 20. de Ciuitate capit. 7. & 8. & ex Gregorio lib. 4. Moralium cap. 12. Constat autem, ex alligatione sic intellecta non colligi, Angelum esse ibi tanquam in loco, vbi alligatur. Et similiter posteriora testimonia, agentia de expulsione Dæmonum à corporibus humanis, possunt explicari ita, vt prædicta expulsio tantùm sit liberatio eorundem corporum à vexatione, qua à Dæmonibus angebantur: cùm tamen ex eo præcisè, quòd Dæmon vexet aliquod corpus, nõ colligatur, esse in illo tanquam in loco: sicut neque ex eo, quòd ab hac vexatione liberetur, dicitur, Dęmonẽ inde tãquã ex loco expelli.

August. Gregor.

Impugnatur.

Non itaque hoc obest. Quoniam duo includuntur ex vi verborum in alligatione Dæmonum ad aliquem locum. Primum, quòd impediantur ab operando, prout libuerit. Secundùm verò (quodque an, & quomodo ex hoc priori sequatur, ex ijs, quæ infrà Deo dãte dicemus, satis colligetur) quòd ibi detineãtur. Et similiter quòd prædicti Dęmones sint in aliquo corpore humano, & inde expellantur, duo etiam solet includere. Primũ, quòd vexẽt talia corpora, ibique pro libito suo sic operentur. Secundum verò (quodque ex hoc priori sequitur, quod sint ibidem tanquam in loco, vt ex dicendis dubio sequenti patebit. Quare, cùm verba Scripturæ sint accipienda secundùm id, quòd ex vi sua dicunt, nisi inde aliquod absurdum sequatur, quale in præsenti non sequi, fatentur communiter Theologi, inde est, vt per prædicta testimonia omnia ista denotentur: ac proinde quòd Angeli sint in loco corporeo. Nec oppositum senserunt Augustinus, & Gregorius locis nuper relatis. Quia etsi expresè solùm meminerint impedimenti ab operatione, prout libuerit, inuoluti in ipsa alligatione, necnon & vexationis factæ à Dæmonibus in corporibus, in quibus sunt, attamen non negant, illos esse in locis, in quibus alligantur, aut in prędictis corporibus, quinimò hoc ipso, quòd illud prius fateantur, ibidem hoc posterius confitentur.

August. Gregor.

Et tandẽ hæc eadem veritas deducitur ex illis Scripturæ testimonijs, in quibus dicitur, Angelos recedere ab vno loco, & accedere ad alium, seu moueri localiter, vt Isaiæ 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer?* Lucæ 10. *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*: & Apocalypsis 12. de Dracone, & Angelis eius dicitur: *Neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo*: & posteà: *Et proiectus est in terram, & Angeli eius cum eo missi sunt*: Et Genesis 18. & 19. vbi dicitur, Angelos venisse ad Abraham, & Loth; cum illisque deambulasse: & Exodi 14. refertur, Angelũ præcessisse castra Hebræorũ: ac Iudicum 2. narratur, Angelum ascendisse de Galgalis ad locũ flentium. Nam in his omnibus locis significatur, Angelos fuisse præsentes realiter secũdum suam substãtiam vni loco, & posteà fuisse præsentes alteri: quandoquidem aliter non poterit explicari, quomodo fuerit factus ille accessus, & recessus, seu ille motus localis.

Isaiæ 14. Lucæ 10. Apoc. 12. Gen. 18. & 19. Exodi 14 Iudic. 2.

3. Ratio fundamentalis huius assertionis, quam dubio sequenti latiùs examinabimus, deducitur ex D. Thoma locis citatis, potestque ad hanc formam reduci. Quoniã Angelus per suam quantitatem virtutis solet omninò immediatè contingere corpora, locaque corporea, operãdo intra illorũ terminos: ergo erit in prædictis corporibus, siue locis corporeis. Antecedẽs est perspicuum: Siquidem Angelus solet operari omninò immediatè in prædictis corporibus, & locis, ac intra terminos illorum: constat autem, Angelum, qui operatur sic immediatè in corpus, contingere omninò immediatè, & modo dicto illud per suam quantitatem virtutis, quæ nihil est aliud, quàm eius virtus operatiua. Consequentia verò probatur. Nam sicut corpus vnum tangens aliud, siue locum corporeum sic immediatè per quantitatem molis, solet esse in illo tanquam in loco. sic etiã substantia spiritualis cõtingens, modo dicto, per quantitatẽ sibi proportionatam, nempe per quantitatem virtutis, aliquod corpus, siue locum corporeum, erit in illo tanquam in loco.

Ratio fundamentalis assertionis.

Confirmatur. Nam Deus quoad suã substantiam est vbique, siue in omnibus locis: ex eo quòd per suam quantitatem virtutis omninò immediatè contingit sic omnia illa, nõ obstante quòd ipse sit summè spiritualis: ergo etiam Angelus contingẽs sic immediatè, & eodem proportionali modo corpora, siue loca corporea, erit in prædictis corporibus, siue locis corporeis. Patet consequentia: tum ex paritate rationis: tum etiam, quia si quid poterat obesse, quominùs Angelus per hunc contactum non esset in loco corporeo, maximè eius spiritualitas. Quare, si hæc non obest in Deo vbi est longè excellentior, & maior, nequibit in Angelo obstare.

Confirmatur.

4. Nec obest, si dicas, non colligi sufficienter, Angelũ esse in loco, ex eo quòd omnino immediate per suam quantitatem virtutis contingat corpora operando intra termi nos eorum: ergo, &c. Antecedens probatur. Quia corpus Christi Domini omninò immediatè, & modo dicto contingit per suam quantitatem virtutis species sacramentales, sub quibus est: siquidẽ (vt satis probabiliter in tractatu de Eucharistia solet dici) conseruat effectiuè illas, ex eo quòd succedit loco substantiæ panis, à quibus per naturalem, & continuam resultantiam conseruabantur: & nihilominùs corpus eiusdem Christi Domini nõ ob id est in prędictis speciebus

Obiectio.

cièbus tanquam in loco: ergo ex hoc, quòd Angelus contingat omninò immediatè, & modo dicto (scilicet operando intra terminos eorum per suã quãtitatem virtutis) corpora, non sequitur, esse in illis tãquã in loco.

Euertitur. Respondetur, negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, quòd transeat maior, & concedatur minor, sed negetur cõsequentia. Et ratio discriminis inter alia est. Quoniam locus debet comparari per modum alicuius omnino extrinseci respectu locati: at species illæ sacramentales, sicut non conferebantur cum substantia panis conuersi in corpus Christi Domini tanquam cum aliquo extrinseco, sed potiùs tanquam accidentia, & dimensiones intrinsecæ respectu illius, sic non omninò extrinsecè comparantur cũ corpore Christi Domini: ex eo quòd est id, in quod panis ille conuersus est, quodque gerit quodammodò vices eiusdem panis. Cæterùm quoduis corpus cõparatur per modum alicuius omninò extrinseci respectu Angeli: & ideò ex hoc capite nihil obest, quominùs (si cętera iã dicta ad sint) sit in corpore tanquã in loco, hoc ipso quòd omninò immediatè per suam quantitatem virtutis contingat illud.

Alia solutio 5. Adde primò, quòd id, quod est in loco finito & limitato modo (qualiter corpus Christi Domini deberet esse sub dimensionibus tãquam in loco, si semel sic esset in illis) non potest non quoad præsentiam, & existentiam in illo limitari & coarctari: constat autem, præsentiã corporis Christi Domini sub prædictis speciebus non limitari aut coarctari: & ideò quantumuis sit sub pluribus speciebus, potest sub alijs, & alijs vsque in infinitũ syncategorematicè esse. Quare, cùm præsentia, & contactus immediatus Angeli ad corpus limitetur & coarctetur, modo tamen infrà dicendo: inde est, vt etsi corpus Christi Domini non sit sub speciebus tãquam in loco, nihilominùs Angelus queat in corpore tanquam in loco esse.

Eluc idatur amplius. Adde secundò, quòd prædicta præsentia, & existentia in loco, contactusque immediatus illius debet esse respectu eiusdem, vt locus est formaliter, & non vt res quædam est: at corpus Christi Domini sub speciebus existens contingit illas contactu virtutis, vt res quædam sunt, aut secundùm quòd sunt accidentia, & dimensiones substantiæ panis conuersæ in ipsum, non verò vt queunt habere verã rationem loci, qualiter possent illam habere, si Deus destrueret substantiã panis remanẽtibus dimẽsionibus illius, & ibidẽ collocaret aliquã aliã substantiam quantã, in quam non conuerteretur substãtia panis, sed solũ extrinsecè ab illis dimẽsionibus circũscriberetur.

Et ratio est. Tũ, quia (vt nuper dicebam⁹) nec prædictæ species comparãtur per modũ alicuius omnino extrinseci respectu corporis Christi Domini, nec habent (modo infrà dicendo) finire & coarctare præsentiam eiusdẽ ad alias species: quæ duo requirũntur ad contactum immediatum virtutis respectu earundem, vt possent habere formaliter rationem loci. Tum etiam, quia requiritur, vt prædictus cõtactus, & præsentia sit (quãtũ est ex se, & ab intrinseco) acquisibilis, vel deperdibilis per se primò per motum localem, aut per mutationem instantaneã localem: quod quidem non accidit in corpore Christi Domini, vt est in sacramento, benè tamen in Angelo contingente, modo dicto, per contactum virtutis corpora, & eo ipso iuxtà ponente suam substantiã intra eãdẽ corpora. Et propterea contactus prædictus Angeli respectu loci est cõtactus illius quodãmodò, vt locus est, & non solùm, vt habet esse rẽ quandam: ac proindè ex vi illius contactus sequitur, Angelum esse ibidem tanquam in loco, modo tamen infrà dicendo explicando.

§. II. *Assertio posterior.*

6. Dicendum est secundò, Angelum esse in loco corporeo, non vniuocè cum corporibus, sed æquiuocè, & abusiuè, ac trãslatiuè. Assertio hæc quoad primam partem est D. Thomæ. art. 1. huius quæstionis, vbi postquam dixit, *quòd Angelo conuenit esse in loco*, statim addidit: *Æquiuocè tamen dicitur Angelus esse in loco, & corpus.* Et in q. sequenti art. 1. his verbis: *Sicut esse in loco æquiuocè conuenit corpori, & Angelo, &c.* Et in 4. dist. 44. q. 2. art. 3. quæstiuncula 3. vbi conferens motum corporis, & Angeli, sic inquit: *Neq; est simile de motu Angeli: quia esse in loco, aquiuocè dicitur de corpore, & Angelo, vt in 1. lib. dist. 37. dictum est.*

Secunda cõclusio.

D. Thom.

Fulcitur testimonijs.

Quoad secundam verò partem, nẽpe, Angelũ esse in loco abusiuè, eadem assertio est eiusdem S. Doctoris in 1. dist. 37. q. 3. artic. 1. vbi loquens de modo, quo Angelus est in loco, id confirmat testimonio Nazianzeni his verbis: *Et hoc confirmatur antheritate Gregorij Nazianzeni, qui hoc expresè dicit. Vnde etiam subiungit, quòd cùm deberemus dicere, hic operatur, abusiuè dicimus, hic est.* Et ibidem in solutione ad 1. sic ait. *Locus est nomen mensuræ: vnde esse in loco propriè significatur, vt esse in mensura: & sic nulli rei incorpoream cõuenit in loco esse, scilicet vt in loco, sed tamen alicui rei incorpoream conuenit esse in loco, non vt in loco; sed vt operans in operato, vel sicut forma in materia. Vnde etiam Angelus nõ dicitur localis, nisi secundùm quid, in quãtũ scilicet habet aliquid simile rei locali, vt scilicet determinetur ad hunc locum, potiùs quàm ad alium.*

Allorum Patrum monumentis probatur.

Idẽ etiã docuerunt Boetius in libr. de Hebdomadibus relatus à D. Thom. art. 1. huius Boetius,

ius quæst. & in 1. sent. distinct. nuper citata, necnon & Damascenus lib. 1. Fidei c. 17. *Nõ corporaliter*, inquit, *sed intelligibiliter tãtùm Angelus dicitur esse in loco.* Augustinus 8. super Genes. ad litteram cap. 20. & sequentibus, vbi probat, Deum non esse in loco propriè, sed abusiuè. Fauet Aristoteles in 4. Physicorum textu 119. vt exponit D. Thomas in præsenti, & dist. 37. iam relata.

Damasc. *Augst.* *Aristot.*

Euasio.

7. Nec obest, si occurras, mentem D. Thomæ, & aliorum Patrũ tantùm esse, quòd Angelus sit æquiuocè in loco, in collatione ad modum, quo corpora sunt in loco: ita vt loquẽdo de modo essendi in illo proprio corporum, tunc solùm abusiue, & metaphorice sit in loco. Cæterùm cum hoc stare, quòd absolute & simpliciter loquendo de modo existendi in loco, debeat concedi, Angelum vere & proprie esse in illo.

Fuerfio illius.

Non ergo hoc obstat. Tum quia Angelicus Præceptor ex sententia Patrum, & aliorum, vt statim expendemus, absolute docet loco citato ex 1. Sentent. Angelum abusiue, & metaphorice esse in loco. Tum etiã, quia ibidem absolute inquit, Angelum esse in loco per contactum virtutis, & hunc non esse contactum proprium, sed metaphoricum. Tum deinde quia inquit esse in loco secundùm quid, secundùm quòd habet aliquid simile cum corpore. Tum preterea, quia S. Doctor consultò non dixit locis citatis, corpus esse in loco æquiuoce, ac Angelus; bene tamen e conuerso: si autem esse in loco absolute & simpliciter, diceretur proprie de corpore, & de Angelo, non esset cur, sicut de Angelo dicitur, quòd est æquiuoce in loco in comparatione ad corpus, non dixisset etiam de corpore, quod est æquiuoce in loco in collatione ad Angelum.

Fulcitur procedens probatio, & obiectio tacita excluditur.

Tum denique (per quod præcedens probatio fulcitur, & apparens quædam euasio, quæ ei poterat adhiberi, excluditur.) Quoniam si propter aliquam rationem D. Thomas peculiariter dixisset de Angelo, quòd est in loco æquiuoce cum corporibus, non tamen e contrà, quòd corpora sunt in loco æquiuoce cum Angelis, maxime, quia etsi esse in loco æquiuoce dicatur de vtroque, nihilominùs nomen impositum ad significandum hoc, quod est esse in loco, perprius significauit modum, quo corpora sunt in illo, & deinde translatum est ad significandum modum, quo Angelus habet esse in eodem loco: at nõ propter hanc rationẽ Angelicus Doctor peculiariter dixit de Angelo, esse æquiuocè in loco per comparationem ad corpus, tanquã ad præcipuum æquiuocatum: siquidem alia nomina, vt sapientia, voluntas, &c. sunt perprius imposita ad significandum sapiẽtiam, & voluntatem creatam, & deinde transferuntur ad significandam sapiẽtiã, & voluntatem diuinam, cùm tamen propter hoc nunquam S. Doctor peculiariter dixerit, sapientiam esse in Deo, æquiuocè tamen, ac in rebus creatis. Ergo ratio, propter quam asseruit, Angelum esse in loco æquiuoce ac corpora, non tamen e conuerso, fuit, quia licet re vera ratio essendi in loco æquiuoce conueniat vtrique, nihilominùs proprie solùm conuenit corpori; Angelo verò solummodò metaphorice, ac proinde æquiuoce, & per comparationem ad corpus, vt ipse S. Doctor loco citato ex 1. Sententiarum se explicuit. Et ideò idẽ D. Thomas in 2. dist. 12. quæst. 1. art. 5. ad 2. inquit: *Locus est idem per essentiam, quod superficies corporis locantis.* D. Thom.

Vnde sententiam hanc sequuntur Caietanus in præsenti art. 1. Deza Hispalensis in 2. dist. 2. quæst. 1. art. 3. notabili 1. Zumel in præsenti disp. 1. q. 1. cõclusione 3. Durandus in 1. dist. 37. quæst. 1. in 2. part. distinctionis, & plures alij ex discipulis D. Thomæ. Quod etiam reputat probabile Bañez in præsenti art. 1. dubio 1. conclusione 2. *Caietan.* *Deza Hisp. palensis.* *Zumel.* *Durand.* *Bañez.*

8. Ratio autem fundamentalis huius assertionis desumitur ex D. Thoma locis citatis, & præcipue ex 1. Sentent. dist. relata in solutione ad 1. & 2. necnon, & ex alijs Patribus, potestque ad hanc formam reduci. Quoniam esse absolute & simpliciter in loco proprie, necessariò est inuolutum cum aliquibus imperfectionibus, quæ non possunt Angelo, aut alicui rei incorporeæ, & spirituali conuenire: ergo Angelus non erit proprie in loco, sed solùm abusiue, & metaphorice: & per consequens æquiuoce, & per collationẽ ad corpus, quod (vt ex se patet) est per se primò, & proprie in loco. Vtraque consequentia est perspicua. Antecedens autem probatur. Quia id, quod est propriè in loco absolutè & simpliciter loquendo, est in illo tanquam mensuratum ab eo, & per modum alicuius habentis positionem in continuo, ac tandem per modum cõtenti, & circunscripti ab eodem loco: & per consequens tanquam aliquid, quod sit totum in toto loco, & pars in parte eius: quæ tamen omnia dicunt imperfectiones talis conditionis, vt nequeant competere Angelo, aut alicui rei spirituali, vt ex se constat. Ergo, &c. Ratio fundamentalis.

Confirmatur ex eodem S. Doctore. Nam esse in loco propriè, absolutè & simpliciter loquendo, dicit esse in illo per contactum propriè sumptum, sicut & esse in loco metaphoricè dicit esse in eodem per contactum itidem metaphoricũ: sed Angelus, aut quæuis alia res spiritualis nõ potest habere cõtactũ propriũ, sed solũ metaphoricũ ad locum corporeũ: ergo solùm possunt esse in illo metaphorice: ac proinde erũt in loco, Confirm.

tum

tum metaphoricè, & abuſiuè, tum etiã æquiuocè, & per comparationẽ ad corpus, quod (vt conſtat) propriè eſt in loco. Vtraque conſequentia, & maior ſunt ſatis notæ. Minor verò probatur à D. Thoma diſt. 37. quæſt. & articulo nuper citatis: ex eo quòd ea propriè dicuntur abſolutè ſe tangere, quorum vltima ſunt ſimul: conſtat autem, ſolam rem corpoream, & quantitate affectam habere propriè, & abſolutè loquendo vltimum, ſicut & ſola illa habet partes, & indiuiſibilia, quibus prædictæ partes terminantur, quæque habent rationem vltimi reſpectu illarum.

D. Thom.

Occurrunt aduerſarij.

9 Nec refert ſolutio aduerſariorum quæ primo aſpectu hic ebullit, nẽpe, has imperfectiones non eſſe proprias reſpectu cuiuſcunque modi eſſendi in loco, prout abſtrahit à modo eſſendi proprio corporis, & rei ſpiritualis, ſed ſolùm conuenire corpori, & modo exiſtendi in loco proprio eiuſdem corporis: & propterea abſolutè & ſimpliciter loquendo poſſe conuenire Angelo eſſe in loco propriè. Sicut ſapientia propriè dicitur de Deo, non obſtante quòd in creaturis dicat rationem accidentis, & qualitatis: quoniam hæ imperfectiones ſolùm competunt ei, vt eſt contracta ad rationem ſapientiæ creatæ, non verò ſecundùm ſuam rationem formalem abſtrahentem à creata, & increata.

Impugnatio.

Non ergo hæc ſolutio refert, propter illa, quæ in teſtimonijs D. Thomæ, & aliorum Patrum nuper adductis tetigimus, quæquidẽ poſſunt ſic expendi. Quoniam quoad diffinitiones rerum, & quidditates earum explicandas ſtandum eſt communi placito Doctorum, & præcipuè Principum illius facultatis, aut artis, ad quam peculiariter pertinent, quando non ſunt perſe ex terminis notæ, nec ex alijs prioribus principijs demonſtratiuè deducuntur: ergo eſſentia, & diffinitio huius, quod eſt eſſe in loco propriè, abſolutè, & ſimpliciter loquendo debet explicari per prædictas conditiones, hæque debent ſaltem virtualiter in eius diffinitione claudi.

Antecedens probatur. Nam cùm prædictæ diffinitiones, & quidditates comparentur per modum primorum principiorum reſpectu aliarum affectionum illis conuenientium, non tam ſunt probandæ, quàm ſupponendæ ex communi Doctorum placito, & maximè Principum illius facultatis, ad quã ſpectant, quando non ſunt per ſe notæ, nec demonſtratiuè ex alijs prioribus principijs deducuntur: alioquin ſæpiſſimè nihil haberemus firmum, vnde poſſemus probare affectiones conuenientes rebus. Et propterea circa diſtinctionem v. g. intellectus, & voluntatis inter ſe, aut quinque ſenſuum externorum ad inuicem non poteſt efficax argumentum deduci, niſi ex communi Philoſophorum placito ſupponatur, obiectum adæquatum intellectus eſſe ens verum, & voluntatis idemmet vt bonum. Et ſimiliter nequit etiam efficaciter ſuaderi, ſenſus externos eſſe inter ſe realiter diſtinctos, niſi ſupponatur ex eodem communi placito, obiectum adæquatum viſus, v. g. diſtingui ab obiecto adæquato guſtus, &c. Quoniam obiecta adæquata potentiarũ habent ſe veluti per modum primorum principiorum in ordine ad ſuadendam diſtinctionem earum: & principia iſta vel debent eſſe ex ſe nota, vel demonſtratiuè ex alijs prioribus deduci; vel ſaltem ex communi placito, & conſenſu Doctorum, & maximè Principum illius artis haberi. Et ita, cùm duobus illis prioribus modis non ſint prædicta obiecta, & principia nobis nota, oportet, vt ex communi conſenſu Doctorum ſupponãtur.

Conſequentia autem eiuſdem primi enthymematis etiam conſtat. Quoniam prædicta eſſentia, & diffinitio (de quibus in præſenti) habent ſe veluti per modũ primi principij reſpectu plurium aliarum affectionum hinc procedentium: & non ſunt ex terminis ipſis notæ, nec per demonſtrationem ex alijs prioribus principijs hucuſque deductæ: ergo ſtandum eſt communi Doctorum placito, & maximè Principũ facultatis, ad quã vtraque pertinet, nempe Ariſtotelis, & D. Thomæ, conſtituentium eſſentiam huius, quod eſt eſſe in loco propriè, in hoc, quòd ſit in illo cũ prædictis conditionibus, vt ex locis citatis conſtat. Vnde D. Thomas loco adducto ex 1. Sent. diſt. 37. referens in 1. argumento in contrarium Boetium aſſerentem, quòd *communis animi conceptio apud omnes ſapientes incorporalia in loco non eſſe docet*: reſpondet idem Angelicus Præceptor, eam communem animi conceptionem eſſe de modo eſſendi in loco propriè, non vero metaphoricè, vt Angelis competit: & ita S. Doctor hoc non ſolùm ex propria ſententia, ſed ex communi Doctorum calculo tradit.

Ariſtot. D. Thom.

§. III. *Duæ ſententiæ oppoſitæ, cum ſuis fundamentis, & reſponſionibus ad illa.*

Prima ſententia oppoſita concluſioni.

10 DVæ tamen ſententiæ contra vtramque aſſertionem noſtrã ex D. Thoma deſumptam militant. Et prima quidem contra primam, quam tenuerunt aliqui Philoſophi relati à D. Thom. in 1. diſt. 37. quæſt. 3. art. 1. aſſerentes, Angelum non eſſe in loco. Probatur primò ex Ariſtoteli de Cœlo c. 9. vbi inquit entia illa, quæ ſunt ſupra vltimam lationem, non eſſe apta, vt ſint in loco: necnon ex Auguſt. lib. 83. quæſtionũ q. 20. vbi probat, Deũ nõ eſſe alicubi, quianõ eſt corpus.

D. Thom. Ariſtot. Auguſt.

Reſpõdetur ex dictis, Ariſtotelem, & Auguſtinũ ſolũ velle, Angelũ, & Deũ nõ eſſe in loco corporeo propriè, aut vniuocè cũ corporibus: ſed æquiuocè, abuſiue, & impropriè

Probatur ratione.

11. Secundò probatur. Quoniam substantia Angeli neque est in loco naturali, neque in violẽto: ergo in nullo. Cõsequẽtia videtur legitima. Quia locus adæquatè diuiditur in naturalem, & violentum: & ita si Angelus in nullo istorum est, neque etiam erit in loco. Antecedens autem quoad locum naturalem probatur. Quia cùm substantia Angeli sit spiritualis, nulla est in ea connaturalitas, aut proportio cum loco corporeo: & ideò nequit reddi ratio, propter quam vnus locus sit ei connaturalis, potiùs quàm alius. Quoad locum verò violentum etiam constat. Quia cũ locus naturalis dicatur per oppositionem ad violentum, & opposita sint circa idem subiectum, oportet, quòd si Angelus est incapax essendi in loco corporeo vt in loco naturali, etiã sit incapax essendi in illo vt in loco violento.

Respondetur 1.

Respondetur primò, diuisionem loci in naturalem, & violentum non esse adæquatã respectu loci incommuni, sed solùm respectu loci physici addentis qualitates conseruatiuas, aut destructiuas locati: ac proinde nõ cõuenit loco, vt confertur cum Angelo tanquam cum locato. Quæ solutio videtur desumi ex Aristotele 3. lib. de Cœlo cap. 7. afferente, Mathematica, quæ talia sunt, non esse in loco: texitque ibidem sermonem de loco, non vtcumque, sed naturali, vel violento, vt constat ex ratione, quam ibidem tradit, nimirum, quia neque à virtute intrinseca possunt naturaliter moueri ad locum, neque ab extrinseca violenter, aut contra naturam.

Aristot.

Respondetur 2.

Respondetur secundò, diuisionem illam loci in naturalem, & violentum posse etiã adaptari loco Angeli, non quidem in eo sensu, in quo adaptatur loco corporum, sed in alio: ita nimirum, vt ille dicatur locus naturalis Angelo, qui fuerit conformis inclinationi elicitæ illius, vt contingit dum Angelus, mediante suâ libera operatione, constituit se in aliquo loco; ille verò dicatur locus violentus, qui fuerit repugnans prædictæ inclinationi, vt dum Angelus contra eam detinetur in loco ab agẽte maioris efficaciæ: sicut asserimus, voluntatem multoties pati vim quoad actus, vel effectus imperatos.

Tertiũ fundamentum.

12. Tertiò probatur eadem sententia. Quoniam Angeli propter suam immaterialitatem nullo modo subsunt tempori nostro, itaut prædictum tempus sit duratio illorum, licèt operentur aliquid, quod sit in eodem tẽpore, duret, & mensuretur per illud: ergo ob eandem rationem non erunt vlla ratione in loco corporeo, ita vt prædictus locus comparetur per modum loci respectu ipsius, quãuis operetur aliquid corporeum, quod sit in loco.

Exercitur 1

Respondetur, quòd transeat antecedẽs: negetur tamen consequentia. Et ratio disparitatis desumitur ex dictis. Quoniam ad hoc, vt Angelus sit modo dicto in loco corporeo, sufficit, quòd eodem modo contingat per quantitatem virtutis prædictum locum, sicut corpora per quantitatem molis illũ continguntur: nam id, quod continet locum, aut continetur ab illo, dicitur esse in loco. Ac proinde satis erit Angelo continere per suam quantitatem virtutis locum ad hoc, vt sit in illo. Cæterùm duratio Angelica non continet, nec continetur à tempore nostro. Non primum propter suam limitationem: quia, vt in 1. tomo tract. 3. d. 1. sect. 8. n. 90. diximus, cõtinere alias durationes, est proprium æternitatis ob suam infinitatem. Neque secundum: quia Angelus propter suam excellentiam, licèt limitatam, nequit secundùm suam durationem contineri à tempore primi mobilis: alioquì hoc esset duratio superior respectu durationis Angelicæ. Et ideò nequit esse in tempore nostro, ita vt prædictum tempus sit aliquomodo eius duratio.

Secundò respondetur, negando antecedẽs, si intelligatur de hoc, quòd est esse in tempore nostro metaphoricè, & non quoad suum *esse*, sed quoad suam operationem virtualiter transeuntem: ac prpinde non ratione illius, vt præcisè manet in Angelo, sed vt attingit aliquem effectum in corpore, in quo Angelus dicitur esse in loco. Nam ad hunc modum essendi in tempore nostro nõ requiritur dependẽtia ab illo, sed satis est, quòd actio Angelica sit connexa cum effectu mensurato per prædictum tempus.

Exercitur 2

13. Secunda verò sententia nostræ secũdæ assertioni oppositæ asserit, Angelum absolutè, & simpliciter loquendo esse propriè in loco. Ita Nazarius in præsenti, quodque iudicat probabilius Bañez quæst. sequenti art. 1. dubio 2. conclusione 3. Suarez lib. 4. de Angelis, & alij. Probatur primò tribus testimonijs D. Thomæ, quorum primum desumitur ex 1. Sentent. dist. 37. quæst. 4. art. 1. ad 4. vbi loquens de motu Angelico sic inquit: *Motus localis secundùm quòd est corporum, non conuenit Angelo, nisi metaphoricè. Sed æquiuocè loquendo de motu, conuenit ei propriè.* Quare, cùm eadem sit ratio de loco, & de motu, siquidem ita est aliquid in loco, sicuti mouetur localiter, consequens est, quòd loquendo æquiuocè de motu, Angelus sit propriè in loco corporeo.

Secunda sententia.

Nazarius
Bañez.
Suarez,

Primum fundamentũ ex testimonijs D. Thom.

Secundum verò depromitur ex eadem distinctione quæst. 2. art. 1. vbi S. Doctor loquens de Deo sic inquit: *Dicendum est ergo, quòd si esse in hoc loco sumatur, secundùm quòd corpus in loco esse dicitur, sic non conuenit Deo esse vbique, nisi metaphoricè, quia implet locũ, sicut corpus locatum: non quidem distantia dimensionum, sed causalitate effectuum. Si autem accipiatur esse in loco per modum, quo substantia*

ſtantia ſpiritualis in aliquo eſſe dicitur, ſic propriſſimè Deo in loco eſſe conuenit, & vbique; & non quidem vt menſuratum loco, ſed vt dãs loco naturam locandi, & continendi: ſicut dicitur eſſe in homine, in quantum dat homini naturam humanitatis: & in qualibet re eſſe dicitur, in quantum dat rebus proprium eſſe, & naturam.

Tertium verò, & vltimum teſtimonium accipitur ex 3. part. quæſt. 76. art. 5. vbi inquit, quòd eſſe in loco diffinitiuè, vel circũſcriptiuè eſt pars eius, quod eſt eſſe in loco: ac proinde Angelus, qui eſt in loco diffinitiuè, erit propriè in loco: alioqui non dixiſſet S. Doctor, quòd eſſe in loco diffinitiuè, eſt pars eius, quod eſt eſſe in loco.

Elucidatur 1. teſtimoniũ D. Tho.

Reſpondetur, S. Doctorem in 1. teſtimonio, vt ex contextu conſtat, loqui de motu Angeli reduplicatiuè, vt eſt Angeli, & perconſequens vt metaphoricè eſt motus localis. Vnde, ſicut eſſe album, abſolutè & ſimpliciter loquendo, accidentaliter conuenit corpori, attamen corpus, vt reduplicatiuè eſt albũ, eſſentialiter eſt album, quia ſic ſumptum nõ habet aliam rationem formalem præter quã albitita motus Angeli, abſolutè loquendo, eſt motus metaphoricus, attamen ipſemet, vt eſt metaphoricus, propriè habet rationem motus, non qualiſcunque, ſed metaphorici: quia ſic non habet aliam rationem præter quam rationem prædicti motus. Et ita æquiuocè loquẽdo de motu, ideſt de motu, vt ſtat ſub conceptu motus metaphorici, tunc proprie ei conuenit ratio prædicti motus, licèt non ratio motus, qui abſolutè loquendo ſit propriè motus.

14. Poteſtque hoc explicari ſequenti exemplo. Nam ſiquis diceret, hominem pictum eſſe æquiuocè hominem, & quòd loquendo de homine ſic æquiuocè ſumpto, eſt propriè homo, tũc ſolùm denotaretur, quòd prædictus homo vt pictus, propriè habet rationem hominis vt picti. Et quia totum hoc cadit ſupra materiam abſolutè & ſimpliciter talem metaphoricè, & impropriè, ideircò per iſtum modum loquendi non tollitur, quominùs homo pictus abſolutè & ſimpliciter loquendo ſolùm æquiuoce, metaphoricè, & impropriè ſit homo. Ita etiam in præſenti, proportione ſeruata, philoſophandum eſt.

Et ratio eſt eadem vtrobique. Nam quẽadmodum eſſe propriè hominem abſolutè & ſimpliciter loquendo, dicit habere veram rationem animalis rationalis, & eſſe hominem pictum denotat aliquid habens ſimilitudinem quamdam cum vero homine: ſic eſſe aliquid in loco propriè, abſolutè & ſimpliciter loquendo importat eſſe in illo tanquã in menſura continente, & ambiente ipſum, &c. vt nuper dicebamus: & eſſe in loco eo modo, quo Angelus eſt in illo, tantùm dicit habere quamdam ſimilitudinem cum hoc, quod eſt eſſe propriè in loco abſolutè loquẽdo, vel ſaltem per prædictam ſimilitudinẽ id explicatur. Et ideò quoad hoc, quod eſt Angelum eſſe in loco metaphoricè vt tali propriè, aut eſſe abſolutè, & ſimpliciter in loco propriè, eſt philoſophandum eodem proportionali modo, ac philoſophamur de homine picto: quatenus de eo, vt tali, verificatur habere propriè rationem hominis picti, ſiue hominis metaphoricè talis, & abſolutè & ſimpliciter loquendo verè de illo enuntiatur, eſſe metaphoricè, & impropriè hominem. Et in hoc ſenſu loquitur D. Thom. vt verba illa. *Sed æquiuoce loquendo de motu*, & cetera manifeſtè.

Ex quo etiam ad ſecundum teſtimonium facilè conſtat. Nam cùm idem ſit eſſe in loco eo modo, quo ſubſtantia ſpiritualis eſt in illo, ac eſſe in eodem impropriè, & metaphoricè abſolutè & ſimpliciter loquendo (vt ex S. Doctore dicebamus) conſequens eſt, vt dũ idem Angelicus Præceptor inquit, quòd ſi accipiatur eſſe in loco per modum, quo ſubſtantia ſpiritualis in aliquo eſſe dicitur, ſic propriſſimè Deo conuenit eſſe in loco, & vbique, ſolùm velit quòd loquendo de modo eſſendi in loco metaphoricè vt tali, tunc Deus propriſſimè dicitur eſſe in loco, & vbique, ideſt, eſſe in omni loco, ita vt cum omni proprietate verificetur eſſe in omni illo metaphoricæ, & abuſiuè.

Interpretatio ſecundi teſtimonij D. Thom.

15. Ex quo fit, nihil obeſſe, ſi vrgeas, hunc fieri, quòd abſolutè, & ſimpliciter loquẽdo non ſit dicendum, Deum eſſe propriè immenſum, ſed ſolùm abuſiuè, & metaphoricè: hoc autem videtur falſum: ſi quidẽ nihil aliud præter Deum habet propriè rationem immenſi. Sequela videtur aperta. Quoniam idẽ eſt eſſe immenſum, ac eſſe in omni loco, & vbique: ergo ſi Deus ſolùm impropriè, & metaphoricè eſt in omni loco, & vbique, erit etiam ſolummodò metaphoricè immenſus.

Replica.

Reſpondetur enim ex nuper dictis, negando ſequelam. Nam cùm eſſe immenſum ſit eſſe metaphoricè, & abuſiuè in omni loco, & vbique: inde eſt, quòd ad hoc, vt metaphoricè verificaretur de Deo, illum eſſe immenſum, requirebatur, quòd non haberet propriè, & in rigore ea, quæ deſiderãtur ad hoc, vt ſit in omni loco, & vbique metaphoricè, & abuſiuè, & non ſufficiat, quòd abſolutè loquendo non ſit propriè in omni loco. Imò ſi propriè eſſet in aliquo loco abſolutè, & ſimpliciter loquendo, tunc nulla ratione poſſet de eo verificari, quòd ſit immenſus: ſi quidem eſſe immenſum (vt nuper dicebamus) ex vi ſua dicit, eſſe vbique, ſeu in omni loco metaphoricè, & abuſiuè: & ideò quæ ſufficiunt

Solutio.

ad hoc, vt Deus sit abusiuè in omni loco, sunt satis ad hoc vt propriè sit immensus.

Resp. ad tertium testimonium D. Thomæ.

Ex quibus etiam ad tertium testimonium D. Thomæ constat, illum solùm velle, quòd esse in loco diffinitiuè, est pars æquiuocè, & abusiuè loquẽdo huius, quòd est esse in loco; non verò quòd de re existente in loco diffinitiuè verificetur, quòd absolutè loquendo sit propriè in loco.

Secundũ fundamẽtũ ex ratione petitum.

16 Secundò probatur eadem sententia. Quoniam de Angelo obsolutè & simpliciter verificatur, quòd est in loco corporeo: ergo erit in illo propriè. Patet consequentia. Quia alioqui in õ posset de eo verificari absolutè & simpliciter, quòd sit in loco. Sicut quia homo pictus solùm impropriè, & metaphoricè est homo, inde est, vt nequeat de eo absolutè & simpliciter enuntiari, quòd sit homo.

Dissoluitur.

Respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Nã sicut de Deo absolutè & simpliciter enuntiatur illum irasci, licèt propriè hoc non habeat, sed tantùm metaphoricè: quia passione caret, quæ est quid requisitum ad hoc, vt propriè, & non solùm metaphoricè dicatur irasci: ita etiam poterit de Angelo absolutè & simpliciter dici esse in loco, licèt non sit in illo propriè, sed tãtùm metaphoricè, & abusiuè. Et ratio est eadem vtrobique. Quia etsi Deus propriè non irascatur, habet tamen propriè aliquid v.g. actum sue iustitiæ vindicatiuæ, ratione cuius optimè tribuitur ei huiusmodi denominatio. Et similiter licèt Angelus propriè non sit in loco; attamen cõuenit ei propriè aliquid, ratione cuius meritò etiam ei potest tribui denominatio essendi in loco absolutè & simpliciter. Quia sicut vindicatio Dei affert aliquam similitudinem (quæcunque illa sit) cũ ira propriè sumpta, & ratione huius similitudinis Deus dicitur absolutè irasci, vel saltem per hanc similitudinem ira illius explicatur: sic contactus quantitatis virtutis, quo Angelus contingit locum, habet suam similitudinem (quæcunque illa sit) cum contactu quãtitatis molis, quo corpus contingit eundem locum corporeum: & propter hanc similitudinem dicitur absolutè & simpliciter esse in loco, vel saltem per eam explicatur; licèt (vt nuper dicebamus) nequeat absolutè & simpliciter de eo verificari, quòd sit in loco propriè, sicut nec de Deo potest prædicto modo dici, quòd propriè irascatur.

Neque obest id, quod in hoc eodem argumento additur, nimirũ de homine picto, qui abusiuè solùm, & metaphoricè est homo, de quoque propter hanc rationem non potest absolutè verificari, illum esse hominem. Nã ratio disparitatis est in promptu: ex eo quòd iam vsus obtinuit, quòd dum asseritur absolutè, vel negatur de homine picto esse hominem, intelligatur de hoc, quod est esse, vel non esse absolutè, & propriè hominem: cùm tamen hoc in duabus alijs locutionibus nuper recensitis absolutè & simpliciter sumptis vsus non obtinuerit, sed potiùs oppositum ex vsu, & communi hominum conceptione constat, vt D. Thomas testatur: imò & hoc ipsum ex vsu loquendi Scripturæ satis habeatur. Quare, si præscinderemus ab eo, quod vsus iam obtinuit, & solùm vellemus significare, quòd in homine picto est propriè aliquid, ratione cuius habet aliqualem similitudinẽ cum homine vero, tunc sicut propter similitudinem (quæcunque illa sit) quam volitio puniendi, aut se vindicandi existens in Deo habet cum ira propriè sumpta, dicitur absolutè irasci, & Angelus propter iam assignatã similitudinem cum quantitate molis dicitur etiam absolutè esse in loco: ita proportionali ratione posset de homine picto affirmari absolutè, quòd est homo, licèt solùm metaphoricè id habeat.

DVBIVM II.

Vtrùm substantia Angeli sit ei ratio proxima & immediata existendi in loco?

17 VAnuis Angelus, vt dubio præcedenti dicebamus solũ, metaphoricè sit in loco: nihilominùs quia vtex ibidẽ n. 12. dictis constat, debet illi conuenire aliquid propriè, ratione cuius habeãt aliquam similitudinem iam dictam cum corpore, vt existẽte propriè in loco, & tribuatur ei, quod sit metaphoricè in illo, imò & quòd absolutè & simpliciter sit in loco. id circò meritò in dubiũ vocamus, an hæc ratio propriè ei conueniens sit ipsa substantia Angeli? & per consequens, an ratione eiusdem substãtiæ proximè, & immediatè habeat debitam illã similitudinem cum ratione proxima & immediata existendi in loco, quæ inuenitur in corporibus? atq; adeò, vtrùm ratione illius proximè, & immediatè fundet modum essendi in loco metaphoricè & abusiuè talem, prædicto Angelo conuenientem.

§. I. *Explicatio tituli.*

Animaduersio prima.

18 VT autem clariùs procedamus, & decisio huius dubij pleniùs capiatur, oportet pro tituli intelligentia duo prænotare. Primum est, cõsuluò in eo nõ inquiri de qualicunque ratione Angelica existen-

existendi in loco, sed de ratione proxima & immediata. Nam loquendo de ratione remota & radicali planum est, propriam substantiam esse Angelo rationem existendi in loco: sicut etiam in corporibus propria substantia corporea, & materialis est illi ratio remota & radicalis existendi in suo loco corporeo. Et ideo controuersia solùm potest esse, an propria substantia Angelica sit ei ratio proxima & immediata existendi in loco?

Animaduersio secunda. *Fonseca.*

Secundum verò desumitur ex Fonseca lib. 5. Metaphysicæ cap. 15. quæst. 9. sect. 5. §. *Ita & illud*, nimirum, quòd duplex queat distingui ratio, per quam prædicatum aliquod, maximè in concreto acceptum, competat alicui subiecto: vna quidem ex parte prædicati se tenes, quę quidem est ipsummet prædicatū in abstracto sumptum: altera verò ex parte subiecti se habens, & hæc est id, per quod subiectum redditur proximè & immediatè capax, ad hoc vt prædictum prædicatum illi conueniat. Sicut ratio, per quam substantia aliqua est alba, alia est, quæ se tenet ex parte prædicati, & hæc est albedo: & alia ex parte subiecti, & hæc est quantitas sub certa quadam temperie primarum qualitatum: quia nulla substantia est proximè susceptiua albedinis, nisi media quantitate sic disposita. Quare, cùm esse in loco sit quoddam prædicatum concretum, poterit distingui duplex ratio, per quam cõueniat Angelo: vna ex parte ipsius, & altera ex parte Angeli. Et de priori nũc nõ dubitamus: quia certũ est, eam esse ipsum *esse* in loco, sumptum in abstracto (siue appelletur *vbi*, siue existentia, aut præsentia in loco, siue quouis alio nomine, de quo quidem in quo consistat, infrà 4. dub. huius disput. dicetur) sed solùm deposteriori. Et ideò, quod in controuersiam vocamus, est, an ratio proxima & immediata tenens se ex parte Angeli, per quam ipse est proximè & immediatè capax existendi in loco, seu vbicationis in illo, sit propria substantia Angelica?

Quæ omnia clarioribus verbis rem hanc elucidantibus possunt explicari, distinguendo duplicem rationem formalem proximã & immediatam alicuius concreti: aliam, per quam prędictum concretum cõstituitur formaliter in *esse* talis, vt relatio similitudinis inter duo alba cõstituit illa proximè & formaliter similia: aliam verò, per quam nõ proximè formaliter, sed tantùm causaliter constituitur: ex eo quòd est proxima ratio causans rationem formalem, & formaliter constitutiuam, vt in allato exẽplo, albedo est ratio proxima & immediata, causaliter duo illa alba constituens similia: ex eo quòd est fundamentum prædictæ similitudinis formaliter talis. Titulus igitur non intelligitur de ratione proxima formaliter tribuente Angelo, quòd sit in loco: hęc enim (vt dicebamus) solùm potest esse ipsum *esse* in loco in abstracto sumptum, siue vbicatio eiusdem Angeli in illo: sed solùm de ratione proxima causaliter, quæ est causa, siue fundamentum prædictæ vbicationis.

§. II. *Expeditio dubij ex mente D. Thomæ, & prior ratio pro ea.*

Conclusio. *D. Thom. Ægidius Capreol. Hispal. Ferrara. Caietan. Nazar. Bañez. Ripa. Nauar. Durand. Godofr. Henric. Argent. Pic. Mir. Bern. de Grant. Thomas Anglicus. Herbeus. Episcop. Malfic. Io. Paris. Bubalus*

19. DIcendum ergo est, substantiã Angeli non esse ei proximè & immediatè rationem existendi in loco. Ita D. Thomas in hac q. art. 1. & in 1. dist. 37. q. 3. artic. 1. de Potentia q. 3. art. 19. & quodlibeto 1. art. 4. quorum testimoniorum verba in hac eadem disputatione dubio 3. n. 46. adducemus. Vnde assertionem hanc tuentur Ægidius in 1. dist. 37. q. 1. Capreolus in 2. dist. 2. q. 1. art. 1. Hispalensis ibidem, Ferrara 3. contra Gentes c. 68. Caietanus, Nazarius, Bañez, & Ripa in hoc articulo, Nauarrete tomo 3. suarũ controuersiarum controuersia 42. Eam etiã sequitur Durandus vbi suprà, Godofredus quodlibeto 8. q. 13. & quodlibeto 9. q. 4. Henricus quodlibeto 2. q. 9. Argentina in 1. dist. 37. q. 1. art. 2. ad 1. contra primam conclusionem, Picus Mirandul. in Apolog. disp. 1. referens Bernardinum de Grantico, & Thomam Anglicum in quodlibet. Herbeum in 2. Sentent. Episcopum Malficium, Ioannem Parisiensem, & plures alios. Eam etiam amplectitur Bubalus in præsenti quæsito 2. difficultate 1. & alij.

Ratio fundamenralis

20. Ratio autem fundamentalis desumitur ex D. Thoma loco citato ex lib. 1. Sent. quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniã propria substantia nequit esse Angelo ratio proxima & immediata existendi in loco ob generalem rationem substantiæ, aut peculiarem substantiæ Angelicæ: ergo nequibit esse illi ratio proxima & immediata existendi in loco. Consequentia videtur perspicua. Quia si prædicta substantia hoc haberet, deberet hoc illi conuenire ob aliquam rationem ex duabus in antecedẽti recẽsitis, vt ex se patet.

Antecedens autem quoad primam partẽ, nẽpe, quòd hoc non competat substãtiæ Angelicæ ob generalem rationem substantiæ, probatur. Tum, quia non omnis substantia hoc habet: & ideò substantia materialis non est ratio proxima & immediata existendi in loco, sed id habet ratione suæ quantitatis: si autẽ prędicta substantia ob generalẽ rationẽ substantiæ esset ratio proxima existẽdi in loco, tunc cuiuis substãtiæ hoc competeret: sicut quia homo ob generalẽ rationẽ animalis est viuens sensibile, propterea quòduis animal debet esse viuẽs sensibile. Tũ etiã. Quia loquendo de ratione generali substantiæ finitæ, & limitatæ (de qua in præsenti) tãtum dicit esse per se finitum & limitatum sine & terminis

minis essentiæ, non verò fine & terminis loci: ergo non dicit rationem proximam existẽdi in loco, quæ nihil est aliud, quam ratio terminabilitatis proximæ per terminos & fines eiusdem loci (modo tamen infrà dicendo).

D. Thom. Et propterea D. Thomas loco nuper citato referens opinionem aliquorum dicentium, ipsi Angelo etiam quantum ad essentiam suã deberi locum à Deo, & non esse intelligibile, Angelum esse, nisi locus esset: ex eo quòd cùm essentia eius finita sit, quippe quæ creatura est, oportet intelligere, quòd sit determinata ad locum aliquem: sic S. Doctor illam, euertendo rationem, cui innititur, impugnat: *Sed ista est valdè rudis probatio: quia procedit ex æquiuocatione finis. Cùm enim dicitur essentia Angeli finita, accipitur finis pro fine essentiæ, & virtutis: secundùm quòd etiam diffinitio terminus dicitur, & non pro fine dimensionis. Locus autem dicitur finis, vel finitus secundùm terminos quãtitatis dimensiuæ. Finis autem secundùm vtramque acceptionem nullam commensurationem, seu proportionem habet. Vnde non oportet, vt quod est finitum in essentia, ad terminos loci finiatur.*

Quoad secundam verò partem, nimirum, quòd hoc non conueniat Angelo propter peculiarem rationem substantiæ Angelicæ, satis deducitur ex probatione eiusdem antecedentis. Nã hoc ipso, quòd substantia creata ob hanc rationem generalem substantiæ tantùm dicat hoc, quod est *esse* per se finitum & limitatum terminis essentiæ, non verò rationem proximam existendi in loco, oportet, vt hoc quod est esse rationem proximam & immediatam existendi in loco, sit extra lineã substãtiæ creatę vt sic: atque adeò, quòd peculiares rationes differẽtiales determinãtes prædictam rationem ad certam speciem, solùm determinent illam ad certum & determinatum modum essendi per se, ad certamque naturam substantialem, nõ verò ad hoc, vt se ipsa dicat certam & determinatam rationem proximam existendi in loco, sed hoc debeat aliunde, & ex alia linea prouenire. Sicut quia ratio substantiæ corporeæ vt sic nõ dicit rationem proximam existendi in loco corporeo, idcircò rationes differentiales determinantes illam ad certam speciem non dicunt specialem determinationem, ratione cuius tribuant ei, quòd per se, & ratione sui sit proxima & immediata ratio essendi determinatè, aut determinato aliquo modo in prędicto loco, sed hoc aliunde, & ex alia linea illi prouenit, nempe, ex linea quantitatis.

§. III. *Prior aduersariorum euasio, & illius euersio.*

Occurrunt aduersarij primo.

21. MVltipliciter potest ex aduersariorũ doctrina huic rationi occurri. Primò quidem negando antecedens quoad vtrã que partem. Quia substãtia creata ob rationem generalem substãtiæ creatæ est sibi proxima & immediata ratio existendi in loco, & ratione suarum differentiarum, nẽpe quia contrahitur ad rationem substantiæ materialis, vel immaterialis, habet etiam esse proximam rationem existendi determinato modo in loco. Vnde ad primam probationem eiusdem antecedentis quoad primam partem, ex qua pendet probatio quoad posteriorem, dicunt, substantiam materialem esse sibi proximam rationem essendi in loco speciali modo sibi debito, quãuis ratione quantitatis habeat circunscriptiuè, & accõmodatè ad eandem quantitatem esse in loco. Ad secundam verò probationẽ eiusdem antecedentis quoad eandem partem occurrunt, quòd et si finis & terminus æquiuocè dicatur de fine & termino essentiæ, necnon & de termino loci: nihilominùs id, quod est proxima ratio finis & termini essentiæ, quale est substãtia Angeli, potest secundariò & consequenter esse proxima ratio finium & terminorum loci: atque adeò potest esse simul proxima & immediata ratio existendi in loco.

Præcluditur prima solutio.

22. Cæterùm hæc solutio vim rationis ex D. Thoma desumptę non eneruat. Primò quidem. Nã substantia materialis nequit esse sibi proxima & immediata ratio existendi in loco, sed id debet habere ratione quãtitatis: ergo substantia Angelica ob generalem rationem substantiæ nequibit esse sibi proxima ratio essendi in loco: & per consequens nec secundùm peculiarem rationem substantiæ spiritualis erit Angelo proxima ratio existendi in loco determinato modo, & proprio, ac accommodato eidem Angelo. Hæc secunda cõsequentia ex priori apertè liquet. Quia, vt in ratione D. Thomæ dicebamus, rationes differentiales tantùm habent determinare & limitare rationem genericam ad speciales modos participandi illam. Et ita si ratio generica, qualis est ratio substãtiæ creatæ, & cõpletæ (de qua in præsenti loquimur) non est proxima & immediata ratio essendi in loco, neque etiam rationes differentiales determinabunt illam ad hoc, vt ex vi illarũ sit proxima & immediata ratio existendi determinato modo in loco. Prima verò consequentia ex antecedenti liquet, vt in eadem ratione Angelici Doctoris dicebamus. Antecedens autem videtur perspicuum. Quoniã id solùm potest esse immediata & proxima ratio existendi in loco respectu substantiæ corporeæ, quod est ei proxima ratio contingẽdi immediatè locum: at substantia materialis nõ tãgit immediatè ratione sui locũ, sed solũ ratione quãtitatis quæ inter ipsum & illũ mediat: ergo prædicta substãtia nequit esse sibi proxima & immediata ratio existẽdi in loco

Effugium.

23. Nec obest, si ad hanc impugnationẽ dicas,

dicas, ſubſtantiã materialem habere vim ad hoc, vt per ſe ipſam immediatè contingat locum, quanuis per accidens, ex eo quòd eſt affecta quantitate, impediatur, ne actu contingat immediatè illum: & ideò prædicta ſubſtãtia eſt ſibi ratio proxima exiſtendi in loco: quia ad hoc non attẽditur ad id, quod per accidẽs ei cõpetit, ſed ad id, quod per ſe habet.

Impugnatur. Non itaque hoc obeſt. Quoniam hæc duo nequeunt inter ſe cohærere, nimirum, quòd ſubſtantia materialis habeat per ſe eſſe ſibi proximam rationem immediatè contingẽdi locum, atque adeò eſſe proximam rationem eſſendi in illo, & quòd hic immediatus contactus, hocque exercitium impediatur à ſua quantitate: ergo ſi ſemel impeditur per illã, ſignum erit, prædictam ſubſtantiã materialẽ non eſſe per ſe loquendo proximam rationẽ exiſtendi in loco, & immediatè contingendi illum. Conſequentia ſatis liquet. Antecedens autem probatur. Nam quoties aliquid conuenit alicui rei per ſe, & per cõſequens ab intraneis, non poteſt ab eiſdem intraneis oriri impedimentum ad habẽdum illud, quod per ſe ei competit, alioqui intraneã ſibi ipſis repugnarẽt. At quantitas eſt quid intraneũ ſubſtãtiæ materiali, quatenus ex principio intrinſeco illius oritur: ergo nequit cohærere, quòd ſubſtantia materialis habeat per ſe eſſe ſibi proximã rationem contingendi locũ, & exiſtendi, & in illo, & quòd hoc impediatur per quantitatẽ. Et ideò ſi quantitas impedit huiuſmodi contactum immediatum, ſignum erit, prædictam ſubſtantiam (adhuc per ſe loquendo) non eſſe proximam rationẽ cõtingendi immediatè locum, & eſſendi in illo.

Confirm. 1. Confirmatur. Quoniam impedimentum perpetuum, & ſeruatis naturis rerum non auferibile, planè indicat, rem illam non habere capacitatem proximam ad exercitium illud, reſpectu cuius datur prædictum impedimentum: ſed ſubſtantia materialis habet perpetuũ impedimentum contingendi immediatè locum, & hoc impedimentum ſeruatis naturis rerũ eſt inauferibile: ergo inde planè deducitur, prædictam ſubſtantiam non habere ſecundùm ſe proximam & immediatam capacitatem ad eſſendũ in loco: ac proinde nec ſubſtantiam Angelicam ob rationem generalem ſubſtantiæ, aut ob ſpecialem ſubſtantiæ Angelicæ eſſe ſibi proximam rationem exiſtendi in loco, vt ex dictis conſtat.

Confirm. 2. Confirmatur, & explicatur ſecundò. Quoniam impedimentum hoc quantitatis nõ ſolùm eſt inauferibile ſeruatis naturis rerũ, verùm etiam ipſamet ſubſtantia materialis petit illud non auferri: ergo nequit cũ hoc cohærere, quòd habeat proximam & immediatam capacitatem exiſtendi in loco, & immediatè contingendi illum. Patet conſequentia. Quia alioqui ſubſtantia materialis peteret non auferri prædictum impedimentũ, & ſimul exigeret ablationem illius. Peteret qui dẽ non auferri: ex eo quod petit quantitatem ſibi perpetuò inhærentem. Exigeret autem ablationem illius: quoniam proxima & immediata ratio exiſtendi in loco, & immediatè contingendi illum exigit exercitium exiſtẽdi in loco, & immediatum contactum illius, & ablationem omnium impedimentorum, quibus prædictus contactus, exercitiumque exiſtendi in loco impeditur.

Confirm. 3. Confirmatur tertiò. Quoniam ſi ſubſtantia creata intellectualis eſſet ſibi immediata ratio intelligendi, tunc non haberet intellectum à ſe diſtinctum, qui eſſet illi proxima ratio intelligendi: & multò minùs haberet prædictum intellectum ad hoc, vt intelligeret per intellectionem aliam minoris perfectionis, & immaterialitatis: & ideo ſubſtantia Dei, quæ eſt ſibi immediata ratio intelligendi, non exigit, neque poteſt habere intellectum à ſe diſtinctum: & quia nos indigemus prædicto intellecta, idcircò optimè inde deducitur, propriam ſubſtantiam non eſſe nobis proximam rationem intelligendi. Ergo hoc ipſo, quòd ſubſtantia materialis exigat quantitatem, tanquam rationem proximam eſſendi in loco: ſignum erit, prædictam ſubſtantiam non eſſe ſibi proximam rationẽ eſſendi in illo. Patet conſequentia ex paritate rationis. Quoniam ſi ipſa ſubſtantia eſſet ſibi proxima ratio exiſtendi in loco abſolutè & ſimpliciter, tunc ſuperflueret quantitas ad hũc effectum: ſicut ſuperflueret intellectus ad hoc, vt ſubſtantia abſolutè & ſimpliciter intelligeret, ſi prædicta ſubſtantia eſſet ſibi immediata ratio intelligẽdi. Et ſimiliter quãtitas non poteſt deſeruire ad hoc, vt ſubſtantia, quæ ſecundùm ſe eſt proxima ratio exiſtẽdi nobiliori modo in loco, ſit inferiori modo in illo, nempe per omnimodam commenſurationem cum ipſo: ſicut non daretur intellectus ad intelligendum per intellectionem ignobiliorem, & minùs immaterialem, ac intelligeret ipſa ſubſtantia, ſi talis ſubſtantia eſſet ſibi proxima ratio intelligendi.

Impugnatur ſecundò eadem ſolutio. 24. Secundò poteſt eadem ſolutio impugnari ratione deſumpta ex D. Thoma 3. part. quæſt. 75. quam ibidem (Deo dante) latiùs expendemus, quæque poteſt ad hãc formam redigi. Quoniam corpus Chriſti Domini in Euchariſtia non eſt ſibi proxima ratio exiſtẽdi ibidẽ in loco: at hoc oritur ex eo, quòd eſt ibi per modũ ſubſtãtiæ: ergo ſignũ eſt, ſubſtantiam neque in ſubſtantijs materialibus, neque in immaterialibus eſſe ſibi proximã & immediatam rationem exiſtendi in loco. Conſequentia videtur legitima. Minor autem conſtat ex eo, quòd modus proprius, quo corpus Chriſti eſt in Euchariſtia, eſt eſſe ibidẽ per modũ ſubſtãtiæ: & propterea ſubſtan-

ſubſtãtia eiuſdem corporis eſt ſub ſpeciebus per ſe,& ratione ſui,ac ex vi verborum conſecrationis,quantitas verò Chriſti eſt ſub eiſdem ſpeciebus ſecundariò,& ratione ſubſtãtiæ, ac proinde ad modum illius:& ideò prædictum corpus,& quãtitas eius ſunt totæ ſub totis ſpeciebus,& totæ ſub qualibet parte,& indiuiſibili earum: ex eo quòd eſt proprium ſubſtantię ſic eſſe ſub dimenſionibus,ſub quibus per modum ſubſtantiæ eſt. Ergo ſi corpus Chriſti Domini,vt eſt in Euchariſtia,nõ eſt ibidem tanquam in loco,proueniet illi ex eo,quòd eſt in Euchariſtia per modum ſubſtantiæ, qui eſt proprius modus eſſendi in illa.

Maior verò probatur. Quoniam prædictum corpus Chriſti Domini in Euchariſtia neque eſt ibidem circunſcriptiuè, ſiquidem non eſt in ea per omnimodam commenſurationem cum aliquo loco, nempe per correſpondẽtiam totius ad totum,partium ad partes,indiuiſibiliumque ad indiuiſibilia, quæ correſpondentia ad exiſtendum in loco circunſcriptiuè deſideratur: neque etiam eſt in loco diffinitiuè,ſiquidem ex hoc,quòd corpus Chriſti ſit ſub his, vel illis ſpeciebus,nõ limitatur & definitur ad hoc, vt non poſsit eſſe ſub pluribus alijs vſque in infinitum ſyncategorematicè;cùm tamen ſit propriũ modi eſſendi in loco diffinitiuè,quòd res illa ſic determinetur,& definiatur, modo alibi dicẽdo,ad eſſendum ibi,quòd non ſit alibi.

Elucidatur. Poteſtque hæc probatio elucidari: ex eo quòd corpus Chriſti non eſt vt in loco ſub dimenſionibus ſubſtantiæ panis in prædictũ corpus Chriſti Domini conuerſæ: ſiquidem (vt dubio præcedenti dicebamus) iſtæ non comparantur per modum alicuius omninò extrinſeci reſpectu corporis Chriſti Domini: ex eo quòd corpus Chriſti eſt id,in quod ſubſtantia panis eſt conuerſa, ac proinde gerit quodammodò vices illius: ideoque eſt ſub prædictis dimenſionibus eo proportionali modo,quo ſubſtantia panis erat ſub illis,nẽpe,non per modũ locati in loco,ſed per modum ſubſtantiæ ſub ſuis quodammodò dimẽſionibus. Nec tandem eſt in aere,aut in corpore circunſcribente ſpecies ſacramentales tanquam in loco:quoniã corpus Chriſti Domini non contingit immediate aerẽ,aut corpus illud circunſcribens ſpecies,nec comparatur ad iſta,niſi tantùm per accidens: ex eo quòd ſpecies,ſub quibus eſt, ambiuntur, & circunſcribuntur à corpore circunſtante: & propterà ratione ſui neque eſt in prædicto corpore diffinitiuè,aut circũſcriptiuè, vt ex probatione nuper facta conſtat. Ergo,&c.

Impugnatur tertio. 25. Tertiò poteſt impugnari eadem ſolutio: ex eo quòd ſubſtantiæ Angelicæ magis intrinſeca eſt ſua prima & potiſsima operatio,quam hoc,quòd eſt eſſe in loco,ſeu actualis vbicatio, ſicut etiam vniuerſaliter loquendo in quauis natura hoc ipſum reperitur: ex eo quòd in prima & potiſsima operatione explicatur natura cuiuſque rei, & potiſsima eius inclinatio. Sed hoc non obſtante propria ſubſtantia, & natura creata nõ eſt ſibi proxima & immediata ratio operandi, ſed inter ipſam, & ſuam primam ac potiſsimam operationem debet mediare potentia proxima operatiua: ergo potiori ratione ſubſtantia Angelica, aut quæuis alia natura ſubſtantialis non erit ſibi proxima & immediata ratio eſſendi in loco, ſed inter ipſam, & inter hoc,quod eſt eſſe in loco, ſeu actualẽ vbicationem mediabit aliquid aliud, quod ſit ei ratio proxima & immediata cauſaliter huius quod eſt eſſe actu in loco, ſeu actualis vbicationis in illo: & per conſequens ſubſtãtia Angelica, nec quia ſubſtantia, nec quia Angelica, erit ſibi proxima & immediata ratio exiſtendi in loco.

Confirmatur, & explicatur. Quoniã vbicatio eſt de genere accidentium minùs perfectorum, habentiumque minùs de connexione intrinſeca cum re locata: ex eo quòd reſultat ex aliquo extrinſeco, nempe ex loco, vnà cũ coaptatione & proportione debita rei locatæ ad locum: ergo nulla ſubſtantia erit proxima & immediata ratio prædictæ vbicationis. Patet conſequentia, Quia ſubſtãtia tantùm poteſt eſſe proxima & immediata ratio accidentium valdè intrinſecorum. *Dilucidatur amplius & confirmatur primo.*

Confirmatur ſecundo. Quoniam ſic ſe habet proxima & immediata ratio eſſendi actu in loco, ſeu inferens actualem vbicationem in illo, ac ſe habet proxima & immediata ratio eſſendi in tempore noſtro, ſeu inferens accidens illud, quod appellatur *quando*. Nam ſicut vbicatio eſt modus, aut realitas, quædam intrinſeca locato, per quam conſtituitur in hoc, quod eſt eſſe in loco, quæque reſultat ex adiacentia loci: ita etiam per *quãdo* habet res eſſe in tempore, & prædictum *quando* eſt realitas quædam accidentalis, reſultans etiam ex adiacentia tẽporis. At nulla ſubſtantia, cui conuenit prędicamẽtum *quãdo*, eſt ſibi proxima ratio habendi illud, ſed inter ipſam, & prædictum *quando* debet mediare duratio intrinſeca illius, quæ ex parte ſua fundet illud *quando*: ex eo quòd ſubſtantia, non niſi vt durans per ſuam intrinſecam durationem, dicitur eſſe in tempore, & prædicta duratio eſt accidens realiter diſtinctũ ab eadẽ ſubſtantia, vt conſtat ex his, quæ. N. Cõplut. in ſua Logica capite de Prædicamento *quando*, & in lib. Phyſicorum diſput. 21. nu. 34. docent. Ergo eadẽ ratione nulla ſubſtantia, cui cõpetit eſſe in loco, erit ſibi proxima & immediata ratio eſſendi in illo, ſed inter ipſam, & inter hoc, quod eſt eſſe in loco, ſeu actualem vbicationẽ mediabit aliquid, quod *Confirmatur ſecũdo.* *N. Comp.*

ex

ex parte eiusdem substantiæ sit proxima & immediata ratio habendi prædictam vbicationem.

§. IIII. *Duæ posteriores aduersariorum solutiones, vnà cum illarum impugnationibus.*

Secũda euasio aduersariorum.

26 SEcundò potest responderi ex doctrina aduersariorũ ad hanc rationẽ D. Thomæ, concedẽdo antecedẽs illius quoad priorem eius partẽ, nempe, quòd substantia Angeli ob rationẽ generalem substãtiæ creatæ non est sibi proxima ratio existendi in loco. Hinc tamen non fit, concedendam esse posteriorem partẽ eiusdem antecedentis, scilicet, substantiã Angelicã, quia Angelica, siue quia spiritualis est, non esse sibi proximã rationẽ existendi in loco. Quoniã licèt substantia creata ob generalẽ rationẽ substãtiæ creatæ non dicat proximam & immediatã rationem existendi in loco, non tamen illam excludit, sed solùm ab ea præscindit & abstrahit: quia dicit *esse* per se, prout abstrahit ab *esse* per se talis conditionis, vt simul sit sibi proxima ratio existendi in loco, & ab *esse* per se, quod sit talis rationis, vt non habeat simul esse proximã rationẽ essendi in illo, sed solũ remotam & radicalem. Et propterea potest contrahi in Angelis per rationes differentiales, quibus substantia Angelica sit sibi (quia Angelica, siue quia spiritualis) proxima ratio existendi in loco. Sicut quia animal licèt nõ dicat rationalitatẽ, nihilominùs nõ excludit illã tanquã partẽ potentialẽ eius, sed abstrahit à rationali, & irrationali: idcircò potest cõtrahi per rationalitatẽ & irrationalitatem.

Corroboratur exẽplo.

Potestque hoc explicari exemplo quantitatis molis, quæ iuxta communem omnium sententiam est corpori proxima ratio existendi in loco, necnon & exemplo quantitatis virtutis, quæ iuxta mentẽ D. Thomæ est Angelis immediata ratio existendi in loco. Nã nulla ex his quantitatibus habet ob generalẽ rationẽ accidentis esse proximam rationem habendi vbicationem, seu essendi in loco: hinc tamen non fit, quòd ob suas peculiares rationes id eis non competat. Nam etsi secundùm rationem generalem accidentis non dicant prædictam rationem: nihilominùs eam non excludunt, sed quodammodò abstrahunt à peculiaribus rationibus differentialibus, siue illæ sint rationes immediatæ existendi in loco, siue non: & ideò possunt suo modo contrahi ad quantitates molis, & virtutis, quæ sint rationes immediatæ essendi in loco, necnon & per alias peculiares rationes, quæ hoc non habeant. Pari ergo ratione in præsenti quoad rationem substantiæ creatæ, & rationes differentiales contrahentes ipsam philosophari poterit iuxta dicta.

Enervatur solutio.

27 Verùm neque hæc solutio vim rationis Angelici Præceptoris infringit, propter apertum discrimen, quod reperitur inter accidentia, & substantiam ipsam, maximè si sit substantia completa: quod quidem optimè explicant N. Complutenses in lib. Physicorum disp. 10. n. 41. Etenim cùm accidentia non sint simpliciter entia, sed entia secũdùm quid seu entis, ideſt substantiæ entia, quę proinde sunt instituta à natura propter indigentiam eiusdem substantiæ: inde est, vt sicut substantia creata pluribus & diuersis indiget, ita etiã habeat plura & diuersa accidentia, per quæ pluribus his & diuersis indigentijs subueniatur: propter quod quędam accidentia tribuũt substantiæ v.g. materiali, vt igni, quod sit proximè calefactiuus, aut exsiccatiuus; quædam verò, quòd sit proximè passiuus, aut habeat partes, quibus correspondere possit loco, quibusque sit proxima ratio essendi in prædicto loco: quia prædicta substantia his omnibus indiget. Vnde non mirum, quòd ratio accidẽtis quodammodò abstrahat à diuersis accidentibus, quorum aliqua sint rationes proximæ existendi in loco; alia verò hoc non habeant, sed præstent alios effectus formales: & ita nec mirum, quòd ratio accidentis vt sic non dicat peculiariter rationem proximam existendi in loco, & quòd nihilominùs specialia aliqua accidentia hoc dicant ob suas rationes differentiales. Cæterũ cũ substantia sit ens simpliciter, & ens propter se, & per se: idcircò tantũ potest cõtrahi per speciales modos essendi per se, & propter se, qui dicant *esse* per se simpliciter, nõ verò per speciales rationes, quę tantũ dicãt *esse* secundũ quid, qualis est ratio proxima essendi in loco: quia hęc nõ tribuit *esse* simpliciter, sed *esse* secũdùm quid, & cum addito, nempe esse proximam & immediatam rationem essendi in loco.

N. Compl.

Impugnatur amplius

28 Deinde potest impugnari prędicta solutio ex illis, quæ circa præcedentem dicebamus, in hunc tamen modum expensis. Quoniam substantia materialis, quatenus talis, nequit sibi esse proxima ratio essendi in loco; sed id habet ratione quantitatis: ergo inde optimè deducitur, substantiam creatã vt sic non solùm non dicere rationem proximam essendi in loco, verùm etiã non abstrahere ab hoc, quod est esse, vel non esse rationẽ immediatã essendi in illo; sed hoc debet ei ex alia linea competere. Patet consequentia. Nam cùm sola substãtia materialis sit id, quod propriè & in rigore est in loco *vt quod*, & cæterę aliæ substantiæ spirituales tantùm sint in loco metaphoricè & abusiuè, vt ex dictis dubio præcedenti constat, consequens est, vt si prædicta substantia non est in loco ratione sui proximè & immediatè, sed hoc habet ex alia linea, nempe ex linea quantitatis, potiori ratione aliæ substantiæ spirituales, quibus minùs principaliter, imò metaphoricè

nec & abusiuè tantummodò conuenit esse in loco, non habeant esse sibi ipsis proxima & immediata ratio essẽdi in illo: ac proinde ratio substantiæ creatæ vt sic non abstrahet à peculiaribus rationibus differentialibus lineæ substãtiæ, quarũ aliquæ sint proximæ rationes essendi in loco, aliæ verò non. Sicut si substantia diuina, quæ est potissima inter omnes substantias, non esset sibi immediata ratio intelligendi, optimè inde deduceremus, cæteras alias substantias in ratione intellectualium inferiores non esse sibi proximam rationem intelligendi, sed indigere ad hoc munus potentia intellectiua ab eisdem realiter distincta: & per consequens inde etiam meritò colligeremus, rationem substantiæ, prout abstrahit à creata, & increata, non abstrahere à peculiaribus & atomis rationibus substantialibus, quarum aliquæ sint rationes proximæ intelligendi, aliæ verò non.

Confirmatur. Confirmatur ex his, quę etiam diximus contra præcedentem solutionem, ad hanc tamen formam redactis. Quoniam ratio substantiæ creatæ non abstrahit ab hoc, quod est esse vel non esse rationem proximam essendi in tempore, seu habendi ex parte sua prædicamentum *quando*: neque etiam præscindit ab hoc, quod est esse, vel non esse proximam rationem operandi: siquidem nulla substantia creata (vt ex dictis constat) est sibi proxima ratio operandi, vel fundandi: seu habendi prædictum *quando*. Ergo eadem ratione substantia creata vt sic non abstrahet ab hoc, quod est esse sibi proximam & immediatam rationem essendi in loco, seu fundandi ex parte sua vbicationem. Patet consequentia. Quia non est magis intrinseca respectu substantiæ vbicatio, quã propria operatio, aut prædicamentum *quando*: ergo si est extra totam lineam substantiæ esse sibi proximam rationem operandi, aut essendi in tempore, ac proinde non abstrahit ab hoc, quod est esse, vel non esse proximam rationem prędictorum effectuum, etiam erit extra lineam totius substantiæ creatæ esse sibi proximam rationem essendi in loco, seu proximè fundandi vbicationem: atque adeò non abstrahet intra propriam lineam ab hoc, quod est esse, vel non esse proximam rationem essendi in loco.

Alia euasio. 29 Ex quo etiam manet impugnata alia, solutio præcedenti affinis, qua poterat ex sententia aduersariorum occurri ad eandem rationem D. Thomæ, quòd si quid probaret, conuinceret vtique contra eundem S. Doctorem, quantitatem virtutis, seu potentiam executiuam Angeli, contingentem contactu virtutis corpora, non esse illi proximam rationem essendi in loco. Quoniam quoad hãc quantitatẽ virtutis potest fieri idẽ argumentũ, nimirũ quòd nec potest esse proxima ratio essendi in loco ob rationem generalem virtutis operatiuæ: siquidem virtus operatiua propria corporum non est illis ratio proxima essendi in loco. Sed hoc conuenit eisdem ratione quantitatis: neque etiam ob rationem specialem quantitatis virtutis Angelicæ, siue virtutis operatiuæ spiritualis: ex eo quòd ratio ista solùm habet limitare rationem illam superiorem ad distinctam rationem operandi, non verò ad distinctam rationem essendi in loco, si semel ratio superior virtutis operatiuæ non habet esse proximã rationẽ essendi in loco, sed tantùm operãdi.

Refutatur. Ex dictis igitur hæc solutio manet impugnata, nempe, ex discrimine assignato inter substantiam, & accidentia. Nam cùm potentia immediatè operatiua sit accidens à natura institutum ad subueniendum indigentiæ substantiæ, & ad tribuendum illi, non quidem *esse* simpliciter, quia hoc habet substantia ex se, sed *esse* secundũ quid: fit inde vt sicut tribuit illi rationem proximè operandi, quia substantia indiget ratione ista, & prædicta ratio tantùm dicit *esse* secundùm quid: sic etiam possit tribuere eidem substantiæ (si sit potentia operatiua spiritualis, habens actionem virtualiter transeuntem in locum) quòd sit ratio proxima, & immediata essendi in loco: ac proinde prædicta virtus operatiua habet duo munera, saltem ex parte nostri modi concipiendi distincta, nimirum, esse rationem proximè operandi, & simul rationem immediatam essendi in loco, seu fundandi actualem vbicationem in illo: ex eo quòd substantia vtroque hoc munere indiget, & vtrumque munus tantùm tribuit *esse* secundùm quid: ac tandem duo ista munera sunt inter se connexa, vt dubio sequenti expendemus. At substantia, vt diximus, secundùm rationem generalem substantiæ creatę, & completæ tantùm instituta est ad hoc, vt se ipsa habeat *esse* simpliciter: sicut etiam peculiares rationes differentiales, quæ sunt intra lineam substantiæ, tantùm sunt institutæ ad hoc, vt tribuant diuersum *esse* simpliciter: & propterea ex aliqua ratione substantiali creata non potest substantia habere, quòd fit immediata ratio essendi in loco, nec aliqua illius ratio potest abstrahere ab hoc, quod est esse proximam rationem essendi in illo.

Vnde falsum est, ex ratione D. Thomæ sequi, quantitatem virtutis non esse Angelo rationem proximam essendi in loco. Nam ratio quantitatis virtutis, seu virtutis operatiuę abstrahit ab hoc, quod est esse, vel non esse proximam rationẽ essendi in loco. Et ita in Angelo habet hoc, ex eo quòd in illo sunt conditiones requisitę ad prædictũ munus, nẽpe, quòd sit quantitas virtutis, per quã agens contingit corpus per operationẽ immedia-

mediatam, tam immediatione virtutis, quàm suppositi, per quamque operatur intra terminos eiusdem corporis. Et propterea, quia agens corporeum nequit immediatè immediatione suppositi agere secundum communem cursum intra terminos alterius corporis, sed solùm agit immediatè immediatione virtutis, & suppositi in superficie illius corporis, & mediante ista agit in alias partes profunditatis, & his mediis in alias, & hoc non aliunde, nisi quia ratione suæ limitationis, & dependentiæ à situ, & loco non potest aliter agere: idcircò agens corporeum non est in loco, nisi ratione suę quantitatis molis, non verò ratione suæ quantitatis virtutis.

30 Ratio autem, ob quam ad hoc, vt aliquid sit metaphoricè in loco ratione suæ quãtitatis virtutis, requiratur, quòd agat immediate immediatione virtutis, & suppositi, dubio sequẽti reddetur. Sicut etiã ratio, ob quã requiratur, quòd sic agat intra terminos corporis in quo esse dicitur, infrà num. 75. tradetur.

Alia Hispalensis confutatio.

Adde primò ex Hispalẽsi in 2. dist. 2. q. 1. notabili 2. non esse improbabile, agens corporeũ esse metaphoricè in loco per suam quãtitatẽ virtutis corpoream, quanuis iuxta communem vsum loquendi nõ soleat absolute dici de eo, quòd sit in loco isto modo. Cuius rationẽ reddit Hispalensis ex eo quòd, vt notauit D. Thomas in 3. dist. 10. q. 2. art. 2. quæstiuncula 3. & magis expresse 3. p. q. 23. art. 4. quando aliquid proprie conuenit rei, non consueuit absolute dici de ea improprie, aut metaphorice: vt v. g. quia Socrates est proprie, & per se homo, nunquam dicitur homo metaphorice; etiamsi valde sit similis alteri homini, ita vt videatur esse eius imago: cùm tamen imago eius depicta in pariete dicatur homo metaphorice: eò quòd secundùm se nõ habet, quòd sit verus homo. Sicut etiam ob hanc proportionalẽ rationẽ Christus non debet dici Filius Dei adoptiuus, quanuis secundùm humanã naturã plenissime & perfectissime habet gratiam, & dona illius, propter quã cæteri homines dicuntur Filij Dei adoptiui. Et huius ratio est: quia Christus vere & proprie est Filius Dei naturalis. Quare cùm substantiæ corporeæ debeatur proprie, & secundùm propriã quantitatẽ esse in loco, nunquã dicitur absolute, ideſt sine determinatione, eam esse in loco improprie, vel abusiue, etiamsi habeat operationẽ circa locũ. Cæterũ Angelus, aut substantia incorporea potest absolute dici esse in loco improprie & abusiue per suam quantitatẽ virtutis, & operationem: quia nullo modo conuenit illi verè & propriè, ac per se esse in loco, sicut corpori.

Vrgetur ex eodem auctore.

Adde secundo ex eodem Hispalensi, non esse improbabile, quòd sicut substantia incorporea quando operatur circa locum, verè & propriè est in loco, sicut operans in operato; dicitur autem impropriè & abusiuè esse in illo sicut in loco: ita etiam res corporea dicitur esse in loco, vbi operatur verè & propriè, sicut operans in operato, non tamen sicut in loco, sed sic dicitur esse abusiuè in eo. Nullum autem est inconueniens, quòd vnum corpus sit in diuersis locis, in vno propriè, & situaliter per suam quantitatem, in alio autem impropriè & abusiuè per suam quantitatem virtutis, & operationem.

§. V. *Posterior ratio assertionis ex eodem Angelico Doctore de prompta.*

Secunda ratio fundamentalis ex D. Thom. de sumpta.

31 SEcunda, & principalis ratio assertionis desumitur ex D. Thoma art. 2. huius q. potestque sub hac forma proponi. Quoniam propria substantia nequit esse Angelo ratio immediata habendi, seu fundandi præsentiam, nunc ad maiorem, nunc ad minorem, nunc ad indiuisibilem locum: ac proinde essendi in maiori, aut minori, vel indiuisibili loco: ergo prædicta substantia non potest esse ibi immediata ratio essendi in loco. Consequentia est legitima. Quoniam, vt in hac eadem disput. dubio 3. num. 52. dicemus, id, quod est Angelo ratio immediata existendi in loco, debet esse ei ratio essendi aliquando in maiori, aliquando in minori, aliquando in indiuisibili loco: ex eo quòd Angelus propter suam perfectionem, & modum eleuatum essendi in loco, non est alligatus ad hoc, vt sit determinatè, & semper in æquali loco, sed potest aliquando in maiori, aliquando in minori, & tandem in indiuisibili esse. Antecedens autem probatur. Quoniam cùm substantia Angeli habeat semper eandem perfectionem substantialem, & in suo *esse* substantiali semper maneat inuariata, oporteret, Angelum semper esse in æquali loco, si ipsa esset ratio proxima & immediata essendi in illo, iuxta commune illud axioma ex terminis ipsis notum, nimirum, *Idem manens idem, semper facit idem*: & ita prædicta substantia nequiret esse Angelo ratio immediata essendi, aliquando in maiori, aliquando in minori, & aliquando in indiuisibili loco, sed semper repleret tantum loci, quantum secundùm perfectionem suę substantiæ replere posset.

Effugiumex *Molina* & Rada.

32 Nec obest, si occurras ex Molina, & Rada, alijsque ex authoribus oppositæ sententiæ, verum esse antecedens loquendo de substantia Angeli secundùm se, & præcisè sumpta, non verò de illa, vt ab eodem Angelo applicatur ad tantum, vel tantum locum. Nam eademmet substantia diuersimodò applicata per actum imperij, & voluntatis Angelicæ, potest esse ratio essendi in maiori vel minori loco.

Refutatur. Non itaque hoc obest. Nam cùm dicitur, substantiam Angeli, vt diuersimodè applicatam per actum imperij, & voluntatis Angelicæ, esse ei rationem proximam essendi in maiori, vel minori loco iuxta beneplacitum eiusdem Angeli, vel est sensus, quòd prædicta applicatio facta per actum imperij, & voluntatis Angelicæ, est ratio formalis proxima fundandi præsentiam ad maiorem, vel minorem locum; vel quòd tantùm prædicta applicatio est causa efficiens illius præsentiæ, ita vt ratio formalis proxima tantùm sit ipsa substantia Angelica, vel saltem quòd prædicta applicatio sit conditio ad rationem formalem in ipsa substantia Angeli consistentem? Primum dici non potest ab aduersarijs, quin incidant in D. Thomæ, & nostram sententiam, nimirum, potentiam executiuam Angeli, & eius operationem esse ei rationem proximam & immediatam essendi in loco, aut in maiori, vel minori loco, prout ipsi libuerit, dummodò sit intra sphæram suæ actiuitatis. Si autem secundum asseratur, tunc nequibit Angelus per actum imperij sui intellectus, & per liberam suæ voluntatis applicationem applicare propriam substantiam ad hoc, vt sit aliquando in maiori, aliquando in minori loco, sed semper debet illam applicare ad hoc, vt repleat tantum locum, quantum replere potest.

Et ratio videtur esse in promptu. Nam quoties causa, aut quasi causa formalis ratione suæ perfectionis, & entitatis causat aliquē effectum, aut quasi effectum formalem, tunc non est in potestate causæ efficientis causare illum mediante prædicta causa, aut quasi causa formali, nisi iuxta modum eiusdem causæ formalis: ita quidem, vt ea aucta, vel minuta quoad rationem formalem causandi, & perfectionem eius, possit augeri, vel minui prædictus effectus: illa autem omninò inuariata permanente, debeat mediante illa causari idem inuariabilis effectus. Et propterea mediante calore intenso vt quatuor, nequit agens effectiuè causare calidum, nisi vt quatuor, & mediante eodem calore, vt fundante relationem similitudinis in illo, nequit effectiuè producere similitudinem, nisi iuxta modum, & rationem fundandi eiusdem caloris. At si substantia Angelica esset ratio proxima & immediata essendi in loco, haberet hoc ratione suæ entitatis, & perfectionis substantialis, inuariabiliter se in suo *esse* substantiali habentis: ergo nequibit Angelus media illa, tanquam ratione, siue causa formali, aut quasi formali, effectiuè causare præsentiam eiusdem in loco, nisi iuxta modum illum inuariabilem prædictæ substantiæ: ac proinde nec poterit media illa facere, quòd nunc sit præsens maiori, nunc minori loco: nec valebit applicare illam pro sua volūtate ad minorem, vel maiorem locum, sed semper iuxta inuariabilem perfectionem suam, debet ipsam eidem, & æquali omninò loco ab eadem inuariabiliter petito applicare.

33 Ex quo etiam fit, non posse dici tertiū. Nam etsi ratio formalis debeat applicari ad hoc, vt præstet suum effectum; aut quasi effectum: attamen si ipsa omninò sit inuariabilis quoad suam perfectionem, secundùm quam debet præbere prædictum effectum, semper debet applicari applicatione accommodata ad suam perfectionem. Atque adeò applicatione, quæ sit semper eiusdem rationis, & eodem modo se habens, perquamque inuariabiliter explicet totam illam perfectionem, per quam debet causare prædictum effectum. Et ita si substantia Angelica esset ratio proxima essendi in loco, non posset exigere tanquam conditionem hanc diuersimodam, & inuariabilem applicationem, sed vniformem, & omninò eādem applicationem peteret per modum conditionis: sicuti ipsa substantia, quoad id, secundùm quòd esset ratio formalis essendi in loco, debet eodem modo, & inuariabiliter se habere.

Confirmatur, & explicatur ex his, quæ in nobis, & in ratione formali proxima, à qua habemus esse in loco, cōtingit. Quoniā ex eo quòd quātitas molis est nobis proxima ratio fundādi præsentiā ad locū, seu vbicationem ratione suarū partiū, suæq; extensionis, idcircò hoc ipso, quod inuariata permaneat, & absque aliqua intrinseca mutatione, debet semper esse ratio essendi in æquali loco, nec subiacet potestati nostræ voluntatis quoad hoc, quod est applicari ad replendū maiorem, aut minorem locū, nisi fiat aliqua mutatio intrinseca in eadē quantitate, vt puta si condēsetur, aut partes illius cōplicentur, aut rarefiāt, &c. Ergo eadē ratione si substantia Angelica esset Angelo ratio proxima essendi in loco, tunc prædicta substantia manente cum omni moda inuariabilitate in sua perfectione, ratione cuius esset modo dicto ratio essendi in illo, non posset non esse ratio essendi in prædicto loco inuariabiliter, atq; adeò ratio essendi semper in æquali omninò loco, nēpe in tā to, quantū exigit perfectio eiusdē substantiæ. Et ita non erit in potestate voluntatis Angelicæ applicare illam ad replendū minorē locum: siquidē in suo *esse* substātiali semper manet inuariata, nec potest de virtuali (vt sic dicamus) extensione eius, & quantitate perfectionis substantialis aliquid ei (saltem secūdùm communem cursum) addi, vel adimi. Confirmatur, & explicatur.

34. Nec refert, si ad hanc impugnationē ex doctrina aduersariorum respondeas, esse peculiarem rationem in substantia Angelica, esseque specialem rationem disparitatis inter eam, & quantitatem molis, ratione cuius substantia Angelica inuariata permanens possit applicari aliquando ad maiorem, aliquando ad minorem locū, secus verò Aduersariorum solutio.

quan-

quantitas molis. Nam cum ſubſtantia Angelica ſit in loco, non quidem per commenſurationem ad illum, ſed eleuatiori modo; nempe tota in toto, & tota in qualibet parte, & indiuiſibili loci: inde eſt, vt poſsit eſſe proxima ratio eſſendi, vel in toto loco ſuæ perfectioni adæquato, vel in aliqua parte, aut partibus, aut tandem in aliquo indiuiſibili eiuſdem loci, prout Angelo libuerit. Et ideò prædicta ſubſtantia, licèt non quoad ſuam entitatem, & perfectionem, attamen quoad vſum, & applicationem paſsiuam in ordine ad locũ ſubiacet libertati voluntatis Angelicæ. Cæterũ quia ſubſtantia materialis ratione quantitatis eſt in loco per omnimodam cõmenſurationẽ totius quantitatis cum toto loco, & partium eiuſdem quantitatis cũ partibus loci: propterea debet neceſſariò replere ſemper æqualẽ omninò locũ, hoc ipſo quòd nõ fiat aliqua variatio omninò intrinſeca in ipſa quantitate, ratione cuius vel tollantur, vel addantur illi aliquæ partes, aut abſque additione, & ablatione partium comprimantur, aut dilatentur ratione alicuius intrinſecæ variationis in eiſdem partibus.

Primũ exemplũ quo elucidatur ſolutio.

Poteſtque hoc explicari duplici exemplo. Primũ eſt animæ rationalis, quæ poteſt in formare, nũc minorẽ, poſteà maiorẽ materiã ratione ſuæ intrinſecæ, & ſubſtãtialis perfectionis, abſque eo, quòd hæc perfectio illi augeatur, aut minuatur, & hoc nõ alitnde, niſi quia eſt tota in toto, & tota in qualibet parte. Et propterea, ſi haberet multiplicationem partium, deberet ei correſpondere ſemper tanta materia, quanta eſſet multitudido ſuarum partium, niſi in prædictis partibus eſſet aliqua variatio, ſiue mutatio intrinſeca.

Secundum exemplum.

Secundũ verò exemplũ eſt corporis Chriſti Domini, vt eſt in Euchariſtia, quod quidẽ quia eſt totum ſub totis ſpeciebus, & totum ſub qualibet parte, & indiuiſibili earum: propterea poteſt eſſe aliquando ſub maioribus, aliquando verò ſub minoribus dimenſionibus, ſiue ſpeciebus, poteſtque quoad hoc, ſeu quoad hunc vſum, & (vt ſic dicamus) applicationem ſubdi voluntati cõſecrantis, licèt quoad ſuam ſubſtantiam illi non ſubdatur.

Reſellitur ſolutio prio.

Non itaque hoc refert. Primò quidem. Nam ſicut quantitas molis eſt ſubſtantiæ materialis ratio proxima eſſendi in loco per omnimodam commenſurationem cũ illo, ideſt, quòd tota quantitas, & totalitas in deproueniens ſubſtantiæ correſpondeat toti loco, & pars parti, taliter vt non remaneat aliqua quãtunuis minima pars, cui non correſpondeat ſuus locus: ita etiãſi ſubſtantia Angelica eſſet illi proxima ratio eſſendi in loco propter ſuam perfectionem ſubſtantialem, tunc quia diceret perfectionem ſubſtantialem v. g. vt decem, eſſet ratio exiſtendi in tanto loco, nẽpe in loco proportionato illi perfectioni: & ſi vlteriùs diceret perfectionem vt duodecim, eſſet ratio exiſtendi in maiori loco: taliter, quòd nõ eſſet aſsignabilis aliquis gradus perfectionis in eadem ſubſtantia, ratione cuius non eſſet ratio replendi aliquid loci. Ergo ſicut quia quantitas molis ratione ſuarum partium, & commenſurationis illarũ cum partibus loci, debet replere tantum locum, quantũ prædicta quantitas ratione ſui, & ſuarum partium exigit: ita quia ſubſtantia Angelica cõparata cum loco diuiſibili ratione ſuę perfectionis petit abſolutè loquendo eſſe tota in toto loco, & tota in partibus loci, & deinde ratione gradus maioris perfectionis intra lineam ſubſtãtiæ Angelicæ poſtulat, vt tota ſit in maiori loco, & tota in maioribus partibus loci; non poterit non eſſe hoc modo in tanto loco, quantum tota ſua perfectio exigit; nec in hoc aut in iſto vſu, ſiue applicatione paſsiua libertati voluntatis, Angelicæ ſubiacebit.

Conſequentia patet, tum exparitate rationis: tum etiam, quia ſicut dato, quod ſubſtantia ipſa eſſet abſolutè ratio proxima eſſendi in loco diuiſibili, non poſſet iuxta aduerſariorum ſententiam abſolui ab hoc, quod eſt eſſe in illo abſolutè, & iuxta modum eiuſdem Angelicæ ſubſtantiæ: ſic ſi eadem ſubſtantia ratione alicuius peculiaris gradus ſuæ perfectionis eſt peculiariter ratio exiſtendi in maiori loco, nequibit muariata manente quoad talem perfectionem, abſolui ab hoc, quod eſt replere tantum locum, quantum ratione huius gradus perfectionis exigit.

Secundo.

35 Deinde contra eandẽ ſolutionẽ vrget, nõ eſſe ſufficientẽ rationẽ illã, quæ in ea traditur, nẽpe, ideò Angelũ poſſe per ſuam ſubſtãtiã eſſe rationẽ proximã eſſendi nunc in maiori loco, deinde in minori, quia debet eſſe totus in loco, & totus in quauis parte, & indiuiſibili ipſius. Etenim Deus eſt in loco corporeo totus in toto loco, & totus in qualibet parte illius: & nihilominùs non id circò poteſt nõ eſſe vbiq; aut non replere omnẽ locũ actu creatũ, qui cõtinetur ſub ſphæra ſuæ locabilitatis: ergo quòd aliquid poſsit ſe conſtituere aliquãdo in maiori, aliquãdo in minori loco, prout ipſi libuerit, non prouenit ex eo, quòd ſit totus in toto illo, & totꝰ in qualibet parte eiuſdẽ; ſed id aliũde debet penſari, nẽpe ex eo, quod (vt dubio ſequẽti expendemꝰ) ſit in prædicto loco, vel per operationẽ liberã, qua in eo aliquid producit: & ideò ſicut poſſet non operari in eo, ita etiã eſſet illi integrũ operari aliquãdo in toto illo loco, aliquãdo verò in medietate illius, &c. vt in Angelo cõtingit: vel quia media ſua operatione producit eundẽ locũ, aut aliquid in illo, & per prædictã operationẽ liberã eſt in eo, vt in Deo reſpectu omniũ locorũ accidit: & propterea ſicut poteſt non prò ducere locũ, ita poteſt nõ eſſe in illo, licèt ſemel eo producto, ac proin-

de data iam ratione essendi in illo, debeat in eo esse.

Vltimò retorquetur exemplum primum.

Tandē prędicta solutio potest impugnari ex duobus illis exēplis, quæ pro se affert. Et primò quidē ex primo. Quoniā idcircò anima nostra potest aliquādo informare minorē materiā, vt dū primò actuat corpus pueri, aliquādo verò maiorē, vt dū idē puer crescit; quia per se, & ex natura sua est determinata ad hoc, vt primò actuet minorē materiā, deinde actuādo illā det puero, vt disponat vlterio rē materiā; & eam conuertat in propriā substantiā, & per consequens eadē anima informet maiorē materiā, quā anteà informabat: quod si anima non haberet per se hanc determinationē ad sic diuersimodè informandū, nō posset nō semper, & inuariabiliter æqualē materiā informare. Et propterea ad hanc inę qualē informationē non est necessaria intrinseca variatio in ipsa ratione formali informatiua illius, sed ad summū in actuali informatione eiusdē. Sicuti ècontrà, quia forma cæli habet ex sevim ad informandā totā illam materiam cœli, & non est per se, & ab intrinseco determinata ad hoc, vt pro diuersis tēporibus, diuersisque statibus cœli actuet aliquādo maiorē, aliquando verò minorem materiā additā eidē cœlo: idcircò non potest non secundū cōmunē cursum informare semper æqualē materiā: nec in hoc subditur naturaliter quoad vsum alicui agenti, etiā increato. Ergo cū substantia Angeli non sit per se, & ab intrinseco determinata ad hoc, vt pro diuersis tēporibus sit nunc in minori loco, postea verò in maiori, &c. oportet, vt si ipsa secundū se sit proxima ratio essendi in loco, ne queat esse ratio essendi aliquando in maiori, aliquando verò in minori loco: ac proinde quòd nō subdatur quoad hoc libertati volūtatis Angelicæ, sed debeat esse semper in tanto loco, in quanto ratione suæ substantialis perfectionis potest esse.

Retorquet. secundum exemplum.

36 Et similiter ex secundo exēplo eadem solutio impugnatur. Quoniā propterea corpus Christi Domini potest aliquando esse sub minoribus, aliquando verò sub maioribus dimēsionibus panis, & quoad hunc vsum subditur voluntati cōsecrantis, quia ex institutione Eucharistiæ habetur, quòd sit sub tātis, vel tātis dimensionibus, iuxta quantitatē (vt sic dicamus) substātiæ panis, vel vini, quæ in idē corpus Christi Domini cōuersa est. Et ideò sicut ex vi eiusdē institutionis est in potestate consecrantis signare materiā conuertendā in corpus Christi: ita etiā subditur quodāmodò eiꝰ potestati, quòd sit nunc sub maioribus, nunc sub minoribus dimensionibus. Maximè, quia prædictū corpus Christi Domini, vt est ratio essendi sub illis dimensionibus, habet priùs variari intrinsecè, vel ratione alicuius modi superadditi, vel quia in *esse* termini conuersionis intrinsecè mutatur, vt suo loco explicabimus: ideoque non est mirum, vt ratione istius intrinsecæ mutationis sit iuxta diuersitatem illius ratio essendi diuersimodè sub dimensionibus, ita vt aliquando sub minoribus, aliquando verò sub maioribus contineatur. Ergo cùm hæc, vel similis ratio non inueniatur in substantia Angelica, fit inde, vt si ipsa sit proxima ratio essendi in loco, nequeat esse ratio inæqualiter essendi in illo, sed quòd debeat semper æqualē locū replere, & quod non subdatur quoad prædictum vsum libertati voluntatis.

Confirmāt. omnia dicta.

Confirmātur tādē hæc omnia ex illis, quæ nuper tetigimus. Quoniam id circo iuxta doctrinam D. Tho. dubio sequenti tradendam, Angelus potest esse aliquando in minori, aliquando verò in maiori loco ex ijs, quæ intra sphæram suæ locabilitatis continentur, quia ratio proxima essendi in loco est virtus eius operatiua ad extrà, quæ sicut in actu primo cōsiderata comparatur respectu loci per modum potentiæ omninò liberæ, ita etiam petit per se & ab intrinseco, vt exercitium eius respectu loci sit omninò liberum, & iuxta beneplacitum eiusdem virtutis operatiuæ. At si substantia Angeli secundùm se, & vt præcisa à sua virtute operatiua esset ratio proxima essendi in loco, tunc quatenus esset ratio essendi in illo, non compararetur cum eo per modum virtutis liberę, nec diceret se ipsam, adhuc vt est radicaliter operatiua, radicaliterq; libera, nec exercitium ipsius directè ei correspondens haberet, vt tale, esse quid liberū. Ergo non esset cur Angelus quoad rationem illam essendi in loco, & vsum eius subderetur libertati voluntatis Angelicæ: sicut nec cętera alia exercitia, quæ sunt in Angelo, subdūtur volūtati Angelicę, nisi sint exercitia suarū potentiarū actiuarū, vel ad summū passiuarū.

Obiectio.

37 Nec obest, si cōtra hæc obijcias, quòd personalitas Verbi diuini habet ex se vim proximam ad terminandas plures & diuersas naturas, & nihilominùs quo ad vsum huius terminationis habet quasi subdi voluntati diuinæ: ideòque iuxta beneplacitum eius sōlùm terminat in actu exercito humanitatē Christi Domini: ergo pari ratione licèt substantia Angeli esset proxima ratio essendi in loco, v. g. duarū leucarū: nihilominùs poterit quoad vsum, & applicationem subdi voluntati Angelicę, ita vt intra prędictū spatiū repleat nūc minorem, posteà verò maiorem locum.

Soluitur.

Respondetur, cōcedendo antecedēs, & negando consequentiā. Et ratio disparitatis est. Quoniam personalitas diuina, & quoduis attributū, cui correspondet aliquis effectus ad extrà per se & ab intrinseco petit nō causare illū in actu exercito, nisi iuxta præscriptū diuinæ voluntatis. Nam cùm prædicta personalitas habeat vim ad terminandas plures, &

plu-

plures naturas vſque in infinitum ſyncategorematicè, & tota hæc vis nequeat reduci ad actum, ita vt omninò expleatur, exigit, vt per voluntatẽ diuinã taxetur, ad quot naturas debeat prædictũ exercitiũ terminari. Quæ ratio nõ procedit in Angelo: & ideò ſi eius ſubſtãtia eſt ei ratio proxima eſſendi in loco, nõ eſt cur ex proportione, quæ eſt inter illam, & perſonalitatẽ Verbi, colligatur, eſſe ſubdendã quoad vſum libertati volũtatis Angelicę, ita vt poſſit eſſe ratio eſſendi nũc in maiori, nũc in minori loco, ſed ſemper deberet eſſe in loco æquali: licèt eſſet in poteſtate voluntatis Angelicæ, quòd repleat nunc vnũ locum, poſteà alium æqualem: quia prædicta ſubſtantia non eſt determinata ad eſſendum in hoc dum taxat numero loco.

§. *VI. Sententia oppoſita cum ſuis fundamentis, & ſolutionibus eorum.*

Placitũ contrariorum.

38 SED licèt ſentẽtia D. Thom. & noſtra adeò firmis fundamẽtis innitatur, vt ex dictis conſtat: nihilominùs contra illã extat ſententia aſſerens, rationẽ proximã & immediatã, per quã Angelus fundat præſentiã ad locũ, ſeu vbicationem in illo, eſſe propriã ſubſtantiã Angelicam. Ita Richardus in 1. diſt. 37. art. 2. q. 1. §. *Ideò mihi*, Scotus in 2. diſt. 2. q. 6. §. *Ad quæſtionem*, & §. *Ad propoſitum*, Bonauent. q. 1. art. 1. Gregor. eadẽ diſt. q. 2. art. 2. Gabriel q. 2. art. 2. concluſione 4. Hugo de S. Victore lib. de Sacramentis p. 3. c. 13. Alenſis 2. p. q. 32. mẽbro 1. Molina art. 1. huius q. diſp. 1. membro 5. Suarez diſp. 51. ſuæ Metaphyſicæ ſectione 3. & Peſantius in præſenti diſp. 2. Valentia q. 3. pũcto 2. & alij.

Richard. Scotus. Bonauent. Gregorius. Gabriel. Hugo de S. Victore. Alenſis. Molina. Suarez. Peſantius. Valentia.

Primũ fundamentum.

39 Probatur primò. Nam ſubſtantia Angeli eſt ſe ipſa quantitas virtutis: ergo eſt per ſe ipſam in loco, taliter quòd ipſa ſit ratio proxima exiſtendi in illo. Patet cõſequentia. Nam iuxta noſtram ſententiam ſuprà inſinuatam, & infrà explicandam, ratio exiſtendi in loco rei ſpiritualis debet eſſe quantitas virtutis, ſicut ratio exiſtendi in loco rei corporalis eſt quantitas molis. Antecedẽs autem probatur. Nam quælibet perfectio, maximè ſpiritualis, ſiue ſit accidens, ſiue ſubſtantia (teſte D. Thoma ſuprà q. 42. art. 1. ad 1.) eſt quantitas virtutis: quia ſecundùm illam res ſpiritualis dicitur melior, ſiue maior: & in ijs, quæ non mole magna ſunt, idem eſt maius, quod melius.

D. Thom.

Diluitur.

Reſpondetur, quòd etſi quantitas virtutis aliquando ſumatur pro quantitate perfectionis: attamen quantitas virtutis, quæ eſt idonea ad hoc, vt ſit proxima ratio exiſtendi in loco, eſt idem ac virtus operatiua: quia eius exercitium debet eſſe contactus virtutis, qui nihil eſt aliud, quàm operatio, vt docet Philoſophus 8. Phyſicorum c. 5. & lib. 1. de Generatione c. 6. & D. Thom. 2. contra Gentes c. 56. & 3. contra Gent. c. 68. & in alijs locis dubio ſequenti referendis, vbi etiã reddemº rationẽ, propterquã prædictus contactus debeat eſſe per operationẽ: atque adeò curſola quantitas virtutis, prout eſt idem ac virtus operatiua, ſit Angelo ratio immediata eſſendi in loco.

Philoſoph. D. Thom.

Secũdũ fundamentum.

40 Secundò probatur eadẽ ſententia. Quoniam ſubſtantia materialis poteſt per ſe, & ratione ſui eſſe ſibi immediata ratio exiſtendi in loco, ſeu habẽdi vbicationẽ in illo: ergo ea dẽ ratione ſubſtãtia Angelica poterit eſſe Angelo immediata ratio eſſendi in loco. Conſequentia patet ex paritate rationis. Antecedẽs autem probatur. Nam ſi Deus ab aqua exiſtente in vaſe auferret quantitatem, tunc ſubſtantia illa aquæ maneret in eodem loco, nẽpe intra vas: tum, quia cùm permaneret in rerum natura, & non eſſet extra prædictũ vas, deberet vtique eſſe intra illud: tum etiã, quia ſi Deus ſuſpenderet illud miraculum, & relinqueret aquam ſuæ naturæ, reſultaret quantitas ex aquæ ſubſtantia intra vas, intra quod ante ablationem prædictæ quantitatis erat: ergo ſignum eſt, ſubſtantiam aquæ ibidem permanſiſſe: alioqui nõ eſſet ratio, cur potiùs intra vas, quàm alibi talis quantitas reſultaret.

Diſſoluitur

Reſpondetur negando antecedens. Et ad probationẽ negari etiam debet antecedens. Nã ſicut ablata albedine à ſubſtantia, nequit manere ibidem ratio diſgregandi viſum, aut ratio fundandi ſimilitudinem in albedine: ita etiam ablata quantitate à ſubſtantia materiali, quæ eſt ei ratio proxima exiſtendi in loco, nequit manere cum potentia proxima ad eſſendum in illo: ac proinde neque in loco.

Nec obeſt prima probatio. Quia in eo euẽtu aqua illa nullibi maneret tanquam in loco, & ideò nec maneret vt intra vas, neque extra vas, ſed nullum diceret ordinem poſitiuum, & proximũ ad locum: ac proinde ſolũ eſſet in potentia radicali & remota ad eſſendum in illo. Vnde, licèt rectè argueretur de illa aqua, quòd ſi alicubi maneret vt in loco, & non eſſet extra vas, quòd deberet permanere intra illud, non tamen ſi ſemel datur (vt dari debet propter rationes factas) prædictam aquam nullibi vt in loco permanere.

41 Nec etiam obeſt ſecunda probatio eiuſdem antecedentis. Nam etſi relicta illa aqua ſuæ naturę, tunc reſultaret quantitas ex ſubſtantia aquæ intra vas: hoc tamen non ideò contingeret, quia dũ erat ſine quantitate, eſſet ibidem ſicut in loco, ſiue quia eſſet indiſtans poſitiue ab illo vaſe, potiùs quàm ab aliquo alio loco (ſiquidẽ, vt dicebamus, nullibi remaneret vt in loco in toto hoc vniuerſo, quãuis eſſet in illo vt pars in toto) ſed quia ad prędictũ effectum ſatis eſt, quòd immediatè ante ablationem illam miraculoſam quantitatis, fuerit intra prædictum vas. Nam ſicut ſubſtantia illa ſuæ naturæ relicta exigit, vt recuperet quantitatem per naturalem reſultan-

tiam: ita exigit, quòd recuperet præsentiam, & vbicationem ad locum illum, quem anteà replebat, ex eo, quòd sicut recuperata quantitate recuperantur alia accidentia, quæ anteà præerant, sic etiam & vbicatio.

Vnde fit, quòd si hæc in substantia materiali contingerent, multò meliùs in substãtia spirituali, & Angelica, quæ ob sui eminẽtiam est independens à loco, & pro beneplacito suæ voluntatis, ac ratione suæ operationis est in illo, hoc ipsum (seruata tamen proportione, & distinctione cuiuis ex his substãtijs debita) reperietur. Et ideò si solùm consideretur secundùm id, quod habet ratione suæ substantiæ, & absque omni operatione circa locum, tunc nullibi remanebit, sed solũ habebit indistantiam quandam negatiuam ad omnem locum, ideſt, non magis dicet ordinem, aut quasi ordinem propinquitatis, aut indistantiæ ad hunc locum, quàm ad illum, & ob suam eminentiam non exiget (adhuc remotè, nec radicaliter) quòd si constituat se nullibi, & posteà operetur, & sit in loco, debeat se collocare in illo eodem, in quo anteà erat, antequam se à loco absolueret: quia potest operari vbi voluerit, & ibi suam substantiam per illam operationem immediatam immediatione virtutis, & suppositi collocare: ex eo, quòd operatio prædicta trahit secum vnitam, & veluti affixam propriam substantiam Angeli: cuius oppositum, vt diximus, in exemplo allato aquæ cõtingit, & hoc ob sui limitationem, & remotam, ac radicalem cõmensurationem sui cum loco, nec non & ob radicalem dependẽtiam, quam à loco habet: quanuis prædicta aqua formaliter & proximè non habeat; vnde magis respiciat illud vas vt locum, quàm aliquod aliud corpus, sed solùm esse ex se radicem quantitatis, quæ respiciebat prædictum locum quæque hoc ipso quòd miraculum illud suspendatur, & substãtię restituatur, habebit propter rationem dictam esse rationem essendi in illo vase, potiꝰ quàm in alio loco.

Obiect. Molinę. Quare contra hęc nihil oberit id, quod obijcit Molina, nempe non satis capere intellectum, quòd Angelus, eo ipso quòd omninò subtrahat applicationem suæ virtutis ad locum existeret in rerum natura, & non esset alicubi: sicut etiam non capit, quòd aqua illa maneat in rerum natura, & non alicubi. Non igitur hoc obest, quoniam etsi nos difficulter id capiamus, si sequamur imaginationis ductum, quia imaginatio continuum non trãscendit, & pro hoc statu intelligimus res spirituales admodum rerum corporalium, & habentium quantitatem: nihilominùs corrigẽdo imaginationem propter rationes factas, debemus iudicare, Angelum præcisè per suã substantiam non habere, quòd sit alicubi. Sicut licèt non sit imaginabile corpus, nisi imaginemur illud sub aliqua figura: nihilominùs per intellectum capitur, posse diuinitus dari prædictum corpus. Quare Angelicus Præceptor attendẽs ad rationem existendi Angeli in loco independentem ab illo, ac proinde potentem absolui ab eodem loco, & simul prævidens hoc non posse imaginatione nostra capi: idcircò ne hinc seducti crederemus, Angelum non posse manere in rerum natura, seu extra suas causas, quin alicubi sicut in loco maneat, sic in 1. dist. 37. q. 3. art. 1. in solutione ad 4. inquit: *Dicendum, quòd hoc non reputo inconueniens, quòd Angelus sine loco possit esse, & non in loco, quando nullam operationem circa locum habet. Nec est inconueniens, vt tunc nusquam, vel in nullo loco esse dicatur. Sicut etiam non est inconueniens, quòd nullo colore coloratus dicatur. Sed hoc tamen non est imaginabile: quia imaginatio continuum nõ transcendit.* *Angelicus Præceptor*

42 Tertiò probatur eadem sententia. Quoniam substantia Angeli secundùm se, & seclusso quocunque alio ad lineam substãtiæ spectante, habet esse finitam & limitatam, & existit actu in rerum natura: ergo existit alicubi, sicut in loco certo & determinato: ac proinde erit Angelo sufficiens, & proxima ratio existendi in loco. Hæc vltima consequentia non indiget probatione. Prima verò suadetur ex eo, quòd quicquid actu existit, debet existere vbique, aut existere in loco certo & definito: ergo cùm substantia Angeli modo dicto sumpta non existat vbique, alioqui non esset finita & limitata, oportet, vt existat in aliquo certo & determinato loco. Tertium fundamentum.

Confirmatur primò. Quoniam substantia Angeli modo dicto accepta habet finitatem & limitationem oppositam infinitati diuinæ immensitatis: ergo erit in aliquo certo & determinato loco: & per consequens ipsa erit proxima ratio existendi in illo. Antecedens videtur perspicuum. Prima verò consequentia ex antecedenti deducitur. Nam sicut substantia Dei propter infinitatem suæ immensitatis est in omni loco, sic substantia Angelica propter oppositam limitationem erit in loco certo & determinato. Confirm. 1.

Confirmatur secundò. Nam hoc ipso, quòd substantia Angeli ita sumpta, seu seclusso omni alio non pertinente ad lineam substantiæ, existat à parte rei, debet vel existere semper, hoc est in omni tempore, siue vero, siue imaginario, vel in aliquo tempore definito & determinato. Et quia ratione suæ limitationis non existit in omni tempore, optimè inde deducitur existere in aliquo. Ergo eadẽ ratione, hoc ipso, quòd prædicta substantia ita sumpta existat actu à parte rei, oportebit, vt existat, vel vbique, vel in aliquo loco certo & determinato. Cumque ratione suæ limitationis non existat vbique, debebit Confirm. 2.

Solutio.

in

in prædicto loco determinato existere.

Respondetur ad fundamentum.

43 Respondetur distinguendo antecedens, & concedendo illud de finitate & limitatione, quæ fit per terminos essentiæ præcisè; negando verò ipsum de finitate & limitatione facta per terminos loci. Nam (vt dubio sequenti expendemus) sè clausa ab Angelo virtute proxima operatiua, non est proximè locabilis, sed tantùm remotè: ac proinde non est proximè finibilis & limitabilis terminis loci, sed tantum modò remotè & radicaliter. Et ita neganda est vtraque cõsequentia: quia, vt esset legitima, deberet antecedens esse verum in posteriori sensu. Et ad probationem antecedentis patet ex nuper dictis. Nam adhuc dato, non tamen concesso, quòd vniuersaliter loquendo id, quod actu existit, necesse sit, vt existat, vel alicubi, vel vbique, debet intelligi de eo, quod existit cum omnibus rationibus sibi debitis, inter quas computatur in Angelis virtus operatiua, & in substantia materiali quantitas molis. Et ita sumpto Angelo sine hac virtute operatiua, & substantia materiali siue quantitate molis, tunc licèt actu existerent, non tamen existerent alicubi, vel in loco determinato: quia hæc duo non sunt immediatè oppositа respectu substantiæ sumptæ præcisè quoad ea, quæ pertinent ad lineam substantiæ, & sine prædictis quantitatibus virtutis, aut molis: imò adhuc respectu earundem substantiarum cum prædictis quantitatibus non sunt immediatè oppositа, nisi addatur contactus, vel quantitatis molis, vel quantitatis virtutis, nempe operatio. Et propterea fidaretur substantia materialis, quę non contingeret aliquod aliud corpus, tunc esset in rerum natura, & secundùm se totam non esset actu alicubi, vt de prima sphæra recte expendunt nostri Complutenses in lib. Physicorum disput. 19. n. 43.

N. Compl.

Ad primam confirmationem.

Ad primam confirmationem negandum est antecedens, si intelligatur de finitate & limitatione in ordine ad locum formali & proxima, vt distinguitur à radicali, & de positiua, vt distinguitur à negatiua, dicitque proximũ ordinem ad hunc locum determinatum, potiùs quàm ad illum. Quoniam substantia Angeli ita sumpta tantùm radicaliter habet hanc limitationem, in quantum est radix suæ virtutis operatiuæ, receptiuæ & operationis, ratione quarum habet formalem, & positiuam limitationem in ordine ad locum; quamuis sine istis possit dici esse finitam negatiue, idest, non pertingens ad hoc, quòd habeat infinitatem immensitatis.

Ad secundã

Ad secundam confirmationem negandum est antecedens, si intelligatur de existentia formali in omni tempore, siue coexistentia illi, aut si intelligatur de coexistentia alicui certæ & determinatæ parti illius, secùs verò de existentia radicali & remota tantummodo. Nam sicut ratio proxima fundãs hoc, quod est esse alicubi, seu vbicationem, est in Angelo quantitas virtutis: sic ratio proxima huius, quod est coexistere tempori, est duratio intrinseca reperta in Angelo, quæ distinguitur realiter ab eius substantia, ab eiusque substantiali existentia. Et ideò hac duratione remota, existet Angelus in rerum natura, non tamen coexistet formaliter toti tempori, aut parti temporis. Quemadmodum si daremus, separari ab Angelo suum æuum, tunc sua substantia non haberet formaliter durare, sed solùm remote & radicaliter. Vtrùm autem ex hoc, quòd Angelus coexistat tempori, sequatur esse in illo accidens aliud, nempe prædicamentum *quando*? ex iam dictis constat.

DVBIVM III.

Quæ sit Angelo ratio formalis & proxima existendi in loco corporeo?

Animaduersio.

44 PRO tituli intelligentia recolenda sunt primò, ea quæ ad explicationem tituli dubij præcedentis diximus: quoniam eodem modo vterque intelligendus est. Deinde animaduertendum est, posse fieri sermonem de ratione formali existendi in loco in actu primo præcisè considerata, vel de eadẽ sumpta in actu secundo, seu de exercitio & determinatione prædictę rationis formalis. Et similiter possemus loqui, tum de ratione formali existendi in loco connaturali Angelo, idest, quæ sit iuxta aliquam inclinationem elicitam à voluntate Angelica, vt congit, dum Angelus per suam voluntatem & libere se applicat ad aliquem determinatum locum, & actiue se in illo collocat, tunc enim prædictus locus dicitur connaturalis Angelo: ex eo quòd est iuxta inclinationem illam elicitam, & liberam suæ voluntatis: quemadmodum lapis dicitur esse in centro, vt in loco connaturali, ex eo quòd prædictus locus est iuxta naturalem inclinationem eiusdem lapidis.

Tum etiam de prædicta ratione formali existendi in loco violento, aut quasi violento, vel præternaturali, vt accidit, dum Angelus contra aliquam inclinationem elicitam detinetur in loco, tunc enim violenter dicitur esse in illo; vel cùm non est in eo modo sibi connaturali, idest, subdendo locum sibi tanquam quid inferius, sed potiùs quodammodò

dò subdendo se illi: qui quidem modus essendi in loco est saltem præternaturalis Angelo. Titulus ergo tam de ratione formali immediata & proxima existendi in loco, considerata in actu primo, quàm in actu secundo, seu tam de prædicta ratione formali, quàm de exercitio illius intelligitur: non tamen debet intelligi, tam de ratione formali immediata & proxima existendi in loco connaturali, quàm existendi in loco violento, sed solùm de illa priori: quia de hac posteriori sequenti dubio agetur.

§. I. *Decisio dubij.*

Resolutio dubij.

45 Dicendum ergo est primò, rationem formalem in actu primo proximam & immediatam essendi in loco connaturali, seu proximè & immediatè fundantem vbicationem in prædicto loco, esse quantitatem virtutis Angelicam, idest, virtutem eius proximè & immediatè operatiuam, rationem verò proximam in actu secundo, seu actuale exercitium prædictæ rationis formalis in actu primo consideratæ, esse contactum quantitatis virtutis, idest actualè operationem, virtualiter saltem transeuntem in locum: ac proinde integram rationem formalem, actu exercentem suum munus fundandi prædictam vbicationem, esse quantitatem virtutis Angelicæ, contingentem contactu virtuali, seu per suam operationem virtualiter saltem transeuntem ipsum locum.

Explicatur assertio.

Explicatur assertio. Etenim, sicut in rebus corporalibus datur ratio radicalis & remota essendi in loco, quæ nihil est aliud, quàm ipsa substantia, siue essentia corporis, & insuper id, quod est in loco *vt quod*, nempe ipsum corpus per se subsistens, & deinde id, quo proximè prædictum corpus tanquam per rationem formalem proximè fundat vbicationem in loco circunscriptiuo, per quamque est proximè capax essendi in illo, & hæc ratio formalis in actu primo sumpta est quantitas molis: & præterea datur ibidem ratio formalis in actu secundo consideratà, seu (quod in idem quoad præsens redit) exercitium prædictæ rationis formalis, scilicet quantitatis molis, & hoc est contactus ille immediatus, quo quantitas immediatè tangit *vt quo* locum & applicatur immediatè illi: & tandem posito hoc integro fundamento, statim subsequitur ipsa vbicatio in loco. Ita ergo in Angelo, qui per analogiam, aut quasi analogiam ad corpus est in loco, ex eo quòd (vt dubio 1. huius disputationis dicebamus) est in illo abusiuè & metaphoricè, datur aliquid existens in loco *vt quod*, necnon ratio radicalis & remota essendi in illo, nempe propria substantia Angelica, quæ secundùm se sumpta est Angelo ratio radicalis essendi in loco, & vt est in se, & per se subsistens, est in loco *vt quod*. Et deinde reperitur ibidem, id, quo Angelus immediatè & proximè redditur capax vbicationis in loco, seu immediatè fundat illam: & hæc est sua quantitas, nempe quantitas virtutis, per quam contingit locum, idest sua virtus operatiua: ex eo quòd non est capax alterius quantitatis, nempe quantitatis molis. Et præterea inuenitur ibi ratio formalis in actu secundo, seu exercitium rationis formalis modò dicto, nempe, actualis contactus quantitatis virtutis, per quem Angelus actu tangit locum: qui quidem actualis contactus nihil est aliud, quàm operatio Angelica, virtualiter saltem transiens: & hæc insignitur nomine rationis formalis in actu secundo existendi in loco: quia per illam habet quantitas virtutis Angelicæ, vt in actu secundo exerceat vim, quam retinet ad tribuendum substantiæ Angelicæ, quòd immediatè & proximè fundet vbicationem in loco. Et tandem hoc integro fundamento posito, statim subsequitur actualis vbicatio, seu ipsum esse actu in loco.

§. II. *Præcedens dubij decisio elegantibus D. Thomæ testimonijs fulcitur.*

Elegãtia testimonij D. Thom. pro assertione.

46 Assertio hæc sic explicata est D. Thomæ quodlibeto 1. art. 4. his verbis: *Dicendũ quòd qualiter Angelus sit in loco corporeo, considerari potest ex modo, quo corpus est in loco. Est enim corpus in loco per contactum loci: contactus autem corporis est per quantitatem dimensiuam, quæ in Angelo non inuenitur, cùm sit incorporeus: sed loco eius est in eo quantitas virtualis. Sicut ergo corpus est in loco per contactum dimensiuæ quantitatis: ita Angelus est in loco per contactum virtutis. Siquis autem velit virtutis contactum operationem vocare, propter hoc quòd operari est proprius effectus virtutis, dicatur, quòd Angelus est in loco per operationem.* Vbi (vt constat) assignat Angelicus Præceptor Angelo rationem formalem & proximam essendi in loco illi connaturali: quia loquitur de loco, quem per propriam operationem, atque adeò iuxta inclinationem liberam voluntatis habet: & hanc rationem formalem explicat per analogiam, aut quasi analogiam ad rationem formalem, quę est in corporibus. Et sicut prædictam rationem formalem essendi in actu primo in loco, seu fundandi vbicationem, inquit, in corporibus esse quantitatem molis: ita in Angelo quantitatem virtutis. Et quemadmodum exercitium huius rationis formalis in corporibꝰ, ait, esse cõtactũ quãtitatis molis: sic etiã in Angelo exercitium suę rationis formalis, nimirum quantitatis virtutis, esse contactum virtutis, nempe operationem.

Idem

Idem etiam docuit Angelicus Præceptor in hac q. art. 1. vbi ſic inquit: *Dicendum, quòd Angelo conuenit eſſe in loco: aquinocè tamen dicitur Angelus eſſe in loco, & corpus. Corpus enim eſt in loco per hoc, quòd applicatur loco ſecundùm contactum dimenſiuæ quantitatis, quæ quidem in Angelis non eſt, ſed eſt in eis quantitas virtualis. Per applicationem igitur virtutis Angelicæ ad aliquem locum qualitercumque, dicitur Angelus eſſe in loco corporeo.* In quibus verbis ſatis expreſsit D. Thomas, quomodo in corporibus ratio formalis & proxima eſſendi in loco, ſeu fundandi vbicationem, in actu primo conſiderata, ſit quantitas molis; & exercitium prædictæ rationis formalis ſit cõtactus, ſeu applicatio eiuſdem quantitatis ad locum: ſiquidem inquit, quòd corpus eſt in loco per hoc, quòd applicatur loco ſecundùm contactum dimenſiuæ quantitatis. Sicut dum dicitur animam v. g. eſſe in corpore, & viuificare illud, ſecundũ quòd per informationem, & vnionem cum eo applicatur ipſi, denotatur, quòd anima eſt ratio formalis in actu primo eſſendi in corpore, & viuificandi ipſum, & quòd vnio ac informatio eſt exercitium talis rationis formalis. Et ſimiliter in eiſdem verbis ſatis innuit idem Angelicus Præceptor, quomodo etiam in Angelo eodem proportionali modo ratio formalis & proxima fundandi vbicationem ſit ſua quantitas virtutis, & exercitium illius ſit applicatio prædictæ quantitatis virtutis, nimirum, operatio illius virtualiter ſaltem tranſiens ad locum.

Eandem etiam aſſertionem tenet idem S. Doctor in 1. diſt. 37. q. 3. art. 1. his verbis: *Quòd aliquid determinetur ad locum aliquem, hoc non eſt, niſi inquantum per aliquem modum applicatur ad locum illum, & non ad alium. Hæc autem applicatio vel intelligitur ſecundùm ſitum, aut contactum, vel ſecundùm formam, vel ſecundùm operationem aliquam. Secũdùm formam, ſicut anima eſt in corpore: quo modo Angelus in re locali eſſe non poteſt, cùm non ſit actus corporis. Secundùm determinatum ſitum, ſicut punctum in linea, quam determinat: quo modo Angelus in loco non eſt: quia eſſentia eius omnino à ſitu abſoluta eſt. Secundùm contactum, ſicut in loco eſt corpus. Contactus autem dicitur dupliciter, propriè, & metaphoricè. Propriè eſt tangere, habere vltima ſimul: & patet, quòd hoc Angelo conuenire non poteſt. Tactus autem metaphoricus eſt per actionem, ſicut dicitur cõtriſtans tangere: & iſte tactus Angelo poteſt conuenire. Relinquitur ergo, quòd Angelus definiri, vel determinari nõ poteſt ad locũ aliquẽ, niſi per actionẽ, & operationem. Et iſta eſt tertia opinio, quæ ponit, Angelum eſſe in loco, in quantum alicui loco per operationem applicatur. Et ideò hanc opinionem ſequendo, quæ rationabilior videtur, dico, quòd Angelus, & quælibet ſubſtantia incorporea non poteſt eſſe in corpore, vel in loco, niſi per operationem, quæ effectum aliquem in eo cauſat.*

Idem etiam tuetur Angelicus Præceptor 3. contra Gent. c. 68. ratione 1. his verbis: *Omne, quod eſt in loco, vel in re quacunque, aliquomodo contingit ipſam. Res enim corporea eſt in aliquo, ſicut in loco ſecundùm contactum quantitatis dimenſiuæ: res autem incorporea in aliquo eſſe dicitur ſecundùm contactum virtutis, cùm careat dimenſiua quantitate. Sic igitur ſe habet res incorporea ad hoc, quòd ſit in aliquo per virtutem ſuam, ſicut ſe habet res corporea ad hoc, quòd ſit in aliquo per quantitatem dimenſiuam.* Et tandem hoc ipſum docuit idem S. Doctor in pluribus alijs locis, vt in 1. ad Annibaldum diſt. 37. q. 3. art. 1. de Potẽtia q. 13. art. 19. & quodlibeto 11. art. 1. nec non in hac q. art. 2. & 3.

§. III. *Effugia aliquorum ad teſtimonia iſta D. Thomæ, & præcluſiones eorum.*

47 VNde nihil obeſt id, quod aliqui ex aduerſarijs reſpondet ad hæc teſtimonia D. Thomæ, nimirum, quòd nomine contactus virtutis, vel applicationis ſuæ quantitatis virtutis ad locum non intelligit operationem: ac proinde nec ſentit, virtutem operatiuam eſſe quantitatem virtutis, per quam Angelus contingit locum: ſed tantùm ſignificauit nomine prædicti contactus vnionem perfectionis ſubſtantialis Angelicæ cum loco, quę fit per immediatam iuxta poſitionem ipſius ad prædictum locum. Aduerſariorum euaſio.

Ex dictis igitur hæc euaſio corruit. Nam (vt ex 1. teſtimonio deſumpto ex quodlibeto 1. art. 4. conſtat) Angelicus Doctor ſatis ibidem expreſsit, quid nomine contactus virtutis intelligat, dum inquit: *Siquis autem velit virtutis contactum operationẽ vocare, propter hoc quòd operari eſt proprius effectus virtutis, dicatur, quòd Angelus eſt in loco per operationem.* Vbi etiam ſufficienter explicuit, quo modo nomine quantitatis virtutis intelligat virtutem operatiuam Angeli: ſiquidem inquit, quòd operari eſt proprius effectus virtutis, ſeu quantitatis virtutis, per quam dixerat Angelum eſſe in loco. Et ſimiliter ex teſtimonio adducto ex 1. Sẽtent. diſt. 37. efficaciter hoc ipſum conuincitur: quãdoquidem poſtquam dixit, Angelum non niſi per quantitatem virtutis eſſe in loco, ſtatim in eo cõcludit: *Relinquitur ergo, quod Angelus non poteſt determinari ad locum, niſi per actionem.* Et 2. contra Gent. c. 56. inquit expreſsè, non poſſe ſubſtantiam ſpiritualem vniri corpori alio contactu, quàm per operationem: & ſubdit, quòd hoc genus contactus appellatur Impugnatio.

contactus

contactus virtutis. Et art. 3. huius q. probat, plures Angelos non posse esse in vno & eodem loco: ex eo quòd non possunt dari plures causæ efficientes, & totales, atque eiusdē ordinis respectu vnius & eiusdem operationis, & effectus: sicut (vt in eodem art. in argumento *sed contra*, testatur idem S. Doctor) non possunt dari plures causæ formales respectu vnius & eiusdem effectus formalis. Si autem Angelus iuxta mentem D. Thomæ non esset in loco per suam potentiam operatiuam actu operantem, & nomine contactus virtutis, per quem, inquit, Angelum esse in loco, non intelligeret operationem, non reddidisset congruam rationem ad ostendendū, plures Angelos non posse esse simul in vno & eodem loco, ex eo quòd nequeunt in illo simul vnam & eandem operationem elicere.

Aliud ex Caietano effugium.

48 Ex quo etiam fit, manere excluſam solutionem aliam, quæ ex doctrina Caietani potest adduci, nimirum, mentem Angelici Præceptoris tantùm esse, quòd sufficit ad hoc, vt Angelus sit in loco, applicatio suæ virtutis ad operandum, absque aliqua tamē operatione, adhuc virtualiter trāseunte in ipsum locum. Elicitur. Ex dictis igitur constat, hanc solutionem manere excluſam. Tum, quia applicatio virtutis ad operandum, iuxta mentē D. Thomæ, nihil est aliud quoad præsens, quàm ipsa actualis operatio: & propterea postquam Angelicus Præceptor loco citato ex 1. Sentent. dist. 37. dixit, quòd aliquid determinari ad locum aliquem, non est, nisi in quantum per aliquem modum applicatur ad locum illum, & non ad alium; & quod hæc applicatio vel intelligitur secundùm situm, aut contactum, aut secundùm formam, vel secundùm operationem aliquam, concludit, Angelum non esse in loco, nisi in quantum alicui loco per operationem applicatur.

Tum etiam. Quoniam loco citato ex quodlibeto 1. art. 4. apertè fatetur S. Doctor, priùs esse Angelum operari in locum, quàm esse in illo: ex eo quòd est in loco, quia operatur in illo: & ita per applicationem virtutis, per quam inquit esse in loco, apertè intelligit virtutem operatiuam, vnà cum sua operatione. Tum denique. Quia nomine applicationis virtutis absque actuali operatione in locum, tantùm intelligitur iuxta sententiam Caietani, vt in hoc eodem dubio dicemus, quòd Angelus cognoscat practicè, quòd debeat circa aliquid operari, & quòd non habeat virtutem alibi impeditam, & cætera alia infrà referenda, quę intimè includuntur in hoc, quòd Angelus sit deputatus ad custodiam alicuius, cùm tamen in illum nihil operetur, quandoquidem hoc ipso habet virtutem suam deputatam & applicatam ad operandum in locum: at hęc nō sufficere ad hoc, vt Angelus ratione illorum absque operatione in locum dicatur esse in illo, videtur expressè affirmari à D. Thoma in hac 1. p. q. 113. art. 6. ad 3. vbi sic inquit: *Dicendum, quòd Angelus etsi interdum derelinquat hominem loco; non tamen derelinquit eum quantum ad effectum custodiæ: quia etiam cùm est in cœlo, cognoscit, quid circa hominem agatur: nec indiget mora temporis ad motum localem, sed statim potest adesse.*

Alia euasio

49 Nec tandem obest, si aliter occurras ad hæc testimonia dicens, ex eis tantùm haberi, Angelum esse in loco per contactum suæ virtutis, seu per suam operationem virtualiter saltem transeuntē, & per consequens, quòd prædicta operatio sit Angelo ratio formalis essendi in loco, non tamen quòd virtus operatiua Angeli sit illi ratio formalis immediata & proxima essendi in loco, seu fundandi vbicationem. Refellitur. Ex dictis igitur constat, hanc euasionem nihil obesse. Nam sicut hoc ipso quòd dicatur, formam substantialē, v. g. animam nostram, esse in corpore per suam informationem, seu vnionem cum illo, ibidem inuoluitur, quòd ratio formalis essendi in prædicto corpore in actu primo considerata sit ipsa anima, & quòd informatio tantùm est ratio formalis in actu secundo, seu exercitium & determinatio virtutis informatiuæ, quæ est in anima: ex eo quòd prædicta informatio nihil est aliud, quàm exercitium virtutis informatiuæ residentis in anima. Ita etiam hoc ipso quòd dicatur, Angelum esse in loco per contactū suæ quantitatis virtutis, ideſt suæ virtutis operatiuæ, ibidem necessariò inuoluitur, & asseritur, illum esse in loco per suam quantitatem virtutis, ideſt per suam virtutem operatiuam, tanquam per rationem formalem in actu primo consideratam, & per operationem tanquam per rationem formalem in actu secundo sumptam, seu tanquam per exercitium prædictæ rationis formalis, tribuens illi, quòd actu & in exercitio sit ratio Angelo essendi in loco: ex eo quòd prædicta operatio est exercitium directè correspondens rationi formali iam explicatæ, nempe quantitati virtutis.

Capreol. Ferrara. Hieronymus Rua. Zumel. Gonzalez Bañez. Henricus Gedofred. Ægidius. Picus Mirandulan. Tho. Ang. Herbeus. Ioā. Parisiensis.

Vnde sententiam hanc sequuntur Capreolus in 2. dist. 2. q. 1. Ferrara 3. contra Gentes cap. 68. Hieronymus Rua controuersia 3. Scholastica de Angelis, Zumel in hac q. art. 1. in sua q. 4. conclusione 4. Gonzalez in hac 1. part. disput. 16. Bañez, & plures alij ex discipulis D. Thomæ. Et pro eadem etiam referuntur Henricus quodlibeto 2. q. 9. & quodlibeto 4. q. 17. Godofredus quodlibeto 9. q. 4. Ægidius in 1. distin. 37. q. 1. §. *Hac igitur duo*, Picus Mirandulanus, referens pro eā Thomam Anglicum, Herbeum, Ioannem Parisiensem, & alios.

§. IIII. *Ratio prior aſſertionis, & deciſionis dubij, ex eodem Angelico Doctore deprompta.*

Ratio prior aſſertionis ex D. Thoma delumpta.

50 RAtio autem prior, & fundamentalis huius aſſertionis depromitur ex Diuo Thoma locis citatis, poteſtque ſub hac forma proponi. Quoniam id debet eſſe Angelo ratio formalis proxima, & immediata in actu primo eſſendi in loco, ſeu fundandi proximè vbicationem in illo, per quod habet in actu primo tangere ipſum locum. Et ſimiliter id erit Angelo ratio formalis in actu ſecũdo fundandi proximè vbicationẽ, ſeu id erit exercitium prædictę rationis formalis, quod habet rationem actualis contactus Angeli ad locum. Sed quantitas virtutis, ſeu virtus operatiua illius in locum, eſt ratio formalis in actu primo, à qua habet Angelus vim proximã & immediatam in actu primo ad tangendum locum: & operatio virtualiter ſaltem tranſiẽs elicita à prædicta quãtitate virtutis habet rationem actualis cõtactus virtutis reſpectu Angeli ad locum. Ergo ratio formalis in actu primo fundans proximè in Angelo vbicationem, erit ſua quantitas virtutis, ſeu virtus operatiua: & ratio formalis in actu ſecundo fundans proximè eandem vbicationem, ſeu exercitium prædictæ rationis formalis, & determinatio illius fundans prædictã vbicationẽ, erit operatio Angelica virtualiter ſaltẽ tranſiens correſpondens ſuæ quantitati virtutis.

Maior huiꝰ ſyllogiſmi videtur perſpicua. Tum, quia apertè conſtat in ratione formali, tam in actu primo, quam in actu ſecundo cõſiderata, reperta in corporibus, nempe in quãtitate molis: quæquidem eſt ratio formalis in actu primo, fundans proximè vbicationem in loco circunſcriptiuo: ex eo quòd eſt in actu primo ratio formalis tangendi locum; & id, quod eſt exercitium huius rationis formalis, nihil eſt aliud, quàm ipſe contactus eiuſdem quantitatis molis. Tum etiam, quia fundare proximè vbicationem in aliquo loco, nihil eſt aliud, quàm tangere illum: & ita eo modo quo aliquid fuerit ratio tangendi locum, & per huiusmodi contactum vniendi ſe illi, erit ratio fundãdi vbicationẽ,: & per conſequens, quod habuerit eſſe in actu primo rationem immediatam tangendi locum, habebit etiam eodem modo eſſe rationem immediatam fundandi vbicationem: & quod fuerit ipſum exercitium tangendi eundem locũ, ſeu ipſe actualis contactus loci, erit etiam ipſum exercitiũ rationis formalis fundandi proximè vbicationem.

Minor verò eiuſdem primi ſyllogiſmi quoad primam eius partem, videlicet, quòd ratio formalis proxima in actu primo, à qua habet Angelus vim dicendum immediatè locum, ſit ſua quantitas virtutis, ſeu ſua virtus operatiua in locum, ſi radetur ex eo, quòd ratio ſic tangendi locum, debeat eſſe aliqua quantitas reſidens in locato. Cumque in Angelo nõ ſit quantitas molis, à qua habeat hãc vim tangendi, oportet, vt quantitas virtutis, quæ eſt in Angelo, nimirum ſua virtus operatiua ſit ei ratio tangendi hoc modo locum: ſi quidem (vt ex iam dictis conſtat, & ex ſtatim dicendis ampliùs patebit) non eſt in eo alia quantitas, quæ poſſit illi eſſe ratio in actu primo tangendi immediatè locum.

51 Ex quo etiam eadem minor quoad ſecundam eius partem, nimirum, quòd operatio virtualiter ſaltem tranſiens elicita à quãtitate virtutis Angelicæ ſit actualis contactus virtutis, quo Angelus tangit locum, ſatis apertè colligitur. Tum, quia hoc ipſo, quòd virtus tactiua Angeli reſpectu loci ſit ipſa eius virtus operatiua in eundem locum, oportet, vt exercitium huius virtutis operatiuæ ſit exercitium eiuſdem virtutis tactiuæ: ac proinde ſit ipſe actualis contactus, qui eſt exercitiũ talis virtutis tactiuæ. Cumque operatio virtualiter ſaltem tranſiens ſit exercitium prædictæ virtutis operatiuæ, inde eſt, vt ipſa ſit exercitium eiuſdem, vt rationis formalis tangẽdi ipſeque actualis contactus. Tum etiam. Quia contactus, & vis tangendi debent pertinere ad eundem ordinem, ad eãdemque lineam integram & completam per modum actus primi, & ſecundi, ſcilicet, vel ad ordinem & lineã eſſendi, vel ad ordinem & lineam operandi. Et ita ſi ſemel vis tactiua pertinet ad ordinẽ & lineam operandi per modum actus primi, & perconſequens per modum virtutis operatiuæ: fit inde, vt ipſe actualis contactus ſpectet ad eundem ordinem & lineam per modum actus ſecundi, atque adeò per modũ operationis.

Tum præterea. Nam ex eo quòd quantitas molis, vt ſpectat ad ordinem eſſendi, non verò ad ordinem operandi, habet in actu primo eſſe rationem proximam tangẽdi locum, quatenus vltima eius poſſunt eſſe ſimul cum vltimis loci: idcircò actualis contactus quãtitatis molis pertinet ad ordinem eſſendi per modum veluti actus ſecundi, non verò ad ordinem operandi, ſed tantum dicit, quod vltima quantitatis ſint ſimul actu, & in exercitio cum vltimis loci: ergo è cõtrà quoties virtus tangendi pertinuerit ad ordinem operandi per modum actus primi, toties ipſe actualis contactus ſpectabit ad eundem ordinem per modum actus ſecundi, ac proinde per modũ actualis operationis.

Tum denique. Quia tantùm eſt duplex cõtactus, alius quidem quantitatis molis; alius verò quantitatis virtutis, nempe operatio, vt conſtat ex Ariſtotele 8. Phyſicorum

rum cap. 5. & lib. 1. de Generatione c. 6. nec non ex D. Thoma in eisdem locis, & lib. 2. contra Gentes cap. 56. Quare, cùm contactus immediatus, quo Angelus contingit locum, non sit contactus quantitatis molis, oportet, vt sit contactus virtutis, qui iuxta Aristotelē, & D. Thomam locis citatis est ipsa actualis operatio, virtualiter saltem transiens.

Confirm. 52. Confirmatur ratione illa D. Thomæ, quam dubio præcedenti latiùs prosecuti sumus. Nam virtus tactiua loci, per quā Angelus proximè fundat vbicationem in illo, debet esse ita tactiua eiusdem loci, vt possit esse ratio tangendi nunc maiorem, nunc minorem, nunc indiuisibilē locum ex illis, quæ sunt intra sphærā locabilitatis Angelicæ, & prout ipsi libuerit: sed sola quātitas virtutis, seu virtus operatiua Angeli in locum potest hoc habere: ergo sola ipsa potest esse ratio tangendi locum, solumque exercitium illius, nēpe actualis operatio, queit esse actualis contactus eiusdem loci: & per consequens sola prædicta quantitas virtutis vnà cum sua operatione poterunt esse ratio proxima & immediata immediatè fundādi, tam in actu primò, quàm in actu secundo prædictam vbicationē. Vtraque consequentia ex dictis, & ex dua dus præmissis huius rationis satis liquet, sicut etiā maior ex dictis dubio præcedenti sufficienter constat, & amplius patebit ex dicendis in hac eadem disputatione, dum ostenderimus, Angelum posse nunc in maiori, nūc in minori loco ex illis, quę sunt intra sphęram suę locabilitatis, & actiuitatis, se collocare.

Minor verò etiam liquet ex dictis dubio præcedenti. Nam cùm quantitas virtutis Angelicæ, seu virtus operatiua illius sit libera, ac proinde non debeat operari quantum potest, & secundùm totum, quod habet de perfectione, sed iuxta beneplacitum voluntatis Angelicæ: inde est, vt secundùm virtutem tactiuam loci, quam habet, possit esse ratio tangendi nunc maiorem, nunc minorem, nunc indiuisibilem locum, quatenus potest esse ratio operandi in maiori, vel minori, aut indiuisibili loco. Cęterùm substantia Angeli, aut quæuis alia ratio inuenta in illo tantùm sunt rationes essendi iuxta propriam perfectionem, & tantitatem (vt sic dicamus) illius: & ideò semper eodem modo, ac omnino inuariabiliter tribuunt in actu secundo Angelo suum effectū: & propterea nequeunt esse illi ratio immediata essendi in actu secundo in loco variabiliter, ita vt nunc sit in maiori, nunc verò in minori loco, vt loco citato latiùs prosecuti sumus.

§. V. Solutio prior aduersariorum ad hanc priorem rationem D. Thom. & eius euersio.

Occursus aduersa 53 NEc obest, si occurras primò ad hanc rationem D. Thom. ex doctrina Molinæ, Valētiæ, & aliorum aduersariorum, verum esse, rationem formalem in actu primo, & proximam essendi in loco, seu fundandi vbicationem esse in Angelo virtutem tactiuā eiusdem loci, si nomine prædictæ virtutis intelligatur id, ratione cuius potest immediatè iuxtaponi circa locum, quoque est (vt sic dicamus) immediatè vnibilis cum illo, ac potest fundare præsentiam ad eundem locum. Sicut etiam verum est, actualem contactum virtutis esse ipsum exercitium prædictæ rationis formalis, si nomine prædicti contactus intelligatur ipsa immediata iuxtapositio Angeli ad locum, seu ipsa immediata vnio, & præsentia fundamentalis illius ad eundem locum. Cæterùm negandum est, hanc virtutem tactiuam sic intellectam solùm reperiri in quātitate virtutis, siue in virtute operatiua eiusdē Angeli. Sicut etiam negari debet, contactum locati ad locum esse solummodò, vel contactum quantitatis molis, vel contactum quantitatis virtutis, qui sit operatio: ac proinde quantitatem adæquatè diuidi in quantitatem molis, & prædictam quantitatem virtutis: sed propriam substātiam Angelicam ratione suę perfectionis (quæ perfectionis quantitas, ac proinde virtutis, queit etiam appellari) posse esse immediatam rationem tangendi contactu isto virtutis locum absque actuali operatione: ex eo quòd ad prædictum contactum solùm requiritur immediata iuxtapositio propriæ substantiæ Angelicæ ad locū, quę quidē iuxtapositio est immediata vnio, & præsentia fundamētalis eiusdē Angeli ad prędictū locū. *Molina. Valentia.*

Vnde iuxta sensum dictum concedūt maiorem, & negant minorē. Et ad omnes probationes eiusdē minoris, præterquā ad vltimam desumptam ex testimonijs Aristoteles, & D. Thom. ex nuper dictis occurrunt. Et ad vltimā dicūt, quòd licèt Aristoteles, & D. Thomas locis relatis solū meminerint cōtactuū, qui fiunt secundùm quantitatē molis, aut media actione, non sequitur, quòd negauerint, vnionem prædictam posse appellari contactum virtutis; sed solùm retulere duos illos modos contactus, quia sufficiebat suo instituto, quod erat agere de actione, & passione. Et ita præposuerunt primum contactum, qui fit secundùm quantitatem molis, quia præsupponitur actioni, & adiecerunt secundum, ad explicādum, quomodo posset reperiri actio mutua, & non mutua: sicut tactus interdū est mutuus, vt quando fit media quantitate molis, & interdum non mutuus, vt quando quis iniuria afficit nos, dicimus, quòd tetigit nos.

Fulcitur hæc solutio

Potestque hæc solutio iuuari ex eo, quòd contactus, quo Angelus tangit locum, tantū est contactus quidam metaphoricus, & abusiuè talis: ad istum autem contactum virtutis non videtur necessario requiri actionem; sed sufficit quæuis immediata iuxtapositio substan-

ſubſtantię Angelicę ad locum: quia eo ipſo ſunt quodammodò vnita, & ſubſtantia Angeli fundat immediatam præſentiam ad eundem locum, & quodãmodò ita ſe habet reſpectu loci, ac ſi per quantitatem molis contingeret illum: ac proinde ratione prædictæ iuxtapoſitionis habet aliquid ſimilitudinis cum contactu proprio, & quantitatiuo, in qua aliquali ſimilitudine prædictus contactus metaphoricus conſiſtit.

Impugnatio ſolutionis prædictæ.

54 Cæterùm hæc ſolutio licèt primafacie legitima videatur, nihilòminùs vim rationis Angelici Præceptoris non eneruat. Tum, quia ex his, quæ dubio precedenti latè diximus, ſatis conſtat, ſubſtantiã Angeli non poſſe eſſe ei proximam & immediatam rationẽ eſſendi in loco, ac proinde nec tangendi illũ, aut iuxtaponẽdi ſe circa ipſum; atq; adeò nequit dari aliquis contactus virtutis ſubſtantiæ Angelicæ ad locũ, qui immediatè fundetur in prædicta ſubſtãtia. Tũ etiã. Quia prædicta ſolutio eſt contra Angelicũ Præceptorẽ, & Ariſtotelẽ, vt ex dictis §. 1. huius dubij liquet. Quoniã ipſe loco citato ex 1. Sentent. diſt. 37. ex doctrina Ariſtotelis, imò ex communi Philoſophorum ſententia diſtinguit duplicẽ contactum, alium quidem quantitatis molis, alium verò quantitatis virtutis, qui fit ſecundum operationem: & hinc concludit, quòd Angelus, qui non poteſt tangere locum per quantitatem molis, queat ſolũmodò contingere illum per quantitatẽ & contactum virtutis, qui fit ſecundùm operationem. Si autẽ iuxta Ariſtotelis, & D. Thomæ mentẽ eſſet alius contactus præter contactum quãtitatis molis, & contactum quantitatis virtutis, qui fit ſecundùm operationem, non rectè deduxiſſet Angelicus Doctor ex doctrina Ariſtotelis, & communi ſententia Philoſophorum, Angelum non poſſe contingere locum, niſi contactu virtutis ſecundùm operationem, ex eo quòd nequit cõtingere illũ contactu quantitatis molis: ſiquidem vltra hunc contactum, & cõtactum, qui fit ſecundùm operationem, reſtaret alius contactus, ſecundùm quem poſſet tangere prædictum locum.

Deinde contra eandem ſolutionem vrget, quòd re benè perpenſa, in Angelis non poteſt dari alia quãtitas virtutis, quæ ſit ei ratio proximè tangendi locum connaturalem (de quo ſolo in hac aſſertione fit ſermo) præter virtutem eius operatiuam per operationem virtualiter ſaltem tranſeuntẽ in eundem locum: ac proinde nec poteſt dari alius contactus virtutis reſpectu loci præter contactum ſecundũ operationem prædictam. Sicut etiam in corporibus non poteſt dari alia ratio ſe immediatè tangẽdi, niſi quãtitas molis. Et per conſequens quantitas tactiua loci connaturalis adæquatè diuidetur in quantitatem molis, & quantitatem virtutis, quę eſt virtus operatiua. Et ſimiliter contactus, in contactum quantitatis molis, & contactum virtutis, qui eſt ſecundùm operationem.

55 Cuius ratio quoad hoc, quòd eſt ſolam virtutem operatiuam Angeli poſſe eſſe quantitatem virtutis, per quã ſit tactiua proximè loci ſibi connaturalis, ſolamque operationẽ eius virtualiter ſaltem tranſeuntẽ eſſe ipſum contactum virtutis (cætera enim probatione non indigent) facilè ſub hac forma reddi poteſt. Quoniã id, quod eſt Angelo quantitas virtutis, ratioque immediatè tangendi locum connaturalem, debet habere aliquam connexionem, aliquamque (vt ſic dicamus) vnibilitatẽ cum ipſo loco, ita vt ſit aliqua ſubordinatio inter vtrũq; ex eo quòd vel prædicta quãtitas virtutis ſubordinetur loco, vel poſsit illũ ſibi ſubordinare: ſed hoc ſolùm poteſt conuenire virtuti operatiuæ Angelicæ reſpectu loci connaturalis eidẽ Angelo: ergo ſola prædicta virtus operatiua poteſt eſſe quantitas virtutis, per quã Angelus immediatè queat tangere prædictum locum: & per conſequens ſola operatio, correſpondens huic virtuti operatiuæ, erit ipſe cõtactus Angeli reſpectu ſui loci connaturalis. Hæc vltima conſequentia ex priori apertè deducitur, vt ex dictis liquet. Prior verò ex vtraque præmiſſa.

Maior autẽ videtur perſpicua. Tum quia id experimur in quãtitate molis, quæ eſt ratio corpori immediatè tangendi locũ: nam talis quantitas habet debitam connexionem, debitamque vnibilitatem cum loco, ratione cuius propter ſuam imperfectionem ſubordinatur illi, nõ verò ſubordinat ſibi eũdem locum. Tum etiam. Quia quantitas virtutis, & ratio tangendi locũ tribuit locato, vt habeat cõpletè, & proximè rationẽ veluti formæ extrinſecæ reſpectu loci: & propterea locatũ, vt habet hãc rationẽ tangendi locum, veluti ſuſcipitur intra eundẽ locũ: ideoq; inter locũ, & locatũ, vt habet hanc rationẽ formalem, debet eſſe ſua vnio, ſuuſque cõtactus immediatus illis proportionatus. Conſtat autẽ, quòd inter formã, & id, cuius eſt forma, ad hanc extrinſeca, debet eſſe ſua cõnexio, & vnibilitas, ſuaq; ſubordinatio illis proportionata. Tum denique. Quia etſi locatũ, & locus ſint res adeò diſtinctæ in ratione entium, nihilominùs in ratione indiſtantium à polis mundi, & à centro terræ cõſtituunt quodãmodò vnũ: ex eo quòd (vt hoc in trã innuendo) habent eandem diſtantiam. & ita debet eſſe inter illa aliqua connexio, & ſubordinatio, táliter vt vel locus ſubordinetur locato, & rationi formali ſuæ locabilitatis, ſeu virtutis tactiuæ reſpectu loci, vel è contrà locatum ſubordinetur loco.

Minor autem etiam liquet. Quoniam ſi conſiderentur cuncta, quæ ſunt in Angelo, pertinentia ad ordinem eſſendi, & nõ ad ordi-

nem operandi, non habent connexionem cum loco corporeo, ita vt dicant aliquam subordinationem ad illum: quia ratione suæ eminentiæ,& immaterialitatis habent,quòd non subordinentur corpori: & per consequens,quòd sint absoluta ab illo,careantque connexione cum ipso. Et similiter nec locus corporeus habet prædictam subordinationem ad Angelum, aut ad aliquam rationem eius præcisè pertinentem ad ordinem essendi,& non ad ordinem operandi: quandoquidem corpus non pendet ab Angelo,neque ab aliqua ratione in eo inuenta,quæ præcisè spectet ad ordinem essendi,quippe quod nihil accipit ab eo fic sumpto. Cæterum si Angelus consideretur secundùm suam virtutem operatiuam,tunc licèt secundùm hanc non dicat connexionem talis conditionis, vt per illam Angelus subordinetur simpliciter loco corporeo,quia hoc(vt statim dicemus) eius dignitati, & eminentiæ derogat: attamen dicet connexionem cum eodem loco talis rationis, vt per illam possit subordinare sibi locum,& media sua operatione, tanquam exercitio necessariò requisito,subordinat defacto sibi prædictum locum, colligaturque illi,actandem vnitur quodammodò ipsi.

Elucidatur. Potestque hæc probatio prædictæ maioris elucidari & explicari ex eo, quòd quæuis ratio formalis debet pertinere, vel ad ordinem essendi, vel ad ordinem operandi: quia isti duo ordines adæquatè diuidunt omnem ordinem rerum. Et ita,si semel Angelus,& rationes in eo inuentę non habent aliquam connexionem cum loco, ita vt subordinent illum sibi,vt pertinent ad ordinem essendi,vt ex dictis patet: oportet, vt solùm habeant connexionem cum illo, vt spectant ad ordinem operandi: atque adeò, quòd sola virtus immediate operatiua Angeli habeat hanc connexionẽm cum loco corporeo, ita vt queat illum sibi subordinare: & per consequens etiam oportebit, quòd sola ipsa sit ratio immediatè tangendi eundem locum.

Eneruatur id quo contra solutionem nititur. 56 Ex quo fit primò, nihil iuuare hanc solutionem id, quod ad eam iuuandam n. 53. adductum est. Nam licèt contactus,quo Angelus tangit locum corporeum,sit metaphoricus,& abusiuè talis; nihilominùs ratio metaphorica contactus in illo inuenta debet fundari in potentia operatiua, & operatione Angeli, quę propriè habeant rationem talium: sicut in vniuersum quæuis ratio metaphorica debet fundari in aliqua ratione, quæ propriè sit talis,quæ quidem quoad præsens, sicut debet dicere rationem quandam habentem connexionem cum loco corporeo,idest, rationem potentem subordinare illum sibi,& defacto subordinantem eundem locum,quando prædicta ratio est sub suo actuali exercitio: ita etiam debet esse virtus operatiua Angelica,quæ sola potest sibi subordinare locũ, quæque defacto, & actu illum sibi subordinat,dum est sub suo actuali exercitio, nempe sub sua actuali operatione.

57 Fit secũdò,nihil etiã referre, aut fauere huic solutioni id, quod interproponendũ ipsam dictum est,nimirum,actualem cõtactum Angeli ad locum tantùm esse iuxtapositionem immediatam Angeli ad eundem locum, & ad hanc non requiri aliquam operationẽ.

Ex dictis igitur fit, hoc nihil obesse. Quoniã hæc iuxtapositio positiua, & immediata Angeli ad locum nequit iuxta dicta dari,nisi præcedat cõtactus secũdũ operationẽ fundãs ipsam:siquidẽ nõ est vnde colligẽtur, vndeq; locus cõnaturalis Angelo subordinetur ipsi: cùm tamen debeat illi subordinari, hoc ipso quòd immediatè vniãtur,& inter se colligẽtur

Alia euasio vltimæ impugnationis 58 Nec obest,si ad totam hanc vltimam impugnationẽ occurras, non esse incõueniens, quòd Angelus secundùm suam substantiam, aut secundùm alia,quæ in eo sunt, pertinentia ad ordinem essendi,& non ad ordinẽ operandi,habeat connexionem cum loco corporeo,dependeatque ab illo: ex eo quòd est (vt sic dicamus) obligatus ad essendũ in aliquo loco,nec potest ab omni loco absolui,quãuis aliter sit obligatus ad locũ,ac corpus:quoniã corpus petit certũ & determinatum locum, vt graue deorsum, leue locum sursum:ex eo quòd loca connaturalia corporum sunt conseruatiua illorum, & hæc vis non reperitur, nisi in certo & determinato loco, quẽ exposcunt:Angelus autem non conseruatur propter sui eminentiam à loco corporeo, & ideò non exigit certum & determinatum locum.

Refellitur. Non igitur hoc obest.Nã hæc solutio apertè est contra D. Thomam loco n.64.referendo. Nam ideò Angelicus Doctor expressè docet,Angelum,si ei libuerit, posse absolui ab omni loco, ex eo quòd potest suspendere omnẽ operationẽ virtualiter saltẽ transeuntẽ,qua operetur in locum: & ideò connexio, quã secundùm rationem formalẽ in actu primo consideratam essendi in loco habet cum eodẽ loco,est connexio eminẽtialis consistẽs in hoc,quòd nõ subordinetur loco,nec sit obligatus illi,& nihilominùs possit sibi illum subordinare,vniriq,cũ illo,& defacto subordinet eundẽ sibi,vniaturq,cũ eo,quoties iuxta beneplacitũ suæ voluntatis habuerit actuale exercitiũ suę virtutis tactiuæ,& operatiuæ, nempe operationem virtualiter saltem transeuntem in locum: ad eum proportionalem modũ,quo omnipotentia Dei habet connexionẽ cum creaturis possibilibus ex eo quòd potest illas sibi subordinare,vniriq,cũ illis,tã quã causa efficiẽs cũ suo effectu,&defacto illas sibi subordinat,& cum eisdẽ modo dicto vnitur,dũ actu & in exercitio illas producit.

Vlterius euertitur. 59 Deinde cõtra hãc solutionẽ vrget, quòd forma

forma ſubſtantialis, & perfectiſsima, qualis eſt anima noſtra rationalis, hoc ipſo quòd ſit perfectiſsima, non eſt obligata corpori, ſed poteſt ab eo abſolui, nec cùm vnitur illi, ſubordinatur ipſi, aut ab eo pendet in ſuo *eſſe*, ſed potiùs ſubordinat ſibi prædictum corpus: & (vt ſic dicamus) non continetur, ſed potiùs continet corpus in eſſe: & propterea connexio, quã habet cum corpore, conſiſtit in connexione quadam eminenti, qua poteſt illud ſibi ſubordinare ſecundùm ſuã vim informatiuam: & defacto illud ſibi ſubordinat, quoties datur exercitium correſpondens prædictæ virtuti informatiuæ. Ergo eadem ratione locabilia perfectiſsima inter omnia, qualia ſunt ſubſtantiæ Angelicæ, habebunt eſſe talia perfectiſsimo modo: ac proinde ſecundùm ſuam vim locabilem, quæ eſt eis ratio tangendi locum, & eſſendi in illo, non erunt obligata loco, ſed poterunt ab eo abſolui: & connexio, quam cum illo habent, erit connexio eminens, conſiſtens in hoc, quòd poſsit Angelus ſibi ſubordinare locum, & defacto illum ſibi ſubordinet, cùm libuerit, ſiue cùm habuerit contactum ſecundùm operationem reſpectu loci, qui quidem contactus eſt actuale exercitium ſuæ virtutis operatiuæ.

Patet conſequentia. Tum exparitate rationis. Tum, quia locabilia perfectiſsima habẽt rationẽ perfectiſsimæ formę, aut quaſi formæ, extrinſecæ tamen: & ita debent ſubordinare ſibi loca, in quibus connaturaliter locantur, non verò ſubdi illis: ſicut formæ perfectiſsimæ (intrinſecæ tamen) ſubordinant ſibi ſua ſubiecta, & non ſubduntur ſecundũ ſuum *eſſe* illis. Tum denique (id, quod ex præcedenti ſequitur.) Quia maiorẽ cõnexionẽ debet habere forma intrinſeca cùm ſuo ſubiecto, quã forma extrinſeca, qualis eſt res locabilis, cum ſuo quaſi ſuſceptiuo, ſcilicet loco: quia prior illa forma per ſe & ab intrinſeco eſt pars cõponens cum altera comparte, nempe cum ſubiecto, vnum & idem per ſe compoſitum, ſecùs verò prædicta forma extrinſeca: at hoc ipſo, quòd forma intrinſeca ſit eminens, illa connexio non debet eſſe talis, vt ſubordinetur ſuo ſubiecto, ſed debet cõſiſtere in hoc, quod poſsit illud ſibi ſubordinare, & defacto ipſũ ſubordinet, hoc ipſo quòd talis forma ſit ſub actuali exercitio informandi. Ergo quoties forma extrinſeca, qualis eſt res locabilis, fuerit in *eſſe* talis eminens, tunc connexio rationis locandi cum loco, tantùm conſiſtet in hoc, quòd poſsit eſſe ratio ſubordinandi ſibi locum, & defacto hoc habeat, quoties prædicta ratio fuerit ſub ſuo actuali exercitio.

§. VI. *Poſterior ſolutio prioris rationis D. Thomæ ex dictis refellitur.*

Vltimũ effugium aduerſariorum.

60 EX quibus omnibus fit, nihil obſtare poſteriorẽ ſolutionẽ, quã alij ex aduerſarijs tradunt huic primæ, & principali rationi D. Thom. nẽpe, concedendã eſſe maiorẽ, in qua aſſeritur, rationẽ formalẽ, à qua habet Angelus eſſe in loco, ſeu fundare vbicationẽ in illo, eſſe virtutẽ tactiuã illius, &c. cæterùm negandam eſſe minorẽ, in qua dicitur, quòd prædicta virtus tactiua ſolummodò eſt virtus operatiua illius in locũ, ac proinde quòd actualis contactus ſit operatio virtualiter tranſiens. Quoniam nec prędicta virtus, imò nec propria ſubſtantia Angelica eſt Angelo ratio proxima tangendi locum, vt in præcedenti ſolutione intendebatur, ſed ſicut in corporibus vltra propriã ſubſtantiã datur quantitas molis pertinens ad ordinem eſſendi, ita etiã vltra ſubſtantiam Angelicã datur ſua quantitas virtutis ſpectans etiã ad ordinẽ eſſendi, quæ quidẽ nihil eſt aliud, quã modus quidam ſuperadditus illi, præbens Angelis id, quod tribuit quantitas molis corporibus. Quamuis in aſsignando modo iſto, in quo conſiſtit prædicta quantitas virtutis non omninò conueniant aduerſarij, ſolutionem iſtam tradentes. Nam aliqui ex illis exiſtimant, modum iſtũ eſſe concreatum cum ſubſtantia Angelica, ſemperque ac neceſſariò illi conuenire. Vaz- *Vazquez.*
quez verò loco infrà in hoc eodem dubio referendo credit, pendere à libera voluntate Angeli, ab illoque produci.

61 Ex dictis igitur conſtat, hanc ſolutionem ſatis manere impugnatam. Siquidem ſicut cæterę aliæ rationes in Angelo inuentæ, hoc ipſo quòd præcisè pertineant ad ordinem eſſendi, & non ad ordinem operandi, non poſſunt eſſe rationes tangendi locum corporeum, & connaturalem Angelo: ex eo quòd nequeunt illum ſibi ſubordinare, & ex alio capite ratione ſuę eminentiæ nequeunt eidem ſubdi, & ſubordinari; cùm tamen ad rationem virtutis tactiuę loci requiratur prædicta ſubordinatio, vel loci ad locatum, & virtutem tactiuam illius, vel è contrà: ita etiam modus iſte ſuperadditus, hoc ipſo quòd præcisè ſpectet ad ordinem eſſendi, & non ad ordinẽ operãdi, nequibit eſſe ratio immediata & proxima tangendi prædictũ locũ. Refellitur.

Confirmatur primò. Quia Angelus non eſt in loco ex eo, quod indigeat illo ad conſeruationem ſui *eſſe*, ſicut in corporibus contingit: atque adeò non eſt in eo, vt perficiatur ab ipſo, ſed potiùs vt aliquo modo perficiat eundem locum. Ergo oportebit, aliquid deriuari ab Angelo in locum, ad hoc vt ſit in illo: & per conſequens ratio formalis tactiua loci erit virtus operatiua eiuſdem Angeli in eundẽ locũ, & contactus illius erit operatio, media qua perficit locũ. Confirm. 1.

Confirmatur ſecundò. Nam anima rationalis in illo priori, in quo intelligitur eſſe in ſe & per ſe ſubſiſtens, & non concipitur vnita corpori, nõ intelligitur eſſe in eodẽ corpore: quia Confirm. 2.

quia deest illud complementum vnionis, & informationis, in quo debent, tam anima, quàm corpus communicare, itavt prædictum complementum sit perfectio vtriusque: ergo à fortiori Angelus non dicetur vnitus loco ex perfectione, seu entitate, quæ præcisè maneat in illo, nisi detur aliquod complementum, in quo vtrumque cõmunicet, quodque ex parte vtriusque se teneat: ac proinde nisi detur actio Angeli in locum, ratione cuius prædictus Angelus locum perficiat. Hæc secunda consequentia patet ex priori: prior verò ex antecedenti. Quoniam maiorem conuenientiam habent ad vnionem animæ rationalis, & corpus, quàm Angelus, & locus corporeus: ergo si ad vnionem animæ cum corpore requiritur prædictum complementum perficiens corpus, etiã ad vnionẽ Angeli cum loco desiderabitur aliquod complementũ, & exercitium, quo locus ipse perficiatur: quod quidẽ (vt constat) non potest esse aliud, quã contactus virtutis secundùm operationem.

Impugnatur tandem solutio hæc

62 Tandem contra hanc vltimam solutionẽ quoad id, in quo authores illius discriminantur, obijci potest, quòd si semel prædictus modus præcisè pertinet ad ordinẽ essendi, & est cõcreatus cũ Angelo, nõ potest esse ratio fundandi præsentiam, nunc ad maiorẽ, nunc ad minorem, nunc denique ad indiuisibilem locum, vt constat ex illis, quæ in hoc eodem dubio n. 56. dicebamus, & dubio præcedenti n. 31. latiùs prosecuti sumus: ergo nec poterit esse ratio essendi in loco, aut tangendi immediatè illum. Patet consequentia. Quia ratio immediatè tangendi locum debet habere conditiones in antecedenti relatas.

Antecedens verò probatur. Quoniã cùm modus iste sit ratio tangendi locum, præcisè quia est, & quia habet tantam, vel tantam perfectionem, oportet, vt sicut semper est eodem modo, semperque habet inuariabilem perfectionem suam, quippe mensurata per æuum, ita semper sit ratio repletionis tanti loci, quãti potest ex natura sua, & secundùm vltimum suæ virtutis. Si verò prædictus modus (vt vult Vazquez) non est concreatus cum substantia Angeli, sed liberè à voluntate illius producitur, non erit accommodatus ad hoc, vt sit Angelo ratio proxima fundandi vbicationem in loco. Quoniam etsi vbicatio ipsa pendeat à libera voluntate Angeli, secùs tamen ratio fundandi illam, sed hęc debet semper, & necessariò conuenire, vt experimur in corporibus, ad instar quorum debemus concipere virtutẽ tactiuam Angeli respectu loci.

Obiectio.

63 Nec refert, si contra cardinem, in quo omnes impugnationes vtriusque solutionis vertuntur, nẽpe virtutẽ tactiuam loci, & contactum illius debere esse talis conditionis, vt subordinent sibi locum, obijcias, quòd Angelus participat à loco rationẽ veluti situs in illo, & distantiæ à polis mundi, & cẽtro terræ: ergo in isto genere locabilitatis, & eorũ, quæ ad eã pertinẽt, potiùs Angelus subordinabitur loco, quàm è contrà. Antecedens probatur. Nam locus secundùm se dicit illam distantiam, & rationem situs: Angelus autem non dicit eam secundùm se: atque adeò habet ipsam participatiuè à loco.

Respõdetur

Respondetur enim, quòd sicut in informatione animæ rationalis ad corpus, potest cõsiderari id, quod perfectionis, & deinde id, quod imperfectionis, & limitationis inuenitur: ex quibus primum illud prouenit ab anima, & in eo subordinat sibi corpus, secundũ verò potest prouenire à corpore, vt à prima radice: quia proprium est materiæ limitare hoc modo informationem formæ, & ideò quoad istam rationem, sic sumptam subordinatur prædictà informatio materię: ita etiam in cõtactu virtutis, quo Angelus tangit locũ, potest considerari id, quod perfectionis est, secundùm quòd fundat vbicationem, & certã distantiam à polis mundi, & à centro terræ; & secundùm hanc rationem subordinat sibi locum: deinde id, quod imperfectionis, & limitationis est: quia id, quod habet esse in loco diffinitiuè, qualiter Angelus est in illo, quadammodò finitur & coarctatur per locũ quoad exercitium essendi in illo, & fundandi vbicationem: & quoad istam rationem limitationis suo modo subordinatur illi. Cæterũ cum hoc stat, vt absolutè & simpliciter loquendo, potiùs locus subordinetur Angelo, & rationi formali tactiuæ loci, quæ est in eodem Angelo, necnon & contactui virtutis, quo ab eo tangitur, quàm è contrà Angelus loco: quia vnio vtriusque incipit ab Angelo, ex eo quòd iste trahat ad se locum. Sicut quando superiora vniuntur inferioribus, tunc vnio incipit à superioribus trahentibus, & subordinantibus sibi inferiora: & propterea saltem absolutè & simpliciter loquendo, inferiora subordinantur superioribus: ac proinde idem etiam in præsenti continget, vbi Angelus, qui est locabile superius & eminentissimum, vnitur rei inferiori, nempe loco corporeo.

§. VII. *Ratio 2. assertionis, & decisionis dubij ex eodem Angelico Præceptore deducta.*

Secunda ratio assertionis ex Angelico doctore deducta.

64 Secunda, & principalis ratio assertionis deducitur ex D. Thoma loco citato ex 1. Sentent. distin. 37. q. 3. art. 1. ad 4. & quodlibeto 6. art. 3. potestque ad hãc formam redigi. Nam id, quod est Angelo ratio proxima fundandi vbicationem, seu ratio immediata tangendi locum, debet esse ita eleuata & eminens, vt possit etiã esse illi ratio absoluendi se ab omni loco, dum Angelo libuerit: sed hoc solùm potest conuenire virtuti illius

illius operatiuæ in locum: ergo ſola prædicta virtus erit ratio proxima fundandi vbicationem, & tangendi locum: & per conſequens ſolus contactus virtutis, qui fit ſecundùm operationem, erit exercitium huius virtutis tactiuæ, medio quo Angelus fundat actu prædictam vbicationem. Hæc ſecunda conſequentia ex priori, & ex dictis ſatis liquet. Prior verò ex vtraque præmiſſa cõſtat. Maior autem eſt D. Thomę loco nuper relato ex 1. Sentent. vbi (vt ſuprà etiam vidimus) ſic inquit: *Non reputo inconueniens, quòd Angelus ſine loco poſsit eſſe, & non in loco, quando nullam operationem circa locum habet: nec eſt inconueniens, vt tunc nuſquam, vel in nullo loco eſſe dicatur. Sicut etiam non eſt inconueniens, quòd nullo colore coloratus dicatur: ſed tamen hoc non eſt imaginabile: quia imaginatio continuum non tranſcendit.*

Et deinde eadem maior ſuadetur: tum ex ijs, quæ nuper dicebamus, quòd ſicut forma perfectiſsima inter omnes formas debet ita eſſe ratio informãdi, vt poſsit abſolui ab omni informatione, & in ſe ſola, & per ſe ſubſiſtere: ita etiam ratio locabilitatis perfectiſſima, oportet, vt ſit ita eminens, vt poſsit ei, cui ineſt, eſſe ratio abſoluendi ſe ab omni loco. Tum etiam. Quia perfectiſsimũ corpus, quale eſt cælum empyreum, habet ratione ſuæ perfectionis ſupra alia corpora, quòd abſoluatur à loco ſecũdùm ſe totum, licèt quia eſt inuolutum cum imperfectionibus corporis, non ſit omninò abſolutum à loco, ſed per accidens, & ſecundùm partes ſit in illo, vt N. Complutenſes in lib. Phyſicorum diſput. 19. num. 43. optime explicant: ergo ſubſtantiæ eleuatiores, quales ſunt Angeli, poterunt omninò abſolui à loco, & nullibi eſſe: & per conſequens id, quod eſt eis ratio eſſendi in loco, erit quid ita eminens, vt poſsit ita eſſe illis ratio eſſendi in eo, vt queant etiam abſolui ab eodem loco. Tum denique. Quia ideò corpora inferiora, nequeunt, quantum eſt ex ſe, abſolui à loco, quoniam ipſa, & eorum vis locabilis pendet à primo corpore, vt à primo continente, eique (ſaltem ſimpliciter & abſolute) ſubordinantur: ergo cùm hæc imperfectio, & dependentia deroget eminentiæ Angelicæ, conſequens eſt, vt ratio eſſendi in loco, quæ in eis reperitur, ita ſit illis ratio eſſendi in prædicto loco, vt queat etiam eſſe eis ratio abſoluendi ſe ab omni loco.

N. Compl.

Explicatur teſtimonio D. Thom.

65. Vnde Angelicus Præceptor hoc ipſum loco citato ex quodlibeto 6. explicans, ſic inquit: *Alia opinio eſt eius; quòd locus ſit ſuperficies corporis continentis; non quidẽ in quãtum eſt huiuſmodi corporis, quod immediatè cõtinet, alioquin ſequeretur, quòd corpus quieſcens non ſemper eſſet in eodem loco, puta ſi homo ſtaret in fluuio, per cuius decurſum ſemper renouarentur ſuperficies aquæ circa ipſum: ſed ſuperficies corporis immediatè continentis habet, quòd ſit locus ex ordine ad primum continens: vnde accipitur idem locus ſecundùm eundem ſitum ad primum continens: & propter hoc locus eſt immobilis. Secundùm ergo hanc opinionem, quæ vera eſt, neceſsitas exeundi in loco conuenit corpori ex hoc quòd dependet à primo continente: & propter hoc primum continens non eſt in loco, niſi per accidens, & ſecundùm partes, vt dicitur in 4. Phyſicorum. Angelus autem non dependet à primo continente, nec etiam corpus glorioſum, quod perficitur per animam ex diuina fruitione beatificatam. Et ideò nulla neceſsitas eſt, quod corpus glorificatum, aut Angelus ab aliquo corpore ambiatur*: ac proinde quòd alicubi neceſſariò ſit vt in loco: quia illud, quod non neceſſariò indiget ſuperficie ambiente ipſum, aut ſpatio ſeparato ſibi æquali, nec aliquo modo dependet à corpore continente, poteſt ſecundùm hanc rationem eſſe ſine omni loco, vt benè notauit Capreolus in 2. diſt. 2. quæſt. 1. artic. 1. concluſione 2.

Capreolus

Minor autem prioris ſyllogiſmi huius ſecundæ rationis, in qua ex vi particulæ excluſiuæ in ea contentæ duæ includuntur exponentes, prima quidem, quòd virtus operatiua Angeli habeat illa, quæ in eadem referuntur, ſatis quoad primam exponentem conſtat ex illis, quæ ex D. Thoma dicebamus, nimirum, quod exercitium virtutis operatiuæ Angelicæ in locum eſt exercitium liberum, nempe operatio eius in eundem locum: & ita virtus operatiua ſicut poteſt actu & in exercitio eſſe Angelo ratio exiſtendi in loco, ſi actu detur contactus virtutis ſecundùm operationẽ progrediens à prædicta virtute operatiua: ſic etiã poterit eſſe ratio abſoluendi ſe ab omni loco, ſi nullibi operetur, nullumque contactum virtutis ſecundùm operationem habuerit.

Ex quo etiam eadem minor quoad ſecundam exponentem, videlicet, quòd nihil aliud poſsit Angelo ita eſſe ratio fundandi vbicationem in loco, vt ſimul etiam queat illi eſſe ratio abſoluendi ſe ab omni loco, probatur. Quoniam ſicut cæteræ aliæ rationes repertæ in Angelo, & pertinentes præcisè ad ordinem eſſendi, & non ad ordinem operandi, ſunt quid omninò neceſſarium, & habent ſuum exercitium cum omnimoda neceſsitate: ita etiam ratio exiſtendi in loco, ſi præcisè pertineat ad ordinem eſſendi, & non ad ordinem operandi, ac proinde ſi non ſit ipſa virtus operatiua Angeli, erit quid omninò neceſſarium, & habebit ſuum exercitium cum omnimoda itidem neceſsitate: & ita non poterit eſſe ratio eſſendi in loco ita eminens, vt ſimul poſsit eſſe ratio Angelo abſoluendi illum ab omni loco.

§. VIII. Obiectiones contra hanc secundam rationem D. Thomæ, cum enodationibus earum

Obiectio prima contrà secundã rationẽ D. Thomæ.

66 NEC refert, si contra rationem hanc obijcias primò, quòd si aliquid probaret, conuinceret vtique, Angelum omninò necessariò absoluendum esse à loco: ac proinde non posse esse in illo rationẽ aliquã essendi in loco. Nam ratio D. Thomæ nititur in perfectione & eminentia Angeli supra corpus: ergo sicut primum corpus propter excessum, quem habet supra alia corpora, semper & necessariò habet absolui à loco secundum se totum, & per consequens non habet rationem formalem fundandi vbicationem, nisi tantùm per accidens, & secundùm partes: ita etiam Angelus, ob excessum suprà omnia corpora, debebit omnimodè absolui à loco, ita vt semper & necessariò ei conueniat non esse secundùm aliquid sui in loco: atque adeò non erit in eo assignanda ratio formalis, per quam fundet vbicationem.

Respõdetur

Respondetur, esse disparé rationem. Nam quòd primum corpus necessariò absoluatur à loco secundùm se totum, non derogat eius perfectioni consistenti in hoc, quòd possit communicare cum alijs corporibus continendo, & perficiendo illa, ac tandem subordinando ea sibi: quia licèt non sit in loco, est tamen locus communis omnium corporum. Et propterea potest immediatè tangere, continere, ac subordinare corpus inferius sibi cõtiguum, & eo mediante cætera alia corpora. Cæterùm quòd Angelus necessariò absoluatur à loco, derogat perfectioni Angelicæ. Quia cum non sit locus communis corporũ, nequit habere perfectionem sibi debitam communicandi cum corporibus subordinando illa sibi, nisi possit esse in eisdem vt in loco: quandoquidem media operatione, & subordinatione corporum ad seipsum habet esse in eis vt in loco. Et ideò perfectio Angeli non exigit, quòd necessariò absoluatur à loco, sed quòd sicut potest subordinare, & non subordinare sibi corpora, operando in illa, quandoquidem liberè omninò in illis operatur: ita possit, si ei libuerit, absolui ab omni loco, quatenus queit absolui ab operando in illum.

Secunda obiectio.

67 Nec etiam refert, si secundò contra eandem rationem cum Iuniore quodam obijcias, quòd Angelus (supposito quòd existat) ex propria natura habet, quòd debeat existere intra mundum istum, aut extra: sed quocumque modo existat, necessarium est, quòd sit præsens alicui loco vero, vel imaginario: ergo Angelus, supposito quòd existat, ex propria natura habet, quòd semper sit præsens alicui loco. Probatur minor. Quia si Angelus sit intra mundum, necessarium est, quòd sit præsens alicui corpori, aut parti ipsius mundi: si verò sit extra mundum, oportet, vt sit præsens spatio imaginario; sicut ibi esset præsens aliquod corpus, si Deus ibidem extra mundum illud produceret.

Responsio eius.

Respondetur, negando maiorem. Nam esse intra, aut extra mundum, vt in præsenti sumitur, nempe localiter, non sunt prædicata contradictoria, vel immediatè oppositа, quorum vnum necessariò debeat conuenire Angelo, supposito quòd existat, sed datur status medius, scilicet esse nullibi: siquidem idem est in Angelo esse intra mundum, & operari in illo & esse extra eundem mundum, ac operari extra ipsum: constat autem dari mẽdium inter operari intra, & extra mundum, scilicet nullibi operari.

Tertia obiectio.

68 Nec etiam obest, si tertiò contra prædictam rationem cum eodem Iuniore obijcias, quòd Angelus ex propria natura habet virtutem actiuam limitatam ad certam partem spatij, alioqui eius virtus esset infinita: ergo etiam postulat ex propria natura, quòd semper eius virtus: & ex consequenti propria substantia, dum existit, sit actu præsens alicui spatio vero, vel imaginario. Patet consequentia. Quia non potest designari in spatio certa sphæra virtuti actiuæ Angeli, nisi supposito, quòd talis virtus sit in aliqua parte spatij: alioqui nõ magis distabit ab vno termino, quàm ab alio, & ex consequenti nulla erit ratio, cur potiùs extendi possit ad vnum terminum, quàm ad alterum.

Cõfirmatur

Confirmatur. Quia respectu cuiuscunque virtutis actiuæ limitatæ, si actu existat, potest designari aliquis terminus, vt patet in virtute delatiua ponderis, & in virtute calefactiua, ac in omnibus alijs: Sed virtus actiua Angeli actu existentis est actu limitata per ordinem ad spatium: quoniam esse hoc modo limitatam, est ei intrinsecum, & ex consequenti necessariò conueniens ipsi actu, cùm de facto existit: ergo potest designari in spatio aliquis terminus ipsius: & per consequens cùm hoc sit impossibile, nisi illa sit in aliqua parte spatij, fit inde, quòd virtus actiua Angeli actu existẽtis debeat necessariò esse in aliqua parte spatij.

Enodatur obiectio.

Respondetur, antecedens esse verum ad hunc sẽsum, nimirum, supposito quòd Angelus media sua virtute actiua sit alicubi: nam ex inde non potest agere, nisi intra certã sphæram, seu intra tantam, vel tantam distantiam: nam ex illo loco mensuratur extensio suæ virtutis: quandoquidem cùm hæc extensio maior, aut minor, sit agere ad maiorem, vel minorẽ distantiã, debet priùs intelligi distare positiuè, ad hoc vt sphæra taxetur. Vnde cũ hoc cohæret, quòd Angelus possit esse nullibi: quia adhuc tũc retinet finitatẽ & limitationẽ in ordine, aut quasi ordine ad spatiũ: quia semper cõseruat talẽ naturã, & vim ad operan-

randum in ſpatium, vt ſi ſemel ſit præſens alicui ſpatio, ſeu loco, nõ poſsit ex inde, niſi ad certam diſtantiam iuxta maiorem, vel minorem perfectionem ſuæ virtutis actiuæ agere.

Ruit confirmatio. Ex quo ad confirmationem fatemur taxandam eſſe, proportione tamen ſeruata, ſphęram virtutis Angelicæ, ſicut taxatur terminus, & ſphæra in alijs virtutibus. Cæterùm quoad præſens taxanda eſt (propter rationem dictam) modo explicato.

Ex quo fit, quòd Angelus nullibi exiſtens, ac proinde habens indiſtantiam negatiuam ab omni loco, ideſt, non magis dicens ordinẽ indiſtantiæ poſitiuæ ad hũc, quàm ad illum, poſsit cõſtituere ſe in quouis loco, poſsitque in quemcunque locum primò operari; dummodò hoc ipſo, quòd eligat illum locum, nõ ſit præſens maiori quantitati eiuſdem, quàm ſit ſphæra actiuitatis, ad quam poteſt ſimul ſe extendere, ex ſuppoſitione quòd alicubi ſit.

Quarta obiectio. 69 Nec etiã obſtat, ſi quartò contra prædictã rationẽ cum eodẽ Iuniore obijcias, quòd nõ magis abſtrahit ſubſtantia immaterialis à loco, quã à tẽpore: ſed impoſsibile eſt, quòd exiſtat, & non coexiſtat alicui tempori vero, vel imaginario: ergo etiam erit impoſsibile, quòd ſi exiſtit, nõ ſit præſens, aut vnita alicui loco vero, vel imaginario.

Reſpondetur. Reſpondetur, quòd adhuc data maiori, & minori, neganda eſt conſequentia. Quoniam ad hoc, vt aliquid ſit in tempore coexiſtendo illi, ſatis eſt propria duratio rei, per quam ſubſtantia immaterialis duret, dum tempus durat: at ad hoc, vt ſubſtantia immaterialis ſit vnita loco, non eſt ſatis eius vis locabilis; ſed neceſſariò deſideratur ſpecialis applicatio, & contactus prædictæ ſubſtantiæ, qua applicetur loco, & per ſuam quantitatem virtutis cõtingat illum contactu itidem virtus, qui ſit ſecundùm operationem: & ita ex defectu huius contactus poterit dari ſubſtantia immaterialis actu exiſtens in rerum natura, quæ nulli loco ſit vnita: & per conſequens, quæ tunc nullibi ſit.

§. IX. *Ratio poſterior aſſertionis ex eodem D. Thoma accepta.*

Tertia & poſterior ratio pro aſſertione. *D. Thom.* 70 TErtia, & poſterior ratio aſſertionis accipitur ex D. Thoma ſuprà q. 8. art. 1. poteſtque ſub hac forma proponi. Quoniã Deus fundat præſentiam ad omnia loca mediante ſua operatione virtualiter ſaltem tranſeunte, tanquam exercitio fundandi: ergo etiã Angelus fundabit ſuam preſentiam, & vbicationem ad determinatum locum mediante operatione illius, virtualiter ſaltem tranſeunte in eundem locum, tanquam exercitio fundandi: ac proinde ratio fundandi illam in actu primo erit vtrobique virtus operatiua; & exercitiũ fundandi prædicta operatio, ſiue contactus virtutis. Hæc poſterior conſequentia patet ex priori: & prior ex antecedenti propter paritatem rationis, & quia ſi ſemel Angelus abſque operatione poteſt fundare hoc, quod eſt eſſe indeterminato, & definito loco, non eſt cur Deus abſque operatione nõ poſsit fundare hoc quod eſt eſſe vbique.

Antecedens autem probatur. Tum ex illo Pſalmi 138. vbi poſtquam Propheta dixit: *Si aſcendero in cœlum, tu illic es*, ſtatim ſubiungit: *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* In quibus verbis reddit rationem, quare Deus ſit in cœlo vnà cum illo: quia Deus ibi, & in illo operatur. Similiter Actorum 17. probat Apoſtolus, Deum eſſe in nobis, quia in nobis operatur: inquit enim: *Non longè eſt ab vnoquoque noſtrum*: & ſubdit cauſam: *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.* Pſalm. 138. Actor. 17.

Tum etiam. Quia illud docent Hilarius Pſalmo 124. & 1 de Trinitate parùm à principio, Auguſtinus 1. Confeſsionum cap. 3. & lib. de Eſſentia diuinitatis non longè ab initio, Bernardus ſermone 6. in Dedicatione Eccleſiæ, & Anſelmus in Proſologio cap. 19. Iſidorus lib. 1. de ſummo bono cap. 2. Et præterea idem Anſelmus in Monalogio capit. 22 vbi loquens de eſſentia diuinitatis, ſic inquit: *In omni loco quodammodò dici poteſt eſſe. Quoniam quicquid aliud eſt, ne in nihilum cadat, ac eo præſente ſuſtinetur.* D. Thomas ſuprà q. 8. art. 1. in corpore his verbis: *Deus eſt in omnibus rebus, non quidem ſicut pars eſſentiæ, vel ſicut accidens, ſed ſicut agens adeſt ei, in quod agit.* Et in ſolutione ad 1. *Deus eſt in omnibus rebus, vt creans omnium eſſe.* Et articulo ſequenti in fine corporis inquit, Deũ replere omnia loca per hoc, quòd dat eſſe omnibus locatis, quæ illa replent. Et art. 3. in principio corporis referens tres modos, quibus Deus eſt in re aliqua, inquit: *Deus dicitur eſſe in re aliqua dupliciter. Vno modo per modum cauſæ agentis: & ſic eſt in rebus creatis ab ipſo.* Et in fine eiuſdem corporis inquit: *Eſt in omnibus per eſſentiam, inquantum adeſt omnibus vt cauſa eſſendi.* Et in ſolutione ad 1. ait: *Quòd Deus ſubſtantia ſua adeſt omnibus, vt cauſa eſſendi.* Tum deinde. Quoniam Deus eſt in creaturis ſicut ens per eſſentiam in entibus per participationem: hoc autem modo non eſt actu in illis, niſi quatenus media ſua operatione attingit illas. Illud docent Hilarius Pſalmo 124. *Hilarius* & 1 de Trinitate parùm à principio, *Auguſt.* Auguſtinus 1. Confeſsionum cap. 3. & *Bernard.* lib. de Eſſentia diuinitatis non longè ab initio, *Anſelmus* Bernardus ſermone 6. in Dedicatione Eccleſiæ, & Anſelmus in Proſologio cap. 19. *Iſidorus.* Iſidorus lib. 1. de ſummo bono cap. 2. Et præterea idem Anſelmus in Monalogio capit. 22 vbi loquens de eſſentia diuinitatis, ſic inquit: *In omni loco quodammodò dici poteſt eſſe. Quoniam quicquid aliud eſt, ne in nihilum* *D Thom.* *cadat, ac eo præſente ſuſtinetur.* D. Thomas ſuprà q. 8. art. 1. in corpore his verbis: *Deus eſt in omnibus rebus, non quidem ſicut pars eſſentiæ, vel ſicut accidens, ſed ſicut agens adeſt ei, in quod agit.* Et in ſolutione ad 1. *Deus eſt in omnibus rebus, vt creans omnium eſſe.* Et articulo ſequenti in fine corporis inquit, Deũ replere omnia loca per hoc, quòd dat eſſe omnibus locatis, quæ illa replent. Et art. 3. in principio corporis referens tres modos, quibus Deus eſt in re aliqua, inquit: *Deus dicitur eſſe in re aliqua dupliciter. Vno modo per modum cauſæ agentis: & ſic eſt in rebus creatis ab ipſo.* Et in fine eiuſdem corporis inquit: *Eſt in omnibus per eſſentiam, inquantum adeſt omnibus vt cauſa eſſendi.* Et in ſolutione ad 1. ait: *Quòd Deus ſubſtantia ſua adeſt omnibus, vt cauſa eſſendi.* Tum deinde. Quoniam Deus eſt in creaturis ſicut ens per eſſentiam in entibus per participationem: hoc autem modo non eſt actu in illis, niſi quatenus media ſua operatione attingit illas.

Tum denique. Quia Deus intimè operatur in omnibus rebus immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti: immediatione quidẽ virtutis, quia nihil poteſt habere aliquod *eſſe*, niſi Deus media ſua virtute tangat illud: immediatione autem ſuppoſiti, quia Deus nõ operatur per virtutem à ſe diffuſam; ſed eius virtus, eiuſque operatio eſt illius ſubſtantia: & propterea ſua operatio eſt virtualiter tantummodò tranſiens, & identificatur cum ſuo

eſſe

esse, vt constat ex illis, quæ in 1. tom. tract. 3. disp. 4. à n. 43. vsque ad n. 76. latè diximus. Constat autem, quòd agens immediatè immediatione virtutis, & suppositi, & intimè in aliquo, debet esse illi præsens, & per consequens esse in illo: quia de agente isto, & passo ei correspondente potissimè verificatur axioma illud Aristotelis, nempe, quòd *mouens, & motum oportet esse simul.* Quam probationem ad hoc intentum adduxit D. Thomas 3. cõtra Gentes c. 68. ratione 1. his verbis: *Mouens, enim & motum oportet simul esse, vt probat Philosophus in 7. Physicorum. Deus autem omnia mouet ad suas operationes (vt ostensum est.) Est igitur in omnibus rebus.*

Aristotel.

D. Thom.

§. X. *Responsio aduersariorum ad hanc vltimam Angelici Doctoris rationem.*

Occurrunt aduersarij. Valent.

71 OCcurrunt primò aduersarij huic rationi D. Thomæ, negando antecedens. Et ad primam probationem desumptã ex testimonijs Scripturæ, Valentia ad quæstionem 8. huius 1. p. puncto 1. inquit, nõ esse necessarium, omnes consequentias, quæ fiunt in sacra Scriptura, vel à Patribus, esse formales, quæ scilicet vim suam omnem habeant spectatis solùm formalibus rationibus vocabulorum, sicut nec oportet, vt sint ipsæ per se euidentes. Vazquez autem 1. tomo in 1. p. disput. 28. c. 4. multis probare nititur, in vtroque illo loco non assignari causam, aut rationem essendi in creaturis, sed causam, per quam nos à simili deuenire possimus in cognitionem huius veritatis. Et per hoc etiã respondet saltem ad plura ex testimonijs Patrum adductis. Et deinde ad secundam probationem eiusdem antecedentis occurrunt negando minorem.

Vazquez.

Et tandem ex doctrina eiusdem Vazquez ibidem c. 5. necnon Valentiæ, & Scoti, potest occurri ad vltimam probationem eiudẽ antecedentis, quòd illa propositio, *mouens enim, & motum oportet simul esse*, intelligenda tantùm est de agente corporeo: quia hoc propter suam limitationem non potest operari, nisi in corpus sibi coniunctum, aut virtute deriuata per spatium continuatum, & sibi coniunctum: non tamen de agente spirituali, præsertim infinitæ virtutis, qualis est Deus. Maximè, quia cùm iuxta sententiam D. Thomæ Deus possit operari per instrumenta distãtia à passo aliquid in illo, absque eo quòd prædicta instrumenta operentur in medio, etiam poterit operari aliquid se ipso immediatè, etiamsi non sit coniunctum cum passo ex vi operationis, licèt aliàs ex alijs capitibus debeat esse illi coniunctus, essetq; in illo.

Vazquez. Valent. Scotus.

Vazquez.

Et præterea addit Vazquez, quòd licèt id, quod agit immediatè immediatione virtutis, & suppositi, soleat esse aliàs coniunctũ secundũ locũ cũ passo, nõ tamen id habetur ex modo agendi per immediationẽ virtutis, & suppositi. Et rationẽ reddit. Quoniam immediatũ agẽs immediatione virtutis illud est, quod propria virtute est immediatũ, immediatũ verò immediatione suppositi, quod sine alio interiecto suppositio, siue causa operatur: hoc autem sine loci propinquitate optimè saluari potest: aliud enim est immediatè, hoc est, nulla distantia interposita, aliud verò nullo alio intermedio agente operari.

Quibus etiã accedit id, quod addit Iumor quidã, scilicet, quòd etsi ex hac ratione D. Thom. ad summũ habeatur, agens immediatũ immediatione virtutis, & suppositi esse immediatè in passo eo modo, quo mouens est in mobili; non tamen quòd hinc sequatur, esse in illo tanquam locatum in loco, eo sanè proportionali modo, quo ex hoc, quòd forma informet suum subiectum, optimè sequitur, esse in illo immediatè tanquam forma in sua materia, non tamen tanquam locatum in loco: quia hæc duo pertinent ad diuersas lineas non habentes inter se connexionem.

§. XI. *Euersio præcedentis responsionis.*

Præcedens responsio euertitur.

72 CÆterùm hæc vim rationis D. Thomæ non tollunt. Nam in primis id, quod primo loco dicitur, scilicet, non esse necesse, omnes consequẽtias, quę fiunt ab Scriptura, vel Patribus, esse formales, aut habere vim suã spectatis solũ formalibus rationibꝰ vocabulorũ, benè impugnatur à Gõzalez suprà disp. 16. ex eo, quòd ferendũ nõ est, rationes, quas sacra Scriptura assignat, pro libito dici esse inefficaces, & nõ formales, nisi ex eo quòd, si in sensu formali intelligãtur, sequatur aliquod magnũ absurdũ: quod quidem in præsẽti nõ sequi, ex dictis, & ex dicẽdis in hoc dubio satis liquet. Et multò minùs ferẽdũ est secundũ, scilicet, vim & efficaciã non esse spectandã ex rationibus formalibus vocabulorũ. Cùm tamẽ sit regula inuiolabiliter obseruanda in explicatione sacræ paginæ ea, quam tradit August. lib. 3. de Doctrina Christiana c. 9. & 10. quòd semper verba sacræ Scripturæ intelligenda sunt in sensu proprio, quẽ faciunt, sumendo ipsa vocabula iuxta propriã & rigorosam significationẽ, nisi soli quando ex sensu proprio & rigoroso sequitur aliquod manifestũ absurdum. Nam aliàs, si quisque pro libito posset verba sacræ Scripturę impropriè accipere, nihil certũ ex ea haberemꝰ.

Gõzalez.

August.

73 Ex quo etiã manet impugnatũ id, quod Vazquez ad hanc primam probationẽ antecedentis rationis D. Thomæ respondet, nimirũ, in vtroque illo loco non assignari causam, aut rationẽ essendi in creaturis, sed causam, per quã à simili eã cognoscere possimꝰ. Quoniã si verba Scripturæ in rigore sunt accipiẽda, apertũ est, Apostolũ nõ de cognitione, sed

Impugnatur etiam Vazquez.

ſed de ipſa reali Dei exiſtentia dixiſſe, *Non lõgè eſt ab vnoquoque noſtrum.* & huius ratione aſsignat: *In ipſo enim viuimus, &c.* Vbi dictio, *enim*, cauſam prioris dicti denotat: priùs autẽ dixerat, Deum non longè eſſe ab vnoquoque noſtrũ. De quo etiá vide Nauarrete 1.p. controuerſia 16. vbi probat, hanc intelligentiã Gabrielis Vazquez ſingularẽ eſſe, & non conſonã expoſitioni Sanctorũ Patrum, & ſpecialiter aduerſari Gloſſæ interlinealis, & ordinariæ, Auguſtino, Ambroſio, Hilario, & alijs Patribus, quos ibi latè adducit.

Nauarrete.

Deinde falſum eſt id, quod in hac ſolutione dicitur, nempe, maximam illam Ariſtotelis, in qua habetur, quòd *mouens, & motum oportet ſimul eſſe*, ſolùm intelligi in agentibus corporeis: ex eo quòd propter ſuam limitationem non poſſunt aliter operari. Quoniam (vt optimè notarunt N. Cõplutenſes in lib. Phyſicorum diſp. 28. n. 40.) maxima illa Ariſtotelis eſt vniuerſaliter vera, tam in agentibus corporeis, quàm in ſpiritualibus, & tam in agente finitæ, quàm infinitæ virtutis. Tum quidem propter rationem, quam ſtatim adijciemus. Tum etiam. Quia ſicut forma, vt forma eſt, requirit ad ſuum effectum formalem vnionem, & indiſtantiam cum materia: ita etiam agens principale, vt tale, propinquitatem & immediationem cum paſſo. Et hæc propinquitas dicit perfectionem, quatenus mediante illa habet agens plenum Dominium in ordine ad effectum.

N. Compl.

Neque id, quod de inſtrumento non contingente paſſum, in quod operatur, in hac ſolutione adducitur, obeſt. Quia maxima illa Ariſtotelis vniuerſaliter intellecta, & adhuc in ordine ad diuinam potentiam, intelligitur de cauſa principali, non verò de cauſa inſtrumentali: & ita hęc poterit operari non contingẽdo (modo iam inſinuato) paſſum, ſi cauſa principalis, quæ tunc operatur per prædictum inſtrumentum, ſit ſimul cum paſſo.

74 Ratio autem diſparitatis inter inſtrumentum, & cauſam principalem, ſiue illa ſit creata, ſiue increata, redditur quoad hoc optimè à Curiel. in lib. 1. ſuarum controuerſiarum controuerſia 5. n. 146. ex eo quòd coniunctio cauſę cum effectu ex modo iam dicto efficiendi non colligitur, niſi cùm cauſa operatur modo ſibi connaturali. Et quia Deus nulla vi, neque aliena, neque propria poteſt eleuari ſupra modum ſibi connaturalem operandi, ideò reſpectu eius bene colligitur coniunctio illius cum effectu ex modo operandi immediatione virtutis, & ſuppoſiti. At verò creatura licèt cùm operatur vt cauſa propria, & principalis, non poſsit eleuari ſupra hunc modum operandi per prędictum contactum, quia deſineret operari vt cauſa principalis, neque etiam cùm operatur vt inſtrumentum agentis creati, quia potentia agentis creati limitatur iuxta modum naturalem operandi ſui inſtrumenti, ſicut etiam eſt alligata certis inſtrumentis, & determinatæ naturæ, & determinato modo operandi: tamen cùm operatur vt inſtrumentum Dei, bene poteſt eleuari ſupra eum modum operandi: quia (vt rectè dixit Caietanus) omnipotentia Dei ſicut non eſt alligata neque inſtrumentis certæ naturæ, ſed ſine inſtrumento, & per quodcunque inſtrumentum poteſt producere quemcunque effectum producibilem per inſtrumentum: ita etiam non eſt alligata modo connaturali operandi inſtrumenti, ſed poteſt ſupplere in quocumque inſtrumento omnem conditionem requiſitam ad modum naturalem operandi ipſius inſtrumenti: & ex conſequenti poteſt eleuare inſtrumentum non ſolùm ad producendum effectum tãquam principium, à quo procedat, ſed etiam ad producendũ ſine coniunctione cum ipſa actione: quia hæc coniunctio ſolùm requiritur ad operandum modo connaturali, non verò ſimpliciter ad operandum. Et ideò reſpectu creaturæ non valet illa conſequentia abſolute, ſed ſolum cùm operatur modo connaturali: ac proinde cùm operatur per modum cauſæ principalis, & hoc adhuc in ordine ad diuinam potentiam.

Curiel. *Caietanus*

Tandem falſum etiam eſt id, quod vltimo loco addit Vazquez, nẽpe, quòd licèt ex actione Dei, aut alterius agentis, quæ procedat ab illo immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti, coll gatur operari non interiecta alia virtute, aut ſuppoſito, non tamen operari non interiecta diſtantia inter vtrumque, ſeu debere eſſe ſimultatem ſecundùm locum inter vtrumque. Cuius falſitas poteſt duplici ratione ſuaderi. Prima quidem. Nam hoc ipſo, quòd aliquod agens agat immediatè immediatione virtutis, oportet, vt ſua virtute immediatè contingat paſſum: ergo hoc ipſo, quòd agat per modum cauſæ principalis immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti, oportebit, vt per ſuum ſuppoſitum immediatè etiam contingat ipſum paſſum: ac proinde quòd ſint ſimul ſecundùm locum: & per conſequens, ſi prædictum agens operetur immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti intra prædictum paſſum, vt in Deo reſpectu omnium rerum, & in Angelo reſpectu corporum contingit, erit in illo tanquam in loco.

75 Secunda verò, & potiſsima ratio deſumitur ex ijs, quę tradunt N. Complutenſes in lib. Phyſicorum diſput. 28. num. 42. quæ ſic ſe habet. Quoniam oportet, virtutem actiuam operantem connaturali modo eſſe coniunctam actioni, qua producit effectum: ergo etiam eſt neceſſe eodem modo eſſe coniunctam ipſi effectui: ergo & opus erit, ſuppoſitum, quod immediatè, ſeu proximius agit per hanc virtutem, eſſe coniunctum per ſe ipſum eidem effectui. Antecedens probatur, tum ex-

Corrobora tur ex N. Compiut.

perien-

perientia. Nam dum ignis calefacit aerem ſibi contiguum, tunc calor ignis, & actio calefactiua ſe contingunt. Et rurſus cum medio eodem aere calefacit lignum, oportet, vt illa actio aeris calidi, & calor eius ab igne immediatè acceptus, in cuius virtute operatur, ſe inuicem tangant. Tum etiam. Quia cauſalitas vniuſcuiuſque cauſæ eſt id, quo tanquam actu ſecundo cauſa proximè, & intrinſecè attingit effectum: impoſsibile autem eſt, id, quo cauſa attingit effectum, eſſe ſeparatum ab ipſa cauſa. Tum deinde. Quia virtus, qua proximus agens habet immediatè & proximè, tanquam principio *quo*, concurrere ad effectum, debet eſſe ipſi agenti coniuncta: ergo maiori ratione cauſalitas, cùm ſit id, quo prædictum agens immediatè tanquam actualitate ſecunda, concurrit ad effectum, debet eidem agenti coniungi. Tum denique. Quia actio eſt cauſalitas efficientis cauſæ, ita vt ſit ipſa datio & communicatio, qua agens communicat ſuam entitatem effectui: ergo debet eſſe coniuncta entitati, & actualitati agentis, ſaltem proximioris: quia non poteſt aliqua entitas communicari & dari formaliter per id, quod eſt ab ipſa omninò ſeparatum & diſtans: ſicut communicatio paſsiua, ſiue potiùs participatio, non poteſt eſſe omninò ſeparata ab eo, cui conuenit.

Ex quo ſuadetur, tum prima conſequentia præcipui enthymematis. Quia ſi actio, quæ eſt productio effectus, & ipſa datio & communicatio *eſſe*, & entitatis reſpectu illius, non poteſt eſſe coniuncta cum prædicto agente, ſiue per inhærentiam, ſiue per identitatem, ſiue per intimam aſsiſtentiam, vel tandem per propinquitatem talis coniunctio fiat: etiam virtus actiua, quæ eidem actioni eſt coniuncta, non poterit non coniungi cum effectu. Tum etiam ſecunda conſequentia. Quia virtus, & ſuppoſitum cauſæ conſtituunt vnum principium totale attingens effectum, virtus quidem *vt quo*, & ſuppoſitum *vt quod*, & modo alibi dicto: ergo ſicut ex hoc prouenit, non poſſe virtutem *vt quo* attingere effectum, niſi ſuppoſitum *vt quod* attingat ipſum: ita proueniet, non poſſe virtutem *vt quo* immediatè attingere effectum aliquem, niſi ſuppoſitum *vt quod* immediatè etiam attingat eundem effectum.

76 Et tandem ex dictis etiam liquet, eſſe falſum id, quod vltimo loco in hac ſolutione additur, ſcilicet, quòd ad ſummum ex hac ratione D. Thomæ habeatur, agens immediatum, immediatione virtutis, & ſuppoſiti eſſe in paſſo eo modo, quo mouens eſt in ſuo mobili, non tamen quòd hinc ſequatur, eſſe in illo tanquam locatum in loco.

Ex dictis igitur conſtat, hoc falſum eſſe. Quoniam ſicut in rebus corporeis benè ſequitur ex contactu ſe vndùm quantitatem molis, dari ſufficiens fundamentum ex parte corporis tangentis locum ad hoc, vt ſtatim ſubſequatur vbicatio in illo: ac proinde ex prædicto contactu optimè deducitur, corpus tangens locum eſſe immediatum loco non ſolùm per modum tangentis immediatè illud, ſed etiam eſſe immediatè ibidem tanquam locatum in loco: ita ex hoc, quòd Deus, aut Angelus ſint immediatè in aliquo corpore immediatione virtutis, & ſuppoſiti per modum agentis principalis hoc modo in illo, optimè deducitur, fore in ipſo etiam per modum locati in loco: ſiquidem eo ipſo datur contactus virtutis, vt oſtenſum eſt, qui quidem vnà cum quantitate virtutis eſt immediatum, & adæquatum fundamentum fundandi vbicationem Angelicam metaphoricè & abuſiuè talem, ſicut & ipſe contactus metaphoricus eſt.

Refellitur alia ſolutio Suarez.

Ex quibus omnibus etiam fit, manere impugnatam aliam ſolutionem, quam tradit Suarez lib. 4. de Angelis c. 4 dicens, eſſe magnam differentiam inter Deum, & Angelum. Nam Deus, quia non neceſſariò ſupponit ſubiectum ad actionem ſuam, ideò non requirit antecedentem propinquitatem inter ipſum, & effectum, ſed potiùs hæc ſequitur ex creatione Dei, & ex parte ipſius ſolùm ſupponitur eius immenſitas, ratione cuius (à priori loquendo) vbicumque operatur, ibi eſt: at verò Angelus (idemque eſt cum proportione de omni cauſa creata) neceſſariò ſupponit ſubiectum, circa quod operatur, cui priùs neceſſe eſt præſentem adeſſe, vt actione ſua illud attingere poſsit. Quod etiam explicat idem Suarez aſsignãdo aliam rationem diſparitatis, nimirum, quòd licèt Deus non pendeat à mundo, mundus pendet à Deo, qui nõ dicitur eſſe in mundo propter relationem ad mundum, ſed propter relationem mundi ad ipſum: & quia mundus eſſe non poteſt, niſi per operationem Dei, ideò non poteſt Deus eſſe in mundo, ſi in illo non operetur: at verò Angelus priùs natura, quàm agat in corpus, eſt illi realiter præſens, & corpus non pendet ab ipſo. Ergo non eſt cur illa præſentia Angeli ad corpus ex actione in ipſum pendeat.

Ex dictis ergo liquet, etiam manere impugnatam hanc ſolutionem. Quoniam etſi verum ſit, actionem Dei non prærequirere ſubiectum, & in hoc diſtinguatur ab actione creaturæ, nihilominùs ſemper manet ibi aliquid, in quo communicat cum actione creaturæ, nempe, agere immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti: & ex vi iſtius modi agendi intra eandem creaturam eſt in illa tanquam in loco. Ergo hoc ipſo, quòd Angelus operetur eodem modo in corpus, erit ratione prædictæ actionis in eodẽ corpore tanquã in loco, ſeu fũdabit proximè vbicationẽ in illo.

§. XII. *Prior sententia nostræ assertioni opposita, duo prior a ipsius fundamenta, & solutiones eorum.*

Contraria sententia.

78 SEd licèt D. Thomæ, & nostra sententia sit adeò firmis rationibus stabilita; nihilominùs duæ contra illam extant inter alias sententiæ, de quibus solummodò, quia potissimæ sunt, placuit in præsenti mẽtionẽ facere: quarum prior ex diametro opponitur nostræ, & D. Thomæ sentẽtiæ: quia negat, rationem formalem fundãdi proximè vbicationẽ esse in Angelo quãtitatẽ virtutis actiuæ, contactumque virtutis, qui fit secundùm operationẽ: quamuis in assignando, quæ nã sit Angelo positiua, & proxima ratio existẽdi in loco, inter se discriminẽtur, vt ex fundamentis pro parte illa negatiua, in qua omnes adunãtur, adducendis patebit. Quæ sententia quoad partẽ istã negatiuam, in qua omnes illius sectatores cõueniunt, defenditur ab Alexandro, Hugone de Santo Victore, Gabriele, Gregorio, Marsilio locis dubio præcedenti relatis, Molina art. 1. huius q. mẽbro 4. Valentia q. 3. puncto 2. Vazquez in præsenti disput. 188. c. 2. Suarez lib. 4. de Angelis c. 4. Arrubal 1. part. disp. 154. cap. 3. Curiel lib. 1. suarum controuersiarum controuersia 5. art. 3. conclusione 3. & alijs.

Alexãd. *Hug. de S. Victore.* *Gabriel.* *Gregor.* *Marsil.* *Molina.* *Valentia.* *Vazquez.* *Suarez.* *Arrubal.* *Curiel.*

Fundamentũ primum.

79. Probatur primò. Nam Deus non est in loco per suam virtutem operatiuam, & contactum virtutis ei correspondentem, sed per suam immensitatem, quæ est attributum quoddã distinctũ ab omnipotentia: ergo neque Angelus erit in loco corporeo, tanquam per rationẽ formalẽ, per suã quantitatẽ virtutis actiuæ, & per cõtactũ virtutis, qui fit secũdùm operationẽ virtualiter saltẽ transeuntẽ. Cõsequẽtia videtur perspicua ex paritate rationis: & quia si Angelus esset in loco ratione prædictæ quantitatis virtutis, non esset cur Deus non esset etiam in loco ratione suæ omnipotentiæ, seu quantitatis virtutis illius.

Antecedens autẽ probatur. Tũ, quia sicut omnipotẽtia datur in Deo ad efficiendũ omne posibile, ita immensitas ad replendũ omnẽ locũ: ergo sicut omnipotẽtia ob istam rationem est Deo ratio proxima producendi, quidquid non repugnat: ita propter proportionalẽ rationem immensitas erit Deo ratio proxima replendi omnem locũ. Tum etiam, quia ex eo æternitas est Deo ratio proxima ambiẽdi omnẽ durationẽ, quia dicit infinitatẽ secũdùm durationẽ: & misericordia est ratio subleuãdi omnẽ miseriã, quia est infinita in hac linea, & dicit negationẽ finitatis prouenientis ex parte alicuius miseriæ, quæ ab ipsa subleuari nequeat: sed immẽsitas dicit infinitatẽ in ratione virtutis repletiuę loci per negationẽ termini ex parte loci: ergo erit Deo ratio proxima existẽdi in loco. Tũ præterea. Quia in rebus creatis id, quo limitantur in ordine ad locum, scilicet quantitas, est id, quo sunt præsentes loco definito & limitato: ergo etiam in Deo id, quo est illimitatus in ordine ad locũ, scilicet hæc infinitas, est id, quò præsens est omnibus rebus & omnibus locis.

Cõfirmatur.

Confirmatur. Nam Deus est in locis imaginarijs: at in illis nihil operatur, vt ex se constat: ergo ratio essendi in loco non erit in Deo sua virtus operatiua, & contactus virtutis illius, sed erit vbique per suam immensitatẽ: ac proinde etiã Angelus non erit in loco per suã quantitatẽ virtutis, seu potentiã operatiuã, & contactũ virtutis. Hæc secunda cõsequentia patet ex prima propter paritatem rationis: prima verò ex vtraque præmissa. Minor autem non indiget probatione.

Maior verò probatur. Tũ quia illam fatẽtur Augustinus 11. de Ciuit. cap. 5. Hieronymus super Isaiæ 66. Hilarius 1. de Trinitate §. *Cur in principiũ*, Gregorius hom. 17. in Ezechielẽ, Damascenus lib. 2. de Fide c. 6. & D. Thomas in 1. ad Annibaldum dist. 36. q. 6. art. 2. & quodlibeto 11. art. 1. Tũ etiam. Quia infinitas Dei excedit omnes creaturas etiã imaginarias: atque adeò est in omnibus illis: cùm substantiæ spirituali debeat assignari locus iuxta eius finitatem, vel infinitatẽ. Tũ deinde. Quia si Deus non esset in omnibus locis imaginarijs per suam substantiam, creãdo nouas creaturas moueretur admodum, quo mouetur anima informando nouas partes, quas anteà non informabat: siquidẽ in eo casu esset Deus de nouo in illis creaturis, vbi anteà non erat, sicut informat de nouo anima eas partes, quas anteà non informabat; vel saltẽ moueretur per accidens, ex eo quòd est in nouo loco, in quo anteà non erat. Tũ denique. Quia Deus nõ se magis extendit ratione æternitatis ad durationem, quàm ratione immẽsitatis ad amplitudinem locorum: sed ratione æternitatis ambit tempus futurum, & imaginarium: ergo ratione immensitatis erit in loco imaginario, vbi nihil operatur.

August. *Hieron.* *Hilar.* *Gregor.* *Damasc.* *D. Thom.*

Soluitur.

80. Respondetur primò negando antecedens, loquẽdo (vt in hoc dubio loquimur) non de actuali vbicatione in omni loco, sed de ratione fundante hanc eandem vbicationem. Et ad primam probationem concedendum est antecedẽs, si sensus illius sit, quòd immensitas datur in Deo ad replendum omnẽ locum, idest, ad hoc vt constituat Deum vbicatum formaliter, quantum est ex parte sua in omni loco; non tamen si sensus illius sit, quòd immensitas datur in Deo ad hoc, vt fundet hanc formalem vbicationem in omni loco. Et eodem modo concedenda est cõsequentia, si sensus illius sit, quòd immensitas est Deo ratio proxima replendi omnem locum, id est, per quam formaliter vbicetur in omni loco, non verò per quam fundet prædictam

ctam vbicationē, de qua sola, iuxta hunc modum dicendi, tam respectu Dei, quàm respectu Angelorū loquimur, dum asserimus, quātitatem virtutis, & contactum itidem virtutis esse Deo, & Angelis rationem existendi in suis locis. Vnde immensitas non correspōdet quantitati molis, quę in corporibus est ratio fundandi vbicationem; sed huic correspōdet omnipotentia, & immensitas correspondet vbicationi formali fundatæ supra prædictam quantitatem molis.

Ex quo ad secundam probationem eiusdem antecedentis facilè constat, quòd sicut æternitas est Deo proxima ratio formaliter constitutiua ipsius in ratione proximè ambientis omnem durationem, non verò fundātis rationem istam: quia hoc non conuenit æternitati, sed immutabilitati, quæ est ratio fundans æternitatem: ita etiam immensitas erit Deo ratio, per quam proximè & formaliter constituatur, modo dicto, in ratione vbi cati vbique, non verò per quam fundet prædictam vbicationem.

Ad tertiam autem probationem constat etiam ex dictis. Nam sicut in rebus creatis id, quo limitantur in ordine ad locū per modū vbicationis indebito loco, non est quātitas v.g. molis, sed ipsa vbicatio in illo; secus tamen id, quo limitantur in ordine ad eūdem locum per modum fundantis prædictā vbicationem: ita etiam id, quo Deus est illimitatus in ordine ad locum, ideſt, per quod formaliter est vbique, erit illi ratio existendi in omni loco, non per modum alicuius correspondentis nostræ quantitati, sed nostræ vbicationi. E contra verò id, quo est illimitatus in ordine ad locum per modum fundantis hoc, quod est esse quantum est de se vbique, seu ipsam immensitatem in hoc consistētem, erit illi ratio fundamentalis ex parte sui ad essendum vbique, & correspondebit nostræ quantitati molis.

Obiectio. 81. Nec obest, si contra hoc obijcias, rationem proximam fundandi vbicationem, & ipsam vbicationem, quæ est actus secundus illius rationis fundandi, pertinere ad eandem lineam, sicut intellectus, & intellectio, quę est actus secundus illius, ad eandem spectant: ergo si immēsitas in Deo dicit ipsam vbicationem per modum actus secundi, etiam debet dicere ipsam rationem fundandi, tanquam aliquid cum ipsa immensitate etiā absque distinctione virtuali omninò identificatum.

Fit satis. Respōdetur etiā ex nuper dictis, negando, vbicationem in omni loco, & rationē proximā illius, ideſt rationē fundādi ipsam, pertinere iuxta hūc modū dicendi ad eandē lineā. Nā sicut voluntas, & ratio fundandi illā, nempe intellectus, spectāt ad distinctas lineas: sic vbicatio in omni loco, & ratio fundandi illā. Et ratio est. Quoniam linea fundandi dictam vbicationem pertinet ad ordinem operandi, & affert suum actum vltimum, & purissimum nempe operationem virtualiter trāseuntem, per quam fit actualis contactus virtutis, linea verò vbicationis in omni loco, seu linea immensitatis non pertinet ad ordinem operandi formalissimè sumpta, sed ad ordinem essendi, & consistit in purissima quadam actualitate, nempe in hoc, quod est constituere, quātum est de se, Deum actu, & formaliter vbiq; Quare, sicut ad lineam intellectus spectant hæ duæ rationes inadæquatæ ex parte nostri modi concipiendi distinctæ, scilicet, vis ad intelligendum, & vis ad fundandam voluntatē: & similiter ad lineā immutabilitatis spectat, quòd reddat Deū immutabilē, tribuatq, actu ipsi, quòd fundet æternitatē: ita ad lineā diuinæ potentiæ pertinet, quòd sit actiua creaturarū, & quòd fundet vbicationē in omnibus illis. Et sicut intellectus tribuendo vim ad intelligendū, & ipsum *intelligere* fundat voluntatē, similiterq; immutabilitas, præstādo *esse* immutabile, vt tale, præstat fundamentū æternitatis: sic potentia Dei, & eius operatio, tribuendo *posse* ad productionē creaturarum, & operationē, quā, quantū est de se, attingit illas, tribuit fundamentū ad vbicationē, quātū est de se in omnibus illis, in qua consistit immensitas. Et tandē actu, & in exercitio cū debitis cōnotatis, producēdo ipsas, & tangēdo easdē eodē modo per cōtactū virtutis, fundat actualē vbicationē in actu exercito in illis.

Ex quo fit non benè ab aliquibus comparari inter se ex vna parte, rationem proximā intelligendi, & ipsum *intelligere*; & ex alia rationem proximam non quidem fundamentalem, sed formalem essendi, quantum est ex se, in omni loco, & ipsum esse in illo actu & in exercitio, quantum ad hoc, quod ratione suæ eminētiæ sit in ea distinguendū duplex munus, adhuc ex parte nostri modi concipiendi distinctum: quorum vno æquiualeat rationi creatæ omnino proximæ, & formali essendi in loco, & alio ipsi vbicationi creatę siue exercitio actuali essendi in loco, sicut in *intelligere*, & intellectui Dei æquialētib⁹ intellectui, & *intelligere* creatis cōtingit. Quoniā cū linea intellectus sit linea spectās ad ordinē operādi debet in ipsa distingui ratione suæ eminētię, & æquialētiæ rebus creatis pertinētibus ad eādē lineā totalē, ac proinde ex parte nostri modi cōcipiēdi, vis proxima ad operādū, siue intelligēdū, & ipsum *intelligere*. Cæterū cū linea immēsitatis sit linea pertinēs formalissimè loquēdo ad ordinē essendi, nō est necesse, vt distinguatur in ea, adhuc ex parte nostri modi concipiendi, vis proxima formalis ad essendum quantum est de se vbiq;, & ipsum actuale *esse* quantum est ex parte sui vbique sicut neque in æternitate, aut alijs attributis pertinentibus ad ordinem essendi, id contingit

tingit, sed lineæ immensitatis, & æternitatis tantùm dicunt ipsum *esse*, quantum est de se vbique, & ipsum *esse* actu æternum, vt tale. Quoniam quæuis alia actualitas, præter istã pertinet ad aliam lineam.

Replica

82 Ex quo fit, nihil obesse, si vrgeas, quòd actualis vbicatio in omni loco conuenit Deo ex tempore: acproinde tantùm cõpetit illi per denominationem extrinsecam à locis, in quibus est: ergo prædicta vbicatio non erit eadem ac immensitas; sed aliquid posterius ipsa. & perconsequens immensitas consistit in ratione quadam formali ex parte Dei se tenente, & fundante prædictam vbicationem.

Solutio.

Ex dictis igitur constat, hoc nihil obesse Nam sicut actus creandi actualiter semper est in Deo: quia est idem ac sua scientia practica infinita, & actualissima: & nihilominùs prædictus actus nõ est semper in actuali exercitio, & denominatione creandi, ex eo quòd non semper in actu exercito est creatio passiua, nec sunt connotata adhoc requisita, nempe creatura actu producta: ita etiam actualitas vbicationis Dei in omni loco sẽper est in illo, & quantum est ex se, semper constituit Deum vbique: & nihilominùs nõ semper in exercitio hoc habet, nec semper Deum denominat actu & in exercitio existentem vbique: ex eo quòd non semper sunt connotata adhoc exercitiũ & denominationem requisita, nempe, quòd præcedat actio Dei producens, & contingẽs loca, & quòd præcedant loca ipsa per hanc actionem producta, & attacta. Vnde, sicut Deus denominatur actu creans, tum per denominationem intrinsecam desumptam ex summa actualitate sui actus creandi, connotando tamen connotata iam dicta, tum etiã denominatione extrinseca desumpta ex rebus creatis, & ex relatione illarum ad Deũ: ita denominatur vbicatus actu, & in exercitio in omni loco, tum ab vbicatione intrinseca ipsius, connotando tamen connotata iam explicata, tum ab ipsis locis, & habitudinibus eorum ad illum.

Diluitur secundo totũ argumentũ

83 Secundò respondetur ad totum hoc argumentum, omnipotentiam, & immensitatem non distingui in Deo, vt duo attributa, ex æquo distincta, sed sunt duæ rationes inadæquatæ eiusdem attributi, ex parte nostri modi concipiendi distinctæ. Cæterum cum hoc stat, vt licet adhoc, vt omnipotentia concipiatur sub conceptu expresso omnipotentiæ, vt præcisè æquiualet virtuti actiuæ quoad id, quod exprimit, non sit necessarium concipi sub conceptu immensitatis attamen adhoc, vt eadem omnipotentia intelligatur vt ratio essendi in loco, debet etiam concipi sub illo conceptu omnipotẽtiæ, & immensitatis ideſt sub conceptu expresso operantis quantum est ex se in omni loco. Sicut adhoc vt Deus concipiatur sub conceptu vbicati, requiritur, illum concipi sub conceptu operãtis, & sub conceptu immẽsi, id est operantis modo dicto in omni loco: & ibi immensitas per modũ actus purissimi erit, tam vis ad essendũ in omni loco, quã ipsa vbicatio connotãdo locũ: & propterea omnipotentia, vt dicit etiã immensitatẽ, potest præstare omnia, quæ in argumento referuntur. Cæterum de his infra dub. 5. sermo redibit, vbi hæc magis elucidabuntur.

Ad confirmationem

Ex quibus omnibus ad confirmationem huius primi argumenti respondetur, negandum esse antecedens. Et ad primam probationem dicendum est, sensum illorum testimoniorum non esse, quòd Deus sit in locis imaginarijs, quandiu sub ratione locorum imaginariorum manent, sed quòd productis alio, & alio vniuerso, illud spatium, quod modo habet rationem spatij præcisè imaginarij, non maneret præcisè sub ratione talis; sed simul daretur ratio veri spatij, Deusque esset in illis spatijs; siue locis denuò productis, & in quibussuis alijs, quæ defacto producerentur.

Ad secundam probationem respondetur, satis esse ad infinitatem Dei in ratione locabilis, quòd productis alijs, & alijs creaturis vsque in infinitum syncategorematicè, eo ipso sit in illis, eiusque vis locabilis in actu primo considerata tantum se extendat, quantum eius omnipotentia eodem modo accepta: & similiter in actu secundo ac in exercitio æque pateat, ac eadem omnipotentia in actu exercito attingens, & producens creaturas.

Ad tertiam autem probationem negandum est antecedens. Nam Deus non est in creaturis denuò productis per aliquã sui mutationem, sed per mutationem earundem: sicut persona Verbi non sustentat naturam humanam per mutationem Verbi, sed humanitatis. Anima autem semel informans nouam partem materiæ, quam anteà non informabat, aliquo modo mutatur: quia illa informatio, quippe quæ est corporea, vt docent N. Complut. in lib. Physicorum disp. 6. n. 48. debet habere nouam formalitatem, adhoc vt denuò se extendat ad nouam partem materiæ: & ratione huius nouæ formalitatis prædicta anima intrinsecè mutatur. Nec verum est, id quod in eadem probatione additur, nempe, Deum existentem in aliquo loco. & denuo se extendentem ad alium ex eo quòd producit nouam creaturam, fore saltẽ per accidẽs mutandũ. Ná quòd aliquis posit ex hoc capite moueri, aut mutari per accidẽs, prouenit ex eo, quòd sit in loco definitiuè, ac proinde manẽte priori loco possit

N. Compl.

& debeat illum deserere: quod tamen Deo non competit. Quæ solutio innuitur à D. Thoma quæst. præcedenti articulo vltimo in solut. ad 3. *D. Thom.*

Ad vltimam verò probationem negandæ est maior. Et ratio disparitatis est. Quoniã Deus est in locis liberè ratione suæ operationis, vt exercitio rationis formalis fundantis in actu exercito vbicationem actualẽ, & exercitã in quouis loco. Et ita, quia operatio Dei non terminatur nisi ad vera & realia loca, idcircò Deus non est in locis imaginarijs, vt talibus, sed solùm in locis veris & realibus. Cæterùm æternitas non ambit durationem ratione operationis, nec tangit illam, sed ambit ipsam ratione sui *esse*, suppositã tamen, tanquam conditionẽ, existentia durationis ambiendæ. Et ideò, quia tẽpus imaginarium, prout habet rationem cuiusdam realis negationis, quodammodò existit, & dicit suam durationem negatiuam, eo modo, quo negatio existere dicitur: idcircò æternitas extenditur ad ambiendum omnem durationem, tam realem positiuam, quàm negatiuam, siue imaginariam.

Secundũ argumentũ.

84. Secundò principaliter probatur eadem sententia. Quoniam non repugnat, Angelum moueri per vacuum: ergo non erit in loco ratione suæ virtutis operatiuæ, aut contactus virtutis, quo operetur in illum. Consequentia videtur perspicua. Quoniam dum mouetur per vacuum, nihil est in prædicto vacuo, in quo per actionem virtualiter transeuntem operetur. Cũ tamen hoc ipso, quòd moueatur localiter per illud, debeat acquirere vbicationem ibidem. Antecedens autem probatur. Quoniam corpus potest moueri per vacuum: ergo eadem ratione Angelus, qui maioris virtutis est, poterit per ipsum moueri.

Euertitur.

Respondetur negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, esse disparem rationẽ. Nam, vt benè N. Complutenses in sua Logica disput. 15. num. 19. dicunt, vbicatio resultat ex adiacentia loci: & in corporibus satis est ad hanc resultantiam ex adiacentia loci, corpus illud esse in loco communi, quatenus sit in vacuo, id est, contineri intra primum continens, scilicet cœlum, non obstante, quòd immediatè non tangatur ab aliquo loco particulari, vt optimè docent N. Complutenses in lib. Physicorum disput. 19. num. 53. & ita adsunt ibi requisita ad hoc, vt corpus illud acquirat vbicationem, & per consequens moueatur localiter. Cæterùm Angelus nequit esse in loco communi, hoc ipso quòd sit in vacuo. Nam eo ipso nequit operari immediatione virtutis, & suppositi in locum communem, nempe cœlum: & per consequens nec est in prædicto loco communi: siquidem, vt ex dictis constat, Angelus non nisi per prædictam operationẽ queit esse in loco: ac proinde nullus locus potest esse præcisè communis respectu illius, nisi sit etiam particularis. *N. Compl.*

§. XIII. *Tria alia fundamenta eiusdem sententiæ, vnà cum responsionibus ad illa.*

85. TErtiò probatur prædicta sententia. Quoniam priùs est, Angelum esse in aliquo loco, quàm operari in illo: ergo Angelus non erit in loco per suam operationẽ, tanquam per exercitium rationis formalis fundantis vbicationem: & percõsequens nec ratio formalis fundandi illam in actu primo considerata erit sua virtus operatiua. Hæc secunda consequentia ex priori apertè liquet. Quoniam si semel exercitium huius rationis formalis non est operatio, planum est, rationem formalem in actu primo non esse virtutem operatiuam: siquidem hæc non exercet suam vim, nisi medio prædicto exercitio, scilicet operatione. Prima verò consequentia ex antecedenti constat. Tum, quia si semel operatio est exercitium rationis formalis fundantis vbicationem, nequibit dari vbicatio in loco ante prædictum exercitium: alioquin dabitur vbicatio, antequam ratio formalis fundans illam exerceat suam causalitatem, & vim fundandi respectu illius. Tum etiam. Quia prius non dependet à posteriori: & ita si esse in loco est prius, quàm operari in eodẽ loco, non habebit Angelus esse in illo ratione operationis, & dependenter ab illa. Antecedẽs autem probatur. Quoniam sicut prius est esse, quàm operari: ita prius est esse in aliquo locp, quàm operari in illo. Tertiũ fundamentum

Confirmatur primò. Quoniam virtus actiua, & totum id, quod requiritur ex parte ipsius ad agendum, præsupponitur actioni, & non est secundùm illam rationem effectus talis actionis: sed immediatio ad locum est conditio requisita ex parte Angeli, vt agat tanquam agens immediatum: ergo præsupponitur huiusmodi immediatio ad actionem: & ex consequenti non est eius effectus, neque cõuenit Angelo ratione ipsius. Probatur minor. Quia sicut ad actionem absolutè sumptam requiritur debita approximatio agentis ad passum per ordinem ad spatium: ita ad actionem immediatam requiritur immediata vnio; imò hæc vnio est approximatio, quæ requiritur ad actionem immediatam: ergo sicut approximatio est conditio prærequisita ad actionem, ita etiam vnio immediata est conditio prærequisita ad actionem immediatam. Confirm. 1

Confirmatur secundò. Quoniam si semel non prærequiritur simultas secundùm locum inter passum, & agens immediatè immediatione virtutis, & suppositi, non est Confirm. 2

ſet eur in eodem inſtanti, & poſteriùs natura deſideraretur. Hoc autem eſt apertè falſum, vt communiter docent Philoſophi, & Theologi: ergo, &c. Sequela probatur. Quia ſi vt operatio reciperetur in paſſo, non fuit præ requiſita propinquitas ſecundùm locum inter agẽs, & paſſum, ſine ratione dicitur, quod poſteà conueniat agenti huiuſmodi propinquitas ad paſſum: quia nulla eſt ratio neceſsitatis, quæ eã exigat: cùm huiuſmodi propinquitas inter agens, & paſſum ſolùm videatur neceſſaria ad hoc, vt actio procedat ab agẽte in paſſum.

Vltima confirmatio. Confirmatur tandem. Quoniam multoties Angelus diſtat poſitiue ab aliquo loco, in quem operaturus eſt, vt puta, dum eſt in cœlo, & vult operari in terra: ergo tũc priùs debet appropinquari terræ, & eſſe in illa, quàm operetur in ipſa: ac proinde ratio exiſtendi in ea, & fundandi vbicationem in illa, non erit eius quantitas, vel contactus virtutis. Hęc ſecunda conſequentia patet ex priori: priorverò ex antecedẽti. Quoniã diſtantia poſitiua à paſſo impedit operationem circa illud: ergo niſi hæc priùs deuincatur, nequibit agens operari circa prædictum paſſum. Antecedens verò non indiget probatione.

Soluitur fundamentum. 86. Reſpondetur, negando antecedens. Et ad probationem conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia. Quoniam *eſſe* agẽtis non eſt in genere cauſæ efficientis effectus operationis eiuſdem agentis: eſſe tamen in loco eſt effectus tam in genere cauſæ efficientis, quàm in genere cauſæ formalis, & fundamentalis, procedens à quantitate, & contactu virtutis, qui fit ſecundùm operationem: & ideò nequit priùs Angelus eſſe in loco, quàm operetur. Et ita ſtat optimè, *eſſe* Angelicum dari prius ſimpliciter operatione, licèt non ſit prius illa quantum adhunc ſpecialem effectum, nimirum eſſendi in loco. Quæ ſolutio deſumitur ex D. Thoma quodlibeto 1. art. 4. in ſolut. ad 1. vbi cũ propoſuiſſet hoc idem ãrgumentum, reſpondit in hæc verba: *Dicẽdũ, quod nihil prohibet, aliquid eſſe prius ſimpliciter, quod non eſt prius quãtum ad hoc: ſicut corpus ſubiectum eſt ſimpliciter prius ſuperficie; ſed non quantum ad hoc, quod eſt colorari. Et ſimiliter prius ſimpliciter eſt corpus, quàm tactus: tamen ipſum eſt in loco per tactũ dimenſiuæ quãtitatis: & ſimiliter Angelus per contactum virtutis.*

D. Thom.

Ad primã cõfirmationem. Ad primam confirmationem dicendum eſt, quòd etſi in agentibus corporeis, & operantibus per ſuam virtutem corpoream, ſit priùs eſſe approximata paſſo, quàm quòd operentur in illo, quia agunt per virtutem ſubiectatã in ſua quantitate, & dependentem ab illa, & à loco, cui omninò commenſurantur: attamen in agentibus ſpiritualibus, nempe Angelis, & Deo, exiſtentibus in loco per ſuã quantitatem, & contactum virtutis, non eſt priùs eſſe in loco, quàm operari in eo, ſed potiùs è contra. Et ita in prædictis agentibus hoc, quod eſt eſſe in loco, non eſt de conditionibus prærequiſitis ad operandum immediatione virtutis, & ſuppoſiti, ſed de conditionibus concomitantibus in eodem inſtanti prædictam operationẽ. Et propterea Ariſtoteles, & D. Thomas 7. Phyſicorum, agentes de approximatione requiſita inter agens, & paſſum, non dixerunt, debere præſupponi prædictam approximationem, ſed agens, & paſſum debere eſſe ſimul. Quia (vt N. Complutẽſes in lib. Phyſicorum diſput. 28. num. 40. rectè notarunt) loquebantur vniuerſaliter de omni agente ſaltem principali: & ſic vniuerſalier loquendo, per prædictum axioma tantùm ſignificatur, quòd agens, & paſſum debent eſſe debitè approximata, ſeu eſſe ſimul in eo inſtanti, in quo exercetur operatio: quanuis aliter, & aliter in agentibus corporeis, & in prædictis agentibus ſpiritualibus: quoniã in illis (vt dicebamus) eſt prior prioritate naturæ prædicta approximatio, quàm operatio eorum, in iſtis verò eſt poſterior ſua operatione.

Ariſtotel *D Thom.* *N. Compl.*

Aliter fit ſatis. Adde, quòd adhuc gratis admiſſo, quòd Angelum eſſe approximatum ſit cõditio aliquo modo prærequiſita ad hoc, vt operetur in eo inſtanti in illo immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti: nihilominùs poſſet reſponderi, quòd tunc, quantum ad præſens, conſiderandum eſt triplex genus cauſæ, nempe efficientis, formalis, & materialis, aut quaſi materialis diſpoſitiuæ. Operatio ergo in genere cauſæ efficiẽtis, & formalis erit prior, quàm quòd Angelus, & locus ſint approximati, ex eo quòd concurrit vt exercitium rationis formalis effectiuæ, per quam Angelus vnitur loco: cæterùm in genere cauſæ materialis, aut quaſi materialis diſpoſitiuæ, prior eſt vnio ad locum, quàm operatio, quatenus quodammodò quaſi diſponit locum, vel paſſum ad recipiendam actionem, aut terminũ productum per talem operationem: quia niſi in eodẽ inſtanti daretur prędicta approximatio, & ſimultas, nõ poſſet agẽs operari immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti in illo paſſo. Vnde in hoc ſenſu poteſt dici, quòd vnio ad locum eſt conditio prærequiſita præſuppoſitione ſecundùm quid ad agẽdum, nempe, in genere cauſæ materialis, aut quaſi materialis diſpoſitiuæ, licèt ſimpliciter debeat dici poſterior, nimirum in genere cauſæ efficientis, & formalis.

Elucidatur exemplo. Quod explicari poteſt exẽplo vltimæ diſpoſitionis cõcomitantis formã materialem, v. g. caloris vt octo, introducti ſimul cũ forma ignis, qui eſt prior ſecũdùm quid, ſcilicet in genere cauſę materialis diſpoſitiuę, forma ſubſtãtiali; poſterior verò ſimpliciter eadem, nimi-

nimirum in genere causæ efficientis, & formalis. Vnde ad formã cõfirmationis distinguenda est maior quoad primã partẽ illius: & si sensus illius sit, quòd id, quod requiritur ad actionem, præsupponitur ad illam in genere causæ efficientis, aut formalis, negãda est: in genere causæ materialis, aut quasi materialis dispositiuæ, transeat. Et similiter distingui debet posterior pars eiusdem maioris, quę quidem transeat, intellecta de effectu in genere causæ, aut quasi causæ materialis dispositiuę; & negetur de effectu in genere causæ efficientis, & formalis, seu exercitij prędictarum causarum. Per quod ad alia, quæ in eadem confirmatione adducuntur, patet.

Ad secundã cõfirmationem.

87. Ad secundam confirmationem negarda est sequela. Ad cuius probationem negandum est antecedens, propter rationes n. 74. adductas. Vnde prædicta approximatio in agentibus spiritualibus, nempe Angelis, & Deo, si formaliter loquamur, non est necessaria, vt actio procedat ab agẽte in passum, sed quia ab illo procedit. Et propterea talis approximatio est de conditionibus cõcomitãtibus in eodem instanti, & subsequentibus, ac posterioribus posterioritate naturæ: & ad summum potest de eis gratis admitti, quòd sint priores secundùm quid, & in genere causæ materialis, aut quasi materialis dispositiuæ: quia esto id admittatur, nihil inde contra nos (quanuis, an reuerà prædicta sit multas, & approximatio ad locum præcedat in hoc genere causæ dispositiuæ præcedẽtia secundùm quid ad operationem Angeli, cum posterioritate tamen simpliciter, modò non discutimus.) Quia ad saluandum, Angelum esse in loco per suam operationem, tanquam per rationem formalem in actu secundo, seu tanquam per exercitium suę rationis formalis fundantis vbicationem, non obest, quòd gratis admittatur, prędictam approximationem ad locum esse priorem prioritate illa secundùm quid. Sicut ad saluandum, formam ignis esse priorem in genere causæ efficiẽtis, & modo à N. Complutensibus in lib. de Generatione disp. 2. n. 98. explicato, quàm vltimam dispositionem, & esse priorem illa in genere causæ formalis determinantis ad eam, & fundantis ipsam, non obstat, quòd prædicta dispositio sit prior in genere causæ dispositiuæ, quàm talis forma substantialis.

N.Compl.

Ad vltimã.

Ad tertiam confirmationem concedatur antecedens, & negetur vtraque consequentia. Et ad probationem prioris, in qua innititur posterior, dicendum est, distantiam positiuam à passo non impedire operationem in illo, nisi vel ablatio huius distantiæ præcedat operationem, aut comitetur illam in eodem instanti, cum subsecutione tamen, & posterioritate naturæ respectu illius: ex eo quòd tollitur per illam operationem, & agens est in eo instanti simul cum passo, vt in Angelis contingit. Quomodo autem hoc fiat, & an per motum, siue mutationem discretam, & qualiter secundùm prædictum motum, aut mutationem, disputatione sequenti dubio 5. n. 99. & deincepsexplicabitur.

88. Quartò probatur eadem sententia. Quoniam alioqui Angelus mouens primam sphæram, esset in tota illa tanquam in loco, quippe qui ageret in totam illam: hoc autem admitti nequit, vt communiter fatentur Philosophi: ergo, &c.

Quartũ fundamentum.

Diluitur.

Respondetur, negando sequelam. Quoniã Angelus non agit immediatè immediatione virtutis, & suppositi in totam illam, sed mouet vnam partem, & ea mediante mouet cæteras. Et ita tantùm est vt in loco in parte illa, ratione cuius alias mouet. Hoc autem nõ sic intelligendum est (per quod res ista magis explicata manebit) vt Angelus ratione vnius dumtaxat partis determinatæ moueat reliquas, & ipse moueatur deinde per accidens ad motum illius sphæræ, sed Angelus est semper in determinato situ, qui semper est in oriente, & mouet modò immediatè immediatione virtutis, & suppositi partem illam, quę nunc est in oriente, & deinde eodem modo mouet aliam, quæ illi succedit; non verò eã, quam antea mouebat, & sic de alijs: Et propterea semper est in eodem loco formaliter sumpto: sicut turris, quæ est in medio fluminis fixa, semper est in eodem loco, quanuis aquæ fluant, & refluãt, vt benè explicãt, reddunt que huius rationem N. Complutenses in lib. Physicorum disp. 19. num. 18. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma suprà q. 51. art. 3. ad 3. vbi sic inquit, *Angeli mouentur per accidens ad motum corporum assumptorũ; non autem ad motum corporũ cœlestium; etiã si sint in eis, sicut motores in mobilibus: quia corpora cœlestia non recedunt de loco secundùm totũ nec determinatur spiritui mouenti orbẽ, locus secundùm aliquam determinatam partẽ substantiæ orbis, quæ nunc est in oriente, nunc in occidente, sed secundùm determinatum situm: quia semper est in oriente virtus mouens, vt dicitur in 8. Physicorum.*

N.Compl.

§. XIIII. *Alia duo posteriora fundamenta eiusdem oppositæ sententiæ, vnà cùm illorum solutionibus.*

89. Quintũ fundamentum.

QVintò probatur eadem sententia. Quoniã animæ nostræ relictæ suis naturis possunt esse in loco corporeo: at non per operationem: tum quia alioqui cùm homo moritur, tunc anima in illo motu, quo vel descendit ad inferos, vel ascendit ad superos, immutaret totum spatium, per quod pertransit, quòd videtur incredibile. Tum etiã, quia si ipsa esset in loco per operationem, nõ esset

eſſet cur eſſet neceſſarium, quòd portaretur ab Angelis in cœlum, aut à Dæmonibus ad inferos: ergo, &c.

Solutio prior.

Reſpondetur, animam noſtram, relictam præcisè ſuæ naturæ, & ſeparatam à corpore, non poſſe ſe ipſam mouere: quia ſolùm habet vim ad mouendum corpus ab ipſa viuifi-
D. Thom. catum, vt docuit D. Thomas infrà quæſt. 117. art. 4. & ideò ſolùm eſt in loco per paſſionem, qua alligatur alicui loco.

Ad illud autem de motu animæ deſcẽdẽtis ad inferos, aut aſcendentis ab cœlum, dicendum eſt, neque aſcendere, neque deſcendere per motum, ſed animæ iuſtorum nihil habentes purgandum, in eo inſtanti, in quo iuſti decedunt, habent per mutationem quãdam inſtantaneam, & diſcretam tranſire, nõ quidem à loco in locum, aut per medium, ſed à non eſſe in cœlo, ad eſſe in illo: quia operantur virtute qualitatum gloriæ in cœlo in illo eodem inſtanti abſque operatione in medio. Animæ verò eorum, qui habent aliquid purgandum, vel damnantur, habent per mutationem inſtantaneam, & diſcretam trãſire, non à loco in locum, aut per mediũ, ſed à non eſſe in inferis, ad eſſe ibidem; & hoc per actionem Dei vt cauſæ principalis, & forte ignis inferorum vt inſtrumẽti, qui per actionem quandam (vt ſic dicamus) diſcretam, virtute tamen diuinæ eleuationis, actiuæ facit, vt in eo inſtanti prædictę animæ tranſeãt à non eſſe alligatas ibidem, ad eſſe alligatas, & concludi à prædicto loco.

Ad illud autem, quod dicitur de Angelis bonis portãtibus animas iuſtorum ad cœlos & de malis deferentibus animas damnatorũ ad inferos, reſpondendum eſt, non eſſe neceſſariam hanc portationem phyſicè loquẽdo, quanuis dicatur portare illas moraliter, ex eo quòd eaſdem concomitentur, eiſque aſsiſtant. Quomodo autem fiat hæc concomitatio, patebit ex his, quæ alibi dicemus.

Poſterior enodatio.

Adde, non eſſe improbabile, animas noſtras in ſtatu ſeparationis habere vim ad ſe ipſas mouendas, & mouenda alia corpora, licèt ab ipſis non viuificentur. Hoc autem non conuenit eis connaturalitate formæ, ſed quodammodò connaturalitate ſtatus, virtute tamen diuina: non quidem ita, vt conferri illis hãc virtutem ſit quid miraculoſum; ſed quia hoc quodammodò debetur illis ratione ſtatus ſeparationis: eo ſanè proportionali modo, quo ſpecies, quibus intelligit in ſtatu ſeparationis, infunduntur illi virtute diuina, nõ quidem ita vt hęc infuſio ſit miraculoſa, ſed ita vt ſit quodammodò debita ratione illius ſtatus iuxta ſuauem Dei prouidentiam. Vnde ſectando hunc dicendi modum, debet iuxta illum, teſtimonium D. Thomæ nuper allatum explicari. Et ita de illis poteſt eodem proportionali modo, ac de Angelis philoſophari. Et ideò non erit neceſſe, vt totum medium, quòd eſt inter cœlum, & terram, immutent, vt explicatum eſt.

90. Vltimò probatur prædicta ſententia. Nam Angeli creati ſunt in cœlo empyreo, vt ex Scriptura, & Patribus conſtat: & Angeli beati modò ſunt in illo, tanquam in loco: & tamen non habent aliquam operationem virtualiter tranſeuntẽ, ratione cuius in prædicto cœlo locentur: quia non apparet, quænam ſit prædicta actio, quidue per illam producatur: ergo, &c. Vltimũ fundamentum.

Nec ſatis eſt id, quod reſpondet Ferrara, & conſentit Caietanus, Angelos beatos habere in cœlo aliquam actionem tranſeuntem nobis occultam: ac proinde etiam illam habuiſſe omnes Angelos in primo inſtanti ſuæ creationis, dum ibidem creatos eſſe, ex ſacra pagina ſatis conſtat. *Ferrara.* *Caietan.*

Non itaque hæc ſolutio ſatisfacit. Nam contra eam obijcit Suarez. Tum, quòd qua facilitate hoc dicitur, eadem contemnitur: ex eo quòd cùm hoc occultum ſit, nullo fundamento affirmatur; ſed ſolùm ad vim rationis fugiendam: cùm tamen nulla efficaci, vel probabili ratione oſtendatur neceſsitas actionis in cœlum, vt Angelus in illo præſentialiter exiſtat. Tum, quòd (vt in hac obiectione dicebatur) difficulter aſsignabitur cuius cõditionis ſit prædicta operatio, quidue per illam producatur. *Suarez.*

Confirmatur ex Malonio. Nam indignũ videtur Theologo, in Angelis fingere operationes, quas nequeat explicare, licèt aliquãdo in alijs rebus poſsit aſſerere, quæ explicari ſatis nequeũt: ex eo quòd ſola fide diuina, aut Patrum teſtimonijs habentur, quod tamen in præſenti non contingit. Confirm. 1. *Malonius.*

Confirmatur ſecundò ex Rada. Quoniam ſi hæc ſolutio eſſet admittenda, pariter quæuis alia argumenta ſolui poſſent per ſolutionis ignorantiam. Confirm. 2.

Deinde contra eam argumentatur idem Suarez. Quia illa actio Angelorum in cœlũ empyreum non eſt motus localis, quia iſtud cœlum eſt immobile ſecundùm locum: nec etiam eſt impreſsio alicuius qualitatis: ergo nulla erit. Quia in cœlo nulla actio poteſt per ſe eſſe, niſi ad *vbi*, vel ad qualitatẽ: ex eo quòd cœlum nec ab Angelo ſubſtantialiter producitur, nec in quantitate augeri poteſt. Antecedens quoad ſecundam partem (quæ ſola indiget probatione) ſuadetur. Quia Angeli non poſſunt corpora alterare, aut in eis qualitates producere, vt eſt axioma communiter receptum. Quod ſi Ferrara, vel Caietanus qualitates occultas excipiunt, contra cõmunem ſententiam loquuntur, & omne fundamentum eius euertunt: quia nullam maiorem rationem de iſtis, quàm de illis aſsignare poſſunt: vnde aperitur ianua, vt alij dicãt, Impugnatio P. Suarez.

etiam posse Angelos per se immediatè efficere qualitates corporeas nobis ignotas.

Respondetur admittendo solutionem huic argumento traditam, sanè tamen intellectam. Non enim sensus illius est, Angelum esse in loco per operationem virtualiter saltem transeuntem, quæ nobis penitus sit occulta, & ignota, sed quam non plenè, & perfectè capimus, sicut & plura alia ad Angelos spectantia. Vnde Angelicus Doctor in 4. dist. 45. q. 1. art. 1. ad 1. sic ait: *Incorporalia non sunt in loco modo aliquo noto nobis, & consueto. secundùm quod dicimus, corpora propriè in loco esse: sunt tamen in loco modo substantijs spiritualibus conueniente, qui nobis plenè manifestus esse non potest.* Cõgruitque hoc quoad præsens cũ re, de qua loquimur. Quia cùm cœlum empyreum solo nobis innotescat discursu Theologico, sitque fides supernaturalis beatorum, non mirum (vt bene notauit Nazarius art. 1. huius q.) si communem in eo locandi rationem Angelis conuenientem asseramus, scilicet operationem, qualitatem autem eius & modum non plenè capere, & perconsequens neque exactè explicare valeamus.

Respondetur ad 1. fundamentum

Angelic. Doctor

Nazarius

Vnde ad primam impugnationẽ cõtra hanc solutionem sic intellectam respondetur, falsum esse id, quòd in ea innuitur, scilicet operationem istam Angelorum in cœlum empyreum non astrui grauibus fundamentis, & ideò qua facilitate dicitur, eadem meritò reijciendam & contemnendam esse: siquidem Angelos omnes fuisse creatos in cœlo empyreo, & beatos ibidem localiter esse, ex Scriptura, & Patribus constat: & hanc locationem fieri per quantitatem suæ virtutis, & contactu itidem virtutis, qui fit secundùm operationem, liquet ex testimonijs, & rationibus, ac fundamẽtis grauibus pro prima assertione adductis, quamuis qualitas huius actionis, vt est saltem virtualiter transiẽs, & termini producti per illam, non ita plenè & perfectè capiatur, & explicetur. Cum quo tamẽ stat, vt statim dicemus, eam sufficiẽter (quãtum materia, de qua loquimur, patitur) posse ex Angelico Doctore explicari.

92. Deinde potest addi ratio non contẽnenda ex eodem S. Doctore, infrà q. 110. artic. 1. & alijs Patribus desumpta. Quoniam omnis creatura corporea administratur per Angelos: & hoc, ait D. Thomas, non solùm à Sanctis Doctoribus ponitur, sed etiam ab omnibus Philosophis, qui incorporeas substantias posuerunt. Et propterea idẽ Angelicus Præceptor de Potentia quæst. 3. art. 19. ad 2. inquit, quòd etiam nunc nihil prohibet, Angelos non esse in loco, si voluerint, etiam si semper sint in loco, propter ordinem, quo creatura spiritualis præsidet corporali secundùm Augustinum 3. de Trinita-

Roboratur eadem ratio.

Angelic. Præceptor

Augustin.

te. Ergo Angeli creati sunt in cœlo empyreo, ibique aliquam operationem exercent, ratione cuius, tam prædicto cœlo, quàm cæteris alijs creaturis inferioribus præsident, quæque influunt in creaturã corporeã. Patet consequẽtia. Quia hæc præsidẽtia, & administratio nõ fit, nisi per operationẽ. Vnde D. Th. infrà q. 61. art. 4. hoc explicãs, sic inquit: *Ex creaturis corporalibus, & spiritualibus vnum vniuersum constituitur. Vnde sic creatæ sunt spirituales creaturæ, quòd ad creaturam corporalem aliquem ordinem habent, & toti creaturæ corporali præsident. Vnde conueniens fuit quòd Angeli in supremo corpore crearentur, tanquam toti naturæ corporeæ præsidentes.* Hanc autem præsidẽtiam fieri per virtutem, & operationem Angelicam, statim docet in solutione ad 1. sequentibus verbis: *Angeli nõ sunt creati in loco corporeo, quasi dependentes à corpore secundùm suum esse, sed ad ostendendum ordinem eorum ad naturam corpoream: & quòd sua virtute corpora contingunt.* Per quod ad primam partem impugnationis ex Suarez desumptæ satis patet.

D. Thom.

Ad secundam verò partem eiusdẽ impugnationis ab eodem Suarez allatæ, in qua petitur, quænam sit ista operatio, cuiusue conditionis, quisque sit terminus per illam productus, respondetur ex D. Thoma in 1. dist. 37. quæst. 3. art. 1. Angelum posse agere in corpus producendo in eo lumen, vel aliquid huiusmodi: ideoque ibidem sic ait: *Substantia enim spiritualis potest aliqui conferre, non quidem esse sed aliquid ad esse superadditum: & sic Angelus est in loco, in quantum operatur circa aliquod corpus locatum, vel motum, vel lumen, vel aliud huiusmodi; cui tamen esse non confert.* Vnde iuxta hũc dicẽdi modũ Angelus potest esse in cœlo empyreo, eliciẽdo ibidem actionem virtualiter saltem transeuntem, & quæ sit talis conditionis, vt in cœlo producat lumen, quo illuminetur, & exornetur.

Quid operetur Angeli in cœlo empyreo creati

93. Secundò potest dici ex eodem S. Doctore, prænotando tamen duo ex eodem. Primum desumitur ex illo infrà quæst. 66. art. 3. ad 2. vbi sic inquit: *Probabilius videtur, quòd sicut supremi Angeli, qui assistunt, habent influentiam super medios, & vltimos, qui mittuntur, quamuis ipsi non mittantur: ita cœlum empyreum habet influentiam super corpora quæ mouentur, licet ipsum nõ moueatur. Et propter hoc potest dici, quòd influit in primum cœlum, quod mouetur, non aliquid transiens, & adueniens per motum, sed aliquid fixũ, & stabile, puta, virtutem continendi, & causandi, vel aliquid huiusmodi ad dignitatem pertinens.*

Notabile primũ pro alia huius explicatione.

Quid autem sit stabilitas, hæcque virtus causandi, quæ à cœlo empyreo derivatur in alia corpora, & quænam sit ratio tribuendi

empy-

empyreo hanc cauſalitatem, & virtutem explicuit idem Angelicus Præceptor quodlibeto 6. art. 19. eleganti diſcurſu: & ideò placuit illum de verbo ad verbum in præſenti tranſcribere: *Si cœlum* (inquit) *empyreum nõ influeret in corpora inferiora, cœlum empyreum non contineretur ſub vnitate vniuerſi, quod eſt incõueniens. Videtur autem proprius effectus eius eſſe perpetuitas, & permãſio in inferioribus corporibus. Nam ſecundùm Philoſophum in 1. Metaphy. In cœlo ſunt principaliter duo motus, quorum vnus eſt ab Oriente in Occidentem, qui vocatur diurnus, & eſt ſuper polos æquinoctialis: & quia iſte eſt vniformis, cauſat perpetuitatem in inferioribus motibus. Alius autem motus eſt ab Occidente in Orientem, quo mouetur Sol, & alij planetæ, qui eſt ſuper polos zodiaci, per quem planetæ accedunt, & recedunt à nobis. Vnde iſte motus propriè cauſat differentiam generationis, & corruptionis, & cæterorum motuum in iſtis inferioribus: & ſic continuatur generatio, & corruptio horũ inferiorum, quouſque Deus vult: quæ quidem quantum ad continuitatem cauſatur á primo motu, quantum autem ad contrarietatem á ſecundo. Sicut autem vniformitas motus præcedit difformitatem: ita etiam vnitas quietis præcedit vniformitatem motus: quia moueri eſt ſe aliter habere nunc, quàm priùs, quieſcere autem eſt eo modo ſe habere nunc vt priùs: & ſic quies habet puram vnitatem. Vniformitas autem motus habet vnitatem cum diuerſitate: & ideò primum cœlum, ſcilicet empyreum, ſingulariter per ſuam quietem influit* (intelligе ſtabilitatem & permanentiam, quã prædixerat eſſe proprium effectum empyrei.) *Secundum autem cœlum eſt, quod dicitur aqueum per ſuum motum vniformem. Tertiũ autem cœlum, ſcilicet ſidereum, per ſuum motum difformem: hoc autem eſt proprium huic corpori, quod influat abſque motu, in quantũ eſt ſupremum attingens quodammodo ordinẽ ſubſtantiarum ſpiritualium, prout Dionyſius dicit 2. de diuinis nominibus, quòd diuina ſapientia coniungit principia ſecundorum finibus primorum.*

Notabile ſecundum.

64 Secundum verò, quod prænotandũ eſt, depromitur ex eodem Angelico Præceptore in 2. diſt. 6. q. 1. art. 3. ad 1. vbi explicãs, quo modo Angeli ſint in loco corporali, ſic inquit: *Non dicuntur eſſe in loco, quaſi ex loco corporali aliquid recipientes, ſed quaſi circa locum operantes aliquid, proprietatibus loci conſonum.*

Explicatur ex dictis prædicta operatio.

Hinc ergo ſecundò reſpondetur, & explicatur, quænam ſit operatio virtualiter ſaltem tranſiens, quam Angeli exercent circa cœlum empyreum, quiſque ſit terminus per illam productus. Si namque proprium eſt cœli empyrei influere perpetuitatem, & ſtabilitatem conuenientem motibus corporũ inferiorum, vt in 1. notabili ex mente D. Thomæ dicebamus: & deinde quando Angeli locantur in aliquo corpore, ſolent influere in illo aliquid proprietatibus loci cõſonum, vt ex 2. notabili liquet: conſequens eſt, vt Angeli exiſtentes in empyreo tanquã in loco, ac proinde influentes aliquid in ipſo influant in eo virtutem, qua prædictum cælum iuuetur ad influendam hanc perpetuitatem & ſtabilitatem, & ex conũctione ad influxum Angelicum reddatur efficacius, & vigoroſius in ordine ad eam influẽdam: quia cauſa inferior (qualis eſt cælum empyreum collatum cum Angelis) redditur efficacior ex coniunctione ad ſuperiorem, cui ſub ordinatur, habetque inde maiorem vigoroſitatem, propter virtutem deriuatam in eam à cauſa ſuperiori.

Elucidatur vlterius.

Poteſtque hoc magis explicari ex his, quæ in ſolutione ad primam partem huius impugnationis ex Suarez adductæ dicebamus, ſcilicet, Angelum præſidere naturæ corporeæ, & quòd hæc præſidentia eſt per ſuam virtutem, & contactum itidem virtutis, qui fit ſecundùm operationem. Et ideò ſi primũ cœlum ratione ſuæ quietis in *eſſe* influit prædictam ſtabilitatem, etiam Angeli ei præſidentes, & quibus ipſum primum cœlum ſubordinatur, ratione ſuæ maximæ quietis in *eſſe*, & perfectionis in illo habebunt hanc eandem ſtabilitatem influere mediante prædicto cœlo: vt ita maneat totum vniuerſum concatenatum, & vnum & idem vnitate ordinis, & cauſalitatis: quatenus ex vi huius habent infimæ creaturæ concatenari mediis, & mediæ, ac corporeæ ſupremis, & ſupremum corpus immediatè habet concatenari creaturæ Angelicæ. Nam, vt optimè dixit Angelicus Præceptor in quodlibeto nuper citato, *Totum vniuerſum eſt vnum vnitate ordinis vt patet per Philoſophum 12. Metaphy. Hæc autem vnitas ordinis attenditur ſecũdùm quòd quodam ordine reguntur corporalia per ſpiritualia, & inferiora corpora per ſuperiora vt Auguſtinus dicit in 3. de Trinitate.*

Angelic. Præcept.

Obiectio.

95. Nec obeſt, ſi obijcias contra vtramque hanc ſolutionem ex Suarez, & alijs, cælum empyreum, quippe perfectiſſimum, debuiſſe creari cum tota perfectione ſibi neceſſaria à ſuo conditore, nempe Deo; quia hoc eſt proprium ſubſtantiarum perfectiſſimarũ, qualis eſt ſupremum corpus. Et ita ſi lumen, quod ab Angelis in ipſum deriuatur, pertinet ad perfectionem eidem cælo neceſſariam, fuiſſet vtique ei immediatè cõmunicatum à Deo. Et ſimiliter ſi egeret prædicta virtute, quæ ei ſuperadditur ab Angelis, ad cauſandam ſtabilitatem iam dictam in hæc inferiora, haberet vtique illam immediatè à ſuo cõditore; non verò ab Angelis. Si autem iſta nõ

ſunt

sunt illi necessaria, vanè & superfluè illi superadduntur.

Respõdetur Respondetur enim ex dictis, quòd sicut Angeli sunt perfectissimæ substantiæ spirituales, & hoc non tollit, quominùs inferiores illuminentur per superiores, quia hoc exigit vnitas ordinis totius vniuersi: ita etiã ex eo. quòd empyreum sit supremum inter corpora, non tollet, quominùs propter eandem rationem accipiat aliquid à substantijs spiritualibus, & superioribus, cum quibus concatenatum est. Cumque sit magis consonũ suæ naturæ, vt hoc, quod accipit, sit talis conditionis, vt congruat proprietatibus eiusdem empyrei, vt ex D. Thoma dicebamus: inde est, vt accipiat lumen, quod ipsi est consonũ, nec non & virtutem, qua modo dicto influat perpetuitatem & stabilitatem iam dictam. Vnde, sicut homo v.g. licèt habeat in suo ordine vim ad producendum sibi simile, nihilominùs hoc non tollit, quòd subordinetur causæ alteri superioris ordinis, & vniuersalioris, scilicet Deo, quanuis hoc ipso, quòd sit perfectus in ratione causæ particularis, non subordinetur alteri causæ particulari, & eiusdem ordinis cum illo: sic etiam perfectio empyrei, & suæ virtutis operatiuæ tollet subordinationem in influendo alteri causæ eiusdem ordinis cum illo, non tamen alteri agenti superioris, & eminentioris ordinis.

Replica. 96. Nec etiam obest, si vrgeas, quòd si hic influxus, & additio virtutis, qua primum cœlum redditur efficax, & vigorosum ad causandam prædictam stabilitatem, esset ei necessaria, tunc semper, & inuariabiliter eã acciperet ab Angelis, sicut alia corpora subordinata empyreo inuariabiliter eidem subordinantur, & virtutem ab eo habent: at empyreum non habet inuariabiliter hanc virtutẽ ab Angelis: ergo signum est, non subordinari illis, habereque ab ipsis prædictam virtutem. Minor probatur. Quia quàm plurimi, & innumerabiles ex Angelis discedunt ab empyreo sæpissimè, & sunt inter nos, tuncque nequeũt operari in empyreo: & ita non subordinabũtur illis inuariabiliter.

Confirmatio eius. Confirmatur. Quoniam vel hæc additio virtutis est simpliciter requisita, vel non? Si primum, quomodo multoties deest, nempe, quoties Angeli non sunt in cœlo? Si secundum, ergo empyreum non subordinatur Angelis quoad prædictam virtutem, neque hæc subordinatio requiretur ad hoc, vt vniuersum sit vnum vnitate ordinis: siquidẽ ad hæc requirebatur, quòd hæc virtus esset simpliciter necessaria empyreo.

Solutio. Respondetur, prædictum influxum semper & inuariabiliter recipi à cœlo empyreo, esseque ei necessarium, propter subordinationem ad Angelicam creaturam, quanuis non semper & inuariabiliter ab eisdẽ Angelis (à quibus multoties illũ habet) debeat prædictum influxũ participari, sed iuxta suauẽ Dei prouidentiam, & ordinem vniuersi ita sunt res dispositæ, vt Angeli Deo semper assistentes, & in empyreo fixè permanentes, habeant sufficientem vim ad hoc, vt singuli in diuersis partibus empyrei præstent hanc influentiam. Cæterùm hanc, cùm adsunt in cœlo alij Angeli, qui ad nos mittuntur, ita temperant, vt non extendatur ad omnes partes empyrei, ad quas in absentia prædictorũ Angelorum extendebatur: sicque relinquitur locus, vt Angeli è terra ad cœlum ascendentes præstẽt illum influxum quoad prędictas partes empyrei, in quas alij Angeli semper assistẽtes influebãt. Et ita ex parte empyrei semper recipitur eadem quantitas influxus, & similiter ex parte Angelorum; licèt non semper ab eisdem prorsus Angelis causetur. At quanta sit latitudo spatij, quæ relinquitur ab Angelis superioribus, & Deo semper assistẽtibus ad hoc, vt Angeli inferiores, dum in cœlo assistunt, ibidem influant, taxata est à diuina prouidentia iuxta maiorem, vel minorem perfectionem Angelorũ ascendentium, & descendentium. Sicut etiam ab eadem, iuxta prędictam perfectionem, designatus est locus in empyreo, in quo prædicti Angeli iuxta communem, & regularem cursum habeant (vt sic dicamus) suam sedem.

Ratio autem, ob quam cum hac diuersitate philosophamur in subordinatione empyrei ad Angelos, facilè reddi potest ex eo, quòd videtur id exigere suauis Dei prouidentia, & ordo vniuersi. Nam ex quo capite Angeli boni sunt beati, exigunt designari sibi in empyreo certam (vt sic dicamus) sedem, certumque locum, in quo sint; in quoque operẽtur, & creaturæ corporali præsideant, vt ex D. Thoma nuper dicebamus. Cæterùm ex quo capite sunt administratorij spiritus, oportet, vt multoties deserant prædictum locum, ad hoc vt nobis assistant, & in his rebus corporeis operentur. Et tandem ex quo capite creatura corporea, nempe empyreum, subordinatur eisdem Angelis vt causæ superiori, debet semper ex parte sua accipere inuariabiliter influxum necessarium, quia hoc petitur ad subordinationem prædictam: licèt ex parte Angelorum propter rationem dictam non semper ab eisdem prorsus Angelis tribuatur, sed quandoque à pluribus, quandoque à paucioribus, iuxta maiorem, vel minorem numerum Angelorum, qui in cœlo tunc assistunt, & modo iam explicato. Per quę satis ad confirmationem constat.

Alia obiectio. 97. Nec etiã refert, si vlteriùs objicias, quòd post diem iudicij manebũt Angeli omnes assistentes in cœlo, tuncque non influẽt hanc perpetuitatem & stabilitatem motuũ. Nam sicut tunc motus cœli cessabunt, sic & motus

motus horũ inferiorum: ac proinde nec empyreum cauſabit prædictam perpetuitatem, nec egebit virtute ſuperaddita ſibi ab Angelis ad hoc, vt illam cauſet. Ergo actio iſta incongruenter aſsignatur ad locandum Angelos in cœlo. Patet conſequentia. Quia actio, per quam in illo locantur, debet ſemper eſſe eiuſdem rationis.

Diuitur

Reſpondetur, quòd adhuc tunc dabuntur motus, ſiue mutationes intentionales, quarũ perpetuitas in *eſſe* ſit proprius effectus empyrei, ad quamque cauſandã ſubordinentur Angelis. Vnde D. Thomas de Potentia quæſt. 5. art. 8. in corpore rem hanc explicãs ſic inquit: *Elementa ergo agunt in virtute corporum cœleſtium, & corpora cœleſtia agunt in virtute ſubſtantiarum ſeparatarum. Vnde ceſſante actione ſubſtantiæ ſeparatæ, oportet, quòd ceſſet actio corporis cœleſtis: & ea ceſſante oportet quòd ceſſet actio corporis elementaris. Sed ſciendum quod corpus habet duplicem actionẽ, vnam quidem ſecundùm proprietatem corporis, vt ſcilicèt agat per motum (hoc enim proprium eſt corporis, vt motum moueat, & agat) Aliam autem actionem habet: ſecundùm quòd attingit ad ordinem ſubſtantiarum ſeparatarum vt participat aliquid de modo ipſarũ, hæc autem eſt actio corporis, quæ non eſt ad tranſmutationem materiæ, ſed ad quandam diffuſionem ſimilitudinis formæ in medio, ſecundùm ſimilitudinem ſpiritualis intentionis, quæ recipitur de re in ſenſu, vel intellectu: & hoc modo Sol illuminat aerem. & color ſpeciem ſuã multiplicat in medio. Vterque autem modus actionis in iſtis inferioribus cauſatur ex corporibus cœleſtibus. Nam, & ignis ſuo calore tranſmutat materiam ex virtute corporis cœleſtis, & corpora viſibilia multiplicant ſuas ſpecies in medio virtute luminis, cuius fons eſt in cœleſti corpore. Vnde ſi actio vtraque corporis cœleſtis ceſſaret, nulla actio in iſtis inferioribus remaneret; ſed ceſſante motu cœli, ceſſabit prima actio, ſed non ſecunda. Et ideò ceſſante motu cœli, erit quidem actio in iſtis inferioribus illuminationis, & immutationis medij à ſenſibilibus; non autem erit actio, per quam tranſmutatur materia, quam ſequitur generatio, & corruptio.* Quomodo autem, & in quo ſenſu hæc ſenſibilia habeant, ſecundùm quòd attingũt ordinem ſubſtantiarum ſeparatarum, diffundere ſpecies ſui, infrà quæſt. 55. dubio 3. explicatur.

D. Thom.

98. Ex quibus omnibus ſatis conſtat ad cætera alia, quæ ad impugnandam ſolutionẽ illam ex Ferrara, & Caietano inter proponẽdum hoc vltimum argumentum adhibitam adducta ſunt. Vnde ad confirmationẽ ex Maſonio deſumptam dicendum eſt, non eſſe indignum, ſed potiùs ſatis dignum Theologo, explicare res à ſenſibus ſeparatas, quantum materia, de qua fit ſermo, patitur: & deinde fateri, eas, quippe excellentiores in gradu immaterialitatis, non poſſe à nobis plenè & perfectè explicari: maximè, quando non contingunt iuxta conſuetum, & proportionalẽ modum, qui in rebus corporeis inuenitur, vt in præſenti accidit, ſed hoc potiùs eſt Theologo valde dignum. Ad confirmationem verò ex Rada adductam ſatis ex dictis patet.

Et ſimiliter ad ſecundam impugnationem à Suarez adductam reſpondetur, poſſe reddi ſufficientem rationem, ob quam licèt Angelus nõ habeat, quantum eſt ex parte ſui influxus, vim ad producendum qualitates alteratiuas: nihilominùs poſſet producere lumen, & ex vi ſui influxus cauſare prædictam ſtabilitatem. Et quidem quoad lumen poteſt hoc deduci ex eo, quòd iuxta Dionyſium, & D. Thomam infrà quæſt. 110. art. 3. diuina ſapientia coniungit fines primorum principijs ſecundorum: & ita natura inferior in ſui ſupremo attingitur à natura ſuperiori. Cùm autem inter qualitates corporeas, & naturales, quæ poſſunt competere corporibus ſimplicibus, & ſupremis, habeat lux primatum: ideò ratione huius poteſt à natura ſuperiori, ſcilicet purè ſpirituali, in cœlo produci: cùm tamen nequeat alias inferiores qualitates, ſcilicet alteratiuas, efficere: quia diuina ſapientia ſolos fines primorum coniungit principijs ſecundorum. Vnde propter hanc rationẽ idem D. Thomas loco nuper citato tribuit Angelis, quòd poſsint mouere corpora motu locali, non autem alio motu, his verbis: *Dicẽdum, quòd ſicut Dionyſius dicit 7. capite de diui. nominibus. Diuina ſapientia coniungit fines primorum principijs ſecũdorum. Ex quo patet, quòd natura inferior in ſui ſupremo attingitur à natura ſuperiori. Natura autem corporalis eſt infrà naturam ſpiritualem. Inter omnes autem motus corporeos perfectior eſt motus localis, vt probatur in 8. Phyſicorum. Cuius ratio eſt quia mobile ſecundùm locum non eſt in potẽtia ad aliquid intrinſecum, in quantum huiuſmodi, ſed ſolùm ad aliquid extrinſecum, ſcilicet ad locum: & ideò natura corporalis nata eſt moueri immediatè à natura ſpirituali ſecundùm locum. Vnde & Philoſophi poſuerunt ſuprema corpora moueri localiter à ſpiritualibus ſubſtantijs. Vnde videmus, quòd anima mouet corpus primò, & principaliter locali motu.*

Dion. & D. Thom

Et deinde quoad virtutem cauſandi prædictam perpetuitatem & ſtabilitatẽ poteſt reddi ratio. Tum ex eo, quòd hæc virtus eſt ſatis conſona immutabilitati, & vniformitati, quę eſt in *eſſe* Angelico. Tum etiam. Quia ſicut empyreũ cauſat hanc ſtabilitatem per modũ ſupremi corporis, ex eo quòd agit immotum motu propriè dicto: ita etiã Angeli, qui hoc modo agunt, poterunt cauſare prædictam ſtabilitatem. Et propterea D. Thomas quòd ſi-

beto

beto 6.art.19.nūper relatis asserit, esse proprium cœli empyrei, quòd influat absque motu, in quantum est supremum attingens quodammodò ordinem substantiarum spiritualium, prout Dionysius dicit 2.c. de diuinis nominibus, quòd diuina sapientia coniungit principia secundorum finibus primorum. Et in corpore articuli adducit quietem empyrei, ideſt, quòd non moueatur motu propriè dicto, ad hoc vt inde probet, esse proprium illius causare stabilitatem in his inferioribus: acproinde potiori ratione id conueniet Angelis: siquidem quoad hoc inquit, diuinā sapientiam coniungere principia secundorū finibus primorum.

Dionysius

Obiectio contra omnia prædicta.

99 Neque obstat, si obijcias contra dicta. Tum, quòd si Angelus potest producere lumen se solo, poterit producere qualitates alteratiuas etiam se solo: ergo si illud prius conceditur Angelo, non debet negari hoc posterius. Antecedens probatur. Quia lux continet eminenter prædictas qualitates. Tū etiam, quòd influere stabilitatem in motu, & perpetuitatem in illo, videtur esse eiusdem rationis, ac causare prædictum motum secūdùm suam substantiam. Si ergo Angelus nō habet vim ad alterandam materiam, & causandum motum, quo producitur v.g. homo, consideratum secundùm suam propriam & specialem rationem, nec erit in illo virtus ad causandam perpetuitatem, seu vniformitatē prædicto motui conuenientem.

Respond.

Ad primam enim ex his impugnationibus negandum est antecedens. Et ad probationem dicendum est, lucem ex sua præcisè specie non continere qualitates alteratiuas virtualiter, nisi ex coniunctione ad speciale corpus, cui subordinatur. Vnde quæuis lux naturalis est eiusdem speciei cum alia, & tamen non quæuis continet qualitates alteratiuas, vt patet in luce aliquorum lapidum, & in ossibus aut quasi ossibus quorundam piscium.

Ad secundam verò impugnationem respondetur, quòd sicut dum sol, & homo generant hominem, tunc licèt totus effectus attingatur à qualibet ex his causis, modo tamen à N. Complutensibus in 2. lib. Physicorum tacto; nihilominùs à qualibet illarum causatur sub diuersa ratione: nam à sole causatur secundùm rationē magis vniuersalem; ab homine verò secundùm rationem magis particularem, quia concurrunt per modum causarum subordinatarum: ita etiam vniformitas, & (vt sic dicamus) stabilitas illa, quæ conuenit motui, quo homo generatur, attingitur ab homine generante, & ab Angelis: ab illo quidem vt à causa particulari, ab Angelis verò vt à causa vniuersali: acproinde ab homine secundùm particularum quandam rationem illius vniformitatis, ab Angelis verò secundùm vniuersaliorem quandam rationem illius, nempe, vt est vniformitas, & stabilitas motus corporei ad hoc vniuersum spectantis. Vnde, sicut sol seorsum sumptus non habet vim ad generandum hominem; bene tamen ad hoc vt homo in virtute eiusdem solis generet, & ad hoc vt vnà cum homine influat in prædictam generationem: sic etiam dato, quòd solus Angelus nequeat alterare materiam motu illo, quo generatur homo, nec causare totam, & totaliter vniformitatē prædicti motus; nihilominùs habet vim ad hoc, vt in virtute illius homo illam causet: ex eo quòd subordinatur illi tanquam attingenti eandem vniformitatem sub ratione illa vniuersaliori. Et propterea Angelus vnà cum homine, & subordinando illum sibi, influit in prædictam vniformitatem, ac stabilitatem.

N. Compl.

Ex quibus omnibus satis constat, quomodo proprius effectus, qui potest tribui Angelo, vt præstandus ex vi sui influxus, & ex suis meritis sit, tum lumen, tum prædicta perpetuitas, tum motus localis, quando locatur in re capaci huius motus. Et ideò dixit D. Thomas in 1. dist. 37. q. & articulo citatis, quòd Angelus producit motum localem, vel lumē vel aliquid huiusmodi: & per hoc vltimum intellexit quidpiam aliud huius generis, ideſt, in quo saluetur ratione suæ excellentiæ, quòd fines primorum coniunguntur principijs secundorum, vt explicatum est.

D. Thom.

§. XV. *Alia sententia opposita cum suis fundamentis, & eorum solutionibus.*

Vltima opīnio, & primum eius fundamentum.

100. POsterior sententia, quæ non ex diametro, sed quoad aliquid nostræ assertioni opponitur, asserit, potentiam operatiuam Angeli pertinere quidem ad rationē formalem in actu primo consideratam, secundùm quam Angelus fundat vbicationem in loco, in quo nobiscum conuenit, negat tamē rationem formalem in actu secundo fundandi prædictam vbicationem esse actualem operationem transeuntem Angeli in locum, sed esse applicationem virtutis Angelicæ, seu virtutis operatiuæ illius, distinctam à prædicta actione, & præeuntem illam, in quo vltimo à nobis dissentit. Vt autem explicet, quidnam dicat prædicta applicatio virtutis vltra virtutem ipsam operatiuam Angelicā, inquit, quatuor ad id requiri conditiones, quibus adhibitis, datur prædicta applicatio virtutis, & virtus Angelica non manet in ratione applicabilis præcisè, sed est actu applicata. Prima est, situalis indistantia Angeli à loco. Secunda, quòd Angelus practicè cognoscat opus exercendum in tali loco. Tertia, quod habeat potentiam executiuam expeditam

peditam ad illud exequendum, ita quòd ab alio ſuperiori non ſit detentus, nec impeditus, aut in alio opere exercendo occupatus. Quarta, & vltima, quòd voluntariè eligat hanc præparationem potentiæ ad exercendum hoc opus in tali loco.

Addit tamen prædicta ſententia, quòd cũ dicitur, Angelum per hanc applicationem virtutis præeuntẽ actualẽ operationem trãſeuntem, habere rationem formalem eſſendi in loco, ſolùm intelligitur de ratione formali, per quam fundet hoc, quod eſt eſſe in loco incompletè, ita tamẽ, quòd hoc modo ſimul habeat, vt formaliter ſit in illo, non tamẽ de ratione formali fundãte illam cõpletè ſumptam: nam ad hoc requiritur, vltra prædictam applicationem, operatio tranſiens ab illa diſtincta. Sententiam hanc ſic explicatam tuetur Caietanus art. 1. huius q. quem ſequuntur Nazarius & Ripa ibidem. Probatúrque primo teſtimonio D. Thomæ quodlibeto 1. art. 4. vbi poſtquam dixit, Angelum eſſe in loco per contactum virtutis, nempe per operationem, inquit: *Ita tamen, quòd per operationem non intelligatur ſola motio, ſed quæcũque vnitio, qua ſua virtute ſe corpori vnit, præſidendo, continendo, vel quocunque alio modo.* Conſtat autem, ad hæc nõ requiri actualẽ operationem trãſeuntem: ſiquidẽ poteſt præſidere, etiamſi nihil actu operetur.

Caietan. Nazarius Ripa.

Primũ fundamẽtum.

Diſſoluitur

Reſpondetur ex dictis pro aſſertione, maximè verò ex illis, quę ex D. Thoma in 1. Sententiarũ diſt. 37. q. 3. art. 1. adduximus, Angelicũ Præceptorem ſatis ibidem explicuiſſe, & ex ſufficiente enumeratione diuerſarũ applicationum reddidiſſe rationem, propter quam applicatio virtutis Angelicæ ad locum ſit ſola operatio virtualiter ſaltem tranſiens. Vnde nomine huius vnitionis, & applicationis virtutis Angelicæ, quæ ſit v. g. præſidendo, etiam intelligitur interuenire ibidẽ prædictam operationẽ: quia fit ſermo à D. Thoma, non de qualicunque præſidentia, ſed de præſidentia actuali, ad quam requiritur, vt præſidens actu influat in id, cui præſidet, applicetque ſuam virtutem præſidendi reſpectu illius: ſicut ad præſidentiam potentialem, ſiue habitualem requiritur, quòd in potẽtia, vel habitualiter influat, ideſt, habeat potentiam ad influendũ, ſi præcisè in potentia præſideat, vel ſit omninò expeditus ad ſic influẽdum, ſi prædicta præſidentia non ſiſtat in ratione potentialis, nec pertingat ad actualem, ſed habeat ſtatum quemdam medium, nempe præſidentiæ habitualis; per quam tamen Angelus non ſe collocat actu in loco, licèt reddatur expeditus ad hoc, vt cũ ei libuerit, conſtituat ſe mediãte operatione virtualiter tranſeunte, ad quam eſt expeditus, in loco.

Secũdũ fundamentum

101. Secundò probatur eadem ſententia. Quoniam antequam Angelus actu operetur actione tranſeunte in locum, habet præſentiam, quam Caietanus appellat præſentiã ordinis, ideſt, præſentiam, qua per modum cauſæ actiuæ eſt omninò proportionatus, & expeditus ad agendum: ergo per prædictam præſentiam ante actionem tranſeuntem, erit ſaltem incompletè in loco. Antecedens videtur perſpicuum. Conſequentia verò probatur. Quoniam ſicut dum Angelus actu operatur, eſt completè & perfectè in loco: ita dũ habet hanc præſentiam ordinis, ſeu eſt omninò expeditus ad operandum, eritaliquo modo, nempe incompletè, & imperfectè in loco.

Solutio.

Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam, ſi conſequens intelligatur de modo exiſtendi in loco, qui ſit actualis, & formaliter talis, quanuis non cõpletus & perfectus. Nã (vt ex dictis cõſtat) ita ſe habet Angelus ad eſſendum in loco, ſicut ad tangendũ actu illũ per ſuam quantitatẽ virtutis. Vnde quandiu actu non tangit cõtactu virtutis, nempe per operationem, non eſt actu, & formaliter in loco, ſed tãtùm eſt expeditus ad hoc, vt fundet abſque indigentia alicuius nouæ expeditionis vbicationem in loco.

Explicatur exemplo.

Poteſtque hoc explicari exemplo vltimæ diſpoſitionis introductiuæ formæ ſubſtãtialis, & ſimpliciter antecedentis ad illam, ſubiectatæque in toto cõpoſito corrũpẽdo, iuxta ea, quæ N. Cõplutenſes in lib. de Generatione diſp. 2. n. 76. docent. Nam hac data, nõ datur in eadem duratione forma ſubſtantialis denuò generãda, adhuc incõpletè, formaliter tamen, & actu, ſunt tamen omnia ita diſpoſita, vt in inſtãti ſequenti, quando prædicta diſpoſitio terminãda erat, tunc forma ſubſtãtialis introducatur: & ideò in duratione antecedenti tantummodò diſpoſitiuè datur talis forma ſubſtãtialis, ideſt, ſolũmodò datur diſpoſitio ad illã, non verò ipſa forma. Sic etiã in præſenti, proportione ſeruata, philoſophãdũ eſt. Nam data iſta præſentia ordinis, adeſt ex vi illius expeditio, & (vt ſic dicamus) diſpoſitio ad actualẽ potẽtiã in loco, & ad actualẽ operationẽ, quæ eſt exercitiũ fundandi illam: & propterea iſta reperiuntur ibidẽ (vt ſic dicamus) diſpoſitiuè, nõ vero formaliter, & actu, adhuc incompletè.

N. Compl.

Tertiũ fundamentum

102. Tertiò probatur prædicta ſentẽtia. Quoniã ratio formalis eſſẽdi in loco, ſeu fundãdi vbicationẽ debet eſſe intrinſecè in locato: ſed actio tranſiẽs ab Angelo in locũ nõ eſt intrinſeca Angelo, ſecꝰ tamẽ quãtitas virtutis Angelicę, & applicatio prædictæ quãtitatis: ergo iſta duo, & non illa pertinebunt ad rationem formalẽ, per quã Angelus eſt in loco,

Confirmatur.

Confirmatur. Quoniam ſi operatio tranſiens eſſet Angelo ratio eſſendi in loco, adhuc per modum rationis formalis in actu ſecundo, tunc Angelus eſſet in loco modo diuiſibili, & extenſo: hoc autem pugnat

cũ substantia spirituali, vt de se constat: ergo, &c. Sequela probatur. Quoniam actio illa transiens, quippe corporea, & extensa per locum, non potest esse ratio existendi in loco, nisi modo extenso, & diuisibili: sicut contactus quantitatis molis, quippe extensus, & diuisibilis, est ratio actualis existendi in loco extensè, & diuisibiliter.

Respõdetur ad fundamẽtum.

Respondetur, concedendo maiorem, & negando minorem. Nam actio transiens, quæ est ratio formalis in actu secundo fundans vbicationẽ, non est actio formaliter transiens, sed formaliter immanens, & virtualiter tantummodò transiens, & ita potest esse intrinseca Angelo.

Adde, quòd adhuc data, non tamen concessa minori; nihilominùs posset negari cõsequentia. Quia actio illa non concurrit ad rationem formalem essendi in loco, nisi tanquam exercitium eiusdem rationis formalis. Vnde, sicut non est inconueniẽs, exercitium virtutis operatiuæ esse exercitium illius, & nihilominùs non subiectari in agẽte, sed in passo: ita non repugnabit, exercitiũ rationis formalis essendi in loco consistens in operatione, esse formaliter transiens, ac proinde non subiectari in agente, sed in passo.

Ad confirmationem.

Ad confirmationem patet ex dictis. Nam hoc ipso, quod prædicta operatio sit formaliter immanens, & virtualiter tantummodo transiens, subiectabitur in Angelo: & propterea est spiritualis, & indiuisibilis, estque ratio formalis in actu secundo existendi in loco indiuisibiliter.

Vltimum fundamentum.

103 Vltimò probatur sententia ista. Nam Angeli custodes nunquam deserunt eos, qui sunt sub eorum custodia; & tamen non semper circa illos operantur: ergo ratio, per quam prædicti Angeli non deserunt eos, quos custodiunt, sed semper sunt in illis, non est operatio transiens in ipsos, sed quantitas virtutis Angelicæ applicatæ modo dicto ad operandum, quæ semper est in Angelis custodibus, siue transeunter operentur, siue non, circa eos, quos custodiunt. Minor & consequentia videntur certæ. Maior autem probatur. Quoniam Angeli custodes sunt executores prouidentiæ diuinæ circa homines, quorum custodia eis commissa est: sed prouidentia diuina circa homines nunquam eos deserit: ergo neque Angeli custodes illos deserẽt.

Diluitur

Respondetur, minùs requiri ad hoc, vt Angeli custodes dicãtur semper custodire quodammodò eos, quorum custodiæ deputati sunt, quàm ad hoc, vt dicantur esse in illis tãquam in loco. Nam ad primũ illud satis est, quòd etsi sint alibi, v. g. in cœlo, cognoscant quid agatur circa eos, quorum custodiæ deputati sunt, & possint statim adesse, vt docet D. Thom. infrà q. 113. art. 6. ad 3. vel quòd imprimant vehementem effectum, qui duret quandiu ipsi sunt absentes, vt exponit idem S. Doctor in 2. dist. 11. q. 1. art. 4. ad 5. Vnde potest concedi, Angelos custodes nunquam eos, quibus custodia commissa est, deserere in ratione custodum, secùs tamen, quòd non deserant eos loco: quia ad hoc ampliùs requiritur, nempe, quòd non desinant operari immeditatione virtutis, & suppositi in illis. Vnde (vt suprà vidimus) idem Angelicus Præceptor infrà q. 113. art. 6. ad 3. inquit, *quòd Angeli, etsi interdum derelinquãt hominem loco, non tamen derelinquunt eum quantũ ad effectum custodiæ: quia etiam cùm sunt in cœlo, cognoscunt quid circa hominem agatur, nec indiget mora tẽporis, sed statim possunt adesse.*

D. Thom.

DVBIVM IIII.

Quid sit in Angelis ratio formalis fundandi vbicationem in loco violento, vel præternaturali?

CIRCA Tituli intelligẽtiam recolenda sunt ea, quæ in duobus dubijs præcedentibus ad explicationem tituli adduximus: nam illa, proportione seruata, intelligenda sunt quoad huius dubij titulum, cuius resolutio breuiùs, quàm præcedentium tradetur: quia præsuppositis his, quæ in præcedentibus diximus, faciliùs huius decisio capi poterit.

§. 1. *Ex mente D. Thomæ dubij nodus expeditur.*

Assertio

104. DIcẽdũ ergo est, si fiat sermo de loco (vt hic loquamur) violẽto respectu Angeli, idest de illo, in quo ipse non se collocat, sed contra suã voluntatẽ collocatur, & detinetur, ac proinde de loco, quẽ nõ sibi subordinet, sed cui potiꝰ subordinetur, tũc ratio formalis in actu primo fundãdi prædictã vbicationẽ est potẽtia passiua eiusdẽ Angeli, & exercitiũ huius rationis formalis est passio ex parte Angeli sustentẽs, & huic potẽtiæ passiuæ correspondẽs. Assertio hæc est D. Thomæ 4. cõtra Gentes c. 90. his verbis: *Patiũtur igitur ab igne corporeo substantiæ incorporeæ per modũ alligationis cuiusdã: possũt enim alligari spiritus corporibus, vel per modũ formæ, sicut anima corpori humano alligatur, vt det ei vitã, vel etiam absq; hoc, quòd sit eius forma, sicut necromantici virtute Damonũ spiritus alligãt imaginibus, aut huiusmodi rebꝰ. Multò igitur magis virtutes diuinæ spiritꝰ dãnãdi igni corporeo alligari possunt:*

D. Thom.

possunt: & hoc ipsum est eis in afflictionem, quòd sciunt se rebus infimis alligatos in pœnã. Vbi (vt constat) Angelicus Præceptor loquitur de loco violento Angeli, & inquit consistere in hoc, quod est, ei esse alligatum, ac proinde in illo esse, ex eo quòd patiatur diuina virtute à prædicto loco: ac proinde sentit, rationem formalem fundantem ex parte Angeli vbicationem in illo, esse potentiam eius passiuam, & passionem ei correspondentem esse exercitium huius rationis formalis.

Idẽ Ang. Mag. Eádẽ etiã assertionẽ tuetur idẽ D. Thom. quodlibeto 2. art. 13. vbi sic inquit: *Alio modo dicitur pati omne illud, quod quocunque modo impeditur á suo proprio impetu, vel inclinatione sicut si dicamus, lapidem descendentẽ pati, cùm impeditur, ne deorsum perueniat: & sicut dicimus, hominẽ pati, cùm detinetur, vel ligatur, ne vadat, quo vult. & ita per modum ligationis cuiusdam anima patitur ab igne corporeo, vt Augustinus dicit 21. de Ciuitate Dei. Non enim hoc est contra naturam spiritus corpori alligari: cùm videamus, animam naturaliter alligari corpori ad viuificandum ipsum. Dæmones etiam per necromãtiam potestate superiorum Dæmonum alligãtur aliquibus imaginibus, vel aliquibus alijs rebus. Vnde multò magis possunt spiritus alligari diuina virtute igni corporeo, non vt dent vitã, sed vt accipiant pœnam.*

Idem etiã habetur apud eundẽ D. Thom. in 4. dist. 44. q. 3. art. 3. quæstiuncula 3. his verbis: *Ignis secundùm naturam suam habet, quòd spiritus incorporeus ei coniungi possit, vt loco locatum; sed in quantum est instrumentum diuinæ iustitiæ habet, vt ipsum quodammodò retineat alligatum: & in hoc veraciter ignis ille est spiritui noxius* Pro eadem etiam assertione refert idem D. Thomas D. Gregorium in 4. Dialogorum, & Augustinum 12. de Ciuitate Dei. Vnde Assertionem hanc tuentur Capreolus in 4. dist. 44. q. 2. art. 1. cõclusione 2. Ferrara 4. contra Gentes c. 90. & communiter probatiores Thomistæ.

Ipsemet. D. Greg. Augst. Capreol. Ferrara.

Fundamentũ vnicum.

105. Ratio autem fundamentalis huius assertionis desumitur ex locis relatis ex D. Thoma, potestq; sub hac forma proponi. Quoniam per id Angelus fundat vbicationẽ in loco violẽto, siue præternaturali, per quod passiuè tangitur ab eodem loco: sed per potentiam passiuam, tanquam per rationẽ formalem in actu primo, & per passionẽ ei correspondentem, tanquam per exercitium prædictæ rationis formalis tangitur à loco: ergo per prædictam potentiam passiuam, tanquã per rationem formalem in actu primo, & per passionẽ tanquam per exercitiũ illius habebit fundare vbicationem in loco violento, siue præternaturali. Consequentia cum minori videtur perspicua.

Maior autem probatur. Nam sicut contactus actiuus, quo Angelus tangit locum, est ei ratio, vnà cum sua quantitate virtutis, essendi in eodem loco: ita etiam contactus passiuus, quo tangitur ab illo, erit illi ratio, vnà cũ sua potentia passiua, existẽdi in illo: quia vniuersaliter loquendo contactus quilibet reilocabilis, & loci est (vt sic dicamus) vnitio locati cum loco. Cumque hic contactus passiuus non sit Angelo ratio essendi in loco connaturali: tum, quia est contra inclinationem elicitam ipsius: tum etiam, quia est iuxta naturã eiusdem collocare se in loco, & non collocari ab alio, & esse in loco subordinando illum sibi, non verò persubordinationem ad illum, vt contingit, dum est in loco per passionem: inde est, vt prædictus contactus sit Angelo ratio essendi in loco violento, siue præternaturali: atque adeò per id Angelus erit in loco violento, siue præternaturali, per quod passiuè tangitur ab eodem loco.

§. II. *Obiectiones contra assertionem: & solutiones earum.*

Obiectio prima cõtra fundamẽtũ

106. NEc obest, si obijcias primò ex D. Thoma loco nuper citato ex 4. Sẽtentiarum, vbi sic inquit: *Quamuis autem res corporea ex sua natura habeat, quod spiritum incorporeum loco diffiniat, non tamen habet ex natura sua, quòd spiritum incorporeũ loco difinitum detineat, vt ita ligetur illi loco, quòd ad alia diuertere non possit: cùm spiritus nõ ita sit in loco naturaliter, quòd loco subdatur. Sed hoc superadditur igni corporeo, in quantum est instrumẽtum diuinæ iustitiæ vindicantis, quòd sic detineat spiritum: & ita efficitur ei pœnalis, retardans eum ab executione propriæ voluntatis, ne scilicet possit operari, vbi vult. & secundùm quòd vult.* In quibus verbis satis innuit Angelicus Præceptor, quòd Angelus per hanc alligationem non habet loco definiri; sed quòd iam loco definitus detinetur, ne alibi operetur. Et ita prædicta alligatio, & passio non erit ei ratio essendi in loco illo violento.

Cõfirmatio

Confirmatur ex eodem Angelico Præceptore in 2. dist. 6. q. 1. art. 3. ad 1. vbi loquens de Angelis post casum, sic inquit: *Non dicũtur esse in loco, quasi ex loco corporali aliquid recipientes: sed quasi circa locum operantes aliquid, propinquitatibus loci consonum*: ac proinde ratio eorum essendi in loco post casum, & perconsequens in loco violento, in quo post casum sunt, non erit potentia passiua, & passio ei correspondens.

Euertitur

Respõdetur, quòd cũ Angelicus Præceptor ait, quòd res corporea ex sua natura habet, quòd spiritũ incorporeũ loco definiat, loquitur de modo definiẽdi illũ per modũ termini aut quasi termini extrinseci, seu demodo quo passũ concurrit ad hoc, vt spiritus sit in loco

cõnaturali, in quo ipse actiuè se collocat: quia corpus ex natura sua potest pati ab Angelo, atque adeò esse locus, quẽ Angelus sibi subordinet, in quoque connaturaliter sit tanquam mouens in moto. Cùm verò idem S. Doctor addit, quòd corpus non habet ex natura sua, sed virtute diuina, quòd spiritum in corporeum loco definitum detineat, loquitur de loco violento, & de corpore, vt actiuè locante Angelum: atque adeò de Angelo, vt passiuè ibidem locatur. Et propterea in eadẽ distinctione in verbis nuper pro assertione relatis inquit, quòd ignis habet secundùm suã naturam, vt ei spiritus sicut locus locato cõiungi possit: quia ibi loquitur de loco connaturali, in quo est Angelus actiuè: & ideò hæc coniunctio explicatur voce passiua, & denotando, eam incipere ab actione Angelica: cũ verò fit sermo de loco violento in sequentibus verbis, scilicet, *Sed in quantum est instrumentum diuinæ iustitiæ, habet ipsum, vt quodammodò teneat alligatum*, vtitur significatione actiua, & denotante, hoc incipere ab ipso igne, ac proinde illum esse instrumentum agens, & Angelum esse id, quod patitur.

Cæterùm sensus prædictorum verborum non est, quòd corpus habeat spiritũ loco definitum, ac proinde priùs existentem in loco detinere, sed quòd eundem spiritum per illã detentionem, & alligationem loco definitũ detineat, & alliget prædicto loco. Sicut si diceretur, albedinem reddere id, quod est albũ, disgregatiuum visus, nõ est sensus, quòd priùs sit album, quàm constituatur per albedinem; sed quòd albedo constituendo illud in *esse* albi, reddit ipsum disgregatiuum visus. Ita ergo similiter, corpus detinendo spiritum, habet illum actiuè loco definire, & spiritus passiuè detentus manet loco illi definitus.

Ad confirmationem. Ad confirmationem respõdetur, Angelicum Præceptorem in illo articulo loqui de diuersis modis, quibus Angeli sunt in loco, nec non & de diuersis eorũdẽ locis. Et ita verba illa non intelliguntur de modo essendi in loco passiuè, sed de modo essendi in illo actiuè, vt dum in hoc aere operantur.

Secunda obiectio. 107. Nec etiam refert, si secundò obijcias contra hanc eandem assertionem, quòd vni rei tãtùm debet assignari vnica ratio existendi in loco, vt patet ex his, quæ in corporibus accidit: ergo si Angelus est in loco per suam quantitatem, & contactum virtutis, nõ erit in illo per potentiam passiuam, & passionem ei correspondentem.

Solutio. Respondetur, antecedens ad summum esse verum de ratione essendi in loco connaturali. Non est autem inconueniens, quòd assignetur alia ratio existendi in loco violento, siue præternaturali, & alia existendi in loco connaturali: maximè, cùm in loco violento non sit nisi virtute diuina eleuãte corpus ad hoc, vt agat in Angelum.

Ratio autem disparitatis quoad hoc inter corpus, & Angelum constat ex dictis. Quoniam inter Angelum, & locum potest varius & diuersus esse contactus, actiuus nimirũ, & passiuus: & propterea queit esse in Angelo multiplex ratio essendi in loco. Cæterùm inter corpus, & locum, siue naturalem, siue violentum est secundùm communem cursum idẽ contactus, siue corpus sit in loco naturali, siue violento.

Adde, quòd virtute diuina benè potest corpus habere multiplicem rationem essendi in loco, vt puta, si immediatè immediatione virtutis, & suppositi ageret existens intra aliud: tunc enim potentia eius operatiua esset illi ratio essendi nouo modo tanquam in loco in corpore illo, intra quod existit, & operatur.

108. Nec etiam obstat, si tertiò ex Suarez, loco infrà referendo obijcias, quòd Dæmones, vbicumque sint, ac proinde dum existunt in hoc aere, semper patiũtur ab igne inferni, & non vtcunque, sed immediatè immediatione virtutis, & suppositi, quia nullum aliud suppositum crucians mediat: & nihilominùs non ideò sunt in illo tanquam in loco: ergo prædicta passio, & potentia passiua non erit illi ratio existendi in loco. **Tertia obiectio.**

Enodatur primo. Respondetur primò, fatendo, Dæmones vbicunque sint, pati ab igne inferni agente immediatè immediatione virtutis, & suppositi: quia semper impediuntur ex vi illius ab aliquibus operationibus absque interuẽtu alterius suppositi instrumentaliter concurrentis. Hinc tamen non fit, eos tunc esse in inferno per passionem, & potentiam suam passiuam. Nam sicut cùm dicitur, Angelum esse in loco connaturali per suam potentiam actiuam, & operationem, saltem virtualiter trãseuntem in locum, non fit sermo de quacunque operatione elicita immediatè, tam immediatione virtutis, quàm suppositi, sed de operatione sic elicita iuxta modum suum: nã hæc secum trahit ipsam substantiam Angeli, & iuxtaponit, vnitque illam loco, vt testatur D. Thomas in 1. dist. 37. quæst. 3. art. 1. ad vltimum: ita etiam cùm dicitur, Angelum esse per suam passionem in loco, a quo patitur, & detinetur ab operando, intelligitur de corpore operante immediatione virtutis, & suppositi, & eleuato à Deo ad hanc operationem, & detentionem Angeli iuxta modum proprium operandi eiusdem corporis. Modus autem proprius operandi prædicti corporis immediatione virtutis, & suppositi est, vt non agat, nisi in propinquum, vel præsuppositum in *esse* propinqui, si passum fuerit corporeum, vel subsecutum, siue concomitãs in prædicto *D. Thom.*

esse

eſſe propinqui ratione illius operationis, ſi paſſum fuerit quid ſpirituale: atque adeò cùm iuxta modum ſuum agit virtute diuina detinẽdo, debet ſibi alligare Angelum, & actiuè illum intra ſe locare, & ſibi propinquum facere: & ipſe Angelus debet ratione paſſionis itidem immediatæ manere ligatus: atque adeò erit ibi, vt in loco. Cæterùm quãdo prędictum corpus non eleuatur ad hoc, vt agat in ſpiritũ iuxta modum proprium ipſius corporis, ſed alio modo, poteſt agere immediatione virtutis, & ſuppoſiti per modum inſtrumenti in diſtãs, vt n. 74. dicebamus. Et propterea detentio illa, qua detinet Angelum ab aliquibus ex ſuis operationibus, nõ locat actiuè eundem Angelum intra prædictum corpus. Vnde, quando eleuatur à Deo ad agendum in ſpiritum diſtantem in eadem diſtãtia manentem, eleuatur ad duo, nempe, vt agat in diſtans (quod eſt eleuari, nõ iuxta modum ſuum, ſed iuxta modum alium altiorem, qui ei tunc à Deo communicatur) & ſimul eleuatur ad hoc, vt agat in ipſum, ſicut cùm eleuatur ad agendum in corpus diſtans, tantùm eleuatur ad vnum dumtaxat.

Secundo. 109. Reſpondetur ſecundò, quòd ſicut cùm dicitur, Angelum eſſe in loco connaturali per ſuam operationem immediatam immediatione virtutis, & ſuppoſiti, non intelligitur de quacũque operatione ſic immediata, ſed ita vt nec mediet, nec mediare poſsit aliud ſuppoſitum tale: & propterea ſi Angelus exiſtens in cœlo operaretur in locum diſtantem, ſine interuentu alicuius ſuppoſiti medij, non idcircò eſſet ibidem tanquam in loco, quia non repugnaret mediatio prædicti ſuppoſiti: ita etiam cùm dicitur, Angelũ detineri, & alligari à loco, eſſeque in illo ratione paſsionis, qua patitur ab illo, non intelligitur de qualicunque paſsione, ſed de paſsione omninò immediata, ita vt nec mediet, nec mediare poſsit aliud ſuppoſitum, à quo patiatur. Cõſtat autẽ, quòd hoc ipſo, quòd corpus agat in Angelum per eleuationem talis conditionis, vt agat in diſtans, ſeruata prędicta diſtantia in eo inſtanti, in quo operatur, tunc licèt non mediet actu aliud ſuppoſitum, poteſt tamen mediare: ſiquidem agens, & illud paſſum remanent interſe diſtantia.

Roboratur, ſolutio. Adde, quòd cùm dicitur, paſsionem, & potentiam paſsiuam Angeli eſſe ei rationem eſſendi in corpore illo, à quo patitur, tanquã in loco violento, ſiue præternaturali, intelligitur de paſsione, & detentione ab operando: quia ita ibidem detinetur, vt non permittatur alibi operari, ſed ad ſummum (de quo nihil modò) ibi iuxta ſphæram tantùm ſuæ actiuitatis: in eoque euentu erit ibidẽ vt in duplici loco formaliter diuerſo, & ratione diſtinctarum rationum formalium, diſtinctorumque contactuum ſpecie diuerſorum, vel ſi permittitur operari alibi, tantùm ſit intra ſphæram ſuæ actiuitatis metiendo illam ab eo loco, in quo detinetur: ita quidem, vt ſi Angeli ſphæra operandi ſit duarum leucarum, tunc per ſpatium v.g. vnius leucæ queat detineri ab aliquo corpore, & per ſpatium alterius leucæ immediatè operari in alio, & vtrobique eſſe vt in duobus locis correſpondentibus duabus rationibus formalibus fundãdi diuerſas vbicationes in illis. Ratio autem, propter quam requiritur prædicta paſsio cũ his conditionibus, eſt. Quia talis paſsio etiã habet vim trahendi ſecum ipſam ſubſtãtiam Angeli, & vniendi loco: ſicut actio procedẽs ab Angelo immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti habet etiam proportionalem vim ad vniendum eundem Angelũ loco. Ratio verò, propter quam ſphæra actiuitatis Angeli menſuranda eſt tunc ab eo loco, in quo detinetur, licet ſit ibidem ex vi diſtinctæ rationis formalis, poteſt reddi ex eo, quòd licèt Angelus poſſet eſſe immunis à loco: ſemel tamen alligatus illi, quodammodò alligatur & finitur eius vis actiua, & eius ſphæra, ita vt ex illo loco, vbi eſt ligatus, menſuretur.

Elucidatur exemplo. Poteſtque hoc explicari exemplo corporum. Nam ſicut iſta, quia ex natura ſua ſunt obligata loco, ideò ex natura ſua habent, vt ex loco, cui obligata ſunt, deſumatur ſphæra ſuæ actiuitatis, licèt non ſint ibidem ratione ſuæ virtutis actiuæ, ſed ratione quãtitatis: ſic hoc ipſo, quòd Angeli licèt ex natura ſua, & connaturaliter non debeant eſſe obligati loco, ſi tamen ei obligentur, in eoque alligentur, tunc ex conſequenti ligatur quodammodò & determinatur eorum vis actiua, & ratio eſſendi in loco media actione virtualiter trã ſeunti, vt non niſi exinde menſuretur ſphæra actiuitatis eorum, & propterea Dęmones nõ ſunt actu in inferno detenti & ligati igni illi tartareo tanquam loco, quoties operantur in corpus ita diſtans ab illo, vt ſphæra ſuę actiuitatis nõ poſsit ab igne inferni vſque ad prædictum corpus pertingere.

Vltima obiectio. 110 Nec tandem refert, ſi ex Suarez etiã obijcias, quòd animæ, quæ ſunt in limbo, ſunt ibidem tanquam in loco prętternaturali, ex eo quòd locus ille non videtur ita decens & conſonus nobilitati illarum animarum: & tamen non ſunt ibi per potentiam paſsiuã, & paſsionem: ergo &c. Minor probatur. Quia animæ illæ nihil ibi patiuntur à loco: quia non habent pœnam ſenſus, aut pœnam aliquam ad pœnam ſenſus ſpectantem, qualis eſſet prædicta paſsio.

Soluitur. Reſpondetur, negando minorem. Quia diuina virtute detinentur, & prædictus locus vt inſtrumentum Dei producit in illis qualitatem quãdam ſpiritualem, &

intentionalem, siue habentem *esse* per modũ transeuntis, ratione cuius ibidem detinentur, & prædicto loco vniuntur, & ligantur. Nam sicut sacramenta virtute diuina, & media alia simili qualitate, habente *esse* per modum intentionis, seu per modum transeuntis, producunt aliquid spirituale in anima: ita etiam locus ille, vt instrumentum virtutis diuinæ poterit prædictam qualitatem, qua animæ ibidem detineantur, & ab operando alibi modo nuper dicto coerceãtur, producere. Hinc tamen non fit, animas illas pati pœnam sensus, aut pœnam, quę ad illam spectet; sed ad summum esse ibi vt in loco præternaturali, propter ligationem, & impeditionẽ ab operando, quam patiuntur. Et ratio est. Quia ex diuina prouidentia habent, quòd non apprehendant actu prædictum locum vt sibi discõuenientem, nec reluctentur ei, aut de detẽtione in illo tristentur, nec in sensu composito huius prouidentiæ, & status possint prædictę detentioni reluctari, aut de ea tristari: cùm tamen ad hoc, vt prædicta detentio sortiretur rationem pœnę sensus, aut ad eam spectaret, oppositum desideretur.

111. Ratio autem, ob quam Deus vtitur hoc genere prouidentiæ cũ illis, est. Quia pœna sensus, iuxta suauem modum diuinę prouidentiæ, tantùm infligitur propter delectationem captam per propriam voluntatem ex peccato, seu propter conuersionem propriæ voluntatis in bonum commutabile, relicto incommutabili, vt D. Thomas, & communiter Theologi docent: quam tamen conuersionem, & delectationem pueri non habuerunt.

Præcluditur tacita obiectio.

Vnde (vt per hoc tacita quędam obiectio soluatur) detentio & ligatio illa nec habet rationem mali culpæ, vt constat, nec mali pœnæ, ac proinde mali moralis; sed rationẽ cuiusdam mali naturalis, seu dissoni peculiari naturæ illarum animarum: Sicut status puræ naturę in homine includit rebellionem partis inferioris cum superiori, & hæc habet rationẽ cuiusdã mali naturalis respectu partis superioris, & hoc malum habet rationem veluti conditionis naturalis in hoc statu. Ita etiam ex Dei dispositione status animarum in limbo existentium includit hoc malum per modum conditionis naturalis, aut quasi naturalis illius status, vt scilicet ibidem detineantur, impediantúrque modo dicto à suis operationibus: non secùs (proportione seruata) ac detentio Sanctorum Patrum in limbo habuit rationem mali respectu eorum; non quidem pœnę sensus, aut ad illam spectantis: & propterea de illa, vt formaliter erat alligatio ad illum locum, non tristabantur, vt docuit D. Thomas 3. part. q. 52. art. 2. ad 2. sed prædicta detentio habuit rationem mali naturalis, & ex Dei ordinatione erat veluti cõditio naturalis connexa, modo alibi explicãdo, cum eodem statu.

D. Thom.

Nec necesse erit oppositam sententiã nostræ assertioni (quam omnes authores dubio præcedenti §. 12. pro prima sententia nobis contraria relati tuentur) in medium proferre: quia fundamenta illius ex his, quæ pro assertione diximus, manent soluta: & ideò eã, & eius fundamenta referre, superuacaneum erit.

DVBIVM V.

Vtrùm ex contactu virtutis Angeli ad locum resultet in ipso Angelo aliquod intrinsecum vbi? *& an hoc sit* vbi *prædicamẽtale? ac tandem cuius rationis sit?*

112. QVIA In corporibus, vltra rationem formalem determinãtẽ illa ad hoc, vt sint præsentia alicui loco, datur quoddã *vbi* proportionatum prædictæ rationi formali, resultans ex contactu illo quãtitatiuo, & adiacentia loci, ideò postquam explicuimus, rationem formalem determinantem Angelum ad certum aliquem & determinatum locum, & correspondentem quantitati molis, & cõtactui quantitatiuo, statim pulsat animũ inquirere, an ex hac ratione formali, ex hocq; contactu resultet in Angelo aliquod *vbi*? & an hoc sit *vbi* prędicamentale, cuiusque conditionis sit?

§. I. *Assertio prior.*

Assertio prima.

113. DIcẽdum ergo est primò, probabile esse, quòd ex contactu virtutis, quo Angelus tangit locum, & quodammodò ex adiacentia ipsius loci resultare in Angelo aliquod *vbi*, aliquo modo distinctum formaliter ab eodem contactu, siue illud sit prædicamentale, siue non.

D. Thom.

Assertio hæc videtur sequi ex his, quæ ex D. Thoma dubio 1. huius disput. retulimus, scilicet, Angelum esse in loco. Nam idem prorsus est, aliquid esse in loco, ac habere aliquod *vbi*. Idemque docuit S. Doctor in alijs locis, dum distinguit duplicem modum essendi in loco, scilicet, esse in loco circunscriptiuè, & diffi-

diſſinitiuè, & hunc poſteriorem peculiari ratione conuenire Angelis. Cumque iuxta do-
D. Thom. ctrinam D. Thomę hucuſque traditam, ſi ſemel detur hoc *vbi*, debeat fundari in contactu virtutis, quo Angelus tangit locum, requiratque adiacentiam loci: conſequens eſt, eſſe probabile, quòd debeat reſultare ex prędicto cõtactu, & quodammodò ex adiacẽtia loci. Et præterea, cùm probabiliter poſsit ex teſtimonijs in præcedentibus adductis colligi, illud aliquo modo diſtingui formaliter ab eodem contactu, fit inde, vt tota noſtra aſſertio probabiliter ex doctrina D. Thomæ deducatur. Et tandem intellecta noſtra aſſertione in ea generalitate, ſub qua propoſita eſt, defenditur ſatis communiter, tam à diſcipulis D. Thomæ, quàm ab alijs extra eius ſcholam.

Ratio fundamentalis prima. Ratio autem fundamẽtalis illius deſumitur ex locis nuper relatis, poteſtque ſub hac forma proponi. Quoniam eo proportionali modo debemus philoſophari in Angelis circa ea, quæ pertinent ad ipſos collatos cum loco, & rationes formales determinantes ipſos ad certum aliquem locũ, ac philoſophamur in corporibus: quia (vt dubio 1. huius diſputationis dicebamus) ſunt in loco abuſiuè, & metaphoricè, & per analogiam, aut quaſi analogiam ad corpus: ſed ex ratione formali, quæ in corporibus determinat illa ad certum locum, nempe ex quantitate molis, & eius cõtactu, necnõ ex adiacẽtia loci reſultat in eiſdem corporibus aliquod *vbi*, diſtinctum à prædicto contactu: ergo ſimiliter ex ratione formali determinante Angelum ad eſſendum in certo loco, ſcilicet ex quantitate virtutis, & eius contacto, necnon ex adiacentia loci reſultabit in Angelo aliquod *vbi*, diſtinctum aliquomodo à prædicto contactu.

Confirmatur. Confirmatur ex illis, quæ ex D. Thoma in eodem dubio 1. huius diſput. adduximus, ad hanc tamen formam redactis. Nam Angelus abſolutè & ſimpliciter eſt alicubi ſicut in loco: ergo debet hoc habere ab aliqua forma, aut quaſi forma: ergo id debet ei prouenire ex aliquo *vbi* reſultante ex contactu virtutis, & adiacentia loci. Hæc ſecunda conſequentia patet ex priori. Quia forma tribuẽs prædictam denominationem nihil aliud eſt, quàm prædictum *vbi*: quandoquidem prędicta forma nihil eſt aliud, quàm præſentia ad locum, orta ex eo, quòd locus, & locatum ſint inter ſe vnita, ſeque contingant: hæc autem præſentia eſt idem, ac prædictum *vbi*, reſultans ex cõtactu iam explicato, & ex adiacentia loci. Prima verò conſequentia ex antecedenti cõſtat. Nã reſpectu cuiuſuis effectus formalis, qualis eſt hoc, quod eſt eſſe alicubi, debet aſsignari forma tribuens illum. Antecedens autẽ ex dictis loco citato ſatis liquet.

Secunda ratio. 114. Secundò probatur eadem aſſertio. Quia attributum immenſitatis, probabile eſt diſtingui ex æquo ab attributo omnipotẽtiæ, & videtur id colligi ex D. Athanaſio in
Athanaſ. Symbolo, vbi numerat ſigillatim attributũ immenſitatis, & omnipotentiæ: & ideò ſicut cætera alia attributa ſic ab eo ſigillatim enumerata, ſunt ex æquo diſtincta: ita iuxta Athanaſij mentem habebunt hoc ipſum omnipotentia, & immenſitas, quæ ſigillatim ab eodem numerantur. At immenſitas ſic diſtincta ab omnipotentia correſpondet *vbi* Angelico, & omnipotentia, eiuſque operatio correſpondet quantitati virtutis Angelicæ, ſeu eius virtuti operatiuæ, necnon operationi eiuſdẽ, per quam contingit locum. Ergo prædictum *vbi*, reſultans ex contactu, quo Angelus contingit locum, erit aliquo modo formaliter diſtinctum à prędicto cõtactu, qui eſt ratio fundamentalis talis vbicationis.

Confirmatur. Quoniam iuxta hunc modum dicẽdi, cõtactus virtutis prædictus pertinet ad ordinem operandi, vbicatio autem formaliter, & præcisè ſumpta ad ordinem eſſendi: & ita habebunt aliquo modo formaliter diſtingui. Vnde iuxta aſſertionem hanc teſtimonia D. Thomæ aſſerentia, Angelum eſſe in loco per prædictum contactum, intelligenda ſunt præcisè de ratione fundamentali vbicationis in eo; non verò de ipſa vbicatione. Confirmatur.

115. Nec obeſt, ſi contra aſſertionem hanc obijcias primò, quòd ſecundùm D. Thomam potiùs videtur dicendum, non eſſe in Angelis aliquod *vbi*, etiam ſi contactu virtutis contingãt locum. Quoniam ipſe 3. part. quæſt. 76. art. 5. infert, corpus Chriſti Domini ſub ſpeciebus ſacramentalibus non habere aliquod *vbi*, ex eo quòd nec eſt ibi ratione propriæ quantitatis, ſed potius quantitas eſt ſub illis ſpeciebus ratione corporis eiuſdem Chriſti Domini; nec habet illud ratione quantitatis ſpecierum, quia hæc non eſt propria quantitas Chriſti: ergo S. Doctor ſentit, quòd *vbi* ſolùm conuenit ratione quãtitatis molis, & loci circunſcriptiui; non verò ratione quantitatiis virtutis, & loci diffinitiui. Obiectio prima contra ſecundã rationem.

Reſpondetur enim ex dictis, concedendo antecedens, & negando cõſequentiam. Quoniam in corporibus ratio connaturalis fundandi vbicationem eſt quantitas molis, & locus circunſcriptiuus illam continens. Vnde ex hoc, quòd corpus Chriſti Domini non ſit ſub ſpeciebus ratione quãtitatis, optimè intulit Angelicus Præceptor, non habere ibidem aliquod *vbi*. Secùs tamen dicendum eſt in Angelo tangente per contactum virtutis locum: nam eo ipſo datur ſufficiens fundamentum, ſufficiensque ratio formalis determinans ad prædictum *vbi* proprium Angelorum. Diluitur.

Obiectio secunda.

116. Nec etiam obstat, si secundò obijcias, quòd ex hoc, quòd Angelus coexistat tẽpori nostro, non idcircò ex adiacentia prædicti temporis, & coexistentia illa resultat aliquod *quando*, tametsi in corporibus ex coexistentia ad tempus, & adiacentia illius resultet aliquod *quãdo*, quod est modus distinctus à tẽpore, & pertinet ad proprium prædicamentũ *quando*: ergo idem dicendum erit de vbicatione in collatione ad locum.

Enoditur. *N. Compl.*

Respondetur, concedendo antecedens cũ N. Complutensibus in sua Logica disput. 16. num. 29. sed neganda est consequentia. Et ratio disparitatis tacta est suprà num. 12. Quoniam res spirituales, licèt simpliciter coexistant accidentali coexistẽtia tempori nostro, non sunt simpliciter in illo, sicut sunt in loco corporeo, vt in dubio 1. huius disputationis diximus.

Replica.

117. Sed vrgebis, quòd Angeli extrinsecè mensurantur æuo primi Angeli, suntque simpliciter in illo: & visiones beatificæ Sanctorum habent extrinsecè mensurari æternitate participata visionis beatificæ Christi Domini, esseque in illa, vt in mensura, cui ex natura sua subduntur: & nihilominùs ex adiacẽtia æui primi Angeli, & ex hoc, quod cæteri Angeli sint in ista duratione, non idcircò resultat in eis aliquod *quando*, sicut nec in visionibus beatificis: ex eo quòd sint in æternitate participata visionis beatificæ Christi Domini: ergo neque ex adiacẽtia loci, in quò simpliciter sunt Angeli, resultabit in eis aliquod *vbi*. Probatur minor. Quoniam prædicamentum *quando* solùm resultat ex adiacentia temporis primi mobilis, & ex duratione corporum inferiorum, quæ est tempus, vt probant N. Complutens. loco nuper adducto.

Solutio prima. *N. Compl.*

Respondetur ex N. Complutensibus loco nuper citato, & ex Sanchez lib. 6. suæ Logicę conclusione 4. probabile esse, quòd in Angelis inferioribus relinquitur aliquod *quando* ex adiacentia æui primi Angeli extrinsecè mensurantis *esse* aliorum Angelorum: quod idem de visionibus beatificis Sanctorum mẽsuratis ab æternitate participata visionis beatificæ Christi Domini dicimus. Vnde concessa maiori, neganda est minor. Et ad probationem dicendum est, quòd iuxta hunc modũ dicendi prædicamentum *quando* extenditur, tam ad *quando* corporeum, quàm ad *quando* spirituale, vt N. Complutenses loco citato notarunt; quanuis non ideò prædicamentum *vbi* extendatur ad *vbi* Angelicũ, sed *vbi* istud solùm sit *vbi* æquiuocè tale, & non collocatũ in prędicamento *vbi*, vt infrà dicemus. Et ratio disparitatis est. Quod locus propriè talis debet esse superficies vltima corporis continentis, &c. In isto autem loco propriè tali nõ habet substaria spiritualis esse, nisi metaphoricè, & abusiuè, vt num. 6. diximus: & propterea ex adiacentia talis loci solùm potest resultare *vbi* metaphoricè tale. Cęterùm duratio propriè talis extenditur, tam ad æuum, quàm ad æternitatem participatam, & in illo possunt propriè esse Angeli, abeoque simpliciter, & propriè mensurari, illique subdi: & propterea non mirum, quòd ex adiacentia æui primi Angeli resultet in inferioribus Angelis aliquod *quando* propriè tale.

Secunda solutio. *Aristotel. D. Thom. N. Compl.*

Secundò respondetur cum eisdem Complutensibus loco nuper relato num. 29. & cũ Sanchez quæst. citata, esse communiorem, & firmiorem sententiam in doctrina Aristotelis, & D. Thomæ, quòd prædicamentum *quãdo* solùm comprehendit ea accidentia, quæ ex adiacentia temporis primi mobilis relinquuntur in rebus, quæ ab illo mensurantur: quia nõ nisi ratione huius mensurationis possunt dici esse in illo. Quæ doctrina desumitur ex Aristotele 4. Physicorum textu 115. & ex D. Thoma ibidem lect. 20. eiusque rationem reddunt N. Complutenses loco relato. Vnde iuxta hanc sententiam dicendum est, non relinqui aliquod *quando* prædicamẽtale in Angelis ex adiacentia æui primi Angeli, sed ad summum (de quo alibi) relinqui aliquid, quod solùm æquiuocè dicatur *quando*.

Alia replica.

118. Nec prætereà obstat, quòd ex contactu virtutis, quo Deus tangit loca, & ex adiacentia illa locorum non resultat aliquod *vbi* in Deo: ergo neque in Angelis. Antecedens videtur perspicuum: quia Deo nihil accrescit ex adiacentia creaturarum. Consequentia verò probatur exparitate rationis.

Responsio.

Respondetur enim concedendo antecedens, & negando consequentiam. Quia Deo ratione suæ infinitatis, & immutabilitatis repugnat, quòd accrescat aliquod intrinsecum *vbi*, secùs verò Angelo: quia finitus est. Vnde Deus, iuxta modum dicendi, quem in hac assertione vt probabiliem sectamur, dicitur esse in omni loco, vel ratione suæ immensitatis, quæ quantum est ex se est *ipsum esse actuale vbique*: & ita hoc ipso, quòd quæuis creatura producatur, habet prædictum *esse vbique*, seu immensitas (connotando tamen talem creaturam vt productam) esse in illa, absque eo quòd Deo aliquid intrinsecum accrescat, vel per denominationem extrinsecam à creatura producta, quæ quodammodò habet rationem loci respectu Dei: sicut etiam ipse Deus potest dici actu creans, vel ratione suæ actionis immanentis, & virtualiter transeuntis, cõnotando creaturã productam per illã, vel per denominationẽ extrinsecã ab ipsa creatura, & à productione passiua illius. Vnde iuxta hæc intelligẽda sunt, quæ docent N. Compl. in sua Logica disp. 16. n. 20. dũ dicũt, quòd si esse

N. Compl.

eſſe in omni loco ſumatur formaliter pro eo, quòd Deus actualiter dicitur eſſe in omni illo, eſt pura denominatio extrinſeca, vel relatio rationis: quia loquuntur de illo ſecundo modo, quo Deus actualiter dicitur eſſe in omni loco, ſeu de illo, quod quodãmodò Deo accreſcit, dum dicitur actualiter eſſe in omni loo, & de modo eſſendi in illo per huiuſmodi (vt ſic dicamus) quaſi accretionem: quia cùm hoc accrementum neque at eſſe per aliquid intrinſecum, oportet, vt ſit accrementũ extrinſecæ dumtaxat denominationis.

§. *II. Aſſertio ſecunda.*

Aſſertio ſecunda.

119 DIcendum eſt ſecundò, probabilius eſt; *vbi* Angelicum non pertinere formaliter ad ordinem eſſendi, ſed ad ordinẽ operandi: ac proinde non diſtingui formaliter ab ipſa operatione, ſeu contactu virtutis Angelicæ, ſed tantùm importare prædictum contactum, vt dicit ordinem, aut quaſi ordinem tranſcendentalem ad locum: & in hoc habet aliquam ſimilitudinem cum *vbi* prædicamentali ratione cuius prædicta operatio habet impropriè & abuſiuè, quòd ſit vbicatio Angelica.

Explicatur.

Explicatur aſſertio. Etenim in operatione Angeli, quæ procedit ab illo immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti, vt eſt formaliter immanens, & virtualiter tranſiens, eſt duplex reſpectus, aut quaſi reſpectus: alter ad effectum, quem producit in loco, alter ad locum ipſum. Et licèt operatio ſecũdùm priorem quaſi reſpectum non ſit *vbi* Angelicum; benè tamen ſecundùm poſteriorem, & modo ſtatim dicendo. Poteſt autẽ vterque quaſi reſpectus operationis explicari ex eo, quòd operatio illa eſt *fieri* alicuius, & alicubi, ſeu in aliquo loco. Vnde, quatenus eſt *fieri* alicuius dicit priorem reſpectum, aut quaſi reſpectum ad effectum; quatenus verò eſt *fieri* prædicti effectus alicubi, explicat poſteriorẽ quaſi reſpectum ad locum. Et licèt vterque quaſi reſpectus pertineat ad lineam operationis: quia prædicta operatio, vt eſt ab Angelo, immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti affert ſecum vnitam ſubſtantiam Angeli in ratione agentis, tam cum effectu, quàm cum loco: nihilominùs non dicitur *vbi* Angelicum, adhuc metaphoricum, niſi ſecundùm poſteriorem quaſi reſpectum: quia ſecũdùm illum habet ſimilitudinem quandam cum *vbi* prædicamentali, & propriè tali, ſiue per eam explicatur: & ita ratione huius *vbi* Angelicum dicitur *vbi* metaphoricum: ac proinde prædictus reſpectus, aut quaſi reſpectus propriè loquendo tantùm erit reſpectus inadæquatus operationis vt talis, & abuſiuè ſolùm erit vbicatio: ac proinde non addet formalitatẽ aliquam propriè talem, ſed ſolùm dicet prædictum reſpectum actionis, vt abuſiuè eſt vbicatio, ſeu vt habet aliquam ſimilitudinem cum vbicatione propriè ſumpta, ſiue vt per illam debet explicari.

Aſſertio hæc eſt conformior D. Thomæ doctrinæ locis dubio 1. huius diſputationis citatis, peculiariter autem teſtimonio ibidẽ adducto ex eodem Angelico Doctore 1. ſentent. diſtinct. 37. q. 3. art. 1. vbi loquẽs de mõdo, quo Angelus eſt in loco, nempe æquiuocè, & abuſiuè, id confirmat teſtimonio Nazianzeni his verbis: *Et hoc confirmatur authoritate Gregorij Nazianzeni, qui hoc expreſsè dicit. Vnde etiam ſubiungit, quòd cùm deberemus dicere, hic operatur, abuſiuè dicimus, hic eſt.* Inquo teſtimonio duo notanda ſunt. Primum eſt, quòd ſi Angelum eſſe in loco, ſeu *vbi* Angelicum adderet aliquam formalitatem ad ordinem eſſendi pertinentem, & diſtinctam formaliter ab operatione iam explicata, tunc propriè loquendo ratione illius nõ deberemus dicere, Angelum hic operari, ſed propriè loquendo, hic eſſe, quia prædicta formalitas haberet propriè aliquam rationem præter hoc, quod eſt operari, modò dicto: & ita nec ratione illius deberemus dicere, Angelum hic operari: nec poſſemus nõ aſſerere propriè, hìc eſſe: ſiquidem ſuus effectus formalis præcisè, & propriè ſumptus nõ poſſet eſſe alius præter hoc, quod eſt eſſe hìc. Secundum eſt, quomodo iuxta mentem Angelici Doctoris *vbi* Angelicum pertineat ad lineam operationis, modo à nobis explicato, & ſolùm abuſiuè dicat vbicationẽ, propter rationem ſimilitudinis, quam prædicta operatio habet cum propria vbicatione, ſiue quia per illam explicatur. Propterea enim Sãctus Doctor dicit, quòd *cùm deberemus dicere, Angelum hic operari, abuſiuè dicimus, hic eſſe.* Vnde hanc ſententiam tuentur peritiores diſcipuli D. Thomæ.

Ratio fundamentalis.

120. Ratio autem fundamentalis deſumitur ex Angelico Præceptore loco citato, poteſtque ad hanc formam redigi. Nam id, quod eſt impropriè & abuſiuè tale, non verò propriè, ſolùm affert (ſaltem per ſe loquẽdo) aliquid hęc duo habẽs: primum eſt, quòd dicat propriè aliquam rationem diſtinctam ab ea, per ordinem, aut quaſi ordinem ad quam dicitur abuſiuè tale: ſecundum verò, quòd fundet rationem illam abuſiuam, in ipſoque reperiatur, propter aliqualem ſimilitudinem cum eo, quod habet propriè prædictã rationem, quę illi abuſiuè ſolummodò competit. Sed Angelus eſt abuſiuè in loco, & abuſiuè cõuenit illi vbicatio in illo, ex eo quòd operatur ibi, tanquam ex ratione fundamentali eſſendi abuſiuè ibidem. Ergo talis vbicatio ſolùm dicit propriè hãc rationẽ fundãdi: nõn verò hõc, quod eſt eſſe in loco, ſeu vbicationem propriè talẽ, & ſolùm ſuperaddit, quòd

præ-

prædicta ratio fundandi, licèt sit propriè operatio modo explicato, habeat tamen aliqualem similitudinem cum vero & proprio *vbi*, quatenus per illam operationem ponitur substantia Angelica realiter præsens, & vnita illi loco, ac si esset ibi verum & propriu m *vbi*, & limitat illam ad hoc, vt sit præsens loco adæquato, ita vt non sit alibi, ac si esset ibidem propriè vbicata. Ac proinde ad hanc metaphoricam & abusiuam vbicationem non requiritur aliqua alia realitas, aut formalitas præter realitatem illius operationis modo explicato consideratam, & vt dicit aliqualem similitudinem cum propria vbicatione. Vtraque consequentia videtur satis perspicua ex duabus præmissis. Minor verò ex dictis in tota hac disputatione liquet.

Maior autem patet in prato abusiuè ridente, quod, quatenus sic ridens, nihil aliud dicit, præter *florere* propriè tale, distinctum à risu, qui sit propriè talis, per ordinem ad quē pratum dicitur ridere; & quod per suum *florere* fundet, in eoque reperiatur risus metaphoricus, propter aliqualem similitudinem, quæ est inter ipsum pratum sic floreſcens, & risum propriè sumptum. Quòd etiam in Deo abusiuè habente iram cernitur. Nam in illo reperitur actus puniendi, qui propriè, & formaliter sit actus iustitiæ vindicatiuæ, quique dicit rationem aliquam diuersæ rationis ab ea, in ordine ad quam abusiuè dicitur irasci: & ratio ista fundat rationem illam abusiuā, ipsique Deo attribuitur propter aliqualem (vt sic dicamus) similitudinem cum propria ira: nec aliqua alia formalitas in eo reperitur ad hoc vt dicatur abusiuè irasci, præter prædictum actum iustitiæ vindicatiuæ.

Instio. 121 Nec refert, si occurras, rationem fundantem hanc præsentiam localem abusiuè talem, non dicere propriè & formaliter loquendo ipsam operationem, vel aliquid ad lineam operationis formaliter pertinens; sed dicere aliqud spectans ad ordinem essendi, scilicet præsentiam propriè talem in ordine ad locum, licèt non præsentiam localem, quę propriè sit vbicatio, quia ad priorem illam præsentiam satis est, quòd totus Angelus quo ad suam substantiam sit in toto loco, & totus in partibus loci, & in indiuisibilibus illius, atque adeò quod sit ibidem absque commensuratione ad locum: cùm tamen præsentia localis propriè talis, quæ sit vbicatio, dicat ita esse in loco, quòd importet commensurationem cum eodem loco: & propter similitudinem iam explicatam, quam illa habet ad istam, dicitur abusiuè & metaphoricè vbicatio.

Præclusio. Non itaque hoc refert. Nam quoties principium radicale, & proximum pertinēt propriè ad ordinem operandi, toties actus vltimus correspondens prædictis principijs spectat proprie ad eundem ordinem: sed in Angelo principium radicale, & proximum spectant propriè ad prædictum ordinem operandi: ergo etiam actus vltimus, nempe hoc, quod est esse in loco, seu actualis vbicatio ad hunc ordinem propriè pertinebit. Maior perspicuè patet in natura intellectuali, vt radicaliter est intellectiua, seu elicitiua suæ intellectionis, quæ quia ipsa sic sumpta pertinet propriè ad ordinem operandi, & principium proximum ei correspondens, nempe intellectus spectat etiam sic ad hunc ordinem, idcircò actus vltimus eis correspondens, nēpe intellectio, pertinet etiam propriè ad eundē ordinem. Minor autem etiam liquet. Nā cum ratio proxima essendi in loco sit in Angelo sua quantitas virtutis, siue potentia operatiua in loco, & ratio proxima, nec non & radicalis debeant ad eundem ordinem propriè pertinere, consequens est, vt sicut ratio proxima essendi in loco pertinet propriè in Angelo ad ordinem operandi, ita etiam ratio radicalis essendi in prædicto loco ad eundem ordinem propriè spectet.

122 Deinde contra eandem solutionem obstat, quòd vbicatio debet esse talis conditionis, quòd res vbicata pendeat simpliciter per illam à loco, vel è conuerso locus à re vbicata sit dependens: at si *vbi* Angelicū dicat aliquid præcisè spectans ad ordinem essendi, non verò aliquid pertinens ad ordinem operandi, nimirum operationem Angelicam iam explicatam, non saluatur ista dependentia, secùs tamen si prædictum *vbi* consistat in operatione Angelica: ergo &c.

Consequentia patet. Minor verò etiam constat. Quia si operatio Angelica erga locum sit vbicatio illius, tunc locus pendebit à prædicta vbicatione, & ab Angelo quatenus sic vbicato, quæ quidem dependentia necessario ibidem reperienda est: ex eo quòd Angelus est in loco, non per modum contenti, sed per modum continentis eundem locum. Cæterùm si prædictum *vbi* tantùm pertinet ad ordinem essendi, nec pendebit simpliciter à loco, quia hoc est contra rationem rei purè spiritualis eleuatæ supra prædictum locum, & ei ratione huius eleuationis dominantis; neque è conuerso locus pendebit ab vbicatione: quia res corporea non pendet à re purè spirituali, & experti materiæ, ni si media operatione rei spiritualis erga illā; imò nec habet connexionem, & colligationem cum ipsa, nisi mediante prædicta actione, vel passione inter illas. Maior autem etiam liquet. Nam cùm *vbi*, & locus sint inter se colligata, oportet, vt vel hic ab illo, vel è contra illud ab isto, nempe loco, simpliciter pendeat.

123 Ex quibus fit, manere solutam quandam obiectionem cum suis confirmationibus,

bus; quæ contra dicta fieri poterat, nimirum, Angelum non esse magis vnitum media ista operatione cum loco, quàm corpus media quantitate molis tangente eundem locũ: & nihilominùs vltra hunc contactum, & vnionem additur modus quidam præsentiæ localis ad locum, qui sit distinctus à quantitate, quatenus sic tangente, in quoque cõsistit vbicatio corporum: ergo eadem ratione, licèt Angelus sit vnitus media ista operatione cũ loco, illumque contingat, debebit superaddi modus quidam præsentiæ ad eundem locum distinctus formaliter ab operatione, & ab ijs, quæ ad eius lineam pertinent, in quo vbicatio Angelica spectãs ad ordinem essendi consistat.

Cõfirmat. 1 Confirmatur primò. Quoniam Angelus operans per prædictam operationem erga locum non est intimiùs vnitus cum loco, quàm corpus Christi Domini in Eucharistia cum speciebus: & tamen vltra hanc vnionem additur ibidem præsentia eiusdem corporis Christi Domini ad species formaliter distincta: ergo, &c.

Cõfirmat 2 Confirmatur secundo. Nam immensitas in Deo addit præsentiam eiusdem Dei ad omnia loca, in quibus est, distinctam virtualiter ab operatione illius erga prædicta loca: ex eo quod immensitas est attributum virtualiter distinctum ab omnipotentia. Certum est autem, Deum esse magis vnitum media sua operatione cũ locis, erga quę operatur, intimiusque tota illa peruadere, quàm Angelum collatum cum suo loco, & operantem circa illum. Ergo si non obstante hac maiori vnione, superadditur in Deo attributum immensitatis, quod est (quantum est ex vi sua) vbicatio Dei in omni loco: potiori ratione in Angelo, vltra suam operationem, addetur saltem aliquis modus formaliter ab illa distinctus, per quẽ sit præsens loco, & vbicatus in ipso, quique proinde ad ordinem essendi pertineat, sicut immensitas in Deo nõ ad ordinem operandi, sed essendi formaliter loquẽdo pertinet.

Confirmatur vltimo. Confirmatur tandẽ. Quia alioqui non saluabitur proportio & similitudo, quæ debet inueniri in vbicatione definitiua Angeli cũ vbicatione circunscriptiua corporum: siquidem hęc ponitur distincta ab vnione, qua per suam quantitatem applicantur, seu vniũtur loco, illumque tangunt, secùs verò vbicatio Angelica, si consistit in operatione, qua Angelus media sua quantitate virtutis tangit locum, illique applicatur. At constat ex dictis, hanc proportionem & similitudinem saluandam esse in vbicatione Angelica: ex eo quòd ista dicitur talis, quatenus habet aliqualem proportionẽ & similitudinem cum illa vbicatione circunscriptiua.

Enerватur obiectio, & prima confirmatio. 124. Ex dictis igitur constat solutio ad hanc obiectionem cum suis confirmationibus. Ad obiectionem quidem. Nam corpus media sua quantitate, & Christus Dominus in Eucharistia, ratione suæ substantiæ (esto habeant præsentias distinctas à suis rationibus formalibus, medijs quibus illud vnitur loco, hìc verò speciebus) ita se habent, vt vtrumque habeat præsentiam propriè talem: illud quidem præsentiam localem, iste verò sacramentalem. Et ita non mirũ, quòd id habeant per aliquid formaliter distinctum, formaliterque superadditũ ad prædictas vniones, secus verò in Angelo respectu loci: quia præsentia eius ad illum, propriè loquendo, solùm est præsentia agentis ad passum, præsentis illi quoad suam substantiam per modum agẽtis: & ita tantùm metaphoricè habet præsentiam localem, seu vbicationem respectu loci: ac proinde, vt in ratione pro hac assertione dicebamus, non debet illi superaddi aliqua noua formalitas, sed sufficit formalitas actionis, vt habet aliqualem proportionem & similitudinem cum vbicatione circunscriptiua. Per quod ad primam confirmationem satis patet.

Secunda. Ad secundam verò confirmationem respondetur, quòd iuxta hunc modum dicendi immensitas non est attributum ex æquo distinctũ ab omnipotentia, sed eadẽ omnipotẽtia, vt operatur, & producit suos effectus in omni loco.

Tertia. Ad vltimã autem confirmationẽ fatemur, dandam esse aliqualem proportionem & similitudinem ex parte vbicationis Angelicæ cum vbicatione circunscriptiua corporum: negamus tamen, hanc debere esse illã, quæ in hac confirmatione intenditur, vt constat ex ratione assertionis, sed sufficere eam, quam ibidem tetigimus.

§. III. *Assertio posterior.*

Tertia assertio. 125. DIcendum est tertiò, prædictum *vbi* (de quo in præcedentibus assertionibus) nõ esse *vbi* prædicamentale. Assertio hæc satis deducitur ex testimonijs, quæ dubio 1. huius disputationis ex Angelico Doctore retulimus: eãdẽque tuetur communis Thomistarũ schola, vt testatur Araujo 5. Metaphysicæ q. 7. art. 2. & fatetur Suarez disp. 51. *Araujo. Suarez.* suæ Metaphysicæ q. 3. Ratio autẽ fundamẽtalis illius deducitur ex prædictis locis D. Thomæ. Quoniã Angelus nõ est in loco propriè, sed tantum abusiuè & æquiuocè: ergo *vbi* illius, & *vbi* corporũ non conueniunt vniuocè in ratione vbicationis: ac proinde cùm *vbi* corporum sit prædicamentale, non poterit *vbi* Angelicum esse etiam prædicamentale. Hæc vltima cõsequẽtia ex priori patet: alioqui *vbi* Angelicum non æquiuocè, sed vniuocè esset tale: ac tãdem propriè haberet rationem vbicationis: siquidem quæ sunt in eodẽ

præ-

prædicamento, habent propriè rationem illâ prædicamentalem conueniuntq; vniuocè in ipsa. Prima verò consequentia ex antecedẽti liquet. Quoniam eo modo, quo aliquid est in loco, habet vbicationem. Et ita, quod tantũ impropriè, abusiuè, & æquiuocè fuerit in loco, habebit vbicationem abusiuam præcisè, & æquiuocè talem. Antecedens autem cõstat ex illis, quæ in hac disp. dub. 1. latiùs diximꝰ.

Et licèt posset in præsenti adduci solutio, quam tradunt aduersarij huic rationi: quia tamen hęc satis manet impugnata ex illis, quæ dubio nuper citato num. 7. diximus: ideò eã in præsenti non adducimus.

Confirm. 1° Confirmatur primò. Nam ratio proxima essendi in loco, & consequenter ipsum *vbi* quod consequitur ad illam, non potest omninò abstrahere à virtute proxima essendi in loco rei corporeæ, & à virtute proxima essendi in loco modo connaturali substantię Angelicę, nec huiusmodi rationes possunt in vna ratione vniuocè conuenire. Quoniam ratio proxima essendi in loco rei corporeæ est quãtitas molis, ratio verò proxima essendi in loco modo connaturali substãtiæ Angelicæ est qualitas, seu virtus proximè operatiua, vt ex dictis in hac disputatione constat: quantitati autem, & qualitati non datur ratio superior omninò abstracta, nec ipsa possunt inter se vniuocè conuenire. Ergo &c.

Confirm. 2. Cõfirmatur secundò. Quia determinationes, seu exercitia harum rationum formaliũ essendi in loco, non possunt vniuocè conuenire, aut ab eis vna ratio superior omninò abstrahi: eò quòd determinatio, siue exercitium rationis formalis essendi in loco rei corporeę est contactus quantitatiuus; determinatio verò seu exercitium rationis formalis essendi in loco modo connaturali substantiæ Angelicæ est contactus metaphoricus, seu operatio formaliter immanẽs, & virtualiter trãsiens ipsius Angeli, vt ostendimus dubijs præcedẽtibus: constat autem, huiusmodi contactibus nihil dari commune vniuocum: ergo &c.

Adde, quòd adhuc dum Angelus est in loco modo sibi non connaturali, sed per passionem, & vim ad patiendum, quam habet, tunc hæc passio pertinet ad distinctũ prædicamẽtum, ac ratio proxima, à qua habent corpora determinari ad propriam vbicationem, vt ex se patet: & ita adhuc tunc rationes essendi in loco fundamentales, & proximæ non conuenient vniuocè in vna & eadem ratione proxima determinante ad essendum in loco seu ad ipsum *vbi*: & per consequens nec prædictæ vbicationes sic conuenient: ideòque ad idem prædicamentum non spectabunt.

§. 4. *Opposita sententia, fundamenta, & solutiones eorum.*

Opposita sententia. 126 OPpositam tamen sententiam nostrę secundæ, & tertiæ assertioni, nẽpe, Angelum constitui in loco per *vbi* prædicamentale, secluſa actione, vel passione, tuentur Molina in præsenti disp. vnica membro 5. §. *His ita prænotatis*, Suarez disp. 51. Metaphysicæ passim. & lib. 4. de Angelis cap. 2. n. 4. & 9. quos refert, & sequitur Bubalus ad articulũ 1. huius quęst. in quęsito 2. difficultate 3. §. 1. *Molina. Suarez. Bubalus.*

Probatur primò ex doctrina Frãcisci Suarez, nec non Molinæ in hac quæst. art. 1. Vazquez ibidem disput 189. c. 2. & aliorũ. Quia ratio substantiæ prædicamentalis est vniuocè communis, tam substantię materiali, quã spirituali creatæ, quales sunt Angeli: & propterea isti sunt in prædicamento substantiæ, vt cum Angelico Doctore docent N. Complutenses in sua Logica disput. 12. num. 29. Ergo etiam *vbi* prædicamentale erit vniuocè commune, tam vbicationi materiali, quàm spirituali, nempe Angelicæ: & ita prædictum *vbi* erit prædicamentale. Fundam. 1. *N. Compl.*

Respondetur enim ex dictis loco citato, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Et ratio disparitatis est. Quòd vt aliquid directè pertineat ad prædicamentum substantiæ, satis est ratio substantiæ completæ ex genere, & differẽtia compositæ: hoc autem competit, tam substantiæ materiali, quã spirituali, quales sunt Angeli. Cæterùm ad hoc, vt aliquod *vbi* sit prędicamentale, oportet, vt sit *vbi* circunscriptiuũ, & quod id quod per illud est in loco, pendeat à loco circunscriptiuo, vt tali, tanquam à mensura prædictę vbicationis, propter illa, quæ loco citato diximus. Certum est autem, *vbi* Angelicum nec esse circunscriptiuũ, nec tandem Angelum, prout habet prædictum *vbi*, mensurari per locum circunscriptiuum: siquidem Angelus non est in loco vt contentus, sed potiùs vt continens. Respond.

127 Secundò probatur ab eodem Suarez vbi suprà num. 9. Nam *vbi* Angelorũ non est quantitas, neque aliquod accidens, quod per illam insit substãtiæ: cùm huiusmodi *vbi* insit substantiæ Angelicæ, in qua nec quantitas, nec alia accidentia per illam inhærentia inueniri possunt. Deindè non est etiam qualitas adhuc spiritualis: tum, quia in nulla specie qualitatis collocari potest, vt facilè quisq; intelliget discurrendo per singulas: tum etiam, quia motus localis non tendit per se ad qualitatem, neque ista acquiritur per se per illum: cùm tamen hæc vbicatio per se acquiratur ab Angelo per motum localem: ergo nõ potest pertinere ad aliud prædicamentum, quã ad prædicamentum *vbi*: quia (vt intuenti patebit) cætera alia prædicamenta nõ sunt idonea ad hoc, vt in illis vbicatio Angelica collocetur. Fundam. 2.

Respondetur, vbicationem Angelicam, vt est sub conceptu vbicationis, non pertinere per se directè ad aliquod prædicamentum. Et Dissoluitur

ratio

ratio est aperta ex dictis. Quoniam sub prædicto cõceptu tantùm est metaphoricè talis: cõflat autẽ, ea, quæ solùm metaphoricè sunt talia, nõ pertinere secundũ hanc rationẽ per se directe ad prædicamentũ, sed ad summũ reductiuè ratione fundamẽti, in quo innititur ratio illa, vt metaphoricè talis, vel ratione alterius prioris formalitatis, respectu cuius ratio immediatè fundans sit veluti exercitiũ & determinatio illius. Et ita (quoad præsens attinet) vbicatio Angelica metaphoricè talis pertinebit reductiuè ad prædicamẽtũ qualitatis: quia actio Angelica formaliter immanens, & virtualiter transiens fundans illã immediatè pertinet ad hoc prędicamentũ, iuxta ea, quæ *N. Compl.* N. Cõplutenses in lib. de Anima disp. 21. n. 6. tradunt, & nos etiã in 1. tom. tract. 2. disp. 2. n. 208. tetigimus. Et similiter id, respectu cuius ratio immediatè fundans habet se per modũ exercitij & determinationis, spectat ad prædicamentũ qualitatis: quia nihil est aliud, præter quantitatem virtutis Angelicę, quæ est sua virtus operatiua.

Tertiũ fundamẽtum. 128 Tertiò probatur prędicta sententia. Quoniam in Angelo absolutè & simpliciter reperitur motus localis, ac proinde actio, per quam exercetur: ergo datur etiam vbicatio distincta, saltem ex natura rei, à prædicta operatione. Consequentia patet. Quia motus localis terminatur ad *vbi*, saltem ex natura rei distinctum à motu, siue operatione, per quã exercetur: sicut augmentatio, & alteratio terminantur ad terminos distinctos ab eisdem motibus, nempe ad qualitatem, & maiorem quantitatem.

Enodatur. Respondetur, facilè constare ex dictis, quo modo ex motu locali Angelico non deducatur, dandam esse in Angelis vbicationem distinctam à sua operatione. Quoniam licèt de illis verificetur, simpliciter moueri motu locali, non tamẽ moueri motu illo propriè, sed solùm æquiuocè tali: & ita non est necesse, dari vbicationem distinctam ab operatione, vt ex dictis constat, sed solùm quòd detur propria operatio accõmodata illi motui, & eum fundans, necnon & termini proprij prædictæ operationis formaliter immanentis, & virtualiter transeuntis, Quia propriè loquendo (vt ex Gregorio Nazianzeno dicebamus) cùm deberemus asserere, Angelũ hic operari, abusiuè dicimus, illum hìc esse. Et ideò solùm oportet assignare terminos illius motus realiter distinctos ab operatione, considerata quatenus propriè operatio est, non verò quatenus abusiuè habet rationẽ motus localis. Nam sicut quoad istam rationem non addit aliquã formalitatem supra se ipsam, vt est operatio intellectualis, & practica Angeli circa locum: ita nec petit terminum distinctũ à se ipso, & à terminis proprijs illius, vt est operatio circa locũ. Vnde ad formã concesso antecedenti, neganda est consequentia. Et ad probationem, esse disparem rationem: quia motus in ea numerati sunt motus propriè, & non æquiuocè tales; secùs verò motus localis Angelicus.

DVBIVM VI.

Vtrùm Angelus sit in loco diuisibili secundùm realem præsentiam? & an vbique?

POstquam explicuimus, quid sit in Angelo ratio formalis essendi in loco, quidque sit formaliter *vbi* Angelicum, seu ipsum *esse* Angelicum in loco: restat vt explicemus, ad quænam loca virtus locabilis Angelorum se extẽdat, in quibusque locis ratio illa formalis, necnon & vbicatio ei correspondens exerceãt id, quod est propriũ vtriusque? Et ideò, vt hoc incipiamus explicare, proponimus duo illa in titulo contenta, an nimirum Angelus sit in loco diuisibili? & an sit vbique, siue in omni loco?

§. *I. Assertio prior.*

Prima cõclusio. 129 DIcendum ergo est primò, Angelum secundùm realem præsentiam posse esse in loco diuisibili. Hæc est D. Thomæ art. 3. huius q. his verbis: *Circa hoc tamen aliqui decepti sunt. Quidã enim imaginationẽ transcendere nõ valentes, cogitauerunt indiuisibilitatẽ Angeli ad modum indiuisibilitatis pũcti. Et ideò crediderũt, quòd Angelus nõ pẽsset esse, nisi in loco punctuali. Sed manifestè decepti sunt. Nã punctũ est indiuisibile habens situm; sed Angelus est indiuisibile extra genus quantitatis, & situs existens. Vnde nõ est necesse, quòd determinetur ei vnus locus indiuisibilis secundũ situm, &c. Et sic totũ corpus, cui per suam virtutẽ applicatur, correspondet ei vt vnus locus.* Et in 1. dist. 37. q. 3. art. 2. vbi sic ait. *Alij dicunt quod Angelus est in loco indiuisibili: quia ponũt, quòd essentiæ Angelicæ secundũ se debetur locus: vnde quia essentia eius indiuisibilis est, oportet, quòd locus eius sit indiuisibilis. Sed iste error contingit eis, quia nõ possunt imaginationẽ trãscendere, vt intelligãt aliquid indiuisibile, nisi sicut habẽs situm in continuo. Et ideò dicendum est, quòd Angelus si immediate operetur circa totã domũ, tota domus respondet sibi sicut vnus locus, ita quòd in qualibet parte erit: sicut etiam dicimus, quòd anima est in qualibet parte corporis.* Vnde S. Doctorem cõmuniter sequuntur omnes, vel ferè omnes Theologi: & ideò opus non erit singulos referre.

D. Thom.

Fundamentum.

130 Ratio autem fundamentalis desumitur ex locis relatis D. Thomæ, potestque sub hac forma proponi. Quoniam licèt id, quod est indiuisibile, situm habens in quantitate, vt loquitur D. Thom. seu quod est indiuisibile ratione suæ limitationis, nequeat secundũ suam realẽ præsentiam esse presens toti alicui loco diuisibili, secùs tamẽ indiuisibile, quod est extra totum genus quantitatis, seu indiuisibile, quod est tale ratione suæ perfectionis: sed Angelus est indiuisibilis hoc posteriori modo: ergo poterit esse in loco diuisibili. Maior videtur perspicua. Quoniã id, quod est indiuisibile ratione limitationis, est ita coarctatũ & limitatũ, vt nec formaliter, nec virtualiter, aut eminenter sit diuisibile, vt cõstat in pũcto, quod quia hoc modo est indiuisibile, idcircò est formaliter indiuisibile, cũ negatione virtualis diuisibilitatis: & ita dicitur habere situ in continuò, præcisè tanquã terminus indiuisibilis illius, siue tanquam continuatiuũ indiuisibile eiusdẽ. Cæterũ id, quod est indiuisibile ratione perfectionis, quemadmodum ratione huius perfectionis eleuatur supra corpora diuisibilia, & materialia, & propterea habet modũ essendi eleuatiorẽ & perfectiorẽ, consistentẽ in puritate à materia, & indiuisibilitate formaliter talis: ita eminẽter, & virtualiter præhabet in se diuisibilitatẽ, quatenꝰ nõ minùs potest coexistere rei diuisibili, & illi quodãmodò vniri, quã si esset formaliter diuisibile. Vnde quia anima nostra est indiuisibilis ratione suæ perfectionis, & spiritualitatis: propterea est virtualiter diuisibilis, potestque vniri corpori extenso, & diuisibili, non minùs ac si esset formaliter diuisibilis. Minor autem etiam est perspicua. Quoniã Angelus est indiuisibilis ratione suæ spiritualitatis, quæ est maxima illius perfectio, quęque dicit maiorem immaterialitatem in illo, quàm sit ea, quæ conuenit animæ nostræ. Consequentia verò ex vtraque premissa apertè sequitur.

Confirm. 1

Confirmatur. Nam si semel Angelus est magis indiuisibilis, quã anima nostra, ratione perfectionis, ideſt, si hęc indiuisibilitas oritur in illo ex maiori perfectione, oportet, vt possit vniri modo quodam eleuatiori rei diuisibili, quã eadẽ anima, præcisè vt est forma corporis: hæc autẽ vnio nequit esse in ratione formę, quia hæc est propria animæ, & arguet rationẽ partis in re, quæ sic vnitur: ergo debet esse alia, quæ sit quodãmodò eleuatior, possitq; cohærere cũ actu per se subsistẽti omninò cõpleto: ergo cũ hæc sit vnio cũ re diuisibili, tanquã locati cũ loco, siue tanquã operãtis cũ operato, opertet, vt si anima ratione indiuisibilitatis secundũ perfectionem possit vniri per modũ formę cũ re diuisibili, etiam Angelus ratione maioris perfectionis posset vniri per modũ locati, & *vt quod* cũ loco diuisibili, cũ quo tamẽ anima, præcisè vt est forma corporis, nõ potest per se, & *vt quod*, vniri.

Confirm. 2

Confirmatur secundò. Quoniam licèt anima nostra, præcisè vt est forma corporis, nequeat esse in loco diuisibili *vt quod*, attamen, vt attingit quodammodò ordinem substantiarum Angelicarũ, estque spiritualis *vt quod*, potest esse in loco *vt quod*, licèt talis locus sit diuisibilis: ergo potiori ratione id erit de Angelo, qui est eminentior anima, astruendum.

Solutio aduersariorũ.

131 Nec refert si dicas, esse diuersam rationem. Nã licèt anima sit formaliter indiuisibilis, applicatio tamẽ eius ad corpus diuisibile, nempe vnio, est corporea & diuisibilis, ex eo quòd vnitur per modũ formæ corpori: & ità non mirũ, quòd diuisibiliter vnita possit informare, & vniri corpori diuisibili. Cæterùm tam Angelꝰ quã applicatio eius ad locũ sunt quid formaliter indiuisibile. Nã Angelus est purè spiritualis, & applicatio, seu vnitio illiꝰ cũ loco est operatio itidẽ spiritualis eiusdem Angeli.

Refutatur.

Quia contra hoc est, satis esse, quòd illa operatio, licèt sit formaliter indiuisibilis, quippe manẽs in Angelo, attamẽ sit virtualiter trãsiẽs, & inferat, ac connotet passionẽ, aut qua si passionẽ formaliter trãseuntẽ, formaliterq; diuisibilẽ, & similiter effectũ diuisibilẽ: ac tandẽ quòd ipsa operatio, licèt in se sit formaliter indiuisibilis, habeat tamẽ virtualẽ diuisibilitatẽ. Nã sicut hæc omnia inferunt, Angelũ esse intimè præsentẽ alicui corpori diuisibili, tanquã operãs operato, quãdo talis operatio fit immediatè immediatione virtutis, & suppositi: ita etiã inferunt præsentiã eiusdem, tanquã locati æquiuocè ad locum similiter æquiuocè talẽ, vt cõstat ex his, quæ dubio præcedenti latè diximus.

§. II. *Assertio Posterior.*

Secunda cõclusio.

132 DIcendum est secundò, Angelum nõ esse vbique, seu non esse in omni loco. Ita Damasc. lib. 2. de Fide c. 3. Gregor. lib. 2. Moraliũ, c. 2. & 3. Hugo de S. Victore 1. de Sacramentis p. 3. c. 13. & D. Th. art. 2. huius q. his verbis: *Cùm Angelus sit in loco per applicationẽ virtutis suæ ad locũ, sequitur, quòd nõ sit vbique, neque in pluribus locis, sed in vno loco tantũ*: quod etiã repetit in 1. dist. 37. q. 3. art 2. & alibi sæpè, & est assertio cõmunis. Videturque satis deduci ex illis locis Scripturæ, in quibus dicitur, Angelos moueri localiter, & mutare loca. Quod etiam habetur Isaiæ 14. *Quomodo cecidisti de cælo lucifer? corruisti in terram.* Et rursus. *In infernum detraheris.* Et Lucæ 10. *Videbam Satanam, sicut fulgur de cælo cadentem.* Et Ioannis 5. dicitur, Angelum certo tempore descendisse in piscinam. Quare, cùm naturæ lumine notum sit, quòd illud, quod mouetur localiter, seu mutat loca, non est vbique: inde est, vt ex prædictis testimonijs satis deducatur Angelum, qui mouetur localiter, non esse vbique,

Damasc. *Gregor.* *Hugo de S. Victore* *D. Thom.* *Isaiæ* 14. *Lucæ* 10. *Ioannis* 5

Nec

Effugium. *Gen.* 11. & 18.

133 Nec obeſt, ſi dicas, quòd etiam de Deo, de quo conſtat eſſe vbique, dicitur in Scriptura, quòd deſcendit, Geneſis 11. *Deſcendit autem Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim.* Et c. 18. *Deſcendã, & videbo, &c.* Ergo ex ſimili locutione nõ fit efficax argumẽtũ ad probandũ, Angelũ non eſſe vbique.

Præcluditur.

Non itaque hoc refert. Tum, quia nõ erat ipſe Deus, qui deſcendebat, ſed Angelus: quãuis, quia in nomine perſonæ Dei deſcẽdebat, dicitur Deum deſcendiſſe. Tum etiam. Quia omnes illæ, & ſimiles locutiones debent intelligi de Deo in ſenſu metaphorico, & quaſi modo humano dictæ: eò quòd in ſenſu proprio intellectæ magnũ afferant abſurdũ: ſiquidem certa fide, imò ratione naturali conſtat Deum eſſe vbique, & non eſſe illi opus deſcenſus in terram: de Angelis verò non eſt cur in ſenſu proprio non intelligantur, cum ex hoc nullum ſequatur incommodum. Sed de hoc iterũm in ſimili redibit ſermo infrà.

Ratio fundamentalis

Ratio verò fundamentalis deſumitur ex D. Thom. art. 2. huius q. poteſtq, ad hanc formã reduci. Nã Angelus eſt in loco per ſuam quantitatem virtutis, ſcilicet per virtutem operatiuam determinatam per ſuam operationem iam dictam: at hæc eſt finita & limitata: ergo non poteſt eſſe ratio eſſendi vbique, ſeu in omni loco, ſed incertò ac determinato loco, maiori, vel minori iuxta maiorẽ, vel minorẽ perfectionẽ huius quantitatis virtutis, quę diuerſimodè in diuerſis Angelis reperitur.

Confirm. 1.

Cõfirmatur primò ratione, quã innuit idẽ S. Doctor. Quoniã corpora ſunt in loco finito & determinato, non vero vbiq, quia ratio eſſẽdi in loco eſt in illis ſua quãtitas molis, & hæc eſt finita: ideoq; iuxta maiorẽ, vel minorẽ quãtitatẽ molis circunſcribuntur maiori, vel minori loco: ergo cũ hęc ratio proportionaliter procedat in quantitate virtutis Angelicæ, nequibunt eſſe vbiq, ſed erũt in certo & determinato loco iuxta mẽſurã propriæ perfectionis.

Confirm. 2.

Confirmatur ſecundò ratione, quam innuit S. Doctor. Nam anima noſtra, quia per ſuam ſubſtantiam informat corpus, & ſecundùm illam eſt finita & limitata, idcircò debet certum & limitatum corpus informare: ergo eadem ratione, quia Angelus per quantitatem finitam ſuæ virtutis eſt in loco, propterea non poterit eſſe vbique, ſed erit ad certum & determinatum locum determinatus.

Confirm. 3.

Confirmatur tandem. Nam Deus, quia eſt immenſus, eſt vbique: & quia omnipotens, ſeu habens potẽtiã infinitã, extenditur ad omne poſsibile: ergo è contrà Angelus, quia non eſt immenſus, ſed certis limitibus ſua virtus metitur, non erit vbique: ſicut propter eandẽ rationem, nempe, quia habet quantitatẽ virtutis finitam, non extenditur ad omne poſsibile, & per conſequens neque ad omnẽ locũ.

§. III. *Oppoſita ſententia noſtræ ſecundæ aſſertioni, cum ſuis fundamentis, & ſolutionibus.*

Cõtraria opinio.

134 COntraria tamen noſtræ ſecundæ aſſertioni ſententia docet, Angelum non eſſe in aliquo loco determinatè, ſed vbique, quamuis aliter ac Deus: quia Deus eſt intimè in omnibus rebus per ſuam eſſentiã, & potentiam, dans, & conſeruans illarum *eſſe*: Angelus verò ſolùm eſt in eis extrinſecè. Pro qua refertur Durandus in 1. diſt. 37. *Durand.*

Primũ fundamentum ex Patribus deſumptũ

Probatur primò ex Patribus. Nam S. Maximus homil. in natali Sanctorum Tauricorum docet, animas Sanctorum eſſe vbique, & omnibus prodeſſe. Idem docet Hieronymus contra Vigilantium c. 2. vbi ex illo, quod dicitur Apocalypſis 14. de virginibus, quòd *ſequuntur agnum quocumque ierit*, infert, earũ animas eſſe vbique, cùm agnus, quem ſequuntur, ſit vbique: hæc autem ratio idem probat de Angelo: ergo, &c. *S. Max. Hieron. Apoc. 14.*

Mens SS. Patrum explicatur.

Reſpondetur, Patres dicẽtes, Angelos, vel animas beatas eſſe vbique, ſolùm velle, quòd propter velocitatẽ naturæ, vel dotẽ agilitatis citiſsimè diſcurrunt per omnia loca: & quòd per auxiliũ, quod præſtant orãtibus, nulli deſunt, quantumuis ſint in locis remotiſsimis. Ad id autẽ, quod ex Apocalypſi adducitur, dicendũ eſt, ex eo potiùs confirmari noſtram ſecundã aſſertionẽ. Etenim agnº, de quo ibi, ſcilicet Chriſtus homo, non eſt vbique: & ſic animæ virgines, quæ ſequuntur illum, mutant loca, & non ſunt vbique. Adde, quòd eadem ratione probaretur, virgines, poſtquã aſſumpſerint corpora, futuras vbique: quia eodem modo ſequentur agnum, vbicumque fuerit: hoc autem, ſatis conſtat, eſſe falſum.

Fundamentum 2. ex ratione petitum.

135 Secũdò probatur ratione, quæ eſt prior fundamentũ Durandi. Quoniam Angelus eſt in loco per ſuam quantitatem virtutis, ſeu potentiam operatiuam; hæc autem indifferens eſt ad omnem locum, & ad operandum in omni illo: ergo poterit Angelo eſſe ratio eſſendi vbique, ſeu in omni loco.

Diluitur.

Reſpondetur, Angelum non eſſe in loco, præcisè quia poteſt operari in illo: ſed quia poteſt, & actu operatur. Conſtat autem, eum non poſſe actu operari in omnibus locis collectiuè, & etiam eius virtus operatiua cum præciſione ſumpta tantùm eſt ad operandum in illis ſucceſsiuè, & relinquendo priora loca: ac proinde tantùm reſpicit illa diuiſiuè, iuxta maiorem vel minorem perfectionem ſuæ virtutis operatiuæ, non verò collectiuè ſicut Deus. Vnde D. Thomas in 1. diſt. 37. q. 3. art. 1. ad 5. explicat optimè diſcrimen iſtud inter Deum, & Angelum his verbis: *Dicendum, quòd Angelus diffinitiuè in loco eſt per operationem ſuam; Deus autem non: quia operatio ipſius Dei, etſi determinata ſit ad locũ, in quantum* *D. Thom.*

tum transit super operatum, non tamen in quantum exit ab operante: quia ita operatur hic, quòd etiam alibi: sed Angeli operatio diffinita est ad locum vtroque modo: quia ipse non operatur alibi, quàm hic.

Secundum. 136 Tertiò probatur eadem sententia. Nam potest dari Angelus operans in toto orbe: ergo saltem iste erit vbique.

Confirmatur. Confirmatur. Nam Angelus mouens totum cælum est in illo tanquam in loco, quia est in loco per suam operationem: ergo saltem alius Angelus eo aliquantulum perfectior, poterit esse in toto mundo.

Enodatio. Respondetur, quod adhuc dato Angelo operante in toto orbe; nihilominùs non esset vbique, sed per accidens esset in omni loco, qui tunc esset. Sicut si tantùm esset vnus homo, & vnus Angelus, & Angelus esset in homine, tunc per accidens esset in omni loco, non tamen vbique: quia ad hoc requiritur virtus ad essendum simul in toto orbe, & in infinitis alijs orbibus, si essent.

Bañez. Zumel. Nazarius Adde, quòd (vt benè notarunt Bañez, & Zumel in hac q. art. 2. necnon Nazarius ibidem controuersia 1.) Angelus secundùm suam potentiam naturalem, & secundùm legem Dei ordinariam nec est, nec esse potest in toto mundo. Nam sic existimandum est, mundum hunc corporeum fuisse à Deo constitutum, vt totus ille solum subderetur diuinæ potentiæ, cæterarum autem omnium spiritualium substantiarum virtutes excedere, soliq; Deo dicere licere: *Cælũ sedes mea, terra autẽ scabellum pedũ meorũ*, vt Isaiæ 66. dicitur. *Cælum, & terram ego impleo*, vt habetur Ieremiæ 23. Vnde ad illud, quod de Angelo mouente cælum dicitur, nempe, illum fore in toto cælo tanquam in loco, occurrit optimè D. Thomas art. 2. huius q. & in 1. distin. 37. q. 3. art. 2. prædictum Angelum non esse in toto cælo: quia nõ mouet totũ illud immediatè immediatione virtutis, & suppositi, sed mediãte vna parte, nempe ea, quę est versus Oriẽtem, mouet reliquas. Vnde in prędicto art. 2. huius q. sic concludit: *Nec tamẽ oportet, quòd si aliquis Angelus mouet cælum, quòd sit vbique. Primò quidem. Quia non applicatur virtus eius, nisi ad id quod primò ab ipso mouetur: Vna autem pars cæli est, in qua primò est motus, scilicet pars Orientis. Vnde etiam Philosophus in 8. Physicorum virtutem motoris cælorum attribuit parti Orientis. Secundo. Quia non ponitur à Philosophis, quòd vna substantia separata moueat omnes orbes immediatè.*

Isaiæ 66. Ieremiæ 23.

D. Thom.

DVBIVM VII.

Vtrùm Angelus possit esse in minori, & minori loco vsque in infinitum? & vtrùm queat esse in solo puncto?

137 SEmel explicato loco Angelico quoad magnitudine, vt dubio præcedenti explicuimus, asserentes, Angelum non posse esse vbique, sed in certo & determinato loco iuxta perfectionem suæ quantitatis virtutis, ac proinde prædictum locum quoad magnitudinem debere commensurari cum hac quantitate virtutis, restat discutere de eodem loco versus paruitatem, an nimirum Angelus possit se in minori, & minori loco vsque in infinitum, vel etiam in puncto collocare, quanuis sphæra suæ actiuitatis, suique loci, ad quem potest simul se extendere, sit v. g. trium, vel quatuor leucarum?

§. *I. Ex mente D Thomæ dubij nodus dissoluitur:*

Conclusio. 138 DIcendum ergo est, Angelum posse in minori, & minori loco vsque in infinitum, vel etiã in solo puncto se collocare. Assertio hæc est expressa D. Thoma art. 2. huius q. vbi postquã impugnauit sententiam asserentium, Angelũ solùm posse esse in puncto, sic inquit: *Vnde non est necesse, quòd determinetur ei vnus locus indiuisibilis secundùm situm; sed vel diuisibilis, vel indiuisibilis, vel maior, vel minor, secundùm quòd voluntariè applicat suam virtutem ad corpus maius, vel minus.* Et in 1. dist. 37. q. 3. art. 2. vbi postquam etiã reiecit opinionem asserentium, Angelum solùm esse in loco indiuisibili, sic inquit: *Dicendum, quòd Angelus est in vno loco tantum; sed ille locus potest esse diuisibilis, vel indiuisibilis, aut magnus, vel paruus, secundùm quòd operatio eius immediatè ad magnum, vel paruum terminatur.* Vnde S. Doctorem communiter sequuntur eius interpretes, vt Caietanus, Bañez, Nazarius, Nauarrete, plurelque alij.

D. Thom

Caietanus Bañez. Nazarius Nauarrete.

Ratio autem potissima huius assertionis desumitur ex eodem S. Doctore locis citatis. Nã Angelus est in loco per suã virtutẽ operatiuã, suamque operationẽ, modo tamen suprà tacto: ergo cũ liberè operetur, cõsequẽs erit, vt sicut potest se applicare ad agendum, vel in totum spatium, in quod potest, vel in partẽ mi-

Præcipua ratio assertionis.

minorem, & minorem vſque in infinitum, vel etiam in punctum ſpatij ſolummodò: ita poſſit eſſe in toto loco, quem ſimul poteſt replere, vel in parte minori, vel minori vſque in infinitum, aut tandem in ſolo puncto: ſiquidem per prædictam virtutem operatiuam, & operationem liberam, & non aliter eſt in loco.

Confirm. ex D. Tho. Confirmatur ratione deſumpta ex eodē Angelico Doctore in 1. Sent. diſt. 37. nuper relata art. 1. in ſolutione ad 4. Nā ex eo quòd Angelus eſt in loco per virtutem ſuam operantem liberè, ideò ita eſt in illo, vt cùm libuerit, poſsit ſe abſtrahere ab omni loco & conſtituere ſe nullibi: ergo eadem ratione poterit, vt ei placuerit, eſſe in minori, & minori loco vſque in infinitum, & adhuc etiam in ſolo pūcto. Antecedens conſtat ex ſupra dictis, vbi aſsignauimus rationem formalem, qua Angelus habet eſſe in loco, necnon ex verbis, quæ in teſtimonio in hac confirmatione relato D. Thom. adducit, in quibus prædictum antecedens expreſsè continetur. Conſequentia verò probatur. Quia ſi Angelo eſſe ſic in loco per ſuam virtutē liberè operantem præſtat ei poſſe cohibere prædictam potentiam ſuam ab operatione omnimoda circa locum, & conſtituere ſe nullibi: eadem ratione eſſe in loco per eandem liberam operationē tribuet ei, quòd poſsit eſſe in minori, & minori loco vſque in infinitum: vel etiam in puncto, ex eo quòd liberè ſe applicet ad operandum in minori, & minori loco vſque in infinitum.

Euaſio ex Scoto. 139 Nec obeſt id, quod ex Scoto ſolet huic rationi D. Thomæ reſponderi nempe, quòd adhuc dato eſſe liberum Angelo abſtrahere ſe ab omni loco, nihilominùs ſuppoſito, quod velit eſſe in illo, nequit eſſe in minori, & minori vſque in infinitum, ſed debet ei aſsignari certus terminus verſus paruitatem, tam lōgitudinis, quā latitudinis eiuſdē loci.

Infringitur primo. Non itaque hæc ſolutio obeſt. Nam contra eam poteſt obijci primò, quòd Angelus eſt in loco, & non per commenſurationem cū illo, nec obligatus ipſi, quia hoc derogat maximæ perfectioni, & immaterialitati eiuſdem Angeli: ergo poteſt, prout ſibi placuerit, eſſe in minori, & minori loco vſque in infinitum vel etiam in ſolo puncto. Patet conſequentia. Quia alioqui eſſet in loco vt obligatus eidē loco, & quodammodò commenſuratus illi.

Confirm. Confirmatur, & explicatur. Quia Angelus eſt ſubſtantia immaterialis, & indiuiſibilis extra genus quantitatis, & ſitus, atque adeò eleuatioris ordinis: hæc autem ſicut ratione huius eleuationis toti loco, ſic & ſingulis partibus loci dominatur: & ideò, ſicut poteſt eſſe in toto loco, prout liberè ſe applicat ad illum, ſic in ſingulis partibus quantumuis minimis, ſi ei libuerit ſe ad illas applicare.

Impugnatur ſecūdo. 140 Secundò. Quia ideò Chriſtus in Sacramento poteſt eſſe ſub minoribus, & minoribus ſpeciebus, quia eſt ibi in eleuato modo, & non cōmenſuratiuè ad ſpecies: ſed etiā Angelus eſt in loco ſatis eleuato & eminēti modo, & non commenſuratiuè ad eundem locū: ergo poterit eſſe ſub minori, & minori loco vſque in infinitum, prout ei placuerit.

Tertiò. 141 Tertiò. Quia Angelus eſt in loco diffinitiuè: & ad hoc tantùm requiritur, quòd non ſit commenſuratiuè, & quòd ita ſit hìc, quòd non alibi: cùm tamen ad eſſe circūſcriptiuè in loco deſideretur, quod ſit commenſuratiuè, & ad eſſe vbique, quòd ſit in omni loco, modo in fine dubij præcedentis tacto. At, vt verificetur illud prius, nempe Angelum eſſe in loco diffinitiuè, nec nō & ea, quæ ad hūc modum eſſendi in prædicto loco requiruntur, ſatis eſt, quòd Angelus ſit in minori, & minori loco vſq; in infinitum, vel etiam in ſolo puncto. Ergo falsò adducitur ex Scoto, quòd ſuppoſito, quòd vellet eſſe in loco, nequit eſſe in minori, & minori vſque in infinitum, ſed debet ei aſsignari certus terminus verſus paruitatem, tam quoad lōgitudinem, quā quoad latitudinem. Vnde D. Thom. in fine corporis art. 2. huius quæſt. ſic concludit: *Sic igitur patet, quòd diuerſimodè eſſe in loco, conuenit corpori, & Angelo & Deo. Nam corpus eſt in loco circūſcriptiuè: quia commenſuratur loco. Angelus autem non circunſcriptiuè: cùm non commenſuretur loco, ſed diffinitiuè: quia ita eſt in vno loco, quòd non in alio. Deus autem neq; circunſcriptiuè, neque diffinitiuè: quia eſt vbique.* Vbi (vt vides) tantùm petitur à Diuo Thoma ad hoc, vt aliquid ſit in loco diffinitiuè, duplex illa conditio à nobis in hac impugnatione petita quæ, vt ex dictis conſtat, ſatisfiat, etiamſi Angelus poſsit eſſe in minori, & minori loco vſque in infinitum, vel etiam in puncto. D. Thom.

Vltimò. Alia euaſio 142. Vltimò. Quia Angelus poteſt, cùm ei libuerit, eſſe in minori loco, quàm ſit totus locus adæquatus, qui ei ſimul queat correſpōdere: alioqui ſemper deberet eſſe in maximo, quod quidem pugnat cum modo eleuato, & non obligato conditionibus loci, ſecundùm quem eſt in illo: ergo etiam poterit eſſe in minori, & minori vſque in infinitum, vel etiam in ſolo puncto. Patet conſequentia. Quia nec ex modo eſſendi Angeli in loco, ſcilicet ex eo, quòd ſit totus in toto, & totus in quauis parte, & puncto, neque ex modo eſſendi Angeli in ſe, nempe ex eo, quòd indigeat loco ad eſſendum, vel ad conſeruationem ſui, poteſt colligi, quòd habeat neceſſariam connexionem cum iſto potiùs determinato loco verſus paruitatem, quàm cum alio minori, & ita poterit eſſe in minori, & minori loco vſque in infinitum, vel etiam in ſolo puncto.

143 Nec etiam obeſt alia ſolutio præcedenti affinis, quæ rationi D. Thom. poterat adhiberi, nimirum, quòd hoc ipſo, quòd

Angelus sit in loco per operationem (quòd tamen non concedit Scotus) non potest esse in minori loco vsque in infinitum: quia potest contingere, vt tam parua sit quantitas, vt nullius transmutationis sit capax. Quæ ratio potiori iure videtur conuincere quoad hoc, quod est, Angelum non posse esse in solo puncto: siquidem hoc est talis cõditionis, vt in solum illud nequeat agere, nec mouere ipsum localiter, vt probabilior opinio Philosophorum, & Theologorum docet.

Refutatur. Non itaque hæc solutio obest. Quia sicut quæuis pars loci constat materia, & forma, quæ sit inexistens in suo toto: sic poterit diuersis accidentibus constare, & ad illa trãsmutari.

Ad illud autẽ de puncto dicendũ est, quòd adhuc dato, non posse Angelum agere in solo puncto, quinetiam aliquomodo agat in aliqua parte eiusdem loci; nihilominùs potest immediatè solummodò agere in puncto, & ratione illius agere in prædictam partem, ita vt in solo puncto agat immediatè immediatione virtutis, & suppositi. Tunc autem præcisè erit in puncto tanquam in loco, non verò in parte eiusdem loci. Quia (vt ex D. Thoma in 1. dist. 37. q. 3. art. 1. in solutione ad vltimum sæpè diximus) non quæuis actio Angeli erga locum tribuit illi, quòd sit in loco, sed ea, quæ procedit ab ipso immediatè immediatione virtutis, & suppositi: & propterea dubio præcedenti ex D. Thoma art. 2. huius q. asserebamus, Angelum mouentem totum cælum media parte Orientali non esse in toto illo, sed præcisè in prædicta parte. Quod etiam explicat D. Thomas distinct. & q. nuper citatis articulo 2.

Quomodo autem posset Angelus mouere, seu agere in illud punctum, & partem loci, aut in totum locum, ita vt agere in totum illud, aut in partem eius, sit mediante puncto, potest explicari exemplo globi perfectè sphærici, & tangentis perfectè planum in solo puncto, vt in 6. Physicorum vnà cum Aristotele docent Philosophi, qui quidem si caderet super planum, posset totum illud mouere, cùm tamen sicut solùm potest tãgere illud in puncto, ita ratione solius puncti immediatè attacti queit totum illud planum mouere. Sic igitur, licèt demus, Angelum non agere in solo puncto loci, sed etiam in parte illius, aut in toto loco, potest agere in parte, aut in toto ratione puncti, ita vt in hoc immediatè immediatione virtutis, & suppositi, secùs verò in toto loco, aut in parte eius sic agat: ac proinde poterit eo modo, quo globus perfectè sphæricus tangendo punctum plani mouet totum illud, agere in punctum, & in partẽ loci, & agendo in pũctũ, agere in partẽ loci ratione puncti, seu dependenter ab eo quoad effectũ producendũ in prædicta parte eiusdẽ loci

§. II. *Duplex opinio assertioni nostræ opposita, fundamenta, & enodationes eorum.*

144 CONtra nostram tamen assertionem duæ pugnant sententiæ. Prima est, Angelũ non solũ non posse esse in minori & minori loco vsque in infinitũ, verùm etiã nec esse posse in loco minori, quàm sit maximus quem ex sua natura potest replere, sed necessariò debere semper esse in toto loco sibi adæquato. Ita Gregorius de Valentia disput. 4. q. 3. puncto 3. Quæ sententia fuit cuiusdam Hiberni, quam refert Gregorius in 2. dist. 2. q. 2. art. 2. & Basolis in 2. dist. 2. q. 4. art. 1. Probaturque primò. Nam Angelus per præsentiam suæ substantiæ ideò est in loco adæquato, quia est præditus tanta, vel tanta perfectione substantiali: sed semper habet eandem substantialem perfectionem, nec est in voluntate ipsius positum, vt habeat minorem: ergo per præsentiam substantiæ suæ semper est in loco sibi adæquato.

Prima sententia assertioni opposita.

Valentia.

Gregor.

Basolis.

Primum fundamentum.

Respondetur ex dictis, rationem formalem, & proximam essendi in loco non esse in Angelo suam perfectionem substantialem, sed suam quantitatem virtutis, siue virtutem operatiuam immediatè, & liberè operantem erga locum. Hæc autem, & eius perfectio, sicut nec substantialis perfectio Angeli non minuitur ex eo, quòd prædicta potentia, & quantitas virtutis non operetur simul erga omnem locum, erga quem simul queit operari: quia illa operatio libera est: ac proinde ei⁹ (vt sic dicamus) diminutio non diffundit diminutionem aliquam in potentiam operatiuam, aut substantiam per illam operantem.

Respõdetur

145 Secundò probat Valentia suam sententiam. Nam sicut Deus est in loco per suæ substantiæ perfectionem, & corpus per perfectionem suæ quantitatis, & anima rationalis per suam itidem substantialem perfectionem, qua informat corpus, ita etiam Angelus per perfectionem substantiæ suæ: sed quia non est in voluntate Dei positum, vt habeat ipse minorem perfectionem substantialem, quàm habet, neque in aliquo corpore est situm, vt absque aliqua sui mutatione habeat minorem quantitatem, quàm sit illa, qua actu gaudet, neque in anima, vt habeat perfectionem minorem: idcircò nõ potest Deus pro suo arbitrio esse in aliquo loco minori, quàm sit hic mundus, posito quòd hic mundus est, nec corpus esse in loco minori, quàm sit eius quantitas; neque anima in minori, quàm sit corpus illud, quandiu tantum quidem corpus informat: ergo idem similiter sentiendum est de Angelo.

Secundũ fundamentũ.

Respondetur, quòd quantum attinet ad Deum, potest ratione materiæ concedi, quòd quia non est in voluntate ipsius positum, vt habeat minorem perfectionẽ substantialem, quàm

Enodatur.

quàm habet, ideò non poſsit eſſe in aliquo loco minori, quàm ſit hic mundus, facta illa, ſuppoſitione de exiſtentia prædicti mundi: quia ſi non eſſet in toto illo data hac ſuppoſitione, tunc eſſet, & non eſſet ens per eſſentiã: eſſet quidem, vt ſupponitur: non eſſet autem, quia illa, vel illæ partes mundi, in quibus non eſſet, non haberent eſſe ab illo: ac proinde ipſe non eſſet ens per eſſentiam. Cæterùm hæc ratio (vt conſtat) non procedit in Angelo: & ita integrum eſt ei, prout libuerit, applicare ſe toti loco, vel parti illius: ſicut etiam Deus licet poſſet eſſe in toto orbe, & data ſuppoſitione de exiſtentia illius, debet eſſe in illo: nihilominùs poteſt annihilare medietatem eiuſdem, & (vt ſic dicamus) veluti reducere ſe ad aliam medietatem.

146 Ad illud autem de anima noſtra, fatemur, eam non poſſe eſſe in minori loco, quã ſit corpus illud, quod informat, quandiu tantum quidem corpus informat: quia non eſt in loco pro hoc ſtatu informationis, niſi ratione corporis informati: & ita debet eſſe in eo loco, in quo corpus ab ea informatũ reſidet. Angelꝰ autẽ nõ eſt neceſſe, vt ſit in loco ratione alicuiꝰ alteriꝰ corporis, ſed ex hoc, quòd voluntariè, & prout ei placuerit, ſe applicat loco.

Ad id verò, quod de corpore exiſtẽte in loco ratione ſuæ quãtitatis dicitur, patet ex dictis, eſſe diſparẽ rationẽ. Quia corpus per ſuã quantitatẽ eſt in loco per commenſurationẽ quantitatis ad ipſum, ſecùs verò Angelus: & ita corpus debet replere tantum loci, quantum ſua quantitas petit, ẽcontrà verò Angelus, propter oppoſitam rationem.

Secũda ſententia. 147 Secunda ſententia noſtræ aſſertioni aliquo modo oppoſita docet, Angelũ poſſe eſſe in ſolo puncto. Cæterũ dũ eſt in ſpatio diuiſibili, petere terminũ lõgitudinis, & latitudinis verſus partitatẽ in eode loco: & ita nõ poſſe eſſe in minori, & minori loco vſq; in infinitũ.

Scotus. Ita Scotus in 2. diſt. 2. q. 6. §. *ad propoſitum.*

Primũ fundamentum Probatur primò quoad hanc poſteriorẽ partẽ, ſecundũ quã aſſertioni noſtræ opponitur. Quia ſi Angelus poſſet eſſe in minori, & minori loco diuiſiuè vſque in infinitũ, ſequitur, quòd ſi eſſet in quadrãgulo duorũ palmorũ latitudinis, & lõgitudinis, poſſet etiã eſſe in quadrangulo quatuor palmorũ ſecundũ lõgitudinẽ, & vnius ſecundũ latitudinem, & ſic in infinitũ: atque adeò poſſet eſſe in infinito ſpatio vſque in infinitũ. Hæc autem ſunt apertè falſa, vt de ſe conſtat: ergo, &c. Prima ſequela, in qua innititur ſecunda, probatur. Quia tota illa longitudo poteſt extrahi ex illo quadrato, quod replebat Angelus: & ideò ſicut anteà poterat eſſe in toto illo, ſic in poſteriori euentu hoc ipſum poterit.

Confirmatur. *Euclides.* Confirmatur ex Euclide aſſerente, quòd id, quod poteſt eſſe in vno duorũ æqualiũ, poteſt eſſe in altero, niſi propter figuram repugner: ergo ſi Angelus poteſt eſſe in toto aliquo quadrato duorum palmorum ſecundùm longitudinem, & latitudinem, etiam poterit eſſe in quadrangulo quatuor palmorum ſecundũ longitudinem, & vnius palmi ſecundùm latitudinem: quia quadrangulus iſte eſt æqualis illi quadrato habenti duos palmos ſecundùm longitudinem, & latitudinem.

Reſpõdetur

Reſpondetur primò, hoc argumentum nõ minùs vrgere contra Scotum, quàm contra nos. Nam ipſe admittit terminum verſus paritatem in loco Angelico: & hoc admiſſo, poteſt fieri idem argumentum contra ipſum, vt intuenti patebit. Deinde neganda eſt prima ſequela. Nam hoc ipſo, quòd Angelus petat (vt reuerà petit) terminum verſus magnitudinem quoad repletionem loci, ac proinde quoad locũ, ad quem ſe poteſt extẽdere, oportet, vt nõ poſsit eſſe in illo quadrangulo duorũ palmorũ eo modo, quo in prædicta ſequela depingitur: quia alioqui non haberet certum terminum magnitudinis quoad locum.

Exemplum

Poteſtque hoc explicari exemplo potentiæ actiuæ potentis agere in certam diſtantiam verſus longitudinem, & latitudinem, & non vltrà: & nihilominùs non ex eo, quòd poſsit agere in quadrangulo duorum palmorum latitudinis, & longitudinis, poſſet etiam agere in quadrangulo quatuor palmorum ſecundùm longitudinem, & vnius ſecundùm latitudinem, & ſic in infinitum: alioqui poſſet agere in infinitum ſpatium verſus longitudinem, & ita eſſet, & non eſſet determinata verſus eandem longitudinem.

Ad cõfirmationem

Ad cõfirmationẽ reſpõdetur, propoſitionẽ illam ex Euclide deſumptã intelligi de his quæ ſunt quãta quantitate molis, ac proinde non de Angelis, qui ſic quanti non ſunt. Ratio, autem propter quam peculiariter intelligitur de quantis quantitate molis, poteſt reddi ex eo, quòd, quę ſic ſunt quanta, poſſunt ſaltem ex parte quantitatis creſcere eodem proportionali modo, quo quadrangulus ille: imò hoc cernitur in aêre, & aqua, ſaltem in opinione eorum, qui dicunt, elementa hæc non terminari intrinſecè. Et ita in his, quæ ſic ſunt quanta, poterit propoſitio Euclidis peculiari ratione verificari.

Secundũ fũdamentum

148 Secundò probatur prædicta ſententia ex eodem Scoto. Quia alioqui Angelus eſſet virtutis infinitæ. Probatur ſequela. Quoniam ad eſſendum in minori loco requiritur aliqua virtus actiua: ex eo quòd deſideratur dominium, & poſſe ſupra quantitatem virtutis, vt applicet illã minori loco, non obſtante quòd ipſa poſſet eſſe in maiori: ergo vt applicet eã minori, & minori loco vſque in infinitum requiritur virtus infinita, & non qualiſcumque, ſed diſtincta à quantitate virtutis, & potentia repletiua loci: quia illa iſtam vt materiam, & obiectum reſpicit.

Confirmatur.

Confirmatur. Quia ad videndum minus obiectum requiritur maior efficacia visus, & ad videndum adhuc minus, & minus obiectum vsque in infinitum, desiderabitur infinita efficacia: ergo similiter in præsenti, &c.

Soluitur fundamentum cum confirmat.

Respondetur, negando sequelam. Et ad probationem dicendum est, satis esse, quantitatem virtutis Angelicæ subijci libertati Angeli ad hoc, vt possit applicare illam, prout libuerit, loco, absque eo quòd detur in Angelo aliqua virtus infinita, vt ex se constare videtur. Per quod etiam patet ad confirmationem,

DVBIVM VIII.

Vtrùm Angelus possit esse in pluribus locis simul?

Explicatur titulus.

149 NON intelligitur titulus de locis inadæquatis: si quidem planum est, Angelum posse esse simul in prædictis locis, quippe qui potest esse in loco diuisibili, atque adeò simul in eius partibus, quę sunt loca inadæquata respectu Angeli existentis in toto illo loco. Nec etiam intelligitur de loco adæquato respectu virtutis naturalis: nam certum etiã est, Angelum non posse sic *esse* simul in duobus locis: alioqui esset in quolibet vt in loco adęquato, & simul non esset sic in illo: esset quidem, vt supponitur: non esset autem, quia locus adæquatus explet, & exhaurit totam vim locabilem: & ita si locatum existens in vno loco esset simul in alio, manifestè inde fieret, priorem locum non esse adæquatum respectu illius: non secùs ac potentia, quæ respicit aliquid vt obiectum adæquatũ, nequit extendi ad aliud vltra prædictum obiectum: ex eo quòd de ratione obiecti adęquati est omninò adæquare, & explere virtutem potentiæ: & ita si potentia ad aliud se extenderet, signum erit, prædictum obiectum non esse adæquatum respectu illius. Et ob eandem rationem non est intelligendus titulus de duplici loco adæquato respectu virtutis supernaturaliter additæ Angelo: quia licèt ratione huius virtutis superadditæ possit esse in maiori loco, quàm esset, si suis viribus naturalibus relinqueretur: nihilominùs semper debet saluari prædictum Angelum non posse esse extra locum adæquatum illi virtuti supernaturaliter additæ, nec in duplici loco adæquato respectu ipsius, vt ex ratione nuper facta constat.

Quare difficultas huius dubij ad duo tantùm deuoluitur. Primum est, vtrùm Angelus possit esse simul in pluribus locis inadæquatis, non qualitercumque sumptis, sed consideratis vt pluribus. Secundũ verò, vtrùm queat esse in prædictis locis, licèt sint inter se discontinua, imò & discontigua. Et ideò duplici assertione dubij nodus dissoluetur.

§. I. *Assertio prior, & eius fundamentum ex D. Thoma desumptum.*

Prima assertio.

150 DIcendum ergo est primò, Angelum non posse esse in pluribus locis, vt pluribus, ac proinde nec in diuersis locis inadæquatis, vt plura sunt, sed præcisè vt constituunt vnum & eundem locum adæquatum. Ita D. Thomas art. 2. huius q. his verbis: *Diuina autem virtus, & essentia infinita est, & est vniuersalis causa omnium: & ideo sua virtute omnia contingit, & non solùm in pluribus locis est, sed vbique: virtus autem Angeli, quia finita est, non se extendit ad omnia, sed ad aliquid vnum determinatum. Oportet enim quicquid cõparatur ad vnã virtutẽ, vt vnũ aliquid comparari ad ipsam. Sicut igitur vniuersum ens comparatur, vt vnum aliquid ad vniuersalem Dei virtutem, ita & aliquod particulare ens comparatur, vt aliquid vnum ad Angeli virtutem. Vnde cùm Angelus sit in loco per applicationẽ virtutis suæ ad locũ, sequitur, quòd non sit vbique, nec in pluribus locis, sed in vno loco tãtũ.*

D. Thom.

Idem etiam docuit S. Doctor in 1. dist. 37 q. 3. art. 2. vbi loquens de Angelo, sic ait. *Ideò autem dico quod non potest esse in pluribus locis simul: quia est natura finita, & per consequens virtutis finitæ. Impossibile est autem, quòd ab vna virtute finita procedat nisi vna operatio. Operatio autem vna est, quæ terminatur ad vnum operatum: & ideo oportet, quod operatum Angeli sit vnum, circa quod immediatè operatur. Vnde sicut anima non est simul in pluribus corporibus: ita neque Angelus in pluribus locis. Deo autem soli conuenit in pluribus, & in omnibus locis esse: quia ipse virtutis infinitæ est: & quamuis operatio eius sit vna, secundum quod est in ipso, quæ est ipsemet, tamen effectus operationis sunt infiniti, in quantum ipse est principium dans esse, & per consequens creans omnia alia, quæ ad esse sunt superaddita. Vnde est in omnibus, non solùm sicut in vno operato, sed sicut in pluribus: quia etiam ea, per quæ distinguuntur res, in quibus operatur, ab ipso sunt.* Hoc ipsum etiã docuit S. Doctor in alijs locis in 1. ad Annibaldũ dist. citata q. 1. art. 2. & alibi. Vnde S. Doctorẽ sequũtur eius discipuli, vt Caietanus art. 2. huius q. Nazarius ibidẽ controuersia 1. conclusione 1. Bañez dubio 1. circa primam conclusionem eiusdem articuli conclusione 3. Nauarrete tomo 3. suarum controuersiarum

Idẽ S. Doctor. Caietanus Nazarius Bañez. Nauarrete.

contro-

controuersia 44. §. 1. conclusione 1. & alij plures.

Ratio fundamentalis. 151 Ratio autem fundamentalis huius assertionis desumitur ex locis relatis ex D. Thoma potestque sub hac forma proponi. Nam proprium est Dei, qui attingit vniuersum ens, vt ens, posse attingere illud, vt vnum, & vt plura: quia hæc sunt affectiones entis, vt ens est: ergo è contrà Angelus, quia non attingit vniuersum ens, vt ens, non poterit attingere aliqua, vt vnum & vt plura, sed ad summum vt constituunt vnum: ergo non poterit attingere plura loca, seu esse in pluribus locis, adhuc inadæquatis, quatenus constituunt vnum & eundem locum adæquatum, & simul quatenus sunt plura, vt plura, sed præcisè quatenus constituunt vnum.

Confirm. 1. Confirmatur primò ratione desumpta ex eodem S. Doctore locis citatis. Nam ideò Deus potest esse simul in pluribus locis, vt pluribus, quia potest simul operari plura, vt plura: Angelus autem licèt demus, quòd possit simul operari plura, non tamen vt plura: sicut licèt possit intelligere multa, non tamen vt multa, sed præcisè vt vnum: ergo nequibit esse in pluribus locis simul.

Confirm. 2. Confirmatur secundò ratione eiusdem S. Doctoris vbi suprà: Quia vnica dumtaxat virtus, eaque particularis, & finita, qualis est Angelica, ad vnum dumtaxat effectum, & operationem, atque adeò locum, potest simul terminari. Quia potentia finita, & vnica ad vnum respicit, non ad plura, vt plura simul habenda, sed ad summum ad plura, vt vnum.

Confirmatur vltimo. Confirmatur tandem ratione deprompta ex eodem Angelico Præceptore locis citatis ex 1. Sententiar. Quoniam si Angelus posset esse in pluribus locis, vt pluribus, & non vt præcisè constituunt vnum posset vtique elicere simul plures operationes, vt plures, & nõ vt præcisè constituunt vnam & eandem operationem: siquidem Angelus ratione suæ operationis, modo tamen suprà explicato, est in loco: at elicere simul plures operationes, vt plures, arguit infinitatem: ergo nequibunt simul procedere ab Angelo. Minor probatur. Nam qua ratione posset elicere duas operationes, vt duas, posset etiam elicere tres, vel quatuor: quia non est maior ratio, quare potiùs duæ, quàm tres, vel quatuor ab eo simul prodeãt: ergo eadem ratione posset etiam elicere infinitas, vt plures, & infinitæ sunt, quod sanè arguit infinitatem. Sicut Angelicus Doctor. *Angeli. Doctor.* simili modo argumentatur ad probandum, subsistentiam creatam, hoc ipso quòd finita sit, non posse terminare alienam naturam: quia si posset alienam naturam, & simul propriam terminare, non esset cur ei denegaretur, quòd posset etiam simul aliam naturã cum his duabus terminare: & per consequens haberet etiam vim ad terminandas infinitas naturas: siquidem eadem est ratio de his, ac de prioribus naturis finitis, quas supponitur terminare: & ita esset virtutis infinitæ in terminando.

§. *VI. Obiectiones contra rationem D. Thomæ, & eius confirmationes, vnà cum solutionibus ad illas.*

Obiectio prima contra rationẽ D. Thomæ. 152 SED obijcies primò contra primam rationem ex ea solùm colligi, creaturam non posse respicere vniuersum ens, vt vnum, & simul vt plura in ratione entis, non verò quòd nequeat simul respicere determinatum ens v. g. locum, quatenus est vnum, & etiam vt pluralitatem habet: quia etiam intra latitudinem loci sunt plura loca, vt plura in ratione locorum, & vt vnum in hac linea: & ita Angelus existens simul in pluribus locis inadæquatis, poterit esse in illis, vt constituunt vnum adæquatum, & simul vt plura sunt.

Secunda. 153 Secundò obijcies contra primam confirmationem, quòd Angelus potest simul operari in duobus corporibus, ita vt vnum eorum illuminet, & aliud localiter moueat: at istæ actiones sunt plures, vt plures: ergo non est proprium solius Dei operari plura, vt plura: ac proinde nec erit proprium illius tãtum modò esse in pluribus locis, vt pluribus.

Tertia. 154 Tertiò obijcies contra secundam confirmationem, quòd ex eo, quòd potentia sit vnica, tantùm sequitur debere ad summũ respicere simul plura, vt vnum formaliter, nõ verò vt vnum numericè: & ita poterit respicere illa simul, vt plura numero: hic autem de pluribus numero locis sit sermo.

Adde primò, quòd cùm dicitur, quòd quid quid comparatur ad vnam virtutem finitam, debet etiam comparari, vt vnum, vel est sermo de vnica virtute, quæ sit eadem realiter, & formaliter? Et hoc non: quia anima rationalis est vna realiter, & formaliter, habet tamẽ plures effectus specie diuersos: & ita simul audit, videt, intelligit, & vult. Vel de vnica virtute, quæ sit eadem realiter, diuersa tamen formaliter? Et hoc non: quoniam quicquid comparatur ad illam virtutem sic consideratam, potiùs vt multiplex, quàm vt vnum formaliter debet comparari.

Adde secũdò, quòd quanuis prædicta propositio, nempe, *quod quidquid comparatur ad vnam virtutem debet comparari vt vnum*, esset vera de virtute naturali, & naturaliter determinata ad vnum, non tamen potest verificari de virtute libera, quæ non est determinata ad vnum, sed potiùs indifferens ad opposita, qualis est potentia operatiua Angelica.

Quarta obiectio. 155 Quartò contra eandem confirmatio-

nem

nem obijcies, quòd si quid probaret, conuinceret vtique, nec etiam diuinam potentiam respicere plura, vt plura, ac proinde nec Deũ posse esse in pluribus locis, vt pluribus: quia prædicta potentia, quantumuis diuina, & infinita, nihilominùs est vnica: immò videtur, nõ posse prædictam potentiam respicere creaturas, vt plures: quoniam solùm ad illas terminatur, vt conueniunt in vnica ratione creaturæ possibilis. Et ita confirmatio hæc non appareret, quomode cum præcipua, & fundamentali ratione huius assertionis cohęreat.

Vltima obiectio.

156 Vltimò contra vltimam confirmationem obijcies, quòd à virtute finita & limitata possunt simul produci plures actiones, vt plures: ergo ex eo quòd Angelus habeat virtutem finitam, non colligitur, non posse ab eo procedere simul plures actiones, vt plures. Antecedens probatur. Tum, quia ab intellectu Angelico procedunt plures intellectiones: vna quidem causata à sua essentia, tãquam ab specie, & alię causatæ ab speciebus inditis: istæ autem sunt plures operationes, vt plures: quia sunt plures operationes totales & completæ, quæ, hoc ipso quòd tales, nõ constituunt vnicam intellectionem, & quia producuntur secundùm id, in quo sunt distinctæ, secundùm quam rationem sunt plures, vt plures. Tum etiam. Quia à voluntate hominis volentis occidere clericos, & laicos, procedunt simul plures volitiones habentes diuersa obiecta, & causantes diuersos habitus, iniustitię scilicet, & irreligiositatis, quatenus diuersi sunt: ac proinde prædictæ volitiones sunt plures, vt plures. Tum denique. Quia ab eadem virtute calefactiua ignis calefacientis plura ligna, procedũt simul plures calefactiones, vt plures: quoniam procedunt ab illa, vt singulæ illarum identificantur cum diuersis passionibus, ratione quarum sunt plures.

Respondetur ad 1.

157 Respondetur ad primam ex his obiectionibus, quòd respicere plura, vt plura, in quocumque ordine, & serie rerum ex se refundit multiplicitatem in potentia respiciente: & ideò nisi obstet infinitas, eam actu & in exercitio refundet: & propterea potentia finita non potest, adhuc intra seriem particularẽ locorum, respicere plura loca, vt plura.

Adde, quòd peculiari ratione nequit Angelus respicere plura loca, vt plura, ratione suæ coarctationis, & limitationis: quia ad hoc requiritur, quòd eliciat simul plures operationes, vt plures: quod quidem petit infinitam virtutem actiuam, vt in vltima confirmatione assertionis expendebamus.

Ad secũdã.

158 Ad secundam obiectionem respondetur, illuminationem, & motum illum localem causata simul ab Angelo in diuersis corporibus non attingi ab illo vt plura, sed vt vnum, ideſt, vt sunt rationes existendi in diuersis locis inadęquatis, vt constituunt vnum & eundem locum adęquatum respectu ipsius Angeli. Quomodo autem licèt prædictæ operationes sint in *esse* rei distinctæ secundùm speciem, nihilominùs attingatur ab Angelo sub prædicta ratione, constabit ex his, quæ in assertione secunda huius dubij dicemus.

Ad tertiã.

159 Ad tertiam obiectionem respondetur, quòd ex vnitate, & finitate potentiæ optimè sequitur, quod licèt respiciat plura numero, aut specie in *esse* rei, non tamen vt plura, sed vt constituunt vnum, vt in solutione ad quartam, & vltimam obiectionem magis explicabitur.

Adde, quod quoties hic respectus ad plura, vt plura inuoluit plures actiones, vt plures, arguitur inde infinitas in potentia operatiua sic respiciente plura, vt plura, vt nuper dicebamus.

Ad id autem, quod primo loco additur, dicendum est fieri hic sermonem de vnica virtute, quæ sit eadem realiter, & formaliter. Et ad probationem in contrarium respondetur, animam non elicere simul illas operationes per eandem realiter potentiam, sed per diuersas, Angelus verò operatur vna prorsus & eadem virtute omnes suos effectus ad extrà: & ideò non inconuenit, quòd quæuis ex illis potentijs habeat vnicam dumtaxat operationem, & quòd omnes illæ simul sumptæ habeant plures: esset autẽ inconueniens, quòd Angelus per vnicam dumtaxat potentiam eliceret simul plures operationes iã dictas. Sed de hoc iterum in solutione ad vltimam obiectionem sermo redibit.

Ad id verò, quod secundo loco additur, respondetur, quòd ex libertate & indeterminatione ad vnum Angelica, solùm sequitur, Angelum esse liberum, vel quoad exercitiũ, vel quoad specificationem; non tamen quòd si vellet esse in loco, & operari ergà illum; debeat elicere simul plures operationes, vt plures.

Ad quartã.

160 Ad quartam obiectionem respondetur, quòd vnica potentia, si sit infinita, potest ad vnum terminari, & vnum, & vt plura respicere: quia effectus adæquatus illius est infinita multitudo possibilium, vt constituit in ratione effectus adæquati vnam dumtaxat numero collectionem coalescentem tanquã ex partibus ex illis vt vnum, & vt simul habent rationem plurium. Et ita ex qua parte respicit hanc collectionem vt vnam, & coalescentem ex his partibus, respicit vnum, & est vna: ex qua verò parte vnum, & plura vt talia, sunt partes formales huius effectus adæquati, respicit vnum, quatenus vnum, vt distinguitur, & non includit pluralitatem; & simul respicit vt alteram compartem pluralitatem, vt talem, quia sic habet rationem compartis: & ideò non refunditur in prædictam potentiam

tiam pluralitas, ſed eminentia, qua reſpiciat vnum, & plura, modo dicto: quia reſpicit totum illum effectum adæquatum per ſe primò, vt vnum coaleſcens ex prædictis partibus; & ſecundariò partes ſecundum prædictam rationem, ad differentiam potentiæ limitatæ, reſpicientis plura adhuc ſecundariò, non vt plura, ſed vt conſtituunt vnum.

Explicatur magis.

Poteſtque hoc magis explicari expendendo, & elucidando ſimul rationem D. Thomæ, & diſcrimen, quod inter virtutem infinitam Dei, & finitam Angeli conſtituit. Nam virtus diuina eſt ſimul vna ſimpliciſsima, & infinita, ac vniuerſalis, attingens effectus, quatenus continentur ſub ratione vniuerſali vniuerſi entis creabilis. Et quia de ratione vniuerſi entis ſic ſumpti eſt habere, non ſolum multa vt vnum, ſed multa vt multa, ideſt, non ſolùm id, in quo conueniunt, ſed id, in quo diſtinguuntur, quatenus ſic diſtinguuntur: inde eſt, quòd cum vnitate diuinæ virtutis ſtet optimè, quòd producat ſimul plura, non ſolùm vt vnum, ſed etiam vt plura. Hæc autem ratio in virtute finita & limitata Angelica non procedit, vt nuper dicebamus. Sed de hoc iterùm infrà q. 58. ſermo redibit.

Replica.

161 Nec refert, ſi obijcias, quòd facultas illa diuina, v.g. intellectus, qui reſpicit ſimul praxim, & ſpeculationem, eſt ſimul practica, & ſpeculatiua formaliter: ergo diuina potentia executiua ad extrà, ſi reſpiceret ſimul vnum, & plura, vt talia, eſſet formaliter, & ſimul vna, & plures: quod quidem (vt conſtat) apertam implicat contradictionem. Antecedens eſt perſpicuum. Conſequentia autem ex antecedenti videtur ſequi. Quia etiam practicum, vt practicum, ſeu praxis, vt talis, ſecundariò reſpicitur à diuino intellectu, imo etiã obiectum ſpeculatiuum, ſeu ſpeculabile ad extrà poſsibiliter, aut actu exiſtens reſpicitur hoc eodem modo à prædicto intellectu: ergo ſi intellectus ob hanc rationem eſt ſimul practicus, & ſpeculatiuus, inde erit, vt etiam omnipotentia attingens ſimul vnum, & plura, vt talia, eſſet ſimul formaliter vna, & plures: hoc autem implicat: & ita etiam implicabit id, vnde hoc ſequitur, nimirum omnipotentiam

Reſpondetur.

reſpicere ſimul vnum, & plura, vt plura.

Reſpondetur enim, pluralitatem in ratione omnipotentiæ, aut miſericordiæ obſtare infinitati, & ad hanc requiriri, vt modo infinito reſpiciat effectus, & ad iſtum modum infinitum deſiderari quòd reſpiciat ſuos effectus vt vnum, & quatenus plura, vt talia, iuxta ea, quæ nuper dicebamus. Et ita hic modus reſpiciendi tantùm refundit infinitatem in potentiam, ſiue virtutem, & quòd ex parte obiecti precisè ſit vnum, & plura, vt plura, ideſt, quòd obiectum inſpectum, aut quaſi inſpectum ſit vnum, & plura, quatenus talia, quatenus ipſa non ſit formaliter, & ex parte ſui vna, & plures. At eſſe practicum, & ſpeculatiuum formaliter eminenter, adhuc ex parte facultatis diuinæ, & non ſolùm ex parte obiecti præcisè, non obſtat infinitati: & ideò facultas infinito modo illa reſpiciens, eſt infinita, & ſimul ex parte ſui, & non ſolùm ex parte obiecti, eſt formaliter eminenter practica, & ſpeculatiua.

Eundatio vltimæ obiectionis cõtra vltimã confirmationem.

162 Ad vltimam obiectionem contra vltimam confirmationem reſpondetur, negando antecedens. Et ad primam inſtantiam dicendum eſt, quòd intellectus Angelicus, vel vtitur ſpeciebus diuerſi ordinis, vel eiuſdem? Si diuerſi ordinis, nempe naturalis, & ſupernaturalis, nullum eſt inconueniens, quòd ſimul habeat plures intellectiones, puta, vnã naturalem, & alteram ſupernaturalem. Nam licèt potentia intellectiua, ſecundùm commenſurationem eſſentialem præcisè conſiderata, detur quòd ſit vnica, attamen quia ſic ſumpta eſt veluti dimidium tantùm potentiæ reſpectu bonorum ſupernaturalium, & lumen ſupernaturale, quod eſt ei omnimoda ratio agendi proxima, & eius quantitas virtutis eſt veluti aliud dimidium, ex quibus coaleſcit vnica potentia integra reſpectu bonorum ſupernaturalium: idcircò in ratione potentiæ integræ eſt realiter diſtincta à ſe, vt verſatur præcisè circa res naturales inferioris ordinis: & ideò non inconuenit illa pluralitas actionum. Si verò de pluribus ſpeciebus eiuſdem ordinis naturalis ſermo ſit, non poteſt Angelus per plures ſpecies cognoſcere, niſi ordinentur ad vnum, vt infrà q. 58. art. 2. dicemus: atque adeò vt ſic non poteſt verificari, quòd cognoſcat plura, vt plura, vel habeat ſimul plures intellectiones, vt plures, quod erat intentum. Sed de hoc latiùs loco citato, vbi etiam explicabimus, quomodo ſpecies ordinis naturalis requirant diuerſam formaliter potentiam.

Ad ſecundam inſtantiam reſpondetur, quòd illa volitio in caſu poſito non eſt multiplex, vt multiplex: quia duo illa obiecta, iniuſtitiæ ſcilicet, & irreligioſitatis ordinantur ad aliquem finem formaliter, vel virtualiter volitum, ad quem formaliter terminatur ipſa volitio.

Ad tertiam reſpondetur, quòd illæ calefactiones ſunt multæ materialiter, quatenus recipiuntur in diuerſis ſubiectis, & identificantur cum paſsionibus, ſunt tamen vna formaliter, quatenus ſub vna ratione inferunt paſsiones, & calores productos, & ſub iſta vnitate formali, non verò ſub illa multiplicitate materiali reſpiciuntur formaliter à virtute calefactiua ignis.

§. III. *Assertio posterior, & eius ratio fundamentalis ex Angelico Præceptore deprompta.*

Assertio vltima, & eius fundamentalis ratio.

163 Dicendum est secundò, quòd etiam si loca inadæquata Angelo, ac proinde contenta intra sphęram suæ actiuitatis, nõ sint secundum se continua, aut contigua, sed inter se distantia, poterit esse simul in illis, ita nimirum, vt sit in partibus v.g. extremis eiusdem loci, etiam si non sit in intermedijs. In hac conclusione, vt ex ipsa constat, solùm loquimur de locis inadæquatis, & inter se sic distantibus, vt distantia illa nòn sit tanta, quòd ratione illius locus distãs extrahatur ab sphæra actiuitatis, intra quam, & non vltrà potest Angelus simul operari. Nam si sphæra illius sit v.g. vnius leucæ, non potest esse simul in aliqua parte eiusdem leucę, v. g. in prima ex quatuor partibus illius, & in aliquò alio loco partiali, & tanto, quantus iste prior, qui tamẽ distet ab hoc per duas leucas.

Assertio ergo sic explicata colligitur ex D. Thom. art. 2. huius q. vbi assignans diuersos modos, quibus Deus, Angeli, & corpus sunt in loco, inquit, Deum esse vbique, Angelum diffinitiuè, corpus verò circunscriptiuè, & commensuratiuè ad locum: additque, ad modum essendi diffinitiuum satis esse, quòd non sit commensuratiuè ad locum, ideſt, ita vt totum locatum sit totum in toto, & pars in parte, & quòd ita sit ibi, quòd non alibi. Quare cùm hæc duo saluentur, etiamsi Angelus sit in duplici loco inadæquato inter se distanti, contento tamen quoad suam distantiã intra sphæram actiuitatis Angelicæ: inde est, vt iuxta Angelici Doctoris doctrinam possit Angelus in vtroque simul esse.

164 Nec obest, quòd vterque locus non definiat adęquatè virtutẽ locabilẽ Angelicã. Quia non est in illis vt in loco adæquato, sed inadæquato, & ita satis est, quòd inadæquatè illã definiat. Sicuti si Angelus esset in toto loco adæquato, ita vt simul esset in partibus extremis, & in omnibus intermedijs, tũc partes extremæ, aut aliquæ ex intermedijs præcisè consideratæ definirent solùm partialiter, & inadęquatè virtutem locabilem Angelicam: & ita esset in illis sic consideratis definitiuè, licèt partialiter tantùm, & inadæquatè.

Idem etiam colligitur ex eodem S. Doctore, quæst. sequenti art. 2. vbi docet, & probat, Angelum posse moueri de extremo ad extremum absque transitu per medium. Nam ex hoc apertè videtur colligi, posse etiam simul esse in duobus locis extremis, & inter se distantibus, dummodò contineantur intra eã distatiam, ad quam potest simul Angelus per suam virtutem operatiuam, & operationem extendi. Et hoc ipsum sequitur ex his, quæ docet idem Angelicus Præceptor in 1. distinct. 37. quæst. 3. art. 2. Vnde sanctum Doctorem communiter sequuntur eius discipuli, vt Caietanus, Bañez, Nazarius, & Ripa in præsenti, Nauarrete controuersia 44. & plures alij ex Iunioribus Thomistis, & etiam Rada controuersia 6 art. 3. fauetque Granado tractatu 9. de Angelis disputatione 3. sectione 3. num. 22.

Angelic. Præcept. *Caietanus* *Bañez.* *Nazarius* *Ripa.* *Nauar.* *Rada.* *Granado.*

Videturque assertio hæc deduci ex his, quæ docet Scriptura aliquoties contigisse, idque etiam innuit Angelicus Doctor art. 2. huius q. in solutione ad 3. Nam Angeli missi in Sodomam excæcauerunt simul omnes Sodomitas, qui erant in locis distantibus, & discontinuis. Et similiter Angelus, qui tempore Ezechiæ occidit milites Senacherib, eodem modo simul occidit illos, vt docent D. Hieronymus, & Lyra super illud Isaiæ 10. *Denudatur spina eius, & vepres in die vna*, ideſt simul. Et tamen tunc Angeli prędicti non erãt in locis inter medijs, cùm in illis nihil operati fuerint: & propterea Scriptura excæcationem tantummodò Sodomitarum, & occisionem militum enarrat.

Angelic. Doctor. *D. Hier.* *Lyra.* *Isaiæ 10.*

165 Ratio autem fundamentalis huius assertionis (quam ad aliud intentum disputationę sequenti alijs vijs prosequemur) desumitur ex D. Thoma locis relatis in hac eadem disputatione in prioribus illius dubijs. quã etiã innuit S. Doctor art. 2. huius q. suprà etiam relato, potestque sub hac forma proponi. Nã Angelus est in loco ratione suæ quantitatis virtutis, seu potentiæ operatiuæ, & applicationis liberæ eiusdem, ideſt suæ liberæ operationis: & ita si intra sphęram spatij adæquati velit illam applicare toti spatio, erit simul in toto illo: si verò mediętati solũ modò, erit tãtummodò in illa: si autem relictis partibus intermedijs, voluerit illam applicare extremis eiusdem spatij, erit vtique simul in istis, non in illis: sicut etiam si spatium cõstet v.g. quinque partib⁹, & velit libere operari in prima, & tertia ex illis quinq, habebit esse localiter in illis, non verò in secunda parte intermedia: quia liberè quoad omnes, & singulas operatur: & per cõsequens his, vel illis relictis, potest esse in alijs, quanuis in *esse* rei sint discontinuæ, & licèt habeant distantiam iam dictam.

Ratio pro assertione. *D. Thom.*

Confirmatur ratione, quam innuit idem S. Doctor in 1. distin. 37. artic. 1. Nam ex eo, quòd Angelus liberè est in toto loco adæquato, potest se subtrahere ab omni illo, & esse nullibi, vt ex dictis in hac eadem disputatione constat: ergo etiam, quia liberè est in singulis partibus, potest se subtrahere ab aliquibus, non se subtrahendo ab alijs, ex eo quòd pro sua libertate velit operari in illis, non in istis.

Confirmat. *D. Thom.*

166 Nec obest, si occurras, quòd hoc ipso

Solutio.

ipſo, quòd Angelus operetur, & ſit in loco ratione operationis, & potẽtię operatiuę vnicę ac finitę, debet eſſe in vno tantũmodò loco: & ita debet ſe vel nuſquam applicare localiter, vel applicare ſe ad locũ continuum, aut ſaltẽ ad loca contigua: quia loca diſcontinua, aut diſcontigua, & diſtantia cõparantur reſpectu locati per modũ plurium locorũ, vt plurimũ acproinde nõ poſſũt cõparari reſpectu vnius operationis, & potentię vnicę, ac finitæ.

Animaduerſio pro eius cõfutatione

Non itaque hoc obeſt. Nam id facilè poteſt impugnari ex doctrina D. Thom. in hac q. art. 2. vt autem hæc impugnatio meliùs capiatur, prænotandũ eſt ex diuerſis capitibus deſumi vnitatẽ loci circunſcriptiui, & definitiui. Nã ad vnitatem circunſcriptiui deſiderat̃, quòd ſuperficies circũſcribens & ambiẽs ſit continua, vel ſaltẽ ſi non fuerit in ea continuitas, ſed conſtauerit ex pluribus ſuperficiebus diſcontinuis, tũc prædictæ ſuperficies ſint cõtiguæ. Nã cum ex parte locati duabus illis lineis terminantibus prædictas duas ſuperficies correſpõdeat vna tantũ linea, & habeant candẽ diſtantiam ad polos mundi, & centrũ terræ, ac ſi non eſſet ibi contiguitas, ſed continuitas. Et propterea codẽ modo diſtant ſecundùm vtramque lineam inter ſe contiguam; ac locatum ſecundùm illam, ſecundum quam eis correſpondet: inde fit, ſatis eſſe ad vnitatem loci prædictam contiguitatem. Vnde baculus, cuius vna medietas ſit in aere, & altera in aqua, dicitur eſſe in vno & eodem loco, quanuis ſuperficies ambientes nõ ſint cõtinuæ, ſed ſolum cõtiguę: & hoc non ob aliud niſi propter rationẽ dictã.

Cæterùm vnitas loci diffinitiui nõ ſumitur ex continuitate, aut contiguitate loci, ſiue ſuperficierum, ſed ex alia eminentiori & vniuerſaliori ratione, nimirũ ex eo, quòd omnia illa ſint contenta intra ſphærã ſpatij, ad quod poteſt ſimul ſe extendere id, quod diffinitiuè eſt in loco, quanuis actu nõ ſe extendat ad eſſendũ in omnibus illis partibus: ac proinde ſumitur ex eo, quòd loca illa ſint talis cõditionis, ſintque (vt ſic dicamus) ita ſituata, vt poſſint ſimul poſſideri, & (vt ſic loquamur) repleri ab Angelo.

167 Et ratio videtur aperta ex dictis. Quoniam id, quod eſt in loco diffinitiuè, eſt in illo mediante ſua potẽtia operatiua, & operatione. Et ita vnitas prædicti loci in ratione loci nõ ampliùs petet, quàm vnitas vnius operati in ratione vnius. Cũque ad hãc ſatis ſit, quod ſit ſimul attingibile per vnicã potentiã, vnicamque operationẽ adæquatã: inde eſt, quòd ad rationẽ loci diffinitiui in ratione vnius ſatis ſit, quòd contineatur intra ſphærã actiuitatis illius, ita vt per ſuã vnicã potentiã vnicamque adæquatã operationẽ poſſit ſubijcere ſibi totũ illũ locũ, in illumque ſimul operari. Vnde Angelicus Præceptor art. 2. huius q. loquens de virtute locabili Angelica, ſic inquit: *Virtus autem Angeli, quia finita eſt, nõ ſe extendit ad omnia, ſed ad aliquid vnũ determinatum: oportet enim quicquid comparatur ad vnã virtutẽ, vt vnũ aliquid cõparari ad ipſã.*

Angel. Præcept.

Ex dictis ſurgitur cõtra prædictam ſolut.

Hinc ergo ſequens impugnatio cõtra prędictam ſolutionem ſic efformatur. Quoniam ad vnitatem loci diffinitiui, ac proinde ad hoc vt plura loca ſint inadæquata intra lineã prædicti loci, & conſtituant vnum & eundẽ locum adæquatum, ſatis eſt, quòd omnia illa ſimul poſſint cadere ſub vnica & eadem potentia operatiua, ſub vnicaque operatione adæquata: ex eo quòd non ſunt extra ſphærã actiuitatis, ad quam ſimul poteſt ſe extendere prædicta virtus operatiua: ſed loca contenta intra ſphæram actiuitatis Angelicæ, quanuis ſint inter ſe diſtantia, ſic comparantur cum virtute eius operatiua, & operatione adęquata illius: ergo comparabuntur cum illa, tanquam plura loca inadæquata, & partialia, vt conſtituentia vnum locum totalem.

Confirmatur & explicatur primo.

168 Confirmatur, & explicatur primò. Nam ex eo, quòd quantitas virtutis, & contactus ſecundùm illam, ſeu potentia operatiua Angeli, & operatio illius habeat (vt ſic dicamus) vnificare plura loca, & reddere illa conſtituentia vnum & eundem locũ adęquatum, colligimus, prædicta loca eſſe inadęquata, & conſtituere vnum adæquatum, hoc ipſo quòd ſint ſimul attingibilia per vnam & eandem potentiam, actuque ſic attingantur ab illa per eandem actionem adæquatam & totalem: ergo hoc ipſo quòd prædicta quantitas virtutis, & contactus eius ſint adeò eminentia & eleuata, vt non dependeant à loco, ac proinde nec à cõtinuitate, nec à contiguitate eius, poterũt (vt ſic loquamur) vnificare plura loca partialia, contenta tamen intra ſphæram ſuæ actiuitatis, quanuis ſint inter ſe diſtantia, operando in illis per vnicam & eandem actionem totalem, non operando tamen in locis intermedijs.

Animadꝛſio pro ſecundã cõfirm.

Confirmatur, & explicatur ſecundò, ſupponendo diſcrimen aliud, ſecutum tamen ex priori illo diſcrimine, quod in hac impugnatione adduximus, quodque verſatur inter hoc, quod eſt eſſe in loco circunſcriptiuè, & diffinitiuè. Nam prima ratio eſſendi in loco circunſcriptiuè eſt ſuperficies ambiens & circunſcribens: quia ex hac quodammodò reſultat vbicatio intrinſeca locato, cuius effectus formalis eſt reddere locatũ præſens loco. Et ratio eſt, quia eſſe aliquid in loco circunſcriptiuè, oritur ex hoc, quòd ſit ibidẽ paſsiuè ambitum, & circũſcriptũ à loco: & huius paſsiuę circunſcriptionis prima ratio eſt ſuperficies ambiẽs & circunſcribens. Cæterum eſſe aliquid in loco diffinitiuè, oritur tanquam ex prima ratione ex quantitate virtutis illius, & contactu itidem virtutis eiuſdem,

modo alibi explicato. Et ratio est. Quoniam esse in loco diffinitiuè, est esse in loco per modum continentis locum. Prima autem ratio continendi locum est virtus operatiua, & operatio locati erga illum: siquidem locatũ non nisi agendo, & operando potest comparari cum loco, tanquã quid continens ipsum.

Alia animaduersio.

169. Ex quo fit duplex aliud discrimen. Primum, quòd superficies ambiẽs, seu locus circunscriptiuus est mensura rei locatæ circũscriptiuè: è contrà verò quantitas virtutis, & cõtactus eius est mensura loci diffinitiuè: quãdoquidẽ illa est prima forma in illo ordine, ista verò est etiam prima ratio in ordine locabili, non quidem radicaliter, sed formaliter sumpti. Et ita vnaquæque debet esse mẽsura eius, respectu cuius comparatur per modum primæ formæ. Secundum est, quòd id, quod est in loco circunscriptiuè, debet esse in illo iuxta exigentiam & modum eiusdem loci, alioquí locus iste non esset eius mẽsura: atque adeò debet se attemperare, & commensurare illi, habereque continuitatem ex cõtinuitate loci deriuatam in ipsum locatum: at id, quod est in loco diffinitiuè, nõ debet esse in eo iuxta modum, & naturam ipsius loci corporei & materialis, in quo esse dicitur, sed potiùs locus debet repleri iuxta modum quãtitatis virtutis, ratione cuius tanquam prioris formæ cætera alia mensurantur. Et ita locus potest veluti trahi ad hoc, vt subijciatur locato iuxta modum ipsius locati, & ab illo, ab eiusque quantitate, & cõtactu virtutis debet deriuari vnitas reperta in eodem loco.

Ex prædictis animad. cõficitur eõ firm. 2.

Hinc ergo sequens confirmatio deducitur. Nam Angelus est in loco diffinitiuè: ac proinde ita vt prima ratio formalis in ordine locabili formaliter sumpto respectu prædicti loci, primaq; mensura illius, vnde vnitas in ipsum deriuatur, sit quãtitas virtutis Angelicæ, & eius operatio: ergo Angelus debet esse in illo iuxta modum prædictæ quantitatis virtutis, & ad hunc modum potest trahi ipse locus, vt Angelo subijciatur, vt ex notabili adducto constat: ergo sicut ob hanc rationẽ, non obstãte quòd locus sit diuisibilis in partes, Angelus non est in illo commensuratè ad ipsum, id est, totus in toto, & pars in parte, sed iuxta modum suum, nempe totus in toto, & totus in qualibet parte: ita etiam ob eandem rationẽ poterit esse in partibus extremis cõtentis intra sphæram suæ actiuitatis, prout ei libuerit, licèt non sit in intermedijs: quia sic est iuxta modum suæ, quãtitatis virtutis, quæ sicut non est pendens à loco, aut continuitate, vel contiguitate ex se ei conueniente ita potest applicari ad partes extremas, non applicãdo se ad intermedias, cum quibus partes extremæ secundùm se continuantur. Ac tandem hoc ipso, quòd prædicta quantitas virtutis, & eius contactus terminentur ad prædicta loca inter se distãtia, deriuabitur inde alia superior vnitas in eadẽ loca, ratione cuius cõstituant vnum & eundem locum adæquatũ, non quidem respectu corporis, sed respectu eiusdẽ Angeli: quia hoc etiã petit, quod Angelus sit in loco iuxta modũ suũ, & quòd eius quãtitas virtutis sit mẽsura huius ordinis, & veluti prima forma, à qua cætera alia, ipseque locus habent (vt sic dicamus) mẽsurari, & formalizari in ratione loci formaliter sumpti.

Roboratur vlterius.

Adde, quòd (vt disputatione sequenti nu. 87. & 91. dicemus) corpus Christi Domini ex hoc, quod est sub speciebus eleuato & eminenti modo, idcircò potest esse in partibus extremis hostiæ consecratæ, non existendo in intermedijs: ergo quia Angelus est in loco eminenti & eleuato modo, poterit, prout ei libuerit, esse in partibus extremis loci, contẽtis intra sphæram suæ actiuitatis, locaque illa extrema constituent vnum & eundem locum adæquatum. Patet consequentia. Quia licèt eleuatio Angeli, & modi essendi in loco non sit tanta, quanta est eleuatio corporis Christi Domini vniti verbo, & modi essendi sacramentaliter: nihilominùs est sufficiens ad prædictum effectum: ex eo quòd subijcit sibi locum, & dominatur ei iuxta modum eiusdẽ Angeli, acproinde iuxta libertatem ipsius: & ita poterit operari, vel in toto loco, vel præcisè in partibus extremis, prout ei libuerit: & omnia hæc formalizabũtur (vt sic dicamus) ab illo in ratione loci adæquati formaliter sumpti, quia hoc exigit prædictus modus essendi in loco mensurans eundem locum.

Elucidãtur dicta & explicatur magis assertio.

170. Tandem omnia ista possunt elucidari, & assertio nostra probari, & confirmari ratione quadã, quam idem S. Doctor innuit. Quoniã Angelus custos, qui præficitur alicui Regno, vel Prouinciæ, potest simul exequi omnia quæ pertinent ad bonũ cõmune talis Regni, vel Prouinciæ sibi cõmissæ: sed hæc sæpe occurrũt in locis distantibus, & discontinuis, sine eo quòd occurrãt in intermedijs: ergo iã Angelus erit simul in pluribus locis partialibus, distantibus, & discontinuis, sine eo quòd sit in locis intermedijs. Maior patet. Nã si Angelus custos Regni non posset exequi simul omnia, quæ pertinẽt ad bonũ cõmune illius, nõ prouideret Deus sufficiẽter de Angelo præsidenti tali Regno, vel Prouinciæ. Minor etiã constat. Nã prædictus Angelus solum tenetur occurrere negotijs per se pertinentibus ad bonũ commune illius Regni, vel Prouinciæ, quia sunt prosperare bella, quæ in diuersis partibus talis Regni, vel Prouinciæ gerũtur, & assistere Rectoribus, & Cõsiliarijs Regni, vel Prouinciæ, qui sunt in locis distãtibus, & discõtinuis, non autẽ oportet, quòd sit in locis intermedijs, quia nihil occurrit operandum per se pertinens ad bonum commune talis Regni, vel Prouinciæ: ergo &c.

§. IIII.

§. IIII. *Sententia prior oppoſita noſtræ primæ aſſertioni fundamenta, & reſponſiones ad illa.*

Sententia noſtræ primæ aſſertioni oppoſita.

171. Contrariam tamen noſtræ primæ aſſertioni ſententiam, nempe, Angelum poſſe eſſe in pluribus locis vt pluribus, tenuerunt aliqui, quos ſuppreſſo nomine refert D. Thom. in 1. diſt. 37. q. 3. art. 2. Nam etſi expreſsè ſolùm dicant, Angelum poſſe eſſe in pluribus locis adæquatis, vt pluribus, potiori tamen ratione debent fateri, quod poſſunt eſſe in pluribus inadæquatis, etiã vt pluribus. Poteſtque probari hæc ſententia primo. Quia ſi propter aliquã rationem Angelus nequiret eſſe in pluribus locis inadæquatis vt pluribus, maximè, quia hoc arguit infinitatem: at ſic eſſe in prædictis locis, illã non arguit: ergo, &c. Maior conſtat ex his, quæ n. 151. diximus. Minor autem probatur. Nam corpus Chriſti Domini non eſt infinitum: & tamen defacto eſt in pluribus locis, vt pluribus, nempe in cœlo empyreo, & in Euchariſtia, & rurſus in iſta, eſt in pluribus hoſtijs inter ſe diſtantibus, & vt plures ſunt.

D. Thom.

Fundamentum primũ.

Reſpõdetur

Reſpondetur, negando minorem intellectam de virtute locabili per ſe, quæ ſit vna & eadem, vt in præſenti contingit. Et ad inſtãtiam de corpore Chriſti Domini reſpõdetur, eſſe peculiare in illo, vt diſtincto ab Angelo, quatenus locabile eſt, quòd ſit in pluribus locis, vt pluribus: quia eſt in cœlo ratione ſuæ quantitatis, & in Euchariſtia ratione ſuę ſubſtantiæ: & ibi tantũ eſt in loco vt tali per accidens ratione quantitatis ſpecierũ, quãuis ratione ſuæ ſubſtantiæ ſit per modũ ſubſtãtię ſub prędictis ſpeciebus. Non autẽ incõuenit, quòd ex vi duarũ rationum formaliũ, vt duarũ, ſit in cœlo, & ſit in Euchariſtia, & in loco ſpecierũ, ac proinde ſit modo dicto in duplici loco, vt duplicitur: nec ad hoc deſideratur infinitas, ſed ſola multiplicitas rationũ formaliũ. Et deinde licèt daremus, Chriſtũ eſſe ratione ſuæ ſubſtantiæ, & per modum illius in pluribus hoſtijs conſecratis, vt pluribus, non ideò argueretur infinitas: quia ad hũc modũ eſſẽdi ſatis eſt, quòd ſit in illis ratione plurium conſecrationum, vt plurium, & quòd plures ſubſtãtiæ panis fuerint conuerſæ in prædictũ corpus. Ac tandem ad hoc, vt ſit per accidẽs in pluribus locis, vt pluribus, ſatis eſt, quòd remaneant plures ſpecies ſacramentales, vt plures, ſub quibus ipſe Chriſtus, vt eſt id, in quod conuerſæ ſunt prædictæ ſubſtantiæ panis, habeat eſſe. Nam hoc ipſo, quòd hæc dẽtur, abſque infinitate poterit Chriſtus per modũ ſubſtãtię eſſe in pluribus illis, vt pluribus, & per accidens eſſe in locis ſpecierũ, etiã vt pluribus. Hæc autem planè conſtat non reperiri in Angelo, & virtute vnica per ſe locabili illius. Quæ ſolutio deſumitur ex Angelico Doctore in 1. diſt. 37. q. 3. art. 2. ad 1. his verbis: *Dicendũ, quòd corpus Chriſti non habet, in quantum eſt corpus, nec in quantum diuinitati vnitum, quòd ſit in pluribus locis; ſed habet hoc ratione conſecrationis, & tranſubſtantiationis, in quantum diuerſi panes, qui in ipſum tranſubſtãtiantur, ſunt in diuerſis locis: & quia ſubſtantia panis tranſit in corpus Chriſti, manentibus accidẽtibus, & ideò manet quãtitas vtriuſq; panis: & per cõſequẽs locº vtriuſq;*

Ang. Præceptor.

172. Secundò probatur eadem ſententia. Nam Angelus poteſt ſimul producere plura, vt plura, & ſecundùm id, in quo diſtinguũtur: ergo poteſt eſſe in pluribus locis, vt pluribus. Conſequentia patet ex dictis §. præcedenti. Et antecedẽs probatur ex illo Exodi 14. vbi Angelus, qui in columna nubis præcedebat populum Iſrael, cauſabat ſimul lucem, & tenebras: erat enim nubis tenebroſa excæcans Ægyptios, illuminans noctem, ſplendorẽque præbens Iſraelitis. Quæ rationes nõ ſolũ ſunt plures, vt plures, ſed etiã oppoſitę. Ergo, &c.

Fundamentum ſecundum.

Exodi 14.

Reſpõdetur, illos effectus lucis, & tenebrarum eſſe quidem diuerſos, & oppoſitos in *eſſe entis*, adunari tamen in *eſſe* obiecti adæquati virtutis Angelicæ, imò per eandẽmet operationem potuiſſe Angelum vtrumque producere, condẽſando aerem illuminatum: tãtà enim potuit eſſe condenſatio aeris verſus Ægyptios, vt nullo modo ſineret radios lucis colũnæ, vel cœli ad eos trãſire, & tã tenuis, & ad hũc effectũ proportionata potuit eſſe cõdẽſatio eiuſdẽ aeris illuminati verſus Hebræos, vt columna ignis ſplẽderet illis tãquã ignis.

Enodatio eius.

§. V. *Alia ſententia ſecundæ noſtræ aſſertioni contraria, fundamenta illius, & ſolutiones eorum.*

Sententiã noſtræ ſecũdæ aſſertioni oppoſita

173. Secũda ſentẽtia noſtræ ſecũdæ aſſertioni aduerſa docet, Angelũ nõ poſſe ſimul eſſe in pluribus locis inadęquatis intra ſe diſtãtibº, quin ſit in locis intermedijs, quã tunuis loca illa diſtantia, & extrema cõtineãtur intra ſphærã Angelicã. Ita Ægidius in 1. diſt. 37. q. 8. Gregor. in 2. diſt. 2. q. 3. Molina ad art. 2. huius q. Vazquez in præſenti diſp. 190. c. 3. & Bubal. in præſenti q. 2. difficult. 1. §. 2. Valẽtia diſp. 4. q. 3. pũct. 3. & alij. Quã ſententiam probat primò Vazquez ex Damaſceno lib. 1. de Fide c. 17. vbi de Angelo dicit: *Neq; enim pluribus, ac diuerſis locis operari eodẽ tempore poteſt.* Et ex Didymo libr. 1. de Spiritu Sancto dicente: *Angelus, quippe, qui aderat Apoſtolo in Aſia oranti, nõ poterat ſimul eodem tẽpore adeſſe in alijs cæteris mundi partibus cõſtitutis.* Quę omnia, ait Vazquez, ſi aliquis interpretetur de locis adæquatis, ita vt in paruis locis intra certã ſphærã Angelus eſſe poſſet, aduertat obſecro, vno loco diffiniri, idẽ eſſe quod in vno loco tantùm eſſe, ſiue ille magnus ſit, ſiue paruus: id enim nunquam Patres diſtinguere curarunt.

Ægidius Gregor. Molin. Vazquez Bubal. Valentia. Damaſc. Didym.

Fundamentum primũ

Respondetur. Respondetur, admittêdo explicationem, quam insinuat, & reijcit Vazquez. Et ad impugnationẽ dicendum est vni loco adæquato diffiniri adæquatè, idem esse, quod in vno loco tantùm esse, ita vt non sit alibi: at vni loco inadæquato, & partiali diffiniri partialiter, nõ est ita esse in vno loco partiali, vt nequeat esse in alio loco inadæquato, & partiali, sed quòd si Angelus v. g. potest esse in vna leuca simul, & est in priori quarta parte illius, nequeat simul esse, nisi in alijs tribus partibus eiusdem leucæ: ac proinde diffiniri loco partiali, & partialiter, est ita esse in illo, vt locus ille partialiter cõcurrat ad cõstituẽdum locum adæquatum sic diffinientem Angelum, vt nequeat esse alibi. Vnde Angelus est in prædictis locis diffinitiuè partialiter, quatenus pertinent ad illum terminum, vltra quem non se extendit virtus eiusdem Angeli, & sphæra illius. Vnde licèt locus magnus, aut paruus, si sint talis cõditionis, vt quilibet eorum sit tantus, quãtum requiritur ad hoc, vt habeant rationem loci adæquati respectu alicuius locati, tunc quiuis eorum diffiniat adæquatè, ita vt locatum in eo tantùm loco habeat esse, siue ille magnus, siue paruus in prædicta tamen quantitate sit, & quoad hæc tantùm loca non distinxerunt Patres quoad effectum diffiniendi simpliciter locatum, secùs verò quoad loca partialia, & partialiter tantùm in sensu iam dicto diffinientia, vt ex his, quæ Doctor Angelicus tradit, clarè constat; & ex alijs, quæ ab alijs Patribus habemus, sufficienter colligitur.

Secũdũ fundamentum 174. Secundò probatur eadem sententia. Quia Deus, licèt sit infinitæ virtutis, & potentiæ, ac proinde omnia loca contineantur sub sphæra suæ actiuitatis; nihilominùs nequit esse in locis extremis, & distantibus, quin sit in intermedijs. Ergo potiori ratione id denegandum est Angelo.

Confirm. 1. Confirmatur ex Molina. Quia anima nostra, etsi sit perfectissima quoad modum informandi, nihilominùs non potest informare partes extremas corporis, vt caput, & pectus, quin informet collum intermediũ. Ergo pariter Angelus nequibit esse in partibus extremis suæ sphæræ, quin simul sit in intermedijs.

Confirm. 2. Confirmatur secundò ex eodem Molina. Quoniam lumen, licèt sit qualitas satis perfecta in sui diffusione, nihilominùs non potest denuari à Sole in partem extremam spatij, nisi per mediam, in qua lumen recipiatur: ergo neque Angelus poterit transferre suam substantiam ab extrema parte spatij contenti sub sua sphæra in alias extremas eiusdem sphæræ, nisi per intermedias, in quibus eadẽ substantia maneant.

Respondetur ad secũdum fundamentum. Respondetur concedendo antecedẽs, hoc ipso quòd tam loca distantia, quàm intermedia maneant in rerum natura. Quia modus proprius essendi Dei in loco est, quòd sit vbique, ac proinde in omnibus, & singulis locis in rerum natura existentibus.

Adde, id etiam prouenire ex parte locorum, vt peculiariter conferuntur cum Deo. Quia cùm hoc ipso, quòd sint in rerum natura, habeant *esse* per participationem à Deo, petunt, vt Deus, qui est ens per essentiã, causet immediatè in illis suum *esse*: & perconsequens, quòd sit in eisdem, vt contingens illa contactu virtutis diuinæ: quod nequit dari, nisi sit in ipsis, & in loco, eo modo quo Deo conuenit esse in loco. Vnde si Deus annihilaret aerem, & aquam, & non produceret alia corpora loco illorum, tunc posset esse in igne, & terra manentibus in eodem situ, ac modò, licèt essent loca inter se distãtia. Quare, cùm in Angelo non procedant rationes illæ, propter quas Deus in omnibus, & singulis locis existentibus in rerũ natura debet esse: inde fit, vt possit esse in locis distantibus contentis intra suam sphæram, quin sit in intermedijs, vt dictum est.

Ad primã cõfirmationem. Ad primam confirmationem respõdetur, esse disparem rationem. Quia anima constituit vnum per se cum corpore, quod informat, cui vnitioni obstat, quòd informet partes inter se non continuas, & (vt sic dicamus) quòd non informet illas continuato modo: Angelus autem non constituit vnum per se cum loco. Adde, animam informare corpus per modum causæ naturalis, ac proinde quãtum potest: & ita non extenditur ad extremas partes, quin ad intermedias, quia ad vtrasque potest: Angelus verò omninò liberè est in loco per applicationem suæ virtutis, prout ei libuerit. Et ideò sicut potest eã applicare partibus extremis, & simul intermedijs: ita propter rationes dictas illis, & non istis. Adde tandem, corpus habere suum *esse* ab anima, non autem locum ab Angelo: & ideò anima non potest informare partes discontinuas: quia partes discontinuæ nequeunt per vnum & idem *esse* existere.

Ad secũdã. Ad secundam confirmationem dicendum est, Solem, & lumen esse corporea, & quanta: & ideò debent commensurari spatio & quãtitati corporis, per quod diffunduntur, esseque in illis iuxta modum spatij, & prædicti corporis: & ideò nequeunt diffundi in partes extremas, quin in intermedias: secùs verò dicendum in Angelo propter oppositam rationem.

Tertium fundamentum. 175. Tertiò probatur prædicta sententia. Nam illa plura loca, si comparentur ad distinctos Angelos, habent rationem plurium per distantiam, quam habent inter se, quanuis sint inadæquata respectu vniuscuiusque illorum. Ergo etiam respectu eiusdẽ Angeli habẽt hoc, quod est esse plura:

cùm

cùm respectu illius maneat eadem ratio pluralitatis, sicut eadem distantia.

a. Confirmatur. Quia admisso, quòd Deus posset collocare idem corpus in duobus locis, nulla potest reddi ratio, cur illa loca sint plura, nisi quia sunt discontinua, & distantia inter se: sed in nostro casu illa loca sunt distãtia, & discontinua: ergo sunt plura per modũ plurium. Minor & consequentia videntur notæ. Et maior probatur. Nam in illa hypothesi, si illa plura loca essent continua, & indistantia, non dicerentur plura, sed vnus maior maximo, in quo tale corpus naturaliter esse posset. Ergo ex eo essent plura, quia essent discontinua, & distantia inter se.

Enodatio eius cũ sua cõfirmatione. Respondetur, concedendo, illa loca respectu diuersorum Angelorum esse plura, non quidem propter solam distantiam, & discontinuitatem, sed quia operationes, per quas in illis collocantur, non possunt habere rationem vnius: eò quòd procedũt à distinctis virtutibus Angelorum. Et ita neganda est consequentia: cùm prædicta ratio cesset in vno Angelo operante per vnicam virtutem, & per modum vnius in prædictis pluribus locis. Nam (vt iam diximus) id, quod habet veluti vnificare, & formalizare in ratione vnius loci adæquati loca illa distantia cõtenta intra sphæram Angelicam, est, quòd simul sint attingibilia ab Angelo per vnã virtutem, vnicamque illius virtutis actionem.

Adde, quòd si illa loca ita distent, vt sine additione nouæ quantitatis nequeat corpus illud eis correspondere, erunt plura, vt plura: si autem è contrà accideret, erũt plura, vt cõstituant vnum maiorem locum: & quantitas illa dilatata extenderet se tunc ad illum maiorem locum, & simul ad intermedium, quia hoc petit modus essendi circunscriptiuus. Vnde si loca Angeli ita distent, vt sine additione quantitatis virtutis possit Angelus simul ea replere, poterit vtique ad illa simul se extendere: quia modus essendi in illis non petit ex alia parte, sicut in corpore, commensurationem cum loco. Per quæ omnia satis ad confirmationem patet.

Quartũ fundamentũ. 176. Quartò probatur eadem sententia. Quia aliquo Angelus haberet duplicem præsentiam simul respectu illorum locorum, eamque solo numero distinctam: siquidem prædictæ præsentiæ non possent identificari, hoc ipso quòd respicerent plura loca discontinua.

Confirmatur. Confirmatur. Quia non est quomodo Angelus in his duobus locis simul acquirat præsentiam ad illa: non quidem per motum discretum: quia per hunc deseritur terminus *à quo*, atque adeò locus in prima parte extrema spatij, in qua supponitur mobile debere relinqui. Et similiter nec per motum continuum, propter eandem rationem.

Respondetur. Respõdetur, quòd si simul ab initio se collocet in illo duplici loco, tunc erit in illis per vnicam actionem, extendentem se ad vtrumque locum distantem, & per vnicam dumtaxat præsentiam respicientem adæquatè vtrũque locum, vt vnum. Si autem priùs vnum, posteà v. g. post horam, alium distantem simul acquirat, tunc cessat actio, ratione cuius erat præsens præcisè primæ parti extremi, & datur alia terminata ad aliam præsentiam respicientem vtrumque locum.

Ad confirmationem. Ad confirmationem respondetur, superesse alium modum, scilicet, per mutationem quamdam reductam saltem ad motum discretum, per quam extendi potest mobile ad extremam aliam partem, non se extendendo ad intermediam, aut deserendo primam partem extremi. Et propterea potius vocatur extensio prioris locationis, quàm nouus motus.

Vltimũ fundamentũ. 177. Vltimò ex Vazquez. Quia aliquo si sphæra Angeli esset v. g. vnius leucæ, posset esse in Hispania v. g. Salmanticæ, in quarta parte leucæ, & in Italia in alia quarta parte: & tandem in alio loco remotissimo in altera, &c. Hoc autem communiter reijcitur à Theologis. Ergo. Probatur sequela. Quia si distantia, quæ est inter primam quartam partem, & extremam partem illius non impedit, quominùs sit in illis, licèt non sit in intermedijs: nec etiam impediet alia maior distantia, quæ esset inter illas: & ita, dummodo non sit in pluribus partibus, quàm in quatuor partibus vnius leucæ, poterit esse in illis, quantumuis inter se distantes sint.

Enodatur. Respondetur, negando sequelam. Quia sphæra non sic mensuranda est; sed ita vt si sit v. g. vnius leucæ, possit esse in leuca metiendo illa (vt sic dicamus) continuatè ab illa parte, in qua Angelus partialiter intra eandem leucam se collocat, vt ex statim dicendis patebit. Et ad probationem in contrarium neganda est paritas. Tum, quia etsi loca intermedia sint talia respectu Angeli, vt possit eis relictis collocare se in extremis attamen debent etiam esse talia, vt sit integrum Angelo collocare se in illis, & simul in partibus intermedijs: & ita distantia debet non esse tanta, vt impediat, quominùs Angelus possit esse simul in omnibus illis locis partialibus, scilicet in locis distantibus, & intermedijs.

Tum etiam. Quia aliqua virtus requiritur ad hoc, vt Angelus relicta parte intermedia collocet se in alia magis distanti: & propterea hoc excedit omnẽ entitatẽ corporis: ergo vt applicet suã substãtiã parti alteri distãtiori, relictis pluribꝰ partibꝰ intermedijs, maior desiderabitur virtꝰ: & per-

consequens ad hoc, vt se collocet in aliqua parte distantiori, prætermittendo adhuc plures partes intermedias quibus non fiat præsens, maior requireretur virtus: &c. Et ita quoad assignandam sphæram virtutis Angelicæ habenda est ratio de partibus intermedijs, & de distãtia inter extrema: ita vt pro quãtitate, & perfectione virtutis plures, aut pauciores partes intermediæ assignentur, quæ prætermitti possunt, & medijs quibus plus, aut minùs partes extremæ inter se distent.

Explicatur. Potestq; hoc magis explicari ex eo, quòd ille (vt sic dicamus) saltus ab vna parte in aliam, relicta parte intermedia, maiorem arguit virtutem, quàm si præcisè deberet esse illi præsens vnà cum partibus extremis, hoc ipso quòd in illis esset: siquidem arguit virtutẽ independentem à loco, & subijcientem sibi eundem locum, ac dominantem illi, secùs verò virtus essendi in omnibus illis, ita vt si sit in extremis, debeat esse in intermedijs: ac proindè arguit virtutẽ, quæ sicut potest prætermittere locum intermedium, existendo in extremis, ita queat in illo, & in isto simul esse: quia sicut dum Angelus est in extremis, & intermedijs partibus, habenda est ratio de intermedijs ad assignandam sphæram Angelicam: ita dum est in partibus extremis, prætermissis intermedijs.

DVBIVM IX.

Vtrùm plures Angeli possint simul esse in eodem loco.

178. DVBITVLVS Non præcisè de potentia ordinaria, & secũdùm communem cursum, sed etiam de potẽtia absoluta debet intelligi: an nimirum per illam, vel saltem per istam possint plures Angeli esse simul in eodem loco? Sicut etiam intelligendus est de loco, siue adæquato, siue inadæquato, & partiali, siue de loco, qui sit idem præcisè materialiter, & in *esse* rei, vel etiam formaliter, & in *esse* loci: ita nimirum vt non solùm sint in eodem corpore, in eademque parte illius, sed sub eadem ratione formali, quæ (vt sic dicamus) formalizet locum illum in *esse* rei acceptum, & reddat illum non solùm materialiter, & in *esse* rei, sed etiam formaliter, & in *esse* loci vnum & eundem.

Sesus tituli.

Cæterùm quia plures Angeli possunt intelligi esse simul in vno & eodem loco ex diuersis capitibus: primò quidem ex eo, quòd operentur ibidem vnum & eundem effectum totalem per modum duarum causarum totalium principalium, & eiusdem ordinis particularis: secundò, quia producant in eodẽ corpore, in eademque parte illius plures simul effectus specie diuersos per modum duarũ causarum itidem totalium, & eiusdem ordinis particularis, & principalium: tertiò, per hoc quòd sint causæ principales, & eiusdem ordinis iam dicti, partiales tamen, & inadæquatæ respectu vnius & eiusdem effectus producti ab illis in eadẽ parte loci: quartò, quia sint causæ instrumentales attingentes vnum & eundem effectum in eodem corpore, siue loco: quintò ex eo, quòd vnus sit ibidem actiuè: alius verò passiuè: sextò tandẽ, ita vt prædicti Angeli intelligantur esse in eodem loco passiuè: idcircò titulus de omnibus his modis intelligendus est, an scilicet ex cunctis, & singulis ex his capitibus, an verò præcisè ex aliquibus eorũ, aut ex nullo possint plures Angeli esse in vno, & eodem loco? Quia verò omnia ista in vna, & eadem assertione tradi perspicuè nequeunt, ex eo quòd multitudo eorum confusionem pariet: idcircò aliquibus conclusionibus sigillatim rem hanc explicabimus.

§. I. *Assertio prior, & duplex eius fundamentum ex D. Thoma desumptum.*

179. DIcendum ergo est primò, implicare contradictionem, plures Angelos esse simul in eodẽ loco, siue formali, siue materiali, per hoc quod ibi producãt vnum & eundem effectum per modum duarum causarum principalium totalium, & eiusdem ordinis particularis. Assertio hæc est expressa D. Thomæ art. 3. huius q. his verbis: *Dicendum, quòd duo Angeli non sunt simul in eodem loco. Et ratio huius est. Quia impossibile est, quòd duæ causæ completæ sint immediatæ vnius, & eiusdem rei. Quod patet in omni genere causarum: quia vna est forma proxima vnius rei, & vnum est proximum mouens; licèt possint esse plures motores remoti.*

Prior assertio.

D. Thomas

Et in 1, dist. 37. q. 3. art. 3. vbi sic habet: *Et sic dico secundùm communem opinionem, quod plures Angeli non possunt simul in vno loco esse. Cuius ratio accipienda est ex parte operationis, secundùm quam Angelus in loco esse dicitur. Quia secundùm Philosophum in 4. Physicorum, tunc pulcherrimè vnumquodque diffinitur, quando per diffinitionem manifestatur natura rei, & demonstrantur omnes proprietates consequentes, & soluuntur omnes dubitationes incidentes. Secundùm hoc ergo dicendum est, quòd impossibile est idem, secundùm idem*

pati,

pati, & moueri à diuerſis agentibus, vel mouẽtibus, ſi vtrumque ſit perfectæ virtutis ad inducendum effectum illum. Cùm igitur vnus Angelus agens in virtute imperij diuini ſit ſufficiẽtis virtutis ad educendum in actum totum illud, quod virtute diuina operandum eſt circa aliquod corpus ſupra actus naturales, ad quorum operationes non mittuntur Angeli, nõ poteſt eſſe, quod circa idem operatum conueniant immediatè operationes duorum Angelorum: & ideò non poſſunt eſſe in eodem loco, quia alter eorum ſuperflueret. Vnde etiam Philoſophi vni orbi non attribuerunt, niſi vnum motorem.

Ferrara. Capreol. Et ita S. Doctorem ſequuntur eius diſcipuli, vt Ferrara 3. contra Gentes cap. 68. Capreolus in 2. diſt. 2. quæſt. 1. art. 1. in ſolutione ad 4. & 5. contra tertiam concluſionem & diſt. 20. quæſt. vnica art. 3. ad argumẽta Scoti cõtra tertiam concluſionem, & in 3. diſt. 1. q. 1. art. 3. ad argumenta eiuſdẽ Scoti contra concluſionem 3. *Caietan.* Caietanus 3. part. q. 67. art. 6. (quanuis per ordinem ad diuinam potentiã doceat in hac quæſt. art. 3. poſſe eundem effectum produci in eadem parte loci à duobus Angelis, tanquam à duabus cauſis totalibus, & eiuſdem ordinis particularis: ac proinde nõ repugnare, vtrumque ſic eſſe ſimul in eodem loco) *Iabell.* Iabellus 5. Metaphyſicæ quæſt. 7. *N. Compl.* N. Complutenſes in lib. Phyſicorum diſp. 15. n. 31. & ferè omnes diſcipuli D. Thomæ. quatenus vno ore docent, non poſſe eundem numero effectum procedere à duplici cauſa totali eiuſdem ordinis, etiam per ordinem ad potentiam Dei abſolutam.

Fundamẽtalis ratio ex Angelico Doctore acepta. 180. Ratio autem prior, & fundamentalis prædictæ aſſertionis deſumitur ex D. Thoma in hoc art. quæ poteſt ad hanc formam reduci. Quoniam implicat, vnum & eũdem effectum produci à duabus cauſis totalibus principalibus, & eiuſdem ordinis particularis: ergo etiam implicat, plures Angelos eſſe ſimul in eodem loco, per hoc quòd ſic in illo producant vnum & eũdem effectum. Cõſequentia apertè ſequitur ex antecedenti. Antecedens autem etiam liquet. Quia alioqui effectus ille penderet, & non penderet per ſe à duplici illa cauſa totali. Penderet quidem, vt ſupponitur: ſiquidem ab vtraque haberet ſuum *eſſe*. Non penderet autem ab vtraque: quia poſſet fieri ab vna ſolum modò. Nã (vt ſupponimus) quælibet concurreret per modum cauſæ totalis, & principalis intra ordinem cauſarum ſecundarum particularium: conſtat autem, quanuis cauſam totalem principalem, & particularem poſſe abſque interuentu alterius ſimilis cauſæ producere effectũ: alioqui non cõcurreret per modum prædictæ cauſæ.

Confirmatur. Confirmatur ratione, quam inſinuat. D. Thomas art. 3. huius quæſt. Nam in cauſis materialibus, & formalibus implicat, eundẽ effectum procedere ſimul à duplici forma, vel materia eiuſdem ordinis. Ergo etiam implicabit, eundem effectum produci à duabus cauſis efficientibus totalibus, & eiuſdem ordinis: ac proinde etiã repugnabit, quòd duo Angeli ſint in vno & eodem loco. Vtraque conſequentia ſequitur ex antecedenti. Antecedens autem oſtenditur à N. Complut. in lib. Phyſicorum diſput. 4. q. vltim, & diſp. 15. num. 31. *N. Compl.*

Licèt autem Suarez 1. tomo ſuæ Metaphyſicæ diſput. 26. ſect. 4. vnà cum alijs tenẽtibus, poſſe eundem numero effectum produci ſimul à diuerſis cauſis totalibus, & eiuſdẽ ordinis, conetur rationem hanc D. Thomæ diſſoluere: nihilominùs quia ſolutio, quam tradunt, optimè impugnatur à N. Complut. in lib. Phyſicorum diſput. 15. num. 33. vbi etiam plura ad rationis D. Thomæ elucidationem adducunt: idcircò nec ſolutionem iſtam, nec eius impugnationem in præſenti adhibemus, ſed ad prædictos Complutenſes Lectorem remittimus, ne ſemel actũ iterùm agatur: & quia vterque iſte curſus, nempe Theologicus, & Artium ab eodem formaliter Authore conſcriptus eſt: ex eo quòd licèt manus ſcribentis diuerſæ fuerint, nihilominùs in vtroque eadem anima, idem ſpiritus, eadẽque vox, nẽpe doctrina Angelici Præceptoris ſonat, & reſonat, vt in 1. tomo huius Cure ſus Theologici in principio illius, & in curſu Artium N. Complut. in lib. de Anima in proœmio illorum docent. *Suarez.* *N. Compl.*

Corollariũ Ex quo etiam fit, plures Angelos non poſſe eſſe ſimul in eodem loco, adhuc per potentiam Dei abſolutam, ex hoc quòd producãt vnum & eundem effectum per modum duarum cauſarum totalium, non quidem eiuſdẽ, ſed diuerſi ordinis, ac proinde ſubordinatarum, eo proportionali modo, quo Deus, & Angelus ſunt in vno, & eodem loco, ex eo quòd per modum cauſarum diuerſi ordinis, & principalium attingant vnum & eundem effectum per vnicam, & eãdem dumtaxat actionem: ex eo quòd, licèt iſta nequeant exire ſimul à duabus cauſis principalibus, & eiuſdẽ ordinis, benè tamen à duabus cauſis præcipuis diuerſi tamen ordinis, quarum vna alteri ſubordinetur.

Eius ratio. 181. Ratio autem huius corollarij eſt. Quoniam ſicut implicat, eundem numero effectum produci ſimul à duplici cauſa totali principali, & eiuſdem ordinis: ita etiam implicat, quòd actio illa, per quam vnus Angelus eſt in loco, producatur, niſi tantùm ab illo Angelo, & à Deo. Ergo nequibunt plures Angeli eſſe in eodẽ loco, ex eo quòd ſint ibidem per modum duarum cauſarum principalium diuerſi ordinis. Conſequentia videtur legitima. Quia ſi eſſent ibidem per modum duarum cauſarum principalium, & inter ſe ſubor-

subordinatarum, tunc actio Angeli subordinati alteri produceretur simul ab Angelo, cui fit subordinatio: quia Angelus subordinatus alteri est in loco in recto ratione suæ operationis, & in obliquo ratione effectus, & passionis ibidem productæ. Et ita ad hoc, vt Angelus subordinans esset in eodem loco per modum causæ effectiuæ efficientis, & superioris ordinis, oportebat, eum esse causam prædictæ actionis Angeli subordinati, vt in Deo, & in Angelo propter hanc rationem id ipsum cõtingit. Antecedens autem probatur. Quia illa operatio, per quam Angelus subordinatus est in loco, est operatio intellectus, & voluntatis ipsius, vt habent rationem immanentium, formaliter, & virtualiter transeuntium, seu est ipsum imperium practicum intellectus Angelici, qui proinde inuoluit actum voluntatis: at prædictum imperium vnà cum suo actu voluntatis soli Deo subordinatur, à soloque Deo, & ab Angelo illo, in quo recipitur, potest produci: & propterea respectu aliorum Angelorum est per se occultum, & soli Deo, & Angelo, in quo recipitur, est notum, vt infrà q. 57. dicemus.

Secunda fundamentali ratio

182 Secunda, & fundamentalis ratio desumitur ex eodem Angelico Doctore loco nuper citato ex 1. sent. distinct. 27. & potest sic efformari. Nam si duo Angeli essent causæ totales respectu eiusdem effectus, illorũ actiones mutuò se impedirẽt, & mutuò se non impedirent: hæc est manifesta implicatio: ergo &c. Sequela probatur. Nam eo ipso, quòd essent causæ totales respectu eiusdem effectus, producerent illum per duas actiones totales, & eiusdem ordinis, & sic se mutuò non impedirent, vt supponitur. At mutuò se impedirent: nam quæuis actio totalis, & eiusdẽ ordinis ideò non admittit consortium alterius, quæ sit eiusdem ordinis, quia vtraque est totalis, & illius ordinis, ita vt totum hoc sit actuale exercitium mutuò se impediendi: sicut esse virtutem totalem, & eiusdem ordinis est virtus impeditiua in actu primo. Ergo repugnat, manere prædictam actionem totalẽ, & non manere ipsam actualem (vt sic dicamus) impeditionem: non secùs ac repugnat, manere vim & virtutem totalem sine vi & facultate ad impediendum: quia est virtus ipsa impeditiua.

Confirmatur.

Confirmatur ratione eiusdem S. Doctoris loco citato ex 1. Sent. & de Potẽtia quæst. 3. art. 7. 11. & 19. Nam si duo Angeli per modũ duarum causarum totalium principalium, & eiusdem ordinis producerent eundem effectũ in eodem loco, ac proinde sic essent ibidem, tunc illorum actiones non confunderẽtur, ita vt ex vno capite essent duæ, & ex alio sic confunderentur, vt non remanerent duæ: hoc autem implicat, vt de se constat: ergo repugnat, duos Angelos sic esse in vno & eodem loco. Minor & consequentia sunt perspicuæ. Et maior satis ostenditur à N. Complutensibus disp. nuper citata q. 3. N. Compl.

138 Licèt autem hanc secundam rationem ex parte tradant prædicti Complutenses ad aliud intentum, nempe, vt generaliter probent, eundem numero effectum non posse esse simul à duabus causis principalibus, & eiusdem ordinis: nihilominùs quoniam ipsi illam non discusserunt ex professo: quia ad id, quod intendebant, suppositis illis quæ circa priorem rationem dixerant, non erat necessarium: ideò nobis quantum ad presens instítutum de Angelis attinet, eam ampliùs quadam obiectione, & eius cõfirmationibus elucidare visum est. Vnde contra illam obijcimus, quòd saltem si vnus Angelus ignoret, quid alius velit facere, non est inconueniens, quòd applicet suam virtutem ad operandum in aliquo loco, & quòd alius ex eadem ignorantia posteà, aut in eodem instanti applicet simul suam virtutem eidem loco, absque eo quòd vnus impediat alterum. Et ratio est. Nã in tali casu vnus Angelus non impediret alũ, ex eo quòd operaretur in illum debilitando eius virtutem: quia (vt supponimus) nihil cogitat de alio: neque ex hoc, quòd in loco producat aliquam qualitatem, per quam reddatur incapax operationis alterius Angeli: quia (vt etiam supponimus) non intendit producere hãc qualitatem impeditiuam, sed solùm producere hũc effectum, nempe motum, v. g. ictus lapidis: ergo non est vnde se mutuò impediant. Obiectio.

Confirm. 1.

Confirmatur primò. Quia vnus Angelus in hoc euentu non intendit impedire alium: siquidem de hoc (vt supponitur) non cogitat: ergo de facto non impedit. Quoniam dũ Angelus per suam voluntatem operatur, id tantùm habet operari, quod per eandem voluntatem intendit.

Confirm. 2.

Confirmatur secundò. Quia illi duo Angeli non se impediunt in eodem instanti, in quo circa illud corpus operantur: alioqui operarentur simul erga illud, producendo eũdem effectum: neque etiam in præcedenti: quoniam non se impediunt, nisi operando in prædicto corpore, tunc autem nondum habent operari: nec tandem in sequenti, propter rationem nuper tactam, quoniam daremus, eundem effectum productum iam fuisse ab vtroque.

Respond.

184 Respondetur, vnum Angelum impediturum adhuc tunc alium, ex eo quòd se applicuit in vltima dispositione, volens de facto operari per modum causæ totalis iam dictæ circa tale subiectum: nam eo ipso ibi virtualiter continetur impeditum, quo subiectum manet impedimentum ad recipiendũ simul operationes vtriusque Angeli: nõ quia ex vi prædictæ applicationis cũ præcisione sumptæ

ſumptæ cauſatur de facto in corpore illo aliqua qualitas, aut aliquid, quo impediatur, ſed quia illam ſtatim cauſaret, niſi alter Angelus habuiſſet ſimul ſimilem applicationem, & niſi ſubiectum eſſet incapax ex ſe ad recipiendum ſimul duas operationes totales duarum cauſarum particularium, vel vnum ac eundē effectum ab illis productum. Et ita illa applicatio in vltima diſpoſitione, quam quilibet Angelus haberet, quia quodammodò virtualiter continet operationē vtriuſque, ideò virtualiter impedit ex vi ſua: & ipſum ſubiectū, quippe incapax prædictarum actionum, eſt ex ſe indiſpoſitum ad illas ſimul, aut ad vnū & eundem illarum effectum recipiendū: imò ad hoc, vt non ſit indiſpoſitum ad recipiendum illum ab vno Angelo, connotat, alium non eſſe applicatum in vltima diſpoſitione ad producendum prædictum effectum: ex eo quòd tunc non eſſet maior ratio cur ab vno potiùs, quàm ab alio pateretur, & tamen nequit ab vtroque pati propter rationes traditas. Vnde, ſi loquamur de eo, quod formaliter, & non ſolùm (vt ſic dicamus) diſpoſitiuè impedit, ne duo Angeli ſint ſimul cauſæ totales, & eiuſdem ordinis reſpectu eiuſdem effectus, nempe, de operatione propria cuiuſlibet virtualiter tranſeunte in aliquod corpus, tunc dicendum eſt, hoc eſſe talis cōditionis, vt ſi detur in vtroque Angelo, impediret, & non impediret vtrumque, ne ageret: ac proinde hinc ſequetur vtraque cōtradictionis pars; non tamen id, quod (vt ſic dicamus) diſpoſitiuè impedit: quia hoc dato in vtroque Angelo, ita impediret actionē cuiuſlibet à quolibet in caſu poſito, vt non inde ſequeretur vtraque contradictionis pars, ſcilicet, quòd impediret, & non impediret.

Ad primā cōfirmationem. Ad primam confirmationē reſpondetur, verum eſſe antecedens de intentione expreſſa, & formali, non tamen de implicita, & virtuali, ſiue conſecutiua. Nam intendens aliquem effectum, intendit implicitè, & conſecutiuè, ac virtualiter, quidquid ex natura rei inde conſequitur.

Ad ſecūdā. Ad ſecundam confirmationem concedatur antecedens: quia reuera neuter Angelus operatur actu in tali corpore, ſeu loco, ſed impedit alterum in inſtanti, quo modo dicto ſe applicat in vltima diſpoſitione ad operandum, ideſt, quando intendit actu operari, antequam habeat actum imperij operandi. Et ita non impedit per aliquam operationē virtualiter, & in exercitio tranſeuntem in corpus, ſed per actionem voluntatis quæ habet modū intentionis, aut præcisè electionis, nō verò inuoluit etiá imperium: quia hæc eſt talis, vt niſi in eo euentu impediretur ab alia ſimili operatione alterius Angeli, inferret imperium, & operationem ſaltem virtualiter tranſeuntem in externam materiam,

§. II. *Aſſertio ſecunda.*

185. DIcendum eſt ſecundò, quòd ſi loquamur de modo eſſendi plurium Angelorum in eodem loco, per hoc quod producant in eo diuerſos effectus ſecūdùm ſpeciem, & per modum cauſarum principalium, & eiuſdem ordinis, tunc plures Angeli poterunt eſſe ſimul in eodem loco abſque aliquo miraculo. Cæterùm in eo euentu non erunt ibidem ſimul, tanquam in vno & eodem loco formaliter, ſed ſolùm materialiter. Aſſertio hæc quoad priorem partem eſt D. Thomæ art. 3. huius quæſt. in ſolutione ad 3. vbi admittit, poſſe animam noſtram eſſe in corpore, quod informat, & ſimul eſſe ibidē cum illa Angelum: & rationem reddit: ex eo quòd rationes formales eſſendi in corpore illo ſunt diuerſæ. Et ita cùm ſibi obieciſſet, quòd ſi anima eſt in qualibet parte corporis, cùm Dæmones illabantur ſecundùm Auguſtinum corporibus, quòd anima, & Dæmon erunt in eodem loco, ac proinde idem de qualibet ſpirituali ſubſtantia dicendum eſſet: reſpondet in hæc verba: *Dicendum quod neque etiam Damon, & anima comparantur ad corpus ſecundùm eandem habitudinem cauſæ: cùm anima ſit forma, non autem Damon. Vnde ratio non ſequitur.* Quare, cùm Angeli exiſtentes in vno loco eo modo, quo in hac aſſertione dicitur, ſint in illo ſecundùm diuerſas rationes formales (modo ſuprà dicto) eſſendi in eo, ſcilicet, ſecundùm diuerſas operationes ſpecie diſtinctas, quas reuerà ſimul poſſunt elicere circa idem ſubiectum: conſequēs eſt, vt iuxta Doctrinā D. Thomæ prædicti Angeli poſsint ſimul eſſe in vno & eodem loco. *D. Thom.* Secunda cōcluſio.

Quod etiā docuit idem Angelicus Præceptor in 1. diſt. 37. queſt. 3. art. 5. in ſolut. ad 2. vbi cùm ſimile argumentum illi, quod loco nuper citato adduximus, ſibi obieciſſet, ſic reſpondet: *Dicendum, quòd anima eſt in corpore, vt forma dans eſſe, & operās operationes naturales: ſed Angelus eſt in corpore, vt operans operationes ſupernaturales & ideò nulla confuſio operationū fit: quia nō eſt vnius rationis operatio* Et in ſolutione ad 3. cū obieciſſet, quòd ſi Deus, & Angelus poſſent eſſe in eodem loco ſimul, etiam plures Angeli, reſpōdet in hęc verba: *Et per hoc etiā patet reſpōſio ad tertiū Quia Deus eſt in rebus, vt dās omnibus eſſe, & operās in qualibet virtute operāte. Et ideò alterius rationis eſt operatio ipſius Angeli*

Deinde eadē aſſertio quoad 2. partem eſt D. Th. art. 2. huius q. vbi inquit, locū, in quo Angelus eſt, eſſe vnū & eūdē formaliter, ex eo quòd a tingatur per vnam potentiā, vnāque operationem formaliter adęquatā (quod nos dub. præc. n. 167. diximus) ac proinde loca erunt formaliter diuerſa iuxta eūdē S. Doctorem,

rē, & quoties attinguntur per diuersas virtutes operandi, diuersásque operationes adæquatas formaliter. Quare, cùm hoc vltimum reperiatur in Angelis operantibus simul in eodem corpore effectus specie diuersos per suas distinctas virtutes, suasque operationes distinctas, & formaliter adæquatas respectu prædictorum effectuum: fit inde, vt iuxta mẽtem S. Doctoris prædicti Angeli non sint in eodem loco, formaliter eodẽ, sed solùm materialiter. Vnde S. Doctorem communiter sequuntur eius discipuli: et propterea ab eis in particulari referendis abstinemus.

Ratio fundamentalis. 186. Ratio autem fundamentalis prædictæ assertionis quoad vtramque partẽ desumitur ex eodem S. Thoma, tum locis nuper relatis: tum etiam illis, quæ disput. præcedenti dub. 1. 2. & 3. adduximus. Quo ad primam quidem, scilicet, prædictos Angelos sic operantes esse simul in illo eodem loco, vbi operantur. Quoniã Angeli sunt (vt ibidem diximus) in loco per operationem ergà locum, elicitam ab eis immediatè immediatione virtutis, & suppositi: sed plures Angeli possunt esse simul sic operantes per modum causarum principalium, & eiusdem ordinis, vt puta, si vnus motum localem, alius verò lucem in eodem corpore, in eademque parte illius producat: quia ad hoc nullum requiritur miraculum, vt ex se cõstat: ergo poterit vterque Angelus esse ibidem sicut in loco.

187. Ratio verò eiusdem assertionis quoad secundam partem etiam deducitur ex prædictis locis, seu in eisdem est formaliter contenta, potestque sub hac forma proponi. Quoniam Angeli existentes in loco per operationem, sunt in illo, vt in vno & eodem loco formali, quoties sunt in eo per eandem rationem formalem essendi: è contrà verò tãtùm sunt in illo, vt in vno & eodem loco materialiter, quando locus ipse in *esse* rei, & materialiter sumptus est idem, non tamen ratio formalis, siue fundamentalis attingendi ipsum est eadem, sed diuersa, vt dubio præcedẽti n. 167. dicebamus: ergo prædicti Angeli existentes in eodem loco eo modo, quo in assertione asseritur, erunt in illo, vt est idẽ precisè materialiter, non verò formaliter. Patet consequentia. Quoniam sunt in eo per actiones distinctas specie, totales, ac formaliter adæquatas respectu effectus à quolibet ibi producti: & per consequens sunt in prædicto loco per distinctas virtutes operandi, quę sunt distinctæ rationes formales, siue fundamentales essendi in loco. Sicut etiam prædictæ illæ operationes sunt, modo proportionato, distincta exercitia, distinctæque determinationes harum virtutum, & rationũ formalium essendi in loco.

Obiectio 1. 188. Nec obest, si contra hanc assertionẽ obijcias primò, ita esse impossibile pluribus Angelis operari simul in eadem parte corporis per modum causarum principalium eiusdem ordinis, & totalium, ac operari per modum prædictarum causarum eundem numero effectum simul, quanuis hæc impossibilitas ex distincto capite proueniat. Et ratio est. Nam etsi prædicti effectus in *esse* rei, & materialiter sint specie distincti, & ex hac parte videbantur posse simul produci in eadem parte corporis, attamen si considerentur in esse connotatorum rationis formalis, per quam Angelus est in loco, & vt quodammodò cõcurrunt ad vniendum, aut quasi vniendũ Angelum illi loco, non distinguuntur, nisi tantùm numero, vt disputatione sequenti n. 37. trademus: & propterea ibidem dicemus, Angelo successiuè producente in diuersis partibus loci diuersos effectus secũdùm speciem; ac proinde adhuc per actiones specie distinctas, non ideò motũ eius per huiusmodi partes loci non esse continuum: ex eo quòd prędictæ operationes, & effectus, licèt in *esse* rei, & materialiter sint diuersæ speciei, non tamẽ formaliter, quatenus operationes illæ sunt rationes formales essendi in loco, & effectus prędicti, siue passiones illatæ ex prędictis actionibus sic sumptis, considerantur præcisè, & formaliter in ratione cõnotatorum illius. Ergo ex hoc capite repugnabit omninò, quòd plures Angeli producant prædictos effectus simul in eadem parte loci, seu corporis, ergà quod ponuntur operari. Patet cõsequentia. Quia alioqui possent ex hoc capite ponere simul plures effectus, pluresque passiones solo numero diuersa in eadẽ parte corporis: quod tamen (vt constat) apertè implicat, iuxta doctrinam D. Thomæ à nobis in 1. tomo tractatu 1. n. 57. traditam.

Respondetur, quod quando accidentia, vel absolutè, vel secundùm aliquam rationẽ solo numero diuersa dicunt pro subiecto, & de materiali aliquid specie distinctum, quodque se habeat per modum fundamenti, & subiecti *quo* ad recipiendum illa, vt numero diuersa, tunc benè possunt esse in eodem subiecto *quod*, in eademque parte illius: quia tunc prædictum subiectũ, prædictaque pars, licèt materialiter sit eadem, non tamen formaliter, & in *esse* subiecti, ac potentiæ receptiuæ: quia in *esse* huius habet (vt sic dicamus) formalizari, & reddi diuersa per diuersa illa subiecta, & subiecta *quo*. Et propterea dum quis simul mouetur motu alterationis, augmentationis, & secundùm locum, tunc sunt in prædicto mobili tria tẽpora, siue durationes intrinsecæ solo numero diuersæ: quia illa tempora, vt tempora sunt, & durationes prædictorum motuum, non distinguũtur specie, vt communiter docẽt Philosophi: & nihilominùs ex hoc capite nullũ est incõueniens, quòd prædicta tempora solo numero diuersa sint

Eiusdem.

ſa ſint in ſubiecto materialiter eodem, nõ tamen formaliter, & in *eſſe* ſubiecti. Quare, cũ prædictæ paſsiones, & effectus producti à pluribus Angelis in caſu noſtræ concluſionis habeant ſecundùm illam rationem, ſecundùm quam ponuntur ſolo numero diſtingui, importare pro ſubſtracto, & de materiali, ac per modũ ſubiecti *quo* ſe ipſã, vt ſpecie diſtincta in *eſſe* rei: conſequens eſt, quòd nullum ſit inconueniens, recipi ſimul in ea ſumpta in eadem parte corporis: quia recipiuntur in illa, vt in potentia receptiua materialiter, & in *eſſe* rei eanem, non tamen formaliter eadem in ratione ſubiecti, & potentiæ receptiuæ.

Obiectio 2. 189. Neque etiam obeſt, ſi contra ſecũdam partẽ eiuſdẽ aſſertionis obijcias, quòd locus eſt idẽ formaliter ratione vnius & eiuſdem diſtantiæ ad polos mundi, & centrum terræ: at plures illi Angeli operantes ſimul in eadem parte ſubiecti diuerſos ſpecie effectus, eſſent in eodem corpore ſimul ſub eadem diſtantia ad centrum terræ, & polos mundi: ergo erunt ſimul in eodem loco, non ſolùm materialiter, ſed formaliter eodẽ, vel nõ erũt, ſimul in illo, adhuc vt eſt idẽ materialiter tantùm: ſiquidẽ nõ poſſunt eſſe ſic ſimul in illo, niſi ſint ſimul in eodem ſub eadẽ diſtantia.

Cõfirmat. 1 Confirmabis primò. Nam aliud eſt loqui de ratione formali eſſendi in loco, aliud verò de loco ipſo: etſi ratio formalis eſſendi in loco ſit in Angelo ſua virtus operatiua, & operatio virtualiter tranſiens, attamẽ locus tãũ eſt res illa, ſiue corpus, in quod Angelus operatur: ergo licèt in pluribus Angelis operatibus erga idem corpus, eãdẽque partẽ illius, ſint plures rationes formales eſſendi in loco, non tamẽ plura loca formaliter eis correſpõdebunt: ſiquidem correſpondet illis vnum & idẽ corpus, & ſecundùm eãdẽ partẽ, ſub eadẽque diſtãtia, quod ſic ſumptũ dicit rationẽ loci, vt condiſtinctã à ratione formali eſſendi in prædicto loco. Sicut ſi duo corpora penetrarentur per diuinã potẽtiã in eodẽ loco, tunc rationes formales ex parte illorũ ſe tenentes ad eſſendũ in illo loco eſſent diuerſæ, quia vnuſquiſque eſſet in eo ratione ſuæ quantitatis penetratæ, & nihilominùs locus eſſet vnus & idẽ formaliter: quia eſſet idẽ corpus, eadẽque ſuperficies cõtinẽs, & ſub vnica dũtaxat diſtãtia ad cẽtrũ terræ, & polos mũdi.

Confirm. 2. Confirmatur ſecundò. Quoniam ſi idem Angelus ſucceſsiuè produceret plures effectus ſecundùm ſpeciem in eadem parte ſubiecti, tunc diceretur eſſe ſemper in eodem loco formaliter: quia etũ ratio eſſendi in illo variaretur, non tamen res, quæ eſt locus, & diſtantia illius ad polos mundi, & centrum terræ: ergo eadem ratione ſi plures Angeli ſimul operent in prædictos effectus in eadem parte loci, erũt omnes illi in eodem loco formaliter: ſiquidem etiam tunc maneret idem corpus, & eadem illius pars, ac ſub eadẽ diſtãtia.

Confirmatur vltimo. Confirmatur tandem. Nam ſi egreſſo vno Angelo ab hoc corpore, & loco, ab hacque parte illius, ſubrogaretur vice illius alius Angelus producens etiã prædictos effectus, tunc diceretur ſuccedere in locũ alterius formaliter: ergo propter proportionalẽ rationẽ, dũ ſimul vnus Angelus producit vnũ effectũ, & alius aliũ ſpecie diuerſum in eadẽ parte loci, erit vterque ibidẽ, tãquã in vno & eodẽ loco formaliter, & non ſolùm materialiter.

Euodatio principalis obiectionis cum ſua prima confirmatione. *N. Compl.* 190. Reſpondetur enim ex dictis, quòd licèt ad vnitatem vnius loci formaliter talis, qui ſit circunſcriptiuus, ſatis ſit eadẽ formaliter diſtantia, dicens pro materiali, & ſubſtracto eandem ſuperficiem circunſcribentẽ, modo tamen à N. Complutenſibus in lib. Phyſicorum diſput. 19. n. 14. & deinceps explicato, attamen vnitas loci formalis, qui ſit diffinitiuus, in quoque Angelus ſit per ſuam operationem, nõ deſumitur, aut quaſi deſumitur præcisè ex vnitate prædictæ diſtantiæ, ſed potiſsimè ex vnitate quantitatis virtutis Angelicæ determinatæ per ſuam operationem. Et ratio diſcriminis iam tacta eſt ſuprà dubio præced. Quia corpus eſt in loco circunſcriptiuè, quia continetur à loco: & ideò vbi eſt eadem continentia paſsiua, qualiter contingit in duplici corpore penetrato, & exiſtente in eadem parte aeris, eſt ibidem idem locus formaliter reſpectu prædictorum locatorum ſimul in illa parte, ſiue loco exiſtentium, & prædicta corpora dicentur eſſe ſimul in eodẽ loco formali. Angelus verò exiſtens in ſuo loco diffinitiuo per operationem, eſt in illo, quia actiuè continet illum perficiẽdo ipſum, ſiue producendo in eo aliquem effectum: & ideò vbi eſt diſtincta continentia ratione diſtinctæ actionis, diſtinctæque virtutis operatiuæ, ibi erit diſtinctus locus formaliter, etiãſi ſit ibidem eadem diſtantia.

Poteſtque hoc magis explicari ex eo, quòd in præcedenti dubio n. 168. adducebamus, nimirũ, quòd in loco circũſcriptiuo prima forma, vnde ſumitur ratio ordinis locabilis formaliter talis, eſt ipſa ſuperficies, & locus circunſcriptiuus cum ſua diſtantia: è contrà verò prima forma in ordine locabili formaliter talis reſpectu loci diffinitiui, de quo in præſenti, eſt quantitas virtutis Angelicæ determinata per ſuam operationem. Vnde in illo priori loco prædicta ſuperficies modo dicto ſumpta eſt menſura cæterorum prædicti ordinis, & (vt ſic dicamus) formalizans illa: in loco verò diffinitiuo, in quo Angelus eſt per ſuam quantitatem virtutis determinata per ſuam operationem, menſura cæterorum huius ordinis eſt prædicta quantitas virtutis determinata per ſuam operationem: & ideò hæc eſt (vt ſic loquamur) formalizans cætera huius ordinis. Et ideò niſi diſtantia formalize-

tur

tur per hanc rationē formalē, ac proinde per eandem quantitatem virtutis, & actionē modo dicto, non remanebit idem locus formaliter. Et propterea duo Angeli existentes in eodem corpore, eisdemque partibus illius loci ratione distinctarum virtutum operandi, & operationum similiter distinctarum, sunt in illo, vt in eodem loco materialiter, non verò formaliter eodem.

191. Per quod ad primam confirmationē patet. Nam etsi in loco circunscriptiuo non coincidant ratio formalis essendi in loco intrinseca locato, & ipse locus formaliter, seu id, per quod suppositis debitis cōditionibus redditur locus vnus & idem in *esse* loci formaliter sumpti, benè tamen in loco diffinitiuo, in quo Angelus est operando, vt ex rationibus factis cōstat. Vnde, cùm plures Angeli sunt in eodem corpore diuersos effectus secū cùm speciem producendo, tunc licèt quiuis respectu sui determinet sibi locum formalē, non tamen respectu aliorum: & ita non est in eodem loco formaliter cū alijs: quia Angelus est in loco formaliter, suppositis cōditionib⁹ insinuatis, per hoc quòd determinet sibi locū per suā virtutē operatiuā, & operationē: ac proinde ratio formalis existēdi in eodē loco formali est potētia operatiua, & operatio Angeli, prout determināt sibi tālem locum.

Respondetur ad secūdā & vltimā cōfirmationem.

Ad secundam confirmationem patet etiā ex dictis esse disparem rationē. Quoniā vnus & idē Angelus successiuè operans in eodem corpore, est in illo per eandē quantitatē virtutis, & per eandem operationē vnitate successionis, ac proinde per eandem operationē in hoc ordine successiuo totalem, aut quasi totalem, & constantē ex pluribus actionibus in hoc ordine partialibus, aut quasi partialibus: at plures Angeli simul ibidem operātes modo iam dicto, non habent operari per eādem quantitatem virtutis, eandēque operationē totalem: & ita non possunt simul esse in eodem loco formali, sed est ibi diuersitas quantitatum virtutis, & contactuum virtualium ipsarum. Per quod etiam ad vltimā cōfirmationem satis liquet.

§. III. *Assertio III.*

Tertia conclusio.

192. DIcendum est tertiò, quòd loquendo de existentia Angelorum in loco, per hoc, quòd agant in eodem loco, tanquā causæ principales, & eiusdem ordinis, nō quidem totales, sed partiales, poterūt esse citra miraculum plures Angeli simul in eodem loco partialiter: ac proinde tunc nec erunt ibi tanquam in loco simpliciter, sed solùm tanquā in loco secūdū quid, nec adhuc hoc modo erunt in prædicto loco, vt in vno & eodē formaliter, sed solùm materialiter. Assertio hæc quoad primam partem, nēpe, quòd tūc plures Angeli possint esse in eodē loco partialiter, apertè deducitur vnà cū rationē prō illa ex his, quæ ex D. Thoma disputatione præcedenti diximus. Nam Angelus est in loco per suam operationem: sed plures Angeli possunt operari per modum duarum causarū principalium partialium in eodem loco, vt puta, si vnus producat substantiam motus localis, & alius velocitatem aliquā, aut tarditatem ipsius: ergo tunc erunt in eodem loco partialiter: siquidē sunt in illo iuxta modū, secundùm quem operantur in eodem. Maior & consequentia satis liquent. Minor autem etiam constat. Nā cùm vnus Angelus libere præstet suum concursum, fit inde, vt sicut potest motum illum, tam quoad substantiam, quàm quoadmodū solus producere: ita etiā queat attemperare suum concursum taliter, vt solùm exhibeat eam quantitatē cōcursus, quę requiritur ad productionem illius motus secundùm suam substantiam; nō verò quoad modum alicuius maioris velocitatis, vel tarditatis: & per consequens tunc nihil oberit, quominùs alter Angelus præstet quantitatē concursus desideratam ad productionē prædicti modi: & ita quiuis ex illis Angelis solùm operabitur per modum causæ principalis particularis, & tantùm partialis. Vnde hāc assertionem quoad istam partem communiter tuentur discipuli D. Thomæ: & ideò ab eis in particulari referendis abstinemus.

Eius ratio pro priori parte.

Fundamentum posterioris.

193. Secunda autē pars eiusdem assertionis, & ratio illius desumitur etiam ex D. Th. locis relatis, & traditur à Capreolo in 2. dist. 2. q. 1. art. 3. in solutione ad 4. & 5. Scoti cōtra tertiam conclusionem: & credimus, eam rectè explicatam non posse non defendi ab vniuersa schola Thomistica. Probatur ergo, & explicatur simul. Tū, quia locus partialis, vt talis, non est locus simpliciter, sed cum addito, & secūdùm quid: & ideò esse in illo precisè, non est nisi esse in loco cum addito, & secundùm quid. Tum etiā. Nā sicut id, quod præcisè elicit actionem partialem, aut quasi partialem, vt talē, nō elicit actionē, quæ simpliciter, sed cū addito, atque adeò secundùm quid sit dicenda actio, nempe actio partialis: ita quod fuerit in loco, ex eo quòd ergà illū eliciat præcisè hanc actionem partialem virtualiter saltem transeuntem in ipsum, non dicendum est esse in loco simpliciter, sed in loco cum addito, ac proinde secundùm quid, nēpe in loco partiali, & partialiter. Nā quemadmodum debet esse in loco iuxta modum operandi in illo, ex eo quòd operari in prædicto loco, est illi ratio formalis essendi in eodē loco: sic quod fuerit in loco ratione operationis præcisè partialis, quæ solùm cū addito, & per consequens secundùm quid est dicēda actio, debet esse in prædicto loco cū addito, atque adeò secundùm quid, nimirū in loco partiali, & partialiter.

Capreolus

194. Con-

Confirm. 1. 194 Confirmatur, & explicatur magis prędicta ratio ex diſcrimine, quod intercedit inter Angelum, qui cùm poſſet eſſe ſimul in toto ſuo loco adæquato, operariq́ue ſimul in toto illo, v.g. in tota leuca, nihilominùs liberè ſe conſtituit præcisè in dimidia parte illius; & inter eundem Angelum, vt per modum cauſæ principalis, & partialis operatur in eodem loco, vnà cum alio Angelo, proportionali modo operante, ex eo quòd vnus operetur v.g. ſubſtantiam motus localis, & alius velocitatem ipſius iam dictam. Nam etſi Angelus ille operans præcisè in dimidia parte leucæ, non eliciat totam actionẽ adæquatè, quam poteſt elicere: nihilominùs ea, quam tunc elicit, eſt actio ſimpliciter totalis: quia non deſideratur ad ſui conſiſtentiam, & modum eſſendi, quòd eliciatur ſimul ab eodem Angelo, vel ab altero altera actio partialis, ſed poteſt prædicta actio ſe ſola, ideſt, abſque conſortio alterius actionis eiuſdem ordinis, inueniri: & ideò per illam actionem prædictus Angelus ſicut habet operari operatione ſimpliciter; ita eſſe in loco per modum eſſendi in illo ſimpliciter talem.

Cæterùm quando vterque Angelus per modum prædictarum cauſarum partialium concurrit, ita vt vnus producat v.g. ſubſtantiam motus, & alius velocitatem illam, tunc attemperatio, qua ſinguliex illis temperant ſuum concurſum, eſt talis conditionis, vt quiuis illorum non poſsit præbere, niſi concurſum partialem, aut quaſi partialem, ideſt, exigentem ad ſui conſiſtentiam conſortium alterius concurſus itidem partialis præſtiti ab aliqua cauſa eiuſdem ordinis, vel ſupplẽte vicẽ illius: ex eo quòd ſicut prędictus motus nequit dari ſine aliqua velocitate, vel tarditate, ſic concurſus præſtitus ad ſubſtantiam motus præcisè ab aliqua cauſa particulari exigit alium concurſum itidem partialẽ ab alia cauſa particulari, vel ſupplente vicem illius exhibitum. Et propterea ſi prædictæ cauſæ operantes in vno & eodem loco, fuerint in illo ratione huius operationis partialis, ac proinde cum addito talis, nulla ex illis in particulari erit per illam operationem ſimpliciter in loco, ſed ſolùm cum addito, & percõſequens ſecundùm quid, ſcilicet in loco partiali, & partialiter.

Confirm. 2. 195 Confirmatur, & explicatur ſecundò ex alio diſcrimine, quod inter prædicta intercedit, Nam dum Angelus potens exiſtere, & operari ſimul in tota leuca, operatur, & eſt ſolũ in dimidia parte leucæ, tunc ſi permanenti modo vellet ſe conſtituere in altera medietate eiuſdem leucæ, atque adeò ſimul perſiſtere in tota leuca, non eſt neceſſe, vt eliciat aliam actionem partialem, quæ coniuncta cum præcedenti conſtituat vnam actionem totalem, quarum vna (vt ſic dicamus) medietas ſit circa primam medietatem leucæ, & alia circa alteram, ſed illa prior actio euaneſcit, & elicit aliam, per quam ſimul operetur in tota leuca: hoc autem ſatis indicat, priorem illam actionem, licèt non fuerit totalis, & adæquata reſpectu totius loci, eſſe tamen ſimpliciter totalem: alioqui exigeret conſortium alterius actionis, & Angelus poſſet eſſe per multiplicem illam actionem partialem in toto loco: quod quidem cum præſentia indiuiſibili, quam Angelus debet habere, dum eſt permanenter in loco, pugnat.

Cæterùm quando duo Angeli per modum cauſarum partialium ſunt in eodem loco, producendo v.g. effectum iam dictum, exigitur conſiſtentia concurſus ab vtroque Angelo, tanquam à cauſa particulari modo iam dicto: ac proinde per aduentum, & conſortium vnius concurſus non deſtruitur prior, ſed potiùs quodammodò perficitur, quatenus non niſi comitatus cum illo poteſt attingere ſuum effectum: quod quidem ſatis indicat, hos concurſus ſecundùm prædictam quãtitatem, & attemperationem ſumptos eſſe ab intrinſeco partiales, aut quaſi partiales. Et ideò licèt Angelus ille exiſtens in dimidia parte leucæ, cùm tamen poſſet exiſtere in tota illa, habeat modum eſſendi ſimpliciter talem in loco, ſecùs verò duo Angeli exiſtẽtes in eodem loco per modum duarum cauſarum principalium eiuſdem ordinis, non quidem totalium, ſed præcisè partialium.

Tertia autem pars prædictæ aſſertionis, videlicet, Angelos illos, adhuc ſecundũ modum exiſtendi ſecundùm quid in illo eodem loco, non eſſe in illo tamquam in eodem formaliter, ſed ſolùm materialiter, apertè deducitur ex his, quæ ex D. Thom. aſſertione præcedenti num. 185. dicebamus.

196 Nec obeſt, ſi obijcias primò cõtra primam partem aſſertionis, quòd Angelicus Doctor in hoc articulo docet, Angelũ ſolũ eſſe in loco per modum motoris, & continẽtis perfecti reſpectu loci: ergo nequit eſſe in loco partiali, & partialiter: quia ſic eſſe in loco, non eſt eſſe in illo per modum perfecti motoris, & continentis. Et propterea ibidem inquit, duos Angelos non poſſe eſſe in eodem loco operando in illo ad modum, quo plures motores trahunt vnam nauim: quia, vt loquitur S. Doctor, nullus eorum eſt perfectus motor, cùm virtus vniuscuiuſque ſit inſufficiens ad mouendum. Obiectio 1.

Reſpondetur enim, S. Doctorem loqui ibidem de pluribus Angelis, qui eſſent ſimpliciter in loco, & in vno eodem loco; & non qualitercumque, ſed per modum cauſarum totalium & principalium reſpectu eiuſdem effectus: & de his docet, non poſſe eſſe ſimul in eodẽ loco: & de modo ſic exiſtendi in loco Enodatur.

addit, non posse esse per actionem similem illi actioni, per quam plures trahunt nauim, quam quiuis solus nequit trahere: quia modus iste existendi in loco per modum causæ particularis totalis exigit actionem totalem & perfectam eiusdem agentis, per quam sit perfectus motor, & perfectum continens.

Obiect. 2. 197 Neque etiam obest, si secundò contra secundam partem assertionis obijcias cum Iuniori quodam alias doctissimo, quòd operatio partialis sufficit ad constituendum Angelum simpliciter in loco, supposito quòd sit in illo per operationem: ergo prædicti Angeli operantes partialiter in eodē loco erunt simpliciter in illo. Antecedens probatur. Quia cùm prædicta operatio, hoc ipso quòd sit eis ratio essendi in loco, procedat ab illis Angelis immediatè immediatione virtutis, & suppositi, impossibile est, quòd non sint præsentes illi loco, vt immediati eidem loco secundùm totam suam substantiam: hoc autem, & non amplius videtur requiri, ad hoc vt sint in loco simpliciter.

Respond. Respondetur enim, negando antecedens. Et ad probationem, quòd ad hoc, vt Angelus sit in loco simpliciter, non satis est, quòd sua substantia sit præsens loco, vt immediata illi, sed necesse est, quòd ratio illius præsentiæ, & præsentia ipsa sit simpliciter talis, & non solùm cum addito, & secundùm quid in ordine locabili: quia prædicta ratio, & præsentia veluti formalizat totam substantiam Angeli in hoc ordine. Quare, cùm prædicta ratio essendi in loco in casu huius obiectionis, & præsentia ipsa, quæ est idem cum operatione, sit tantùm cum addito, & secundùm quid ratio essendi en loco: fit inde, vt prędicti Angeli licèt secundùm suam substantiam sint immediati loco, nihilominus quia hanc immediationem habent per rationem quamdam secundùm quid talem, ideò non sunt simpliciter in eo euentu, sed tantùm secundùm quid in loco.

Animaduer sio prima. 198 Duo tamen in fine huius assertionis notanda sunt. Primum est, quòd ideò dicimus, has actiones esse partiales, aut quasi partiales: quia non intendimus, quamlibet ex illis actionibus esse in rigore partialem, ac proinde componentem vnam & eandem actionem in rigore totalem, cum vna quæque ex eis subiectetur in suo Angelo, sed habere id, quod conuenit actionibus, quæ fuerint partiales, quales sunt partes actionis successiuæ, & corporeæ, nempe, exigere ad sui consistentiam alteram actionem partialem: propter quam rationem non dicitur actio simpliciter, sed cum addito, sicut nec contactus, qui per illam fit, est contactus, nisi cum addito, scilicet partialis, propter exigentiam consortij alterius contactus eiusdem ordinis. Et sic quoad præsens ex vi illius contactus, quo vnus Angelus tangeret locum, non tangeret illum, nisi alter contingeret eundem locum per contactum eiusdem ordinis, quod est esse in loco, non nisi quodammodò dependenter à loco alterius, atque adeò secundùm quid.

Secundum est, quòd licèt citra miraculum, vt ex nuper dictis constat possit contingere id, quod in hac assertione diximus, est tamen decens, tum naturæ eorundem Angelorum, tum ad hoc, vt non seruetur confusio in operationibus eorum, & modo existendi in loco, quòd in vno & eodem loco tantùm sit vnus Angelus, etiam si locus ille dicatur esse vnus materialiter. Et propterea Angeli boni operantes, secundùm quòd decet eorum naturis, nunquam sunt simul in aliquo loco, nisi fortè ex aliqua rationabili causa: sicut aliqui ex Thomistis (de quo nihil modò) opinantur, quòd multi Angeli animam pauperis Lazari perduxerunt in sinum Abrahæ partialiter: nam licèt vnus tantùm sufficeret ad hoc, plures tamen concurrerunt, vt illi maiorem exhiberent honorem: & similiter quòd propter reuerentiam humanitatis Christi plures etiā Angeli partialiter ministrabant ei. In Dæmonibus autem, propter eorum nequitiam, & confusionem in operando, non videtur incōueniens modum istum concurrendi, & essendi partialiter in loco admittere. Et ita legio quędam Dæmonum Dæmoniacum illum Lucæ 8. & Marci 5. cruciabat, cùm tamen ad id vnus solus sufficeret. Quod etiam cum proportione de modo essèndi plurium Angelorum in eodem loco in præcedenti assertione adducto intelligendum est. Animaduer sio secūda.

Ex quo etiam potest rursus explicari id, quod ex D. Thoma in prima obiectione cōtra hanc assertionem adducebamus, scilicet, Angelum esse in loco per modum continentis perfecti & totalis. Nam hoc intelligi etiā potest de modo existendi Angeli in loco, seruata non solùm connaturalitate illius, sed etiam seruato eo, quod decet dignitatem Angelicam. Nam hanc decet, vt Angelus non se applicet per modum agentis partialis, & indigentis concursu alicuius alterius causæ eiusdem ordinis, ex eo quòd sic se applicuerit. *Lucæ* 8. *Marci* 5.

§. IIII. *Assertio posterior.* Vltima cōclusio.

199 DIcendum est vltimò, si fiat sermò de pluribus Angelis existentibus simul in eodem loco per modum causarum instrumentalium respectu eiusdem effectus, & operantium immediatè immediatione virtutis, & suppositi, tunc plures Angeli possunt, per se loquendo, esse in eodem loco, saltem secundùm modum existendi in illo secundùm quid tali. Sicut etiam loquendo de pluribus Angelis, quorum vnus sit in loco per operationem, & alius per passionem, aut quorum singuli sint ibidē per passionem,

rem, tunc benè poterunt plures Angeli eſſe ſimul in eodem loco materiali, materialiter eodem. Aſſertio hæc quoad omnes ſuas partes deducitur ex his, quæ ex D. Thoma pro præcedẽtibus diximus. Et ita quoad primam poteſt probari ex dictis pro præcedenti. Quia plures Angeli poſſunt aſſumi à Deo, vt inſtrumenta ad producendum in loco materialiter eodem vnum & eundem effectum: at tunc ſi prædicti Angeli operentur immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti, erunt, quantum eſt ex natura rei, in eodem loco, ſaltem ſecundùm modum exiſtendi in illo ſecundùm quid.

Probatur prima pars

Quoad ſecundam verò partem, nimirum, poſſe plures Angelos eſſe in eodem loco materiali, ſi vnus agendo, alius verò patiendo ſit in illo, conſtat etiam ex dictis ex D. Thoma diſputatione præcedenti. Nam dum vnus Angelus ſupernaturaliter alligat aliũ alicui loco, tunc vterque eſt in prædicto loco: ille quidẽ, qui eſt alligatus, ex eo quòd eſt ibi per paſsionem, per quam detinetur, & alligatur à loco; ille verò, qui alligat, quia operatur aliquid in eodem loco, per quod locus in virtute Dei, & Angeli alligantis detinet & alligat Angelum per impreſsionem alicuius qualitatis ſpiritualis, quo illum detinet & alligat, & prohibet, ne operetur, vbi, & quando vult.

Secunda pars.

Tertia pars

Ex quo etiam patet quoad vltimã partem, ſcilicet, plures Angelos paſsiuè exiſtentes in loco poſſe eſſe ſimul in vno & eodem loco materiali: ſiquidem poſſunt plures alligari & detineri virtute diuina ab vno & eodem loco, modo tamen alibi (Deo dante) explicando.

200 Nec refert, ſi contra primam partem aſſertionis obijcias, quòd ſi plures Angeli poſſent ſimul producere inſtrumentaliter eundem numero effectum in eodem loco, tunc redderetur infirma ratio D. Thomæ, qua probauimus, eundem effectum, non poſſe ſimul produci à duabus cauſis totalibus, & eiuſdem ordinis: ergo, &c. Antecedens probatur. Quia iam ille effectus penderet per ſe à quolibet ex ipſis inſtrumentis: ſiquidem à quolibet fit inſtrumentaliter totus effectus. Et non penderet per ſe ab illo: ſiquidem poſſet fieri ab alio vnà cum cauſa principali.

Prior obiectio contra primã partem aſſertionis.

Enodatur.

Reſpondetur, negando antecedens. Nam effectus non pendet per ſe, ſaltem ſimpliciter, à cauſa inſtrumentali, ſed ſolùm ſecundùm quid: non eſt autem inconueniens, quòd effectus dependeat ſecundùm quid ab aliquo, & quòd ſecundùm quid non pendeat ab illo, ſeu quòd per dependentiam ſecundùm quid ſit pendens ab alio, cum aliqua tamen independentia ſecundùm quid. Cæterùm effectus factus à cauſa principali, & particulari pendet per ſe ſimpliciter ab illa. Eſt autem inconueniens, quòd aliquis effectus pendeat, & non pendeat per ſe ſimpliciter ab aliqua cauſa.

201 Nec etiam refert, ſi ſecundò obijcias, quòd operari immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti per modum cauſæ inſtrumentalis, non inducit immediatam præſentiam ſubſtantiæ, & cauſę operantis in rem illam: & propterea Sacerdos conſecrans hoſtiam aliquantulum diſtantem, operatur per actionem, ad quam eleuatur à Deo in prædictã hoſtiã immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti: quia nulla alia virtus mediat, per quam agat, neque adeſt aliud ſuppoſitum, in quo priùs operetur.

Reſpondetur, quòd licèt inſtrumentum, v. g. Angelus, poſsit operari per operationem illam inſtrumentariam, ad quam eleuatur, in rem diſtantem immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti in ſenſu explicato, & nihilominùs non eſſe immediatè præſens illi ſecundùm ſuam ſubſtantiam: hoc tamen ideò eſt, quia ille modus operandi immediatè non eſt talis conditionis, vt tam actu, quàm aptitudine excludat medium: ſiquidem ex vi talis modi operandi poſſet dari tale medium. Stat autem, quòd actio, quę eſt ratio exiſtendi alicubi, debeat eſſe immediata immediatione illa poſteriori, & non tantùm illa priori.

Solutio.

Nec neceſſe erit aliquam oppoſitam ſententiam in præſenti referre: quia omnia argumenta quæ contra aſſertiones noſtras poterant militare, manent ex dictis enodata.

DVBIVM X.

Virùm Angelus poſsit eſſe in eſſentia alterius Angeli, aut etiam in eſſentia animæ rationalis tanquam in loco?

POſtquam dubijs præcedentibus egimus de Angelis in collatione ad loca corporea, reſtat, vt in hoc aliquid dicamus de eiſdem comparatis cum locis, aut quaſi locis ſpiritualibus, nempe vt vnus Angelus comparatur cum alio, aut cum anima noſtra rationali.

(?)

§. *I. Ex mente D. Thomæ difficultas dubij expeditur.*

Deciditur dubiũ vnica conclusione.

202 Dicendum ergo est, vnum Angelum saltem sua naturali virtute non posse esse in essentia alterius Angeli, neque etiam in essentia animæ nostræ, tanquam, in loco, aut quasi loco. Assertio hæc est D. Thomæ Ioannis 13. lectione 4. cuius verba §. sequenti n. 205. adducemus: & in 1. dist. 37. q. 3. art. 3. cuius etiam verba in hoc eodem dubio in solutione ad secundam obiectionem afferentur: estque communis apud Theologos, & Patres, qui ex Augustino lib. de Ecclesiasticis dogmatibus c. 81. docent, solum Deum, non verò Angelum posse illabi in essentiam animæ, aut alterius Angeli. Si autem vnus Angelus posset esse in essentia alterius, aut animæ nostræ virtute sua naturali, posset vtique etiam illabi in essentiã animæ, aut alterius Angeli. Quoniam illabi Angelũ in aliquã rem, nihil aliud videtur importare, nisi quòd sit intra suam essentiam, & substantiam: & hoc ipsum importat Angelum vnum esse in alio, & in essentia, & substantia illius tanquam in loco, nempe esse intra illam, seu intra terminos eius.

D. Thom.

August.

Ratio fundamẽtalis.

203 Ratio autem fundamentalis huius assertionis desumitur ex D. Thoma locis citatis. Vt autem meliùs capiatur, prænotandum est, duos esse, inter alios, terminos rerum creatarum. Alium quidem proprium corporum, nempe superficiem, qua circundantur, quaque terminantur: alium verò proprium substantiarum spiritualium, quatenus dicit negationem vlterioris termini terminantis prædictam substantiam: & hoc nihil aliud est, quàm *esse* existentiæ substantiale ipsius: quanuis terminus iste etiam sit communis rebus corporeis, non excludendo tamen vlteriorem terminum quantitatis, perquem terminantur.

Hinc ergo sequens ratio pro assertione deducitur. Nam vnus Angelus non potest operari intra terminos substantiæ, & essentiæ alterius Angeli, aut animæ rationalis, saltem si suis viribus naturalibus relinquatur: ergo nequibit esse in illis, seu in substãtia, & essentia eorundem, tanquam in loco. Consequentia videtur perspicua. Nam Angelus est in loco æquiuocè & metaphoricè, & secundùm aliqualem similitudinem ad corpora. Quare, sicut vnum corpus nequit esse in alio tanquam in loco, quin sit intra terminos eius, seu ambitum, & terminatum ab illis: ita neque vnus Angelus poterit esse in altero secundùm suam essentiam & substantiam, nisi operetur intra terminos eius: quia ratione operationis debet esse in loco, sicut corpus ratione suæ quantitatis: & ideò debet operari intra terminos loci, sicut corpus ratione quantitatis debet esse intra terminos corporis habentis rationem loci respectu illius.

Antecedens autem probatur. Nam si Angelus operaretur intra terminos essentiæ alterius Angeli v. g. deberet operari ibi aliquid, quod esset intra terminos prædictæ essentiæ: id autem, quod est intra terminos essentiæ Angelicæ, nempe existentiam, tantum est essentia Angelica, aut aliquid (modo suo loco explicando) per se pertinens ad illam, quale est Angeli subsistentia: ergo cùm vnus Angelus nequeat esse causa essentiæ Angelicæ, aut subsistentiæ illius, quia hæ fiunt per creationem à Deo, & solùm agnoscunt Deum vt auctorem: inde est, vt vn⁹ Angelus nequeat operari intra terminos alterius Angeli, aut animę rationalis propter eandem rationem.

Confirm. 1

204 Confirmatur primò ratione eiusdem S. Doctoris. Quoniam id, quod operatur Angelus in corpore, dum est in illo tanquam in loco, debet esse terminatum terminis corporis habentis rationem loci: alioqui non operaretur intra terminos loci, neque esset ibidem vt in loco: ergo etiam id, quod operaretur Angelus intra terminos aliorum Angelorum, aut etiam animæ nostræ, deberet esse terminatum terminis prædictæ essentiæ, scilicet existentia substantiali eorũdem Angelorum, vel animæ nostræ: at hoc repugnat: quandoquidem existentia non terminat, nisi reddendo existens id, quod terminat, & sola substantia subsistens Angelica potest reddi existens per suam existentiam: non secùs ac termini corporis habentis rationem loci non aliter terminant, quàm finiendo virtutem locabilem: & ideò nequeunt terminare rem locabilem finitam, nisi aliquo modo finiant illam, & sint id, quod quodammodo limitat, siue partialiter, siue totaliter prædictam virtutem locabilem.

Confirm. 2

Confirmatur, & explicatur tandem. Quia eadem ratione formali Angelus debet esse tanquam in loco in loco corporeo, ac in spirituali: sed in illo nequit esse, nisi operando immediatè intra proprios terminos illius: ergo neque in isto, nisi operetur intra proprios terminos eiusdem: ergo cùm nequeat intra illos operari, vt ostensum est, nequibit ibidem esse tanquam in loco, aut quasi loco spirituali.

Ex quo etiam fit, vnum Angelum neque etiam posse esse in essentia (vt sic dicamus) intellectus, aut voluntatis alterius Angeli, aut animæ rationalis. Tum, quia (vt ex dictis in principio huius dubij constat) illaberetur intrinsecè in intellectum, aut voluntatem eorum, cuius oppositum deducitur ex communi consensu Patrum, & Theologorum, soli Deo hunc illapsum tribuentium. Tum etiam. Quia rationes

factæ æquè probant de eſſentia ſubſtantiali Angeli, ac de eſſentia accidentali intellectus, & voluntatis, vt intuenti patebit.

D. Thom. Quæ omnia complexus eſt D. Thomas, tum in locis pro aſſertione adductis, tùm etiam in 2. diſtin. 8. quæſt. vnica artic. 5. in corpore, et ad 3. vbi hic art. *Dicendum, quòd eſſe intra aliquid, eſt eſſe intra terminos eius. Corpus enim habet terminos duplicis rationis, ſcilicet quantitatis, & eſſentiæ: & ideò Angelus operans intra terminos corporalis quantitatis, corpori illabitur; non autem ita, quòd ſit intra terminos eſſentiæ ſuæ, nec ſicut pars, nec ſicut virtus dans eſſe: quia eſſe eſt per creationem à Deo. Subſtantia autem ſpiritualis non habet terminos quantitatis, ſed tantùm eſſentiæ: & in ipſa non intrat, niſi ille, qui dat eſſe, ſcilicet Deus creator, qui habet intrinſecam eſſentiæ operationem.*

§. II. *Obiectiones contra aſſertionem, & enodationes illarum.*

Obiectio prima contra aſſertionem.

205 NEC refert, ſi contra aſſertionem hanc obijcias primò, quòd ſecundùm Scripturam poteſt Angelus ſuis viribus relictus eſſe in anima rationali vt in loco: ergo etiam in alio Angelo. Conſequentia videtur perſpicua. Antecedens autem probatur ex illo Ioannis 13. *Ioann. 13* vbi dicitur, quòd *poſt buccellam introiuit in eum* (ideſt in Iudam) *Sathanas*. Sed non introiuit in corpus: ſiquidem non torquebat illud: ergo introiuit in animam: & conſequenter Angelus, vel Dæmon virtute naturali poterunt eſſe in anima tanquam in loco.

Diluitur. Reſpondetur, quod Sathanam in Iudam itroiſſe dicitur, non quia ſubſtantialiter eſſet in anima, ſed per effectum, & affectum malitiæ, in quantum ſcilicet Iudas à Dæmone ſeductus, ſecutus eſt eius inſtinctum. Quam ſolutionem tradit D. Thomas *D. Thom.* ſuper eundem locum lectione 4. his verbis: *Sed quæritur in præſenti, quo modo Sathanas in hominem intrat? Ad quod dicendum, quod Sathanam intrare in hominem, poteſt intelligi dupliciter. Quia intrare poteſt in corpus hominis, ſicut patet in his qui corporaliter à Dæmonio vexantur: & ſic poteſt diabolus eſſentialiter in hominem intrare. Vel poteſt intelligi intrare in mentem, ita quòd menti Dæmon eſſentialiter illabatur: & ſic nullus poteſt intrare in hominem, niſi ſolus Deus. Anima enim rationalis non habet dimenſiones quantitatis, vt aliquid in ea eſſe dicatur, quaſi infra eius dimenſionem contentum ſit. Nihil autem poteſt in ea eſſe, niſi quod eſt ibi per virtutem ſuam: vbi autem eſt virtus Dei, ibi eſt eſſentia Dei, in Deo enim idem eſt eſſentia, & virtus. Manifeſtum eſt ergo, quòd Deus eſſentialiter eſt in anima: dicitur tamen Diabolus illabi mentи humanæ per effectum, & affectum malitiæ, in quantum ſcilicet homo ab eo ſeductus ſequitur eum ad perpetrandum malum.*

Replica. 206 Neque obeſt, quod paulò antè dictum fuerat: *Cùm diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet, &c* Hic autem dicitur, quòd introiuit in eum Sathanas: & ſic videtur fieri diſcrimen inter *mittere* & *intrare*: hoc autem diſcrimen ſaluari non poſſet, ſi per *intrare* non intelligeretur, intrare ſubſtantialiter: ergo, &c.

Solutio. Non itaque hoc obeſt. Quoniam verbum *introiuit*, non hic ponitur ad ſignificandam differentiam, ſed ad inſinuandum incrementum malitiæ: & ſic per hoc, quòd diabolus immiſiſſet in cor Iudæ, ſignificatur, quòd Iudas cum quadam tepiditate ei præbuit aſſenſum. Per hoc autem, quòd introuit in eum Sathanas, denotatur, quòd totaliter, & ſine reſiſtentia aliqua Iudas ſe tradidit ad ſequendam Diaboli volùtatem. Quod etiam optimè explicuit idem Angelicus Doctor *Ang. Doctor.* lectione 4. nuper citata in hęc verba: *Sed cùm ſuprà dixerit: Cùm Diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet, &c. Hic autem dicit, introinit in eum Sathanas, videtur aliud eſſe mittere, & intrare. Sed ad hoc dicendum, quòd hoc nõ eſt dictũ ad ſignificãdũ differentiã, ſed ad inſinuãdũ augmentũ malitiæ: tunc enim dicitur diabolus immittere aliquod malum in cor hominis, cùm homo præbet ei aſſenſum ad malum cum quadam trepidatione, an hoc facere debeat: ſed tunc intrat in cor, quando homo totaliter dat ſe ad ſequendum eius inſtinctum, & in nullo ei reſiſtit. Intrauit ergo in eum Sathanas, vt plenius poſſideret, & ad perpetrandum malitiam duceret, in quem prius miſerat, vt deciperet.*

Secũda obiectio. 207 Et ſimiliter nihil obſtat, ſi ſecundò principaliter obijcias, quòd Angelus poteſt immediatè operari naturaliter in alio Angelo, vel in anima noſtra: ergo poteſt naturaliter eſſe in illis, tanquam in loco. Conſequentia patet. Nam ibi eſt Angelus tanquam in loco, vbi immediatè operatur. Antecedens autem probatur. Nam Angelus illuminat intellectum alterius Angeli inferioris, & etiam noſtrum: hęc autem illuminatio non poteſt fieri, ſine reali, & immediata operatione circa ſubſtantiam: ergo, &c.

Confirmatur. Confirmatur ex D. Auguſtino relato à *D. Aug.* D. Thoma loco ſtatim referendo lib. 1. de Ciuitate Dei c. 16. vbi inquit, quòd Angeli ope- *D. Thom.* rantur in intelligentias noſtras miris quibuſdam modis: & ex D. Thoma in 2. diſtin. 8. quæſt. 1. artic. 5. in ſolutione ad 6. & 7. vbi expreſsè affirmat, quòd Angeli boni etiam directè in intellectum imprimere poſſunt.

Responsio ad obiectionem.

Respondetur, negando antecedens. Et ad eius probationem neganda etiam est minor. Nam Angelus, ad hoc vt illuminet, non est necesse, quòd immediatè operetur intra essentiam alterius Angeli, vel animæ nostræ, vt infrà q. 106. ex professo ostendemus, & est expressa doctrina D. Thomæ pluribus in locis præsertim in 1. dist. 37. q. 3. art. 3. in solutione ad 4. vbi sic inquit: *Ad quartum dicēdum, quòd sicut communiter dicitur, Angelus illuminans non operatur intra essentiam Angeli: quia nō est causa esse eius, & lumen receptum in esse eius non recipitur: & ideò dicitur quasi exteriùs operari per modum suggerentis. Et similiter, quamuis effectus Angeli non recipiatur intra esse corporis, cuius non est causa, recipitur tamen intra dimensiones eius, ratione cuius Angelus intrinsecus corpori dici potest, non autem animæ, neque Angelo, &c.*

Ex quo etiam fit, quòd licèt gratis concederemus antecedens huius obiectionis (de quo alibi) non tamen ideò diceretur, Angelum esse in essentia animæ nostræ, aut alterius Angeli, vt in loco quodammodò ipsius, si tamen non operaretur intra prædictos terminos illius: quia non qualiscumque immediata operatio, sed immediata operatio intra terminos rei, in qua fit operatio, est Angelo ratio (modo tamen alibi dicto) ad essendum in alio, seu in alterius substantia tanquam in loco. At Angelus producens aliquid in alijs Angelis, vt puta præcisè aliquod accidens, non produceret illud immediatè intra terminos eorundem Angelorum terminantes suam essentiam, vt in ratione pro assertione n. 203. dicebamus: & ideò ratione prædicti effectus, & operationis immediatæ cum præcisione sumptæ nequiret esse in essentijs eorum, vt quodammodò in loco. Vnde illud, quod produceret Angelus tunc, non esset aliquid intra terminos essentiæ, licèt esset inhærens, sed aliquid, quod esset (vt sic dicamus) quasi prædictos terminos circunstans, & vt quid receptum quasi exterius, & supra terminos essentiæ, non verò infrà, seu intra, & post illos.

Diximus, *ratione prædicti effectus, & operationis immediatæ cum præcisione sumptæ.* Quia etsi ratione horum præcisè non operaretur intra terminos essentiæ iam dictos, nec esset in essentia animæ, attamen ex consequenti esset in illa, vel saltem posset esse in ea: quoniam dato illo priori, daretur, aut posset dari hoc posterius, vt quæst. 106. dubio 3. dicemus.

Ad confirmationem.

Ad cōfirmationē dicendum est, D. Augustinum, & S. Thomam non loqui de operatione immediata Angeli in intellectum nostrum virtute naturali, sed, vel de operatione facta virtute diuina, vel de operatione immediata circa phantasiam, & mediata circa intellectum. Sed hęc solutio commodiùs explicabitur infrà loco citato, vbi simul exponemus alia loca D. Thomę, quæ non paruam præ se ferunt difficultatem.

Tertia obiectio.

208 Nec deinde obest, si tertiò obijcias, quòd Angelus mouet localiter animam separatam: ergo est in illa tanquam in loco. Patet consequentia. Nam Angelus est, tanquam in loco, in re, quam mouet localiter: si enim mouet lapidem, est in illo vt in loco. Et antecedens probatur ex illo Lucæ 16. vbi dicitur, quòd Angeli portauerunt animam pauperis Lazari in sinum Abrahæ: ergo &c.

Lucæ 16.

Respondetur.

Respondetur, negando antecedens, si de Angelo operante per virtutem solùm naturalem sermo fiat. Et ad probationem satis patet ex his, quæ adduximus suprà nu. 203. ex Nazario in præsenti q. 52. art. 1. controuersia vnica, quid dicendum sit, scilicet, quòd animæ beatæ dicuntur ab Angelis deferri, nō quia reuerà Angeli contingant illas, sed ex eo quòd eis Angeli assistunt, & in illo quasi transitu muniunt contra Dæmones, & illis præsto sunt.

Vltima obiectio.

209. Nec tandem obstat, si 4. obijcias, quòd D. Thom. 4. contra Gentes cap. 90. & quodlibeto 2. art. 13. affirmat, Dæmones per Necromantiam potestate superiorum Dæmonum alligari aliquibus anulis, vel imaginibus: sed hoc non potest fieri, nisi superior aliquid in inferiori Dęmone naturali virtute operetur, quod sufficit ad hoc, vt in illo sit tāquam in loco, vt satis constat ex dictis: ergo iam vnus Angelus naturali virtute potest esse in alio Angelo tanquam in loco.

Diluitur.

Respondetur, concessa maiori, negando minorem. Non enim ad illam alligationem necesse est, quòd Dæmon superior in inferiori aliquid operetur. Quod (omissis alijs varijs dicendi modis) explicatur dicendo, hāc alligationem fieri per imperium moraliter efficax, ob naturalem subordinationem Dæmonis inferioris ad superiorem, addita volūtatis iniquæ conspiratione in hominum pernicie procuranda, quam Dæmones superiores per inferiorum alligationem intendunt, & non semel consequuntur.

Nec necesse erit aliquam sententiam oppositam nostrę assertioni afferre: quia fundamenta illius satis ex dictis corruunt.

QVAESTIO LIII. DE MOTV locali Angelorum in tres Articulos diuisa.

PROOEMIVM.

COnsequenter considerãdum est de motu locali Angelorum Et circa hoc quæruntur tria. Primo, vtrum Angelus possit moueri localiter. Secundo, vtrum moueatur de loco ad locum, pertranseundo medium. Tertio, vtrum motus Angeli sit in tempore, vel in instanti.

ARTICVLVS I.

Virùm Angelus possit moueri localiter?

1. Dist. 17. q 4. ar. 1. Et opusc 15. c 18. & Mat. 28. c. 3.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd Angelus non possit moueri localiter. Vt enim probat Philosophus in 6. Physicorum, † nullum impartibile mouetur: quia dum aliquid est in termino à quo, non mouetur: neque etiam dum est in termino ad quem, sed tunc mutatum est. Vnde relinquitur, quòd omne, quod mouetur, dum mouetur, partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem. Sed Angelus est impartibilis. Ergo Angelus non potest moueri localiter.

† Textu 32 & à tex. 6. vsq; ad 50.

¶ 2 Præterea. Motus est actus imperfecti, vt dicitur in 3. Physic. * Sed Angelus beatus non est imperfectus. Ergo Angelus beatus non mouetur localiter.

* Lib. 3. Physic tex. comm. 2.

¶ 3 Præterea. Motus non est, nisi propter indigentiam. Sed sanctorum Angelorum nulla est indigentia. Ergo sancti Angeli localiter non mouentur.

SED contra. Eiusdem rationis est, Angelum beatum moueri, & animam beatam moueri. Sed necesse est dicere, animam beatã localiter moueri: cùm sit articulus fidei, quòd Christus secundũ animam descendit ad inferos. Ergo Angelus beatus mouetur localiter.

RESPONDEO dicendũ, quòd Angelus beatus potest moueri localiter. Sed sicut esse in loco æquiuocè conuenit corpori, & Angelo, ita etiam & moueri secundùm locum. Corpus enim est in loco, in quantum continetur sub loco, & commensuratur loco. Vnde oportet, quod etiam motus corporis secundùm locum commensuretur loco, & sit secundùm exigentiam eius. Et inde est, quòd

quòd ſecundùm continuitatem magnitudinis eſt continuitas motus: & ſecundū prius, & poſterius in magnitudine eſt prius, & poſterius in motu locali corporis, vt dicitur in 4. Phyſicorum *. Sed Angelus non eſt in loco, vt cōmenſuratus, & contentus; ſed magis vt continens. Vnde motus Angeli in loco, non oportet, quòd commēſuretur loco, nec quòd ſit ſecundū exigentiam eius, vt habeat continuitatem ex loco; ſed eſt motus non continuus. Quia enim Angelus non eſt in loco, niſi ſecundum cōtactum virtutis, vt dictum eſt †: neceſſe eſt, quòd motus Angeli in loco nihil aliud ſit, quam diuerſi cōtactus diuerſorum locorum ſucceſsiuè, & nō ſimul: quia Angelus non poteſt ſimul eſſe in pluribus locis, vt ſupra dictum eſt ‡. Huiuſmodi autem contactus, non eſt neceſſarium, eſſe continuos. Poteſt tamen in huiuſmodi contactibus continuitas quædā inueniri: quia, vt dictum eſt *. nihil prohibet Angelo aſsignare locum diuiſibilē per contactum ſuæ virtutis: ſicut corpori aſsignatur locus diuiſibilis per contactum ſuæ magnitudinis. Vnde, ſicut corpus ſucceſsiuè, & non ſimul dimittit locum, in quo priùs erat, & ex hoc cauſatur continuitas in motu locali eius: ita etiam Angelus poteſt dimittere ſucceſsiuè locum diuiſibilem, in quo priùs erat: & ſic motus eius erit continuus. Et poteſt etiā totum locum ſimul dimittere, & toti alteri loco ſimul ſe applicare: & ſic motus eius non erit continuus.

Lib. 4. Phyſic. 99. t. 2.

Quæſt. præc. art. 1.

Q. præced. art. 2.

Q. præced. art. 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd illa ratio dupliciter deficit in propoſito. Primò quidem: quia demonſtratio Ariſtotelis procedit de indiuiſibili ſecundùm quātitatem, cui reſpondet locus de neceſsitate indiuiſibilis: quod non poteſt dici de Angelo. Secundò, quia demōſtratio Ariſtotelis procedit de motu continuo. Si enim motus non eſſet continuus, poſſet dici, quod aliquid mouetur, dum eſt in termino a quo, & dum eſt in termino ad quem: quia ipſa ſucceſsio diuerſorum vbi circa eādem rem motus diceretur. Vnde in quolibet illorum vbi res eſſet illa, poſſet dici moueri. Sed continuitas motus hoc impedit: quia nullum cōtinuum eſt in termino ſuo, vt patet: quia linea non eſt in puncto. Et ideò oportet, quòd illud, quod mouetur, totaliter non ſit in altero terminorū, dū mouetur; ſed partim in vno, & partim in altero. Secundùm ergo quòd motus Angeli non eſt continuus, demonſtratio Ariſtotelis nō procedit in propoſito: ſed ſecundùm quòd motus Angeli ponitur cōtinuus, ſic concedi poteſt, quòd Angelus, dum mouetur, partim eſt in termino a quo, & partim in termino ad quem; vt tamen partialitas non referatur ad ſubſtantiam Angeli, ſed ad locum: quia in principio ſui motus continui Angelus eſt in toto loco diuiſibili, a quo incipit moueri. Sed dum eſt in ipſo moueri, eſt in parte primi loci, quem deſerit, & in parte ſecundi loci, quem occupat. Et hoc quidem, quod poſsit occupare partem duorum locorū, competit Angelo ex hoc, quòd poteſt occupare locum diuiſibilem per applicationem ſuæ virtutis, ſicut

corpus

corpus per applicationem magnitudinis. Vnde ſequitur de corpore mobili ſecundùm locum, quòd ſit diuiſibile ſecundùm magnitudinem; de Angelo autem, quòd virtus eius poſsit applicari alicui diuiſibili.

Ad ſecundum dicẽdum, quòd motus exiſtentis in potẽtia eſt actus imperfecti. Sed motus, qui eſt ſecundùm applicationem virtutis, eſt exiſtentis in actu: quia virtus rei eſt ſecundùm quòd actu eſt.

Ad tertium dicendum, quod motus exiſtentis in potentia eſt propter indigentiam ſuam: ſed motus exiſtentis in actu non eſt propter indigentiam ſuam; ſed propter indigentiam alterius. Et hoc modo Angelus propter indigentiam noſtram localiter mouetur, ſecundùm illud Heb. 1. Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſsi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.

Prima concluſio.

Angelus poteſt moueri localiter, æquinocè tamen cum corpore.

Secunda concluſio.

Motus Angeli nihil aliud eſt, quàm diuerſi contactus diuerſorum locorum ſucceſsiuè, & non ſimul.

Tertia concluſio.

Motus Angeli poteſt eſſe aliquando continuus, & aliquando non continuus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Angelus tranſeat per medium?

AD ſecundum ſic procedi tur. Videtur, quod Angelus non tranſeat per medium. Omne enim, quod pertranſit medium, prius pertranſit locum ſibi æqualem, quàm maiorem. Locus autem æqualis Angeli, qui eſt indiuiſibilis, eſt locus punctualis. Si ergo Angelus in ſuo motu pertranſit medium, oportet, quòd numeret pũcta infinita ſuo motu: quod eſt impoſsibile. 1. Dist. 37. q. 4. ar. 2. & quol. 1. q. 3. ar. 2. Et vir. q. 1. art. 13. ad 14.

¶ 2 Pretereà Angelus eſt ſimplicioris ſubſtantiæ, quàm anima noſtra. Sed anima noſtra ſua cogitatione poteſt tranſire de vno extremo in aliud, non pertranſeundo medium: poſſum enim cogitare Galliam, & poſteà Syriam, nihil cogitando de Italia, quæ eſt in medio. Ergo multò magis Angelus poteſt de vno extremo tranſire ad aliud, non per medium.

SED contra. Si Angelus mouetur de vno loco ad alium, quando eſt in termino ad quem, non mouetur, ſed mutatus eſt. Sed ante omne mutatum eſſe præcedit mutari. Ergo alicubi exiſtens mouebatur. Sed nõ mouebatur, dum erat in termino a quo. Mouebatur ergo, dum erat in medio. Et ita oportet, quod pertranſeat medium.

RESPONDEO dicẽdum, quod

Art. præc. quòd ſicut ſuprà dictum eſt *, motus localis Angeli poteſt eſſe continuus, & non continuus. Si ergo ſit continuus, non poteſt Angelus moueri de vno extremo in alterũ, quin tranſeat per medium: quia, † vt dicitur in 6. Phyſic. † medium eſt, in quod priùs venit, quod continuè mutatur, quàm in quod mutatur vltimum. Ordo enim prioris, & poſterioris in motu continuo eſt ſecundùm ordinem prioris, & poſterioris in magnitudine, vt dicitur in 4. Phyſic. *. Si autem motus Angeli non ſit continuus, poſsibile eſt quòd pertranſeat de aliquo extremo in aliud, non per tranſito medio. Quod ſic patet. Inter quælibet enim duo extrema loca ſunt infinita loca media, ſiue accipiantur loca diuiſibilia, ſiue indiuiſibilia. Et de indiuiſibilibus manifeſtum eſt: quia inter quælibet duo puncta, ſunt infinita puncta media: cùm nulla duo puncta conſequantur ſe inuicem ſine medio, vt in 6. Phyſic. * probatur. De locis autem diuiſibilibus neceſſe eſt hoc dicere. Et hoc demonſtratur ex motu continuo alicuius corporis. Corpus enim non mouetur de loco ad locum, niſi in tẽpore. In toto autem tempore mẽſurante motum corporis, non eſt accipere duo nunc, in quibus corpus, quod mouetur, nõ ſit in alio, & alio loco. Quia ſi in vno & eodem loco eſſet in duobus nunc, ſequeretur, quòd ibi quieſceret: cũ nihil aliud ſit quieſcere, quàm in loco eodem eſſe nunc, & priùs. Cùm igitur inter primum nunc, vt vltimum temporis menſurãtis motum ſint infinita nũc, oportet, quòd inter primum locum, a quo incipit moueri, & vltimum locũ, ad quem terminatur motus, ſint infinita loca: & hoc ſic etiam ſenſibiliter apparet. Sit enim vnum corpus vnius palmi, & ſit via per quam trãſit, duorum palmorum: manifeſtũ eſt, quòd locus primus, a quo incipit motus, eſt vnius palmi; & locus, ad quem terminatur motus, eſt alterius palmi. Manifeſtum eſt autem, quòd quando incipit moueri, paulatim deſerit primum palmum, & ſubintrat ſecundum. Secundùm ergo quòd diuiditur magnitudo palmi, ſecundùm hoc multiplicantur loca media: quia quodlibet punctum ſignatum in magnitudine primi palmi eſt principium vnius loci, & punctum ſignatum in magnitudine alterius palmi eſt terminus eiuſdem. Vnde cùm magnitudo ſit diuiſibilis in infinitum, & puncta ſint etiam infinita in potẽtia in qualibet magnitudine: ſequitur, quòd inter quælibet duo loca ſint infinita loca media. Mobile autem infinitatẽ mediorum locorum non conſumit, niſi per continuitatem motus: quia ſicut loca media ſunt infinita in potentia, ita & in motu continuo eſt accipere infinita quædam in potentia. Si ergo motus non ſit continuus, omnes partes motus erunt numeratæ in actu. Si ergo mobile quodcumque moueatur motu non continuo, ſequitur, quòd vel non tranſeat omnia media, vel quòd actu numeret media infinita: quod eſt impoſsibile. Sic igitur ſecundùm quòd motus Angeli non eſt continuus, non pertranſit omnia media. Hoc autem, ſcilicet moueri de extremo in extremum

† Ph. 5. t. 22. & lib. 6. text. 77.

Lib. 4. Phy. tex. 99. t. 4.

L. 6. Phyſ. á princ. lib. per 10. tex. tom. 2.

mum,& non per medium, poteſt cõuenire Angelo,ſed nõ corpori: quia corpus menſuratur, & continetur ſub loco: vnde oportet, quòd ſequatur leges loci in ſuo motu.Sed ſubſtantia Angeli non eſt ſubdita loco vt contenta; ſed eſt ſuperior eo vt continens: vnde in poteſtate eius eſt applicare ſe loco, prout vult, vel per medium,vel ſine medio.

Ad primum ergo dicendum, quòd locus Angeli non accipitur ei æqualis ſecundùm magnitudinem, ſed ſecundùm contactum virtutis. Et ſic locus Angeli poteſt eſſe diuiſibilis, & non ſemper punctualis. Sed tamen loca media etiam diuiſibilia ſunt infinita,vt dictum eſt. + Sed conſumuntur per continuitatem motus, vt patet ex prædictis.

In corpore articuli.

Ad ſecundum dicẽdum, quòd Angelus dum mouetur localiter, applicatur eius eſſentia diuerſis locis:animæ autem eſſentia non applicatur rebus, quas cogitat; ſed potiùs res cogitatæ ſunt in ipſa:& ideo non eſt ſimile.

Ad tertium dicendum, quod in motu continuo, mutatum eſſe non eſt pars moueri, ſed terminus. Vnde oportet, quod moueri ſit ante mutatum eſſe:&ideo oportet, quod talis motus ſit per medium. Sed in motu non continuo, mutatum eſſe eſt pars, ſicut vnitas eſt pars numeri:vnde ſucceſſio diuerſorum locorum, etiam ſine medio, conſtituit talem motum.

Prima concluſio.

Quando Angelus mouetur motu continuo, neceſſariò tranſit per medium.

Secunda concluſio.

Quando mouetur motu diſcreto, non poteſt tranſire omnia media, ſed poteſt tranſire ab extremo ad extremum ſine tranſitu per medium.

ARTICVLVS III.

Vtrùm motus Angeli ſit in inſtanti?

AD tertium ſic procedi tur. Videtur, quòd motus Angeli ſit in inſtanti. Quanto enim virtus motoris fuerit fortior, & mobile minùs reſiſtens motori, tanto motus eſt velocior. Sed virtus Angeli mouẽtis ſe ipſum, improportionabiliter excedit virtutem mouentem aliquod corpus: proportio autem velocitatum eſt ſecundùm minorationem temporis. Omne autem tempus, omni tempori proportionabile eſt. Si igitur aliquod corpus mouetur in tempore, Angelus mouetur in inſtanti.

1. Diſt. 37. q. 4. art. 3 & 4. diſt. 44 q. 2. art. 3. q. 3. & quol. 1 q. 3. art. 2. & quol. 9. q. 4. ar. 3 & quol 11. art. 4.

¶ 2 Præterea. Motus Angeli ſimplicior eſt, quàm aliqua mutatio corporalis. Sed aliqua mutatio eſt in inſtanti, vt illuminatio: tum quia non illuminatur aliquid ſucceſſiuè, ſicut caleſit ſucceſſiuè: tum quia radius non priùs pertingit ad propinquum, quàm ad remotum. Ergo multo magis motus Angeli eſt in inſtanti.

¶ 3 Præterea. Si Angelus mouetur in tempore de loco ad locum, manifeſtum eſt, quod in vltimo inſtanti illius temporis eſt in termino ad quem: in toto autem

tem

tem tempore præcedenti, aut eſt in loco immediatè præcedenti, qui accipitur vt terminus a quo, aut partim in vno, & partim in alio. Si autem partim in vno, & partim in alio, ſequitur, quòd ſit partibilis: quod eſt impoſsibile. Ergo in toto tempore præcedenti eſt in termino a quo. Ergo quieſcit ibi: cũ quieſcere ſit in eodem eſſe nunc, & priùs, vt dictum eſt. † Et ſic ſequitur, quòd non moueatur, niſi in vltimo inſtanti temporis.

Art. præcedẽs.

SED contra. In omni mutatione eſt prius: & poſterius. Sed prius, & poſterius motus numeratur ſecundùm tempus. Ergo omnis motus eſt in tempore, etiam motus Angeli, cũ in eo ſit prius, & poſterius.

RESPONDEO dicendũ, quòd quidam dixerunt, motum localem Angeli eſſe in inſtanti. Dicebant enim, quòd cùm Angelus mouetur de vno loco ad alium, in toto tempore præcedenti Angelus eſt in termino a quo; in vltimo autem inſtanti illius temporis eſt in termino ad quem. Neque oportet eſſe aliquod medium inter duos terminos: ſicut non eſt aliquod medium inter tempus, & terminum temporis. Inter duo autem nunc temporis eſt tempus medium. Vnde dicunt, quod non eſt dare vltimũ nunc, in quo fuit in termino a quo: ſicut in illuminatione, & in generatione ſubſtãtiali ignis non eſt dare vltimum inſtãs, in quo aer fuit tenebroſus, vel in quo materia fuit ſub priuatione formæ ignis; ſed eſt dare vltimum tempus, ita quod in vltimo illius temporis eſt, vel lumen in aere, vel forma ignis in materia: & ſic illuminatio, & generatio ſubſtantialis dicuntur motus inſtantanei. Sed hoc non habet locum in propoſito. Quod ſic oſtenditur. De ratione enim quietis eſt, quod quieſcens non aliter ſe habeat nunc, & prius: & ideo in quolibet nunc temporis menſurantis quietem, quieſcens eſt in eodem, & in primo, & in medio, & in vltimo. Sed de ratione motus eſt, quod id, quod mouetur, aliter ſe habeat nũc, & prius: & ideo in quolibet nunc temporis menſurantis motum mobile ſe habet in alia, & alia diſpoſitione. Vnde oportet, quod in vltimo nunc habeat formam, quam priùs non habebat. Et ſic patet, quod quieſcere in toto tempore in aliquo, puta in albedine, eſt eſſe in illo in quolibet inſtanti illius temporis. Vnde non eſt poſsibile, vt aliquid in toto tempore præcedenti quieſcat in vno termino; & poſtea in vltimo inſtanti illius temporis ſit in alio termino: ſed hoc eſt poſsibile in motu: quia moueri in toto aliquo tempore non eſt eſſe in eadem diſpoſitione, in quolibet inſtanti illius temporis. Igitur omnes huiuſmodi mutationes inſtantaneæ ſunt termini motus continui: ſicut generatio eſt terminus alterationis materiæ, & illuminatio terminus motus localis corporis illuminantis. Motus autem localis Angeli non eſt terminus alicuius alterius motus cõtinui; ſed eſt per ſe ipſum â nullo alio motu dependens. Vnde impoſsibile eſt dicere, quòd in toto tempore ſit in aliquo loco, & in vltimo nunc ſit in alio loco; ſed oportet aſsignare

nare tunc, in quo vltimo fuit in loco præcedenti. Vbi autē ſunt multa nunc ſibi ſuccedentia, ibi de neceſsitate eſt tempus: cùm tempus nihil aliud ſit, quàm numeratio prioris, & poſterioris in motu. Vnde relinquitur, quòd motus Angeli ſit in tempore: in continuo quidem tempore, ſi ſit motus eius continuus; in non continuo autē, ſi motus ſit non continuus: vtroque enim modo cōtingit eſſe motum Angeli, vt dictum eſt. * Continuitas enim temporis eſt ex cōtinuitate motus, vt dicitur in 4. Phyſic. * . Sed iſtud tempus, ſiue ſit tempus continuum, ſiue non, non eſt idem cum tempore, quod mēſurat motum cœli, & quo menſurantur omnia corporalia, quæ habent mutabilitatem ex motu cœli: motus enim Angeli non depēdet ex motu cœli.

† Art. 1. huius quæſt.

† Lib 4. Phyſic. text. 99. tom. 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſi tempus motus Angeli nō ſit continuum, ſed ſucceſsio quædam ipſorum nunc, non habebit proportionem ad tempus, quod menſurat motum corporalium, quod eſt continuum, cùm non ſit eiuſdem rationis. Si verò ſit continuum, eſt quidem proportionabile: non quidem propter proportionem mouentis, & mobilis; ſed propter proportionem magnitudinum, in quibus eſt motus. Et propterea velocitas motus Angeli non eſt ſecundùm quantitatem ſuæ virtutis, ſed ſecundùm determinationem ſuæ voluntatis.

Ad ſecundum dicēdum, quòd illuminatio eſt terminus motus, & eſt alteratio, non motus localis: vt intelligatur, lumen moueri priùs ad propinquum, quàm ad remotum. Motus autem Angeli eſt localis, & non eſt terminus motus. Vnde non eſt ſimile.

Ad tertium dicendum, quòd obiectio illa procedit de tempore continuo. Tempus autem motus Angeli poteſt eſſe non continuū. Et ſic Angelus in vno inſtanti poteſt eſſe in vno loco, & in alio inſtanti in alio loco, nullo tempore intermedio exiſtente. Si autem tēpus motus Angeli ſit continuum, Angelus in toto tempore præcedenti vltimum nunc variatur per infinita loca, vt prius expoſitum eſt. Eſt tamen partim in vno locorum continuorum, & partim in alio: non quòd ſubſtantia illius ſit partibilis; ſed quia virtus ſua applicatur ad partē primi loci, & ad partem ſecundi, vt etiam ſuprà dictum eſt †.

Art. præc.

Art. primo huius quæſt.

Concluſio eſt negatiua.

DISPVTATIO III.

De motu locali Angelorum.

POST Considerationem eorum, quæ ad terminationem loci Angelorum pertinent, consequenter sequitur motus localis Angelici inuestigatio. Nam illis solis conuenit posse localiter moueri, quibus determinato loco congruit definiri.

DVBIVM I.

Vtrùm Angelus possit moueri localiter?

1 DVIA Quæstio *an res sit possibilis*, debet alias ordine executionis præcedere: meritò ab ea in hac disputatione exordium sumimus. In titulo autem huius dubij non solùm inquiritur de possibilitate motus localis Angelici secundùm operationem, & effectum ad extra sed etiam secundùm realem præsentiam suæ substantiæ, ideſt, ita vt eius substantia successiuè desinat esse præsens vni loco, & successiuè sit præsens alteri, non verò ita vt præcisè dicatur moueri secundùm suam operationem, & effectum, quatenus successiuè desinit habere hic effectum, & habet illum alibi: quanuis secundùm suam substantiam non moueatur nec mutet illam præsentiam quoad locum, sed semper sit vbique, vt Durandus volebat, vel existens hic, incipiat habere operationem alibi, & præcisè secundùm illam operationem moueatur, ac proinde operatio non sit in causa, vt ipsa substantia Angeli etiam moueatur.

Durãdus.

§. *I. Vera, & communis sententia.*

Conclusio. 2. DIcendum ergo est, Angelum verè & realiter posse localiter moueri. Ita D. Thomas in præsenti, & in 1. dist. 37. q. 4. art. 1. & alibi sæpè: & est cõmunis sententia Sanctorum Patrum, tã Græcorum, quàm Latinorum quos in magno numero referunt Vazquez disput. 194. c. 2. & Bubalus ad hunc articulũ quæsito vnico difficultate 1. §. 1. & in ea cõueniunt vnanimiter Theologi, quos proinde in particulari referre opus non est. *D. Thom.* *Vazquez.* *Bubal.*

Videturq, prædicta assertio ex sacra scriptura satis desumi. Nam in ea sæpè dicitur quòd Angeli mouentur localiter, & quòd ascendunt, & descendunt. Ita habetur Genesis 18. *Viditq; in somnis scalam stãtem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam.* & Ioannis 5. *Angelus Domini descendebat secundùm tempus in piscinam.* Et Matthæi 8. & Lucæ 8. de Dæmonibus, efficacia Christi à corporibus exeuntibus, dicitur, postulasse ab ipso duo, alterũ, ne præciperet eis ire in abyssum, quod exprimitur Lucæ 8. alterum, vt permitterèt eis ingredi in porcos. Ex quo apertè colligitur, Dæmones desinendo locum, in quo erat, dum obsidebant corpora humana, potuisse transire ab eo loco in alium locum, nempe in abyssum, vel corpora porcorum, quod est moueri localiter. Idem constat Isaiæ 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer? &c* Et Lucæ 10. *Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem* Et Apocalypsis 12. *Neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo*, & alijs multis locis, ex quibus seqũs deducitur ratio. Nam in his potissimè, quæ non experimur, est sanum consilium iudicare de illis iuxta id, quod ex Scriptura, & Patribus, & communi Theologorum consensu habemus: at quòd Angeli verè, & absolutè moueantur, vel non moueantur localiter, non experimur: & aliàs verè, & absolutè moueri, habemus ex Scriptura, & Patribus, & communi Theologorum consensu: ergo, &c. *Probatur primo ex Scriptura.* *Genes. 28* *Ioannis 5.* *Matth. 8.* *Lucæ 8.* *Isaiæ 14.* *Luc. 10.* *Apoc. 12.*

3. Secundò probatur ratione desumpta ex D. Thoma artic. primo huius quæst. quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam anima beata verè, & absolutè potest moueri localiter: ergo etiam Angelus beatus: ergo eadem ratione sic moueri quibit, quamuis non sit beatus. Hæc secunda consequentia satis deducitur ex prima. Quoniam motus iste non est quid superioris ordinis *Secundũ fũdamentum ex D. Tho. desumptũ.*

ordinis respectu Angeli, quod proinde non possit illi conuenire suis viribus relicto, sed solùm, vt eleuato per beatitudinem supernaturalem. Prima autem consequentia ex antecedenti videtur deduci, propter paritatem rationis inter Angelum beatũ, & animam itidem beatam. Antecedens autem probatur ex articulo fidei, quo docemur, Christum Dominum secundùm animam descendisse ad inferos, quãdo eius anima beata fuit separata à corpore. Hoc autem satis indicat, eam posse moueri localiter.

Occurrit Durando. 4. Nec refert, si tam ad hanc rationem D. Thomæ, quàm ad rationem præcedentẽ ex Scriptura, & Patribus, ac communi Theologorum consensu depromptã respondeas ex Durando, prædicta testimonia in prima ratione adducta, necnon & illud de descensu animæ Christi, in quo hæc posterior ratio innititur, non esse intelligenda de motu Angelorum, aut animæ Christi quoad suã substãtiam, ita vt anima v.g. Christi Domini reuerà descenderet tunc ad inferos secundùm realem, & immediatam præsentiam suæ substantiæ ad illos, sed solùm secundùm duplicẽ effectum, communicandi scilicet gloriam, & illuminandi animas Patrũ, quæ erant in limbo, de aliquibus, quę cadũt sub diuina reuelatione. Sicut etiam dicitur de Verbo diuino, descendisse de cœlo, dum incarnatum est, & de Spiritu Sancto descendisse super Christum in forma columbæ: cùm tamẽ nec Verbum, neque Spiritus Sãctus, qui vbique sunt, possint descendere secũdùm realem præsentiam suæ substantiæ, sed dicuntur descendere quoad effectus denuò productos: quia in his inferioribus denuò prædictos effectus executi sunt.

Refutatur. Non itaque hoc refert. Quia testimonia Scripturæ, & Patrum absolutè sunt intelligẽda, quando absolutè proferuntur, si inde nullum absurdum sequatur, vt in præsenti nõ sequi, satis constat: ex eo quòd Patres sic illa intelligunt, necnon & communis Theologorum consensus. Sed ex testimonijs relatis ex Scriptura tã pro hac ratione, quàm pro præcedenti, necnon ex locis Patrum, & Theologorum habemus, animam Christi absolutè loquendo, & non solùm quoad suam operationem, descendisse ad inferos, & Angelos etiam posse moueri localiter. Ergo absolutè secundùm realem præsentiam suæ substantię verè poterunt moueri localiter, & nõ solùm quoad suã operationem, sitaut prædicta operatio non sit ratio motus localis Angelici quoad realem, & successiuam præsentiam suę substantiæ respectu locorum, vt vult Durandus. Neque id, quod de descensu Verbi, aut Spiritus Sancti pro se affert, fauet Durandi intento. Quia cùm ex prædicto descensu sequatur maximum absurdum, si intelligere-

tur de motu locali Verbi, aut Spiritus Sancti quoad suam substantiam, quia alioqui nõ essent vbique: ideò de descensu quoad operationem, & effectum intelligenda sunt prædicta testimonia: & ita Patres, & Theologi non intelligunt illa de vero descensu, & motu secundùm substantiam Verbi, & Spiritus Sancti, secùs verò illa, quæ pro vtraque ratione adduximus, quæque de descensu animę Christi, & motu Angelorum loquuntur.

Alia cuasio. 5. Nec etiam obstat alia solutio, scilicet, ex descensu animæ Christi Domini non benè colligi, Angelum posse localiter moueri. Et ratio est. Quoniam descensus ille non fuit verus motus localis: ex eo quòd non fuit à loco in locum. Tum, quia ille descensus peractus fuit in instanti: nam in illo instanti, in quo verum fuit, Christum non esse, seu esse mortuum, verificatum est, illum esse in inferis: sicut in instanti, in quo iustus desinit, verificatur, quòd si nihil habeat in purgatorio expiandum, est in eodem instanti in cœlo: constabit autem ex dicendis disputatione sequenti, motum non posse fieri in instanti. Tum etiam. Quia ille descensus non est à loco per se ad alium locum: siquidem anima Christi ante illum descensum non erat in loco per se: sed per accidens ratione corporis. Ergo, &c.

Eneruatur. Fatemur enim, illum descensum etsi propriè fuisse descensum, non tamen motum localem: quia ad descensum propriè talem sat est, quòd immediatè anteà fuerit descendens in loco superiori, saltem per accidens: ad motum autem localem requiritur, vt fuerit immediatè antè in loco per se. Cæterùm negandum est, quòd hinc non sequatur, Angelum posse moueri localiter. Nam quod propriè descendit, licèt tunc per accidens propter defectum dictum non moueatur localiter, potest tamen deesse ille defectus, & immediatè anteà esse per se in loco: & ita hoc ipso, quòd descendat, poterit moueri localiter. Cumque anima Christi Domini, & Angeli possint per se esse in loco, & supponi ad descensum existentes per se in loco: ideò ex hoc testimonio rectè colligitur, animam Christi, & Angelos posse localiter moueri.

Alia solutio. 6. Neque etiam obest alia responsio, quæ ad rationem D. Thomæ poterat adhiberi, nempe, probabile esse, animam solùm vt beatam posse moueri: atque adeò hinc solùm habebitur, Angelum solùm vt beatum posse etiam moueri secundùm locum, non verò ex natura rei, quod ratio ex D. Thoma desumpta intendit.

Impugnatur. Nam cõtra hoc est, quòd adhuc dato, animam suæ naturæ relictam nõ posse localiter moueri;

moueri, debet oppositum in Angelo dici: ex eo quòd non est vtcunque intellectiuus, sed intellectiuus perfectus, & completus. Quare, sicut locomotiuum mediante sensu, & appetitu sensitiuo, licèt non sequatur ad sensitiua, seu animalia imperfecta, benè tamen ad
D. Thom. sensitiua, seu animalia perfecta, vt docet D. Thomas 1. p. q. 77. art. 1. ita ad intellectiuũ perfectum, & completum sequetur locomotiuum itidem perfectum mediãte intellectu, & appetitu intellectuali.

Confirmatur. Confirmatur. Quia adhuc dato, animam suis viribus relictam, & separatam non posse se mouere localiter (de quo nihil modò) ex eo quòd intellectualitas illius fundatur in entitate ipsius partiali, & non est perfectum intellectiuum: nihilominùs licèt non ratione sui, attamen in corpore, & in suo toto, ac ratione illius verè mouetur quoad suam substãtiam localiter: ergo è contrà illud, cuius intellectualitas non fundatur in entitate partiali, & in completa, sed est perfectum intellectiuum, poterit verè moueri quoad substantiã localiter ratione sui, & non ratione alterius alicuius totius, quod componat: alioqui non esset perfectum intellectiuum, sed imperfectum, & eius intellectualitas in entitate incõpleta fundaretur.

Dubiolum. Sed inquires, an Angelus, dum mouetur localiter, ita vt quoad suam substantiam sit successiuè præsens diuersis locis, moueatur motu locali propriè dicto? Respondetur
Soluitur. D Thom. negatiuè, sed tantùm moueri æquiuocè & abusiuè. Vnde D. Thomas art. 1. huius q. sic inquit: *Sicut esse in loco æquiuocè conuenit corpori, & Angelo: ita etiam & moueri secũdùm locum.*

Replica. 7. Nec obest, quòd Scriptura, & Patres absolutè doceant, Angelum moueri localiter: atque adeò, sicut absolutè dicta debent in sensu absoluto iam explicato intelligi, ita etiam in sensu proprio: quia quæ sic absolutè dicuntur de Angelo, non est cur in sensu proprio non intelligantur.

Responsio. Respõdetur enim, ideò testimonia Scripturæ à nobis relata absolutè loquentia sunt etiam absolutè intelligenda, quia sic à Patribus, & Theologis intelliguntur: at D. Thomas, & quàmplures eius discipuli docent, Scripturæ, & etiam Patrum testimonia intelligenda esse de motu æquiuocè tali, imò id ex plurib⁹ ex Patribus habetur. Et propterea
Naziãz. Nazianzenus relatus à D. Thoma, vt dubio 4. precedentis disputationis diximus, asseruit, quòd cùm deberemus dicere, Angelũ hic operari, abusiuè dicimus hìc esse: ac proinde iuxta doctrinam Angelici Doctoris super traditam, abusiuè etiam, & æquiuocè mouebitur localiter.

§. II. *Opposita sententia, cum suis fundamentis, & solutionibus.*

Contraria sententia. 8. OPpositam tamen sententiam, nempe, Angelum non posse moueri localiter ex eo, quòd eius substantia successiuè desinat esse præsens vni loco, & successiuè sit præsens alteri, sed quia sine hac præsentia successiuè sit causa motus, aut alicuius effectus in diuersis locis, tenuerunt Herbeus in *Herbeus* tractatu de motu Angeli §. *ad secundum principale* & Durandus in 1. dist. 37. in 2. p. dis- *Durãdus* tinctionis, quamuis prædicti authores nõ eodem fundamento ducantur: nam ille tuetur hanc sententiam, quia existimat, Angelum quoad suam substantiam non esse in loco: iste verò, quia credit, Angelum esse vbique, & motus localis non est sine derelictione loci, quæ derelictio repugnat rei existẽti vbique: & ita solùm mouebitur localiter quoad operationem, non quoad suam substantiam. Potestque probari hæc sententia primò ex Au- *Primũ fundamentum ex August.* gustino lib. 8. de Genesi ad litteram c. 20. vbi inquit, creaturam spiritualem tantummodò posse mutari per tempora, corporalem verò per tempora, & loca. Et idem repetit ferè in reliquis capitibus vsque ad 26. quod est vltimum illius libri.

Interpretatur Aug. Respondetur, Augustinũ solùm velle constituere discrimen inter creaturam spiritualem, & corpoream in hoc, quòd corporea mouetur secundùm locum, & tempus per commensurationem ad vtrumque, Angelus verò mouetur per tempora, per commensurationem ad tempus, non quidem ad tempus nostrum, sed ad tempus proprium Angelo, ita vt sit commensuratus illi eo proportionali modo, quo corpus est cõmensuratum suo loco, & suo tempori.

Secũdũ fundamentum 9. Secundò probatur eadem sententia. Nam motus localis est actus existentis in potentia: sed motus Angeli est actus existẽtis in actu, quia est motus perfecti: & propterea Angelus non mouetur propter sui indigentiam, sed propter indigentiam aliorum: ergo Angelo nequit motus localis conuenire.

Soluitur. Respondetur, motum Angeli reuerà esse actum perfecti, & existentis in actu: quia, vt infrà dicemus, nihil est aliud, quàm actus sui intellectus, & voluntatis, vt formaliter immanentes, & virtualiter transeuntes in locum, modo dubio sequenti explicando. Cõstat autem, intellectionem, & volitionem nõ esse actus existentis in potentia, sed actus rei perfectæ, seu actus existentis in actu, vt ex *Aristot.* Aristotele 3. de Anima textu 22. & ex D. Tho- *D. Thom.* ma ibidem lect. 12. & 1. part. quæst. 9. art. 1. ad 1.

N.Compl. ad 1. & q. 18. art. 1. tradunt N. Complut. in lib. Physicorum disp. 16. num 13. Quia ad motum, qui sit actus entis in potentia, desideratur, quòd mobile, vt est sub motu, ordinetur ad terminum: ac proinde motus ipse sit propter terminum, non verò è contrà terminus propter motum: at intellectio v. g. & intelligens, vt est sub illa, non ordinatur ad terminum productum, scilicet verbum, aut quemuis alium effectum, sed è contrà verbū v. g. ordinatur ad intellectionem, & est propter illam: & ideò quando verbū non subseruit intellectioni, non producitur per eam, vt docent N. Complut. in lib. de Anima disp. 21. n. 99. & constat ex his, quæ in 1. tom. tractatu 2. disp. 2. n. 207. diximus. Et similiter prædicta actio, vt est virtualiter transiens, & producit ad extrà effectum, quo perficit ipsum locum, non ordinatur ad locum, aut ad prędictū effectum, vt ad terminum, nec ab eo capit perfectionem suam. Hinc tamen nō fit, Angelum non moueri motu locali æquiocè tali, benè tamen, non moueri per motum localem eiusdem rationis, ac motus corporum.

Circa illud autem, quòd in eodem argumento tangitur, scilicet, Angelū non moueri propter suam indigentiam, animaduertendum est, quòd licèt hoc sit verum, quatenus denotatur, Angelum non perfici à loco, sicut in corporibus accidit, attamen ex hoc non tollitur, quòd perficiatur per illum motum, & motus ipse recipiatur in eo. Stat enim optimè, quòd Angelus non perficiatur à loco, neque perficiatur formaliter per ordinē ad locum secundùm se, & quòd nihilominùs perficiatur ex illa noua actualitate, qua applicat suam virtutem ad operandum in loco, quæ quidē actualitas est actio formaliter immanens, & virtualiter transiens: atque adeò, qua parte est virtualiter transiens, connectitur cum effectu producto in loco tanquam cum effectu, non tanquam termino, ad quem ordinetur, à quoque illa actualitas accipiat suam perfectionem, quoniā impossibile est, Angelum intrinsecè actuari per aliquid respiciens per se rem corporalem, & ad illum ordinatam, à quaque secundùm aliquid sui speciem accipiat: siquidem id, quod sic per se respicit rem corporalem, non potest esse superioris ordinis respectu eiusdem rei corporalis, cum tamē id, per quod Angelus actuatur intrinsecè, sit superioris ordinis ad omnem rem corporalem.

Vltimū fundamentum. 10. Vltimò probatur. Nam motus localis nequit esse sine suo termino à motu formaliter distincto, scilicet *vbi*: sed Angelus nō acquirit prædictum *vbi*, vt ostendimus suprà disputatione præcedenti: ergo non potest moueri localiter.

Respōsio. Respondetur, quòd motus localis corporum specificatur, & terminatur per se primò ad *vbi* formaliter distinctum, & ideò nequit esse sine illo, motus verò Angeli, quia est æquiuocè motus, & in recto actio formaliter immanens, & virtualiter tantùm transiens, non requiritur ex vi huius capitis, quòd habeat terminum intrinsecum ex natura rei sic formaliter distinctum, sed satis est, tum quòd illa actio sit forma eminens, & æquiualens ratione suæ eminentiæ. tam *fieri*, quàm *facto esse*, ideſt, tam operationi, & motui locali corporum, quàm *vbi* intrinseco, quod per motū eorundem corporum producitur, vt reuerà æquiualet, siquidem prædicta operatio habet, quòd sit operatio, & motus, & quòd ratione illius actu & in exercitio sit Angelus in loco: tum etiam, quòd ex ea parte, qua est virtualiter transiens, habeat terminum, extrinsecum per ipsam productū, v. g. motum localē corporis, vel lucem.

Diximus, *ex vi huius capitis non desiderari, quòd habeat aliquem terminum intrinsecū*, vt denotaremus, quòd aliunde potest eum habere, ex eo, quòd illa operatio, quia est immanens, & non habet ad intrà obiectum terminatiuum sufficienter vnitum, eget aliquo supplente vicem illius, ac proinde aliquo termino intrinseco, non tamen quia ille terminus desideretur per modum *vbi* intrinseci, ratione cuius Angelus est in loco: quia illamet operatio illius secundùm diuersa sui munera, & vt est distincta à termino producto, habet esse operationem, & simul exercitium virtutis locatiuæ, ratione cuius ipsa exercet hoc, quod est esse in loco.

DVBIVM II.

Quid sit motus localis Angeli?

Animaduersio pro luce tituli. 11. PRO Tituli intelligentia notandum est, Angelum dupliciter posse moueri, scilicet, vel motu per se, vel motu per accidens. Primo modo mouetur localiter, quando per se, & ratione sui mouetur de vno loco in alium. Secundo vero modo, quando non per se, & ratione sui, sed ratione alicuius corporis, in quo est, quodque mouetur localiter, habet etiam Angelus ad motū eius moueri, vt videtur cōtingere, dū Dæmones alligātur anulis corporeis, & feruntur simul cum eis-

dem corporibus ab vno loco in alium: qui modus motus correſpondet motui, qui in corporibus appellatur motus per accidens, hoc eſt, conſequens ad motum alicuius corporis, vt cum lapis, aut homo vehitur in naui, vel in equo. Titulus ergo de vtroque genere motus intelligendus eſt.

§. I. *Aſſertio prior iuxta Angelici Doctoris mentem.*

Prima aſſertio.

12. DIcendum ergo eſt primò, motũ localem Angeli, quo per ſe mouetur, eſſe diuerſos contactus quantitatis virtutis, quibus ſine intermedia quiete ſucceſsiuè tangit ſua operatione diuerſa loca, ſeu (quod in idem redit) nihil aliud eſſe, quàm efficaciter operari in diuerſis locis ſucceſsiuè, & ſine intermedia quiete. Et intelligitur aſſertio de operatione procedente ab Angelo immediatè immediatione ſuppoſiti, & virtutis, vt conſtat ex his, quæ S. Doctor docet in 1. diſt. 37. q. 3. art. 1. ad vltimum.

Aſſertio ergo ſic intellecta eſt expreſſa eiuſdem Angelici Præceptoris in hac q. art. 1. in corpore, dum loquens de motu per ſe Angelico, ſic inquit: *Quia enim Angelus non eſt in loco, niſi ſecundùm contactum virtutis, vt dictum eſt: neceſſe eſt, quòd motus Angeli in loco nihil aliud ſit, quàm diuerſi cõtactus diuerſorum locorum ſucceſsiuè, & non ſimul* Et in 1. diſt. 37. q. 4. art. 1. vbi ſic ait. *Quia moueri in loco, ſequitur ad eſſe in loco: idèo eodem modo conuenit Angelo moueri in loco, ſicut eſſe in loco, & vtrunque eſt aquiuocè reſpectu corporalium. Dicitur enim Angelus eſſe in loco, in quantum applicatur loco per operationem: & quia non ſimul eſt in diuerſis locis, ideò ſucceſſio talium operationum, per quas in diuerſis locis eſſe dicitur, motus eius vocatur.* Et idem docet opuſculo 15. c. 18. Vnde Angelicum Præceptorem ſequuntur cõmuniter eius diſcipuli, vt Capreolus in 2. diſt. 6. q. 1. concluſ. 2. Ferrara 3. contra Gent. c. 102. Caietanus ad articulum 1. huius q. Nazarius ibidẽ controuerſia 1. & plures alij.

D. Thom.

Capreol. Ferrara. Caiet. Nazarius

Ratio fũdamentalis.

13. Ratio autem fundamentalis huius aſſertionis deſumitur ex prædictis teſtimonijs, & ex illis, quæ diſputatione præcedenti dubio 2. & 3. pro nobis adduximus, poteſtq; ſub hac forma proponi. Quia Angelus eſt in loco, quatenus, modo ibidem dicto, operatur in loco, ſeu quatenus eſt principium operandi in loco, reductum tamen ad actum ſecundum operandi in illo: ergo eſt ſucceſsiuè in loco quatenus ſucceſsiuè, & ſine intermedia quiete habet prædictos contactus virtutis ad diuerſa loca, ſeu operatur in diuerſis locis: ergo eius motus localis conſiſtet in his diuerſis contactibus ad prædicta loca, ſeu in hoc, quòd efficaciter operetur in diuerſis locis ſucceſsiuè, & ſine inter media quiete. Patet hæc vltima conſequentia. Quoniam prædictus motus localis conſiſtit in eo, per quod Angelus habet eſſe ſucceſsiuè, & ſine inter media quiete in diuerſis locis: ergo ſi per prędictos contactus habet Angelus eſſe ſic in illis, debebit eius localis motus in iſtis contactibus virtutis conſiſtere.

Confirmatur. Quia motus localis Angeli eſt ſucceſsiuus eius tranſitus de loco in locũ, & ſucceſsiua acquiſitio, aut quaſi acquiſitio præſentiæ localis: at hoc ipſo, quòd ſucceſsiuè habeat hos diuerſos contactus, datur hic ſucceſsiuus tranſitus de loco in locũ, & quòd reuerà ſucceſsiuè ſit præſens diuerſis locis: ergo motus localis Angelicus conſiſtet in his diuerſis contactibus. Maior & conſequentia ſatis conſtant. Minor verò etiã liquet. Quia ſicut Angelus eſt in loco per operationem: ita trãſibit ſucceſsiuè ad diuerſa loca, acquiretque ſucceſsiuè prędẽtiã ad illà, ex eo quòd ſucceſsiuè, & modo dicto operetur in illis, ſeu habeat hos diuerſos contactus virtutis erga ipſa.

Confirmatur.

§ II. *Aſſertio poſterior ex Angelico Præceptore deprompta.*

Secũda aſſertio.

14. DIcendum eſt ſecundò, motum localem Angelicum, quo per accidens ad motum corporis, in quo localiter eſt, mouetur, tantùm eſſe motum localem inhærentem corpori, ratione cuius vnà cum prædicto corpore Angelus ipſe per accidens mouetur. Hæc eſt D. Thomæ ſuprà q. 51. art. 3. ad 3. vbi ſic ait: *Dicendum, quòd motus qui eſt à motore coniuncto, eſt proprium opus vitæ. Sic autem mouentur corpora aſſumpta ab eis* (ſcilicet Angelis) *quia Angeli non ſunt eorum formæ. Mouentur tamen Angeli per accidens, motis huiuſmodi corporibus, cùm ſint in eis ſicut motores in mobilibus: & ita ſunt hic, quòd non alibi.* Vbi (vt vides) tota ratio, propter quã Angeli dicuntur moueri per accidens ad motum prædictorum corporum, eſt, quia ſunt in illis, vt motores in mobilibus: conſtat autẽ, quòd id, quòd in eo mouetur per accidens ad motum corporis, quia eſt in illo vt motor in mobili, & ita eſt ibi, quòd non alibi, motus eius localis, quo ſic mouetur, tantùm eſt motus localis inhærens corpori, ratione cuius habet per accidens vnà cum corpore moueri.

D. Thom

Idem docet S. Doctor 3. p. q. 76. art. 6. ad 1. vbi ratione illius maximæ, *motis nobis, mouentur ea, quæ in nobis ſunt*, quam dicit eſſe intelligendam de motu per accidens, inquit, etiam corpus Chriſti Domini, vt eſt in Sacramento, moueri per accidens ad motum ſpecierum: & ſubdit, tum eſſe eandem rationem de hoc

de hoc motu corporis Chriſti Domini, & de motu ſubſtantiarũ ſpiritualium (quod eſt intelligendum ſaltem in caſu, quo ſubſtantiæ ſpirituales ſunt vnitæ corporibus, ſiue ſunt in illis localiter) tum etiam, motum hunc per accidens eſſe diſtinctum ab eo, quo res corporeæ, quæ ſunt in nobis, vt veſtes, mouẽtur etiam per accidens ad motum noſtrum. Nã hoc diſcrimẽ ſolùm poteſt conſiſtere in hoc, quòd veſtes mouentur ad motum noſtri efficienter, in quantum motu noſtro ſumus cauſa alterius motus, quo recepto in veſtibus ipſæ dicantur formaliter moueri; ſecùs verò corpus Chriſti Domini, quod ſolùm mouetur motu ſpecierum formaliter: ac proinde eadem ratione debemus ſic de Angelo philoſophari: quia in eo corpus, quod mouetur, nõ poteſt producere alium motum, ſicut nos in veſtibus illum per motum noſtrum producimus. Quanuis vtrùm dato hoc motu per accidens, tunc Angelus ſe moueat alio motu per ſe, & non cauſato ab illo corpore, ſed ab eodem Angelo, infra in hoc dubio id tangemus. Vnde S. Doctorem ſequuntur Capreolus in 2. diſt. 2. q. 1. ad 3. Scoti contra primam concluſionem, Caietanus 3. p. q. 76. art. 6. Nazarius ſuprà q. 51. art. 3. controuerſia vnica, & communiter Thomiſtæ, ac alij plures in præſenti.

Capreol. *Caiet.* *Nazarius*

Ratio fũdamentalis.

15. Ratio autem huius aſſertionis ſatis expreſſa eſt à D. Thoma locis citatis, poteſtque ad hanc formam redigi. Quia motis nobis, mouentur omnia, quæ ſunt in nobis: ergo moto corpore, in quo Angelus eſt, mouebitur per accidens idem Angelus ad motum prædicti corporis: ergo loquendo præcisè de hoc motu per accidens, ſolùm mouebitur formaliter per illum motum corporis, non verò efficienter per motum actiuè cauſatum à tali corpore in Angelo: ſiquidem iſte propter ſui eminentiam ſupra corpus non ſubditur virtuti naturali corporis, ad hoc vt producat in illo alium motum.

Cõfirmatio ex D. Tho.

Confirmatur ratione deſumpta ex eodem S. Doctore loco citato ex 3. p. Quia ideò Chriſtus Dominus in Euchariſtia mouetur per accidens ad motum ſpecierum, & formaliter per prædictum motum, quia mouetur ad modum ſubſtantiæ ſpiritualis: & propterea ſpecies illæ ſuo motu non cauſant alium motum inhærentem corpori Domini: ergo multò magis ſubſtantia ſpiritualis mouebitur per accidens ad motum corporis, in quo eſt, ita vt formaliter moueatur per prædictum motum, non tamen ſubdatur illi, vt principio effectiuo immutanti ipſam per aliquem alium motum, qui ſit intrinſecus, ſiue inhærens prædictæ ſubſtantiæ.

Exſio.

16. Vnde nihil obeſt, ſi in fauorem aduerſariorum occurras, quòd illa maxima, *motis nobis, mouentur per accidens ea, quæ in nobis ſunt*, debet intelligi de his, quæ ita ſunt in nobis, vt non habeant ſimul eſſe ſuperioris ordinis, & rationis: nam iſta ad ſummum mouentur tunc, non quidem per accidens ad motum corporis, & ratione illius, ſed alio motu per ſe, quo ipſa ſe mouent, quique concomitanter ſe habeat ad motum noſtrum.

Notabile pro impugnatione ſolutionis.

Ex dictis igitur hæc ſolutio facilè impugnatur: quamuis, vt eius impugnatio meliùs capiatur, ſupponendum ſit, quòd ad hoc, vt aliquid moueatur per accidens ad motum alterius, non eſt neceſſe, quòd id, quod mouetur per ſe, & id, quod mouetur per accidens, habeant eſſe vnita aliqua vnione, quæ ſit vtrique intrinſeca, vt patet in corpore, quod vehitur in naui, & mouetur per accidens ad motum nauis: nõ enim inter tale corpus, & nauim intercedit aliqua vnio, vel nexus, qui ſit intrinſecus corpori, ſimul & naui, ſed ſufficit, quòd illud, quod mouetur per accidẽs, ſit in eo, quod mouetur per ſe, vel tanquam locatum in loco determinato, vt patet in exẽplo appoſito corporis exiſtentis in naui, vel ſit ibi propter aliquem nexum in genere cauſæ efficientis, quãtumuis res illa ibidẽ præſens ſit ſuperioris ordinis, dummodò non ſit vbique, ſicut Deus, vt contingit in corpore Chriſti vnito Verbo diuino exiſtente ſub ſpeciebus conſecratis, quod licèt ſit adeò ſuperioris ordinis, nihilominùs mouetur per accidens ad motum ſpecierum, vt docent communiter Theologi cũ D. Thoma 3. part. quæſt. 76. art. 6. & tamen nec eſt in illis tanquam in loco per vnionem formalem propriè dictam, ſed per effectiuam, quatenus corpus Chriſti Domini ſpecies anteà materialiter ſuſtentatas à ſubſtantia panis effectiuè ſuſtinet, & in eodem *eſſe* cõſeruat.

Impugnatur.

Hinc ergo prædicta ſolutio facilè impugnatur. Nam ad hoc, vt aliquid moueatur per accidens ad motum alterius, non attenditur ad hoc, quòd ſit, vel non ſit ſuperioris ordinis, ſed ſufficit, vel quòd ſit in eo tanquã locatum in loco determinato, vel quòd habeat nexum effectiuum cum illo, & non ſit vbique ſicut Deus: ſed Angelus licèt ſit ſuperioris ordinis collatus cum corpore, attamẽ, quandiu operatur in illo, eſt in ipſo tanquam in loco determinato, habetque nexum effectiuum cum illo, & non eſt vbique, ſicut Deus: ergo quandiu operatur in prędicto corpore, mouetur per accidens moto corpore. Maior conſtat ex ſuppoſitione nuper facta. Et minor etiam ex ſe, & ex dictis diſputatione prędenti ſatis patet. Conſequentia autem non indiget probatione. Hanc autem impugnationem ſatis innuit D. Thomas locis ſuprà citatis, dum ſic inquit: *Mouẽtur tamẽ Angeli per accidẽs, motis huiuſmodi corporibus: cũ ſint in eis ſicut motores in mobilibus: & ita ſunt hic, quòd nõ alibi, quod de Deo dici non poteſt.*

D. Thom.

Alia euasio ad rationē.

17 Ex quo etiam fit, non obesse aliam solutionem præcedenti quodammodo affinem, quam tradit Iunior quidam, aliàs doctissimus, tam ad rationem, & ad confirmationem adductam, quàm ad testimonium D. Thom. ex 3. part. depromptum: quia in eo vis nostræ confirmationis non parùm innititur. Ad rationem igitur respondet, esse disparitatem inter rem corpoream existentem in corpore moto, & inter Angelum, qui sit in prædicto corpore. Quia corpora, quæ sunt in nobis, & mouentur ad motum nostri, habent, quòd etiamsi non mouerentur efficiēter à nobis, sint nobiscum colligata, & ita possunt per accidens moueri ad motum nostri. At Angelus tantùm est vnitus cum corpore, in quo est vt in loco per iuxtapositionē: hæc autem vnio nō est sufficiens colligatio ad hoc vt moto illo corpore, moueatur Angelus per accidens ad motum illius.

Ad cōfirm.

Et deinde ad confirmationem occurrit, esse etiam disparem rationem inter Angelū, & corpus Christi Domini in Eucharistia: quia prædictum corpus est ibi sufficienter colligatum cum speciebus colligatione reali, & necessaria, loquendo de naturali necessitate, suppositā institutione huius sacramēti. Cæterùm Angelus non est in loco per naturalem, & necessariam colligationem cùm illo, & sufficientem ad effectum, qui intēditur, sed solùm est in loco (vt dicebamus) per iuxtapositionem.

Et tandem ad id, quod de substantijs spiritualibus docet D. Thomas, quatenus in eo huius confirmationis vis non parùm innititur, occurrit, quòd cùm D. Thomas inquit, Christum in Sacramento moueri sicut substantiæ spirituales, non intelligit nomine substantiarum spiritualium Angelos, sed animas nostras, quæ dum sunt in corporibus, ibi colligantur sufficienter cum illis.

Refutatur solutio rationis factæ.

18 Ex dictis igitur constat, hæc non obstare. Nam contra solutionem ad rationem D. Thomæ pugnat, Angelū, hoc ipso quòd perseueret in corpore moto vt in loco, atque adeò operando in illo operatione virtualiter transeunte, & procedente ab illo omninò immediatè, id est immediatione virtutis, & suppositi iam dicta, habere sufficientem colligationem, & approximationem respectu illius: quia talis operatio, quandiù durat, secum trahit realiter præsens ipsum agens ad rem, in qua operatur, vt ex D. Thoma disputatione præcedenti num. 75. dicebamus. Vnde, licet demus, vnionem hanc esse per iuxtapositionem, attamen quandiu durat fundamentum, & ratio illius, nempe prędicta actio, tandiu durat prędicta vnio.

Impugnatur solutio cōfirmationis.

Ex quo etiam manet impugnata solutio ad confirmationem ex corpore Christi Domini desumptam. Et deinde contra explicationem ad testimonium D. Thomæ obest. Quia D. Thom. expressè ibi dixit, quòd corpus Christi mouetur per accidens, *sicut formæ, & spirituales substantiæ*: vbi nomine formæ comprehendit quancumque formam, & nomine substantiæ spiritualis Angelos. Vnde nihil refert id, quod prædictus Iunior inquit, quòd cùm D. Thom. protulit verba relata, idem est ac si diceret, *sicut formæ, quæ sūt spirituales substantiæ*. Nam D. Thom. ex vi modi loquendi loquitur de formis, & spiritualibus substantijs, vt de ponentibus in numero quoad rem, de qua fiebat sermo: & ideò dixit, *sicut formæ, & spirituales substantiæ*. Vbi illa particula &, cōiungit diuersa & ponentia in numero: maximè, quia vtrobique est eadem ratio quoad motum illum per accidens: quia sicut animæ colligantur cum corporibus, quibus sunt vnitæ, ita Angelus cum loco, quandiu est in illo, licet colligatio sit in illis diuersa.

Refutatur additum Iunioris.

19 Ex quo fit, non ita benè prædictum Iuniorem addidisse, Angelum numquā moueri per accidens ad motum corporis, si formaliter loquamur, quoniam nec mouetur motu efficienter causato à corpore, nec eodem motu formaliter, quo corpus (vt ipse putat) sed solùm moueri simul cū corporibus. Ex dictis igitur constat, non ita benè prædictum Iuniorē id addidisse. Et prætereà pugnat etiam contra eum testimonium eiusdem S. Doctoris q. præced. art. 3. ad 3. vbi inquit, Angelum in corporibus assumptis moueri per accidens.

Alia euasio Radæ.

Ex quo etiam apertè liquet, manere impugnatam solutionē Radæ in 2. p. suarum cōtrouersiarum controuersia 7. art. 2. q. 4. cum præcedenti solutione ferè omninò coincidentem, dū inquit, quòd hoc ipso quòd corpus, in quo est Angelus, moueatur, dissoluitur ille nexus effectiuus: ac proinde Angelus non operabitur in tali corpore, & ita non mouebitur per accidens ad motum illius, sed manebit (inquit Rada) in spatio, vbi erat corpus, antequam moueretur.

Euertitur.

Ex dictis igitur satis liquet, solutionem hanc manere impugnatam, nec egere noua aliqua impugnatione, quamuis id, quod cōtra eam adductum est, possit magis declarari in hūc modum. Nam ex eo, quòd moueatur corpus, in quo est Angelus, nō tollitur ab eo, quòd posset perseuerare in voluntate operādi in tali corpore: sed perseuerante voluntate Angeli operandi in illo, non valuit dissolui ille nexus effectiuus propter solum motum corporis, in quo operabatur Angelus: alioquin etiā cū mouerentur species cōsecratæ, dissolueretur nexus effectiuus, quē haberet corpus Christi cū illis, & nō moueretur per accidēs ad motū illarū, quod est absurdum, & contra commnē sententiā Theologorum: ergo &c.

§. III.

§. III. Duplex ſententia noſtræ primæ aſſertioni aduerſa, fundamenta, & ſolutiones eorum.

Prima ſententia aſſertioni oppoſita.

20. PRima ſententia noſtræ primæ aſſertioni oppoſita docet, motum Angeli localem non conſiſtere in diuerſis illis contactibus virtutis, quibus ſucceſsiuè, & ſine intermedia quiete contingit diuerſa loca, ſeu in hoc, quòd Angelus efficaciter operetur in diuerſis locis ſucceſsiuè, & ſine prædicta quiete. Molina Hanc tenuit in primis Molina ad articulum 1. huius q. vbi eam vt Angelico Doctori aduerſam exarat, his verbis. *Sit nihilominùs hæc alia prima noſtræ concluſio, primæ concluſioni D. Thomæ contraria. Motus Angeli non eſt diuerſi illi contactus diuerſorum locorum ſucceſsiue: ſed eſt continua acquiſitio exiſtentiæ Angeli in alia, atque alia parte ſpatij, quæ eſt in ſubſtantia Angeli tanquam in ſubiecto, pertinetque ad prædicamentum vbi: non ſecùs ac motus localis corporis eſt continua acquiſitio exiſtentiæ in alia, atque alia parte ſpatij, quæ pertinet ad idem prædicamentum.* Eandem etiam ſententiam ſequitur Suarez lib. 4. de Angelis c. 12. & 13. diſp. 51. Metaphyſicæ ſectione 4. à n. 11. Vazquez 1. p. diſp. 195. c. 4. Rada 2. part. ſuarum controuerſiarum, cõtroverſia 3. Bubalus ad art. 1. huius q. quæſito vnico difficultate 4. §. 3. Granado tractatu 9. diſput. 4. n. 2. Et tandem hanc ſententiam ſequũtur omnes illi, quos contra noſtram ſententiam diſput. præcedenti dub. 2. & 3. adduximus. Et licèt non omnes hi Authores conueniant circa aliqua alia ad hoc ſpectantia, nihilominùs vnanimi cõſenſu docent partem negantem, & aduerſam noſtræ primæ aſſertioni, nẽpe, motũ localẽ Angeli non cõſiſtere in prædictis cõtactibus virtutis.

Suarez Vazquez Rada Bubalus Granado

Primum fũdamentum.

21. Poteſtque probari primò ex D. Thoma, qui antequam doceret, motum localem Angeli conſiſtere in diuerſis illis contactibus, ait, Angeli motum non commenſurari loco: commenſuraretur autem, ſi fieret media operatione tranſeunte, quæ loco commenſuratur. Et in fine corporis docet, poſſe Angelum habere motum diſcretum, & per hunc motum poſſe ſimul, & ſine ſucceſsione deſerere totum locum, & eodẽ modo ſe applicare toti alteri. Hoc autem non poſſet dicere, ſi motus Angeli conſiſteret in prædictis contactibus: quia diuiſibilitas, & extenſio operationis impediret, ne ſimul deſereret, vel acquireret locum.

Nec obeſt, ſi occurras, hæc teſtimonia ad ſummum loqui de contactibus formaliter tranſeuntibus, non verò formaliter immanentibus: quia iſti conſiſterẽt in imperio interno formaliter indiuiſibili. Nam contra hoc eſt, quòd de prædicto imperio non loquitur D. Thomas ſecundùm ſe, ſed vt habet effectum in loco: ſic autem habet commenſurationem cum eo, & affert paſsionem formaliter tranſeuntem, & effectum itidem tranſeuntem, & formaliter diuiſibilia, habentiaque prædictã commenſurationem.

Reſpondetur, admittendo ſolutionem da tam. Et ad primam impugnationem dicendum eſt, motum localem Angeli, licèt connotet illa duo diuiſibilia, & tranſeuntia formaliter in locum, non tamen conſiſtere formaliter in illis, ſed in actione Angeli formaliter immanente, & virtualiter tranſeunte: & ideo motus quoad rectum non commenſuratur cum loco, nec etiam quoad connotatũ, vt formaliter connotatum illius eſt, vt ex dictis in hac diſputatione patet: Nam ſic habet, ſequi quodammodò Angeli modum, & non habere omnimodam commenſurationẽ cũ loco: & ideò poſſunt paſsio, & effectus in de illatus, licèt ſint diuiſibilia, cauſari eo modo, quo requiritur ad motum diſcretum: quia quoad hoc ſequũtur naturã ſui recti, ac proinde queunt cauſari indiuiſibili modo: quia quod eſt in ſe diuiſibile, poteſt acquiri, & fieri indiuiſibiliter, & ſimul, vt de quantitate producta in inſtãti generationis, & de loco circunſcriptiuo, quem replet in illo inſtanti, patet.

Præcl.

22. Secundo probatur ratione. Quia dum Angelus eſt præſens vni loco, non poteſt operari, niſi priùs ſit præſens: ergo motus localis Angelicus non conſiſtet in prædictis cõtactibus, ſiue in hoc, quòd efficaciter, & ſucceſsiuè, ac ſine intermedia quiete operetur circa diuerſa loca. Probatur conſequẽtia. Quia motus localis terminatur ad præſentias ſucceſsiuas mobilis in diuerſis locis, ſicut via ad ipſas: & ita ſi antequam operetur in loco, aut in diuerſis locis, debet eſſe præſens illis, ac proinde debet præſupponi via ad prædictas præſentias, ſcilicet motus localis, nequibit prædictus motus conſiſtere in hoc, quòd Angelus modo dicto operetur circa diuerſa loca. Antecedens probatur. Quia alioqui non eſſet vnde probaretur, Angelum ſic operãtem eſſe in nouo illo loco ſecũdùm realem præſentiam ſuæ ſubſtãtiæ: quia ſi hęc præſentia non eſt neceſſaria in Angelo, vt ſit principium operationis, & percõſequens antecedenter ad eam, multò minùs deſiderabitur ratione ipſius operationis: quia operatio, cùm ſit tranſiens, nullam habet connexionem cum ſubſtantia Angeli, niſi vt cum ſuo principio, neque ad hoc vt recipiatur in ſuo ſubiecto, poſtulat vnionem Angeli cum loco: & ita motus Angeli non fiet ſecundùm realem præſentiam ſuæ ſubſtantiæ: ſed præcisè ſecundùm operationem.

Secundũ fũdamentum.

Reſpondetur, negando antecedens. Et ad probationem negatur antecedens, propter illa, quæ diſputatione præcedenti n. 75. diximus

diſſoluitur

mus ex Aristotele, & D. Thoma, scilicet, quod agens, quod operatur omnino immediatè, & passum debent esse simul. Et ad probationē ibidem adductam dicendum est desiderari ratione ipsius operationis hanc præsentiam, vt quid illatum ex illa, seu vt connotatum in eodem instanti importatum, licèt non in eodem priori *à quo*: quia præsentia non est causa, vel ratio operationis, sed è contrà: & ita operatio illa habet connexionem cum substantia Angeli, vt faciens eam præsentem loco: nec potest adæquatè recipi in substantia Angeli, nisi in eodē instāti reali faciat illum præsentē loco.

Tertiū fundamentum.

23 Tertiò probatur. Quia vel Angelus, vt est principium operandi circa diuersa loca partialia, est in primo loco, vel nullibi, vel in secundo loco? Non primum: quia non moueretur, sed esset in quiete, & tunc non esset *operari* eius motus localis. Non secundum: quia etiam nō moueretur localiter: quia motus localis est de loco in locum, & ita præsupponit mobile in loco. Ergo tertiū, quod est intentum: quia tunc priùs esset in secundo loco, & ita non moueretur ad eum per illam operationem.

Enodatur.

Respondetur, quòd si fiat sermo de Angelo se mouente, vt est principium illius operationis totalis, possumus loqui de illo, vel secundùm omnia, quæ realiter habet in ea duratione, in qua reuerà mouetur, & est principium modo dicto operandi: & sic non solùm dicit principium operationis, sed operationem ipsam: quia dum mouetur, non est priùs duratione, quàm illa, seu non est priùs, quàm ea, per prioritatem *in quo*, sed *à quo*: & ita vt est principium illius operationis mouetur, & est in secundo loco, ita vt partim sit in illo, partim verò in primo, si moueatur motu successiuo. Vel etiam possumus loqui de eodem Angelo, vt præcisè est principium operationis iam dictæ: & tunc, cùm non possit fieri sermo de eo, vt est principium solùm in potentia prædictæ operationis, quia sic non moueretur in ea reali duratione, de qua loquimur: oportet, vt fiat sermo de eo, vt est principiū actuale operationis, ita vt in recto intelligatur principium, vt id, à quo est actu operatio; & ipsa operatio in obliquo: & tunc tantùm intelligitur mobile, vt principium actuale sui motus, & vt principium actuale essendi partim in primo, partim in secundo loco, si moueatur successiuè, non verò tunc intelligitur moueri: quia moueri, dicit in recto ipsam operationem vt receptam in mobili, & dantem illi suum effectum: & propterea, nisi intelligatur operatio vt forma dans prædictum effectum, atque adeò nisi comparetur cum mobili in genere causæ formalis, & non solùm in genere causæ efficientis, vt quasi effectus illius principij operandi, non intelligitur mobile moueri formaliter ad secundum locū, aut esse partim in illo, partim in primo.

Quartū fundamentum

24 Quartò probatur eadē sententia. Nā Angelus, qui mouet cœlum, siue primum mobile, non mouetur localiter: & tamen operatur in diuersis partibus cœli sibi succedentibus in eodē situ, scilicet, in quadā parte Oriētis: ergo Angelum moueri localiter, non consistit in eo, quòd successiuè operetur efficienter in diuersis locis.

Enodatur.

Respondetur, aliud esse operari efficiēter in diuersis partibus eiusdem corporis successiuè, aliud verò, operari in diuersis locis successiuè. Ad primum non requiritur, Angelū moueri localiter, vt patet in exemplo allato, vbi Angelus dicitur manere in eodem loco, quamuis operetur efficienter in diuersis partibus cæli: quia omnes illæ partes succedunt in eodem situ respectu Angeli: quemadmodū columna, quæ est fixa in aqua, manet semper in eodem loco, quamuis diuersæ superficies ad inuicem succedant: quia omnes illæ succedunt in eodem situ, & distantia à reliquis partibus vniuersi respectu colūnæ. Cæterū ad secundum necesse est, Angelum moueri localiter: cùm ibi interueniat variatio situs respectu Angeli, & successio locorum.

Obiectio.

Nec obest, si vrgeas, quòd si Angelus est in certa parte Oriētis v.g. in duabus vlnis illius, fieret inde, vt rotante cœlo versus Occidens, tunc rotaret cum illo pars illa Orientis, quæ (exempli causa) ponitur magnitudinis duarū vlnarum, ita vt dimidium illius succederet in situ, in quo erat alterum dimidium attingens priùs suo motu Occidens: ergo cū Angelus sit, & perseueret in illo dimidio Orientis, quod mouetur, & succedit alteri dimidio in situ, consequens erit, vt rotet simul cū illo, atque adeò, quòd moueatur per accidens ad motum eius.

Solutio.

Respondetur, Angelū nec rotare, nec moueri per accidēs ad motū illius dimidij prędictæ partis: sicut nec Deus rotat, aut mouetur per accidens ad motū eius. Et ratio est eadē vtrobique. Quia cùm cœlum mouetur, tunc Deus est simul, & semper in toto cœlo, & quauis illius parte, & distantia: & ita nequit moueri per accidens ad motū cœli: quādoquidē ad hunc motū desiderabatur, vt Deus nō haberet semper esse in toto cœlo, aut in illo dimidio, & distantia, antequā pars cœli peruenire ad talē distantiā. Vnde, cùm in dimidio illius partis Orientis, quod perpriùs attingit Occidens suo motu, quā alterū dimidiū, nec non & in distantia illius sit Angelus, antequā prædictū dimidium acquirat illam nouā distantiā: inde est, vt etiam Angelus nō moueatur per accidēs ad motum prædicti dimidij.

Quintū fundamentum

25 Quintò probatur prædicta sententia. Nam asserere, quòd moueri Angelū localiter, est efficienter operari in diuersis locis succes-

ſucceſsiuè, parùm diſtat à ſententia communiter reiecta Durandi aſſerentis, Angelum nõ moueri ſecundùm rem, benè tamen ſecũdùm apparentiam, ſeu operationem, quæ apparet v.g. hìc, & non alibi, & animam Chriſti Domini ſecundùm rem non deſcendiſſe ad inferos, niſi ſecundùm operationem, & effectum: ergo &c. Antecedens probatur. Nam ad hãc efficientiam ſatis eſſet operari ſucceſsiuè in diuerſis locis, abſque eo quòd ſecundùm ſuã ſubſtantiam, ſed ſolùm ſecundùm operationem eſſet illis ſucceſsiuè preſens: ergo &c.

Diluitur. Reſpondetur, ſententiam Durandi valdè diſtare à ſententia D. Thomæ. Nam ille non admittit, operationem Angeli eſſe illi (modo à nobis expoſito) rationem eſſendi in loco, & per conſequens nec operationem ſucceſsiuam eſſe illi rationem mouendi ſe etiã quoad ſuam ſubſtantiam localiter: quod tamen in ſententia D. Thomæ, & noſtra neceſſariò eſt dicendum. Vnde ad formam argumenti negandum eſt antecedẽs. Et ad probationem reſpondetur, quòd actio erga diuerſa loca, ratione cuius Angelus mouetur, & anima Chriſti debet moueri, eſt operatio in prædicta loca, quæ ſit immediata immediatione virtutis, & ſuppoſiti: hæc autem neceſſariò defert ſecum coniunctam ſubſtantiam operantis, & ponit illam quoad ſuam ſubſtãtiam præſentem prædictis locis.

Secunda opinio oppoſita primæ aſſertioni. 26. Secunda ſententia noſtræ primæ aſſertioni aduerſa traditur à Vazquez loco citato, quæ licèt conueniat cum præcedenti in hoc, quòd neget, Angelicum motum conſiſtere in prædictis cõtractibus, addit tamen modum peculiarem defendendi illam: & ideò peculiariter eam referre placuit. Eam autem tribus propoſitionibus explicat.

Prima eſt, requiri duplicem mutationem, vt Angelus ſit in loco, quarum priori vniatur corpori exiſtẽti in loco, & poſteriori acquirat nouam diſtantiam à polis mundi: ita vt hæc diſtantia ſit intrinſecè in corpore exiſtente in loco, & per extrinſecam denominationẽ in Angelo. Secunda propoſitio. Quòd motus localis Angelorum non conſiſtit in prima ex his mutationibus. Tertia propoſitio. Quòd motus localis Angeli ſitus eſt in poſteriori mutatione, qua modo dicto acquirit nouam illam diſtantiam Angelo extrinſecam, & intrinſecam corpori, cui eſt vnitus,

Fidamẽtũ. 27. Probatur prima propoſitio. Quia Angelus eſt ſpiritualis, & eleuatus ſupra locum: & ideo non niſi medio corpore poteſt eſſe in loco: ac proinde requiritur vnio eius ad diuerſa corpora, vel diuerſas vnius corporis partes, vt moueatur localiter. Secunda verò propoſitio probatur. Quia hæc vnio, & mutatio terminatur ad corpus non prout eſt hic, aut alibi: motus autem localis terminatur ad corpus, ſeu ad locũ corporeũ, vt hic, vel alibi: ergo, &c. Antecedẽs probatur. Quia illa vnio eſt vnio ad corpus ſecundùm ſe: hæc autem non eſt ad corpus, vt eſt hic, vel alibi. Tertia denique propoſitio probatur. Quia ſi motus localis Angeli non conſiſtit in priori mutatione, conſiſtet in poſteriori: quia non eſt alia: & quia eſt acquiſitio nouæ diſtantiæ, & eſt ſucceſsiua, ex eo quòd ſucceſsiuè vnitur corpori, ex qua vnione reſultat hæc ſecũda mutatio.

Reſpondetur ad probationẽ primæ propoſitionis, non requiri talem vnionem. Et ideò Angelus immediatè agens in locum, & intra terminos eius, erit ibidẽ vt in loco. Et quãdo prædictus Angelus præcisè agit in corpus intra eius terminos, & non in locum, in quo eſt corpus, tunc non erit in loco corporis vt in loco, ſed ſolùm in ipſo corpore locabitur. Diluitur.

Neque obeſt ad hoc ſpiritualitas Angeli. Tum, quia ſicut poteſt immediatè vniri corpori exiſtenti in loco, non obſtante ſpiritualitate: ita & loco corporeo. Tum, quia eleuatio illius, in alijs iam dictis in præcedenti diſputatione, & infrà dicendis, non verò in hoc debet elucere.

Ex quo ad probationem ſecundæ propoſitionis conſtat, quòd ſaltem ſecũdùm communem curſum vnio Angeli cum corpore exiſtente in loco, eſt vnio illius cũ eo, vt prædictum corpus eſt in tali diſtantia: quia illi corpori vnitur, vt operans intra eius terminos: & ſaltem ſecundùm communẽ curſum corpus dicit tantam, vel tantam diſtantiam à polis: quamuis prædicta diſtantia non ſit ratio formaliſsima prædicti corporis, vt habet rationem loci reſpectu Angeli: quia diſtantia ſolùm eſt ratio formaliſsima loci circũſcriptiui, nõ verò diffinitiui, vt diſputatione præcedenti dubio 7. & 8. diximus.

Ex quo ad probationem tertiæ propoſitionis patet. Siquidẽ in operatione illa Angeli, vt eſt virtualiter tranſiens, & infert effectum ad extrà iam dictum, reperiũtur omnia requiſita ad motum. Et ita non conſiſtit motus Angeli in illa vltima mutatione ſecundùm denominationem extrinſecam: aliquin Angelus ſolùm per denominationem extrinſecam moueretur: quod non ita conſonat teſtimonijs adductis dubio præcedenti, & rationi infrà dubio 6. adducendæ.

§. IIII. *Vltima ſententia ſecundæ noſtræ aſſertioni oppoſita.*

Vltima ſententia ſecũdæ aſſertioni oppoſita. 28. TErtia, & vltima ſentẽtia noſtræ ſecũdæ aſſertioni aduerſa docet, Angelũ exiſtẽtẽ in aliquo corpore, vt in loco, nõ moueri localiter ad motum eius per accidẽs: ac proinde

proinde nec moueri localiter tunc formaliter per illum motum, siue per illum solum.

Scotus. Rada. Ita Scotus in 4. dist. 10. q. 6. Fauet Rada loco nu. 20. relato, eamque aliqui ex Iunioribus tuentur.

Primi fundamentum Probatur primò. Nam Angelus, quando est in corpore, & mouetur corpus, non mutat locum: ergo non mouetur localiter. Consequentia patet. Nam impossibile est, aliquid moueri localiter, & non mutare locum. Antecedens autem probatur. Nam Angelus est in loco per operationem: sed non operatur in alio loco, præterquàm in prædicto corpore, vt supponimus: ergo mutat locum.

Confirmatur. Confirmatur. Nam ad hoc vt corpus moueatur per accidens ad motum nauis, debet mutare formaliter omnem locum, & *vbi*, quod anteà habebat, & acquirere aliud de nouo, eo ipso quòd mouetur localiter per accidens ad motum nauis: sed quando mouetur corpus, in quo erat Angelus, ipse non mutat formaliter omnem locum, quem anteà habebat: ergo signum est, quòd non mouetur etiam per accidens ad motum corporis.

Respõsio prima. Respondetur, quòd moueri Angelum localiter per accidens ad motum corporis, nihil aliud est, quàm per colligationem & nexum, quem habet effectiuum cum corpore, poni substantialiter, vbi ponitur corpus motum. Quare, cùm anteà esset corpus motum in vno spatio, & posteà per motũ sit in alio, inde est, vt Angelus ei colligatus, qui per accidens erat anteà in vno loco, posteà per accidens sit in alio, licèt semper sit in eodem corpore: & ita per accidens dicitur simili modo, & in eodem sensu mutare locum, licèt sit per se semper in eodem corpore. Quoniam licèt ratio essendi in loco per se, & mouendi se ipsum sit operatio, ratio autem, vt moueatur Angelus per accidens ad motum alterius, & essendi nunc denuò per accidẽs, propter nexum cum corpore in spatio, vbi nunc est corpus, non est operatio ipsius Angeli, sed quòd res, in qua est Angelus localiter, mutet locum.

Secunda. 29. Secundò respondetur, negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, quòd adhuc dato, Angelum non operari tũc in alio corpore, non inde fit, non operari in alio loco formaliter sumpto, licèt non operetur in alio loco materialiter, & in *esse* entis accepto. Quoniam anteà operabatur in illo corpore, vt erat in illa priori distantia, antequam prædictum corpus moueretur: posteà autem, dum per accidens mouetur, habet operari in illo, vt est in diuersa distantia, atque adeò quatenus inuariato manente in *esse* corporis, variatur in *esse* loci formaliter: ita tamen, quòd prædicta variatio in *esse* loci formaliter non proueniat ex sola variatione distantiæ, sed præcipuè ex variatione operationis Angelicæ, non quidem in *esse* entis sumptæ, sed vt est ratio essendi in loco, & minùs principaliter proueniat ex ipsa distantia, quatenus licèt corpus illud, vt habet rationem loci Angelici formaliter sumpti, dependeat perprius, imò & simpliciter ab Angelo, & eius operatione, attamen secundùm quid, & in genere causæ materialis quodammodò pendet à distantia à centro terræ, & polis mundi. Vnde aliud est, an motus ille per accidens, præcisè ex vi huius conceptus ponat aliquid in Angelo, & dicat diuersum motum ab illo, quo corpus ipsum mouetur? aliud verò, an hoc motu per accidens dato in Angelo, habeat prædictus Angelus moueri alio motu per se, in quo pendeat secundùm quid ab illo corpore, vt est in tali, vel tali distãtia, & corpus pendeat simpliciter ab illo, ex eo quòd est in eo, continendo prædictum corpus, & efficiendo in illo, vt est in tali distantia, & corpus ipsum sic sumptum est materia, circa quã operatur, ac proinde operatio Angeli est simpliciter prior, & secundùm quid posterior? Ex quibus primum illud in hoc dubio negamus, secùs verò hoc posterius.

Ad cõfirmationem primã solutio. Ad confirmationem respondetur primò, quòd transeat maior, & minor, sed negand a est consequentia. Et ratio disparitatis oritur ex diuerso modo essendi in loco, quem habent corpus, & Angelus ex vno capite, & ex diuersa etiam ratione, quam sortiuntur locus formalis corporis, & locus formalis Angeli ex alio. Angelus namque est in loco per operationem, & diffinitiuè, absque aliquo *vbi* superaddito realiter operationi, vt suprà dictũ est: corpus verò est in loco circunscriptiuè, & per verum *vbi* prædicamẽtale. Insuper ratio formalis loci Angelici consistit in hoc, quod in eodem loco perseueret eadem operatio, & effectus Angeli: ratio verò formalis loci corporis cõsistit in eadem distantia in ordine ad polos vniuersi. Hinc ergo est, quòd nõ potest moueri per accidens corpus ad motũ nauis, sine eo quòd mutet locũ formalem: quia non potest moueri etiã per accidẽs, sine eo quòd mutet distantiam in ordine ad polos, & amittat *vbi* circunscriptiuũ, quod anteà habebat, & acquirat aliud de nouo. Potest autem optimè moueri per accidens Angelus ad motum corporis, sine eo quòd varietur ratio formalis loci illius, quem anteà habebat: quia etsi propter nexũ cũ corpore sit in spatio, in quo nunc est corpus, & deseruerit aliud spatiũ, in quo anteà erat, semper tamen potest perseuerare eadem operatio, & idem effectus respectu corporis moti, & sic eadem ratio formalis loci respectu Angeli. Et potest instari solutio in corpore Christi Domini per accidens moti in Eucharistia, quod etsi per accidens moueatur ad motum specierum, non mutat præsentiam sacramentalem, quam habet ad

ipsas

ipſas ſpecies, eò quòd ſemper perſeuerat eadem ratio illius præſentiæ ſacramentalis. Et ratio videtur eadem vtrobique. Quia nec præſentia ſacramentalis pẽdet ab ſpeciebus, vt ſunt in tali, vel tali diſtantia à centro terræ, & à polis mundi, nec ſimiliter præſentia localis ad corpus pendet, adhuc ſecundùm quid, à prædicta diſtantia: & ita dato vno ſolummodò corpore, & deſtructis alijs corporibus, etiam cœleſtibus, eſſet Angelus eodem modo in loco, poſſetque per illud corpus moueri localiter; quãuis tunc etiam haberet nexum ille motus cum diſtantia partium corporis inter ſe, & cum puncto centrali eiuſdem corporis.

Secunda ſolutio. Secundò reſpondetur (& quidem conſequenter ad ſecundam ſolutionem huius argumenti) negando minorem, propter illa, quæ in prædicta ſolutione diximus.

Secundũ fũdamentum 30 Secundò probatur eadem oppoſita ſententia. Nam homo v. g. qui mouet corpus, in quo eſt Angelus, non habet virtutem proportionatam ad mouendum Angelum: ergo etiamſi moueat tale corpus, non poteſt mouere Angelum. Antecedens patet. Nam virtus hominis eſt corporea, ac proinde non habet proportionem ad mouendum Angelum, qui eſt ſpiritus Et conſequentia probatur. Nam inter mouens, & motum debet eſſe proportio: ergo eo ipſo, quòd homo non habeat virtutem proportionatam ad mouendum Angelum, non poterit illum mouere, etiamſi moueat corpus, in quo Angelus eſt.

Quòd ſi dicas, virtutem mouentis debere eſſe proportionatam cum per ſe mobili; non verò cum mobili per accidens. Contrà. Nam ſequeretur, Angelum, qui eſt in aqua v. g. poſſe moueri per accidens motu alterationis, vt ſi aqua, in qua eſt Angelus v. g. calefiat, poterit per accidens Angelus calefieri. Conſequens eſt apertè falſum: ergo &c. Sequela probatur. Nam virtus calefactiua ignis habet proportionem cum per ſe mobili, ſcilicet cum aqua: & ſecundùm hanc ſolutionem hoc ſatis eſt ad hoc, vt Angelus moueatur per accidens: ergo, &c.

Diluitur fũdamentũ. Reſpondetur, optimè dictum eſſe, quòd ad hoc vt aliquid moueatur per accidens, non eſt neceſſe, quòd ſit proportio inter virtutem mouentis, & id, quod mouetur per accidens, ſaltem loquendo de proportione per ſe. Et ratio eſt. Quoniam cùm aliquid mouetur per accidens ad motum alterius, non mouetur ſecundùm propriam naturam, & motu proprio: & ita non eſt neceſſaria proportio cum illo.

Ad replicã fit ſatis. Et ad replicam dicendum eſt, eſſe maximum diſcrimen inter motum localem, & motum alterationis. Nam motus localis eſt motus maximè abſtractus, & qui conuenit rebus per ordinem ad extrinſecum: & ita motus iſte propter iſtam abſtractionem, & immaterialitatem conuenit rebus incorruptibilibus, vt cœlis. Cæterùm motus alterationis eſt valdè craſſus, & materialis, ſumitque ſuam materialitatem in ordine ad aliquid intrinſecum: & ideò numquam denominat ſubiectum, niſi illud afficiat. Vnde anima rationalis mouetur per accidens motu locali ad motum corporis; ſed non calefit, etiam calefacto corpore. Similiter Chriſtus Dominus mouetur per accidens localiter ad motum ſpecierum in Eucharistia: non tamen alteratur, etiam per accidens, alteratis ſpeciebus. Sic ergo Angelus mouetur per accidens localiter ad motum corporis, in quo eſt, non tamen calefit, etiam per accidens, tali corpore calefacto.

Tertiũ fundamentum 31 Tertiò. Nam ſi ponamus caſum, quòd vnus Angelus ſit in duobus lapidibus, tamquam in loco adæquato, & vnus lapis moueatur, & alter quieſcat, ſequeretur, quòd Angelus ſimul moueretur, & quieſceret: & ſi in illo caſu vnus lapis moueretur ſurſum, & alius deorſum, poſſet ſimul Angelus moueri motibus contrarijs. Conſequens eſt apertè falſum: ergo, &c. Sequela patet. Nam Angelus moueretur per accidens, vel quieſceret ad motum, vel quietem lapidis.

Enerratur primo *D. Thom.* Reſpondetur primò ex D. Thoma in 1. diſtinct. 37. quæſt. 4. art. 1. ad 4. vbi ait, quòd anima noſtra non mouetur per accidens mota manu; ſed eſt neceſſarium ad hoc vt anima moueatur per accidens (ſaltem per motum iſtum ſimpliciter dictum) quòd totum corpus ſuſceptiuum animæ moueatur. Et ita ad hoc, vt Angelus moueatur per accidens, erit neceſſarium, quòd locus adæquatus, in quo eſt, moueatur. Atque adeò non ſequitur in caſu poſito, quòd quieſcat, & moueatur, ſed ſimpliciter quieſcit: nec ſequitur, quòd moueatur motibus contrarijs, propter eandem rationem.

Secundò Secundò reſpondetur, non eſſe inconueniens, quòd eadem res quieſcat, & moueatur, aut quòd moueatur motibus contrarijs, quando huiuſmodi motus conueniunt rei per accidens, & ſecundùm quid: vt in Euchariſtia corpus Chriſti Domini mouetur per accidens in vna hoſtia, & in altera quieſcit: in vna mouetur ſurſum, & in altera deorſum.

(.i.)

DVBIVM III.

Vtrùm Angelus moueatur motu continuo? & in quo prædictus motus consistat?

PRoſtquam explicuimus, Angelũ moueri localiter, & in quo hic motus cõſiſtat, ſtatim pulſat animum inquirere, an ſpecies generales diuidentes motum localem, ſcilicet eſſe continuum, vel diſcretum, in eo inueniantur? Et primo loco de motu continuo agimus: quia hic notior diſcreto eſt. Quia verò in titulo duo continentur, ſcilicet *an eſt*, & *quid eſt* prædicti motus: ideò hoc duabus aſſertionibus expediemus.

§. *I. Aſſertio prior iuxta Angelici Doctoris mentem.*

Prior aſſertio D. Th.

32 DIcendùm ergo eſt primò, Angelum poſſe moueri motu continuo. Ita D. Thomas in præſenti in corpore, vbi ſic ait: *Poteſt tamen in huiuſmodi contactibus continuitas quædam inueniri, &c. Et ſic motus eius erit continuus* Et in ſolutione ad 1. ita inquit: *Secundùm quòd motus Angeli ponitur continuus, ſic cõcedi poteſt, quòd Angelus dum mouetur, partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quẽ: vt tamen partialitas non referatur adſubſtantiam Angeli, ſed ad locum, &c.* Et quodlibeto 1. art. 5. in fine articuli, vbi ſic dicit: *Dicendum, quòd Angelus non eſt in loco per commẽſurationem, ſed per applicationem ſuæ virtutis ad locum: quæ quidem poteſt eſſe indifferenter, & ad locum diuiſibilem, & indiuiſibilem.* D. Bonauentura. Richard. Scotus. Gregor. Marſilius Ægidius Capreol. Caietan. Ferrara. Nazarius Zumel. Bañez. Valentia Molina. Vazquez Bubalus. *Vnde poteſt continuè moueri, ſicut aliquid in loco diuiſibili exiſtens continuè intercipiendo ſpatium, &c.* Eandem ſententiam tenent D. Bonauentura in 1. diſt. 37. p. 2. art. 2. q. 3. Richardus ibidem art. 3. q. 3. Scotus in 2. diſt. 2. q. 9. Gregorius q. 2. Marſilius q. 7. concluſione 3. Ægidius in 1. diſt. 37. 2. p. art. 2. q. 3. Capreolus in 2. diſt. 6. q. 1. art. 1. concluſione 3. & art. 3. ad argumenta, Caietanus in hunc articulum §. *Circa continuitatem*, Ferrara 3. cõtra Gentes c. 102. §. *Ad euidentiam primi dubij*, Nazarius, Zumel, & Bañez in præſenti, Valentia diſp. 4. q. 4. pũcto 1. §. *deinde ſciendum*, Molina in hoc articulo §. *his conſtitutis*, Vazquez diſp. 195. c. vlti mo, Bubalus quæſito vnico, difficultate vlti ma §. 2. & eſt communis.

Principũ fundamentum.

Ratio autem fundamentalis huius aſſertionis deſumitur ex D. Thoma locis citatis, poteſtque ad hanc formam reduci. Nam Angelus poteſt eſſe in loco diuiſibili, vt ex dictis diſp. præcedenti n. 129. conſtat: ergo poteſt, deſerendo paulatim, & per partes abſq; interpolatione, ſeu ſine intermedia quiete, deſerere illum locum, & eodem modo acquirere per partes alium, ita vt, quantum deſerit per partes de loco, in quo erat, tantum acquirat de nouo loco, in quo ſe conſtituit: ergo tunc mouebitur localiter per motum continuum. Antecedens, & prima conſequentia ſunt ſatis perſpicua. Secunda verò etiam liquet. Nam ideò corpus mouetur localiter continuè per motum ipſi proportionatum, quia eſt in loco diuiſibili, & deſerit paulatim, & per partes abſque interpolatione, & ſine intermedia quiete prædictum locum, & eodem modo acquirit alium, ita vt quantum deſerit per partes de loco anteà habito, tantum acquirat de nouo loco, cui denuò ſit præſens.

Aliquorum euatio.

33 Cæterùm hæc ratio D. Thomæ aliquibus videtur poſſe facilè diſſolui, reddendo diſparitatem inter tranſitum illum, quo corpus exiſtens in loco diuiſibili deſerit per partes illum, & eodẽ modo acquirit per partes ſucceſsiuè, & ſine interpolatione alium locum, ita vt tantum per partes de hoc acquirat, quantum de illo deſerit, & inter eum tranſitum, quo Angelus deſerit eodem proportionali modo locum, in quo eſt, & acquirit alium. Nam in tranſitu corporis reperitur formalis extenſio, & pluralitas partium: & ſic in illo ſaluatur vera continuitas per deſertionem ſucceſsiuam vnius loci, & ſucceſsiuã acquiſitionem alterius: attamen in motu Angeli, qui in ipſo Angelo, vt in hac diſputatione dicemus, recipitur, nequit inueniri formalis extenſio, & pluralitas partium, Nam Angelus eſt formaliter indiuiſibilis negatiuè, ideſt, ita vt ei repugnet diuiſibilitas: in tali autem ſubiecto nequit aliquid formaliter diuiſibile, & extenſum recipi, vt ex ſe, & ex ijs, quæ tradunt N. Complut. in Logica c. de Quantitate diſp. 13. n. 39. ſatis conſtat: & ita etiamſi Angelus paulatim, ſucceſsiuè, & abſque interpolatione per contactum ſuæ virtutis deſerat vnum locum, & eodem modo acquirat alium, non rectè deducitur, quòd motus Angeli ſit continuus. *N. Compl.*

Eneruatur.

Sed contrà. Nam licèt ex continuitate motus corporum per ſucceſsiuam deſertionem vnius loci, & ſucceſsiuam etiam acquiſitionem alterius, modo dicto, non inferatur eadem cõtinuitas in motu Angeli per ſimilem deſertionem, & acquiſitionem, eò quòd in motu corporum reperitur formalis extenſio, & pluralitas partium, ſecùs verò in motu Angelico: nihilominùs optimè

optimè infertur alia proportionalis,& æqui uoca continuitas. Sicut licèt ex modo eſſendi in loco diuiſibili per cõtactũ quantitatiuũ corporis non deducatur idem modus eſſendi Angeli in eodem loco diuiſibili per ſimilem contactum virtutis,rectè tamen infertur modus eſſendi in loco diuiſibili illi proportionalis,& æquiuocus.

Elucidatur impugnatio.

Explicatur hoc. Etenim continuitas, ſicut quilibet alius modus, aut quaſi modus, debet proportionari cum re,cuius eſt continuitas,vel modus: & ſic continuitas motus, oportet,vt proportionetur cum motu. Vnde,ſi motus ſolùm æquiuocè,& (vt ſic dicamus) virtualiter fuerit motus,tunc continuitas etiam ſolùm æquiuocè, & virtualiter erit continuitas,tam comparata cum continuitate motus corporum, quàm ſecundùm ſe. Cumque motus Angeli, vt oſtenſum eſt, ſolùm æquiuocè ſit motus,tã collatus cum motu corporũ,quam ſecundum ſe,optimè infertur,quod cõtinuitas prædicti motus Angelici,ſiue collata cũ cõtinuitate, & extenſione motus,corporum,ſiue ſecũdũ ſe, ſolùm æquiuocè, & virtualiter ſit continuitas, & extenſio, non verò vniuocè,& formaliter.

Quæ doctrina deſumitur ex Angelico Doctore locis citatis,vbi ſtatuit, Angelum eſſe in loco æquiuocè, & habere motum localem reſpectu corporum, etiã æquiuocè, nec non continuitatem ipſi correſpondentem.

Qualis autem debeat eſſe prædicta continuitas æquiuoca inuenta in motu locali Angelico,ſequenti aſſertione explicabitur.

Obijcitur contra rationem factam primo.

34 Neque obeſt, ſi contra rationem hanc obijcias duo. Primũ eſt, falſò ſupponi in ea, requiri ad continuitatem motus, quòd per partes relinquatur terminus *à quo &c.* Nam iuxta ſententiam D. Thomę diſp. præcedenti n. 138. traditam, Angelus poteſt eſſe in ſolo puncto: at tunc, quando illud deſerit, habet, tũ deſerere totum illum ſimul, tum etiã acquirere per partes terminum *ad quem*, abſque interruptione, & ſine intermedia quiete, habetque moueri localiter ſucceſſiuè, & continuè: alioqui non moueretur per partes ad terminum *ad quem*, & cum ſucceſſione. Ergo, &c.

Secundò.

Secundum eſt, falſò etiam ſupponi in hac ratione, quòd ad motum localẽ continuũ deſideretur, relinqui priorem locum, & non ſufficere acquiſitionem continuam noui loci. Quoniã ſi Angelus exiſtens in dimidia parte ſui loci adęquati, v.g. in dimidia parte leucę, acquirat per partes, & ſucceſſiuè, ac ſiue media quiete præſentiã ad aliã dimidiã partem, abſq; eo quòd relinquat priorẽ, verè mouebitur localiter continuè: ſiquidem continuè, & abſq; interpolatione acquirit nouum locũ, Ergo falſò in hac ratione ſupponitur, eſſe neceſſariam prædictam derelictionem.

Reſpondetur enim ad primam ex his obiectionibus, tunc Angelum non moueri motu locali continuo: quia (vt dicebamus) ad iſtum requiritur ſucceſſiua deſertio termini *à quo*, ſcilicet loci: quia quo paſſu datur illa derelictio, eodem debet dari acquiſitio termini *ad quem*: & ideò ſi prædicta derelictio non eſt ſucceſſiua, & continua, neque etiam hoc habebit noua illa acquiſitio termini *ad quem*: Vnde illa derelictio, qua totus ſimul derelinquitur terminus *à quo*, nectitur cum acquiſitione, qua totus ſimul acquiratur terminus, *ad quem*. Cæterùm cũ hoc ſtat, quòd ſemel acquiſito ſimul illo termino (qui poteſt eſſe diuiſibilis, non obſtante acquiſitione ſimultanea illius: quia diuiſibilitas termini non pugnat cum ſimultanea acquiſitione eiuſdem, quãdo non ſucceſſiuè, & per partes acquiſitus eſt) queat exinde moueri Angelus, relinquendo paulatim illum locũ motu continuo, & acquirendo etiam paulatim nouum alium terminum *ad quem*: & ſic ibi erit duplex mutatio, ſiue vna mutatio inſtantanea, & vnus motus ſucceſſiuus, quę duo, nõ continua, ſed contigua erunt. Vnde falſum eſt id, quod etiam ſupponitur in hac obiectione, ſcilicet, in prima mutatione acquiri per partes terminum *ad quem*. Nam licèt acquirantur partes illius, & locus ex eis conſtans, non tamen per partes: quia ad hoc deſiderabatur, vt paulatim, & ſucceſſiuè prædictæ partes acquirerentur.

Solutio obiectionis.

Replica.

35 Neque obeſt, ſi vrgeas, quòd tempus, quo menſuratur ſecunda mutatio, ſiue motus ille ſucceſſiuus, continuatur inſtanti, quo menſuratur prima acquiſitio termini *ad quẽ*, ſeu mutatio illa inſtantanea: quia ad continuitatem temporis cum inſtanti ſatis eſt, tempus (vt in preſenti contingit) ſuccedere immediatè poſt inſtans, vt patet in tempore noſtro. Ergo etiam motus ibidem inuentus continuabitur cum prima illa acquiſitione inſtantanea: & ita non erunt contigua, ſed continua: cuius oppoſitum in prædicta ſolutione dicebatur.

Reſpondetur enim, negando antecedens. Quia inſtans menſurans primam acquiſitionem non eſt de natura temporis menſurantis ſecundam, tanquã terminus eius, ſed eſt pars alterius temporis, ſcilicet diſcreti, quo, vt tali, non menſuratur acquiſitio poſterior. Vnde ad probationem adiunctã dicendũ eſt, quòd ad ſummum intelligitur de inſtanti, quod eſt proprius terminus tẽporis ſuccedẽtis. Vnde prima acquiſitio adęquatè ſũpta, ideſt, prout dicit, quòd Angelus derelinquat illud punctũ per vltimũ *eſſe* in illo, & acquirat deinde terminum *ad quem* per primum *eſſe* in ipſo relictũ, non eſt motus continuus, ſed diſcretus; quãuis inadæquate ſũpta, prout præciſè dicit deſinere eſſe in prædicto pũcto per vltimũ

Reſpondetur.

esse, fiat præcisè in instanti, vt infrà dicemus. Secunda verò mutatio est motus continuus, & mensuratur tempore Angelico, continuo tamen, modo infrà in hoc eodem dubio explicando.

Diluitur secunda obiectio.

Ad secundam obiectionem respondetur, mutationem illam non esse motum localem, sed solùm esse dilatationem, seu extensionem quandam ad maiorem locum reductiuè pertinentem ad motum continuum, quam vis propriè non habeat rationem prædicti motus, ex eo quòd necessariò petit esse à loco in locum, modo explicato.

§. II. *Assertio posterior ex Angelico Præceptore accepta.*

Secunda assertio.

36 DIcendum est secundò, continuitatem æquiuocè talem, tam secundùm se, quàm in collatione ad continuitatem corporum, & conuenientem motui locali Angelico, consistere in diuersis contactibus diuersorum locorum, quodammodò continuè, successiuè, & sine interpolatione se habentibus, seu in hoc, quòd Angelica operatio iam dicta, formaliter immanens, & virtualiter transiens, sit talis conditionis, quòd in diuersis locis paulatim, & successiuè, ac sine interpolatione, seu sine intermedia quiete aliquid producat: ita vt quantum desinit operari in illo loco, à quo discedit, seu quantum desinit esse in illo, tantum acquirat paulatim, & per partes de nouo loco: ac proinde prædicta actio, in qua consistit eius motus, sit talis conditionis, vt in locis partialibus, quæ per partes acquirit, producat distinctos effectus aliquo modo partiales, & constituentes respectu totius motus effectum adæquatum aliquomodo vnum, & totalem.

Elucidatur assertio.

Explicatur assertio. Etenim in ea consulò dicimus, continuitatem motus localis Angelici consistere in hoc, quòd eius operatio, formaliter immanens, & virtualiter transiens, sit talis conditionis, vt habeat ea, quæ in assertione continentur: vt denotaremus, prædictã continuitatem conuenientem motui locali Angelico non se tenere præcisè ex parte locorum, aut effectuum materialium, passionum vè itidem materialium, quæ ab Angelo per illam operationem causantur, sed tenere se ex parte ipsius actionis, ita vt illi sit intrinseca, quamuis necessariò connotet diuersa loca, pluresque effectus, & passiones causata ab eadem operatione Angelica. Quoniam si prædictus motus esset continuus præcisè per hoc, quòd spatium, aut effectus causati ab Angelo essent inter se continui, non haberetur hinc continuitas in motu, sed solùm in spatio, aut in effectibus illis causatis ab Angelo.

Sicut etiam data opera asseruimus, quòd prædicta actio formaliter immanens, & virtualiter transiens versetur circa diuersa loca sine interpolatione, seu sine intermedia quiete. Nam hoc ipso, quòd circa illa Angelus operetur media interpolatione, & quiete, interrumpitur motus, & euanescit illius continuitas. Et similiter speciali ratione diximus, quòd quantũ Angelus per partes desinit esse, & operari in loco, à quo discedit, tantũ etiã, & per partes acquirat de loco denuò, in illoque operetur: vt per hoc speciale quoddam discrimen, quod inter motum localem, & discretum Angeli ex vna parte, & continuum ex alia versatur, denotetur.

37 Tandem maturè addidimus in prædicta assertione, quòd actio (intellige saltem talis, siue totaliter exercita) in qua consistit motus Angelicus, sit talis conditionis, vt in locis partialibus, quæ per partes acquiruntur, attingantur per eam plures effectus aliquo modo partiales, & constituentes effectum aliquo modo vnum, & totalem. Nam etsi prædicti effectus in *esse* entis sint totales, imò & diuersæ speciei; attamen in *esse* effectuum successiuè, & sine interpolatione acquisibilium constituunt effectum adæquatum respectu prædictę operationis, qui sit aliquo modo vnus, & aliquo modo totalis: vnus quidẽ vnitate successionis, absque interpolatione aliqua huius post illum, & sic de reliquis; totalis verò, quatenus dicit collectionem successiuam, saltem quodammodò vnam, coalescentem ex prædictis effectibus sic successiuè, & sine interpolatione factis, & ex tot effectibus, qui ad terminandum totum illum motum factum v.g. per integram leucam desiderantur. Et ita prædicti effectus censentur in hoc ordine quodammodò partiales, & solo numero distincti per distinctionem numericam aliquomodo partialem, quamuis aliàs in *esse* rei possint multoties esse omninò totales, imò & specie distincti, vt statim magis explicabitur. Vnde per hanc specificã distantiam in *esse* rei non interrumpitur, aut discontinuatur motus Angelicus: quia non connotantur ab eo, nisi (formaliter loquendo) quatenus constituunt vnũ & eundem quodammodò effectum totalem, & adæquatum in ordine iam dicto, & vt in eodem habent solùm numericè quodammodò partialiter distingui.

Explicatur exemplo.

Potestque hoc explicari exemplo vbicationum materialium, quas mobile corporeum in toto (vt sic dicamus) discursu sui motus per integram leucam acquirit. Nam etsi singulæ ex illis in *esse* entis, & quantum est de se, sint quid completum, & propterea mobile posset sistere in quauis vbicatione determinata, & quælibet ex illis vbicationibus determinatis pertineat per se ad prædicamentum *vbi*, ac proinde sit quid cõpletum

pletum: nihilominùs in *esse* successiuè, & sine interpolatione acquisibilium, seu (vt sic loquamur) in *esse* pertransibilium, constituunt vnum & eundem effectum in hoc ordine, qui sit quodammodò vnus vnitate successionis absque interpolatione, & sit simul totalis, idest, petens necessariò tantam copiam vbicationum, quarum vna post aliam acquiratur, quanta est necessaria ad hoc, vt totum illud spatium vnius lineæ percurratur: & prædictus effectus totalis ad hoc, vt integrè ossit illum motum terminare, exigit componi ex omnibus illis vbicationibus, ipsæque respectu illius sunt partiales (saltem aliquo modo) & solo numero partiali distinguuntur: ac tandem quæuis ex eis sic sumpta exigit consortium alterius, vt adæquatam illam præsentiam, vnam vnitate successionis iam dicta, componat, aut quasi componat.

Probatur assertio ex D. Thom.

38 Assertio ergo sic explicata apertè colligitur ex locis, tam in hoc dubio, quàm in præcedenti adductis, necnon ex illis, quæ dubio. 6. adducemus, & peculiariter ex 1. ad Annibaldum dist. 37. q. 2. art. 1. ad 3. & ad 4. cuius verba in hoc dubio §. vltimo adducemus: necnon ex articulo 1. huius q. vbi S. Doctor constituens motum localem Angeli in diuersis contactibus diuersorum locorum, sic ait: *Potest tamen in huiusmodi contactibus continuitas quædam inueniri: quia, vt dictum est, nihil prohibet Angelo assignare locum diuisibilem per contactum suæ virtutis: sicut corpori assignatur locus diuisibilis per contactum suæ magnitudinis. Vnde, sicut corpus successiuè, & non simul dimittit locum, in quo prius erat; & ex hoc causatur continuitas in motu locali eius: ita etiam Angelus potest dimittere successiuè locum diuisibilem, in quo prius erat: & sic motus eius erit continuus.* In quibus verbis satis apertè in successione contactuum explicata constituit continuitatem motus Angelici.

Ratione etiam fundamentali.

Potestque ratione ex eodem S. Doctore deprompta probari, & explicari magis in hunc modum. Quoniam continuitas motus Angelici non potest consistere in hoc, quòd vna pars formaliter talis prædicti motus, & diuisibilis formaliter in semper diuisibilia correspondeat vni parti spatij, & altera pars itidem formaliter talis, & modo nuper dicto diuisibilis correspondeat alteri parti spatij, ac proinde ita vt in prædicto motu, & operatione, in qua consistit, detur extensio formalis prædictarum partium, & compositio ex his diuersis partibus formaliter talibus, vnitis aliquo indiuisibili, seu termino communi: tum, quia alioqui (vt docet D. Thomas art. 1. huius q. in solut. ad 1.) hæc continuitas non esset æquiuoca respectu corporum, & Angelorũ, sed vniuoca. Tum etiã. Quia, vt loco citato inquit idem S. Doctor, iam Angelus esset in loco per commẽsurationem cum illo, sicut corpus: siquidem ratio, qua Angelus esset in loco, nempe prædicta operatio, esset omninò commensurata loco, sicut in corporibus accidit: & ideò etiam Angelus esset in loco commẽsuratiuè, & moueretur etiam continuò per continuitatem commensuratam eidem loco. Tum denique. Quia cùm prædicta actio sit formaliter immanens, & eo ipso spiritualis, non potest habere hanc molem, & extensionem formalem partium formaliter talium, diuisibilium in semper diuisibilia, & vnitarum prædicto termino communi.

D. Thom.

Quare actio adæquata, in qua motus Angelicus consistit, non erit continua continuitate (vt sic dicamus) molis, & faciente propriè loquendo extensionem, sed continuitate, quæ sit propria contactus virtutis, vt distinguitur ab alijs rebus. Hæc autem sita est in hoc, quòd, vt est actio virtualiter transiens, habeat continuatè diuersos contactus virtutis circà diuersa loca, seu operetur continuatè circa ipsa, idest, sine interpolatione, ac sine intermedia quiete, necnon paulatim, siue successiuè, & per partes: ita vt quantum desinit operari circa partem loci, quem deserit, tantum operetur circa partem loci, quem per partes etiam acquirit: ac proinde (vt in assertione dicebamus) prædictus motus consistet in actione quadam, quæ sit talis conditionis, vt in locis partialibus, quę per partes acquirit, producat distinctos effectus aliquo modo partiales, & constituentes respectu totius motus effectũ adæquatũ aliquo modo vnum, & totalem. Nam prædicti contactus in ratione contactuũ formaliter sumptorum solo numero partiali, aut quasi partia li distinguentur (vt nuper dicebamus) ideoque ex eis, continuatè in sensu explicato se habentibus, resultabit vna (saltem quodammodò) collectio prædictorum contactuum, quæ sit vna, modò dicto, vnitate successionis continuatæ, idest, sine interpolatione, & sine intermedia quiete exercitæ: singulique contactus erunt formaliter indiuisibiles: & ita ex illis, quippe virtualiter transeuntibus, resultabit vna saltem quodammodò actio, quæ habeat conditiones in consequenti huius vltimæ consequentiæ recensitas.

Confirmatur & explicatur.

39 Cõfirmatur, & magis declaratur. Nam etsi quando Angelus per diuersos realiter cõtactus est successiuè, & sine interpolatione in toto aliquo loco adęquato denuò acquisito, tunc possit contingere, quòd isti contactus, istæque diuersæ operationes sint cõpletæ, aut distinctæ speciei in *esse* entis, non tamen formaliter in *esse* cõtactus, & rationis essendi in loco successiuè, & sine interpolatione, sed sic sumpti ad summum distinguentur numero, saltem quodammodò partiali, eruntque

quid (saltem aliquo modo) incompletum: ergo tunc prædicti contactus constituent vnum quodammodò contactum adæquatum, qui sit vnus vnitate successionis iam dictæ, sitque media hac successione sine interpolatione, modo dicto, continuus: ac proinde continuitas illius, seu continuitas motus Angeli in eo consistentis, sita erit in hoc, quod dicat collectionem prædictorum contactuum continuatam circa diuersa loca ratione immediatæ successionis sine intermissione, & interpolatione vnius post alium, & eo modo, quo in assertione dicebamus.

Antecedens probatur. Quia ad has operationes, hosque contactus, vt formaliter contactus, & rationes essendi in loco successiuè, & sine interpolatione, per accidens est, quòd producantur per illos effectus diuersæ speciei, vt puta si Angelus in vna parte loci producat lucem; & in alia motum localem, aut in vna parte motum localem rectum, & in alia circularem: per se autem, quòd medijs illis contactibus, & operationibus trahatur substantia Angeli immediatè præsens toti illi loco per partes successiuè, & sine interpolatione. Hoc autem fit, siue per operationes, & contactus diuersæ speciei, siue eiusdem. Et ita prædicti contactus formaliter in *esse* contactus, & rationis essendi in loco successiuè, & sine interpolatione, non distinguentur specie, sed ad summum numero, & non qualicumque, sed aliquomodo partiali: siquidem hoc ipso, quòd Angelus intendat motum successiuum, & sine interpolatione per totam leucam, tunc quiuis ex illis contactibus, vt efficaciter subsecutus ex illa intentione, eget consortio alterius, & est quid incompletum quodammodò in ordine ad contactum adæquatum totius leucæ.

Ex quo prima consequentia primi enthymematis huius confirmationis satis liquet. Nam hoc ipso, quòd singuli ex istis contactibus sint quid (modo insinuato) incompletum in ratione contactus continuati, ideſt, successiuè, & sine interpolatione, ac modo dicto subsecuti post alium, & secundùm hanc rationem distinguantur solo numero, saltem quodammodò partiali, oportet, vt constituant vnum aliquo modo contactum adæquatum, qui sit vnus vnitate, & continuitate successionis iam dictæ, seu vnitate, & continuitate successionis contactuum, modo explicato non interpolatæ.

Ex quo etiam secunda consequentia constat. Nam hoc ipso, quòd prædictus contactus sit, modo insinuato, vnus, & continuus per hanc continuitatem, sita erit vnitas, & continuitas illius, ac proinde & motus localis Angeli, in prædicto contactu adæquato, consistente in hoc, quòd dicat collectionem prædictorum contactuum circa diuersa loca continuatam, ratione immediatę successionis iam dictæ sine interpolatione vnius partialis, aut quasi partialis cõtactus post alium, & modo in assertione explicato.

Confirm. 2

40 Confirmatur adhuc. Nam Angelus potest moueri continuò, vt ex prima assertione habetur, per continuitatem æquiuocam, tam secundùm se, quàm in collatione ad continuitatem motus corporei: & hæc cõtinuitas debet esse eleuata supra continuitatem motus corporei, & corporum, ratione eleuationis Angeli, & sui motus supra corpus: ergo debet esse continuitas motus dominantis supra locum corporeum, & eum sibi actiuè subijcientis, & continentis. Quare cùm hæc solùm possit esse continuitas propria contactus virtutis, vt distincta ab alijs: quia hæc sola continuitas subijcit sibi continuitatem loci, oportet, vt hæc, & non alia debeat concedi motui Angelico. Ergo cùm ista, vt distincta à qualibet alia continuitate, solùm possit consistere in vnitate, & continuitate iam explicata: fit inde, vt continuitas motus localis Angelici in ea solùm possit consistere.

Vltima.

41 Confirmatur tandẽ. Nam eo proportionali modo, quo conceditur Angelo diuisibilitas partium respectu loci, & motus localis, & tempori Angelico continuitas, & diuisibilitas partium, debet etiam motui locali eiusdem Angeli diuisibilitas, & continuitas designari: quia mobile, motus, & tempus debent proportionari: at illis duobus prioribus non tribuitur diuisibilitas formalis partium formaliter talium, & diuisibilium in semper diuisibilia, sed solũ eminens: ergo nec motui: ac proinde tantùm ei tribuetur diuisibilitas, & continuitas iam assignata: quia hæc solummodò potest esse eminens, propriaq, motus Angelici, consistentis in contactu virtutis eleuato, & subijciente sibi locum.

D. Thom.

Minor, in qua est difficultas, probatur, in primis quoad ipsum mobile, scilicet Angelũ. Quoniã, vt benè notauit D. Th. art. 1. huius q. in solut. ad 1. dũ dicitur, Angelũ motũ cõtinuo motu per aliquod spatiũ, esse partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*, tũc hæc multiplicitas partiũ non refertur ad Angelũ, sed ad spatiũ, & eius partes, ad effectusq, in his partibus productos. Et ita sensus est, quòd totus Angelus sit in parte loci habẽtis rationẽ termini *à quo*, & in parte loci denuò acquisiti, quiq, cõparatur cũ Angelo per modũ termini *ad quẽ*: quia Angelo repugnat quæuis multiplicitas partium substantialium.

Et deinde eadem minor quoad tempus Angelicum continuum probatur. Quoniam etsi in hoc tempore mensurante operationes Angelicas possent distingui plures opera-

operationes sibi immediatè succedẽtes, quia hæc pluralitas non repugnat actionibus Angelicis, sicut repugnat pluralitas successiua, si sit substantialis, & in ipsa substantia Angelica: ac proinde etsi dẽtur etiã ibidẽ plures durationes mẽsurãtes intrinsecè prædictas operationes alias completas: nihilominùs, vt hæ constituant quodammodò vnum & idem tẽpus continuum, non sunt interse continuatæ per aliquem terminum communem ipsas nectẽtem: ac proinde nec habent formalem cõtinuitatem partium diuisibilium in semper diuisibilia, seu extẽsionem propriam formalem successiuam: quia hęc pugnat cum spiritualitate ipsarum, sed eatenus dicuntur tempus continuum, quatenus duratio vnius immediatè succedit post durationem alterius, & vt correspondent, ac coexistunt nostro tẽpori continuo, & formaliter extenso, vt tali: & ita solùm habent continuitatem eminentem.

42. Ex quo prima consequentia non difficulter, sed perspicuè colligitur. Quoniã si ad hoc vt Angelus sit partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem* quoad suã substantiam, non desideratur, nisi quòd totus sit in parte vna, & totus in alia, seu non requiritur, nisi correspondentia totius Angeli ad partem termini *à quo*, & correspondentia ad partem termini *ad quem*: quia alia pluralitas substantialis partium cum Angelo pugnat: & similiter si ad continuitatem temporis Angelici, potentis admittere multiplicitatem, & quodammodò partialitatem, nõ requiritur vnio partium per aliquem terminum communem, nec diuisibilitas earum in semper diuisibilia, ac proinde nec extensio formalis illius propriè dicta, sed tãtùm quòd illæ durationes sibi immediatè, & absque interpolatione succedant, & quòd intrinsecè connotent correspondentiam ad tempus cõtinuum, vt tale: ita etiam proportionali ratione in prædictis contactibus, quibus nõ repugnat multiplicitas, saltem quodammodò partialis, quibusque Angelus mouetur localiter, sufficiet ad continuitatem prędicti motus in eis consistentis, quòd tales contactus sibi immediatè, & absque interpolatione, ac modo dicto, succedant circa diuersa loca, & quòd ex eis coalescat collectio iam explicata contactuum adæquatè, successiuè, & absque interpolatione correspondentium locis iam dictis, vt in assertione ista explicatum est.

Consultò autem, loquentes de vnitate prędicti motus, & adæquati contactus, in quo consistit, diximus multoties, esse (saltẽ quodammodò) vnum, & ibi esse plures cõtactus, saltem aliquo modo partiales: vt abstrahere mus ab illa quæstione, an constituatur ex illis vnus per se contactus simpliciter vnus? & an ibidẽ sit simpliciter ratio partis in contactibus partialibus? Nã hoc facilè ex his quæ N. Complut. in sua Logica disput. 13. n. 58. docent, colligi potest, & in præsenti solùm volumus, non esse ibidem purum aliquod aggregatum per accidens, non habens aliquam vnitatem, quale esset aggregatum plurium mutationum interruptarum media quiete, quæ non constituerent mutationem totalem quodammodò vnam. Sicut etiam, dum dubio sequenti dicemus, motum discretum Angeli constantem ex duabus operationibus instantaneis Angelicis esse vnum, non decidimus, illam vnitatem esse tantam, vt pertingat ad vnitatem per se, sed esse saltem vnitatẽ secundùm quid, idest, non purum quoddam aggregatum per accidens plurium mutationum per intermediam quietem intersecatarum. Quemadmodum, dum solet dici, baculum, cuius medietas sit in aere, & alia medietas in aqua, esse in vno & eodem loco formaliter, non significatur per hoc, locum illũ esse ita vnum, vt sit vnus vnitate per se, sed quòd sit vnus ea vnitate, quam potest locus formaliter sumptus habere. Vtrùm autem illa sit vnitas per se, seu vnitas simpliciter, aut secũdùm quid? ex vi prædicti modi loquendi non deciditur, sed ab hoc abstrahitur. *N. Compl.*

§. III. *Obiectiones contra dicta in præcedenti assertione, & responsiones ad illas.*

43. NEc obest, si contra dicta in hac assertione obijcias primò, videri impossibile id, in quo tota rationis nostrę, & confirmationum illius structura nititur, nẽpe, quòd etsi diuersi illi contactus, siue operationes medijs quibus Angeli mouentur localiter, sint in *esse* rei completæ, aut distinctæ speciei, nihilominùs in *esse* contactuum, aut rationum existendi in loco, sunt partiales, & eiusdem speciei. Quoniam si in operatione essent duæ formalitates, alia, per quam produceret effectum, & alia, quæ Angelo esset ratio existendi in loco, tangendique illum, tũc illæ operationes possent esse cõpletæ, & distingui specie secundùm priorem rationem, non verò secundùm posteriorem, & secũdùm hanc vniri, & continuari, nõ verò secundùm illam: at non datur in ea multiplex illa formalitas: ergo, &c. Minor probatur. Quia operatio, prout est cõtactus quãtitatis virtutis Angelicæ, est ei ratio essendi in loco, & non nisi quatenus operatio est, & producit effectus ad extrà, est contactus virtutis ex eo quòd Angelus non vnitur loco, nisi vt agit in illum. Obiectio contra rationem.

Respondetur, reuerà nullum esse inconueniens in hoc, quòd illæ operationes, & contactus in *esse* rei sint quid completum, aut Enodatur primo.

distinguantur specie, non tamen in *esse* contactuũ, & rationum essendi in loco. Potestq; hoc explicari ex eo, quòd differentiæ propriæ loci, & motus localis, etiam continui sunt, *antè*, & *retrò*, *sursum*, & *deorsum*, ac moueri continuè, secundùm istas differentias. Constat autem, ita esse antè, vel retrò, aut sursum, vel deorsum, siue ibi producat hunc, siue illum effectum: atque adeò eodem motu moueri, siue suo motu producat hunc, siue illum effectum; dummodò semper illo motu moueatur, & sit præsens sine interruptione secundùm easdem differentias loci, ita vt motus ille v. g. semper, quandiu durat, sit sursum v. g. aut deorsum.

44 Et ad probationem in contrarium respondetur, quòd etsi operatio, secundũ quòd attingit effectum, & vt est ratio essendi in loco, pertineat ad lineam operandi: attamen intra hanc lineam debemus in illa distinguere duas istas rationes, nempe, quòd sit productio huius effectus, quatenus talis, in hoc loco, & quòd sit productio effectus, siue huius, vel illius in hoc loco, ita vt respiciat agens, vt operans immediatè immediatione virtutis, & suppositi absque interruptione operationis attingẽtis hunc, vel illum effectum modo dicto. Et secundùm priorem rationem nõ dicit operationẽ, vt partialem, aut quasi partialem, & vt vna operatio vnà cum alia est ratio essendi in vno & eodem loco totali: secùs secundùm posteriorẽ: & ita accepta hoc modo, est ratio essendi in illo, & dicit operationem, vt vnà cum alia operatione potest constituere vnam & eandem operationem totalem, quæ sit ratio existendi successiuè in toto loco: quia quod formale est in operatione sic sumpta, & vt est ratio essendi in loco, tantùm est, quòd sit operatio circa locum, modo in assertione dicto, & quòd sine interruptione post operationem vnam sic sumptã exeat alia actio, quæ sit eodem modo circa eundem locum totalem: ac tandem, quòd immediatè, ac sine interruptione sequatur post priorem. Cæterùm, quòd illę operationes sint productiuæ diuersorum effectuum secundùm speciem, est ibidem de materiali, & per accidens respectu earundem operationum, vt sunt rationes vniendi successiuè, & modo explicato Angelum illis locis.

Aliter sit sa tis.

Adde, adminùs actionem, vt est ratio existendi in loco, superaddere rationem quamdam abusiuam, scilicet similitudinem, aut quasi similitudinem aliqualem, quam habet cum ratione essendi propria, & non metaphorica: & potest, secundùm quòd addit hanc, imò & secundùm proximum & formale fundamentum eius, vt tale, esse eiusdem speciei; licèt non secundùm quòd præcisè est operatio: quia licèt possit fundari in hac actione distinctæ speciei ab alia; attamen causa adæquata eius non est operatio, vt hæc secundũ speciem, sed, vel hęc, vel alia ex iam explicatis: atque adeò fundamentum illius, vt formaliter fundamentum, habebit esse eiusdem speciei.

Illustratur exemplo posterior enodatio.

45 Potestque hoc declarari exemplo risus prati fundati in *florere* illius. Quia licèt risus iste possit fundari in floribus distinctæ speciei, non tamen ita vt *florere* sit istis causa adæquata prædicti risus: ideoque risus ille queat etiam fundari in *florere* eiusdem prati floribus alterius speciei. Sicut etiam remissio peccati fit à gratia sanctificante, vt tali, & ab vnione personali Verbi: quia neutra est causa adæquata illius. Ita ergo in præsenti, proportione seruata, philosophari licebit.

Et ratio est eadem in prædictis. Quia tam ridere, & remissio peccati, quàm vnitio, aut quasi vnitio substantiæ Angeli cum loco sunt effectus veluti secundarij, qui possunt indiscriminatim (nisi aliud obest) habere plures causas, siue rationes specie diuersas, à quibus procedant, aut quasi procedant: quia à nulla ex illis causis, siue rationibus in particulari habent oriri, vt à causa adæquata, sed ab hac, vel illa.

Replica cõtra hanc posterior. solut.

46 Neque obest, si obijcias, quòd sicut hoc ipso, quòd remissio v. g. peccati fit quid consecutum, est etiam formaliter distincta, vt fit secundariò per vnionem hypostaticam, & vt fit per gratiam, quia sic sequitur naturam eius, ad quod consequitur: ita illa vnitio Angeli ad locum, vt fit per actionem distinctam, estque aliquid quodammodò consecutum ad prædictam actionem, erit formaliter distincta à se, quatenus fit per aliam operationem, quæ sit distinctæ speciei.

Responsio.

Respondetur, hinc ad summum haberi, quòd sicut remissio, vt est effectus secundarius reduplicatiuè, est formaliter distincta, vt fit per vnionem personalem, & vt fit per gratiam, non tamen ipsa secundùm se: ita iuxta hunc modum dicendi, quem præcedenti addidimus, etiam illa vnitio Angeli ad locum, vt est quid quodammodò consecutum ad operationem in illo loco, quippe quæ fundatur in ea, erit formaliter distincta, quatenus fit quodammodò secundariò per hanc operationem secundùm speciẽ, & quatenus fit per aliam operationem diuersæ speciei; non tamen, quòd ipsæ vnitiones secundùm se sint distinctæ speciei. At prædictæ vnitiones non continuantur, nisi vt sunt vnitiones secundum se, secundùm quam rationem non sunt formaliter, siue specificè distinctę.

Secunda obiectio.

47 Neque etiam obest, si secundò obijcias, continuitatem motus Angelici explicandam esse per continuitatem spatij, quod illo motu percurritur: at in hac assertione, & ratione, qua probatur, nõ per cõtinuitatẽ spatij,

tij, sed effectuum, & operationum, siue contactuum virtutis id explicuimus: ergo, &c. Maior probatur ex D. Thoma art. 2. huius q. vbi explicans continuitatem motus localis Angelici, sic inquit: *Ordo enim prioris, & posterioris in motu continuo est secundùm ordinem prioris, & posterioris in magnitudine, vt dicitur in 4. Physicorum.*

Solutio. Nec sat erit, si dixeris, quòd semel explicata continuitate motus per contactus diuersos virtutis circa diuersa spatia, efficientes vnum & eundem contactum virtutis adæquatum, satis explicatum manebat, prædicta spatia esse partialia, & constituere vnum spatium adæquatum, & continuum, sicut & ipsi contactus,

Refutatur ab aduersarijs. Nam contra hoc est, quòd isti contactus diuersi non constituunt vnum & eundem contactum adæquatum habentem continuitatem, nisi spatium sit continuum, constans ex diuersis partialibus spatijs, tuncque continuitas contactuum desumitur ex continuitate spatij: ergo potiùs ex continuitate spatij, quâ operationum, & contactuum debebit vnitas, & continuitas motus Angelici explicari. Antecedens probatur. Nam si Angelus in prima quarta parte leucæ existens, contingat immediatè, & successiuè secundam partem eiusdem leucæ, & quartam, non contingendo secundam quartam partem eiusdem leucę, tunc dantur prædicti contactus diuersi successiuè, & immediatè se habentes: & tamen, quia spatium illud non est continuum collatum cum illo modo, quo percurritur ab Angelo, ideò ibidem non est vnus, & continuus contactus, seu motus continuus: quandoquidem, sicut ad motum localem locus, sic ad motum localem vnicum vnicus locus, & ad motum localem continuum locus, & spatium continuum desideratur.

Confirmatur. Confirmatur. Quia esto, ex successione immediata horum contactuum absque interpolatione sequatur, continuò percurri illud spatium, & prædictum spatium esse continuum: attamen hoc à posteriori, non à priori deducitur. Siquidem, vt ex D. Thoma dicebamus, continuitas motus, seu ordo prioris, & posterioris in motu est secundùm ordinem prioris & posterioris in magnitudine: atque adeò hinc à priori continuitas motus localis, seu horum contactuum virtutis, in quibus ipse consistit, debet accipi, & congruentiùs per hoc explicatur.

Respondetur ad obiectionem. 48 Respondetur, admittendo solutionem traditam. Et ad impugnationem contra eam patet ex suprà dictis, locum Angelicum dici vnum & eundem, ex eo quòd vno & eodem motu pertransibilis est: sicut etiam dicitur continuus ex eo, quod vno & eodem motu, vnoque & eodem contactu virtutis adæquato potest pertransiri. Quia, vt dubio 7. & 8. præcedentis disputationis dicebamus, locus diffinitiuus Angelicus habet formalizari in sua ratione formali, atque adeò in vnitate, & continuitate, per rationem formalem Angelicam essendi in loco. Et ita formaliter loquendo, illud spatium Angelicum erit vnum formaliter, & continuum, quod est pertransibile per vnam dumtaxat potentiam operatiuam, & Angelicam, per vnamque actionẽ adæquatam. Et propterea ex D. Thoma q. precedenti art. 2. dicebamus, quòd quidquid comparatur ad vnam potentiam operatiuã Angeli, determinatam saltem per vnam operationem adæquatam, cõparatur vt vnum. Vnde ad explicandam cõtinuitatem motus localis ex continuitate loci, quod percurritur, non potuimus vti meliori via, quàm explicando illum per id, quod formalizat prædictum locum in ratione loci diffinitiui, ac proinde in ratione vnius, & continui, nempe per vnitatem, & continuitatem prædictorum contactuum circa diuersa loca partialia denuò acquisita, & constituentium, modo dicto, vnum & eundem contactum adæquatum, qui sit vnus vnitate successionis immediatæ vnius contactus partialis iam explicati post alium, absque aliqua interpolatione. *D. Thom.*

Vindicatur solutio tradita inter arguendũ. 49 Et ad impugnationem in contrarium dicendum est, verum esse, quòd non posset dari continuitas motus Angelici, si spatium, non quidem in *esse* rei, sed in *esse* pertransibilis, non sit continuum: siquidem, vt dicebamus, ratio formalis suæ continuitatis desumitur ex ratione formali continuata, quæ est in Angelo, scilicet ex eo, quòd sit pertransibilis per contactum adæquatũ, & cõtinuum iam dictum. Vnde falsum est id, quod in secunda parte antecedentis contenti in hac impugnatione dicitur, scilicet, continuitatẽ motus localis Angelici desumi ex continuitate spatij tanquam ex prima, & formali radice. Nam potiùs è cõtrà in loco diffinitiuo Angelico res se habet, quamuis in loco corporum, vt tali, prædicta continuitas motus corporei possit desumi à prædicto loco, vt habenti aliquo modo rationem radicis continuitatis eiusdem motus. Neque oppositum huius voluit D. Thomas in verbis relatis in hac secunda obiectione ex ipso. Quia continuitas motus localis Angelici infert continuitatem sui loci, & subijcit sibi locum continuum: & propterea dicitur, ordinem prioris, & posterioris in motu locali continuo eiusdem Angeli esse secundùm ordinẽ prioris, & posterioris in magnitudine, ideſt, correspondere ordini prioris, & posterioris inuento in ipsa magnitudine, non tamen, quòd prima radix huius ordinis sit prædictum spatium: alioqui Angelus non esset in eo, subijciendo sibi prædictum spatium, & secundùm

modum

modum ipsius Angeli, sed secundùm modum loci: atque adeò Angelus esset ibi commensuratiuè ad locum, vt in corporibus contingit: & continuitas sui motus esset omninò commensurata continuitati loci, vt in motu corporum accidit: quia continuitas prædicti motus quodammodò oriretur, vt à prima radice, à continuitate loci. Constat autẽ, hoc derogare modo eleuato, quo Angelus est in loco, & mouetur per illum, hincque nõ colligi vnitatem æquiuocam conuenientem motui Angelico respectu corporum, sed vniuocam.

Vnde ad formam huius impugnationis concesso antecedenti quoad priorem partẽ, debet negari quoad posteriorem. Et ad probationem in contrarium dicendum est, Angelum, qui mouetur eo modo, qui in hac probatione continetur, mouendum esse ratione vnius & eiusdẽ contactus adæquati, cõstãtis ex diuersis contactibus partialibus, successiuè, & immediatè, ac sine interpolatione se habentibus, ac proinde constituentibus vnũ motum, vnumque contactum continuum: tuncque spatium, adhuc vt illo modo percurritur ab Angelo, esset continuum in collatione ad eundem Angelum.

Explicatur. Potestque hæc continuitas motus in prædicto euentu explicari, & magis confirmari ex eo, quòd cùm ibi fit transitus ille Angelicus, incipiens à desertione secundùm partes, & successiua primæ quartæ partis leucæ, & acquisitione proportionali, non quidem secundæ quartæ partis eiusdem leucæ (siquidẽ hanc, vt supponitur, Angelus non percurrit) sed tertiæ partis eiusdem leucæ: oportet, dari ibi verum motum localem, cùm detur trã situs successiuus à loco in locum. Cumque prædictus motus non sit discretus, vt ex dicẽdis dubio sequenti patebit, oportet, vt sit motus continuus: quandoquidem motus localis Angelicus adæquatè diuiditur in continuum, & discretum. Ex quibus ad confirmationem eiusdem obiectionis satis patet.

Replica 50 Nec obest, si vrgeas ex D. Thoma in hac q. art. 2. constituente discrimen inter motum continuum Angeli, & discretum eiusdẽ, quòd in isto non est necessarium pertransire medium, sed potest fieri transitus de extremo ad extremum sine transitu per medium, secùs verò per illum: ergo hoc ipso, quòd Angelus impertransitam relinquat partem mediã inter terminum *à quo*, & partem extremam termini *ad quem*, non mouebitur continuè.

Enodatur. Respondetur enim, S. Doctorem solùm velle, quòd in motu discreto nulla ratione pertranseatur medium, quatenus mediũ est: quia totum illud loci, quod est à termino *à quo* vsque ad extremam partem termini *ad quem*, comparatur per modum vnius extremi simul acquirendi; non verò per modũ medij, & partis extremæ, ita vt ex aliquo medio, & per aliquod medium deueniendum sit ad prædictam partem extremam. Et ideò, siue totum hoc spatium simul percurratur ab Angelo, siue aliquid illius relinquatur imper transitum, & extremam partem eiusdem spatij solùm acquirat, tunc totus locus, aut talis pars præcisè comparatur vt extremum. Cæterùm in motu cõtinuo in eo interuallo, quod intercedit inter terminum *a quo*, & extremam partem termini *ad quem*, semper debet signari aliquod medium, & extrema pars & ex medio ad extremam partem deueniendum est. Vnde, quòd Angelus relinquat ibi aliquod medium impertransitum, nõ arguit, quòd transeat de extremo ad extremũ, quod D. Thomas negat motui locali continuo Angelico; sed quòd transeat ad extremum per medium: quamuis non omnia media, quæ in *esse* rei sunt talia, sint ibi, & exerceant rationem mediorum respectu illius motus Angelici, sed aliqua ex illis possint sic se habere respectu prædicti motus, ac si non essent ibi. Vnde ratione huius intersecationis (vt sic dicamus) mediorum, non ob id spatium illud desinet esse continuum in ratione spatij, vt pertransibilis. Et propterea plures ex Thomistis, vt Caietanus in hac q. art. 1. & Bañez ibidem, necnon Zumel ad prædictum articulum q. 3. docent, adhuc tunc motum Angelicum esse continuum. *Caietanus Bañez Zumel*

§. IIII. *Corollaria ex dictis notatu digna.*

51 Ex dictis ergo infertur primò, nõ ita benè Suarez in sua Metaphysica disp. 40. sect. 8. tribuisse motui Angelico continuitatem partium formaliter diuisibilium, quæ suo termino communi, & indiuisibili sint vnitæ, quæque proinde constituat propriè extensionem formalem, & continuam, non obstante quòd prædictus motus recipiatur in Angelo tanquam in subiecto. Quia hæc continuitas, & extensio (inquit Suarez) non est quantitatiua, ex eo quòd ad hanc non sufficit habere partes extra partes successiuè, sed insuper requiritur habere illas ex propria natura impenetrabiles inter se: motus autem Angeli non sic, sed pro libito eas habet: siquidem sicut Angelus successiuè acquirit locum, ita potest pro suo libito acquirere totum illum simul, si sit contentus intra sphæram suæ actiuitatis. Cõsectarij primum cõtra Suarez

Ex dictis igitur satis constat, non ita benè quoad hoc Suarez dixisse. Nec ratio, quam prosè adducit, conuincit id, quòd ab eodem intenditur. Nam ex illo capite non desineret illa extensio esse quantitatiua. Nam hoc ipso, quòd motus Angeli esset formaliter continuus

tinuus, & extensus per prædictam continuitatem, postularet ex propria natura partes impenetrabiles inter se in ordine ad tempus: quandoquidem de ratione motus continui, vt formaliter continui, est, tales partes exigere: & propterea, vt in hac eadem disput. n. 137. dicemus, non potest dari motus localis continuus, qui sit in instanti: ac proinde ex hoc capite non esset cur extensio illa continua talis motus non sit quantitatiua.

Neque obest id, quod in suum fauorem addit idem Author, nempe, partes illius motus non esse impenetrabiles ex natura sua in ordine ad tempus: ex eo quòd est liberum Angelo acquirere totum illum locum simul, & sine successione. Non igitur hoc obest. Quia etsi sit liberum Angelo acquirere prædictum locum simul, si acquirat ipsum alio genere mutationis, non tamen si acquisitio illa fiat per motum continuum. Et ita extensio illa partium diuisibilium in semper diuisibilia, reperta in motu locali Angelico, semper erit in prædicto motu continuo extensio partium ex natura sua impenetrabilium in ordine ad tempus.

Cõfectariũ secundũ cõtra Iuniorẽ

52 Fit secundò, quòd etiam non ita bene asseruerit quidam Iunior, alias Doctissimus, continuitatem motus Angelici recepti in ipso Angelo esse extensionem formalem partium diuisibilium in semper diuisibilia, & suis terminis communibus vnitam; non tamen ob id repugnare Angelo prædictam continuitatem, aut talem extensionem esse quantitatiuam: cuius rationem reddit. Quia ad hoc, vt aliqua extensio sit propriè quantitatiua, non sufficit, quòd habeat partem extra partem, sed vlteriùs requiritur, ipsam extensionem non esse modum alicuius naturæ accidentalis, sed naturam accidentalem habentem pro effectu primario tale *esse* extensum: quandoquidem modus naturæ non cõstituit per se naturam, siue substantialem, siue accidentalem, cuiusmodi est quantitas propriè sumpta, sed reducitur ad naturam, cuius est modus. Sicuti propter defectum huius cõditionis, nec latitudo intensiua qualitatis, nec velocitas motus est propriè quantitas, quãuis vtraque importet suo modo extensionem partium: & propterea vtraque potest reperiri in Angelis. Vnde, quia extensio partium in motu Angeli non est natura accidentalis, sed modus quidam ipsius motus, quippe quæ nõ dat immediatè, & per se aliquod *esse* accidẽtale substantiæ, sed modificationem, & determinationem motus, idcirco non est quantitas propriè sumpta, neque est inconueniens, quod reperiatur inhærenter in Angelo.

Impugnatur eius dictum.

Ex dictis ergo liquet, non ita rectè Iuniorem prædictum quoad hoc dixisse. Quia adhuc dato, prædictam continuitatem, & extensionem non esse quantitatiuam; nihilominùs nequit in Angelo intrinsecè, seu inhærenter reperiri: quia latitudo partium extra partes, quarum quælibet sit diuisibilis formaliter in semper diuisibilia, petit subiectum diuisibile: quoniam accidens proportionatur suo subiecto, & è contrà. Vnde, quia Angelus est intellectualis, & indiuisibilis formaliter, ideò singulæ eius intellectiones sunt sic indiuisibiles. Adde, intellectionem Angeli virtualiter transeuntem, ac proinde connotantem eius voluntatem efficacem, esse motum localem ipsius: quia Angelus, quippe naturæ purè intellectualis, solùm potest habere operationem præcisè pertinentem ad ordinem intellectualem, nempe *intelligere*, & *velle*. Constat autem, intellectionem, & volitionem Angelicam non constitui partibus, quarum quælibet sit formaliter diuisibilis in semper diuisibilia.

N. Compo.

53 Deinde. Quia (vt optimè ostendunt N. Complut. in sua Logica disputat. 13. à n. 28. & in lib. de Generat. disput. 5. à n. 32. & deinceps) proprius effectus formalis quantitatis est tribuere extensionem partium formaliter diuisibilium in semper diuisibilia, si talis quantitas sit continua: sicut *esse* album est effectus formalis albedinis: ergo sicut nulla res potest esse formaliter alba, in qua non est albedo: ita nihil potest inueniri formaliter extensum per prædictas partes, nisi formaliter ratione quantitatis.

Non fauet ei exẽpla.

Nec duo illa exempla de latitudine intensiua qualitatis, & velocitate motus intentum conuincunt. Nam in primis latitudo intensiua qualitatis non dicit modum aliquem formaliter diuisibilem in semper diuisibilia, sed est modus quidam indiuisibilis formaliter, & virtualiter solùm diuisibilis, vt latè ostendunt prædicti N. Complut. in lib. de Generatione disputat. 4. n. 141. & deinceps. Deinde, velocitas motus, si iste fuerit corporeus, ex se dicit extensionem formalem partium: quia affert, siue inuoluit aliquod esse successiuum pertinens ad prædicamentum quantitatis, vt constat ex his, quæ ijdem Complut. disputat. 21. à num. 29. & deinceps tradunt. Si autem prædictus motus fuerit spiritualis, tunc velocitas in illo non dicit hanc extensionem formalem partium diuisibilium in semper diuisibilia; sed ad summum plures operationes, quarum quælibet sit formaliter indiuisibilis, & vna immediatè, & sine interpolatione succedat post aliam: ita tamen, vt omnes illæ simul sumptæ, & versantes circa eundem locum v. g. vnius leucæ, correspondeãt minori, & breuiori tempori nostro, quam correspondeant aliæ similes operationes partiales versantes etiam circa lo-

N. Comp.

cum

cum non minùs extensum, nempe circa vnam leucam.

Consectarium tertiũ contra Suarez.

54 Fit tertiò, non ita benè Suarez disput. 40. suæ Metaph. sect. 1. n. 11. necnon disput. 51. sect. 5. concessisse in Angelo vbicationem ex natura rei distinctam ab ipso, & ab eius operatione; ita vt prædicta vbicatio habeat partes formaliter diuisibiles in ordine ad spatium, & ex natura rei distinctas, adhuc dum Angelus permanenter est in loco. Et rationem reddit. Quia Angelus potest pro sua libertate relinquere præsentiam ad vnam partẽ spatijs, & retinere eam quoad aliam. Addit tamen, hinc non sequi, hanc præsentiam esse quantitatiuam aut non posse esse in Angelo: quia suæ partes non sunt distinctæ ad modum partium quantitatiuarum, hoc est, ita vt diuisæ inter se possint consistere à parte rei: quia idem Angelus non potest simul habere duas præsentias, quæ non sint inter se continuæ, & vnitæ.

Refutatur eius dictum

Ex dictis igitur hoc manet impugnatum, vt intuenti patebit. Potestque amplius eius impugnatio elucidari ex eo, quòd si præsentia, & vbicatio ista habeat partes permanentes formaliter diuisibiles in semper diuisibilia, quarum vna sit extra aliam, & in ordine ad totum, & in ordine ad locum, nequibit recipi in subiecto indiuisibili carente partibus eodem modo distinctis: alioqui partes huius præsentiæ essent extra subiectum, cui inhærent.

Confirmatur. Quia ideò substantia materialis formaliter indiuisibilis potest recipere extensionem partium quantitatiuarum, quia est capax extensionis, & per quantitatem redditur extensa: at Angelus est incapax extensionis, & præsentia, seu vbicatio ista non est capax extendendi eius substantiam: ergo, &c.

Deinde. Quia si prædicta præsentia, & vbicatio habet hanc extensionem, non esset cur Angelus non esset in loco per commensurationem cum illo, scilicet, ita vt esset totus in toto, & pars in parte: quia prædicta præsentia sic commensuratè correspondet loco: & quoad hoc, quod est locatum commensurari, vel non commensurari loco, attenditur ad rationem formalem essendi in illo. Et ideò D. Thomas artic. 1. huius quæst. inquit, motum Angeli non posse esse commensuratum loco, ac proinde nec rationem essendi in illo esse illi commensuratam, si semel Angelus habet prædicto loco non commensurari.

D. Thom.

§. V. Opposita sententia cum suis fundamentis, & solutionibus.

Opposita sententia.

55 CONtrariam sententiam, scilicet, Angelum non posse moueri motu continuo, ac proinde nec in motu eius esse continuitatem à nobis assertione 2. explicatam, tenuit quidam Herbeus in 1. distinct. 8. quæst. 4. vt refertur in margine Gregorij in 2. distinct. 2. quæst. 6. Vallesius in lib. de Sacra Philosophia c. 41. Et pro ea solet referri Herbeus in 1. distinct. 37. quæst. 2. artic. 3. & in tractatu de Motu Angeli. Et licèt omnia ferè argumenta, quæ pro hac sententia adduci possunt, maneant ex dictis soluta, nihilominùs maioris claritatis, & vberioris ad ea solutionis gratia breuiter aliqua percurremus.

Herbeus. Gregor. Vallesius. Herbeus.

Primũ fundamentum ex D Th de sumptum.

Probatur ergo primò ex D. Thoma in 1. distin. 37. quæst. 4. artic. 1. & quodlibeto 9. art. 9. vbi inquit motum Angeli non esse continuum.

Soluitur.

Respondetur, S. Doctorem solùm denegare motui Angelico continuitatem formalem talis conditionis, vt sit commensurata loco, per quem Angelus mouetur, vt in corporibus accidit, non verò continuitatem, quam ex eo nos explicuimus, quæque est æquiuocè talis, tam respectu motus corporei, quàm secundùm se.

Secundũ ex ratione.

56 Secundò probatur. Nam vel motus Angelicus est vna dumtaxat operatio eius circa locum, simplex, & indiuisibilis, & non coalescens ex pluribus partialibus? Et hoc non. Tum, quia in hac non saluatur diuersitas contactuum, in quibus iuxta Angelicum Doctorem consistit motus Angeli: siquidem contactus isti sunt contactus virtutis, ac proinde operationes: & ita sicut nequit saluari diuersitas operationum in vnica dumtaxat, eaque indiuisibili, ac simplici operatione, ita nec diuersitas contactuum. Tum etiam. Quia vnica operatio iam dicta vnico solummodò instanti discreto mensuratur, & ita nequit esse successiua: cùm tamen successio ad motum localem requiratur, vt ex dicendis dubio 7. n. 138. constabit. Neq, etiã prædictus motus poterit cõsistere in diuersis realiter cõtactibus, siue operationibus immediatè, & sine interpolatione succedentibus: quia hæc successio, & immediatio vnius operationis ad aliam ad summum constitueret vnum vnitate successionis, si essent vnitæ aliquo termino communi: at hæc vnio prædictarum operationum in Angelo non datur, ne sit ibi extensio propriè dicta: ergo prædictę operationes sic succedentes non constituent vnum & eundem totalem contactum, sicut neque partes temporis,

aut

aut motus corporei non constituunt vnum & idem vnitate successionis continuę, nisi quia eius partes sunt vnitæ termino aliquo communi.

Confirm. 1. Confirmatur primò. Quoniam vnica dumtaxat, eaque indiuisibilis operatio tribuit simul totum suum effectum formalem passo, cui inest: quia sicut est indiuisibilis, & simplex, ac proinde simul secundùm se totam passo inest, ita tribuit simul totum suum effectum formalem: ergo nequit in illa ratio motus Angelici continui, & successiui consistere: quia motus iste non simul informat, aut inest: alias non haberet rationem entis continui continuitate successiua.

Confirm. 2 Confirmatur secundò. Quoniam motus discretus nequit consistere in vnica dumtaxat operatione. Et deinde, si potest coalescere ex pluribus sibi succedentibus, puta, ex illa, per quam mobile per vltimum, *esse* discedit à termino *à quo*, & ex ea, qua per primum *esse* accedit ad terminum *ad quem*: hoc ideò est, quia motus ille rationem discreti habet, & ad hunc non desideratur vnio, & nexus partium. Ergo ob oppositam rationem desiderabitur talis vnio ad motum continuum, & ea non data, neque in eo continuitas dabitur: siquidem in hoc consistit distinctio & oppositio intercedens inter motum discretum, & continuum, quòd in illo partes non copulantur termino communi, secùs verò in isto.

Euertitur fundamentum. 57 Respondetur, prædictum motum posse consistere in vnica dumtaxat Angeli operatione formaliter vnica, & virtualiter multiplici: vt si vellet per vnicam actionem, & actum suę voluntatis moueri à prima ex quatuor partibus leucæ vsque ad vltimam. Et ad primam probationem contra hoc dicendum est. Tum, ibi esse diuersitatem contactuum, quatenus diuersa loca contingeret: & ita hæc diuersitas (si ponatur formalis) solùm debet referri ad loca: sicut multiplicitas partium non refertur ad substantiam Angeli, sed ad spatium, dum dicitur, Angelum, quando mouetur, esse partim secundùm substantiam suam in termino *à quo*, partim verò in termino *ad quem*, ideſt, quòd totus secundùm substantiam est præsens parti termini *à quo*, & totus parti termini *ad quem*. Vnde tunc continuitas ex parte contactus, vt se tenet ex parte Angeli, erit non solùm propria contactus virtutis, vt talis, sed etiam erit virtualis. Tum etiam (id, quod ex precedenti sequitur) ibidem interuenire diuersitatem contactuum, vt se tenentium ex parte Angeli, non quidem realem actualem, sed realem virtualem.

Ad secundam autem probationem dicendum est, quòd etsi operatio illa sit in se simplex, debet tamen tempori nostro coexistere successiuè successione formali, se tenente ex parte temporis, & successione virtuali, quę se teneat ex parte prædicti operis. Quia cùm per illa velit contingere successiuè diuersa loca partialia, non potest non coexistere tempori, & non vtcumque, sed coexistentia successiua, modo explicato. Et ideò exercitium prædictæ operationis vnicæ sic se habet, ac si consisteret pluribus actionibus partialibus: nec explicat totam suam efficacitatem, & id, quod in illa implicatum, & inuolutum est, nisi in tempore, & successiuè: ita vt vna (vt sic dicamus) explicatio illius, per quam producit aliquid in vna parte spatij, coexistat vni parti temporis, & alia alteri, quamuis omnia ista per vnam & eandem simplicem entitatem causet.

Alia eius euersio. 58 Deinde addimus, posse etiam admitti, motum istum fieri per diuersos realiter contactus virtutis, quibus Angelus per partes, & successiuè contingit diuersa loca: & tunc reperiri in prædicto motu continuitatem formaliter talem, prout continuitas sic sumpta distinguitur à continuitate virtualiter solummodò tali, quam diximus reperiri in illo motu, dum in eo vnica dumtaxat realiter operatio, vnicusque realiter contactus virtutis tantummodò reperitur. Et ad probationem in contrarium dicendum est, successionem iam explicatam prædictorum contactuum constituere vnicum totalem contactum vnitate successionis, continuatè sine interpolatione in assertione secunda dictæ, etiamsi illi contactus non sint vniti medio aliquo termino communi omninò indiuisibili, sed sufficere prędictam illam successionem sine interpolatione, seu talem successionem esse immediatam, & sine intermedia quiete, modo dicto in prædictæ assertionis explicatione, ad hoc vt maneant vniti, & continuati per continuationem formaliter talem, æquiuocam tamen, non vniuocam respectu corporum.

Responsio prima ad primam cõfirmationẽ. Ad primam confirmationem dicendum est primò, quòd licèt illa operatio sit indiuisibilis, & simplex quoad suam substantiam, nihilominùs additur illi, non quidem noua alia operatio, sed modus quidam extensionis ad nouam partem loci: ad eum modum proportionalem, quo habitui scientifico secundùm suam substantiam considerato additur modus quidam extensionis, pro diuersitate conclusionum, ad quas terminatur.

Secunda. Secundo respondetur ex dictis, operationem illam, quantumuis vnicam, & simplicem realiter, esse eminentem, & exercitium eius propter sui eminentiam sic se habere, ac si conflaretur ex diuersis actio-

nibus partialibus, aut quasi partialibus: & ita non explicare totam suam vim, & efficacitatem simul, sed successiuè, & modo nuper explicato: quia ad hanc explicationem adæquatam prædicto exercitio requiritur successiua connotatio diuersorum locorum partialium.

Replica. 59 Nec refert, si contra hanc solutionem vrgeas, hinc fieri, successionem motus Angelici non ex parte illius se tenere, sed ex parte loci: ac proinde Angelum non moueri localiter intrinsecè, sed solùm extrinsecè: hoc autem est falsum, vt in hac disputatione dicemus: ergo, &c. Probatur sequela. Quia vt moueatur successiuè, & intrinsecè, oportet, in eo successiuè aliquid addi, quod sit ipsi inhærens: quod tamen non addetur, si illa actio, in qua sola consistit motus, est omninò simplex, & solùm habet explicationem eius, quod inuolutum in prima sui inceptione affert. Adde. Quoniam ideò Deus non mutatur intrinsecè, etiamsi denuò per creationem vniuersi sit in illo, quia ei nihil additur; sed solùm explicatur vis eius locabilis, adestque noua connotatio vniuersi: ergo similiter in præsenti propter proportionalem rationem.

Solutio. Respondetur enim, negando sequelam. Et ad probationem dicendum est, quòd etsi illi actioni simplicissimæ nihil addatur in se ipsa secundùm se considerata, additur tamen ei quodammodò aliquid, vt collatę cum suo subiecto, nempe Angelo: quia illa ex se habet ab initio sui *esse* vim & efficacitem ad tangendum diuersa illa loca partialia. Attamen non se communicat formaliter Angelo, vt est ipse contactus in actu exercito diuersorum locorum partialium, nisi successiuè, & connotando prædicta loca. Et ideò formaliter loquendo additur Angelo aliquid virtualiter distinctum ab eo, quod priùs habebat: quia ab initio solùm identicè communicabatur illi effectus formalis illius actionis, vt habet vim, & efficacitatem per modum actus secundi ad tangendum omnia illa loca partialia; postmodum verò, & successiuè communicatur ei formaliter, vt in actu exercito exercet hanc vim & efficacitatem, connotatque successiuè prædicta loca. Quia nec prædictus Angelus est capax accipiendi aliter prædictum effectum formalem per hanc actionem, & exercitium eius, nec ipsa potest aliter se explicare.

Elucidatur exemplo. 60 Potestque hoc explicari sequenti exemplo. Nam iuxta probabilem opinionem anima, vt est in capillis, non tribuit *esse* sensitiuum radicale, sed *esse* vegetatiuum, licèt tam *esse* sensitiuum, quàm vegetatiuum identificentur in eadem anima: ac proinde solùm identicè informat illos secundùm hoc *esse*, non tamen formaliter. Et ita si nunc denuò anima tribueret illis *esse* sensitiuum mutarentur intrinsecè, licèt solùm eis communicetur denuò gradus virtualiter distinctus ab *esse* vegetatiuo, non quidem denuò additus eidem animæ, sed capillis. Sic ergo in præsenti, proportione seruata, philosophandum est.

Ad id autem, quod additur, addendum etiam est ex dictis, esse disparem rationem. Quia Deo nihil additur virtualiter distinctum, & intrinsecum, sed quidquid in eo est, habet illud ab æterno, & (vt sic dicamus) veluti actuat eum totaliter: & ideò solummodò ibi desideratur extrinsecum connotatum, secùs verò in præsenti, vt explicatum est.

Ad secundam confirmationem fatemur, motum discretum non posse consistere in vnica dumtaxat operatione, eaque simplici, propter illa, quæ dubio sequéti, & in alijs dubijs huius disputationis, dicem⁹ ex quibus sufficiès redditur disparitas quoad hoc inter motum continuũ, & discretum: negamus tamen, ideò præcisè posse consistere in duabus operationibus partialibus quia discretus est: quia licè tesset continuus, valeret in illis cõsistere. Cæterum cum hoc stat, motum discretum posse in duabus operationibus discretè se habentibus situm esse, quia discretus est. Ad secundã confirmationem.

Præiudicatur tacita obiectio. 61 Vnde (vt per hoc fiat satis ad id, quod vltimo loco in hac confirmatione adducitur) discrimen, quod est inter motum continuum, & discretum Angeli, non est, quòd motus discretus non habet partes copulatas aliquo termino communi, secùs verò continuus, sed penes hoc, quòd etsi discretus requirat ad sui vnitatem partiales operationes sibi succedentes absq, interpolatione, & similiter motus continuus possit in illis sibi etiam immediatè succedentibus consistere, attamen diuerso modo in istis partibus motus continui, & in partibus discreti datur hæc immediata partium successio absque interpolatione. Nam in discreto tantùm dantur v. g. duæ operationes partiales comparatæ per modum operationis, & operationis extremæ, quarum vna succedit alteri, & non correspondent duplici loco, nisi, vt earum quilibet habet rationem extremi; non verò vt v. g. terminus *ad quem* constat partibus intermedijs, & extremis, potestque habere sua indiuisibilia formaliter talia, quibus prædicta loca necti queant: ac proinde non respicit illum locum, vt per partes intermedias peruenitur ad extremam: & ita prædictæ operationes nequeunt continuari. Quia, vt continuarentur, deberent non solùm habere hoc, quod est vnam subsequi post aliam absq, interpolatione (hoc enim ad solam vnitatem motus, siue discreti, siue continui

nui deſideratur, & ſufficit) ſed inſuper correſpondere loco denuò acquiſito, vt habet partem extremam, & intermedias, ſeu vt per partes intermedias peruenitur ad extremam, & vt peculiariter conſtare queit ſuis indiuiſibilibus, medijs quibus peruenitur ad partes intermedias poſt ipſa ſubſecutas. Atècontrà res ſe habet in motu continuo, & in ſucceſsione operationum quodammodò partialium immediata, & ſine interpolatione, quibus conſtare queit. Et ideò ratione huiuſmodi ſucceſsionis immediatæ poſſunt illi contactus vniri, & continuari, continuatione quidem non vniuoca cum corporibus, ſed ſimpliciter æquiuoca.

62 Quæ ſolutio deſumpta eſt ex D. Thoma in 1. ad Annibaldum diſtinct. 37. quæſt. 2. art. 1. ad 4. vbi ſic habet: *Dicendum, quòd motus Angeli in loco poteſt eſſe continuus, & non continuus. Continuus quidem, in quantum poteſt eſſe in loco diuiſibili, vt exſuprà dictis patet, & ſic paulatim, & continuè poteſt aliquid ſpatij attingere, ſine hoc quòd ipſe in ſua ſubſtantia ſit diuiſibilis. Non continuus verò, ſecundùm quòd Angelus intelligitur ſine medio diuerſa loca contingere.* Et ibidem in ſolutione ad 3. deſumptum ex teſtimonio Ariſtotelis dicentis: *Omne, quòd mouetur, partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem*, ſic reſpondet: *Dicendum, quod verbum Philoſophi intelligitur de eo, quod mouetur, commenſurando ſe ſpatio: ita quòd motus eius ex continuitate ſpatij continuitatem recipiat: quod aliter eſſe non poteſt, niſi continuè intercipiat ſpatium, partim hic, partim ibi exiſtendo. Motus autem Angeli non eſt per commenſurationem, vt dictum eſt: vnde non requiritur in eo continuitas* (intellige per commenſurationem, vt ita hoc teſtimonium cum præcedenti, & his, quæ ex 1. p. habentur, cohæreat) *ſed ordo tantùm ſucceſsionis, ita quòd Angelus priùs ſit in hoc loco, & poſtmodum in alio*: quod eſt ſucceſſiuè, & per partes acquirere locum, ac proinde habere continuitatem æquiuocam, vt explicatum eſt.

D. Thom. *Ariſtotel.*

Nota. Aduertendum tamen eſt, prædictas operationes, ſi ſint plures, debere ſingulas earum verſari circa aliquam partem aliquotam loci, & ab Angelo pro ſua libertate, & iuxta naturam effectus producendi deſignatam: vt ſi v. g. velit tribus operationibus ſibi immediatè, & modo dicto ſuccedentibus contingere locum, tunc vna primam tertiam partem illius; ſecunda verò intermediam, vltima autem vltimam, & tertiam partem continget. Nam prædictæ operationes nequeunt pro multiplicitate partium proportionalium multiplicari realiter, vt conſideranti patebit: ex eo quòd quęuis ex illis actionibus eſt ſecundùm ſuam entitatem extra aliam. Et ita ſi multiplicarentur ad multiplicationem partium proportionalium, daretur multitudo infinita actu prædictarum actionum.

63 Tertiò probatur. Nam Angelus eſt omninò immaterialis: ergo non poteſt moueri in tempore: ergo neque continuè. Hæc vltima conſequentia patet ex prima. Nam vbi non eſt tempus, non poteſt eſſe motus continuus, cùm tempus nihil aliud ſit, quàm numerus motus ſecundum prius, & poſterius: & nequit intelligi continuitas in motu, ſine eo quòd in ipſo ſit prius, & poſteriùs. Prima autem conſequentia probatur ex antecedenti. Nam ex eo probat Ariſtoteles 4. Phyſic. cap. 8. non poſſe moueri corpus per vacuum in tempore, ſed in inſtanti: quia tota cauſa tarditatis in motu eſt reſiſtentia ex parte medij, quæ nulla eſſet in vacuo. Ergo Angelus, eo ipſo quòd ſit immaterialis, quãuis moueatur per corpus plenum, non poterit moueri in tempore, ſed in inſtanti: cùm non magis poſsit corpus plenum reſiſtere Angelo immateriali, quàm vacuum corpori, nec ſint ponendæ aliæ cauſę tarditatis in motu Angeli, quæ non competunt motui corporis. Antecedens autem ſatis conſtat ex dictis diſputatione præcedenti.

Tertiũ fundamentum

Ariſtotel.

Reſpondetur, conceſſo antecedenti, negando primam conſequentiam. Et ad probationem dicendum eſt, ſuppoſitionem illam falſam eſſe. Nam Ariſtoteles (vt optimè notauit D. Thomas ibidem lect. 12. & quodlibeto 9. art. 9. in ſolutione ad 3. & N. Complut. cum ipſo in lib. Phyſicorum diſput. 20. num. 16.) loquitur ibi contra aliquos Philoſophos aſſerentes, totam ſucceſſionem motus localis oriri adæquatè ex reſiſtentia medij: & ex hac eorum falſa ſuppoſitione rectè infert, quòd motus in vacuo, vbi nulla eſt reſiſtentia, debet fieri in inſtanti. Videantur tamen N. Complutenſes loco nuper citato, vbi optimè cum Doctore Angelico aſsignant alia capita, ex quibus retardatur motus corporis per vacuum, ex quibuſque poteſt proportionabiliter colligi, motum localem Angeli debere eſſe in tempore.

Reſponde-tur.

D. Thom. *N. Compl.*

DVBIVM IIII.

Vtrùm Angelus possit moueri motu discreto? vbi etiam quid hic motus importet?

VT explicemus *an est* huius motus respectu Angeli, oportet priùs exponere huius dubij titulum: ac proinde quid nomine *motus discreti* intelligatur: quia res hæc recondita est, & explicatione indigens.

§. *I. Explicatio tituli.*

Expositio tituli. *D. Thom.*

64 TItulum istum paucis exposuit D. Thomas, dum art. 1. huius quæstionis quidditatem motus discreti descripsit per hoc, quòd prædictus motus sit motus non continuus. Vbi in hoc, quod dixit, nempe, quòd motus discretus est motus, vnitatem, licèt discretam suprà insinuatam innuit, vt per hoc distinguatur à puro aggregato per accidens plurium mutationum non facientiũ aliquo modo vnum, quale est aggregatum plurium motuum successiuorum, & non continuorum, vel plurium mutationum discretarum interruptarum per quietem, quæ non sunt intrinsecè vnus motus, adhuc modo dicto, nisi ad summum ordine mouentis ad vnum finem. In hoc verò, quòd prædictus motus sit non continuus, denotatur, habere oppositam rationem motui continuo. Vnde, quia iuxta D. Thomam art. 1. huius q. tunc est motus continuus, quando mobile per partes deserit terminum *â quo*, & per partes acquirit terminum *ad quem*: ideò tunc motus erit discretus, quando deserit simul totum terminum *âquo*, ita vt per vltimum *esse* desinat simul esse in illo, & acquirat immediatè pòst totum terminum *ad quem* simul. Hoc autem potest contingere, vel ex eo quòd intra spatium sibi adæquatum, v. g. vnius leucæ, habeat primò, & per vltimum *esse*, ac simul, quòd desinat esse in prima quarta parte illius, & immediatè pòst, ac simul in vltima quarta parte, non existendo in alijs duabus partibus interiectis; vel quia immediatè pòst, ac simul sit in tribus illis quatuor partibus, in quibus anteà nõ erat, vel quia successiuè, & sine quiete, & per vltimum *esse* est totus simul in prima ex illis partibus, & immediatè pòst totus simul in secunda, & sic de alijs duabus quartis partibus, quæ in illo loco supersunt: quia quatuor hæc instantia constituunt vnum motum discretum: sicut quatuor vnitates numerum quaternarium, & distinctæ partes orationis successiuè se habentes vnam orationẽ de prædicamento quantitatis.

Refutantur Vazquez & Molina

65 Vnde non ita benè Vazquez disput. 197. c. 4. n. 14. Molina art. 3. huius q. in fine § *Tertia conclusio*, dixerunt, prædictum motum non esse aliquo modo vnum, sed purum aggregatum ex pluribus instantaneis mutationibus. Nec fundamentum eorum est firmum, nempe, quòd huiusmodi mutationes interrumpuntur quiete: ergo non constituunt mutationem, aut motum vnum, adhuc modo explicato in præcedenti dubio. Patet cõsequentia. Quia alioqui nõ esset cur omnes mutationes locales Angeli non essent continuæ, si interruptio per quietem nõ sufficeret ad illas discontinuandas.

Fundam. eorum.

Antecedens probant. Quia vel acquisitio secundi loci habet correspondenter ad nostrum tempus fieri in tempore? Et hoc non: quia alioqui toto illo tempore quiesceret ibi: siquidem talis acquisitio fit tota simul: & ita in pluribus instantibus illius temporis verificabitur, Angelum esse in secundo loco, & esse in loco, in quo erat immediatè anteà, quod est quiescere in eo. Vel fit correspondenter ad nostrum tempus in instanti? Et hoc non: quia aut Angelus est ibi per aliquod tempus vltra prædictum instans? Et sic quiesceret ibi, vt ex nuper dictis cõstat. Vel solum per instans? Et sic etiam sequitur dandam esse quietem in illis mutationibus: ex eo quòd acquisitio tertij loci inciperet in tempore immediatè sequenti: atque adeò ibidem erit quies: & per cõsequens hęc mediabit inter acquisitionem tertij loci, & quarti.

Eneruatur

66 Respondetur, negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, acquisitionem illam secundi loci incipere intrinsecè in instanti discreto temporis discreti Angelici post derelictionem primi loci per vltimum *esse*: & ita præsentia ad secundum locum incipiet in instanti intrinseco immediatè pòst secuto in prædicto tempore discreto, quamuis possit fieri coexistenter ad nostrum tempus. Hinc tamen non sequitur dari quietem: quia ad id desiderabatur, eam dari in ordine ad instans discretum Angelicum, ita vt instanti discreto immediatè succederet quies per illud intrinsecè mensurata.

67 Adde, Angelum illo tempore ita esse in secundo loco, vt simul habeat duo respectu eiusdem loci, ratione quorum nequeat ibi habere quietem. Primum est, in toto illo tempore mutari ad prædictum

locum

locum: quia acquiſitio illius, quæ eſt mutatio ad eum, fit in inſtanti temporis diſcreti intrinſecè, vt in propria menſura: & hoc poteſt coexiſtere toti alicui tempori noſtro, & non vtcumque, ſed etiam toti, & cuilibet eius inſtanti, quia fit tota ſimul, & indiuiſibiliter. Conſtat autem, mutari ad aliquid, & quieſcere ſimul in illo per quietem interrumpentem motum non poſſe eſſe ſimul: quod adeò verum eſt, vt licèt Angelus non protraheret motum vſque ad tertium locum, non diceretur (vt infrà magis explicabitur) quieſcere in ſecundo propter hanc rationem: ſicut in alijs mutationibus inſtantaneis, vt in illuminatione, non dicitur, paſſum quieſcere ſub lumine in eo inſtanti, in quo mutatur ad illud. Secundum eſt, Angelum eſſe in tali loco, vt in via ad alterum, nempe ad tertium locum, quod aliquomodo pugnat cum quiete interrumpente motum: quia via dicit tendentiam ad aliquid: & ita excludit quietem interrumpentem prædictam viam in eo.

Poteſtque hoc explicari exemplo *mutati eſſe* continuatiui motus continui, cui aliquomodo conuenit ratio viæ: & ideò dum mobile eſt ſub illo, non quieſcit quiete interrumpente motum. Vnde, cùm dicitur, id quieſcere perfectè in aliquo loco, quod eodem modo ſe habet nunc, & priùs, intelligitur de exiſtentia in loco in *facto eſſe*, quod excludat *fieri*, & mutationem tunc ad illum, & non ſit via ad alium locum.

Ex quo etiam fiet id, quod nuper innuebamus, ſcilicet, Angelum reſpectu noſtri temporis tunc dicendum eſſe, quòd quieſcat perfectè, ſeu per quietem interrumpentẽ motum, quando tranſacto illo tempore, cui neceſſariò correſpondet inſtans temporis diſcreti, in quo acquiritur prædictus locus, tunc quieſcit in illo.

§. II. *Ex mente Angelici Præceptoris dubij nodus diſſoluitur.*

Aſſertio. D. Thom.

68 DIcendum ergo eſt, Angelum poſſe moueri motu diſcreto. Ita D. Thomas in hac quæſt, art. 1. vbi loquens de Angelo, ſic ait: *Et poteſt etiam totum locum ſimul dimittere, & toti alteri loco ſimul ſe applicare. Et ſic motus eius non erit continuus.* Et art. 2. ſequenti his verbis: *Dicendum, quòd ſicut ſuprà dictum eſt, motus localis Angeli poteſt eſſe continuus, & non continuus.* Et quod libeto 1 art. 5. & alibi ſæpè, quem ſequuntur eius diſcipuli, & communis ferè conſenſus Theologorum, quos proinde in particulari referre ſuperuacaneum erit.

Ratio fundamentalis.

Ratio fundamentalis huius aſſertionis deſumitur ex D. Thoma artic. 1. huius quæſt. & ex alijs locis relatis, poteſtque ſub hac forma proponi. Quia Angelus eſt in loco abſque commenſuratione cum illo: ergo poteſt deſerere per vltimum *eſſe* totum aliquem locum, & acquirere alium totum ſimul, & non per partes: ergo motu diſcreto. Antecedens probatur, tum ex nobilitate, & excellentia Angeli, qui poteſt eſſe ibi eleuato modo, atque adeò abſque commenſuratione ad locum: tum etiam, quia totus eſt in loco, & totus in parte, ac proinde non per commenſurationem totius ad totum locum, & partis ad partem, in quo commenſuratio locati ad locum conſiſtit.

Conſequentia verò oſtenditur. Tum, quia hoc ipſo, quòd non commenſuretur loco, non debet neceſſariò eſſe in eo ſecundùm exigentiam eius: & per conſequens nec continuo motu debet tranſire per illum, ſicut & ipſe locus eſt continuus, ſed poterit motu diſcreto per ſpatium illud moueri.

Tum etiam. Quia modus mouendi, & modus eſſendi in loco conſonus illi non pugnant inter ſe. Et ita ſi Angelus eſt in loco diuiſibili totus in toto, poterit moueri ſuper illum, ita vt derelinquat ſimul per vltimum *eſſe* totum terminum *à quo*, & acquirat terminum *ad quem* eodem modo in inſtanti ſequenti.

Tum deinde. Quia in mobili extenſo ex extenſione prouenit, vt non poſsit peruenire totus ſimul ad terminum *ad quem*: & ideò priùs ſubintrat prima pars, & deinde vltima.

69 Tum denique (per quod præcedens probatio fulcitur.) Nam ideò corpus ſucceſsiuè acquirit locum, quia extenſum eſt, & habet partes: ſiquidem eo ipſo habet partes reſpondentes ex natura rei partibus loci: & ex conſequenti neceſſe eſt, quòd vltima eius medietas priùs egrediatur ab vltima linea loci, in quo eſt, & ingrediatur ad aliũ locũ, quã prima medietas: ex eo quòd vltima medietas corporis minùs diſtat ab ea linea, & ab eo loco, quàm prima. Ergo hoc ipſo, quòd Angelus ſit formaliter indiuiſibilis, & non habeat formaliter partes, non vrget in eo hæc ratio. Ergo poterit deſerere per vltimum *eſſe* totum aliquem locum, & acquirere totum alium ſimul, & non per partes. Ex quo etiam ſecunda conſequentia conſtat. Quia iuxta nuper dicta, motus diſcretus Angeli in hoc modo deſerendi, & acquirendi locum conſiſtit.

Confirmatur.

Confirmatur. Quia cùm Angelus ſit in loco per operationem ſuam liberam formaliter immanentem, & virtualiter tranſeuntem, tamquam per exercitium, & determinationẽ rationis formalis exiſtendi in eodẽ loco, vel totali, vel partiali, vel maiori, aut

aut minori, prout ei placuerit: non est quòd impediat illi, quominùs pro libito suo possit simul deserere totum vnum locum, & acquirere totum alium etiam simul: ergo non est aliquid impediens ipsum, quominùs moueatur motu non continuo, seu discreto. Patet consequentia, tum ex dictis in explicatione tiiuli: tum ex illis, quæ dubio præcedenti §. vltimo num. 61. dicebamus. Nam vbi totus locus prior simul totaliter deseritur, & alius totus simul acquiritur, non est aliquid, à quo in tali motu possit sumi continuitas: & ita eo ipso mouebitur Angelus motu discreto.

Effugium.

70 Nec refert, si occurras, ex hac ratione, & eius confirmatione non haberi intentum. Nam ex eo, quòd totus terminus *â quo* simul deseratur, & immediatè pòst acquiratur simul totus terminus *ad quem*, non benè colligitur, motum illum fore discretum. Et ratio est. Nam prædictus motus erit vnicus & idem, cùm constet vno dumtaxat termino *â quo*, & vnico etiam termino *ad quem*. Et deinde erit vnus vnitate per continuationem, non quidem quæ sit talis vniuocè cum continuatione motus corporei, sed quæ sit talis æquiuoce tam simpliciter, & absolutè, quàm in collatione ad prædictum motum corporeum, de qua sola continuatione in præsenti fit sermo. Quoniam illa derelictio simultanea termini *â quo*, & acquisitio, quæ statim subsequitur itidem simultanea, & termini *ad quos* partiales, habentes rationem termini *ad quem* totalis respectu illius, possent continuari, eo quòd transitus ille de vno termino ad alium versaretur circa idem continuum spatium, si hoc in *esse* spatij formaliter pertransibilis consideretur: siquidem vnitas, & continuitas eius sic sumpti desumitur (vt sæpè nos innuisse videtur) ex eo, quòd per vnicam dumtaxat quantitatem virtutis Angelicam, vnicumque, & totalem contactum virtutis non interruptum habeat contingi, & pertransiri.

Impugnatio eius.

Non itaque hoc refert. Quoniam aliud est, an aliquis motus sit vnus? aliud verò, an sit vnus vnitate per continuationem, adhuc æquiuocam? an verò vnitate per discretionem? sicut aliud est, an aliqua quantitas sit vna vnitate continuationis, vt in linea, vel superficie contingit? vel vnitate discretionis, seu propria quantitatis discretę, & permanentis, vt in numero quantitatiuo cernitur? Etsi ergo ex hac responsione habeatur, motum illum Angeli fore vnum, quia non habet nisi vnicum dumtaxat terminum *â quo*, & alium terminum *ad quem*; non tamen fore modo dicto vnum per continuationem. Nam hoc ipso, quòd terminus *ad quem* alicuius mutationis acquiratur simul, & similiter terminus *â quo* totus simul, & non per partes deseratur, comparantur per modum partis, & partis extremæ, à quarum, vna non peruenitur ad aliam per partes intermedias. Et ita non est vnde in illa acquisitione colligatur aliqua continuitas, adhuc æquiuoca, vt dubio præcedenti §. vltimo num. 61. ostendimus.

Impugnatur vlterius

71 Deinde contra hanc solutionem vrget, quòd prædictus motus, quo simul deseritur totus terminus *â quo*, & deinde simul etiam acquiritur totus terminus *ad quē*, non est similis motui corporum continuo, & connaturali ipsis, sed motui eorūdem, qui per diuinam potentiam, aut saltem per possibile posset eis competere, si vnum corpus v. g. esset in cælo, & inde diuinitus absque transitu per ignem, & aerem collocaretur præsens in terra in aliquo loco, desereret simul totum illum locum, & deinde fieret præsens absque successione simultaneè toti alteri loco etiam immediato ad præexistentem. Sed prædicta corpora tunc non mouerentur motu continuo, quin potiùs ex illo modo mouendi colligeremus, moueri motu discreto, vt de primo motu corporis existentis in cælo ex se liquet: & de secundo etiam constat: quia non est vnde illa acquisitio habeat multitudinem partium successiuarum, & continuatarum. Ergo propter similem modum, quo se Angelus mouet, colligēdum est, prædictum motum, etsi vnum, non habere vnitatem per continuationem, sed vnitatem per discretionem, seu propriam entis discreti, vt talis.

Vltima solutionis euersio.

Tandem contra prædictam solutionem obest, quòd motus discretus, & cōtinuus habent inter se immediatam oppositionem: ergo cùm ille motus, quo simul deseritur totus terminus *â quo*, & deinde simul acquiritur, totus terminus *ad quem*, non sit continuus, quia ad hunc requiritur, quòd acquisitio termini *ad quem* sit per partes, & successiua (alioqui, vt sæpè diximus, non essent prædictæ partes in illa acquisitione, adhuc virtualiter continuatæ: siquidem spatium illud, vt acquisibile, non consideratur, vt habens ordinem partium quoad acquisitionem illius) fit inde prædictum motum fore discretum.

§. III. *Obiectiones contra rationem D. Thomæ, vnà cum responsionibus ad illas.*

Prima obiectio contra rationem D. Thom.

72 SED licèt ratio D. Thomæ sit satis elegans, & aliquantulum maneat elucidata ex his, quæ in impugnatione præcedentis solutionis ad illam diximus, nihilominus non desunt aliquæ obiectiones

nes contra eandem militantes, ex quarum ſolutione magis illuſtrabitur. Prima eſt, quòd in ea neceſsitas motus ſucceſsiui, & continui reducitur ad ſolam extenſionem mobilis: cùm tamen hęc non ſit eius adæquata ratio, ſed etiam hæc neceſsitas ex diuiſibilitate, & continuitate medij proueniat.

Nec ſatis erit ſi dicas, extenſionem mobilis ſufficere, & cogere ad prædictum motum, ſi ſemel res illa extenſa, mouenda eſt, non tamen cogere, ſed ſufficere, ſi mobile ſit inextenſum.

Nam contra hoc eſt, quòd huius non aſſignatur ſufficiens ratio. Item, quia punctum eſt indiuiſibile: & tamen ſi moueretur, tunc eius motus eſſet continuus, & ſucceſsiuus, & hoc non niſi ex extenſione ſpatij proueniret.

Secunda. 73 Secunda obiectio eſt. Quia in hac ratione ſupponitur, mobile æquè primò reſpicere omnes partes termini *à quo*, deſerendo illas per vltimum *eſſe* ſimul, & ſimiliter partes termini *ad quem*, ſimul eas acquirendo: hoc tamen licèt admittatur reſpectu termini *à quo*, non tamen reſpectu termini *ad quem*. Et ratio diſparitatis eſt. Quia prædictum mobile, ſcilicet Angelus, eſt totus in termino *à quo*, & ideò poteſt ſimul illum deſerere: quia eo ipſo æquè diſtat ab omnibus eius partibus. Cumque terminus *à quo*, in quo eſt Angelus, non diſtet æque ab omnibus partibus termini *ad quem*: fit inde, vt Angelus, hoc ipſo quòd ibi non æqualiter diſtet ab eiſdem partibus, debeat ſucceſsiuè illas acquirere.

Tertia. 74 Tertia. Quia falsò in prima conſequentia huius rationis ſupponitur, vel innuitur, acquiſitionem termini *ad quem* immediatam termino *à quo* conſtituere vnum motum diſcretum: quia ille potiùs eſſet motus quidam continuus (ſi ſemel motus eſt) quàm diſcretus: quoniam continuè acquirit idem ſpatium, & ita petitur ad eum immediatio vnius partis ſpatij ad aliam.

Quarta. 75 Quarta (per quod præcedens obiecto confirmatur.) Quia motus eſt eſſentialiter via & tranſitus medius inter terminum *à quo*, & *ad quem*. Si autem mobile acquirat locum immediatum termino *à quo*, non videtur dari hunc tranſitum & viam mediam: ergo &c. Nec ſatis erit, ſi dicas, quòd deſertio illa termini *à quo*, & acquiſitio termini *ad quem* videtur via media inter vtrumque terminum. Nam contra hoc eſt, quòd iſta tenent ſe, vel ex parte termini *à quo*, vt deſertio, vel ex parte termini *ad quem*, vt acquiſitio, vel ſecundùm vtramque rationem ex parte termini *à quo*: cùm tamen via diſtinguatur, & ſit extra terminos, medians inter vtrũque, & non ſe tenens ex parte alicuius in particulari.

Cõfirmatur. Confirmatur. Quia ideò corruptio vnius formæ ſubſtantialis, & generatio alterius ſunt duæ mutationes, & non vnus motus, quia ibi ſunt quatuor termini, ſcilicet *eſſe* præexiſtentis formæ, & non *eſſe* illius, & ſimiliter non *eſſe* formæ denuò generandæ, & *eſſe* eiuſdem: qui etiam in præſenti inueniuntur, vt conſideranti patebit: ergo &c.

Vltima. 76 Vltima. Quia ſi Angelus eſt in loco eleuato modo, & non commenſuratè ad illum, fit inde, vt ſicut ratione huius eleuationis abſoluitur ab hoc, quòd debeat motu continuo moueri per illud ſpatium, licèt poſſit continuè moueri: ita abſoluitur ab hoc, quòd eius actiuitas, & actiuitatis ſphæra limitetur per hoc, quòd ſit in loco & ita exiſtens hìc, poterit ad quamcumque diſtantiam agere: quia ratione huius eleuationis non pendet Angelus ab illa diſtantia, & ideò eſſet abſolutus à legibus diſtantiæ ſitualis.

Reſpõdetur ad primam obiectionẽ. 77 Reſpondetur ad primam ex his obiectionibus, admittendo ſolutionem ibi datam, & ad primam impugnationem poſſe huius ſolutionis reddi rationem ex eo, quòd ſi mobile ſit extenſum, & correſpondeat partibus loci, debet motus eſſe iuxta exigentiam loci propter commenſurationem inter vtrũque, ſecùs quando mobile eſt formaliter indiuiſibile, & ſolùm virtuali, & eminenti modo diuiſibile: ſicque eſt totus in toto loco diuiſibili, & totus in parte, propter rationes traditas in probatione primæ conſequentiæ rationis D. Thomæ. Ad illud autem de puncto dicendum eſt, quòd dato poſſe moueri, tunc mouetur per correſpondentiam inadæquatam ad partes ſpatij: quia ſolum eſt formaliter indiuiſibile, non verò virtualiter diuiſibile: ac proinde non poteſt coexiſtere adæquatè ſimul alicui loco diuiſibili. Imo hinc fit, non poſſe moueri: quia moueretur dinumerando, aut quaſi dinumerando omnes partes proportionales, & puncta loci, quod implicat, vt ſequenti dubio etiam dicemus.

Ad ſecundã. 78 Ad ſecundam reſpondetur, admittendo, ſupponi in hac ratione illud, quod ibidem dicitur ſaltem quoad poſſe. Et ad probationem in contrarium ex illa diſparitate dicendum eſt, quòd quia Angelus eſt totus in termino *ad quem*, & non obligatus legibus diſtantiæ ſitualis ſpatij, vt commenſuratus illi, ideò licèt partes termini *ad quem* non æquè diſtent à termino *à quo*, & reſpectu illius; ſecùs reſpectu Angeli quoad hoc, quod eſt motum eius non debere eſſe iuxta exigentiã illius ſitualis diſtãtiæ, propter rationẽ datã.

Vnde respectu Angeli peraccidens est, quòd intrà sphæram suæ actiuitatis terminus *ad quem* non æquè in *esse* rei distet ab omnibus partibus termini *ad quem*.

Ad tertiam 79 Ad tertiam negandum est, falsò fieri illam suppositionem, vel illam innuit: ac proinde negandū est etiam, illum motum fore motum continuum: quia hic debet fieri relinquendo paulatim terminum *â quo*, & acquirēdo terminum *ad quem*. Vnde respectu illius motus prioris, & discreti, materialiter & per accidens se habet loci continuitas: quia non respicitur, quatenus constat partibus extremis, & intermedijs; sed quæuis acquisitio est à loco extremo, vt tali, ad locum extremum, qui præcisè comparetur, vt extremitas, & hoc siue motus ille sit breuissimus, & constet duobus dumtaxat instantibus discretis, siue pluribus: nam quæuis ex illis acquisitionibus mēsuratis suo instanti discreto, solùm respicit suum terminum *ad quem*, vt totus simul est acquisibilis, & vt habet rationem præcisè extremi respectu termini *â quo*: licèt quia ille motus non sistit in illa acquisitione, progrediatur vlteriùs respiciendo iterùm nouum locum, vt extremum respectu termini *a quo*, ita vt ad eum, relinquendo terminum *â quo* immediatè perueniatur. Vnde ad motum istum, vt discretum, & ad modum essendi illi°, per accidens est, quòd terminus *ad quem* sit, vel non sit distans à termino *â quo*, dummodò contineatur sub sphæra actiuitatis Angeli: & ideò per illum motum secundùm speciem, quo acquiritur locus discretus immediatus termino *â quò*, posset acquiri locus distans, vt talis, vt dubio sequenti dicemus. Hic autem modus motus pugnat cum motu continuo, qui nunquam terminatur ad distans in *esse* loci, vt tale, sed ad summum ad distans in *esse* rei, vt non est intersecatum in *esse* loci, sed vt habet continuitatem respectu Angeli, & per motum continuum, ac per partes est acquisibile.

Ad quartā 80 Ad quartam obiectionem benè ibi dem respondetur. Et ad probationem dicendum est, acquisitionem, & derelictionem illā per vltimum *esse*, tenere se ex parte vtriusque extremi, quia fit derelictio illa cum ordine ad acquisitionem, & è contrà. Vnde illa derelictio non est, formaliter vt constituit motum, ab *esse* in illo termino *â quo* ad non *esse* in illo (sic enim essent ibi quatuor termini, duplexque mutatio formaliter) sed ab *esse* vltimò in illo loco, & termino *â quo* ad *esse* immediatè in alio loco: quia per se petitur ad motum prædictus terminus *â quo*, secùs in generatione substantiali: quia de materiali, & peraccidens ad acquisitionem nouæ formæ se habet, quòd sit à forma substantiali, vt docent N. Complut. in lib. Physicorū disput. 2. n. 15. Per quod ad confirmationē satis patet. *N. Compl.*

81 Ad vltimam concedatur intentum, si Angelus priùs se nullibi constituat; secùs si v.g. hic est, vt in loco inadæquato, & alius locus sit extra sphæram suæ actiuitatis, seu loci adæquati, quem potest simul replere. Et ratio disparitatis est. Quia in primo euentu omninò est absolutus à loco, secùs in posteriori: & ideò nequit in quacumque distantia operari, aut ad illam inde moueri: non quia pendeat, saltem simpliciter, à distātia, sed quia nequit esse in pluribus locis, vt pluribus, qualiter cō pararentur tunc illa loca, quia non intra sphęram suæ actiuitatis simul continerentur. Sed de hoc iterùm infrà sermo redibit. Ad vltimā

§. IIII. *Contraria sententia refertur, & fundamenta eius dissoluuntur.*

82 CONtrariam tamen sententiam, nempe, motum Angeli non posse esse discretum, sequuntur Molina in præsēti Malonius in 2. dist. 8. disput. 16. Rada in 2. p. concluſ. 3. art. 3. post Scotum in 2. dist. 2. q. vltima art. vltimo. Opposita sēntia. *Molina* *Malonius* *Rada* *Scotus*

Probatur primò. Nam si Angelus posset moueri motu discreto; vel tali motu tūc posset sic moueri, dum est in termino *â quo*, vel *ad quem*; vel in aliqua mora intermedia: at nullo ex his modis: ergo non potest moueri motu discreto. Maior & consequētia patent: quia nequit excogitari alius modus, quo posset motu discreto moueri. Fundamētū primum.

Minor autem probatur quoad vtramque partē. Et in primis quoad primā, nimirum, quòd Angel° non posset moueri, dū est in termino *â quo*, vel *ad quē*. Nā id videtur expressum apud D. Thom. in 1. dis. 37. q. 4. art. 1. ad 3. vbi sic inquit: *Quia motus Angeli localis nō est positus esse continuus: ideò non oportet, quòd pars illius motus sit motus: Et ideò nec in A. mouetur, nec in B. mouetur; licèt A. & B. sint partes eius &c.* Quoad secundam verò partē, scilicet quòd Angelus non posit moueri motu discreto in aliqua mora intermedia, probatur eadē minor. Tū, quia est expressa mens D. Thomæ in præsenti art. 2. ad 3. dicentis, in motu discreto nullā intercedere morā inter terminum *â quo*, & *ad quē*, sed successionem diuersorū locorū sine medio constituere motum discretū. Tum etiā. Quia in tempore discreto, quod ponunt Thomistæ, dantur duo instantia immediata sine mora intermedia: ergo pariformiter in motu discreto, si esset, deberēt dari duo *mutata esse* immediata, sine eo quòd inter illa intercederet aliqua mora. Tum denique. Nam si in ea mora posset Angelus moueri, cùm ea deberet esse instantanea, sequeretur, Angelum posse moueri in instanti: cuius oppositum ex mente D. Thomæ infrà ostendemus. *D. Thom.* *Idē magis Angeli*

Res-

Enodatur. Reſpondetur cum Ferrara 3. contra Gentes c. 102. Angelum moueri motu diſcreto, non quidem in aliqua mora intermedia inter terminũ *à quo*, & *ad quem*, vt rectè probat argumentum, neque in ſolo termino *à quo*, vel in ſolo *ad quem*, vt docet Angelicus Doctor loco citato ex 1. Sentent. ſed in vtroque inſtanti, in quo eſt in vtroque termino. Nam moueri eſt, deſerere vnicum locum, & acquirere alium: & hoc fit in vtroque inſtanti ſimul: quia in primo deſeritur terminus *à quo* per vltimum *eſſe*, & in ſecundo acquiritur terminus *ad quem* per primum *eſſe*. Et ideò dixit D. Thomas loco relato in argumento poſt verba ibidem citata: *Nec in A. mouetur, nec in B mouetur, licet A. & B. ſint partes eius; ſed ſucceſsio horum, quod eſt eſſe in A. & eſſe in B. motus eius vocatur.* Et eandem doctrinam tradit S. Doctor in præſenti art. 1. in ſolutione ad 1. Sed de hoc iterùm infrà ſermo redibit.

D. Thom.

Fundam. 2. 83 Secundò probatur eadem ſententia ex Rada. Nam de eſſentia motus eſt ſucceſsio cum continuitate: ſed motui diſcreto hoc non poteſt competere: ergo in eo non poſſet ſaluari ratio motus: & ita non eſſet motus, vel eſſet contradictio aſſerere, quòd eſſet motus, & eſſet diſcretus. Maior probatur ex Ariſtotele. 6. Phyſicorum dicente, motum eſſe de genere continuorum ſucceſsiuorum. Minor autem & conſequentia non indigent probatione.

Ariſtotel.

Reſpondetur. Reſpondetur, diſtinguendo maiorem, & concedendo illam de motu corporis, negando verò eam de motu ſubſtantiæ ſpiritualis. Neque oppoſitum conuincitur ex Ariſtotele, qui ſolùm loquebatur de motu corporum.

DVBIVM V.

Vtrùm Angelus poſsit per vires ſuæ naturæ tranſire per motum localem de extremo ad extremum, abſque eo quòd tranſeat per medium?

Explicatur titul. 84 SENSVS tituli non eſt, an ſit neceſſarium, quòd Angelus priùs duratione tranſeat per medium, quàm perueniat ad extremum? ſed an, attendendo ad Angelicas vires, ſit neceſſarium, quòd repleat medium, ad hoc vt pertingat ad partem extremam, ſiue hoc fiat ſecundùm ordinem prioris, & poſterioris ſecundùm durationem, ſiue non? Vnde non innitendum eſt in verbis *tranſitus*, aut *medij*, quæ videntur illam priorem prioritatem præſeferre. Nomine autem *medij* non intelligitur medium communicans, & participans de extremis, quale eſſet dimidia vlna v. g. incluſa in parte extrema, ſi extremum, ad quod debet tranſire mobile, ſit vnius vlnæ, ſed debat intelligi medium non communicans, neque participans: vt ſi locus conſtet tribus vlnis, tunc vlna medians inter vtramque partem, ſeu inter vtramque vlnam extremam eſſet medium non participans.

§. 1. *Placitum Angelici Doctoris, & noſtrum, & primum illius fundamentum.*

D. Th. placitum. 85 DIcendum ergo eſt, Angelum poſſe tranſire de extremo ad extremum ſine tranſitu per medium. Ita D. Thomas in hac quæſt. artic. 2. vbi ſic inquit: *Hoc autem, ſcilicet moueri de extremo in extremum, & non per medium, poteſt conuenire Angelo.* Et in 1. diſtinct. 37. quæſt. 4. artic. 2. his verbis: *Dico enim, quòd Angelus poteſt tranſire de loco in locum, ita quod tranſeat omnia media: & poteſt eſſe, quòd tranſeat de loco ad locum, ſine hoc quòd ſit in aliquo mediorum.* Et in eadem diſtinct. ad Anibaldum quæſt. 2. art. 1. in ſolut. ad 4. & quodlibeto 1. artic. 5. vbi ita habet: *Dicendum, quòd Angelus, ſi vult, poteſt moueri de vno extremo ad aliud, abſque hoc, quòd pertranſeat medium.* Vnde S. Doctorem communiter ſequuntur eius diſcipuli, vt Caietanus, Bañez, Zumel, Nazarius, Nauarrete in preſenti, Capreolus in 2. diſtinct. 6. quæſt. 1. art. 1. concluſione. 3. & art. 3. in ſolutionibus ad argumenta contra eandem concluſionem, Marſilius in 2. queſt. 7. artic. 3. in corollario poſt primam concluſionem, Durandus in 1. diſtinct. 37. quæſt. 2. Henricus ibidem, Carthuſianus quæſt. 4. Hiſpalensis in 2. diſtinct. 6. quæſt. 1. Vazquez diſput. 196. cap. 2. & tandem quàmplures alij, tam ex Thomiſtica, quàm ex non Thomiſtica ſchola.

Caietanus. Bañez. Zumel. Nazarius. Nauarr. Capreol. Marſil. Durand. Henricus Carthuſ. Hiſpalen. Vazquez.

Ratio fundamentalis ex D. Th. deſumpta. 86 Ratio autem prior, & fundamentalis ex D. Thoma deſumpta poteſt ſub hac forma proponi. Quia Angelus eſt in loco per operationẽ, modo iã dicto, ſiue per applicationem liberam ſuæ virtutis ad locũ: ergo poterit tranſire de loco ad locũ ſine tranſitu per medium. Patet conſequentia. Quia ſicut ob hanc rationem eſt ei integrum applicare; iuxta ſuam libertatem, toti alicui loco ſibi adæ-

adæquato quantitatem ſuæ virtutis, vel ſolùm parti inadæquatæ contentæ intra ſphæram illius: ita applicare eandem quantitatem virtutis partibus extremis, non applicãdo eam, ſiue non operando in intermedijs, tuncque erit in partibus extremis, non exiſtẽdo in intermedijs: ergo etiam poterit de extremo ad extremum ſine tranſitu per mediũ moueri localiter. Quam rationem adduxit

D.Thom. D. Thomas in 1. diſ. 37. q. 4. ar. 2. his verbis: *Dico enim, quòd eſſentia Angeli ſecundùm ſe abſoluta eſt ab omni loco, & non diffinita ad locum, niſi per operationem: non autem per operationem ſecundùm quòd exit ab eſſentia; ſed ſecundùm quòd terminatur ad operatum in loco. Vnde quando operatur circa hunc locum, ab eſſentia ſua (cum non ſit ex ſe determinata, vel obligata ad locum illum, ſed indifferenter ſe habens ad omnia, in quantum in ſe eſt) poteſt egredi operatio ſtatim ad locum proximum, vel remotum: nec operatio ad diſtans dependet ab operatione ad propinquum.*

Confirmatur primò. Confirmatur primò ratione D. Thomæ. Quoniam Angelus eſt in loco, non per cõmenſurationem cum loco, ſicut corpus, aut tanquam illi ſubditum, ex eo quòd continea tur ab eo, ſicut prædictum corpus: ergo licèt corpus debeat ſequi leges loci in ſuo motu, ita vt non poſsit pertranſire locum, ſine eo quòd pertranſeat illum eo continuato modo, quo partes illius diſpoſitæ ſunt, ac proinde nequeat peruenire ad partem extremam, quin perueniat per intermediam, benè tamẽ Angelus, qui eſt in loco, vt continens, & vt ſuperior ipſo: & ideò ſicut non eſt ſubditus loco, ita eſt in poteſtate eius applicare ſe loco, prout vult, ſcilicet, vel per medium, ſeu continuè, vel ſine medio, ſeu diſcretè. Quam ra-

D.Thom. tionem eleganter propoſuit D. Thomas in fine corporis articuli ſecundi huius q. dicẽs: *Hoc autem, ſcilicet moueri de extremo in extremum, & non per medium, poteſt conuenire Angelo, ſed non corpori: quia corpus menſuratur, & continetur ſub loco: vnde oportet, quòd ſequatur leges loci in ſuo motu. Sed ſubſtantia Angeli non eſt ſubdita loco, vt contenta, ſed eſt ſuperior eo vt continens: vnde in poteſtate eius eſt applicare ſe loco, prout vult, vel per mediũ, vel ſine medio.*

87 Et tam rationem præcipuam, & primam, quàm hanc primam confirmationem eleganter complexus eſt idẽ S. Doctor quodlibeto 1. citato art. 5. dicens: *Cuius ratio eſt. Quia corpus eſt in loco, ſicut contentum ab eo: & ideò oportet, quòd in mouendo ſequatur loci conditionem, vt ſcilicet pertranſeat media priùs quàm ad extrema loci perueniat. Sed cùm Angelus ſit in loco per contactum virtutis, non ſubditur loco, vt contentus ab eo; ſed magis continet locum ſua virtute ſupereminens in loco. Vnde non habet neceſſe, vt ſequatur in ſuo motu conditiones loci, ſed voluntati ſuæ ſubeſt, quòd applicet ſe per contactum virtutis huic loco, & illi, & ſi vult abſque medio: ſicut etiam intellectus poteſt applicare intelligendo vni extremo, puta albo, & poſtea nigro indifferenter, vel cogitando, vel non cogitando de medijs coloribus, quamuis corpus ſubiectum colori, non poſsit moueri de albo in nigrum, niſi per medium.*

Confirmatur ſecundò. Quia corpus Chriſti Domini poteſt deſinere eſſe in parte media hoſtiæ conſecratæ, & exiſtere in extremis partibus, quia ibi eſt eleuato modo: ergo etiam Angelus poterit ratione ſuæ eleuationis eſſe ſic in loco, ſcilicet in partibus extremis, & non in intermedijs: ergo eadem ratione poterit de extremo ad extremum, & non per medium moueri. Confirmatur ſecũdo.

88 Ex quibus fit, nihil referre, ſi ad rationem præcipuam, & eius primam confirmationem occurras, quòd etiam homo ſe libere applicat loco alicui, etſi prædictus homo ſit corporeus: quia ſicut huic, ita alteri poſſet ſe applicare, relicto illo: & tamen, ex ſuppoſitione quòd huic ſe applicet, nequit applicare ſe partibus extremis, aut moueri ab vna in aliam, quin per medium: ergo ſimiliter hoc ipſum in Angelo dicendum eſt. Euaſio

Sicut etiam non ſat erit, ſi ad confirmationem ſecundam dicas, tum illud eſſe miraculoſum: & ideò non ad rem: quia hic de Angelo iuxta ſuam naturam agimus. Tum etiam, quòd Chriſtus non eſt in hoſtia localiter, nec mouetur ad eam, nec deſinit eſſe in cœlo: cùm tamen omnia hæc è conuerſo in Angelo accidant.

89 Non igitur hoc obeſt. Nam contra priorem ſolutionem ad præcipuam rationem, & primam confirmationem obſtat, quòd licèt homo liberè ſe applicet huic, potiùs quàm illi loco, nequit tamen ſe ſubtrahere iuxta ſuum beneplacitum ab omni loco, vt Angelus, iuxta dicta ſuprà diſputatione præcedenti num. 64. ex D. Thoma. Hic autem modus ſe applicandi liberè & omnino ſe ſubtrahendi (de quo ratio Doctoris Angelici intelligitur) ſatis denotat, quòd neque in modo eſſendi in loco, neque mouendi ſe circa illum applicat ſe iuxta exigentiam loci, ſed iuxta exigentiam ſui beneplaciti, ſecùs corpus. Refellitur.

Confirmatur primò. Quia (vt ex D. Thoma dicebamus) corpus debet eſſe in loco commenſuratum illi, & ſubditum eius legibus: ergo ex eo quòd corpus, ſi ſemel ſe applicet huic loco, debeat eius leges in motu ſequi, non benè hinc colligitur, idem contingere in Angelo, qui eleuato modo, & nõ commenſuratè ad locum eſt in illo. Confirmatur primo.

Confirmatur ſecundò. Quia ideò anima noſtra, Confirmatur ſecũdo.

noſtra, ex ſuppoſitione quòd informet, non poteſt non informare omnes partes corporis continuas, quia præſtat hunc effectum in genere cauſæ formalis, & omninò neceſſariò: ergo Angelus, qui in genere cauſæ efficientis, & omninò liberè, ac modo dicto eſt in loco, non erit in illo iuxta exigentiam loci, nec mouebitur ſic per illum: & per conſequens non erit neceſſarium, vt moueatur de extremo ad extremum per medium: ſiquidem hęc neceſsitas dicit motum iuxta exigentiam loci.

Confirm. 3 90 Confirmatur tertiò. Quia ideò anima nequit partes diſcontinuas informare, aut deſinere eſſe in parte media, ſi ſit in extremis, quia in informatione pendet ſimpliciter à corpore, & quia vnum per ſe cum corpore conſtituit: ſed Angelus neque in applicatione pendet ſic à loco, ſed potiùs è contrà: neque vnum per ſe conſtituit cum illo: ergo, &c.

Confirmatur vltimo. Confirmatur tandem. Quia (vt diſputatione præcedenti diximus) Angelus eſt in loco formalizando illum, & tribuendo ei continuitatem, & vnitatem, aut diſcretionem in *eſſe* pertranſibilis, & ſimul vnitatem diſcretam, è contrà verò corpus: ergo ex eo, quòd corpus ſemel applicatum loco debeat applicari iuxta leges loci, non ſequitur, idem dicendum de Angelo.

91 Et deinde contra id, quod ad ſecundam confirmationem dicitur, obſtat, quòd licèt ille modus eſſendi in hoſtia ſit miraculoſus, conuenit tamen ratione eleuationis, & modi eſſendi eleuati in illa: hoc tamen dato, ex natura rei ſequitur ille modus eſſendi: at Angelus ex natura rei habet modum ſatis eleuatum eſſendi in loco: ergo, &c. Nec obeſt, quòd ibi Chriſtus non ſit localiter deſinendo eſſe in cœlo. Quia ſi illo eleuato modo, & non locali per ſe, poteſt eſſe modo iam dicto in hoſtia, quia modus ille eſt eleuatus: cur non Angelus ratione ſuæ eleuationis, quæ ſatis eſt eminens, non poterit ſimili modo eſſe in loco, & moueri per illum?

Adde, plus eſſe, quòd Angelus ſit in parte extrema, non deſinendo eſſe in altera extrema, abſque eo quòd ſit in medio, quàm tranſire de extrema ad extremam relinquendo mediam: at illud prius conuenire Angelo, conſtat ex dictis diſput. præcedenti: ergo, &c.

Obiectio. 92 Nec obeſt, ſi cum Iuniore quodam, aliàs Doctiſsimo, obijcias, hanc poteſtatem Angelicam ſubtrahendi ſe libere ab omni loco ideò poſſe deſeruire ad hoc, vt ſit in locis extremis quin in intermedijs, aut mouendi ſe de extremo ad extremum, & non per medium, quia poſſet exiſtens in vna parte extrema ſubtrahere ſe priùs ab omni loco, & immediatè pòſt acquirere aliam partem extremam, ex eo quòd cùm non ſit in loco, nequit limitari illa acquiſitio ex diſtantia ſituali loci: ſed hic modus ſe ſubtrahendi nequit deſeruire ad hoc, vt tranſeat de loco in locum, ſine tranſitu per medium: ergo, &c.

Minor probatur. Tum, quia loquimur de Angelo, vt formaliter tranſit de loco in locum. Si autem Angelus priùs ſe ſubtraheret ab omni loco, non eſſet ille tranſitus ſubſecutus de loco in locum: ſiquidem dum acquirit ſecundum locum, non acquirit illum ex loco, cùm nec tunc, nec immediatè anteà ſit in loco, ſed immediatè anteà ſubtraxerit ſe ab omni loco. Tum etiam. Quia neutra ex illis mutationibus eſſet localis. Non quidem prima, qua ſubtraheret ſe ab omni loco: quia hæc non ad eſſendum in loco, ſed ad ſubtrahendum ſe ab omni loco terminatur: hoc autem eſt contra mutationem localem. Nec ſecunda: quia hæc non eſſet à loco in locum, ſed à non loco in locum. Nec tandem hæ duæ mutationes ex natura ſua conſtituerent vnicam & eandem mutationem; ſed ad ſummum vnam ordine mouentis ad aliquem peculiarem finem, vt ex ſe conſtare videtur. Ergo, &c.

Confirm. 1 Confirmatur primò. Quia Angelus non deſineret eſſe per vltimum *eſſe* in eo euentu in primo loco, ex eo quod datur acquiſitio ſecundi, quod ad motum localem requiritur; ſed quia tollitur forma, aut quaſi forma, per quam Angelus eſt in loco. Neque deſertio illius primi loci eſſet per motum in aliũ; ſed per ſubtractionem prędictæ formæ. Neque acquiſitio ſecundi loci eſſet per tendẽtiam in ipſum, ſed formaliter per poſitionẽ formæ iam dictæ reſpectu ipſius. Ergo nihil eſt in his mutationibus, quod habeat rationem motus localis.

Confirm. 2 Confirmatur ſecundò. Quia iuxta ſententiam D. Thomæ, ablata à ſubſtantia materiali ſua quantitate, non remanebit alicubi, ſed nullibi ſicut in loco: ergo eadem ratione tunc per reſtitutionem quantitatis in alio loco, poſſet eſſe in illo: ergo ſicut totum hoc tunc fieret ſine motu locali, ita in præſenti: ergo, &c.

Enodatio obiectionis cum tua prima, & ſecũda cõfirmatione. 93. Reſpondetur, negando maiorem. Quia ad hoc vt Angelus poſsit habere prædictum tranſitum, non eſt neceſſe, vt ſubtrahat ſe actu ab omni loco, neq; quòd illæ mutationes enumeratæ in hac obiectione ſint locales, ſed ſatis eſt, quòd poſſit ſe ab omni loco ſubtrahere, ſeu quòd vis ad eſſendũ in loco ſit adeò eleuata, vt non ſit obligata loco, ac proinde quòd libere, & per modũ continẽtis ſit, cùm ei placuerit, in loco: quia hic modus eſſendi in loco per prædictam vim adeò eleuatam, denotat, eſſe ei inte-

integrum applicare ſuam virtutem motiuam ad partes extremas, non applicata ad medias. Sicut ob hanc rationem eſt ei integrum applicare illam permanenter, vel toti loco, vel vni dumtaxat parti contentæ ſub loco adæquato, ad quem poteſt ſe extendere. *D. Thom.* Vnde D. Thomas ratione huius docet q. præcedenti art. 2. non eſſe neceſſarium Angelo aſsignare vnum locum determinatè diuiſibilem, aut indiuiſibilem ſecundùm ſitum, ſed, vel diuiſibilem, vel indiuiſibilem, maiorem, vel minorem, ſecundùm quòd voluntariè applicat ſuam virtutem ad corpus maius, vel minus. Et in art. 2. huius q. inquit, quòd *ſubſtantia Angeli non eſt ſubdita loco, vt contenta; ſed eſt ſuperior eo, vt continens. Vnde in poteſtate eius eſt applicare ſe loco, prout vult, vel per medium, vel ſine medio.* Per quod etiam ad primam confirmationem patet, & ſimiliter ad ſecundam. Quia ſolùm diuina virtute miraculoſa poteſt ſubſtantiæ alibi reſtitui ſua quantitatis, præter quam in eo loco, vbi ab ea fuit ablata. Vnde ſubſtantia, ablata quantitate, remanet nullibi, ex defectu, tum contactus ſuæ quantitatis, tum etiam ex defectu ſuæ quantitatis, quæ eſt ratio proxima eſſendi in loco, & contingendi illum: & ideò remanet nullibi eminenti, & eleuato modo: ex eo quòd, etſi habeat id, quo poteſt locum tangere, nihilominùs ſubtrahit ſe ab actuali contactu, vt in Angelo cernitur. Et ita illa ſubſtantia nequit moueri localiter acquirendo nouum locum ſtatim ſine quantitate, ſicut Angelus, qui ob hanc rationem habet virtutem non obligatam loco: ac proinde etiam habebit, vt ſine hoc, quòd ſubtrahat ſe ab omni loco, queat de extremo ad extremum, ſine tranſitu per medium moueri.

§. II. *Alia ratio pro aſſertione ex D. Thoma deſumpta.*

Alia ratio pro aſſertione. 94 SEcunda ratio aſſertionis deſumitur ex D. Thoma 1. p. q. 54. art. vltimo, poteſtque ad hanc breuem formam reduci. Quia in creaturis purè ſpiritualibus earum virtus operatiua eſt intellectualis tantummodò: & ideò non diſtinguitur ab intellectu, & voluntate, ſiue ab ijs, quæ ad intellectum, & voluntatem pertinent: ergo earum operatio erit *intelligere*, & *velle*: & per conſequens eius motus localis, qui eſt illius operatio, conſiſtet in *intelligere*, & *velle* formaliter immanente, & virtualiter tranſeunte: ergo poterunt tranſire de extremo ad extremum, & non per medium. Patet conſequentia. Quia intellectio, & volitio poſſunt eſſe ratio ſic mouendi, ſicut ipſæ poſſunt terminari ad extremum non ſe terminando ad medium: vt puta, ſi quis ſua intellectione terminetur ad attingendam, ſiue concipiendam præſentiam quoad ſuam ſubſtantiam in Roma, non cognoſcēdo priùs loca inter media inter locum, in quo eſt diſtans à Roma, & inter Romam ipſam.

95 Nec ſatis erit ſi dicas, hoc argumentum fuiſſe propoſitum à D. Thoma art. 2. huius q. pro parte contraria, & ſecundo loco his verbis: *Præterea. Angelus eſt ſimplicioris ſubſtantiæ, quàm anima noſtra. Sed anima noſtra ſua cognitione poteſt tranſire de vno extremo in aliud, non per tranſeundo medium. Poſſum enim cogitare Galliam, & poſtea Syriam, nihil cogitando de Italia, quæ eſt in medio. Ergo multò magis Angelus poteſt de vno extremo tranſire ad aliud, non per medium.* Et ſoluit illud ſic: *Dicendum, quòd Angelus dum mouetur localiter, applicatur eius eſſentia diuerſis locis: anima autem eſſentia non applicatur rebus, quas cogitat, ſed potiùs res cogitatæ ſunt in ipſa. Et ideò non eſt ſimile.* Nam ſicut ſucceſsiua ſimul ſunt in illa, ſi ly *ſimul* dicat modum ſe tenentem ex parte animę: ita loca diſtantia ſunt ſimul in ea, & ab vno loco diſtanti in alium, licèt ipſa loca diſtantia, & diſcontinua ſint, habet ſua cogitatione tranſire abſque trāſitu per medium. Soluti. *D. Thom.*

Non itaque hoc refert. Nam in contrarium eſt, quòd D. Thomas tantùm vult, quòd pręcisè ex eo, quòd anima cogitet de rebus, non applicetur rebus cogitatis. Quia illa actio præcisè ex capite cogitationis non requirit, niſi quòd ſit formaliter immanens, & non applicat eſſentiam animæ ad cogitata: non tamen negat, quòd ſi illa intellectio ſit adeò perfecta, & efficax, vt ſit applicatio ſubſtantiæ, & eſſentię cogitantis, ſeu intelligentis ad res intellectas, vt contingit, dum Angelus per actionem formaliter immanentem, & virtualiter tranſeuntem per ſuam intellectionem operatur circa locum: tunc ſicut illa intellectio, vt immanens, poteſt ad diſtantia, quin ad intermedia: ſic etiam, quatenus virtualiter tranſiens, poſsit etiam terminari ad loca extrema, quin ad intermedia: imò id ſequitur ex natura actionis prædictæ formaliter immanentis & virtualiter tranſeuntis, & ex efficacia, & perfectione eius, vt in Deo contingit, qui per ſuum intellectum, ſuamque ſcientiam applicatam efficaciter per voluntatem operatur ad extrà: & per illum actum immanentem formaliter, & virtualiter tranſeuntem poſſet ſuam ſubſtantiam localiter applicare elemento, v. g. ignis, & terræ inter ſe diſtantibus, ſi annihilaretur aer, quamuis eo non annihilato, id non poſsit: quia eſt immenſus, & ideò non poteſt non eſſe in omni creatura. Vnde idem S. Doctor quodlibeto 1. art. 5. explicat, & confirmat, quomodo Angelus queat moueri de extremo ad extremum, quin per medium, exem- Impugnatur. *D. Thom.*

plo

plo intellectionis, ſiue cogitationis, quæ ſimilimodo poteſt ad extrema terminari.

Obiectio. 96. Neque obeſt, ſi vrgeas, quòd etiam potentia loco motiua animæ noſtræ quæ eſt potentia intellectiua, vnà cum volitiua, & intellectione, & volitione mouet ſuum corpus: cùm tamen non ob id moueat illud ab extremo ad extremum, ſine tranſitu per medium: ergo idem in Angelo dicendum erit, quamuis moueatur intelligendo, & volendo.

Reſpõdetur Nam contra hoc eſt, quòd corpus motum ab anima non eſt capax huius motus ſic diſcreti: quia corpus debet commenſurari loco, ex eo quòd commenſuratiuè eſt in illo, ſecùs verò Angelus, qui, vt eſt mobile, eſt ſupra locum, & eius modus diffinitiuus eſſendi in loco non petit, vt neceſſariò moueatur continuè per locum, & iuxta exigentiã eius, vt oſtenſum eſt.

§. III. *Poſterior ratio aſſertionis ex Angelico Præceptore deprompta.*

Vltima aſſertionis ratio. 97. POſterior ratio aſſertionis deſumitur ex D. Thoma in articulo 2. huius q. quæ vt meliùs intelligatur, ſupponendum eſt ex eodem D. Thoma ibidẽ, quòd inter quæuis duo loca extrema ſunt infinita loca media, ſiue indiuiſibilia, ſiue diuiſibilia. Indiuiſibilia quidem quia inter quælibet duo puncta ſunt infinita puncta media: quoniam vnũ indiuiſibile non eſt immediatum alteri, ſed mediat aliquis locus diuiſibilis: & in hoc, cùm ſit diuiſibilis in ſemper diuiſibilia, erũt infinita puncta, ac proinde infinita loca indiuiſibilia: & ſimiliter ſunt ibi infinita loca diuiſibilia, ſi motus duret v.g. per horam: quoniam tunc in quolibet *nunc* illius horæ mobile eſt in diuerſo, ac diuerſo loco diuiſibili: cunque inter primum, & vltimum *nunc* temporis medient infinita *nunc*, etiam mediabũt infinita loca diuiſibilia. Quod etiam ad ſenſum exemplo ſatis perſpicuo confirmat D. Thomas art. 2. huius q. vt intuenti litteram patebit.

D. Thom.

Hinc ergo ratio D. Thomæ ad hanc formam reduci poteſt. Quoniam inter quælibet duo loca extrema mediant infinita loca, ſiue indiuiſibilia, ſiue diuiſibilia, vt ex modò dictis patet: ergo Angelus nequit tranſire per illa dinumerando, aut veluti dinumerando omnia illa, ſiue tranſeundo ſigillatim per omnia illa, quod eſt quoddam quaſi genus dinumerandi, aut veluti dinumerandi ea: ergo oportet, vt relinquat aliqua ex prędictis locis intermedijs: ac proinde poterit tranſire de extremo ad extremum, non pertranſito medio. Prima conſequentia eſt perſpicua. Quia infinitum non poteſt pertranſiri dinumerando: alioqui eſſet, & non eſſet infinitũ. Eſſet quidem, vt ſupponitur. Non eſſet autẽ: quia infinitum, vt tale, nequit dinumerari: alioqui dinumerando ad vltimam eius vnitatem deueniretur: & ita eſſet quid finitum.

Ex quo ſecunda conſequentia patet. Tum, quia ſaltem prout omittit aliqua loca media, tranſibit ab extremo ad extremum terminando ſe ad illa, ſine tranſitu per medium. Tum etiam. Quia qua ratione poteſt aliqua ex illis locis intermedijs impertranſita relinquere, poterit plura alia, imò & omnia media inter duo illa loca extrema mediantia omittere, vt ex paritate rationis conſtare videtur.

Cõfirmatur 98. Confirmatur ex eodem S. Doctore. Quia motus diſcretus Angelicus conſtat tribus v. g. vel quatuor indiuiſibilibus menſuratis tribus, vel quatuor inſtantibus diſcretis ſucceſsiuè, diſcretè tamen ſe habentibus: ergo impoſsibile eſt, quòd Angelus hiſce indiuiſibilibus tranſeat dinumerando ſuo motu infinita illa loca, ſiue indiuiſibilia, ſiue diuiſibilia: ac proinde debet (vt in præcedenti ratione dicebamus) non tranſire per plura ex illis medijs, imò poterit omnia illa omittere, & ſic tranſire ab extremo ad extremum. Antecedens videtur certum. Prima verò conſequentia, ex qua reliquæ pendent, probatur. Tum, quia infinitum nequit menſura finita, eaque non repetita, vt in præſenti cõtingit, dinumerari. Tum etiam. Quia ſicut ſe habet quantitas diſcreta ad continuam: ſic motus diſcretus ad continuum, & ad ſpatium, per quod fit: maximè ſi in *eſſe* ſpatij formaliter ſumpti conſideretur: quia ſic conſideratur, vt pertranſibilis prædicto motu. Conſtat autẽ, vnitate, quæ eſt principium numeri, vt talis eſt, non poſſe, ſi prædicta vnitas non repetatur, dinumerari quantitatem cõtinuam, v.g. vnius palmi, quoad omnia indiuiſibilia, & partes: ergo nec per duas, vel tres veluti vnitates motus diſcreti nõ repetitas poterit motus continuus dinumerari: ac proinde neque ſpatium, per quod fit motus, quoad omnia ſpatia, ſiue indiuiſibilia, ſiue diuiſibilia, eaque infinita, quibus conſtat.

§ IIII. *Obiectiones contra hanc D. Thomæ poſteriorem rationem, & eius confirmationem.*

Obiectio prima contra rationẽ D. Thom. 99. PLura tamen contra rationem hãc, & ſimiliter contra confirmationem poſſunt obijci. Contra rationem quidem. Quia in primis loca infinita, ſiue indiuiſibilia, ſiue diuiſibilia, quæ mediant, non ſunt loca, non communicantia, ſiue non participantia: ſiquidem conſtant ſolùm ex infinitis partibus proportionalibus, & indiuiſibilibus eas terminantibus: quia hæ ſolæ partes ſunt infinitæ vnà cum ſuis indiuiſibilibus, ex eo quòd aliquotæ partes ſunt finitæ ergo

ergo non benè hæ adducuntur ad probandum, ex earum infinitate id, quod diximus, intendi à D. Thoma, nempe, posse Angelum transire de extremo ad extremum, non pertransitis medijs non participantibus: quandoquidem ex eo, quòd omitteret prædicta media, vt talia, impertransita, non ideò impertransita relinqueret media non participantia.

Secunda. Secundum. Quia etsi admitteretur hoc; non benè sequitur, non posse Angelum pertransire omnia illa loca dinumerando: quia reuerà sunt infinita in potentia, & secundùm quid: & hæc benè possunt dinumerãdo pertransiri, vt constat in eodem motu discreto durante per horam, per quem dinumerantur omnia instantia horę temporis primi mobilis, ex eo quòd prædictus motus habet partes indiuisibiles, scilicet diuersa *mutata esse*: & hæc, quippe indiuisibilia, nequeunt correspondere pluribus partibus temporis simul, & per vnicam correspondentiã, sed ad summum ratione cuiuslibet indiuisibilis correspondent vni instanti, aut parti, proportionali, & huic non adæquatè, sed inadæquatè: & ita singulæ ex illis mutationibus, per quas consumitur hora, correspõdent singulis partibus, & instantibus: quod est consumere illas, & eis correspondere per quandam dinumerationem, aut quasi dinumerationem.

Tertia. Tertiũ est. Quia adhuc dato, quòd Angelus nequeat pertransire omnia prædicta loca indiuisibilia, aut diuisibilia dinumerãdo ipsa, nõ ideò rectè colligitur, debere, aut posse pertrãsire de extremo ad extremũ absque trãsitu per mediũ: quia supereſſent duo alij modi, ex quibus vno ex illis posset, & deberet pertransire media, scilicet, vel quia in instãti immediato illi, in quo est in termino *â quo*, v.g. in quarta parte vlnæ, collocaret se simul in reliquis partibus illius vlnæ, quæ (vt supponitur) non excederent sphærã, & latitudinem loci adæquati, vel quia in tempore immediatè sequẽti acquireret successiuè, & per partes, tam mediũ totale, quàm partem extremam, ex eo quòd (vt supponitur) totum hoc spatium (vt nunc dicebamus) est intra latitudinem sui spatij: & ita vltimum *esse* Angeli in termino *â quo*, erit vltimum non *esse* initiatiuum prædicti motus.

Vltima contra cõfirmationẽ Angelici Doct. 100. Et similiter contra confirmationem potest obijci. Tum, quia illæ vnitates, seu indiuisibilia motus discreti, licèt sint formaliter indiuisibilia; nihilominùs possunt virtualem diuisibilitatem habere: sicut instãtia, ex quibus tempus discretum, quo mensurantur, coalescit, habent similem diuisibilitatem virtualem: & ita possunt esse mensura transitus per illa loca intermedia, licèt infinita; quamuis hoc non fiat dinumerando, sed per adæquationem huius virtualis extensionis, virtualiter continentis infinitas partes proportionales correspondentes infinitis illis partibus spatij, vt talis. Tum etiã Quia non reddita est ratio, propter quã motus discretus debeat constare certis quibusdam indiuisibilibus, eisque finitis, non verò infinitis indiuisibilibus saltem communicantibus.

§. V. *Enodatio primæ obiectionis.*

Prima obiectio enodatur. 101. REspondetur ad primam ex his obiectionibus, loca illa intermedia esse quidem communicantia & participantia inter se, non tamen cum extremis: & hoc satis est ad rationem D. Thomæ, in hocque sensu ea D. Thomas appellauit loca infinita non participantia, ideſt de extremis. Vnde non ita benè Vallesius inquit, D. Thomam *Vallesius.* solùm loqui de medijs participantibus, dum ea infinita esse inquit. Nam contra hoc est. Tum, quia vt S. Doctor redderet rationem, ob quam dixerat, loca indiuisibilia mediantia esse infinita, non recurit ad duo puncta locorum extremorum, sed ad duo non communicantia cum prædictis extremis locis. Et similiter, vt assignaret rationem infinitatis locorum indiuisibilium, inquit, inter primũ, vltimum instans mediare infinita *nunc*: comparatque *nunc* temporis contenta inter duo extrema cum infinitis locis diuisibilibus contentis inter loca extrema. Quare, sicut *nunc* intermedia non sunt participantia respectu *nunc* extremorum: ita neque loca intermedia respectu locorum extremorum.

Tum denique. Quia exẽplo sensibili, quod ad probãdam hanc infinitatem locorum intermediorum affert, loquitur in casu, quo terminus *â quo* sit vnius palmi, & terminus *ad quem* sit duorum palmorum, ita vt ex loco, in quo est mobile, vt in termino *à quo*, vsque ad finem termini *ad quem* sint duo palmi: & de vno horum palmorum asserit, habere rationem medij. Constat autem, medium hoc nõ esse cõmunicans cũ duobus palmis extremis. Vnde benè notauit Caietanus § *circa ante-* *Caietanus.* *cedens*, D. Thomã non dixisse, inter quaslibet duas partes spatij esse infinita loca media sed inter quælibet duo loca. Quoniam licèt duæ partes possint habere continuitatẽ, attamen per duo loca (aliàs nisi ratione materiæ, de qua agitur, constet: quod in præsenti non constare, ex dictis, & ex dicendis amplius cõstabit) congruentiùs significãtur loca inter se discontinua in ratione locorũ. Constat autẽ, medium inter loca sic discõtinua, & discreta non esse participans: siquidem licèt habeat ea contingere, non tamen de eis participare.

(??)

§. VI.

§. VI. *Solutio secundæ, & tertiæ obiectionis contra hanc tertiam rationem Angelici Præceptoris.*

Responsio ad secundũ. 102. AD secundam obiectionem respondetur, quod data hac infinitate locorum non participantium, tũc optimè infertur, non posse pertransiri dinumerando: quia ibi non est prima, aut vltima pars: quod ad dinumerationem requiritur. Et ad probationem in contrarium, satis esse, non reperiri ibidem primam, & vltimam partem: & quòd, vt subessent dinumerationi, non essent infinita secundùm quid, sed infinita simpliciter: quia considerantur, vt discreta quoad prædictam dinumerationem. Et ita negandũ est, debere assignari singula *mutata esse* in motu illo, correspondentia præcisè singulis instantibus, vt ita per successionem eorum veluti consumatur tota hora. Quia vnum ex illis indiuisibilibus correspondere potest tempori, quia virtualem habet diuisibilitatem: & vnico indiuisibili prædicti motus veluti pertransiri, non vna solummodò pars proportionalis, aut instans nostri temporis, sed plura, eaque infinita.

Ad tertium 103. Ad tertiam respondetur, quòd data infinitate locorum non participantium, & quòd Angelus nequeat trãsire per omnia illa dinumerando, bene sequitur. vel debere transire de extremo ad extremũ, sine eo quòd transeat per medium, vel saltem hoc posse. Debere quidem, si dicamus (vt reuerà id in- *D. Thom.* sinuat D. Thomas) rationem eiusdem S. Doctoris procedere ex suppositione, quòd dicatur (vt innuunt plures ex aduersarijs) quòd antequam Angelus perueniat ad locum extremum, debet mutatione alia formaliter indiuisibili, & distincta à mutatione, qua replet extremam partem, pertransire simul totum illum locum medium. Nam hoc dato, non est cur non debeat pertransire omnia illa media singulis mutationibus correspondentibus sigillatim cuilibet ex illis locis: atque adeò non est cur non debeat pertransire illa dinumerando, aut quasi dinumerando: quia in hoc transitu dinumeratio, aut quasi dinumeratio consistit. At satis constat ex se, & ex dictis, hanc dinumerationem esse impossibilem.

Explicatur magis. Potestque hoc, nimirum, Angelum debere pertransire in casu posito loca illa dinumerãdo, dilucidari ex eo, quòd data illa suppositione, procedit eadem ratio ad hoc, vt dentur singulæ mutationes, & acquisitiones pro singulis locis intermedijs, ac procedit vt detur pro toto medio. Nam ideò debet pro toto medio dari sua mutatio, & acquisitio, quia ad hoc vrgent duæ rationes tantummodò, nempe, distantia, & extensio situalis, quæ est inter locum medium, & extremum locum, ve distantia, seu discontinuatio inter locum extremum, & eum, in quo est Angelus, si semel potest de extremo ad extremum sine medio pertransire: siquidem (vt ex se, & ex solutionibus argumentorum constat) nequit assignari alia ratio. Quare, cùm hæc duo ita vrgeant in medijs partialibus non communicantibus de extremis, & in toto loco intermedio similiter non communicante, vt intuenti patebit: inde est, vt si semel debet dari mutatio acquisitiua medij, distincta ab acquisitione partis extremæ, quòd pro singulis partibus, & locis intermedijs debeant singulæ mutationes dari: atque adeò, ex eo quòd nequeant loca intermedia pertransiri dinumerando, benè sequitur, facta prædicta suppositione nõ posse absolutè pertransiri.

Et similiter sequitur, quòd adhuc non facta prædicta suppositione queat Angelus de extremo ad extremum sine medio pertransire. Quoniam adhuc non facta ista suppositione, si semel non potest transire omnia illa loca intermedia dinumerando, & potest transire de vno extremo ad alium per motum discretum, & per medium, id fiet ex eo, quòd in hoc instanti desinat per vltimum *esse* præsentiam ad vnam partem, v.g. ad quartam partem vlnæ, & in sequenti instanti fiat præsens simul ad tres partes, quæ supersunt illius vlnæ: atque adeò simul repleat partes intermedias, & partem extremam, nempe vltimam quartam partem, v.g. illius vlnæ: quia non restat alius modus transeundi discreto motu per spatium illius vlnæ, supposito quòd non debeat pertransire medium per mutationem distinctam ab ea mutatione, qua acquiritur pars extrema, & supposito quòd licèt non per hanc mutationem distinctam, nihilominùs absolutè loquendo debeat pertransire per medium, ac tandem nequeat fieri hic transitus, dinumerando. At ex hoc optimè sequitur, quòd sicut potest sic pertransiri discretè tota illa vlna spatij, possit etiam pertransiri discretè, transeundo de extremo ad extremum sine transitu per medium.

Roboratur ratione. 104. Cuius satis congrua ratio est illa, quam nuper assignabamus ad ostendendum, quòd facta illa suppositione, nempe, quòd pars extrema vna mutatione partialiter, aut quasi partialiter distincta, & totum medium alia eodem modo distincta debeat pertransiri, tunc debere dari singulas mutationes correspondentes singulis ex illis locis partialibus infinitis: ac proinde transitum illum fieri dinumerando omnes illas partes. Quæquidem ratio potest sic quoad præsens amplius declarari, & fulciri. Quoniam, quòd

Angelus transire nequeat in locum distante sine medio, potest prouenire, vel ex ordine situali reperto inter medium, & locum extremum, vel ex discontinuatione inter locum extremum, & eum, quem replet Angelus: nec superest alia ratio repugnatiæ, vt ex se, & ex solutionibus argumentorum oppositæ sententiæ referendæ patebit. At hæ rationes non vrgent, si semel Angelus motu discreto, & per quamdam mutationem queit existens in vna parte vlnæ v.g. in prima ex quatuor eius partibus, collocare se per motũ discretum, & per vnicam mutationem (loquendo de mutatione præcisè acquisitiua termini *ad quem*,) in alijs partibus, ac proinde potest simul acquirere præsentiam ad reliquas tres partes vlnæ: ergo &c.

Maior quoad primam rationem repugnantiæ patet. Quia siqua esset repugnantia, tunc illa prior ratio ad id sufficeret: quia videtur esse contra illum ordinem situalem, qui est inter medium locum, & extremum, peruenire aliquod mobile in locum extremũ prætermisso medio: siquidem motus localis videtur desumere suam extensionem, siue diuisibilitatem ex extensione, & diuisibilitate partium spatij: ideoque debet suo modo habere partes correspondentes partibus spatij, iuxta id, quod Aristoteles 4. Physicorum c. 1. tradit. Et similiter siqua esset repugnãtia etiam sufficeret ratio repugnantiæ, quæ secũdo loco in eadem maiori traditur, nempe, quòd adsit distantia, & discontinuatio inter locum extremum, & eum, in quo est Angelus. Quia videtur repugnantiam inuoluere cum vnitate numerica motus, & mobilis prædicta discontinuatio, & discretio: siquidem vnitas motus localis exigit vnitatẽ spatij, & similiter identitas mobilis: ex eoquòd nequiret mobile esse vnum & idem, & esse simul in locis discontinuis, & discretis.

Aristotel.

105 Minor verò probatur, & in primis quoad primam rationem repugnantiæ. Quia si hæc esset alicuius roboris, etiam ex ea haberetur, Angelum debere, non solùm pertrãsire simul medium, & extremum, vt cõstituat se præsentem extremo, sed etiam debere esse priùs in medio, quã in extremo: vt ita in motu assignarentur partes partibus spatij, & eo modo, quo in illo sunt, correspondentes. Cõstat autem, id non desiderari in motu discreto. Tum, quia (vt ex D. Thoma dicebamus) si semel requiritur esse priùs in medio, desiderabitur mutatio distincta ab ea, qua acquirit extremum locum: & ob eandem rationẽ pro quolibet partiali medio non participante requiritur sua mutatio: ac proinde nõ poterit fieri ille transitus, nisi dinumerando, aut quasi dinumerando infinita loca intermedia & non communicantia. Tum etiam. Quia cùm supponamus, totum illud spatium, sciliicet medium, & extremum contineri intra latitudinem spatij, quod potest simul replere Angelus, poterit simul acquirere totum illud medium, & terminum *ad quem* vltimum, siue partem extremam, sicut potest simul acquirere partem extremam.

Neque id, quod ex Aristotele adducitur in priori hac repugnantia, obest respectu motus discreti, licèt obsit respectu motus continui, modo tamen suprà explicato. Quia extensio reperta inter medium, & extremum in spatio non exigit similem extensionem inter partes motus discreti, vt ex dictis constat: & ita neque exigit absolutè, Angelum esse in medio, vt sit in extremo. Quia ab extensione spatij solùm exigitur, motum, & mobile esse in omnibus suis partibus, quando prædicta extensio est causa similis extensionis in motu. Vnde doctrina illa Aristotelis intelligitur de motu cõtinuo, & modo à nobis suprà explicato, non verò de discreto.

Non obstat Arist.

106. Deinde eadem minor quoad secundam rationem repugnantiæ probatur. Quia ad summum discontinuatio locorum in *esse* talium solùm habet oppositionem cum vnitate motus, & mobilis, quando mobile suo motu partim est in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*: quia tota ratio repugnantiæ oritur ex eo, quòd idem motus, & mobile non potest simul esse in partibus discontinuis formaliter. At dum Angelus motu discreto mouetur, non sic est in prædictis terminis, sed in vno instanti deserit per vltimum *esse* terminum *à quo* simul, & in alio est simul in termino *ad quem* per primum *esse*, vt ex propria ratione motus discreti dubio præcedenti explicata constat. Vnde Aristoteles, non de isto, sed de continuo est intelligendus, & adhuc tunc, modo suprà insinuato; quamuis Philosophus fortè ibi de solo motu corporeo loquebatur: quod quidem satis verosimile est, & intento illius sufficiens. Quare, ex eo quòd Angelus existẽs in hoc instanti in prima ex quatuor partibus vlnæ, queat in sequenti instanti acquirere discretè, & mutatione discreta reliquas tres partes vlnæ simul, rectè colligitur, posse etiam de priori parte transire ad extremam, absque eo quòd transeat per mediam.

Quare, admisso, posse Angelum priori illo modo transire ex prima parte ad reliquas tres (ex quo, vt nuper diximus, sequitur posse etiam transire de extremo ad extremum sine transitu per medium) non ideò debet concedi, posse Angelum transire secundo ex illis modis, quem in hac secunda obiectione adduximus, nempe, existendo simul in hoc instanti in priori ex illis quatuor partibus, & desinẽdo esse in illa simul per vltimũ *esse*, & acquirẽdo inde paulatim,

lasim,& succesiuè reliquas partes, ita vt vltimum *esse*, quo mensuratur eius præsentia simultanea in termino *à quo*, sit vltimum non *esse* motus.

Et ratio est. Quia ad motum successiuum requiritur, vt si successiuè acquiritur terminus *ad quem*, successiuè etiam relinquatur terminus *à quo*, & non potest stare motũ ab vno termino in alium esse successiuum, & per partes, nisi etiam per partes deseratur terminus *à quo*. Potestque hoc explicari sequenti exemplo. Nam si Angelus esset in solo puncto spatij, tunc illa acquisitio loci immediatè sequẽtis non posset esse motus, nec acquisitio per partes, vt dub. 3. diximus; sed necessariò debet esse per motum discretum, quo aliquis locus totus simul acquiratur. Quia quo passu deseritur terminus *à quo*, scilicet vel totus simul, vel per partes, acquiritur terminus *ad quem*, & è contrà.

§. VII. *Responsiones ad impugnationes confirmationis ex S. Doctore adductæ.*

Responsio obiectionis contra confirmationẽ.

107. EX quibus ad primam impugnationem confirmationis rationis D. Thomæ satis constat. Nam licèt detur, illas mutationes partiales, aut quasi partiales esse formaliter indiuisibiles, & virtualiter diuisibiles, atque adeò posse pertrãsiri per illas infinita loca media non dinumerando, sed per adæquationem ad illa: quia cum acquiritur simul totus aliquis locus diuisibilis, tunc sicut in ipsa acquisitione non est discretio, ita neque est numeratio, aut quasi dinumeratio partium loci, sed per illam acquisitionem simultaneam, & virtualiter diuisibilem veluti consumuntur, & hauriuntur infinita loca indiuisibilia, aut diuisibilia, partialia tamen, sicut in motu successiuo, & continuo corporis habentis formaliter infinitas partes similes partibus spatij contingit: attamen èx hoc, quòd sic posset fieri transitus, benè colligitur propter rationem traditam, posse etiam fieri absque transitu per medium: & quòd si semel illa mutatio, per quam pertransiretur totum medium, est distincta ab ea, qua acquiritur terminus *ad quem*, tunc vel ille transitus per loca intermedia deberet mandari executioni dinumerando, quod quidem impossibile est fieri per tres, vel quatuor partes tantummodò illius motus discreti, quæ, vt ex se constat, non repetuntur, vel quòd debeãt plura ex illis medijs, imò infinita impertransita relinqui.

Obiectio tacita præcluditur.

Nec inde sequitur (vt per hęc tacita obiectio maneat soluta) terminum *ad quem* motus discreti acquirendum esse in tempore, & successiuè, sed solùm infertur, acquiri in instanti discreto correspondente tempori successiuo, quod nullum est inconueniens: sicut non est inconueniẽs aut sequitur, aliqua successio in intellectione diuina, ex eo quòd mẽsuretur æternitate æquiualente infinito tempori nostro, si hoc esset in rerum natura. Sicut nec hinc fit (vt per hoc alia obiectio eno detur) mobile moueri in illo instanti, quia simultaneè acquirit terminum *ad quem*, & simul quiescere: quia restat aliquid in illa duratione, ratione cuius post acquisitionem illã subitam, & simultaneam quiescat in prædicta acquisitione. Nam ad hoc satis constat ex dictis dubio præcedenti §. 1. in solutione ad argumentum Vazquezij contra ea, quæ adduximus ad explicationem tituli.

108. Ad secundam impugnationem cõtra eandem confirmationem negandum est, non reddi sufficientem rationem cõstitutionis motus, imò & temporis discreti ex tribus, vel quatuor indiuisibilibus, &c. finitis tamen. Quia cùm motus discretus, & tempus itidem discretum constent his indiuisibilibus, vt partibus inter se discretis actu, & inter se diuisis: si ista indiuisibilia essent infinita, daretur in illis infinitum in actu (maximè, quia quoduis ex his indiuisibilibus non est communicans, seu participans sicut daretur infinitum in actu in quantitate continua, si omnes eius partes, illæque infinitæ ab inuicẽ diuiderentur.

§. VIII. *Opposita sententia, quatuor priora illius fundamenta, cum responsionibus ad illa.*

Contraria sententia.

109. OPpositam tamen sententiam, nempe, motum Angeli discretum non posse esse de extremo ad extremum sine transitu per medium, tuentur Scotus in 2. dist. 2. q. vltima, Molina, & Valentia ad art. 2. huius q. Rada controuersia 7. secundæ partis, Puteanus in hac q. dub. 4. Arrubal disput. 160. c. 2. eamque vt probabiliorem defendit Suarez lib. 4. de Angelis c. 19. Et tandem pro eadem sententia referuntur à Vazquez in præsenti disput. 196. Alexander, Albertus, Bonauentura, Richardus, Ægidius, & Henricus.

Scotus.
Molina.
Valentia.
Rada.
Puteanus.
Arrubal.
Suarez.
Alexand.
Albertus.
Bonauent.
Richard.
Ægidius.
Henricus

Fundamẽtũ primum.

Probatur primò. Quia alioqui etiam conueniret corpori moueri de extremo ad extremum, quin per medium: vt si Angelus portãs lapidem motu illo discreto moueretur: tunc enim etiam lapis moueretur motu discreto de extremo ad extremum, & non per medium.

Respõdetur

Respondetur, Angelum non necessariò debere moueri tunc motu discreto, sed motu per accidens ad motum lapidis, quem ipse continuè moueret. Adde, quòd si Angelus vellet, tam mouere illum lapidem, quàm mouere extremas partes loci, non mouendo intermedias, tunc duplici motu moueretur:

vno quidem per se, scilicet motu discreto, ex qua parte moueret partes extremas loci, non mouendo intermedias: alio verò, nempe motu continuo, & per accidens ad motum lapidis. Non est autem inconueniens, lapidē tunc motu per accidens moueri eo modo, quo Angelus. Quia motus per accidens commensuratur cū motu per se: quia non est aliud, quàm motus Angeli. Sicut non est inconueniens, Angelum moueri per accidens ad motū corporis, in quo est, licèt ille motus sit corporeus, & commensuratus loco, quamuis hæc duo pugnent cum Angelo, vt moto per motum per se.

Secūdum. 110. Secundo probatur eadem sententia ex Scoto. Quoniam ordo præfixus à superiori agente debet seruari ab inferiori, quando operatur circa ea, quæ sic ordinata sunt: ergo nequit Angelus transire de extremo ad extremum, & non per medium. Patet consequentia. Quia ordo à Deo præfixus inter partes vniuersi est ordo situalis inter ipsas: atque adeò nō poterit tāgi quoad partes extremas, quin per medias. Et ita Angelus nequibit tāgere loca extrema, per quem tactum transit ad illa, quin tangat media.

Enodatur ex Caietano. Respondetur cum Caietano art. 2. huius q. §. *Circa secundum*, ordinem situalem à Deo præfixum partibus vniuersi materialibus esse respectu illarum comparatarum inter se, nō verò respectu virtutis motiuæ, qua Angelus motu discreto per illas mouetur.

Tertium. 111. Tertiò prædicta sententia probatur. Quoniam sicut est essentialis ordo inter partes temporis, ita inter partes permanentes spatij: at nequit Angelus per transire de præterito ad futurum, non transeundo per præsens, nisi annihiletur, & posteà in parte, quæ erat futura, reproducatur: ergo similiter nequibit per transire de extremo ad extremum, quin per partes intermedias, nisi in parte media annihiletur, & posteà in extrema reproducatur.

Dissuitur. Respondetur, esse disparem rationem. Quia, vt transeat de præterito ad futurum, tantùm est necessaria coexistentia: & hæc necessariò conuenit Angelo respectu nostri tēporis eo ordine, quo partes temporis succedunt, idest, quòd nequeat coexistere futuro, nisi coexistendo præsenti, si semel coexistit præterito, nisi annihiletur. Cæterùm, vt sit in loco, desideratur contactus liber per operationem: & potest Angelus pro sua libertate applicare se, & contingere partes extremas, quin tangat intermedias, vt ostensum est.

Adde, quòd si loquamur de tempore discreto Angelico metiente operationes liberas, potest Angelus transire de præterito ad futurum sine tranſitu per præsens: vt puta, si in tempore præterito operatus est liberè, seiùs in præsenti, benè tamen immediatè post in futuro. Ita ergo similiter, si Angelus liberè applicet suam virtutem ad partes extremas, non applicando eam ad intermedias, quoad præsens dicendum est.

112. Quartò. Quia Angelus nequit immediatè operari in distans, quin perprius in propinquum, ne hinc fiat, operari posse ad quamcunque distantiam: ergo nequit transire ad locum extremum distantem, quin per medium, & propinquum, ne hinc sequatur, posse, quando est hic existens, vt in loco, transire ad quemcunque alium quantumcunque distante u. Cōsequentia ex paritate rationis, & ex probatione antecedentis, quæ, tam illud, quàm consequentiam suadet, satis colligitur: cuius probatio consistit in hoc, quòd si parua distantia non impedit aliquantulum operationem, nec etiam magna impediet: quia parua, & magna distantia habent se sicut magis, & minùs: & ita si parua nihil impedit, nec magna impediet. Quæram.

Respondetur, negando antecedens. Quia Angelus potest operari in distans immediatè: dummodò ratione suæ operationis ponat ibi præsentem suam substantiam, & illud passum distans non distet extra sphæram suæ actiuitatis, sed contineatur in loco, quem simul potest replere. Hinc autem non sequitur, posse operari ad quamcunque distantiam, sed iuxta sphæram actiuitatis Angelicæ. Euertitur.

Nec probatio antecedentis obest, propter apertam disparitatis rationem. Quia distantia parua non impedit, ex eo quòd continetur intra sphæram actiuitatis Angelicæ, & suiloci adæquati: & ideò magna, si est extra sphæram, impediet. Vnde distantia parua, & magna, quæ sint extra sphæram, non se habent sicut magis, & minùs, sed vt duo obiecta, quorum vnum nequit attingi, secùs aliud.

Adde, quòd si semel Angelus constituat se nullibi (vt vult Caietanus in fine commentarij articuli tertij huius q.) poterit operari in distans, & ad quamcunque distantiam, & constituere se in loco quantumuis distanti, vt statim magis explicabimus.

113. Sed hoc displiceat Iuniori cuidam, alias Doctissimo: & ideò obijcit in contrarium, maiorem virtutem desiderari ad motū in locum sic distantem, non acquisito medio non participante, quàm ad motum, acquisito prædicto medio: at nequit Angelus, acquisito medio, moueri in locum quantumuis distantē, nisi priùs se collocet in loco inter medio, & proximiori, qui sit intra sphæram suæ actiuitatis, & locabilitatis: ergo, &c. Probatur maior. Tum, quia moueri tunc, non per transito medio, prouenit ex maiori abstractione à conditionibus rerum materialium. Tum etiam. Quia in hoc casu non solùm deuincenda est difficultas proueniens ex latitu- Insurgit contra hoc Iunior quidam.

dine

dine loci, vt in altero casu, sed etiam alia prouenies ex eo, quòd prætermittatur omninò medium. Minor verò ex dictis probatur. Quia Angelus habet locum limitatum: & ita non potest simul medium, & locum distãtem, qui sit extra sphæram suæ actiuitatis, replere.

Cõfirmat. Confirmatque hoc ipsum idem Iunior. Quia Angelus nequit, saltem in hoc casu, abstrahere se ab omni loco ante acquisitionem loci distantis: ergo si, vt est in termino *à quo*, non potest immediatè ad locum distantem transire ratione excessus distantiæ, nequibit absolutè ad illum peruenire: quia non nisi ex eo quòd priùs se absoluat à loco, potest in loco illo distanti se collocare. Antecedẽs probatur. Quia Angelus nequit absoluere se ab omni loco in instanti, in quo est in termino *à quo*, alioqui simul esset, & non esset in illo: neque in altero immediato, quia in instanti immediato temporis discreti est in termino *ad quem*.

Dissoluitur obiectio. 114 Respõdetur, negãdo maiorẽ, si Angelus se nullibi priùs constituat. Et ad primã probationem dicendum est, eandem abstractionem requiri ad hoc, vt Angelus transeat ex loco, in quo est, ad aliud extremum, non pertransito medio, ac ad hoc, vt se nullibi constituat, & sic in quodcunque distans possit operari, & se ibi collocare: & ideò Angelus potens ad primum, potest ad secundũ. Vnde ad secundam probationem dicendum est, vtramque difficultatem eisdem viribus, & non maioribus ad vnam, quàm ad aliam deuincendam esse. Nec probatio minoris, nempe, de limitatione sphæræ Angelicæ quoad suam locabilitatem; quatenus potest vrgeri contra hanc solutionem, obstat. Quia sphæra actiuitatis metienda est à loco, in quo est agens, & mobile, vsque ad certam distantiã. Vnde si in loco priùs sit, & à loco moueatur, exinde vsque ad certam distantiam est metienda sphæra. Si autem nullibi sit, non est vnde metiri possit: & ita habet sphæram actu præfixam, vsque dum collocet se in aliquo loco; neque distat positiuè ab aliquo loco, sed solùm negatiuè, idest, non magis ab hoc, quàm ab illo: & ideò potest agere in locum quantumuis distantem, non quidem à se per distãtiam positiuam, quia nullibi esse supponitur; sed à loco, in quo priùs erat.

Ad confirmationem. 115 Ad confirmationem negandum est antecedens, scilicet, Angelum non posse se absoluere à loco in instanti immediatè subsecuto ad illud, in quo erat in termino *à quo*. Et ad probationem dicendum est, data illa hypothesi, nõ fore in prædicto instanti in termino *ad quem* (licèt posset esse in illo, ea nõ data) sed in alio instanti: quanuis cũ his stet, vt prædictus transitus, ad quem immediatè præcederet hoc, quod est, Angelum nullibi esse, non haberet propriè rationem motus localis, sed esset quid reductum ad motum, siue mutationem localem: quia non esset à loco in locum immediatè, sed à non loco in locum.

§. IX. *Alia argumenta pro oppositasententia, & enodatio eorum.*

Quintum fundamẽtũ. 116. QVintò contraria sententia sic probatur. Quia ad motum essentialiter petitur, vt ante quodlibet *mutatum esse* reperiatur aliquod *moueri*, aliquaque successio. ergo & quòd detur in spatio aliquod medium inter id loci, in quo datur hoc *mutatũ esse*, & illud quod est terminus *à quo*: ergo non potest Angelus transire de extremo ad extremum, & non per medium. Antecedens videtur perspicuum: & similiter prima consequẽtia: & secunda probatur. Quia dum Angelus est in termino *ad quem*, habet hoc *mutatum esse*, & dum in termino *à quo*, nondum mouetur: ergo necessariò assignandum est mediũ, per quod moueatur.

Euertitur. Respondetur ex D. Thom. art. 3. huius q. in solutione ad argumentum *sed cõtra*, quod est tertium in ordine ex his, quæ pro rationibus dubitandi adducit, concedendo antecedens, intellectum de motu continuo, negãdo vero illud de motu discreto. Et ratio disparitatis est. Quia respectu motus continui *mutatum esse* non habet rationem partis, sed termini: & propterea à ante quodlibet *mutatum esse* debet præire motus, siue *moueri*, respectu cuius illud *mutatum esse* sortitur rationem termini. At in motu discreto *mutatũ esse* est pars illius: propter quod non est necesse, ante *mutatum esse* in termino *ad quem* præcedere ipsum *moueri*, sed satis erit, quòd præeat vltimum *esse* in termino *à quo*, ex eo quòd in successione horum locorum etiam sine medio, & in successione duorum indiuisibilium etiã sine medio, potest esse sita ratio huiuscemodi motus.

Sextum fũdamẽtum. 117. Sexto eadem sententia probatur. Nam dum Angelus est in loco, habet rationem propinquitatis, & distantiæ ad cætera, quæ sunt in loco, & simul ad polos mundi; ergo nequit in distans transire, non pertransito medio. Patet consequentia. Quia hoc ipso, quòd habeat distantiam situalem ad alia, & ad polos mundi, debet subdi legibus distantiæ, quæ consistunt in hoc, quòd distans habens locabilitatem finitam, nequeat transire in distans, nisi per propinquum. Vnde ob hoc impedimentum, nempe istius distantiæ, nequit corpus transire ad distãs, quin per propinquum.

Enodatur. Respondetur, quòd transeat antecedens, dummodò ratio formalis loci Angelici, & eiusdem Angeli, vt locatũ est, non desumatur forma-

formaliter ex prædicto ordine distantiæ: & negetur consequentia. Et ad probationem negandum est, Angelum eo ipso subdi legibus distantiæ quoad prædictum effectum. Et ad id, quod de corpore adducitur, dicendum est, corpus non subdi quoad prædictum effectum legibus distantiæ, præcisè quia distans, sed quia habet hanc distantiam peculiari modo, scilicet, vt prouenientem, & radicatam in quantitate, non qualitercumque, sed vt dat extensionem ad locum, & est ratio essendi in loco per commensurationem omni modam cum eo: quia eo ipso locus est mensura corporis locati, vt talis: & ideò debet moueri localiter, & esse in loco, & subdi legibus distantiæ iuxta exigentiam ipsius loci, & ad modum, quo locus habet suas partes, scilicet, vt inter extrema medient inter. mediæ: ac proinde nequit corpus esse in extremis, quam in propinquis partibus. Hæc autem ratio non procedit in Angelo, quinimò hinc oppositum in illo deducitur: quia non est in loco per modum contenti, aut mensurati, sed per modum continentis perfectè, & mensurã tis: & ideò potiùs spatium debet se habere iuxta exigentiam Angelicæ virtutis, & motus eius diffinitiui, qui solùm petit, Angelum esse totum in toto loco, & totum in parte, & ita esse hic, quòd nõ alibi in loco adæquato, siue hoc habeat per suum motum discretum, siue continuum.

Exemplum

Potestque hoc aliquo modo explicari exemplo iam dicto Christi Domini in Eucharistia, qui ex eo quod non est ibidem ratione quantitatis, sed per modum substantiæ, ideò non subditur legibus distantiæ quoad prædictum effectum: quamuis inter exemplum, & rem, de qua agimus, sit sua disparitas. Quare, ex eo quòd Angelus sit in loco, habeatque prædictam distantiam, ad summũ potest colligi, metiendam exinde suam sphæram actiuitatis, & locabilitatis: quia ipse est intrinsecè determinatus ad hoc, vt in tantum locum, & non ampliùs extendatur ex eo loco, in quo est.

Vltimũ fundamentum ex Molina.

118 Vltimo arguit Molina his verbis: *Adde, quòd transitus ille Thomistarum* (nempe de extremo ad extremum, & non per medium) *statim menti sese offert, tanquam inintelligibilis, & incredibilis: ideoque non tam incumbit nobis eum esse impossibilem ostendere, quàm Thomistis incumbat probare, eum esse per naturæ vires possibilem. Antequam enim firmissimam adducant rationem, quæ intellectum conuincat, standum est sententiæ, quæ idem de Angelis, quod de cæteris rebus in ea parte affirmat: neque adhærendum est contrariæ, quam intellectus, tanquam naturæ lumini repugnantem, statim respuit.* Hucusque Molina.

cõfirmatur ex Suarez

Confirmatur ex Suarez loco citato, vbi sic inquit: *In hoc genere mutationis* (puta, de extremo ad extremum sine transitu per medium) *licèt non inueniatur aperta repugnantia, difficillimè à nobis percipitur. Et ideò videtur superare modum agendi naturalem cuiuscumque creaturæ: & consequenter non esse possibilem talem mutationem per potentiam Angeli naturalẽ. Et declaratur* (inquit ille.) *Quia non omne id, quod non implicat contradictionem circa locum Angeli, vel acquisitionem eius, possibile creditur per naturalem potentiam Angeli. Nam esse simul in duobus locis discretis inadæquatis, & acquirere vnum retento alio, negamus esse possibile per potentiam Angeli naturalem; quamuis fateamur nõ implicare contradictionem. Ergo idem est verisimile in præsenti. Quia non minùs difficilis intelligitur à nobis hic transitus ad extremũ, & non per medium, quàm existentia in duobus locis remotis, & distantibus.*

Resp̃sio ex Vazquez

119 Ad hæc respondet Vazquez in præsenti disput. 196. c. 5. his verbis: *Si Angelus sit in loco, vel per operationem, vel per applicationem ad operandum, facilè certè id intelligitur, & explicatur* (nempe, quomodo trãseat de extremo ad extremum, & non per mediũ) *vt superiori capite vidimus. Quo circà hac ratione non vtitur Ægidius, sed alij recentiores, qui de rebus spiritualibus fere in omnibus instar rerum corporalium philosophantur, quibus necessarium erat sensibilia relinquere, & aliorem modum spiritualia contemplandi inuestigare.* Hucusque Vazquez.

Elucidatur

Potestque hæc solutio (quoad id, quod in ea præcipuè continetur, scilicet, hunc modum transitus Angeli de extremo ad extremum & non per medium non esse inintelligibilem, nec incredibilem, vt vult Molina) elucidari. Tum rationibus pro nostra assertione factis, & alijs, quæ in hoc dubio diximus, quæ non parum credibilem, & intelligibilem, licèt non sensibilem, transitum istum reddunt. Tum etiam. Quia, vt benè notauit Nauarrete 3. tomo suarum controuersiarum controuersia 47. ex concessis à Molina, & necessariò concedendis, scilicet, quòd secundũ potentiam Dei absolutam potest vnum corpus transferri de loco ad locum, absque eo quòd attingat medium spatij. Nam si prædictum corpus ex vi eleuationis, qua eleuatur à Deo, non alligatur legibus motuum aliorum corporum: multò meliùs Angelus ex vi suæ naturæ non alligabitur eisdem legibus. Quia etsi eleuatio illius corporis sit supernaturalis, & sic excedat naturam Angeli: attamen ex altera parte eadem eleuatio recepta in corpore, & subiectata in ipso debet esse aliquo modo quid inferius ad naturã Angeli, quatenus prædicta eleuatio secundùm suam entitatem est aliquid corporale. Vnde, cũ Angelus per suam naturam sit eleuatus supra omnem rem

Nauarrete.

cor-

corpoream, non ſolùm quoad formalitatẽ, ſed etiam quoad entitatẽ, quatenus per hoc ſolùm ſignificatur eſſe magis abſtractum à conditionibus, & legibus materiæ: planè, & ſatis intelligibiliter inde fit, quòd ex propria natura poteſt tranſire de loco ad locum, non pertingendo medium.

Imò & difficiliùs intelligitur, quòd corpore manente in ſua propria natura, quantumcunque à Deo eleuetur, poſſet habere diſtinctum tranſitum, quàm quòd Angelus de facto illum habeat. Nam illud dominium ſuper res corporeas habet quodammodò non eſſe ita plenum in corpore, etiam ſi intelligatur ſub prædicta eleuatione, ſicut eſt in Angelo: quia licèt ex parte eleuationis ſupernaturalis, vt talis, ſuperet omnes res creatas, etiam ſpirituales, cùm immediatè reducatur ad Deum: attamen nulla eleuatio poteſt corpus extrahere ab entitate, quam habet. Et ita, cùm ex entitate corporea proueniat difficultas in dicto tranſitu, faciliùs intelligitur, quod res ſpiritualis ob plenum dominium, quod habet circa res corporeas, poſsit habere eundem tranſitum.

Ad confirmationem. 120. Ad confirmationẽ ex Suarez deſumptam patet ex dictis. Ad explicationem verò illius fatemur, nõ omne, quòd non implicat circa motum Angelicum, poſſe præſtari ab Angelo viribus proprijs. Negamus tamen, hinc ſequi, non eſſe illi concedendũ, tum quòd ſit ſimul in diſtinctis locis inadæquatis, & diſcretis contentis intra ſphæram ſuæ actiuitatis Angelicæ vt ex iam dictis diſput. præcedenti num. 163. liquet: tum etiam non poſſe moueri diſcretè, & de extremo ad extremum, ſine tranſitu per mediũ, propter rationes traditas. Sicut etiam negandum eſt, hoc eſſe difficile intellectu, ſi motus Angeli conceptu proportionato ad ſuam naturam concipiatur: quanuis, ſi prædictus motus conſideretur ad inſtar motus rerum ſenſibilium, & illis commenſuratus, non facile, ſed impoſsibile cognitu hoc iuxtà vires naturæ deprehendatur. Cæterùm hic modus concipiendi non eſt idoneus ad motum iſtum rectè, & iuxta ſui naturam percipiendum.

(?)

DVBIVM VI.

Vtrùm vterque motus localis, nempe continuus, & diſcretus ſint in Angelo, tanquam in ſubiecto?

POSTQVAM Explicuimus *an eſt* motuum Angelicorum, & alia plura ad illos ſpectãtia, meritò inquirimus; quodnam ſit ſubiectum, in quo prædictus motus recipitur?

§. I *Reſolutio dubij iuxta Angelici Doctoris mentem.*

121. DIcendum ergo eſt, motum localem Angelicum, quo per ſe mouetur, ſeu operationem, in qua prædictus motus conſiſtit, eſſe ſecũdùm id, quod affert in recto, in Angelo vt in ſubiecto, licèt connotet paſsionem, & effectum productum in diuerſis locis, modo iam dicto. Aſſertio hæc colligitur ex D. Thom. art. 3. huius q. vbi loquens de motu locali, vt ambit motum, tam corporeum, quàm Angelorum, inquit, quod per illum in quolibet *mutato eſſe* habet ſe aliter mobile nunc, quàm priùs. Si autem motus Angelicus non eſſet in Angelo, tunc per illum non ſe aliter haberet. Idemque deducitur ex omnibus illis locis, in quibus N. Complutenſes in libr. Phyſicorum diſp. 16. n. 36. probant, motum eſſe intrinſecè in mobili. Aſſertio. *D. Thom.* *N. Compl.*

Et ſanè aſſertio iſta videtur probabilior, quàm oppoſita in via S. Doctoris. Tũ, quia (vt oſtendunt prædicti Complut. in libr. de Anima diſput. 7. à n. 29. & deinceps, & nos ex ipſis obſeruauimus tom. 1. tract. 3. diſput. 5. n. 74.) probabilius eſt in ſententia S. Doctoris, potẽtiam executiuam in creaturis rationalibus, quatenus talibus, non diſtingui ab intellectu, & voluntate. Et ſpecialiter de Angelis loquens idem S. Doctor 1. p. q. 54. art. 5. hoc ipſum fatetur ſic: *Angeli autem non habent corpora ſibi naturaliter vnita, vt ex ſuprà dictis patet. Vnde de viribus animæ non poſſunt eis competere, niſi intellectus, & voluntas.* Id ipſum etiam habet 1. p. q. 79. art. 1. ad 3. & de Malo q. 16. art. 1. ad 14. & de Spiritualibus creaturis art. 6. ad 8. Eo autem ipſo, quòd potentia loco motiua in Angelo in *N. Compl.* *D. Thom.*

via

via S. Thomæ non distinguatur ab intellectu, & voluntate, & huiusmodi potentiæ non habeant aliam operationem, quàm *intelligere*, & *velle*, quæ sunt formaliter immanentes: consequens est, vt in via S. Doctris dicẽdum sit, quòd operatio, in qua consistit motus Angeli, necessariò debeat esse actio formaliter immanens.

Tum etiam. Quia quodlibeto 6. artic. 2. non solùm affirmat, omnem operationem Angeli debere esse actum intellectus, & voluntatis, atqueadeò formaliter immanentẽ; verùm etiam mirè, & efficaciter probat his præclaris verbis: *Dicendum, quòd omnis actio cuiuscumque rei est per formam naturæ illius rei. Nam etsi sint aliquæ formæ accidentales principia actionum alicuius rei, oportet, quòd huiusmodi actiones reducantur, sicut in primum principium, in formam specificam illius rei agentis: sicut actio caloris ignis reducitur sicut ad primum principium in formã substantialem ipsius, quæ est etiam principium omnium accidentium propriorum ignis: & ideò oportet se aliter habere in actionibus alicuius rei habentis naturam simplicẽ, quàm in actionibus alicuius rei habentis naturam compositam. Si enim fuerit aliquid habens naturã simplicem: omnis actio eius erit secũdùm proprietatem, & modum illius naturæ: quod non contingit si habeat naturam compositam. Omnis enim actio ignis est secũdùm proprietatem naturæ ignis: in cuitello autem ignito est quædam actio non pertinens ad proprietatem ignis, scilicet incisio: & hoc etiam considerandum est in substantijs spiritualibus. Anima enim humana non est totaliter intellectus, sed participat intellectualitatem: vnde est in ea aliqua virtus, & actio, quæ non pertinet ad intellectualem naturam, sicut præcipuè patet in his, quæ pertinent ad animam vegetabilem. Sed Angelus est totaliter intellectualis naturæ: & ideò oportet, quòd omnis eius actio sit secundùm intellectum.*

122. Et sicut assertio quoad id, quod in recto importatur à motu locali Angelico, est Angelici Præceptoris: sic etiam quoad illud, quod in ea addidimus, nẽpe, quòd prædictus motus connotat passionem, & effectum productum in diuersis locis: quia hoc satis
D. Thom. deducitur ex D. Thoma pluribus in locis, tã disputatione præsenti, quàm præcedenti citatis: vbi inquit, Angelum esse in loco per contactum virtutis, & eius motum debere esse diuersos contactus virtutis, &c. Nam si prædicti contactus semel dicunt operationẽ formaliter immanentem in Angelo, vt ex testimonijs adductis constat, oportet, vt talis actio sit virtualiter transiens ad hoc, vt habeat contingere contactu virtutis prædicta loca: ac proinde etiam oportebit, vt connotet passionem, & effectum productum in diuersis locis, modo iam dicto. Vnde assertionem hanc tuentur Nazarius art. 1. huius q. cõ trouersia 1. conclusione 9. Bañez art. 2. dub. 1. in solut. ad 1. Fauet Ferrara 3. cõtra Gent. c. 102. §. *aduerte*. Idemque tuetur Suarez lib. 4. de Angelis c. 13. quoad hoc, quod est, motum Angeli recipi in illo vt in subiecto. *Nazarius* *Bañez.* *Ferrara* *Suarez.* Ratio fũdamentalis.

123 Ratio autem fundamentalis huius assertionis desumitur ex D. Thoma art. 3. huius q. iam citato, quæ potest ad formam istam nuper insinuatam reduci. Quoniam de ratione motus est, vt per illum aliter se habeat mobile nunc, quàm priùs: ergo oportebit, motum recipi in mobili vt in subiecto. Antecedens constat ex ipsa diffinitione motus. Consequentia verò etiam liquet ex antecedenti. Quia alioqui mobile non aliter se haberet per motum nunc, quàm priùs: siquidem nihil aliter se habet nunc, quàm priùs, nisi per id, quod est intrinsicè, seu inhærenter in illo. Cõfirmatur.

Confirmatur ratione desumpta ex eodẽ D. Thoma. Quoniam Deus non se habet aliter nunc, quàm priùs, quia denominetur Dominus, aut creans per denominationem extrinsecam desumptam ex creatura, vel ex relatione seruitutis: ergo similiter Angelus non se habebit aliter nunc, quàm priùs, dum per se mouetur, per denominationem extrinsecã desumptam ex motu existente in alio subiecto. Consequentia patet, tum ex paritate rationis: tum etiam, quia alioqui Angelus, dũ mouetur per se, solũ haberet moueri per extrinsecam denominationem: quod non ita videtur esse consonum locis Scripturæ in hac disputatione dubio 1. adductis. Euasio.

124 Nec obest, si occurras ex Doctrina Vazquez, iuxta ea, quæ ex ipso dubio 2. istius disputationis attulimus, hoc esse peculiare motui Angelorum, quòd tantùm possit consistere in denominatione extrinseca desumpta ex motu corporis, cui Angelus est vnitus.

Nam contra hoc est, quoniam (præter quam quòd hoc satis est ibi impugnatum) potest sic ampliùs confirmari, & explicari prædicta impugnatio ex eo, quòd illa, quæ sunt de ratione motus per se vt sic, nempe, simpliciter se habere aliter mobile per eum nunc, quàm priùs, debent cuiuis motui per se tali, seu per quem per se mouetur conuenire. Refutatur.

Adde, quòd alioqui eadem ratione posset dici, Deum mutari simpliciter ratione mutationis corporis, cui vnitum est,

Adde secundò, quòd vt Angelus moueatur localiter, non est necesse, quòd moueat localiter successiuè alia, sed satis est, quòd producat v.g. lumen in pluribus locis successiuè, & modo insinuato: ergo tunc Angelus nequibit denominari extrinsecè motus ab aliquo motu locali corporum, cùm nullus ibi interueniat: & consequenter operatio, in

qua

quia motus localis Angelicus conſiſtit, denominabit intrinſecè, & non extrinſecè prædictum Angelum.

Adde tertiò, per hanc ſolutionem non occurri probationi vltimo loco in confirmatione noſtræ rationis adductæ, nimirum, quòd ſi motus localis Angeli non eſt in illo, tunc nō moueretur niſi per extrinſecam denominationem: quod non ita videtur conſonum locis Scripturæ.

Alia euaſio. 125. Nec obeſt alia ſolutio ex Caietano, nimirum, Angelum ſolùm metaphoricè, & abuſiuè eſſe in loco: & ideò non poſſe in eo, vt in ſubiecto, motum localem recipi: alioqui non abuſiuè, ſed propriè eſſet in loco, & ſimiliter non abuſiuè, ſed propriè moueretur localiter.

Euertitur. Nam contra hoc eſt. Tum, quòd hinc ſolùm ſequitur, non recipi in ipſo motum localem propriè talem, ſecùs motum localé, qui impropriè, & abuſiuè, ac æquiuocè ſit talis, qualem debere eſſe motum localem Angelicum, n. 6. diximus. Sicut ex eo, quòd pratum abuſiuè, & æquiuocè rideat, nō ideo ſequitur, non eſſe in illo aliquem riſum, ſed ſolùm non eſſe in eo riſum propriè dictum. Et ita in illo eſt intrinſecè hoc, quod eſt *florere*, necnon habitudo illa, & ſimilitudo ad *ridere* proprium, ratione cuius dicitur ridere metaphoricè.

Tum etiam. Quia ſaltem debet dari intrinſecè in Angelo fundamentum illius motus metaphorici: ſicut in ira Dei, metaphoricè ei conueniente, datur in Deo ipſo fundamentum intrinſecum ad illam: & ſimiliter *florere* prati, quod eſt fundamentum riſus, datur intrinſecè in ipſo prato. At hoc ipſo, quòd in Angelo detur hoc fundamentum intrinſecum, datur etiam intrinſecè, ſeu inhærenter in eo motus metaphoricus, quia iſte ibi eſt, vbi reperitur ſuum fundamentum, vt in riſu prati, & in ira Dei cernitur: ergo: &c.

Poteſtque hæc probatio fulciri ex eo, quòd fundamentum huius motus, vt abuſiuè talis, debet eſſe operatio Angeli, vt formaliter immanens, & virtualiter tantummodò tranſiens, quia eius operatio immanens eſt ita perfecta, vt habeat hanc virtualem efficacitatem ad extra.

Alia euaſio 126. Vnde etiam non obeſt, ſi ex eodē Caietano dicas, fundamentum hoc eſſe operationem, & motum formaliter tranſeuntē.

Contra inſurgitur. Nam contra hoc vrget ratio ex alijs teſtimonijs in aſſertione adductis, & ex Angelico Præceptore deſumpta, nempe, quòd Angelus eſt naturæ purè ſpiritualis: & ita eius operatio nequit eſſe, niſi præcisè intellectualis: ac proinde tantùm erit *intelligere*, & *velle*, quæ ſolùm virtualiter poſſunt eſſe quid trā-ſiens.

Confirmat. Confirmatur primò ratione deprompta ex eodem S. Doctore locis citatis. Nam ideò homo habet operationes (vt ſic dicamus) miſtas, ideſt aliquas, quæ non ſint purè intellectuales, vt ſentire, vegetari, & generare, alias verò præcisè intellectuales, vt intelligere, & velle: quia conſtat (vt ſic dicamus) duplici natura, ſeu quia conſtat anima rationali, & corpore. Et deinde, ideò ignis, vt talis, non operatur niſi per actionem conſonā præcisè naturæ ignis, & non alteri naturæ adhuc partiali, quia dicit ſimplicem naturā ignis. Ergo cùm Angelus ſit totaliter intellectualis naturæ, & non habeat miſtionem alterius naturæ: fit inde, vt omnis eius operatio ſit purè intellectualis: & conſequenter ſolùm ſit *intelligere*, & *velle*, quę formaliter debent eſſe quid immanens, & tantummodò virtualiter tranſiens.

Confirmat. 127. Confirmatur ſecundò ex eodem D. Thoma art. 1. huius q. in ſolutione ad ſecundum, vbi inquit, quòd motus exiſtentis in potentia eſt actus imperfecti; ſed motus, qui eſt ſecundùm applicationem virtutis (qualiter eſt in Angelo) eſt exiſtentis in actu, quia virtus rei eſt ſecundùm quòd actu eſt: at ſolus motus partis intellectiuæ, qui eſt ſecundùm *intelligere*, & *velle*, eſt motus exiſtentis in actu, vt N. Complut. in libr. Phyſicorum diſput. 16. num. 13. & deinceps docent, & ex Ariſtotele, & D. Thoma id cōfirmant: ergo prædictus motus localis Angeli conſiſtet, quoad id, quod in recto affert, in actibus intelligēdi, & volendi, qui ſolùm virtualiter poſſunt eſſe quid tranſiens. *N. Compl.*

Vltima cōfirmatio. Confirmatur tandem. Tum, quia motus progreſſiuus animalium perfectorum eſt vitalis, ac proinde inhæret illis: ergo etiam motus Angelicus erit vitalis, cùm Angelus perfectiori vita viuat, quàm animalia perfecta: & conſequenter talis motus erit in Angelo. Tum etiam ex omnibus illis, quæ prædicti Complut. diſput. nuper relata n. 36. & 37. docent ex Ariſtotele, & D. Thoma, necnon rationibus ex eiſdem deſumptis, quibus oſtendunt, motum per ſe conuenientem mobili debere eſſe in illo. Nam omnes illæ, proportionaliter ad præſens applicatæ, ſatis ſuadent id, quod in præſenti intendimus: ac proinde Angelum non eſſe in loco, aut moueri localiter per operationem formaliter tranſeuntem. *N. Compl.*

§. II. *Opinio contraria, argumenta ipſius, & reſponſiones ad illa.*

Contraria ſententia. 128 CONtrariam tamen opinionem, nimirum, motum localem Angeli non eſſe intrinſecè, ſeu inhæſiuè in illo, & conſequenter operationem, in qua conſiſtit motus iſte, eſſe nō ſolùm virtualiter, ſed etiā forma-

formaliter transeuntem, receptam in subiecto, quod ab Angelo mouetur, sequuntur Caietanus, & Ripa in præsenti, nec non & alij. Et licèt eius præcipua fundamenta iam dubijs præcedentibus posita, & ex ibidem, & in hoc dubio dictis soluta sint; nihilominùs potest prædicta sententia sic deinde probari.

Caietan. Ripa.

Probatur primo.

Primò. Quia Angelus actuè elicit motum localem, quo mouetur: ergo potest esse simul agens, & passum: ergo prædictus motus non recipietur in illo, sed in corpore, in quod agit. Hæc secunda consequentia apertè sequitur ex prima, & prima etiam constat. Nam cùm in Angelo non sit multitudo partium, quarum vna sit pars per se mouens, & alia pars per se mota, non poterit esse simul agẽs, & passum, seu elicere motũ, & simul recipere illum. Propterea enim animalia possunt se ipsa mouere, & per consequens esse agens, & passum respectu sui motus, quia in illis hæc distinctio partium per se mouentis, & per se motæ queit assignari.

Respõdetur ex Compl.

Respondetur ex N. Complutensibus in lib. Physicorum disput 28. n. 18. distinctionem illam partis per se mouentis à parte per se mota esse (loquendo in omni rigore) admittendam in motibus corporeis, qui sunt actus existentis in potentia, quibusque viuentia se ipsa mouent: non tamen in motibus spiritualibus, & qui sunt actus perfecti, seu existentis in actu, qualis est motus localis Angeli, consistens in actibus sui intellectus, & voluntatis formaliter immanentibus, & virtualiter transeuntibus. Vnde in his satis est, voluntatem quoad intentionem finis moueri peculiariter ab authore naturæ, quoad electionem verò mediorum moueri à se: quia ante electionem finis non præcessit alia volitio per quam fuerit in actu, sicut respectu mediorum, ad quorum volitionem præcessit volitio finis. Quam doctrinam sæpè repetit D. Thomas 1. 2. q. 8. 9. & 10. Et similiter quoad intellectum dicendum est, illum non ad quãcumque intellectionem se mouere, ita vt non moueatur peculiariter ab alio, sed in nobis ad intellectionem primorum principiorum, vel ad primam cognitionem, ex qua totus discursus pendet, moueri specialiter ab alio, scilicet ab authore naturæ, at verò ad cognitionem conclusionum moueri à se. Quia respectu primorum principiorum, aut prædictæ cognitionis non habet intellectus aliam priorem cognitionem, qua priùs sit in actu, & se moueat, at verò respectu conclusionum iam priùs est in actu per cognitionem primorum principiorum. Et ita cognitio illa quodammodò se habet tanquam pars mouens, & intellectus, qui est in potentia ad cognitionem conclusionum, se quodammodò habet tanquam pars per se mota. In Angelis verò cognitio sui per propriam substantiam, tanquã per speciem, est ab Authore naturæ, vt colligitur ex D. Thoma 1. p. q. 63. & nos ibidem disput. 11. n. 4. latiùs dicemus, & per illã sunt in actu ad cognitionem aliorum obiectorum naturalium: ac proinde per eamdẽ sunt in actu ad operationem formaliter immanentẽ, & virtualiter transeuntem, in qua eorũ localis motus consistit.

D. Thom.

129 Quæ solutio desumitur ex D. Thoma in 1. ad Annibaldum dist. 37. q. 2. art. 1. ad 2. vbi cùm proposuisset simile argumentum, nempe, quòd Angelus debet localiter moueri ex se, & quòd omne, quod sic mouetur, diuiditur in duas partes, quarum vna est mouens, & alia mota (vt probatur in 8. Phy sicorum) quod Angelo conuenire non potest, cum sit indiuisibilis substantia: respondet in hæc verba: *Dicẽdum, quod ideò oportet motum ex se diuidi in duo, quorum vnum sit mouens, & alterum sit motum in motibus corporalibus, quia non potest idem reducere se de potentia ad actum. Angelus autem non cõparatur ad locum, vel ad motum, vt potentia ad actum* (vt statim explicabimus) *& ideò in motu Angeli dictum Philosophi locum non habet.*

130 Nec obest, si vrgeas ex eodem D. Thoma art. 1. huius q. in solutione ad 3. vbi sic inquit: *Motus existentis in potentia est propter indigentiam suam: sed motus existentis in actu non est propter indigentiam suã, sed propter indigentiam alterius. Et hoc modo Angelus propter indigentiam nostram localiter mouetur, secundùm illud ad Hebræos 1. Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Si autem motus localis Angelicus consisteret in operatione aliqua immanente in ipso Angelo, tunc motus eius localis esset motus existentis in potentia, & non existentis in actu, quippe qui esset motus Angeli existentis in potentia ad illam operationem formaliter immanentem, quæ esset vltima actualitas eiusdem Angeli. Et similiter prædictus motus esset propter indigentiam Angelicam: quia esset propter indigentiam suæ vltimæ actualitatis, consistentis in illa operatione.

Replica. D. Thom.

Respondetur, motum localem existentis in actu non distingui à motu in potentia per hoc, quòd motus ipse nõ recipiatur vtrobique in mobili: vt patet de intellectione, quæ est motus existentis in actu, & de motu locali corporum, qui est motus existentis in potentia iuxta dicta à N. Complutensibus disp. in hoc dubio relata. Nec in hoc, quòd vtrobique non producatur terminus, quamuis in primo, nempe in motu existentis in actu, non producatur terminus propter terminum, sed propter motum, in secundo verò, scilicet in motu existentis in potentia, fiat termi-

Solutio.

N. Compl.

terminus propter terminum ipsum. Quare distinctio potissima quoad præsens inter prædictos motus est in hoc, quod mobile, vt motum per motum existentis in actu, nõ ordinatur ad terminum, ac proinde, vt est sub prædicto motu, non est propriè in potentia per illum ad eundem terminum, sed potiùs in actu: & ideò prædictum terminum subordinat suo motui, & sibi, vt est sub tali motu; secùs verò contingit in mobili, vt moto per motum existentis in potentia. Vnde propter hanc rationem dicitur, quòd motus existentis in actu non ordinatur ad aliquem terminum ob indigentiam, quã habet illius ad conseruationem sui *esse*, alioqui, vt est sub illo motu, maneret in potentia; benè tamen propter indigentiam aliorum, quæ mouentur motu existentis in potẽtia. Cęterùm mobile per motum existentis in potentia, quatenus sic est in actu admisto potentiæ, per motum habet ordinari ad locum naturalẽ, vt ibi conseruetur in suo *esse*: & ita est propriè in potentia, dum est sub motu isto: & prædictus motus est existentis in potentia propriè & in rigore loquendo. Quare iuxta hæc in-
D. Thom. telligendus est D. Thomas, dum inquit, Angelum non moueri localiter propter indigẽtiam sui, sed propter indigentiam alterius, ideſt, non moueri propter motũ, qui reddat illum in potentia ad vlteriorem terminum, quo indigeat, ad quẽque ordinetur, aut propter indigentiam alicuius desiderati ad conseruationem sui *esse*, benè tamen ob indigentiam aliorum.

Secũdũ fũdamentum. 131. Secundò probatur eadem sententia. Quia in primis in Angelo non est potentia receptiua naturalis ad motum localem: quia nõ est in illo inclinatio naturalis ad hũc motum, aut locum, priùsquàm ad illum, aut versus hanc, vel illam partẽ, magis quàm versus aliam: cùm tamen in his, in quibus est potentia naturalis ad motum, reperiatur prędicta inclinatio naturalis. Nec etiam est in eodem Angelo potentia obedientialis ad talem motum: quia hæc in Angelo inuoluit agens supernaturale; quod tamen ad motum naturalem non est necesse inuolui. Ergo prædictus motus non erit in Angelo inhæsiuè, & vt in subiecto. Patet consequentia. Quia ad hoc desiderabatur, vt esset in illo aliqua potẽtia, in qua reciperetur, scilicet, vel naturalis, vel obedientialis, quæ duæ potentiæ exhauriunt totam rationem potentiæ receptiuæ.

Diluitur. Respondetur, esse in Angelo potentiam receptiuam naturalem, quia inde aliqua perfectio connaturalis ei accrescit, scilicet sua operatio formaliter immanens, & virtualiter transiens: ita tamen, vt hæc perfectio non ad *esse*, aut conseruationem eiusdem *esse* desideretur, vt in corporibus contingit. Nec obest id, quod in hoc argumento dicitur, scilicet, non esse in Angelo inclinationẽ naturalem ad hunc motum, aut locum, potiùs, quàm ad illum. Sicut non obest, ad dandam in Angelo potentiam naturalem in ordine ad intelligendas res naturales, aut in visu potentiam itidem naturalem respectu visionum, quòd non habeat Angelus inclinationem naturalem ad intelligendas potiùs has res naturales, quàm illas, aut visus ad eliciendam hanc potiùs visionem, quàm illam. Cur autem in corporibus mobilibus ad sua loca naturalia contrarium accidat, constat ex dictis: quia nimirum mouentur ad locum naturalem ex indigentia iam dicta, & huic indigentiæ non subuenitur, nisi in certis locis.

132. Nec obest si vrgeas, hinc deduci, **Replica.** motum localem factum versus quamcunque partem esse Angelo connaturalem. Nã con- **Solutio.** cedenda est sequela, si de motu collato præcisè cum natura Angelica, & eius inclinatione naturali, prout distincta aliquo modo ab elicita, fiat sermo; secùs, si cum inclinatione eius elicita conferatur. Nam tunc omnes motus locales, qui actiuè sunt ab ipso Angelo, vt à causa principali, erũt consoni vtrique inclinationi. Non tamen hoc necessariò dicendum de illis, in quibus passiuè præcisè se haberet: nam in his possunt moueri violenter, quia hic motus potest esse contra inclinationem elicitam. Vtrùm autem hæc potentia passiua ad motum, qui non est ab ipso Angelo, sit vitalis, sicut illa, quæ est ad motum ab ipso procedentem, ex alibi dictis constare potest. Ex quo etiam intelligitur, quomodo in hac quæstione præcipuè fiat sermo de motu Angelico connaturali omninò eidem Angelo: ac proinde de motu, qui ab ipso actiuè principaliter fit: quanuis ex dictis possit (proportione tamen seruata) facilè deduci, quid de alio motu per se, circa quem passiuè Angelus se habet, dicendum sit.

133 Tertio. Motus localis, vt distinctus à mutatione, connaturaliter petit succes- **Tertiũ fundamentum.** sionem, vt dubijs sequentibus huius disputationis dicemus: ergo talis motus non erit in Angelo. Patet consequentia. Quia Angelus est indiuisibilis, carens partibus: & id, quòd sic est indiuisibile, nequit formam habentem eas, qualis est motus successiuus, recipere vt eius subiectum.

Respondetur, partes, aut quasi partes mo- **Euertitur.** tus Angelici, vt est in ipso, esse ad summum operationes formaliter immanentes, & formaliter indiuisibiles, quarum vna (modo dicto) succedat immediatè alteri. Constat autẽ, has posse, imò debere recipi in Angelo, vt in subiecto.

Adde, fieri etiã posse (vt ex dictis cõstat) motũ Angeli cõsistere in vnica simplici opera-

tione correſpondente noſtro tempori diuiſibili, vt ſuprà dub. 3. explicuimus. Hæc autẽ, cùm ſit formaliter indiuiſibilis, & ſolũ virtualiter diuiſibilis, & vna tantũmodò, ſimplexque, non apparet, cur nequeat in Angelo recipi.

Quartũ fũdamentum

184. Quartò (per quod præcedens argumentum confirmatur) eadẽ ſententia probatur. Nam ibi debet eſſe motus Angeli, v.g. continuus, vbi eſt duratio prædicti motus: at duratio iſta non in Angelo, ſed in corpore, erga quod Angelus immediatè agit, quodque ab eodem mouetur, recipitur: ergo etiam motus per illam menſuratus. Maior, & conſequentia videntur perſpicuę. Minor autem probatur. Quia duratio continua dicit extenſionem partium durationis: ergo quòd vna pars ſit extra aliam, ac tandẽ continuationem prædictarum partium per aliquem terminum communem eaſdem vnientẽ. Cõſtat autem, durationem ita extenſam, & prædictis partibus continuatis conſtantem, non poſſe recipi in Angelo, quippe omninò indiuiſibili, & partibus carente.

Diſſoluitur

Reſpondetur ex dictis, tempus Angelicũ non eſſe continuum per continuitatem vniuocam cum tempore noſtro, ſed æquiuocã, & abuſiuè talem. Nam ſicut motus localis continuus Angeli non vniuocè cũ motu noſtro, & abuſiuè habet rationem motus continui: ita & duratio menſurans ipſum, habet continuitatem æquiuocam reſpectu noſtri temporis continui, imò & abuſiuè talem: & ſic non conſtat pluribus partibus extenſis, & diuiſibilibus in ſemper diuiſibilia, vnitiſque per aliqua *nunc* indiuiſibilia, ſed ad ſummũ dicit plures operationes Angelicas, pluraque *nunc*, ſeu inſtantia tẽporis diſcreti Angelici, non vt præcisè componunt tempus diſcretũ, ſed vt vnum ex inſtantibus ſuccedit alteri, & habent correſpondere noſtro tempori, vt eſt formaliter continuũ, habetque partes, & indiuiſibilia nectentia illas.

Vltimum

135. Vltimò. Nam motus, & effectus per illum productus identificantur, quia cõparantur per modum *fieri*, & *facti eſſe*, & hæc duo petunt identificari: ergo cùm effectus productus per motum Angelicum ſit in corpore moto ab Angelo, etiam motus Angelicus ibidẽ erit: alioqui duo poſſent eſſe inter ſe identificata, & vnum eſſe in vno ſubiecto. & aliud in altero: quod (vt conſtat) apertam repugnantiam dicit.

Reſponſio

Reſpondetur, antecedens ad ſummũ eſſe verum in motibus, qui ſunt actus exiſtentis in potentia, ſecùs verò in motibus, qui ſunt actus exiſtentis in actu. Vnde in intellectione verbum mentis, quod eſt terminus intrinſecus illius, diſtinguitur realiter entitatiuè ab eadẽ intellectione, quæ eſt actus exiſtentis in actu. Videantur tamen N. Complutenſes in lib. de Anima diſput. 21. num. 25.

N. Compl.

DVBIVM VII.

Vtrùm motus localis Angeli continuus ex parte ſpatij poſsit fieri in inſtanti?

136. CONSVLTO Intitulo ponitur terminus ille, *Continuus ex parte ſpatij*: quia nõ inquiritur, an motus habẽs in ſe intrinſecè ſucceſsionem, poſsit fieri in inſtanti? In hoc enim aperta implicatio cernitur: ſed an motus continuus ex parte ſpatij, & tranſiens per medium ad extremum, reſpiciẽdo prædictum medium, vt medium ad locũ extremum, debeat habere intrinſecam ſucceſsionem, nec ne? ac proinde an debeat inſtantaneè, an verò in tempore fieri? Quod alijs verbis explicuerunt Henricus, Richardus, & Gregorius locis infrà referendis, ſcilicet, vtrùm Angelus poſsit moueri de vno loco in alium per medium in inſtanti? Et Scotus in 2. diſt. 2. q. 11. §. *dico ergo*, verſu *Hoc ergo ſup poſito*, dum inquirit, vtrùm Angelus poſsit in inſtanti moueri de extremo ad extremum, habendo ſimul omnia *vbi* intermedia, ſicut haberet ea, ſi moueretur ſucceſsiuè?

Henricus Richard. Gregorius Scotus

§. I. *ex mente D. Thomæ difficultas expeditur.*

Aſſertio D. Thom.

137 DIcendum ergo eſt, motum localẽ Angeli continuũ ex parte ſpatij nõ poſſe fieri in inſtãti. Ita D. Thomas art. 3. huius q. vbi ſic inquit: *Vnde relinquitur quod motus Angeli ſit in tẽpore. In cõtinuo quidẽ tẽpore ſi ſit motus eius continuus.* Et in 1. diſt. 37. q. 4. a. 3. *Motus autẽ Angeli nõ poteſt eſſe terminus alterius motus. Vnde oportet, quòd ſit in tẽpore, & nõ in inſtanti.* Et rurſus a. 3. huius q. his verbis: *Motus autẽ localis Angeli, nõ eſt terminus alicui⁹ alteri⁹ motus cõtinui. ſed eſt per ſe ipſum, à nullo alio motu depẽdens. Vnde impoſsibile eſt dicere, quòd in toto tẽpore ſit in aliquo loco, & in vltimo nunc ſit in alio loco. Sed oportet aſsignare nũc, in quo vltimo fuit in loco præcedẽti. Vbi autẽ ſunt multa nũc ſibi ſuccedẽtia, ibi de neceſsitate eſt tẽpus, cùm tẽpus nihil aliud ſit, quã numerato prioris, & poſterioris in motu. Vnde relinquitur, quòd motus Angeli ſit in tẽpore.* Idẽ docet in 4. diſt. 44. q. 2. art. 3. quęſtiũc. 3. & quodli. 9. a. 9. & quodli. 11. a. 4. Et ipſũ ſequũtur cõmuniter omnes eius diſci-

puli

Capreol. *Ferrara.* *Caietan.* *Nazarius* *Bañez.* *Zumel.* *Ripa.* *Nauar.* *Valent.* *Arrubal.*

pilli Capreolus in 2. diſt. 6. q. 1. art. 3. ad argumenta Scoti, & Gregorij contra 4. conclu dionem, Ferrara 3. contra Gentes c. 102. Caietanus, Nazarius, Bañez, Zumel in præſenti, Ripa ad hunc articulum dubitatione 2. Nauarrete tomo 3. in 1. p. controuerſia 48. Valentia diſput. 4. q. 4. puncto 3. Arrubal adhũc articulum c. 2. n. 13. & alij.

Ratio fundamẽtalis.

138 Ratio autem fundamentalis pro aſſertione innititur ab Ariſtotele, & D. Thoma, poteſtque ad hanc formam redigi. Quia impoſsibile eſt, ſpatium, per quod fit motus, ſecundùm quòd eſt pertranſibile per illum, habere ſucceſsionem partiũ, & quòd motus, quo tranſiri debet, non habeat eandem proportionalem ſucceſsionem partium, ſaltem modo dubio 3. explicato: ergo nequit prædictum ſpatium ſic conſideratum habere ordinem ſucceſsionis: nec queit motus, quo fit tranſitus per illum fieri in inſtanti. Conſequẽtia patet. Quia menſura, & menſurabile debent eſſe eiuſdem rationis: & ita ſi motus, ſtante illa ſucceſsione ſpatij, debet habere ſucceſsionem partium dubio nuper citato explicatam, etiam duratio menſurans illum: acproinde nequit prædicta duratio eſſe præcisè inſtãs ſed debet eſſe tempus.

Antecedens autem probatur. Quia alioquì motus ille haberet adæquationem, & nõ haberet eam cum prædicto ſpatio ſic conſiderato. Haberet quidem: quia ſupponitur adæquare totum illud ſpatium, & correſpondere omnibus, & ſingulis illius partibus. Non habere autem: quia ſi non haberet prædictas partes, aut quaſi partes, ſiue formales, ſiue virtuales, quibus correſponderet modo ſibi proportionato toti loco, & eius partib⁹, tunc illa adæquatio non eſſet ſucceſsiua, vt ex ſe patet, aut ſi ſucceſsiua eſſet, nequiret motus eſſe in inſtanti: nec eſſet permanens, & ſimultanea, vt diſtinguitur à ſucceſsiua, tum quia ſi Angelus eſſet in loco ſibi adæquato, v. g. in vna leuca, & moueretur abſque interruptione per maius ſpatium, quam prædictæ leucæ, tunc eſſet in maiori loco ſimul, quàm ſit ille, quem ſimul poteſt replere. Sicut ſi corpus pedale moueretur inſtantanee per columnam tripedalem, tunc ſimul eſſet in toto loco tripedali, acproinde repleret ſimul maiorem locum, quam ſit ſua quantitas. Tum etiam. Quia ſpatium, vt pertranſibile motu per medium vt tale, debet habere aliquem ordinem inter medium, & extremum. Cumque hic non ſit cauſalitatis: ſiquidem, quòd mobile ſit in medio, nõ præbet ei, quòd ſit in parte extrema: nec ſit ſitualis, & permanentis diſtantiæ, quem prædictum ſpatiũ inter ſuas partes habet: nam diſtantia hæc conuenit ei ſecundùm ſe, & ratione ſui; ac independenter à motu, ſecùs verò ordo prædictarũ partiũ, vt pertranſibilium prædicto motu: inde eſt, vt ſit ordo ſucceſsionis, vt diſtinguitur ab ordine prioris, & poſterioris permanẽti, qui non poteſt eſſe alius, niſi ordo conueniens intrinſecè motui, & hinc per denominationem extrinſecam deriuatus ad ſpatium, ex eo quòd medio motu intrinſecè ſucceſsiuo pertranſitur, & à motu refunditur prædictus ordo ſucceſsionis in ipſum ſpatiũ, vt illo eſt pertranſibile: acproinde illa correſpondẽtia non eſſet permanens ſecundùm ordinem prioris, & poſterioris permanentẽ, ſed ſucceſsiua.

Confirmatur 1.

139 Confirmatur primò. Nam ſicut veritas creata, vt attingitur per fidem media diuina reuelatione, & eſt vera in ſe, & vera quatenus ſic attingitur, & hæ duæ, aut quaſi duæ veritates diſtinguuntur, quia ex primo capite non eſt ita vera, ſicut ex ſecundo, neque ex ſe tantam firmitatem habet, quantam ex ſecundo, quamuis illa prior veritas ſemper ei competat ab intrancis, ſecùs verò ſecũda, ſed per extrinſecam denominationem à diuina reuelatione, quia ex fide diuina, vt attingẽte ſic illam veritatem refunditur in eam prædicta firmitas: ita illud ſpatium, vt motu per medium vt tale pertranſibile, ly *vt* ſpecificatiuè ſumpto, habet ex ſe ordinem prioris, & poſterioris, ſeu ordinem ſitualis diſtantiæ permanentem, & ordinem prioris, & poſterioris ſecundùm ſucceſsionem, vt deriuatum ex motu per extrinſecam denominationem. Et ſicut quod eſt formaliſsimum in illa veritate, vt attacta per fidem, eſt id, quod ex diuina reuelatione ei accreſcit, & in illã deriuatur: ſic id, quod eſt formale in ſpatio, vt pertranſito per motum, eſt id, quod ex motu in illud refũditur. Cumque hic ſit aliquis ordo prioris, & poſterioris inter medium, vt pertranſitum, & terminum *ad quem* mediante illo medio pertranſitum, & hic nequeat eſſe permanens, ſeu nequeat eſſe ille ordo ſitualis diſtantiæ competens permanenter ſpatio: oportet eſſe ordinem ſucceſsionis, qui ſit in motu intrinſecè, & extrinſecè in ſpatio: acproinde prædictus motꝰ nõ in inſtãti, ſed in tẽpore exercebitur.

Confirmatur ſecũdo.

Cõfirmatur ſecundò ex diſcrimine, quod intercedit inter illuminationem, & motum localem, de quo in præſenti. Nam etſi motus, & illuminatio conueniãt in hoc, quòd vtrũque fit in extremis, & medio, attamen lumen diffuſum per mediũ ad extrema non eſt vnũ & idem, ſed partialiter ratione quantitatis diſtinctum: & media, vt ſubordinata luminoſo, ſunt cauſæ attingentiæ luminis, vt in parti diſtantiori. Et ideò cùm dicitur, lumen pertranſire, ſeu (vt meliùs dicamus) diffundi per media in extremas partes, ly *per* nõ dicit ordinem ſucceſsionis, ſed ordinem cauſalitatis: & propterea poteſt inſtantanee fieri prædicta diffuſio ex luminoſo per talia media: quoniam ad hanc cauſalitatem non requiritur ordo prioris, & poſterioris ſecun-

dùm ſucceſsionem. At dum Angelus à termino *à quo* in terminum *ad quem* per medium tranſit, tunc idem Angelus eſt, qui tranſit per medium ad extremum: & ideò medium non eſt cauſa tranſitus Angeli ad extremum, nec præſentiæ illius ad prædictam partem extremam. Quia hoc ipſo, quòd ſit idem Angelus, qui tranſit, non eſt id, quod tranſit, & veluti diffunditur, ſubditum cauſalitati medij, nec poteſt ab eo produci, imò nec præſentia eius ad locum poteſt à prædicto medio in Angelo cauſari: ex eo quòd motus Angelicus, quippe eleuatioris rationis, non poteſt fieri in Angelo à loco intermedio: & ideò oportet, quòd ly *per medium* dicat ordinem realis ſucceſsionis, qui non poteſt eſſe alius, vt diximus, quã ſucceſsionis partium motus, vt deriuatæ, & refuſæ in medium, & extremum, quatenus medio prædicto motu attingibilia ſunt.

§. II. *Euaſio prior ad rationem ex D. Thoma deſumptam, & præcluſio illius.*

Prima ſolutio ad rationem D. Th. ex Henrico.

140 VNde nihil obeſt contra rationem hanc id, quod reſpondet Henricus vbi infrà, ſcilicet, ex ea ſolùm haberi, dari in Angelico illo motu, & ſpatio, vt per motum pertranſibili, ordinem ſucceſsionis, non quidem ſecundùm ſucceſsionem tẽporis, ſed ſecundùm prioritatem, & poſterioritatem naturæ, & conſideratione noſtra.

Impugnatur.

Nam contra hoc eſt, tum, quod quæ diximus, ſatis probant oppoſitum: tum etiam, quod negari nequit, quin ſit aliquis ordo realis inter partes ſpatij, vt pertranſitas medio illo motu, & non tantùm ordo præcisè quoad noſtrum intellectum, & intelligendi modum: alioqui non eſſet dicendum, mobile realiter pertranſire ad poſteriores per intermedias, ſed ſolùm conceptione noſtra. Ergo cũ ordo iſte non ſit cauſalitatis, ac proinde nec præcisè ordo naturæ, vt dictum eſt, nec extẽſionis permanentis: quia (vt dicebamus) hic conuenit ſpatio ſecundùm ſe, non verò formaliter, vt pertranſitur, inde eſt, vt debeat eſſe realis ſucceſsionis, & per conſequens ſecundùm priùs, & poſteriùs ſecundùm tẽpus.

Obiectio.

141 Nec refert, ſi in fauorem Henrici obijcias, motu diſcreto poſſe tam medium, quàm extremum pertranſiri ſimul, prout ly *ſimul* excludit realem ſucceſsionem ordinis prioris, & poſterioris: & tamen ibi ad ſummum eſt ordo ſucceſsionis conſideratione noſtra abſque aliquo alio ordine ſucceſsiuo: ergo ſimiliter in motu continuo hoc ipſum contingere poterit. Conſequentia probatur exparitate rationis. Et antecedens conſtat ex eo, quòd motu diſcreto acquiritur totus ſimul terminus *ad quem*: & ita pertranſitur medium, & terminus abſque reali ſucceſſione, & ad ſummum ſucceſsione per conſiderationem noſtram.

Soluitur.

Reſpondetur enim, quòd in motu diſcreto non ſit ille tranſitus ad extremum per medium, formaliter loquendo, ſed tam mediũ, quàm extremum computantur vt vnicus terminus *ad quem*: & ideò ſolùm materialiter, & in *eſſe* rei eſt ibi medium; non tamen vt attingitur prædicto motu, reperitur in illo medium, vt medium diſtinctum à termino *ad quem*, ſecùs verò in præſenti. Et ita licèt vtrobique (loquendo de motu adæquatè, prout motus eſt) reperiatur ibi ſucceſsio, modo dubio ſequenti, & vltimo huius diſputationis explicando, & propter rationes ibidem adducendas, attamen loquendo de motu diſcreto inadæquatè, prout eſt acquiſitio termini *ad quem*, non eſt ibidem realis ſucceſsio ſecundùm ordinem prioris, & poſterioris, ita vt vna pars termini *ad quem* priùs acquiratur, & poſteà alia; & ſimiliter pars termini *à quo*, vt talis, priùs deſeratur, & poſtmodum altera: è contrà tamen in motu continuo inadæquatè ſumpto pro acquiſitione termini *ad quem* contingit: quia in eo attenditur in illa acquiſitione ad medium, formaliter vt medium, necnon ad extremam partem, vt ad eam per medium vt tale peruenitur.

Retorquetur obiect.

142. Vnde hinc maior confirmatio cõcluſionis noſtræ, & rationis pro eâ factę, necnon vrgens euerſio ſolutionis ex Hẽrico deducitur. Quoniam ideò in motu diſcreto nõ reperitur ordo ſucceſsionis quoad acquiſitionem præcisè medij, & termini: quia medium non vt medium reſpicitur, ac proinde nec vt per illud ad terminum *ad quem* debet fieri tranſitus, ſeu quatenus totum illud ſpatium eſt pertranſibile illo motu per partes, ſcilicet per medium vt tale ad extremum, ſed quatenus totũ prædictum ſpatiũ, quòd eſt à termino *à quo* vſque ad finem illius habet rationem vnius termini *ad quem*. Ergo cùm è contrà in motu continuo contingat, dicendum eſt ibi in ſpatio, vt pertranſibili per talem motum, & in eodem, vt per medium eſt deueniendum mediante motu ad extrema, reperiendum eſſe ordinem ſecundùm realem ſucceſsionem inter medium, & extremũ.

§. III. *Alia euaſio ad rationem S. Doctoris, & eius impugnatio.*

Alia euaſio ad rationẽ D. Thom.

143. VNde nihil etiã obeſt alia ſolutio, quæ poterat adhiberi rationi D. Thomę, ſcilicet, quòd etſi conuincat intentum reſpectu motus corporei, & proprij corporum, qui commenſuratur loco; ac proinde quòd ſicut ſpatium ipſum eſt continuum, & habet ordinem permanentem ſitualis diſtantiæ, ſic vt

ſic vt pertranſibile per prædictum motum, habet ordine ſucceſsionis: ſecùs verò in motu Angelorum, qui eſt eleuatus ſupra motum corporeum, & corpus ipſum: & ideò in ipſo ad ſummum datur in ſpatio ordo prioris, & poſterioris ſecundùm conſiderationem noſtram.

Refutatur. Nam contra hoc eſt, tum ſatis impugnatam manere hanc ſolutionem ex nuper dictis. Tum etiam. Quia quod eſt de ratione motus, adhuc vt eleuati, debet conuenire motui Angelico, etiam ſi ſit eleuatus: ſed de ratione motus continui, adhuc eleuati (de quo loquimur) eſt, quòd ſit per medium, vt tale: ergo etiam de ratione illius erit, quòd habeat ordinem prioris, & poſterioris ſecundùm ſucceſsionem: & perconſequens quòd ſpatium, vt pertranſibile prædicto motu, habeat eundem ordinem refuſum ex motu ad ipſum. Minor probatur: Nam in primis eam docet **Angel. Doct.** Angelicus Doctor, & cum eo communiter ſcholaſtici. Et deinde, quia motus Angelicus & eleuatus diuiditur in motum, qui fit formaliter per medium, vt tale, & eum, qui non fit per medium, vt formaliter habet rationem medij: & ille dicitur motus continuus: iſte verò diſcretus. Cõſequentia verò conſtat ex duobus nuper dictis. Primum, quòd fieri per medium, dicit ordinem inter ipſum medium, & terminum, partemque extremam, vt talem: & cùm iſte ordo non ſit cauſalitatis, aut ſitualis diſtantiæ propter dicta, & quia hoc indiſcriminatim percurri poteſt motu diſcreto, & continuo, inde eſt, vt ſit ordo ſucceſsionis. Secundum verò. Quia ideò motus diſcretus non habet, vt præcisè eſt acquiſitio termini, ordinem ſucceſsionis realis, quia non fit per medium, vt tale: ergo &c.

Cõfirmatio 144 Confirmatur. Quoniam ad rationem motus eleuati, & continui ſatis eſt, quòd etſi ſit per medium, non tamen quòd ſi mobile ſit in prima ex quatuor partibus v.g. vlnæ, quòd debeat pertranſire illo motu reliquas tres partes, aut primam, & ſecundã per modum medij, vt perueniat ad vltimam, ſed ſatis eſt, tum quòd ex prima, relicta ſecunda, deueniat ad tertiam partem tanquam ad medium, vt inde ad vltimam tranſeat (ex eo quòd reſpectu mobilis eleuati prima, & tertia pars ſunt quid continuum in ratione ſpatij formaliter pertranſibilis illo motu ita eleuato:) tum etiam, quòd pars, aut quaſi pars motus correſpondens medio, vt tali, nec non & illa, quæ habet correſpondere parti vltimæ, ſit formaliter indiuiſibilis, & ſolũ virtualiter diuiſibilis: tum denique, quòd medijs prædictis partibus, aut quaſi partibus ſit partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*, modo tamen ſuprà dubio 3. explicato. Ergo cùm ad hunc modum eleuatũ perueniendi per mediũ requiratur ordo ſucceſsionis propter iam dicta, inde eſt, vt non ſit contra rationẽ motus adhuc eleuati prædictus ordo, ſed potiùs talis motus, vt motus eſt, & vt eleuatus eſt, hunc ordinem ſic tamen eleuatum expoſcat, ac proinde quòd prædictus motus nequeat fieri in inſtanti.

145. Ex quibus manet ſoluta quædam **Obiectio** obiectio cum duplici confirmatione, quæ in fauorem huius ſecundæ ſolutionis adducitur, ſcilicet, quòd ſicut modus eſſendi in loco diffinitiuus ratione eleuationis tantùm petit, quòd locatum ſit in loco adhuc diuiſibili diffinitiuè, ideſt, totus in toto, & totus in parte, & quòd ita ſit in illo, vt non habeat eſſe in alio loco, talisque diuiſibilitas formalis nõ ſe teneat ex parte locati, ſed loci, ac proinde & quod ſola virtualis diuiſibilitas, ſeu ſola diuiſibilitas per conſiderationẽ noſtram cum fundamento in re, ex parte locati ſe teneat: ſic moueri continuè, & per mediũ diffinitiuo, & eleuato modo, non dicit continuationem formalem partium motus ex parte eius ſe tenentem, ſeu intrinſecam motui: ac proinde nec diuiſibilitatem intrinſecam ex parte ipſius, ſed ad ſummum ex parte ſpatij, & perconſequens ex parte motus ſolùm virtualiter, & conſideratione noſtra cum fundamento in re dabitur talis diuiſibilitas: & ideò motus ille in inſtanti perfici poterit.

Prima confirmatio. Confirmatur. Quoniam ideò motus corporis in corporibus, ſi continuus ſit, & per medium fiat, formalem requirit extenſionem, & diuiſibilitatem partium, non verò ſolam virtualem, & conſideratione noſtra, quia prædictum corpus eſt in loco, & mouetur per ipſum commenſuratum ad illum, ideoque iuxta exigentiam eius habet formalem diuiſibilitatem intrinſecam motui, & nõ ſufficit, quòd ipſum ſpatium ſit continuum, quinimò ex continuatione, & diuiſibilitate ſpatij infertur, motum (quippe omninò ei commenſuratum) debere ſic formaliter eſſe continuum, & diuiſibilem. Ergo cùm Angelus non ſit hoc modo in loco, ac proinde nec ſic commenſuretur ei in ſuo motu, non deſiderabitur in eo motu, quòd ſit iuxta exigentiam ſpatij, ſed ſatis erit, quòd licèt ipſum ſpatium ſit formaliter diuiſibile, & continuum, attamen motus non formaliter, ſed ſolùm virtualiter, & conſideratione noſtra ſit continuus: ac proinde quod ſolùm per eandem conſiderationem habeat ordinem ſucceſsionis.

Confirmatur ſecundò. Quoniam corpus **Secunda.** ideò dum mouetur per medium, & ſpatium ex natura ſua continuum, habet intrinſecè in ſuo motu continuationem, & ſucceſsionem formalem, quia eſt in loco, & acquirit illum per continentiam paſſi-

uam eiusdem corporis: ac proinde modus essendi, & continendi propriùs loci est mensura corporis, vt locabilis, necnon & motus eius: & ideò vtrumque habet esse iuxta exigẽtiam, & modum loci. Ergo è contrà debet contingere in Angelo, qui nõ per modum contenti, sed potiùs continentis est in loco, & mouetur per illum, quique potiùs est mensura sui loci, quàm è conuerso: & ideò motus debet esse iuxta exigentiam eius; illique cõmẽsuratus: ac proinde, sicut Angelus est formaliter indiuisibilis, & solùm virtualiter diuisibilis, ita licèt spatium, quantum est ex se continuum, ad motum Angelicum per medium requiratur; attamen motus ille Angelicus, & medium formaliter sumptum erunt ad modum Angeli formaliter indiuisibilia, & tota simul: ac proinde solùm virtualiter consideratione nostra diuisibilia, & successiua, seu habentia ordinem prioris, & posterioris.

Enodatur 146. Respondetur enim ex dictis ad obiectionem, quòd transeat antecedens, & negari debet consequentia. Quia præsentia permanens, aut quantum est de se permanens in loco, per quam Angelus est loco præsens, licèt sit respectu loci, qui aliàs habet partes sic dispositas, vt vna medij, vt talis, alia vetò rationem partis extremæ habeat, non tamen respicit formaliter medium, quatenus tale: & ideò prædicta præsentia esset eadem in *esse* rei, siue acquireretur per motum discretum, siue per continuum, & per medium, & per consequens prædicta præsentia solùm habet respicere, aut quasi respicere totum illud spatium, vt in *esse* rei, & permanenti diuisibilitate est diuisibile, constituitque vnum quid in ratione spatij, nõ curando de partibus extremis, & medio, vt per illud peruenitur ad partem extremam, sed indiuisibili modo respiciendo, aut quasi respiciendo vtrumque: quod tamen è contrà in motu locali continuo ex parte spatij, vt motu isto pertransibile est per medium, contingit. Et ita in eo sic sumpto, necnon & in motu ipso debet intrinsecè assignari continuitas, nõ quidẽ vniuoca ad corpus, sed æquiuoca, siue illa sit solũ virtualis, vt dum motus vnica dumtaxat, eaque simplici operatione per aliquod tempus durante exercetur, siue illa sit formalis, vt dum medijs pluribus operationibus partialibus, aut quasi partialibus sibi immediatè succedentibus fit: ac proinde debet etiam ibidem successio, & ordo prioris, & posterioris secundùm successionem inueniri, vel inter ipsas actiones partiales, aut quasi partiales, vel inter exercitium illius vnicæ actionis, vt attingit vnum effectum in vna parte loci, & alium in alia, seu vt attingit contactu virtutis vnã partem loci, & deinde attingit aliam.

147 Ad primam confirmationem respondetur etiam ex dictis, concedendo antecedens, & primam consequentiam, si tamen in ea intendatur, vt reuerà intendi videtur, satis esse ad motum Angelorum continuationem virtualem, vt dum vnica dumtaxat, eaque simplici actione perficitur: quamuis per hoc non negetur ei posse habere continuationem formalem modo explicato, dum pluribus quasi partialibus actionibus exercetur. Sed neganda est secunda consequentia. Quia adhuc dum motus fit per vnam dumtaxat actionem iam dictam, habet illum ordinem successionis iam explicatum. Vnde ad hoc, vt motus Angelicus sit iuxta exigentiam Angeli, satis est, quòd sit per medium eleuatum illo modo, quem num. 144. explicuimus: ex eo quòd ibidem ordo realis, vt iam diximus, inter medium, vt tale, & partem extremã debet inueniri: & iste nequit esse alius præter ordinem successionis, vt iam explicuimus, & ex statim dicendis patebit. Per quod etiam ad confirmationem posteriorem patet. Ad primam & secundam cõfirmationem.

Roboratur solutio. Potestque hoc explicari. Tum ex eo, quòd sicut esse in loco diffinitiuo, & eleuato modo non tollit, quòd hic modus, qui secundum se est subalternus, non atomus, contrahatur per diuersas species, aut quasi species essendi in loco, scilicet, per *antè*, & *retrò* vt talia, & per *sursum*, & *deorsum*: ita quòd Angelus moueatur diffinitiuo, & eleuato modo, qui modus se mouendi est subalternus, non tollit, quominùs contrahatur per diuersas differẽtias motus, scilicèt continui, & per medium, vt tale, & discreti formaliter sumpti: atque adeò nec tollit intrinseca motui per medium, quę iam explicuimus. Tum etiam, quòd si transitus per medium solùm diceret virtualem diuisibilitatem, non qualemcumque, sed quæ corresponderet simul medio, & parti extremæ, tunc tantùm diceret motum, & acquisitionẽ termini *ad quem*, secundùm quòd talis acquisitio est simultanea acquisitio medij, vt distincti à parte extrema, & simul etiã parti extremæ: ac proinde virtualiter, & eminẽti modo corresponderet simul spatio, vt diuisibili. At totum habet motus discretus, vt præcisè est formaliter acquisitio totius spatij formaliter diuisibilis. Ergo illa extensio, & diuisibilitas motus Angeli continui debet vltra hoc esse secundùm successionem prioris, & posterioris modo explicato.

Tum denique. Quia cùm motus localis continuus ex parte spatij, & continuus in se eleuato modo sit à loco in locum, oportet, vt in eo inuoluatur (vt dubio sequenti dicemus) quòd mobile suo motu sit partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quẽ*; licèt ipsum mobile secundùm suam substantiam sit totus vtrobique. Nequit autem sic esse, nisi sit ordo prioris, & posterioris, vt iã dictum est. Ergo, &c.

§. IIII.

§. IIII. *Alia solutio rationis S. Doctoris, eiusq; euersio.*

Alia euasio ad rationē D. Thom.

148. VNde etiam corruit alia solutio, nempe, quod ex ratione pro assertione facta solùm sequitur, ex hoc quòd motus sit per medium, vt tale, debeatque aliquis ordo in spatio, vt formaliter pertransibili prædicto motu, inueniri, quòd medium habeat se per modum conditionis eiusdem Angeli ad extremum, quamuis non sit vera illius causa, sicut in diffusione lucis per mediū hoc idem contingere, probabiliter dici potest: & ideò dicitur fieri per medium, ex eo quòd diffundi per illud, habet se vt conditio ad hoc, vt pertingat ad extremum corporis illuminandi. Ex hoc autem non habetur, debere dari in illo transitu ordinē prioris, & posterioris secundū successionē, vt in prædicta diffusione lucis per medium constat.

Eneruatur. Ex dictis igitur corruit prædicta solutio. Quia aliud est, an vt debeat esse diffusio luminis, vel (vt sic dicamus) sit diffusio motus per totum spatium, requiratur, quòd diffundatur etiam per medium? aliud verò, an priùs, & cū aliquo ordine debeat fieri per medium, vt tale, quàm per extremum? Ex quibus illud primum verisimum est absque reali successione diffusionis luminis, & partium eius, aut motus, siue contactuum diuersorum locorū partialium, secùs verò hoc posterius. Cæterùm illud prius non sat est ad motum continuum, vt condistinctum à discreto. Et propterea, vt motu discreto moueatur Angelus, & per illum præcisè acquirat præsentiam ad locum diuisibilem, requiritur, quòd ita sit præsens parti mediæ, sicut extremæ: & sicut præsentia ad illam desideratur saltem per modū conditionis; ita præsentia ad istam: alioqui mobile per illum motum, vt præcisè, & formaliter est acquisitio loci, non acquireret totum illud spatium, vt formaliter diuisibile. Quare ad prædictam diffusionem, & motū, vt formaliter sit per medium, & distinguitur à motu discreto, requiritur, quòd transitus per illud sit conditio ad transitum, quo acquiritur locus extremus, ita vt sit ibi aliquis ordo prioris, & posterioris: qui (vt diximus) nō potest esse alius, nisi ordo successionis repertus in spatio, vt formaliter est sic pertransibile per refusionē motus in ipsum: ac proinde prędictus ordo perpriùs in motu intrinsecè inuenitur.

Obiectio. 149. Ex quo etiam fit, nihil obesse si vrgeas, motum continuum desumere suam continuitatem ex continuitate spatij: ergo continuitas ex parte spatij requisita non erit ei ex motu, sed è contrà: & perconsequens solùm requiretur ad motum continuum continuitas spatij, quæ illi ex se conueniat: quæ tamen non necessariò connectitur cum motu intrinsecè successiuo, & habente formaliter partes, sed potest percurri, siue isto, siue motu omninò instantaneo.

Solutio. Respondetur, negando antecedens, loquendo de motu Angelico, vt constat ex illis, quæ in hac, & præcedenti disputatione diximus. Vnde, si fiat sermo (vt fieri debet) de continuatione, & successione, cui conueniet esse rationem, sub qua spatium terminat habitudinem, aut quasi habitudinem motus ad ipsum, tunc dicendum est, quòd hic est modus tendendi, aut se habendi motus respectu ipsius, quatenus refusi in ipsum spatium. Quia multoties contingit, quòd ratio formalis, sub qua aliqua respiciuntur, sit modus ille tendendi, sub quo attinguntur, vt refunditur in res ipsas inspectas, aut quasi inspectas, vt in scientijs, & potentijs collatis cum suis obiectis cernere licet.

§. V. *Opposita sententia, & fundamenta, cum solutionibus eorum.*

Oppositā sententia. 150 OPpositam tamen sententiam, nempe, motum Angelicum cōtinuum ex parte spatij posse fieri in instanti, tuentur Scotus in. 2. dist. 2. q. 11. Gabriel q. 3. Rada 2. p. controuersia 7. art. 4. Gregorius in 2. dist. 6. q. 3. Maior q. 8. Ægidius tractatu de motu Angelorum, Suarez lib. 4. de Angelis c. 21. Molina ad articulum 3. huius q. vbi sic inchoat eius expositionem: *Prætermissa opinione D. Thomæ in hoc loco, sit prima conclusio. Angelus ab vna sphæra in aliam proximam mutari potest in instanti &c.* Becanus 1. p. c. 1. de Angelis q. 6. conclusione 4. & alij.

Scotus. *Gabriel* *Rada.* *Gregor.* *Maior.* *Ægid.* *Suarez.* *Molina.* *Becanus*

Primū fundamentum. Probatur primò. Quoniam corpus gloriosum potest in instanti se mouere de loco ad locum: ergo potiori ratione id poterit Angelus. Probatur antecedens. Quia prædictum corpus habet requisita ad istum motum: ex eo quòd ratione subtilitatis non patietur aliquam resistentiam ab spatio, & propter agilitatem prædictum corpus non resistet motori.

Confirmatur ex Augustino lib. 22. de Ciuitate Dei capite vltimo, vbi sic inquit: *Certè, vbi volet spiritus, ibi protinus erit corpus.* Vbi particula *protinus*, idem valet, ac in eodē instanti, quo spiritus vult.

Confirmatur ex D. Augustino.

Soluitur fundam. cum confirm. Respondetur, negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, etiam Angelum nullam pati resistentiam, nec ex parte pleni spatij, aut suæ quantitatis virtutis: & tamen propter dicta non posse in instanti moueri. Quare ex illis dotibus ad summum colligitur, moueri posse in tēpore breuissimo,

& imperceptibili, imò in ita paruo, vt possit moueri in minori, & minori, &c. Per quod ad confirmationem ex Augustino satis constat.

Secundum. 151. Secundò. Quia motus Angelicus nihil aliud est, quàm intellectio, & volitio Angelica: ex eo quòd intellectus, & voluntas eius est potentia motiua Angelorum: istæ autem operationes perfici possunt in instanti: ergo, &c.

Diluitur. Respondetur, intellectionem, & volitionem secundùm se posse in instanti perfici, non tamen vt sunt ratio essendi in loco per motum continuum, siue per motum per medium.

Tertium. 152. Tertio. Quia Angelus potest moueri tanta velocitate, vt nulla sit proportio inter velocitatem prædicti motus, & motus corporum: ergo cõsumet in eo motu per medium durationem adeò breuem, vt nulla sit proportio inter ipsam, & durationem, quam consumit corpus in suo motu: ergo motus ille Angelicus erit in instanti. Hæc vltima cõsequentia patet. Quia inter quamlibet durationẽ, quæ metitur tempore, & durationem temporaneã motus corporis est aliqua proportio. Prima verò probatur. Quia quò motus est velocior, eò duratio illum metiens est minor: ergo hoc ipso, quòd motus Angeli sit ita velox, vt nulla sit proportio inter velocitatem motus Angelici, & motum corporum: fiet inde, vt consumat in eo motu durationem adeò breuem, vt nulla sit proportio inter ipsum, & durationem consumptam à corpore in suo motu. Antecedens autem probatur. Tum, quia potentia locomotiua Angeli est absque vlla proportione perfectior potentia corporis, sicut puritas eius à materia, per quam nõ est obligatus loco, est incomparabiliter maior. Tum etiam, quia Angelus potest maiori, & maiori velocitate vsque in infinitum moueri: hæc autem velocitas incomparabiliter, & absque proportione excedit velocitatem motus corporei.

Enodatur. Respondetur, concedendo antecedens: quia Angelus potest maiori, & maiori velocitate vsque in infinitum moueri. Deinde concessa prima consequentia, negetur secũda. Quia inde ad summum fit, quòd in minori, & minori tempore vsque in infinitum mouebitur, secùs verò in instanti.

Replica. 153. Nec obest, si cum Vazquez disput. 197. cap. 3. (cui hæc solutio displicet) in fauorem illius obijcias: tum quòd potentia loco motiua Angelica in ordine ad motum velocem est finita: ergo solùm potest moueri velociter velocitate finita, & determinata, & non maiori, & maiori vsque in infinitum: sicut ex eo, quòd potentiæ aliæ sint finitæ, colligimus, esse in ordine ad effectum finitum. Ergo similiter in præsenti. Tum etiam. Quia inde colligimus, lumen gloriæ beatorum non posse esse principium videndi Deum perfectiùs, & perfectiùs vsque in infinitum, quia inde fieret, ipsum lumen esse in se infinitum quoad intensionem: ex eo quòd potentia, quæ immutata permanens est principium producendi perfectiorem, & perfectiorem effectum, siue actionem vsque in infinitum, est infinitæ perfectionis. Tum denique. Quia ideò diuina potentia est infinita, quia potest attingere perfectiorem, & perfectiorem effectum vsque in infinitum.

Confirmatur. Quia alioqui supremus Angelus non posset moueri localiter velociùs alio Angelo: quia non posset in instanti moueri, vt ex dictis patet: ac proinde summa velocitas, quæ ei potest conuenire, tantùm erit, quòd possit in minori, & minori tempore, & maiori, ac maiori velocitate vsque in infinitum moueri: cùm tamen hoc, vt in hac solutione dicebamus, cuiuis Angelo cõpetat. Confirmatio.

154. Respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Et ad primam probationem prædictæ consequentiæ dicendum est, id esse verum in alijs potentijs respectu effectus primarij, non verò respectu effectus secundarij, aut modorum effectus primarij. Et ita potentia calefactiua est in ordine ad infinitos calores non distinctos producendos, si prædicta potentia conseruetur à Deo taliter, vt non habeat finem à parte pòst. Resp̃sio ad replicam.

Potestque hoc explicari, & confirmari. Nam Angelus motu discreto potest moueri maiori, & maiori velocitate vsque in infinitum: quia potest moueri in duobus instantibus, & indiuisibilibus, & hæc, non est necesse, vt æquiualeant necessariò certæ durationi temporis, ita vt non possint æquiualere minori, si Angelo placuerit: ac proinde poterit esse in minori, & minori tempore nostro pro voluntate Angelica. Quare, cùm hoc non arguat infinitatem in potentia locomotiua Angeli respectu huius motus, sed remotionem impedimentorum, & potentiam locomotiuam superioris rationis, neque etiam arguet illam in eadem potentia locomotiua respectu motus continui, & eius velocitatis, licèt hæc sit maior, & maior. Explicatur.

155. Nec refert, si vrgeas contra explicationem nuper traditam ex motu discreto. Quia iuxta dicta instans acquisitionis termini *ad quem* durat coexistenter toti alicui tempori determinato, secuto post instãs, in quo Angelus, qui mouetur discretè, desinit esse per vltimum sui *esse* in termino *à quo*: ergo velocitas illa nequit esse in minori, & minori tempore vsque in infinitum. Alia replica

Non

Euanescit. Non igitur hoc refert. Quoniam sicut cùm dicimus, motum continuum posse esse velociorem, & velociorem in infinitum, loquimur de infinitate in potentia, & secundùm quid, ita vt velocitas de facto data sit certa, attamẽ quæ supereſt, quæque dari posset, est infinita infinitate in potentia: ita in motu discretò, & in æquiualentia illius instantis, in quo acquiritur terminus *ad quem*, proportionaliter philosophandum est. Nam quæuis acquisitio actu data est certa quoad durationem, & velocitatem; cæterùm velocitas, quæ supereſt, quæque est infinita in potentia, est maior, & maior vsque in infinitum in potentia, & similiter minoritas durationis.

Ad secundam verò probationem eiusdẽ consequentiæ respondetur, velocitatem maiorem, & maiorem vsque in infinitum non esse de genere eorum effectuum, qui requirũt maiorem, & maiorem perfectionem intensiuam in sua potentia: sicut nec infinitas indiuiduorum producibilium ab eodem calore eam postulat, nec infinitas præcisè indiuiduorum per lumen gloriæ visibilium in Deo priùs viso eam exposcit in lumine; sed prædicta infinitas maioris, & maioris velocitatis solùm exigit remotionem omnium impedimentorum, vnà cum potentia locomotiua simpliciter finita, & ad summum secundùm quid quodammodò infinita: quatenus per hoc significatur, esse superioris ordinis, ac proinde respectu illius esse remota impedimenta, & ita per se continere motum velociorem, & velociorem vsque in infinitum.

156. Vnde propter hanc rationem Angelus potest protrahere, quantum est ex se, suũ motum continuum vsque in infinitum, ita vt non tanto tempore moueatur absque interruptione, quòd non possit absque illa ampliùs, & ampliùs moueri: ex eo quòd est mobile superioris ordinis, & in suo motu nõ fatigabile, secùs verò corpus. Cæterùm productio intensioris, & intensioris visionis beatificæ requirit (vt ex se constat) maiorem intensionem in lumine. Vnde illa maxima, aut quasi maxima, quòd potentia, quæ immutata permanens est principiũ producendi perfectiorem, & perfectiorem effectum, siue actionem vsque in infinitum, est infinitæ perfectionis, intelligitur respectu effectuũ exigẽtium maiorem perfectionem in potentia.

Ex quo ad tertiam probationem prædictæ consequentiæ dicendum est, esse disparẽ rationem. Tum, quia productio effectus perfectioris, & perfectioris in omni genere entis requirit potentiam infinitam simpliciter in eodem genere, & non solùm remotionẽ impedimentorum. Tum etiam. Quia in diuina potentia sit compositio illa cũ termino primario, aut quasi primario in eo sensu, quem 1. tomo tract. 2. disp. 6. n. 20. & 2. deinceps diximus, secus tamen in præsenti.

Ad confirmationem verò respondetur, non esse inconueniens concedere sequelam: quia in alijs posset splendere excessus, vt in hoc, quòd sit simul in maiori loco cõtinuo, & quod posset motu discretò moueri ad maiorem distantiam à loco, in quo est. Potestque hoc explicari ex puritate à materia physica conueniente Angelis. Nam quiuis ex illis potest esse ita purus ab omni materia physica sicut supremus. licèt in alijs vincatur vnus ab alio, v.g. in puritate, non quidẽ à materia physica, sed à potẽtialitate, ex eo quòd supremus minùs potentialis est, quàm alij, vt ex infrà dicendis patebit. Ad confirmationem.

DVBIVM VIII.

Virùm motus localis, & discretus Angeli possit fieri in instanti?

SEnsus tituli est, an prædictus motus queat fieri correspondenter præcisè ad vnicum instans nostri temporis?

§. 1. *Expeditio dubij ex Angelici Præceptoris mente.* Conclusio.

157. DICENDVM Ergo est, motum Angeli discretum nõ posse esse in instãti. Ita D. Thom. art. 3. huius q. vbi sic inquit: *Vnde relinquitur, quòd motus Angeli sit in tempore. In continuo quidem tempore, si sit motus eius continuus: in non continuo autem, si motus sit non continuus.* Et in 1. dist. 37. q. 4. art. 3. necnon in alijs locis dubio præcedenti relatis. Vndè Sanctum Doctorem sequuntur eius discipuli; & alij loco nupercitato adducti. D. Thomas.

Ratio autem fundamentalis huius assertionis desumitur ex D. Thoma in hac quæst. art. 1. 2. & 3. potestque ad hanc formam reduci. Quia motus discretus cõstat ex tribus, vel quatuor indiuisibilibus mensuratis totidem instãtibus discretis, siue tribus, vel quatuor vnitatibus, sicut quantitas discreta, & permanens, vt numerus: ergo cùm non dicat quid permanens, nõ dicet prædicta in diuisibilia motus, & instantium, vt simul sunt; sed vt successiuè se habent vnũ post aliud. Maximè, quia in quolibet indiuisibili illius aliter, & aliter se habet mobile, ac in alio: & ita debẽt se habere successiuè, vt ita ibidẽ verificetur, quòd aliter se habet in quolibet. Ergo Ratio fundamentalis ex D. Th. desumpta.

opor-

oportet cõsumi tẽpus, & nõ solùm instãs nostrum in tali motu: quia vbi est successio, ibi necessario consumetur prædictum tempus.

Confirm. 1. 158. Confirmatur. Quia motus discretus est à loco in locum, discreto tamen modo, & ita vt existentia in vtroque loco, cum certo quodã modo se habendi circa vtrunque, spectet ad motum istum: ergo Angelus nequibit in instanti motu isto moueri. Antecedens quoad primam partem patet. Quia aliàs ille non esset motus localis: quia hic est à termino positiuo in terminum positiuum, sicut alij motus, ac proinde à loco in locum. Quoad secundam verò partem idem antecedens suadetur. Quia alioqui non esset motus discretus. Quoad tertiam etiã constat. Quia transitus à loco in locum idem est, ac cõmutatio vnius loci pro alio: hoc autem necessariò inuoluit vtrũque locum, necnon & quòd mobile sit (vt in sequenti confirmatione magis explicabitur) sub vtroque, & sub certo modo se habendi ad illa loca, vt suprà dicebamus, & in hoc dubio §. 2. magis dicemus. Consequentia verò probatur. Quia hęc commutatio petit intrinsecè successionem duorum instantium, in quorum primo sit in loco habente rationem termini *à quo*, & in secundo in termino *ad quem*. Tũ, quia alioqui non esset discreta commutatio, & de genere fluentium. Tum etiam. Quia aliàs mobile moueretur localiter motu discreto à loco in locum, & cum hoc staret, quod esset simul in vtroque loco.

Confirm. 2. Confirmatur secundò, & explicatur. Nã in hoc distinguitur motus localis Angelicus à simplici mutatione eiusdem Angeli, quòd ista est à termino priuatiuo, vel negatiuo ad positiuum, ille verò à termino positiuo in positiuum, scilicet, ab vno loco in alium: ergo sicut ad simplicem mutationem intrinsecè pertinet derelictio priuatiua termini *à quo*, ideſt, non esse in illo cum positiua acquisitione termini *ad quem*, ideſt, esse tunc primò in illo: sic motus dicet, tanquam quid sibi intrinsecum, positiuam derelictionem termini positiui: ergo dicet, quòd per vltimum *esse* derelinquat terminum *à quo*, ita vt tunc vltimò sit in illo, & immediatè pòst non sit in eo. Quia positiua derelictio termini *à quo*, vt distincta à negatiua, nõ potest aliter explicari, sicut nec acquisitio positiua alicuius termini nequit aliter exponi, nisi per hoc, quòd tunc sit positiua acquisitio prædicti termini *ad quem*: ergo cùm hæc positiua derelictio nequeat esse simul cũ positiua acquisitione termini *ad quem*, seu noui loci, alioqui mobile esset simul in vtroque termino, oportet, vt sit successiuè pòst illam.

Notabile pro confirmat. 3. 159. Confirmatur tertiò, & explicatur, supponẽdo, quòd mobile, vt mouetur motu cõtinuo, quantũuis eleuato, & mobile, vt mouetur motu discreto, in aliquo conueniũt, & in aliquo differunt. Conueniunt quidẽ: quia in vtroque motu debet, dũ mouetur, vel saltẽ incipit moueri, esse in termino *à quo*: tum, quia hoc petit cõmutatio vnius loci pro alio: tum etiã, quia (vt iam dicimus) mobile motu continuo dum incipit moueri, ita vt detur aliqua pars sui motus, est in termino *à quo*, iuxta modum prædicti motus, scilicet, partim in illo, & partim in termino *ad quem*: & per cõsequens mobile motu discreto erit etiã iuxta modũ suum in termino *à quo*, dum datur prima pars sui motus discreti. Differunt autẽ, quòd mobile motu cõtinuo, dũ incipit moueri, ita vt reuerà detur motus, est (vt nũc dicebamus) partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*: quia mouetur per partes, & tantum acquirit de vno, quantũ relinquit de alio: & sicut per partes acquirit, ita per partes desinit locum, ac proinde est partim in termino *à quo*. Cæterum mobile, vt mouetur motu discreto, dum incipit moueri, seu dum reuera est partialis motus, tunc est solùm in termino *à quo* per vltimum sui *esse* ibidem (quãuis tunc certo modo se habeat ad prædictum terminũ, ratione cuius, licèt non acquirat tunc alium terminum, dicitur initiatiuè moueri, seu dari partem motus, vt statim explicabitur.) Et ratio est: tũ, quia cùm ille motus sit discretus, & discreto modo fiat, ita fit, vt dum mobile est in termino *à quo*, non sit partim in illo, & partim in termino *ad quẽ*, sed solùm in termino *à quo* per vltimum *esse* in illo, in quo inuoluitur certus ille modus nuper dictus. Tum etiam. Quia (vt nuper asserebamus) terminus *ad quem* indiuisibiliter, ideſt totus simul acquiritur per hunc motum: & ita nequit mobile, vt per illum mouetur, esse partim in termino *ad quẽ*, & partim in termino *à quo*: ideoque, si semel petit iuxta modum suum esse in termino *à quo*, ita vt dum sic est in eo, incipiat aliqua pars prædicti motus, vereque talis pars in eo detur, oportet, vt solùm sit in prædicto termino *à quo*, & tunc nondum sit acquisitio termini *ad quem*: alioqui (vt sæpè diximus) daretur cõmutatio vnius loci pro alio in hoc motu, & tamen mobile esset in vtroque loco, *à quo*, & *ad quem*.

Ex prædictis confirm. 3. deducitur. 160. Hinc ergo sequens confirmatio deducitur. Nam mobile motu discreto incipit moueri, ita vt reuerà detur prima pars sui motus, dum est in termino *à quo* per vltimũ sui *esse* in illo, seu in illo *nunc*, in quo verificatur, prædictum mobile esse vltimò in termino *à quo*, & immediatè pòst non fore in illo; & non qualitercunque, sed ita vt in prædicto *nunc* nondum acquisierit terminum *ad quem*, ne simul detur cõmutatio vnius loci pro alio, & mobile sit in vtroque loco, *à quo*, & *ad quem*. Ergo ad hoc, vt detur integra &

actu-

adæquata ratio prædicti motus discreti, debet immediatè post dari aliud instans temporis discreti Angelici, in quo simul terminus *ad quem* acquiratur per primum sui *esse*. Ergo ibidem necessariò dabitur successio horum duorum instantium, in quibus, vt sibi sic succedentibus, ratio motus discreti sit a est: & per consequens consumetur necessariò in eo motu aliquod tẽpus. Vtraque consequentia ex antecedenti satis deducitur. Et antecedens quoad secundã partem ex probatione in eodem inclusa etiam liquet. Quoad primam verò ex his, quæ nuper supposuimus, & probauimus, satis constat: & insuper ex eo, quòd prædictus motus habet se veluti (vt sic dicamus) ad modum quantitatis discretæ, & permanentis, in qua prima vnitas est pars numeri, licèt in hac quantitate discreta, & permanenti vtraque vnitas possit esse simul, secùs in motu discreto, qui est de genere fluentium, & propterea necessario petit tempus.

Confirmatur vltimo. Confirmatur tandem. Quia licèt indiuisibile additum indiuisibili non faciat maius in quantitate continua, benè tamẽ in discreta, *N. Compl.* vt N. Complutenses in libr. Physicorũ disp. 26. n. 25. docent: ergo cùm motus discretus Angeli habeat se ad instar quantitatis discretæ fluentis, vnum indiuisibile illius additum alteri faciet maius modo dicto: & perconsequẽs cùm maioritas ista sit maioritas successionis, quia vnum indiuisibile iuxta dicta debet succedere alteri, oportet, vt faciat tẽpus: ac proinde quòd necessariò debeat in tali motu consumi tempus. Antecedens est perspicuum, & ex alibi dictis constat: quia indiuisibile quantitatis continuæ tangit secundùm se totum aliud indiuisibile, & ita non crescit magnitudo: sicut non cresceret ędificium lapidibus, qui se secundùm se totos tãgerent, atque adeò vnus esset penetratus secundùm se totum cum alio. At in quantitate, aut quasi quantitate discreta, & fluenti vnum indiuisibile nõ est quando aliud, sed immediatè pòst: & ita possunt facere successionem, & per consequens maius.

§. II. *Opposita sententia, fundamentum illius, vnâ cum enodatione eiusdem.*

Contraria opinio, & eius fundamentum. *Scotus. Rada. Gregor. Gabriel. Maior. Suarez. Molina. Becanus.*

161. CONtrariam tamen sententiam, nẽpe, motum discretum posse fieri in instãti, tuentur Scotus, Rada, Gregorius, Gabriel, Maior, Suarez, Molina, Becanus, & alij dubio precedenti pro sententia oppositа adducti. Fundamentum autem illius vnicum, & potissimũ est. Quia motus iste discretus precisè consistit in acquisitione termini, *ad quẽ*, ergo fiet in instanti. Cõsequentia patet. Quia hæc acquisitio est tota simul, ex eo quòd est termini, vt totus simul acquiritur. Antecedens autem probatur. Tum quia dum Angelus est in termino *à quo*, nondũ mouetur: quia non mutat tunc locũ, & nequit motus localis dari, dum mobile non mutat locum: ex eo quod motus iste nequit esse, cùm mobile aliter se habeat nunc, quàm priùs in ordine ad locum. Tum etiam. Quia iuxta doctrinã D. Thomæ dubio sequenti tradendam, Angelus quiescit in tali termino, etiam in instanti terminatiuo temporis, in quo fuit in eo: quoniam (vt ibidem dicemus) quiescens aliquo tempore, v. g. horæ, quiescit etiam in instanti terminatiuo illius: ergo tunc non mouetur præcisè in instanti acquisitiuo noui loci: alioquì simul moueretur, & quiesceret, quod repugnat.

Cõfirmatio Confirmatur. Quoniam inter illa duo instantia nihil datur medium, quo prædicta instantia vniantur: ergo si Angelus mouetur, debet vel in primo, vel secundo instanti, aut in vtroque moueri: ergo cùm non in primo, propter rationem nunc dictam, nec in vtroque simul, siue collectiuè, siquidem prædicta instantia non sunt simul: fit inde, vt solùm mouetur in secundo instanti.

Soluitur. 162. Respondetur, negando antecedens. Quoniam (vt ex dictis cõstat) Angelicus ille motus mensuratur vtroque instanti, nempe eo, in quo per vltimum *esse* suæ præsentiæ est in termino *à quo*, & illo, in quo per primum *esse* incipit esse in termino *ad quem*.

Animaduersio pro maiori solutione impugnationum. Vt autem probationes eiusdem antecedẽtis maneant solutæ, animaduertendum est, quòd illa desitio per vltimum *esse* præsentiæ Angelicæ in termino *à quo*, & instans, per quod mẽsuratur, possunt sumi dupliciter: scilicet, vel secundùm se, & absolutè; vel vt dicunt ordinem potentialitatis, & viæ ad præsentiam in termino *ad quem* immediatè ponendam, necnon ad instans immediatè subsequendum: ita vt ex illa desitione vnius præsentiæ, & acquisitione alterius, tanquam ex duplici parte, aut quasi parte resultet vnus & idem motus: & ex illo duplici instanti, quorũ vnum immediatè succedat alteri, coalescat aliquod tempus, quippe quod sitũ est in hoc, quòd sit numerus motus secundùm priùs, & posterius. Nõ secùs (proportione tamen seruata) ac in quantitate permanenti discreta quæuis vnitas potest accipi duobus modis, scilicet, vel secundùm se, & absolutè, seu vt non dicit ordinem numerabilitatis ad aliam vnitatem, vel prout dicit prædictum ordinẽ.

Vnde, licèt Angelus, dum est in illo instanti in termino *à quo*, & desinit præsentia eius in illo per vltimum *esse*, non incipiat moueri, sumpta desitione præsentiæ illius secundùm se, & absolutè, bene tamen accepta, vt dicit prædictum ordinem potentialitatis, & viæ, ac compartis, siue quasi compartis in ordine ad acquisitionem nouæ præsentiæ in nouo loco. Et similiter quamuis illud instans secundũ se, & absolutè sumptũ nõ sit actu pars tempo-

temporis Angelici discreti, secùs tamẽ, vt dicit ordinem potentialitatis, & viæ ad instans aliud immediatè subsequendum, tãquam ad compartem eius, per quod complendum est, cum quoque tempus discretum componit: ita tamen, vt tunc detur initiatiuè tempus Angelicum discretum, non verò tempus ipsum, sed solùm pars temporis: ex eo quòd prædictum tempus coalescit ex vtroque instanti importato in recto, & habente ordinẽ immediatæ successionis vnius post aliud, nõ verò ex vno dumtaxat in recto, & alio in obliquo, qualiter consideratur, vt est initium, & pars temporis. Et similiter dum Angelus in eo instanti est in termino *à quo*, tũc datur motus eius initiatiuè, nõ tamen motus ipse, sed pars motus: quemadmodum, proportionæ seruata, in quantitate permanenti data vnica dumtaxat vnitate, vt dicit ordinem numerabilitatis ad aliam, datur quantitas permanẽs initiatiuè, hoc est pars prædictæ quãtitatis, non tamen quantitas ipsa discreta, & permanens: nam hæc cõsistit in vtraque vnitate in recto importata.

Primæ probationi fit satis

163. Hinc ergo prædictæ probationes eiusdem antecedẽtis manẽt solutæ. Nam ad primam dicendum est, quòd ad hoc, vt Angelus tunc moueatur initiatiuè, seu detur tũc pars motus discreti, non est necesse Angelũ in eo instanti, in quo datur desitio per vltimum *esse* suæ præsentiæ localis in termino *à quo*, mutare locum, aut quòd aliter se habeat tunc, quàm priùs, per acquisitionem completam termini *ad quem*, seu alterius loci, sed satis esse, quòd ei competat præsentia in vno loco cum ordine ad præsentiam in alio immediatè succedentem: nam eo ipso datur, non quidẽ integra ratio motus, sed pars motus: & similiter eo ipso initiatiuè, & vialiter reperitur ibi acquisitio termini *ad quem*, & quòd initiatiuè aliter se habeat in ordine ad nouum locum: quia illa acquisitio initiatiuè sumpta, illudque *aliter se habere* in ordine ad nouum locum incipit, dum datur prior illa pars motus: sicut incipit quantitas permanẽs dum datur prima pars illius, scilicet vnica vnitas cum prædicto ordine.

Ad secundã

Et similiter ad secundam probationẽ eiusdem antecedentis satis constat. Nã iuxta doctrinam D. Thomæ dubio sequenti tradendã cùm dicitur, quòd quiescens per horã, debet in instanti terminatiuo quiescere, acproinde non moueri, reddit hunc sensum inter alios (de quibus infrà dubio sequẽti) nẽpe, quòd motus sumptus pro completa, & actuali acquisitione alterius loci, seu vt dicit integrã, & formalẽ rationem ipsius motus discreti, nequit dari in eo instãti terminatiuo quietis, sed necessariò debet esse in tempore: acproinde quod eius mensura debet coalescere ex duplici illo instanti in recto sumpto, & vt vnũ immediatè succedit post aliud, non tamen quòd motus initiatiuè sumptus, & nõ qualitercũque initiatiuè, sed prout ly *initiatiuè* dicit partẽ motus, licet nõ motũ ipsum, nequeat dari in eo instãti. Nã de solo illo motu priori modo sũpto erat dissidiũ inter Angelicũ Doctorẽ, & Authores, cõtra quos doctrinã illã statuit.

164 Et meritò sanè philosophamur sic cum Angelico Præceptore circa motũ discretum Angeli. Nam motus iste habet, tũ quòd sit (vt sic dicamus) ad modum quantitatis: tum ad modũ, non quidẽ quantitatis continuæ, sed discretæ: tum denique, non ad modũ cuiusuis quantitatis discretæ, scilicet permanentis, sed ad modũ successiuæ. Quoniam ex primo capite, scilicet ex hoc, quòd se habeat ad modũ quantitatis, potest habere, quòd nõ consistat in vnico dumtaxat indiuisibili, & quòd eius mensura non sit vnũ tantummodò instans, sed tempus: sicut ex secũdo capite, nẽpe ex eo, quòd non sit ad modũ quantitatis continuæ. sed discretæ, cõpetunt ei tria: primum, quòd quæuis pars illius motus non sit motus, vt in motu continuo, & quantitate cõtinua contingit, secùs tamẽ in quantitate discreta. Secundũ, quòd coalescat ex vnitatibus indiuisibilibus. Tertium, quòd partes illius non sint continuę termino cõmuni, scilicet aliquo indiuisibili, vt in quantitate continua contingit, adhoc vt constituant vnicũ dumtaxat, & modo dicto motum discretũ, sed sufficiat ordo immediatæ successionis inter desitionem per vltimum *esse* vnius præsentię in termino *à quo*, & acquisitionẽ alterius præsentiæ in termino *ad quẽ*, ita vt ex vi vnius, vt ita desinentis, petatur necessariò alia, vt immediatè succedens, adhoc vt ille motus sit à loco in locum, seu adhoc vt mobile cõmutet vnum locum pro alio, acproinde (vt ex dictis liquet) ad hoc vt deserat vnũ locum per vltimum *esse* præsentiæ in illo, & acquirat alterũ per primũ *esse* alterius præsẽtiæ in ipso: quod quidem ad rationem cõmutationis prædictæ desideratur. Et tandẽ ex tertio capite, nimirũ ex eo, quòd non est ad modum qualiscumque quantitatis, scilicet permanẽtis, sed successiuæ, oritur, quòd licèt eius partes sint indiuisibiles quædã vnitates, non tamẽ simul sine permanenter dentur, sed successiuè, ita vt sit ordo prioris, & posterioris secundũ successionem in ipsis: acproinde quòd licèt quæuis ex illis sigillatim sumpta, quamuis cum ordine ad aliam, mensuretur vnico instanti, attamen vtraque simul, & in recto importata mensuretur duplici instanti, quorum vnum immediatè succedat alteri, & ex vtroque coalescat tempus discretum.

165 Cùm autem in hac solutione dicimus, debere dari ad prædictum motum desitionem, non quidem per primũ non *esse*, sed per vltimum *esse* vnius præsentiæ, & acquisitionem

tionem alterius, tunc nomine *alterius præſentiæ* nolumus decidere, præſentiam ſubſequẽtem eſſe alteram cum reali diſtinctione ſuæ (vt ſic dicamus) entitatis à præexiſtente; ſed debere eſſe ſaltem alteram quoad exercitium muneris extenſionis, quod exercet reſpectu loci. Nam vtrùm ſint illæ præſentiæ priori modo diſtinctæ? & an ſemper, vel aliquando id habeant, vt v.g. cùm Angelus eſt ſimul præſens toti ſuo loco adæquato, & inde relicto loco ad alium mouetur? ſatis ex dictis in hac; & præcedenti diſputatione liquet.

Fnodatio confirmationis. Ex quo ad confirmationem patet, quo modo Angelus in primo inſtanti incipiat moueri, non quia detur tunc motus, ſed ſola pars illius: & quo modo in vtroque inſtanti moueatur. Nec contra hoc obeſt, quòd illa inſtantia non ſint ſimul ſimultate quantitatis diſcretæ, & permanentis: quia ſatis eſt eſſe (vtſic dicamus) ſimul ſimultate quantitatis, ſeu quaſi quantitatis ſucceſsiuæ, ſiue ſimultate immediationis, ita vt vnum immediatè ſuccedat alteri: & ita hoc ſufficiet ad hoc, vt Angelus dicatur moueri in vtroque ſimul: quia etiam ipſimet motus habent partes indiuiſibiles, quarum vna ſuccedit alteri.

Adde, poſſe dici prædicta inſtantia eſſe ſimul conſideratione metaphyſica, quatenus quidditas temporis conſideratur integrari ex illis duobus inſtãtibus ſimul modo dicto cõcurrentibus, vt partibus totius ſucceſsiui.

166 Quæ omnia poſſunt explicari exemplo orationis de prædicamento quanti tatis, quæ eſt vera ſpecies contenta ſub prædicto prædicamento, in quaque partes illius, non eſt neceſſe, vt habeant rationem orationis, benè tamen compoſitum ex illis coaleſcens, & eaſdem ſimul ſumptas per ſimultatem iam dictam importans. Sicut etiam in *N. Compl.* prædicta oratione quæuis illius ſyllaba, habens (modo à N. Complutenſibus in ſua Logica diſput. 13. n. 96. explicato) rationem partis reſpectu eiuſdem orationis, poteſt conſiderari, vel ſecundùm ſe, & abſolutè, vel vt dicit ſpecialem ordinem ad aliam ſyllabam immediatè ſuccedentem: & ſecundùm priorem conſiderationem non habet rationem partis orationis; benè tamen ſecundùm poſteriorem, ſecundùm quam dicit in recto ſe ipſam, & in obliquo aliam compartem. Et propterea in ſecunda ſyllaba ſic ſumpta datur oratio initiatiuè, & in omnibus ſyllabis, ex quibus vna componitur oratio, ſi ſumantur ſimul ſimultate iam dicta, & in recto, ſaluatur ratio formalis, & integra orationis. Quæ omnia ſunt adeò vera, & certa in doctrina Ariſtotelis, & D. Thomæ, iuxta ea, quæ N. Cõplutenſes loco citato demente vtriuſque tradunt, vt niſi ratio orationis de prædicamento quantitatis ſic explicetur, nequeat ſaluari, quomodo ſit vera ſpecies quantitatis: quod tamen, vt N. Complutenſes probant, omninò ſaluandum eſt.

DVBIVM IX.

Vtrùm ratione D. Thomæ, art. 3. huius quæſtionis adducta, ſufficienter probetur, motum localem Angeli non poſſe fieri in inſtanti noſtri temporis, ſed debere exerceri in tempore?

167 POſtquam explicuimus, nec motũ localẽ Angeli continuũ, nec diſcretũ eiuſdẽ poſſe fieri in inſtanti noſtri tẽporis, per quod aſſertio præcipua D. Th. in art. 3. huius q. manet elucidata: reſtat, vt diſcutiamus an ratio, quã in eodẽ articulo vtrũq; probat, ſit efficax? Et ideò ad hoc examinãdũ præſens dubiũ excitamus. Titulus autẽ illius de omni motu locali, ſiue continuo, ſiue diſcreto intelligendus eſt. Maioris tamẽ claritatis gratia in hoc dubio circa motum continuum ſermo præcipuè fiet. Si quid autem circa motum diſcretum peculiare fuerit, id ipſum peculiariter in hoc eodem dubio explicabitur.

§. *I. Deciſio dubij.*

168 DIcẽdũ ergo eſt, rationẽ D. Th. in art. 3. huius q. adhibitã, eſſe ſatis efficacẽ ad intentũ S. Doctoris, ſcilicet, motũ localẽ non poſſe fieri in inſtanti. Ita diſcipuli D. Th. & alij Theologi, quos duobus dubijs præcedentibus retulimus. Aſſertio hæc nõ aliter meliùs ſuadebitur, quã rationẽ D. Th. adducẽdo, quæ quidẽ ſub forma iſta poteſt proponi. Nã de ratione quietis eſt, vt quieſcens ſe habeat eodem modo nunc, quã prius: ergo etiã ſpectabit ad rationẽ quietis, quòd quieſcens toto tẽpore hõrę nõ aliter ſe habeat in vltimo inſtanti talis horæ, ſed eodem modo, ac priùs: ergo nequibit Angelus in inſtanti moueri localiter.

Aſſertio.

Ratio. D. Thomæ.

Antecedens ſupponitur à D. Th. vt omninò perſpicuum. Quoniã quies, iuxta doctrinam Ariſtotelis 6. Phyſicorũ c. 3. textu 32. diffinitur per hoc, quòd quieſcens eodem modo ſe habet nunc, & priùs. Poteſtque explicari exemplo motus localis ex diametro oppoſiti quieti (vt ſic dicamus) locali. Nam ſicut de ratione motus localis, & ſimiliter cuiuſuis alterius motus eſt, quòd id, quod mouetur, aliter ſe habeat nunc, quàm priùs: ita etiam de ratione quietis erit, quòd quieſcens non ſe habeat aliter nunc, quàm priùs.

Ariſtotel.

169 Prima verò consequentia probatur. Tum, quia si quiescens toto tempore horæ, non quiesceret etiam in vltimo instanti terminatiuo illius horæ, ac proinde in eodē instanti non verificatur de illo, non se aliter habere, ac priùs, tunc non quieuisset toto tempore horæ, vt supponitur: quia cùm post quodcumque instans signatum ante vltimum restet tempus illius horæ, si in vltimo instanti non verificetur quiescere, ac proinde si se aliter habuit tunc, quàm priùs, nequibit verificari quieuisse toto tempore illius horæ. Tum etiam. Quia id exigit proportio, quæ debet esse inter motum, & quietem. Nam si de eo, quod mouetur toto aliquo tempore, v. g. vnius horæ, debet in vltimo instanti terminatiuo eiusdem horæ verificari, quòd aliter se habeat, ac priùs: alioqui (vt ex modò dictis constat) nequiret verificari de mobili respectu totius temporis horæ ratio illa petita ab eo, quod mouetur, nempe, quòd aliter se habeat nunc, quàm priùs: ita erit et am de ratione quiescentis toto tempore horæ, quod quiescens toto illo tempore: & per consequens non se habens in toto illo aliter nunc, quàm priùs, quiescat etiam, & non aliter se habeat in vltimo instanti terminatiuo eiusdem horæ.

Ex quo etiam secunda consequentia satis liquet. Quia si Angelus moueretur localiter in instanti, non verò in tempore, tunc posset quiescere toto tempore antecedenti ad motum v. g. vnius horæ, & in vltimo instanti terminatiuo eiusdem horæ moueri: sicque nō esset verum id, quod in consequenti primæ consequentiæ continetur, nimirum, quòd quiescens toto tempore vnius horæ, debet in vltimo instanti terminatiuo eiusdem horæ quiescere.

Confirmatio prima.

170 Confirmatur primò ratione desumpta ex eodem D. Thoma in prædicto articulo 3. huiusq. Quoniam mutationes instantaneæ, & non requirentes tempus, ad hoc vt executioni mandentur, sunt termini alicuius alterius motus: at motus localis Angelicus nequit esse terminus alicuius alterius motus: ergo nequibit esse mutatio instantanea, quæ in instanti perficitur, sed in ipsius executione debet aliquod tempus consumi.

Secunda.

Confirmatur secundò ratione, quam innuit in eodem articulo idem S. Doctor. Tum, quia quies priuatiua nequit esse in instanti, vt §. sequenti dicetur: & ita si Angelus localiter moueretur per horam vsque ad vltimum instans exclusiuè, non quiesceret priuatiuè in illo instanti, quia non se haberet eodem modo, ac anteà: ergo eadem ratione motus ei oppositus nequibit compleri in instanti: & per consequens quiescens per prædictam quietem debebit in eodem instanti quiescere quiete negatiua terminante prædictam quietem priuatiuam. Tum etiam. Quia de ratione quietis est, quòd quiescens eodem modo se habeat in omnibus instantibus illius horæ: & ita quiescens per horam, debet eodem modo se habere: & per consequens prædicta quies debet modo dicto esse terminata.

Tertia.

171 Confirmatur tertiò ratione insinuata ab eodem S. Doctore in prædicto articulo. Quoniam quies priuatiua necessariò est in tempore, & ita debet etiam terminari extrinsecè per quietē negatiuam: ergo quiescens in aliquo loco per totum illud tempus eodem modo se habebit circa locum, tam in toto tempore, quàm in vltimo instanti terminatiuo eiusdem: ergo nequibit in instanti moueri, sed in tempore. Vtraque consequentia videtur perspicua. Nam si quiescens in loco non moueretur toto illo tempore, nec in instanti terminatiuo illius, eodem modo circa locum etiam in vltimo instanti se habebit. Antecedens autem quoad primam partem constabit ex dicendis §. sequenti. Quoad secundam verò partē etiam liquet. Quia sicut motus, quia est in tempore, debet habere terminum indiuisibilem extrinsecum, nempe *mutatum esse*: ita quies priuatiua, quia est in tempore, debet terminari aliquo termino intrinseco, scilicet quiete negatiua: tum, quia hæc est proportionatus terminus illius: tum etiam, quia prædictus terminus extrinsecus nequit esse aliquis motus, cùm quies nō dicat tendentiam ad motum, ex eo quòd hoc est contra naturam suæ vniformitatis: quin potiùs quies habet se vt terminus *ad quem* motus localis: & ita quies negatiua dicens non motum, debebit esse terminus quietis priuatiuæ. Tū deindē. Quia peculiari ratione hoc est verum in quiete opposita motui locali (de qua in præsenti.) Nā quiescens in loco quiete priuatiua nihil acquirit intrinsecè pertinens ad locum acquirendum: & ita terminus eius extrinsecus nequit esse motus ad talem locum.

Vltima.

Tum denique, Quoniam alioqui quies haberet (vt sic dicamus) pro termino *à quo*, aut *ad quem* motum aliquem, vt ex se constat: & ita aut non daretur primum *esse* in loco, aut vltimum *esse* in illo: quod est contra Aristotelem, & contra dicta dubio præcedenti circa motum discretum. Si enim datur primum *esse* in loco, & in illo primo non datur quies priuatiua, quippequæ solùm potest esse in tempore: planè fit, inter motum præcedentem, qui tunc non est, & inter quietem priuatiuam in tempore sequenti subsequēdam, debere mediare illud negatiuum, nempe *non moueri*, siue quies negatiua, hoc enim ad primum *esse* in illo loco desideratur. Et similiter si datur vltimum *esse* in loco, fit, vt inter quietem priuatiuam, quę non potest

esse

eſſe in illo vltimo *eſſe*, & motu ſubſecutum debeat etiam mediare illud negatiuum, nimirum *non moueri*, ſeu quies illa negatiua: alioqui non daretur tunc vltimum *eſſe* in illo loco. Ex quo etiam fiet, quietem priuatiuam debere terminari per quietem negatiuam: quieſcenſque per illam priorem quietem toto tempore præcedenti, debere etiam quieſcere, ideſt, non moueri in vltimo inſtanti terminatiuo illius temporis.

§. II. *Oppoſita ſententia, & argumenta pro ea.*

Contraria ſententia. *Molina. Suarez.*

172 CÆterùm nec ratio iſta Angelici Præceptoris, nec eius confirmationes placent Molinæ, Suarez, & alijs dubio præcedenti pro contraria ſententia adductis: & ideò cõtrarium opinantes, plura tam contra rationem, quàm confirmationes ex D. Thoma deſumptas adducunt. Et in primis cõtra rationẽ obijciunt, quòd ex antecedenti illius, nẽpe, ex diffinitione quietis conſiſtentis in hoc, quòd quieſcere eſt eodem modo ſe habere nunc ac priùs, non colligitur, eodẽ modo ſe habere in inſtãti ſuccedẽti, vel ſucceſſuro, ſcilicet in inſtãti, quod eſt terminus temporis menſurantis quietẽ, ſed ſolùm quòd quieſcens debet ſe habere eodem modo in *nunc* præſenti, & in antecedenti: & ita benè poterit in inſtanti terminatiuo illius horæ moueri.

Fundamentum primũ.

Confirmatur. Quia adhuc nõ eſt vniuerſaliter verum, quòd quieſcens debet ſe eodẽ modo habere nunc ac priùs. Nam ſi aliquod mobile moueretur per vnam horam, & per aliam quieſcat, tunc in primo inſtanti ſecundæ horæ quieſceret: & tamen non eodem modo ſe haberet, ac priùs: ſiquidem tunc quieſcit, & anteà mouebatur, vel erat ſub *mutato eſſe* vltimo prioris motus, ſub quo tamen in inſtanti illo quietis non eſt. Ergo non eſt de ratione quietis, vt quieſcens habeat ſe eodem modo, ac priùs.

Confirmatur.

Secundum fundamentum.

178 Secundò contra probationem eiuſdem antecedentis inſurgunt, quòd potiùs ex eo, quod contingit in motu ex diametro oppoſito quieti, debet colligi, quòd quieſcens toto tempore vnius horæ, non oportet, vt quieſcat in inſtanti terminatiuo illius, ac proinde nec quòd eodem modo ſe habeat, ac priùs: ſiquidem quod moueretur toto illo tempore, non haberet moueri in inſtanti terminatiuo illius horæ, ex eo quòd motus ille deſinit per primũ nõ *eſſe* in prædicto inſtanti,

Tertium.

174 Tertiò contra id, quod continetur in conſequenti primæ conſequentiæ, necnon contra probationem priorem eiuſdem primæ conſequentiæ (in cuius conſequenti dicitur, quòd niſi id, quod quieſcit toto tempore vnius horæ, quieſcat etiam in vltimo inſtanti terminatiuo illius, non verificabitur, quieuiſſe toto illo tempore in aliquo inſtãti eiuſdem horæ: ex eo, quòd poſt quodlibet inſtãs ſignatum, præter vltimum, reſtat aliquid temporis ſpectãs ad illam horam) obijci poteſt, quòd ſi hæc probatio eſſet efficax, conuinceret vtique, nullam mutationem, etiam puræ, & ſimplicis intellectionis, poſſe in Angelo perfici in inſtanti, ſed quamuis intellectionem denuò incipientem debere eſſe in tempore. Quoniam hoc ipſo, quòd Angelus denuò incipiat intelligere aliquod obiectum, non intelligebat illud tempore antecedenti, v. g. dimidiæ, aut vnius horæ: ac proinde toto iſto tempore antecedenti quieſcebat à prædicta intellectione: & ita non poſſet in vltimo inſtanti prædictæ horæ elicere illam, & moueri, ſiue mutari mediante ipſa: ne toto tẽpore horę quieſcat ab illo motu, aut qua ſi motu intellectionis, & in vltimo inſtanti habeat medio illo moueri: & ne deſinat verificari de prædicto Angelo id, quod ſupponitur, nempe, quòd toto tempore horæ quieſcit à prædicta intellectione.

Quartum.

175 Quartò contra ſecundã probationẽ eiuſdẽ primę conſequẽtię, in qua ex paritate motus habẽtis vltimũ terminatiuũ, ſeu *mutatũ eſſe* infertur, quòd quieſcens per horam debet etiã habere ſuum vltimũ terminatiuum in prędicta quiete, correſpondens inſtãti terminatiuo eiuſdem horæ, obijci poteſt. Tum, quòd non obſtante proportione, & oppoſitione, quę eſt ex diametro inter motũ, & quietẽ, nihilominùs motus menſurari poteſt tempore, licèt id non ſit neceſſarium: & tamen quies Angelica debet neceſſariò menſurari per inſtans tẽporis diſcreti: quia cũ quies cũ omnimoda vniformitate duret, oportet, vt vnico & eodem inſtanti Angelico menſuretur. Ergo eadem ratione poterit motus per horam habere ſuum vltimum terminatiuũ: non tamen quies durans per coexiſtentiam ad horam: ac proinde quieſcens per horam non erit neceſſarium, quòd quieſcat in vltimo inſtanti, ſed in illo poterit moueri.

Adde, quòd multoties mobile non habet in ſuo motu vltimo terminatiuum, vt contingit in motu alterationis durante vſque ad introductionem formæ ſubſtantialis v. g. ignis. Nam alteratio, & calefactio iſta per accidens manet ſine vltimo terminatiuo: ex eo quòd, dum terminanda erat per illud, introducitur forma ſubſtantialis ignis iuxta ea, quæ N. Complutenſes in lib. Phyſicorum diſput. 26. num. 25. docent. Ergo eadem ratione poterit, ſaltem per accidens, de eſſe quieti Angeli per horam in aliquo loco vltimum terminatiuum illius, correſpondens inſtanti vltimo terminatiuo horæ: ex eo quòd Angelus pro ſuo beneplacito, quod accidentaliter ei cõpetit, vellet ibi quieſcere

per totum tempus vnius horæ; non verò per instans terminatiuum illius.

Confirmatio. Possuntque plures ex præcedentibus impugnationibus confirmari ex eo, quòd si Angelus sit in aliqua parte sui loci adæquati per horam, potest moueri in vltimo instanti terminatiuo illius ad acquirendas alias partes, non relinquendo tamen priorem illam partem eiusdem loci adæquati, vt communiter docent Theologi: & ad hoc nihil obest ratio facta, aut aliqua illius probatio: ergo eadem ratione, licèt quiescat per horam in prædicta parte, poterit in vltimo instanti terminatiuo horæ relinquere prædictam partem spatij adæquati, & moueri localiter ad aliam partem: & contra hoc nihil oberit ratio facta, aut probationes illius: ac proinde prædicta ratio nullius erit roboris,

Quintum ex Scoto. 176 Quintò contra eandem rationem obijcitur ex Scoto, quòd saltem non conuincit intentum quoad motum discretum Angeli; quin potiùs ex ea videtur sequi, prædictum motum nunquam posse incipere. Nam si inceptio illius esset possibilis, inciperet vtique in instanti, ex eo quòd per motum istum acquiritur locus totus simul, atque adeò instantaneè: at instantaneè incipere non potest, si ratio D. Thomæ est efficax: quia eo ipso toto tempore antecedenti quiesceret Angelus, & in vltimo instanti terminatiuo illius inciperet moueri, ac proinde in eodem non quiesceret. Ergo, &c.

Solutio. 177 Nec obest, si occurras motum hunc incipere in instanti tẽporis discreti, & Angelici: ad quod non est necessarium, vt præcedat tempus Angelicum mensurans quietem Angeli, & terminatum per prædictum instans.

Euertitur. Nam contra hoc est, quòd illi instanti temporis discreti debet correspondere in nostro tẽpore aliquod instans, & quieti antecedenti aliquod tẽpus, hoc ipso quòd inceptioni correspõdeat instãs: ergo iam respectu huius motus verificabitur, quòd quiescens toto tempore antecedenti, v. g. vnius horæ, non quiescit in vltimo terminatiuo illius: siquidem in illo incipit moueri per inceptionem, intrinsecam alicuius partis eiusdem motus.

Confirmatur. Confirmatur, & explicatur hæc impugnatio. Quia non potest dari aliquod instans temporis discreti, quin correspondeat secundùm communem legem alicui instanti, vel parti temporis nostri, vt de se constat: ergo vel instans illud discretum mensurans inceptionem motus discreti coexistit vltimo instanti temporis nostri terminatiuo v. g. vnius horæ? Et hoc non: quia oppositum huius videtur intendere ratio ex D. Thoma allata. Vel instanti alteri immediato isti terminanti horam? Et hoc non: quia in tempore nostro non dantur duo instantia immediata. Vel parti temporis succedentis post instans terminatiuum horæ? Et hoc non: alioqui inceptio illa motus non esset tota simul, siquidem fieret in tempore. Aut tandem instanti terminatiuo prædictæ partis temporis? Quod etiam dici nequit, ne sequatur idem inconueniens à D. Thoma in sua ratione intentum, scilicet, quòd aliquid quiescat in aliquo tempore, & in instanti terminatiuo illius non quiescat, sed incipiat per intrinsecam inceptionem alicuius partis sui motus moueri.

Vltimum fundamẽtũ. 178 Vltimò contra eandem rationem, & maximè contra secundam probationem primæ consequentiæ, in qua potior vis eiusdem rationis consistit, obijci potest, quòd etsi gratis detur, rationem hanc, & probationem illius esse alicuius roboris ad suadendum, motum continuum Angeli non posse fieri in instanti, non tamen id conuincit de motu discreto. Nam etsi in motu continuo vnius horæ detur vltimum terminatiuum distinctum à partibus motus, & correspondens vltimo instanti terminatiuo eiusdem horæ, secùs tamen in motu discreto: nam iste constat duobus, vel tribus instantibus, quorum quolibet est pars illius motus: nec in eo datur aliquod terminatiuum distinctum à prædictis partibus, quod correspondeat instanti terminatiuo alicuius certi temporis, sed potest incipere in instanti correspondenti primo instanti v. g. vnius horæ, & solùm durare vsque ad instans terminatiuum eiusdẽ horę exclusiuè.

Et similiter contra primam confirmationem rationis D. Thomæ obijciunt, falsum esse, mutationem instantaneam esse terminum alicuius motus, vt patet in mutationibus intentionalibus, quibus sensus, & noster intellectus immutantur, necnon in conuersione substantiali, qua in corpus Christi conuerteretur panis, si Deus absque ministerio sacerdotis efficeret instantaneè, & per se ipsum solummodò illam conuersionem: tunc enim posset fieri absque aliquo motu, cuius esset terminus illa conuersio, vt de se patet. Et similiter illuminatio medij est mutatio instantanea: & tamen non est terminus alicuius motus, vt constat in illuminatione, qua sol, dum primò creatus est, illuminauit ea, quæ ante illum sunt facta: & in illuminatione facta ab igne in instanti primo suæ generationis. Et deinde generatio substantialis est mutatio instantanea, & tamen non est terminus alicuius motus, sed vera actio substantialis. Constat autem ad actionem non dari actionem, ac proinde nec motum, cuius illa actio sit terminus.

Solutio. 179 Nec satis erit, si dicas, quòd omnes istæ mutationes sunt saltem per accidens termini alicuius motus, & hoc quoad præsens sufficere. Nam contra hoc est. Nam hoc ipso,

Impugnatur ab aduersarijs.

ipſo, quòd ſolùm peraccidens ſint terminus motus, non habent hoc per ſe, vt ex terminis ipſis conſtat: at quòd aliquæ mutationes queant incipere, & perfici in inſtanti, vel tempore, non eſt menſurandum ex eo, quòd ipſis conuenit peraccidens, ſed ex eo, quod illis perſe competit: ac proinde non redditur ſufficiens ratio ad hoc, vt quieſcens à prædictis mutationibus per horam, poſsit in vltimo inſtanti terminatiuo eiuſdem horæ moueri per illas, ex eo quòd ſunt peraccidens termini alicuius motus; ſed potiùs huius ratio debet reddi ex eo, quòd nihil inconuenit, quòd quieſcens per horam à motu, aut mutatione aliqua, poſsit (adhuc per ſe loquendo) moueri, ſiue mutari in vltimo inſtanti terminatiuo illius: & per conſequens hoc ipſum poterit propter paritatem rationis in alijs mutationibus, ſiue motibus contingere. Ex quo etiam fiet, prædictas inſtantias non minùs contra rationem D. T homæ primo loco allatam, quàm contra confirmationem eius procedere.

Obiectio cõtra cõfirmationem.

Tandem contra vltimam confirmationem (ac proinde cõtra ſecũdam ei affinem) quatenus ex eo, quod in vltimo inſtanti temporis menſurantis quietem priuatiuam detur motus, colligitur, prędictam quietem terminari extrinſecè per motum, poteſt ex doctrina aduerſariorum obijci, non benè inferri, motum eſſe terminum extrinſecum quietis priuatiuæ, ex eo quòd hęc ſit in certo aliquo tempore, & in inſtanti terminatiuo menſurante illam detur motus. Quoniam hęc duo ibidem inuenta, ſcilicet motus, & quies, impertinenter ſe habent, ideſt, quòd quies non eſt ibidem cum ordine ad motum, neque etiam motus cum ordine ad quietem.

§. III. *Reſponſiones ad tria priora argumenta aduerſariorum contra præcipuam rationem D. Thomæ.*

Ocurritur primæ obiectioni cõtra rationẽ D. Thom.

180 REſpondetur ad primam ex his obiectionibus, quòd etſi indiffinitione quietis inconcreto ſumptæ non ponatur exprefsè, niſi quòd quieſcere eſt eodẽ modo ſe habere, ac priùs: attamen hinc optimè colligitur, quieſcens per horam debere eodem modo ſe habere in toto tempore illius horæ, & in inſtanti terminatiuo, quod immediatè ſequitur ad totum illud tempus, vt ex probationibus rationis D. T homæ conſtat, & ex dicendis in hoc eodem §. ampliùs patebit.

Necnon & confirmationi.

Ad confirmationem reſpondetur, quietem priuatiuam (de qua intelligitur diffinitio ex Ariſtotele adducta) non poſſe eſſe in inſtanti terminatiuo motus, ſed debere menſurari tempore: ſiquidem dicit habere ſe eodem modo nunc, ac priùs. Cum hoc tamen ſtat, vltimum terminatiuum eius poſſe eſſe in inſtanti, ex eo, quòd terminatur per quietem negatiuam: & ſimiliter quòd hæc quies negatiua datur in vltimo terminatiuo motus, quod quidem importat non motum. Vnde in caſu huius confirmationis in illo inſtãti terminatiuo primi motus non datur hæc quies priuatiua, ſed illud inſtans eſt initiatiuum extrinſecè prædictę quietis per ſecundã horã, quippe quæ incipit per vltimum *nõ eſſe*: & ita illud inſtans neq, eſt inſtans in quo mobile moueatur, aut quieſcat priuatiuè, ſed in quo nõ mouetur, ſeu in quo quieſcit quiete negatiua: quod quidẽ *nõ moueri* debet mediare inter hoc quòd detur aliqua pars motꝰ ſi tũc motꝰ eſſet ſubſequẽdus, vel ſi ſubſequẽda ſit quies priuatiua, tũc oportet, vt mediet inter hoc, quod detur aliqua pars prędictæ quietis: & tũc mobile pro illo inſtanti erit in eodẽ loco, atq, erat in toto tẽpore quietis priuatiuæ, nec aliter quoad locum ſe habebit tunc, ac poſteà.

Enodatur ſecunda.

181 Ad ſecundam obiectionem reſpondetur, negando antecedẽs. Et ad probationem illi adiunctam dicendũ eſt, quòd etſi id, quod mouetur toto tempore horæ, non moueatur in vltimo inſtanti terminatiuo eiuſdem horæ: attamen in illo datur quoddam *mutatum eſſe* terminans prædictum motum, & correſpondens vltimo inſtanti terminatiuo illius horæ. Et ita, vt ſeruetur proportio inter motum, & quietem per horam illi oppoſitam, debet dari aliquid illius quietis, terminans eam quietem priuatiuã, & conſiſtens in quadam quiete negatiua, quæ proinde poſsit correſpondere prædicto inſtanti terminatiuo horæ: quippe quæ non dicit carentiam motus cum aptitudine ad illum (nam hæc non poteſt dari, niſi coexiſtenter ad noſtrum tẽpus) ſed puram, & nudam carentiam, ſiue negationem prædicti motus, cui ſatis congruẽter ad ſuam naturam competit, & correſpondeat prædicto inſtanti terminatiuo horæ.

Explicatur.

Adde (& explicabitur magis hoc ipſum) præcipuam vim prioris probationis primæ conſequentiæ non ſitam eſſe in hoc, quòd id, quod mouetur per horam, debeat moueri in vltimo inſtanti terminatiuo eiuſdem horæ, ſed in hoc, quòd in illo oportet, vt aliter ſe habeat, ac priùs: quamuis tunc non ſit motus, ſed *mutatum eſſe*, eiuſdem motus. Et ita, vt ſeruetur proportio, & oppoſitio ex diametro, quæ eſt inter quietem priuatiuam, & motum, oportet, vt quieſcens per horam eodem modo ſe habeat in vltimo inſtãti terminatiuo horæ, ac priùs; quamuis tunc non detur quies priuatiua, ſed negatiua, correſpondens mutato eſſe motus durantis per horam.

182 Ad tertiam obiectionẽ negandũ eſt, ſequi

ſequi ex ratione D. Thomæ, nullam mutationem, etiam puræ, & ſimplicis intellectionis poſſe in Angelo perfici in inſtanti. Quia prædicta ratio ſolùm intelligitur de quiete oppoſita motui, qui per ſe, & non per accidens, aut ratione alterius eſt inter terminos poſitiuos habentes inter ſe aliquod genus oppoſitionis, aut ſecundùm veram contrarietatem, aut ſecundùm aliquam latitudinem inuoluentem aliquid oppoſitionis poſitiuæ inter prædictos terminos. Et ideò non omnia, quæ dicuntur de quiete, de qua in præſenti, poſſunt, & debent adaptari cuicumque quieti, qualis eſt illa, per quam Angelus quieſcit à pura, & ſimplici intellectione. Et ita in quiete iſta non eſt aliquod inconueniens in hoc, quòd quieſcens per horam, quiete oppoſita mutationi factæ per prædictam intellectionem, moueatur in vltimo inſtanti terminatiuo eiuſdem horæ.

Ex quo etiam ad id, quod in hac eadem obiectione vltimo loco dicitur, nempe, quieſcentem per horam ab intellectione non poſſe (ſi ratio D. Thomæ eſſet efficax) moueri, aut quaſi moueri media intellectione in vltimo inſtanti terminatiuo, ne deſinat verificari id, quod ſupponitur, nempe, quòd toto tempore horæ quieſcit à prædicta intellectione, facilis eſt ſolutio, ſi animaduertatur, quòd quieſcere toto aliquo tempore, v. g. horæ, dicit tempus ipſum terminatum. Cæterum hæc terminatio poteſt eſſe, vel poſitiua, quæ fit per poſitiuum inſtans; vel negatiua, quę fit per hoc, quòd nihil, quod habeat rationem temporis, aut partis illius, reſtet, ſed ad ſummum inſtãs pertinẽs ad eandem horam, tanquam terminatiuum illius.

Etſi ergo id, quod per totam horam ſupponitur quieſcere à pura, & ſimplici intellectione, ideſt intellectione, quæ non ſit virtualiter tranſiens, debeat eodem modo quieſcere in vltimo inſtanti terminatiuo, ſi ſupponatur quieſcere per totam horam poſitiuè terminatam; non tamen eſt neceſſe id ſupponi, ſed ſatis eſt ſupponi, quòd quieſcat per totam horam terminatam negatiuè, & in ſenſu explicato. Et ita poterit moueri, ſiue mutari in vltimo inſtanti terminatiuo eiuſdem horæ: quod tamen è contrà accidit in quietibus priuatiuis oppoſitis motib⁹ verſantibus inter terminos poſitiuos iã dictos, & per cõſequẽs in quiete oppoſita motui locali Angelico, in qua quieſcens per totam horam, debet in vltimo inſtanti illius eodem modo ſe habere, & hora illa, vt menſurans eandem quietem, debet eſſe poſitiuè terminata, vt ita quies illa habeat ex diametro, & modo iam dicto opponi motui locali Angelico.

183 Vnde hinc ſatis conſtat, cur propoſitio illa contenta in ratione D. Thomæ, nempe, quòd quieſcens per horam oportet etiam quieſcere, ſeu eodem modo ſe habere in vltimo inſtanti terminatiuo eiuſdem horæ, debeat intelligi de quiete oppoſita motui verſanti inter terminos poſitiuos, habentes prædictam contrarietatem, ſiue incompoſibilitatem: Quia ſatis deducitur ex proportione, & oppoſitione iam explicata, quæ debet eſſe inter hunc motum, & quietem ei oppoſitam: & per conſequens ſicut debet dari vltimum inſtans terminatiuum motus, in quo verificetur, quòd mobile aliter ſe habet nunc, quàm priùs: ita ſi quieſcens quieſcat ſimili tempore v. g. per horam, debet in vltimo inſtanti terminatiuo verificari, quòd quieſcens eodem modo ſe habeat in illo, ac priùs.

Poteſtque hoc elucidari ex eo, quòd id, quod conuenit motui per modum difformitatis, debet oppoſita ratione, nempe per modum vniformitatis, conuenire quieti oppoſitæ prędicto motui: quia opponuntur ſecundùm vniformitatem, & difformitatem. Et ita, ſi id, quod mouetur per horam, per totam illam, & in inſtanti terminatiuo illius habet eſſe difforme, conſequens erit, vt quieſcens per ſimilem horam habeat per totam illam, & per inſtans terminatiuum ipſius eſſe vniforme: quatenus per hoc ſignificatur, quòd adhuc in eo inſtanti eodem modo ſe habet, ac priùs. *Elucidatur.*

184 Vnde optimè notarunt interpretes D. Thomæ, vt Bañez, Zumel, & Nazarius, quòd licèt motus localis. v. g. & quies priuatiua ei oppoſita conueniant in modo incipiendi, & deſinendi. nempe, per vltimum non *eſſe*, & primum non *eſſe*, differunt tamen in hoc, quòd quandiu mobile mouetur localiter, tandiu eſt in alia, & alia diſpoſitione reſpectu loci, tam dum durant partes motus, quàm dum indiuiſibilia eiuſdẽ motus dantur, vt patet in indiuiſibilibus continuis, & terminatiuis. Et licèt in indiuiſibili inſtanti inceptiuo motus mobile ſit in eodem loco, ex eo quòd motus ille incipit per vltimum non *eſſe*, attamen non eſt in eodem loco, ac erit in tempore immediatè ſequenti. Cæterum id, quod quieſcit toto aliquo tempore, ſemper eſt in eadem diſpoſitione in ordine ad locum, ideſt, ſemper eſt in eodem loco, tam in partibus illius temporis, quàm in quibuſuis indiuiſibilibus illius, & adhuc in inſtãti terminatiuo temporis, in quo deſinit prædicta quies priuatiua. Et huius potiſsima ratio eſt. Quòd motus habet ſemper *eſſe* difforme; quies verò *eſſe* vniforme: & quòd ratione huius vniformitatis petit, vt adhuc quando deſinit per primum non *eſſe*, detur terminus quidam indiuiſibilis illius, ſcilicet quies negatiua, ratione cuius mobile ſit tunc in eodem *Bañez. Zumel. Nazar.*

dem loco, ac erat, dũ quiete priuatiua quieſcebat: atque adeò, quod per ordinem ad prædictum locum non ſe habeat aliter tunc, ac anteà.

Obiectio. 185 Nec obeſt, ſi obijcias, committi in hac explicatione rationis D. Thomæ vitium petitionis principij. Quia in ea ſupponitur, S. Doctorem in propoſitione, quam adducit ad probandum intentum, loqui de quiete priuatiua oppoſita motui verſanti inter terminos poſitiuos, & habentes prædictam latitudinem: cùm tamen de hoc videatur eſſe controuerſia.

Reſpondetur. Reſpondetur enim negando, committi prædictum vitium, etiamſi propoſitio D. Thomæ, nempe, quòd id, quod quieſcit per horam, debeat etiam quieſcere in vltimo inſtanti terminatiuo, intelligatur de quiete priuatiua, & oppoſita prædicto motui. Et ratio eſt. Quia lis tota huius dubij poſita eſt in hoc; nimirum, an motus localis Angeli poſsit fieri in inſtanti? & ad hoc probandum adducit D. Thom. propoſitionẽ iam dictam de quiete: & eam debere intelligi de quiete oppoſita motui locali, debet ſupponi vt certum, ex ipſo caſu diſputationis, quæ tota eſt de motu locali. Sicut etiam debet ſupponi vt certum apud omnes, motum iſtum, ſiue continuum, ſiue diſcretum, eſſe inter terminos poſitiuos habentes latitudinem diſtantiæ ex parte ſpatij, & prædictos terminos, vt inter ſe diſtãtes, habere aliquam oppoſitionem diſtantiæ.

§. IIII. *Solutiones aliorum argumentorum oppoſitæ ſententiæ contra eandem rationem D. Thomæ.*

Reſponſio quarti. 189 AD quartam obiectionem reſpondetur, eã nõvrgere. Quia adhuc dato (de quo alibi) quietem Angelicã per vnã horam menſurari inſtanti diſcreto; inde tamen non ſequitur aliquid contra rationem D. Thomæ. Quia, quod Angelicus Doctor in ea intendit, tantum eſt, quòd quieſcens quiete iam dicta per horam, debet quieſcere in vltimo inſtanti terminatiuo eiuſdem horæ coexiſtenter ad vltimum inſtans noſtri temporis; quamuis detur, prædictam quietem menſurari intrinſecè per aliam menſuram ſuperiorem, adhuc inſtantaneam. Et ita motus oppoſitus iſti quieti non poteſt perfici in inſtanti, & correſpondenter ad inſtans noſtri temporis, de quo modo perficiendi, & exequendi motum intelligitur titulus dubij, dum in eo inquiritur, an motus poſsit eſſe in inſtanti? an verò neceſſariò debeat eſſe in tempore?

Ad id autem, quod in eadem obiectione additur admiſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia. Et ratio diſparitatis deſumitur ex ijs, quæ in lib. Phyſicorum diſput. *N. Compl* 26. n. 25. N. Complutenſes docent. Nam idcircò in motu alterationis, durante vſque ad introductionem formæ ſubſtantialis v.g. ignis excluſiuè, non datur vltimum *mutatum eſſe* eiuſdem alterationis, ſicut datur, quando alteratio non habet ſic durare: quia cùm alteratio iſta ſubiectetur in toto compoſito, & hoc euaneſcat in illo inſtanti, in quo prædicta alteratio terminanda erat, inde eſt, vt etiã ipſa alteratio ex defectu ſubiecti definat per accidens habere ſuum vltimum terminatiuũ in prædicto inſtanti. Vnde, cùm in caſu præſenti Angelus non definat eſſe, oportet, vt eius motus localis, eiuſque quies per horam habeant correſpondere vltimo inſtanti terminanti eandem horam.

Confirmationi ſatisfit. 187 Ad confirmationem, tam huius, quàm præcedentium obiectionum tranſeat antecedens, & negetur conſequentia. Et ratio diſparitatis eſt. Quoniam in caſu antecedentis non competeret Angelo in illo inſtanti habere ſe aliter, ac priùs reſpectu loci, in quo erat quieſcens; ſed quodammodò reſpectu alterius, reſpectu cuius non habebat quieſcere. Et ita non ſequitur habere ſe aliter, & non habere ſe aliter tunc, quàm priùs reſpectu eiuſdem loci, ſicut ſequitur in caſu conſequentis, in quo Angelus debet, propter rationem dictam, habere ſe eodem modo reſpectu loci, in quo quieſcebat, & habere ſe aliter tunc, quàm priùs reſpectu eiuſdem loci, ſi in eo inſtanti moueretur.

Diximus etiam, quòd *Angelus quodammodò ſe habet aliter, quàm priùs reſpectu noui loci.* Quia in rigore loquendo, hoc ei non cõpetit reſpectu prædicti loci. Quia Angelus anteà non dicebatur ſimpliciter, & in rigore habere eſſe in nouo loco: cùm tamen in hoc, quod eſt aliter ſe habere ſimpliciter, & in rigore mediante motu locali reſpectu prædicti loci includatur, quòd Angelus fuerit in tali loco.

Diluitur quintum. 188 Ad quintam benè reſpondetur ibidem. Et ad probationem in contrarium tranſeat antecedens, & diſtinguatur conſequens: *Verificabitur, quòd quieſcens toto tempore vnius horæ, non quieſcat in vltimo terminatiuo illius*, per quietem priuatiuam, tranſeat conſequentia: per quietem negatiuam, dicentem præcisè hoc, quod eſt non moueri, negetur conſequentia. Et ad probationem ibidem adiunctam conſtat ex dictis dubio præcedenti, quomodo, quando Angelus incipit moueri per motum diſcretum, non ideò tunc ſimpliciter & abſolutè moueatur: quia in hoc motu pars motus non habet rationem motus. Et quomodo Angelus ſecundùm aliquam conſiderationem quieſcat quiete negatiua in illo inſtanti: quatenus nimirum conſideratur tunc eſſe in termino *â quo*, non conſiderando exiſtentiam in termino *ad quem* immediatè ſubſequendo, ſed ſolùm

concipiendo existentiam Angeli, & Angelum ipsum in termino *à quo* absolutè. Et tãdem quomodo considerata hac existentia in termino *à quo*, vt desinit esse per vltimum sui *esse*, & comparata ad existentiam in termino *ad quem* cum ordine potentialitatis, & viæ nuper dictæ, detur cum hoc addito, nempe initiatiuè, motus Angeli discretus: acproinde secundùm hanc posteriorem considerationẽ non dicitur, Angelum quiescere in illo instãti prout quiescere dicit, tam carentiam motus, quàm partis motus, benè tamen, vt dicit carentiam motus.

Et cõfirmatio eius.

189 Ad confirmationem dicendum est, instans illud discretum, mensurans inceptionem motus discreti, posse coexistere vltimo instanti temporis nostri terminatiuo v.g. vnius horæ: Negamus tamen, oppositum huius intendi in ratione D. Thomæ. Quia Angelicus Præceptor solùm vult, in illo instanti nõ posse esse motum continuum, vel discretum, non tamen non posse dari partem motus discreti, quæ motus non est, sed pars motus, & initium illius. Tum, quia prædicta pars potest esse in instanti. Tum etiã. Quia talis pars nõ tollit, quominùs in eo instanti detur quies prout præcisè dicit carentiam motus: imò nec tollit, quin detur quies, prout dicit carentiam partis motus, quæ motus non sit; si tamen subiectum illius motus, & quietis secundùm priorem illam considerationem in præcedenti solutione traditam consideretur, nẽpe, quatenus concipitur tunc esse in termino *à quo*, non concipiendo existentiam, seu præsentiam in termino *ad quem* immediatè subsequendam, sed solùm considerando præsentiam illam Angeli, & Angelum ipsum in termino *à quo* absolutè.

Alia confirmat. solutio

Addimus deinde, probabile esse, prædictam inceptionem motus discreti posse secũdùm coexistentiam accidentalem correspondere parti nostri temporis, quamuis mensuretur, tamquam per propriam, & intrinsecam mensuram, per instans temporis discreti: & ita secundùm hanc coexistentiam accidentalem posse esse in parte nostri temporis succedente immediatè post instans terminatiuum temporis mensurãtis quietem. Nec cõtra hoc habet vim probatio in hac obiectione facta. Quia ad iudicandum de modo, quo incipit hic motus Angeli, non est attendendum ad coexistentiam, quam habet in tempore nostro, ex eo quòd ista competit ei omninò accidentaliter, sed ad propriam mensuram. Et ita, vt absolutè verificetur, prædictum motum habere modum incipiendi indiuisibiliter, sufficiet, eius inceptionem mensurari, tanquam per propriam mensuram, per instans temporis discreti, quamuis quoad coexistentiam habeat coexistere tempori nostro diuisibili. Sicut loquendo de acquisitione, qua per motum discretum acquiritur simul totus aliquis locus, qui immediatè succedit post derelictionem positiuam termini *à quo*, seu post vltimum *esse* in prædicto termino, tunc illa acquisitio est tota simul, quia est in instãti intrinseco indiuisibili temporis discreti: & tamen coexisteret nostro tempori diuisibili per coexistentiam sibi vtrobique proportionatam, scilicet indiuisibilem, & indiuisibiliter ex parte prædictæ inceptionis, & desitionis, & diuisibilem, ac diuisibiliter ex parte temporis.

Obiectio

190 Nec obest, si obijcias, quòd si motus discretus Angeli inciperet in tẽpore nostro quoad prædictam coexistentiam, iam incideretur in id, quod vitari intenditur, scilicet, quòd quiescens toto aliquo tempore in aliquo determinato loco v.g. *A.* non potest in instanti terminatiuo illius temporis moueri, & acquirere alium locum v.g. *B.* ergo &c. Probatur antecedens. Quoniam si Angelus incipit moueri in tempore nostro, poterit in instanti immediatè sequenti complere suum motum, & esse in alio loco: quia ad rationem motus discreti solùm desiderantur duo *nunc* temporis discreti, quæ in præsenti inueniuntur, scilicet instans coexistens illi tempori, & aliud instans coexistens instanti terminatiuo illius tẽporis. Ergo cùm pro eo instanti, quo incipit iste motus, quique coexistit tempori, sit in termino *à quo*, & in alio instanti in termino *ad quem*, nempe in nouo loco, consequens erit, vt iuxta hanc solutionem incidatur in id, quod vitari intenditur, nempe, Angelum quiescere toto aliquo tempore in vno loco, & in instanti terminatiuo illius esse in alio, seu acquirere illum: acproinde moueri ad illum: cùm tamen hic transitus esset de loco ad locum, quod propriè est motus localis.

Enodatur

Respondetur, negando antecedens. Nam aliud est, an mobile existens toto aliquo tempore in vno loco, possit in instanti terminatiuo illius acquirere alium locum? Aliud verò, an mobile quiescens in aliquo tempore in vno loco, queat in instanti terminatiuo illius certi temporis acquirere alium locum? Nam primum sanè intellectũ potest admitti, quatenus per illud significatur, quòd mobile in illo tempore nondum deseruit terminum *à quo*, siue locũ, in quo erat, non obstante quòd in eo tempore, seu coexistenter ad ipsum detur instans temporis discreti, in quo motus inceperit, inquoque verificetur, mobile esse tunc vltimò in illo termino *à quo*, in illoque eodem loco, in quo anteà erat: acproinde immediatè pòst, siue coexistenter ad instans nostri temporis non fore in illo, sed in termino *ad quem*. Cæterùm negandum est secundum, quod est intentum D. Thomæ, quodque fatemur est, vt motus localis Angeli nequeat esse in

instanti,

instanti, sed in tempore. Nam S. Doctor tantùm vult, quòd dum mobile ita est in loco in aliquo certo tempore nostro, seu coexistenter ad illud, vt in eo nondum detur inceptio motus v.g. discreti, per quam (vt sic dicam⁹) non solùm disponitur, sed habet plus quàm disponi ad acquisitionem noui loci, debet in vltimo instanti terminatiuo illius temporis persistere in illo loco, & non transire ad aliũ. Quoniam per *quiescere* mobile in certo & determinato tempore, intelligitur, ita esse in loco toto illo tempore, vt nõ detur initiatiuè, & modo dicto motus, acproinde, vt mobile non habeat disponi, & plusquàm disponi ad acquisitionem alterius loci. At S. Doctor nõ negauit, quòd si toto illo tempore, vel (vt melius dicamus) coexistenter ad ipsum datur motus initiatiuè, seu datur pars motus, ac proinde datur iam vnum *nunc*, vnumque indiuisibile illius motus, & temporis discreti mensurantis motum, quòd nequeat immediatè dari aliud *nunc* eiusdem motus, acproinde & motus ipse conflatus ex illo duplici *nunc*, necnon & tempus discretum, quo solo motus ille mensuretur. Et ita adhoc significãdum non dixit Angelicus Doctor, quòd mobile, quod est toto aliquo tempore in aliquo loco, nequit transire in instanti terminatiuo ad alium locum: quia cum hoc cohæret, vt coexistenter ad illud tempus detur instans tẽporis discreti, in quo incipiat moueri, seu in quo detur prima pars illius motus discreti; sed dixit, quòd *quiescens toto aliquo tempore &c.* Quia per hoc denotatur, mobile ita esse in toto illo tempore in loco vt non sit veluti fluctuans in illo, seu nondum inceperit modo dicto in eo moueri, atque adeò nõ habeat disponi, & plusquàm disponi ad nouum locum: & ita nequibit in illo instanti perfici motus.

Replica. 191 Nec obest si vrgeas, posse dari in instanti quietem negatiuam in mobili, etiam si simul sit sub initio motus discreti: ergo eadem ratione poterit quiescere priuatiuè toto aliquo tempore, etiam si simul sit sub initio eiusdem motus discreti.

Respondetur. Respondetur enim, esse disparem rationem. Quia quies priuatiua (de qua D. Thomas) est quies simpliciter perfecta, estque (vt sic dicamus) quies in *esse* omninò quieto: at quies negatiua secundùm se est imperfecta, & secundum quid, nec potest ex se esse perfecta. Et ita cum ista cohærere potest, quòd simul cum ea sit initium motus: secùs verò cum illa Sicut antequam materia prima disponatur ad nouam formam, quiescit simpliciter, & perfectè sub illa, secùs verò dum incipit disponi. tunc enim illa quies non est (vt sic dicamus) in *esse* quieto, sed veluti fluctuat, & nõ habet *esse* perfectum in ratione quietis.

Ab vltimã obiectionẽ. 192 Ad vltimam obiectionem contra eandem rationem D. Thomæ negandum est, illam non conuincere intentum quoad motum discretum. Et ad probationem in cõtrarium dicendum est, quòd etsi in motu discreto non detur terminatiuum distinctum partibus motus, & similiter in tempore discreto illum mensurante, tanquam propria mensura eius, non sit admittendum instans terminatiuum distinctum à partibus eiusdem temporis discreti; attamen per correspondentiam, & coexistentiam accidentalem ad nostrum tẽpus, oportet, vt coexistat vltimo terminatiuo eiusdem tẽporis, acproinde quòd prædictus motus duret per hoc tempus sic terminatũ: sicut & quies ei opposita durans per horam v.g. debet secundùm hanc coexistentiam accidentalem correspondere vltimo instãti terminatiuo horæ.

Adde, quòd etiam si daremus, prædictũ motum non pertingere secundùm hanc coexistentiam vsque ad instans terminatiuum horæ inclusiuè, adhuc quies illi opposita durans per horam, deberet habere pro termino quietem negatiuam mensuratam per instans terminatiuum eiusdem horæ includiuè. Quia si motus discretus incipit per coexistentiam ad partem temporis, & non per coexistẽtiam ad vltimum instans terminatiuum quietis, planum est, prædictam quietem oppositam illi motui pertigisse quoad suam terminationem, scilicet quietem negatiuam, vsque ad vltimum instans terminatiuum horæ inclusiuè. Si autem motus discretus sit initiatiuè in illo instanti, tunc etiam illa quies durabit vsque ad prædictum instans inclusiuè, propter duas rationes nuper traditas: prima quidem, quia dum incipit motus discretus, datur quidem initium prædicti motus, non tamen motus ipse: acproinde dabitur quies opposita rationi formali motus, licèt non detur quies, vt opponitur parti eiusdem motus, si Angelus consideretur secundùm omnem rationem tunc in eo inuentam. Secunda. Quia si consideretur Angelus, & præsentia eius in termino *á quo* absolutè, non considerando ordinem illum potentialitatis, & viæ iam dictum, tunc secundùm hanc considerationem non datur motus, nec pars motus discreti.

§. V *Enodationes ad argumenta aduersariorum contra primam confirmationem D. Thomæ.*

193 AD id verò, quod contra confirmationem rationis D. Thomæ obijcitur ex illis instantijs, respondetur, negando in primis, mutationes instantaneas, de quibus D. Thomas art. 3. huius q. agit, nõ esse terminos alicuius motus. Nam S. Doctor loquitur de mutationibus instantaneis corporeis, aut concernentibus aliquid corporeum: *D. Thom.*

reum: & istæ possunt esse termini alicuius motus, vt constabit inductione facta per illas. Nam mutationes instantaneæ terminatæ ad substantiam corpoream sunt termini motus alterationis: & terminatæ ad quantitatem etiam sunt termini motus alterationis, per quem fit substantia: & omnes mutationes intentionales corporeæ, vel concernentes, & connotantes aliquid corporeum, queunt esse termini motus applicantis obiectum sensibile ad sensum, & consequenter mediante sensu ad intellectum: & similiter mutationes instantaneæ, quibus corpus mutatur ad locum, & ad alias qualitates, possunt esse termini, vel motus alterationis, vel localis.

Ratio autem, propter quam D. Thomas de his mutationibus instantaneis corporeis tantùm loquitur, non verò de alijs, est: tum, quia hoc erat illi satis ad suum intentũ, scilicet ad probandum, motum localem Angeli debere esse in tempore: quia iste est de genere motuum concernentium aliquid materiale, ex eo quòd dicit actionem immanentem Angeli, vt virtualiter transeuntem ad locum, ac proinde connotat locum ipsum corporeum. Tum etiã. Quia in alijs mutationibus instãtaneis non est vniuersaliter verum, eas esse terminos alicuius motus.

194 Deinde addimus, posse admitti solutionem ibidem num. 179. traditam. Et ad impugnationem contra prædictam solutionem dicendum est, quòd etsi detur (de quo infrà) his mutationibus conuenire per accidens esse terminos alicuius motus, nihilominùs ad hoc quòd sint talis naturæ, vt per accidens possit eis competere esse terminos motus, sufficit, vt possint perfici in instanti: quia hoc sufficit ad hoc, vt iudicemus, eas non exigere ad sui executionem, nisi tantùm mensuram *mutati esse* terminantis motum: nam motus localis non attingit illas, nisi dum est in prædicto *mutato esse*, quo terminatur.

Nec obest id, quod in hac eadem impugnatione dicitur, scilicet, inceptionem, & desitionem harum mutationum non esse mẽsurandam per id, quod conuenit eis per accidens. Nam quando id, quod conuenit per accidens, non tollit, aut impedit modum durationis per se conuenientem, optimè sequitur, rem illam, adhuc dum est coniuncta cum eo, quod illi competit per accidens, perfici modo consono suæ naturæ, nec petere alium modum eleuatiorem incipiendi, aut habendi suum *esse*, præter eum, qui ei competit, dum est coniuncta cum eo, quod illi per accidens conuenit, vt in præsenti contingit. Nam id, quod est terminus adhuc per accidens alicuius motus, attingiturque per vltimum *mutatum esse* eiusdem motus (siue illud sit vltimum respectu motus secundùm se, siue in ordine precisè ad attingendum prædictum terminum) habet modum essendi non eleuatum, sed indiuisibilem, sicut tale *mutatum esse*; nec petit maiorem dilatationẽ in suo *esse*, quàm prædictum *mutatum esse*, per quod immediatè attingitur.

195 Vnde non obest, si vrgeas, quod ad inceptionem motus discreti solùm attenditur ad propriam mensuram ad iudicandum, an indiuisibiliter, vel diuisibiliter incipiat, quamuis illa inceptio posset coexistere nostro tempori, vt §. præcedenti dicemus. Et huius nulla alia reddita est ratio, nisi quòd illa coexistentia est accidentalis prædicto motui, & inceptioni eius. Ergo pari ratione in præsenti non est reddenda ratio ad hoc, vt prædictæ mutationes fierent in instanti, ex eo, quòd sint termini motus, si semel datur, hoc illis conuenire per accidens. Replica.

Respondetur enim, motum discretum, adhuc initiatiuè sumptum, ita per accidens coexistere posse nostro tempori, vt non debeat commensurari in modo durandi cum tẽpore, cui coexistit, sed habeat modũ durãdi, modũq; (vt sic dicam) eleuatiorẽ suæ veluti dilationis. Et ideò ipse ex parte sua indiuisibiliter, ideſt, totus ipse coexistit cuiuis parti diuisibili illius tẽporis, quippe quod est formaliter indiuisibile, cũ virtuali tamen diuisibilitate. Vnde in his non est attendendum ad illam coexistentiam per accidens ad prædictum iudicium, secùs verò in mutationibus instantaneis, de quibus in præsenti. Solutio.

Potestque huius reddi maior ratio, & explicatio. Quoniam duratio, & inceptio motus discreti non attingitur adhuc per accidens à tempore, cui coexistit, tanquam à causa etiam per accidens, sumendo causam non solùm strictè, verùm etiam latè, prout comprehendit causam applicatiuam. Cæterùm inceptio, & executio prædictarum mutationum sunt talis conditionis, vt posset eis competere saltem per accidens, quòd modo dicto attingantur per motum, vt termini illius, & dum adest vltimum *mutatum esse* eiusdem motus: & ita debent habere modum essendi, & executionem commensuratam cum prædicto *mutato esse*, & instanti mensurante illud, seu non eleuatam quoad modum essendi indiuisibilem, ita vt sicut prædicta instantia sunt, tam formaliter, quàm virtualiter indiuisibilia, sic istæ mutationes non petant, nisi hanc indiuisibilitatem ad sui inceptionem, & desitionem, quamuis aliunde possint aliquæ ex illis diu durare, ita quidem, vt hoc sit per accidens respectu earundem, vt sunt termini motus. Elucidatur vlterius.

196 Ex quo fit, nihil referre id, quod in fine huius impugnationis additur, nempe, instantias allatas contra confirmationem D. Tho-

Thomæ non minùs contra rationem præcipuam ex ipso adductam, quàm contra prædictam confirmationem vrgere. Quia solutio à nobis tradita illis, quatenus pugnant contra confirmationem generuat eadem, qua tenus possent vrgeri contra præcipuam rationem Angelici Doctoris, vt considerantiPatebit.

Illustratur magis.

Quibus etiam addi potest primò, prædictas instantias, adhuc non recurrendo ad ea, quæ in fauorem confirmationis D. Thomæ adducta sunt, posse eneruari optima via petita ex dictis, & simul reddente vnicam, & (vt sic dicamus) indiuisibilem solutionem ad omnes illas. Nam D. Thomas in sua propositione, in qua vtitur fundamento huius præcipuæ rationis, nempe, quòd quiescens toto tempore horæ, debet quiescere in vltimo terminatiuo illius, loquitur de quiete priuatiua opposita motui versanti inter terminos positiuos, habentes aliquam latitudinem contrarietatis, vel incompossibilitatis: & ita quòd quiescat aliquid pro toto tempore horæ à prædictis mutationibus, & motibus, sumpto motu largè, & quòd in vltimo instanti terminatiuo moueatur per illas, non est contra propositionẽ D. Thomæ. Quia quies ista non est quies priuatiua opposita motui versanti inter prædictos terminos positiuos terminantes latitudinem iam dictam: siquidem satis constat, prædictas mutationes instantaneas non versari inter terminos positiuos, habentes per se conditiones iam dictas. Nam quoad illuminationem, & generationem substantialem satis liquet, nullam per se loquendo esse à termino in terminum positiuum: & quoad conuersionem illam miraculosam id pro nunc explicari potest duobus modis. Nam aliqui asserunt, eam coalescere ex duobus mutationibus partialibus, quarum vna sit ab *esse* panis ad non *esse* illius; & alia à non *esse* corporis Christi Domini sub speciebus ad *esse* sub illis. Et alij asserunt, esse tantùm vnicam mutationem, habentem pro termino *à quo* negationem eius, quod est, panem v.g. esse conuersum in corpus Christi, & pro termino *ad quem* affirmationem huius, vel (vt alij loquuntur) habet pro termino *à quo* panem, vt desinentem esse per primum non *esse* in vltimo instanti terminatiuo temporis, in quo fuit; & pro termino *ad quem* Corpus Christi, vt incipiens esse sub speciebus per primum sui *esse* in eodem instanti.

D. Thom. Videatur D. Thomas 3. p. quæst. 75. art. 7.

127 Adde, quòd prædicta conuersio est talis conditionis, quòd id, quod dicitur conuerti in corpus Christi, non manet in fine conuersionis. In præsenti autem non fit sermo de huiusmodi mutationibus, & quietibus, sed de illis, in quibus id, quod accipit aliquid noui, manet sub vtroque termino, nempe sub termino *à quo*, & *ad quem*.

Nec obest, quòd saltem accidentia, sub quibus ponitur corpus Christi ex vi conuersionis, quodammodò mouentur ab hoc, quod est esse in propria substantia panis, ad hoc, quod est nõ esse in illa: & hoc fieri in instãti, quamuis quieuerint toto tẽpore præcedenti, & sub vtroque termino diuisiuè sumpto adhuc maneant. Replica. Enodatur.

Respondetur enim, motum, aut quasi motum hunc esse terminum prioris mutationis, qua panis conuersus est in corpus Christi. Et ideò, sicut S. Thomas non loquitur de priori illa mutatione, sic nec de ista.

128 Adde tandem, duas posteriores instantias (persistendo in doctrina, quam D. Thomas in confirmatione suę rationis tradit) potiùs elucidare rationem eiusdem S. Doctoris. Nam in primis illuminatio (de qua Angelicus Præceptor loquitur) est valdè probabile quod sit per se secundò terminus motus localis, supposito ordine rerum, quem circa hoc vniuersum Deus stabiliuit. Quia magnam habet probabilitatem, D. Thomam non loqui de quauis illuminatione, sed de illuminatione, vt noua, idest ea, quæ aduenit de nouo respectu subiecti illuminati, & corporis illuminantis: ac proinde de ea, quæ supponit prioritate realis durationis, tam corpus illuminans, quàm illuminatum. Hæc autem, supposito ordine rerum, non datur in instanti generationis solis, aut ignis, aut rei illuminatæ, sed, per se loquendo, fit mediante motu locali applicante prædictum liminosum, vel mediante motu corporis illuminandi, approximantis se ad luminosum: & ita non est verum, quòd corpus illuminandum toto tempore horæ quieuit, & in solo vltimo instanti mouetur per prędictam illuminationem: nam motus localis, qui fit in tempore antecedenti, est ratio, quare per se primò moueatur localiter prędictum luminosum, & quare per se secundò in eodem tempore quodammodò moueatur ad lucem corpus illuminandum.

Nec obest, quòd prædictus motus localis corporis luminosi solum sit in luminoso, & ita non poterit per illum moueri ad lucem corpus illuminandum. Sicut si corpus sit frigidum, & approximetur illi per motum aliquod calidum, non ideò frigiduur mouebitur toto illo tempore motus localis ad *esse* calidum. Alia replica.

Respondetur, esse disparem rationem. Quoniam absentia lucis non fundatur in aliquo positiuo intrinseco corpori illuminando, quod repugnet illuminationi; sed in sola distantia corporis luminosi à corpore illuminando. Et ita hoc ipso, quòd per motum localem paulatim vincatur hæc distan- Soluitur.

tia,

tia, mouetur quodammodò corpus, quòd est illuminandum, ad lucem. Cæterùm absentia caloris à corpore frigido non fundatur in sola distantia calidi à frigido, sed habet pro fundamento frigiditatem: & ideò, vsque dũ hæc incipiat à luminoso deuinci, non mouetur frigidum aliquo modo ad *esse* calidũ: adquod tamen moueretur, si absentia caloris in frigido in sola distantia calidi à frigido fundaretur, & hæc paulatim motu locali deuinceretur. Vnde nihil obest ad hunc modum mouẽdi se quodammodò ad lucem, quòd motus localis non sit in corpore illuminando: quia eodem modo approximatur versus illud, ac si corpus illuminandum versus luminosum haberetur.

Diximus, *per prædictum motum quodammodò moueri corpus illuminandum*. Quia si propriè, & in rigore loquamur, corpus illuminandum, seu tenebrosũ tunc nec mouetur, nec quiescit sub tenebra, licèt quodammodò disponatur ad lucem, seu eò magis, & magis appropinquetur ad conditionem requisitã ad illuminationem, quò decrescit distantia corporis luminosi à corpore tenebroso. Vnde propter hanc rationem solet dici à pluribus Discipulis D. Thomæ, prædictum corpus tenebrosum moueri mutatione respectiua, dũ est extra sphæram actiuitatis luminosi, & mouetur versus illud, vel luminosum versus tenebrosum: quia eo ipso habet relationem minoris distantiæ ad illud, & secundùm hanc quodammodò saltem mutatur, & est (vt sic dicamus) quandiu durat motus ille localis, in cõtinua mutatione requisita ad participandam lucem, vsque dum sit intra sphæram actiuitatis corporis luminosi. Et ita hoc ipso, quòd per motum localem constituatur corpus luminosum in ea distantia, vt actu illuminet corpus tenebrosum iam præexistens, habet motus ille per se secundò, quòd illuminatio sit terminus eius, vt causæ applicantis prædictum luminosum, & quòd quodammodò tenebrosum ex vi illius moueatur.

199 Et similiter vltima instantia de generatione substantiali v.g. ignis potiùs iuuat ad intelligentiam rationis præcipuæ D. Thomæ. Quoniam (vt N. Complutenses in lib. Physicorum disput. 10. à n. 67. vsque ad n. 83. latè, & erudite exponunt) generatio substantialis, qua vnus ignis generat alium, non est actio substantialis, aut actio distincta à præcedenti alteratione; sed mutatio quædam, quæ est terminus per se secundus eiusdẽ alterationis. Et ita toto illo tempore, quo aer v.g. disponitur per alterationem ad formam ignis, incipit materia moueri ad eandem formam, & non est sub *esse quieto* respectu formæ aeris, & tandem acquirit formam ignis in vltimo illo instanti, in quo vltimò terminandus erat motus alterationis per suũ vltimum *mutatum esse*, in quoque dispositio ad eandem formam erat etiam vltimò terminanda. Nam tunc desinit esse totus ille motus ex defectu subiecti, nempe aeris desinentis per primum non esse in illo instanti, & introducitur forma substantialis, vt N. Complutenses in lib. Physicorum disput. 26. n. 25. docent, vbi plura, quæ contra hæc obijci possunt, adducunt, & dissoluunt. *N. Compl.*

N. Compl.

§. VI. *Sit satis vltimo argumento aduersariorum contra posteriorem confirmationem D. Thomæ.*

Vltimo argumento satis fit.

200 AD vltimum verò argumentum aduersus postremam confirmationem ex D. Thoma desumptam respondetur, negando, motum illum impertinenter se habere ad illam quietem priuatiuam: quin potiùs hæc terminatur per illum, si semel in vltimo instanti terminatiuo temporis mensurantis prædictam quietem datur ille motus. Et ratio est. Quoniam ea, quæ necessariò mẽsurantur tempore (qualis est quies priuatiua) quæque nequeunt esse in instanti, oportet, vt aliquo termino extrinseco terminentur, qui quidem possit inueniri in illo instanti extrinseco, in quo verificatur, rem illam petentem necessariò tempus ad suum *esse* desinere tunc per primum non *esse*, quamuis immediatè anteà fuerit, vt constat in motu, qui propter hanc rationem terminatur extrinsecè per suum *mutatum esse*, quod reperitur in illo instanti, in quo verificatur, motum tunc primò non esse, & immediatè anteà fuisse. Quare, si in prædicto instanti non datur quies negatiua, sed motus, fiet inde, prædictum motum esse terminum extrinsecum quietis priuatiuæ, & non impertinenter cum illa comparari: siquidèm debet habere aliquem terminum extrinsecum, & non supereſt alius, nisi vel non motus, seu quies negatiua, vel motus, qui in illo instanti perficiatur: quod quidem (vt ex dictis in hac confirmatione, & ex alijs rationibus à Diuo Thoma in hoc articulo adductis constat) satis cum natura quietis priuatiuæ certo aliquo tempore durantis pugnat.

Replica.

201 Nec obest, si vrgeas primò, quod quies priuatiua Angelica terminatur extrinsecè per motum initiatiuè, ita vt in illo instãti extrinseco, in quo verificatur, tunc primò quietem priuatiuam non esse, sit verum dicere, dari intrinsecè veram partem motus discreti, vt constat ex illis, quæ dubio præcedenti latiùs diximus. Ergo eadem ratione poterit eadem quies priuatiua terminari extrinsecè per ipsum motum, vt ex paritate rationis constare videtur.

Dilatur.

Respondetur enim, negando consequentiam,

tiam. Et ratio diſparitatis eſt. Quia quando in motu diſcreto datur in illo inſtanti terminatiuo quietis prior pars motus, conſiderato mobili ſecundùm illam ſui conſiderationem dubio præcedenti dictam, adhuc tunc datur quies negatiua, ſumpto mobili ſecundùm alteram ſui conſiderationem, ſcilicet, vt tunc & in eodem loco, ac anteà, & non conſideratur, vt eſt ſub potentialitate, & via ad alium locum immediatè ſubſequendum, ſed concipitur, vt abſolutè, & ſecundùm ſe illa præſentia eſt circa eundem locum, in quo anteà erat, dum quieſcebat quiete priuatiua: ac proinde iam quies priuatiua habet ſuum proprium terminatiuum; & non vtcumque, ſed ita vt priùs intelligatur quies illa negatiua, quàm prior pars motus: ſiquidem prior eſt conſideratio exiſtentiæ mobilis in aliquo loco abſolutè ſumptæ, quàm eiuſdē, vt dicit viam ad exiſtendum in alio loco. Vnde quies illa priuatiua ſic terminata per quietem negatiuam comparatur cum parte motus diſcreti, quę tũc eſt, eo (proportionali tamẽ) modo, quo cõpararẽtur duo motus inter ſe contigui, quorum vnus eſſet terminus terminatus ſuo proprio termino extrinſeco, ſcilicet ſuo *mutato eſſe*, & alter in eodem inſtanti per vltimum non *eſſe* inciperet. Conſtat autem, motum iſtum vltimum non ſe habere per modũ termini extrinſeci reſpectu motus in eodem inſtanti per primum non *eſſe* deſinentis.

202 Neque etiam refert, ſi ſecundò vrgeas, quòd ſi quies negatiua oppoſita motui locali debet eſſe terminata per ſuum terminum indiuiſibilem, ſcilicet per quietem negatiuam, etiam quies ſub albedine v.g. habebit proportionaliter hoc ipſum: quod tamen videtur falſum: quia non datur vltimum *eſſe* ſub albedine, ſed primum non *eſſe* ſub illa, quando incipit nigrefactio. Sequela ex paritate rationis videtur conſtare. Alia.

Reſpondetur enim, quod (vt optimè notarunt N. Complutenſes in lib. Phyſicorum diſput. 26. num. 15. & deinceps) quando motus ad nigredinem incipit per vltimum non *eſſe*, tunc albedo, licèt non abſolutè ſumpta, benè tamen vt tanta, ſeu vt eſt ſub tanta intenſione, aut vt eſt ſub *eſſe quieto*, deſinit per vltimum ſui *eſſe*: quoniam ratio iſta in indiuiſibili conſiſtit. Et ita illud inſtans, in quo nondum eſt motus ad nigredinem, ſed immediatè pòſt erit, eſt vltimum *eſſe* albedinis ſub *eſſe quieto*, & vt tanta: nam immediatè pòſt nec erit ſub *eſſe quieto*, nec erit, vt tanta. Et propterea quies priuatiua ſub albedine, quæ toto tempore antecedenti dabatur, habet tunc terminari per ſuum indiuiſibile, nempe per ſuam quietem negatiuam; quamuis abſolutè loquendo ſoleat, & debeat dici, quòd ea, quæ incipiunt, & deſinunt per motum, habent incipere, & deſinere ad modum eiuſdem motus. Soluitur. *N. Compl.*

QVAESTIO LIIII. DE cognitione Angelorum in quinque articulos diuiſa.

PROOEMIVM.

CONSIDERATIS, quæ ad ſubſtantiam Angeli pertinent, procedendum eſt ad cognitionem ipſius. Hæc autem conſideratio erit quadripartita. Nam primò conſiderandum eſt de his, quæ pertinent ad virtutem cognoſcitiuam Angeli. Secundò, de his, quæ pertinent ad medium cognoſcendi ipſius. Tertiò, de his, quæ ab eo cognoſcuntur. Quartò, de modo cognitionis ipſorum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm intelligere Angeli ſit eius ſubſtantia?

2. diſt. 2. q. 1 art. 1. cor. & 7. & 2. con. c. 52. & quo 2. ar. 3. & 4. & opuſc. 30. le. 7. & 9.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quòd intelligere Angeli ſit eius ſubſtantia. Angelus enim eſt ſublimior, & ſimplicior, quàm intellectus agens animæ. Sed ſubſtãtia intellectus agẽtis eſt ſua actio, vt patet in 3. de Anima per Ariſtotelem, * & eius Comm. Ergo multo fortiùs ſubſtantia Angeli eſt ſua actio, quæ eſt intelligere.

† Tex. 19.

¶ 2 Præterea. Philoſophus dicit in 11. Metaph. † quòd actio intellectus eſt vita. Sed cùm viuere ſit eſſe viuentibus, vt dicitur in 2. de Anima, * videtur, quòd vita ſit eſſẽtia. Ergo actio intellectus eſt eſſentia intelligentis Angeli.

† Tex. 39.

Lib. 2. tex. 37. tom. 2.

¶ 3 Prætereà, Si extrema ſunt vnum, medium non differt ab eis: quia extremum magis diſtat ab extremo, quàm medium. Sed in Angelo idem eſt intellectus, & intellectum, ad minùs in quantum intelligit eſſentiã ſuam. Ergo intelligere, quod cadit medium inter intellectum, & rem intellectam, eſt idem cum ſubſtantia Angeli intelligentis.

SED contrà. Plus differt actio rei à ſubſtantia eius, quam ipſum eſſe eius. Sed nullius creati ſuum eſſe eſt ſua ſubſtantia: hoc enim ſolius Dei proprium eſt, vt ex ſuperioribus patet. † Ergo neque Angeli, neque alterius creaturæ ſua actio eſt eius ſubſtantia.

Q. 3. ar. 4. & q. 44. art. 1.

RESPONDEO dicendum, quòd impoſsibile eſt, quod actio Angeli, vel cuiuſcumque alterius creaturæ ſit eius ſubſtantia. Actio enim eſt propriè actualitas virtutis, ſicut eſſe eſt actualitas ſubſtantiæ, vel eſſentiæ. Impoſsibile eſt autem, quod aliquid, quod non eſt purus actus, ſed aliquid habet de potentia admiſtum, ſit ſua actualitas, quia actualitas potentialitati repugnat. Solus autem Deus eſt actus purus. Vnde in ſolo Deo ſua ſubſtantia eſt ſuum eſſe, & ſuũ agere.

¶ Prætereà. Si intelligere Angeli eſſet ſua ſubſtantia, oporteret, quod intelligere Angeli eſſet ſubſiſtens. Intelligere autem ſubſiſtens non poteſt eſſe, niſi vnum, ſicut nec aliquod abſtractum ſubſiſtens. Vnde vnius Angeli ſubſtantia non diſtingueretur, neque à ſubſtantia Dei, quæ eſt ipſum intelligere ſubſiſtens, neque à ſubſtantia alterius Angeli. Si etiam Angelus ipſe eſſet ſuum intelligere, non poſſet eſſe gradus in intelligendo perfectiùs, & minùs perfectè, cùm hoc contingat propter diuerſam participationem ipſius intelligere.

Ad primum ergo dicendum, quod cùm dicitur, quod intellectus agens eſt ſua actio, eſt prædicatio non per eſſentiam, ſed per concomitantiam, quia cùm ſit in actu eius ſubſtantia, ſtatim quantum eſt in ſe concomitatur ipſam actio. Quod non eſt de intellectu poſsibili, qui non habet actiones, niſi poſtquam fuerit factus in actu.

Ad

Ad ſecundum dicendum, quod vita non hoc modo ſe habet ad viuere, ſicut eſſentia ad eſſe, ſed ſicut curſus ad currere, quorum vnum ſignificat actum in abſtracto, aliud in concreto. Vnde non ſequitur, ſi viuere ſit eſſe, quod vita ſit eſſentia. Quamuis etiam quandoque vita pro eſſentia ponatur ſecundùm quod Auguſtinus dicit* in lib. de Trinitate, quod memoria, & intelligentia, & voluntas ſunt vna eſſentia, vna vita, ſed ſic non accipitur à Philoſopho cùm dicit, quod actio intellectus eſt vita.

† Lib. 10. de Trin. c. 11. ante med. tom. 3 & 9. de Trin. c 4

Ad tertium dicendum, quòd actio, quæ trãſit in aliquid extrinſecum, eſt realiter media inter agens, & ſubiectum recipiẽs actionẽ. Sed actio, quæ manet in agente, non eſt realiter medium inter agens, & obiectum, ſed ſecundũ modum ſignificandi tantùm. Realiter verò conſequitur vnionem obiecti cum agẽte. Ex hoc enim, quòd intellectum fit vnum cum intelligente, conſequitur intelligere quaſi quidam effectus differens ab vtroque.

Concluſio eſt negatiua.

ARTICVLVS II.

Vtrùm intelligere Angeli ſit eius eſſe?

4. Cont. cap 11. & po. q. 10 art. 1. ad 5.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quòd intelligere Angeli ſit eius eſſe. Viuere enim viuentibus eſt eſſe, vt dicitur in

† Tex 37. tom. 2.

2. de Anima. * Sed intelligere eſt quoddam viuere, vt in eodem dicitur. * Ergo intelligere Angeli eſt eius eſſe.

† Lib. 2. de Anima tex. 13. tom. 2.

¶ 2 Præterea, Sicut ſe habet cauſa ad cauſam, ita effectus ad effectum. Sed forma, per quam Angelus eſt, eſt eadẽ cùm forma, per quam intelligit ad minùs ſe ipſum. Ergo eius intelligere eſt idem cùm ſuo eſſe.

SED contrà. Intelligere Angeli eſt motus eius, vt patet per Dionyſium * 4. c. de diuinis nominibus. Sed eſſe non eſt motus. Ergo eſſe Angeli non eſt intelligere eius.

Cap. 4 part 1. á medio.

RESPONDEO dicẽdum, quod actio Angeli nõ eſt eius eſſe, neque actio alicuius creaturæ. Duplex enim eſt actionis genus, vt dicitur 9. Metaphyſicorũ.* Vna ſcilicet, quæ trãſit in aliquid exterius, inferens ei paſsionem, ſicut vrere, & ſecare. Alia verò actio eſt, quæ non tranſit in rem exteriorẽ, ſed magis manet in ipſo agente: ſicut ſentire, intelligere, & velle. Per huiuſmodi enim actionem, non immutatur aliquid extrinſecum, ſed totum in ipſo agẽte agitur. De prima ergo actione manifeſtũ eſt, quòd non poteſt eſſe ipſũ eſſe agẽtis: nã eſſe agẽtis ſignificatur intra ipſũ: actio autẽ talis eſt effluxus in actũ ab agente. Secunda autem actio de ſui ratione habet infinitatem, vel ſimpliciter, vel ſecundùm quid. Simpliciter quidẽ ſicut intelligere, cuius obiectum eſt verum, & velle cuius, obiectũ eſt bonum. Quorũ vtrumque cõuertitur cum ente. Et ita intellige re, & velle, quantũ eſt de ſe, habẽt ſe ad omnia, & vtrumque recipit ſpeciẽ ab obiecto. Secũdùm quid autem infinitum eſt ſentire, quod

Lib. 9. Metaph. tex. 16 tom. 3.

se habet ad omnia sensibilia, sicut visus ad omnia visibilia. Esse autē cuiuslibet creaturæ est determinatum ad vnum secundùm genus, & speciem. Esse autem solius Dei, est simpliciter infinitū, in se omnia comprehendens, vt dicit Dionysius 4. c. de diuinis nominibus. Vnde solum esse diuinum est suum intelligere, & suum velle,

Cap. 1. par. 1. parū ante medium.

Ad primum ergo dicendum, quòd viuere quandoque sumitur pro ipso esse viuentis, quādoque vero pro operatione vitæ, idest, per quam demonstratur aliquid esse viuens. Et hoc modo Philosophus dicit, quod intelligere est viuere quoddam. Ibi enim distinguit diuersos gradus viuentium secundùm diuersa opera vitæ.

Ad secundum dicēdum, quod ipsa essentia Angeli est ratio totius sui esse, non autem est ratio totius sui intelligere: quia non omnia intelligere potest per suam essentiam. Et ideo secundum propriam rationem, in quā tum est talis essentia, comparatur ad ipsum esse Angeli. Sed ad eius intelligere comparatur secundum rationem vniuersalioris obiecti, scilicet veri, vel entis. Et sic patet, quod licèt sit eadē forma, non tamen secundum eandem rationem est principium essendi, & intelligendi. Et propter hoc non sequitur, quòd in Angelo sit idem esse, & intelligere.

Conclusio est negatiua.

DISPVTATIO IIII.

De efficacitate rationum D. Thomæ ad ostendendas conclusiones primi, & secundi Articuli.

QVIA ea, quæ S. Doctor in 1. art. huius q. necnon & in 2. docet, non tam quoad conclusiones, quas statuit, quàm quoad rationes, quas ad eas suadendas adducit, visa sunt aliquibus difficilia, & non ita intentum suadentia: ideò ad hoc examinandum peculiarem hanc disputationem primo loco instituere placuit.

(*)

DVBIVM I.

An duabus rationibus, quas in articulo 1. huius q. adducit D. Thomas, sufficienter suadeatur intentum, scilicet intelligere *Angeli non esse eius substantiam?*

QVIA dubium hoc circa vtramque rationem D. Thomæ in 1. art. adductam versatur, idcircò nodus illius duplici assertione dissoluendus est,

§. 1. *Asser-*

§. I. *Assertio prior.*

Assertio prima.

1 DIcendum ergo est primò, rationem priorem D. Thomæ sufficienter suadere intentum, scilicet *intelligere* Angeli non esse eius substantiam. Ita communiterferè omnes Theologi, qui de hac re disputant: & ideò singulos recensere superuacaneum est. Assertio hæc non meliùs probabitur, quàm adducendò rationem S. Doctoris, quę sub hac forma proponi potest. Quia solus actus purus, nempe Deus, est sua actualitas: ergo solus actus purus est sua intellectio, aut sua operatio; non verò Angelus, aut quæuis alia creatura. Antecedens videtur perspicuum. Quia solus actus purus, scilicet Deus, est immixtus potentialitati: id autem tantummodò est actus purus, quod est immixtum potentialitati: ergo solus actus purus, nempe Deus, est sua actualitas. Consequentia verò ex antecedenti liquet. Quia intellectio est actualitas virtutis intellectiuæ, & operatio virtutis operatiuæ, sicut *esse* est actualitas essentiæ.

Ratio prior D. Thom.

Solutio Valentiæ ad rationem.

2 Nec refert, si cum Valentia, cui hæc ratio D. Thomæ non ita placet, occurras, & deinde objicias. Occurras quidem non sequi ex eo, quòd Angelus sit sua intellectio, quòd sit actus purus: quia esset potentia in ordine ad alios actus v. g. existentiæ, & subsistentiæ, vel etiam in ordine ad alias intellectiones ordinis naturalis, vel supernaturalis.

Objectio contra illã.

Objicies autem esse implicationem in terminis, dicere, quòd actus purus sit sua actualitas. Nam in hac locutione, si formaliter sumitur, innuitur, quòd aliquid puri actus habeat rationem actuantis, scilicet sua actualitas, & aliquid rationem actuati, ac proinde potentiæ, cùm ly *actualitas* aliquam potentiam respiciat. Hoc autem cum ratione actus puri pugnat.

Euersio solutionis.

Non igitur hoc refert. Nam in primis contra solutionem Valentiæ obstat, quòd eo ipso, quòd virtus intellectiua Angeli excluderet potentialitatem in ordine ad intellectionem; deberet excludere omnem aliam. Tum quia eo ipso, quòd ea, quæ se habent per modum proprij actus, & potentiæ identificentur realiter in vna entitate, oportet, vt talis entitas aut sit realiter pura potentia, aut purus actus. Non pura potentia, vt patet: ergo purus actus. Tum deinde. Quia potentialitas, quę conuenit virtuti intellectiuæ secundùm se, & secundùm suam speciem, præcisè est in ordine ad intellectionem tamquam ad proprium actum: sicut in vniuersum potentialitas, quæ ex specie sua cõuenit actui primò, tãtùm est in ordine ad suum actum secundum: ergo si respectu istius non est potentia, multò minùs respectu actuũ exterorũ. Maximè, quia cùm hæc sit prima ratio virtutis operatiuæ, necesse est, vt omnes aliæ rationes ibidem inuentæ mensurentur per illam, eique attemperentur: ac proinde erunt in suo ordine ita puræ ac actuales, sicut ista.

Tum præterea. Quia quod in aliqua linea attingit à prima potentialitate vsque ad vltimum actum (vt in præsenti contingeret, si virtus intellectiua Angeli esset sua intellectio) nequit non esse infinitum, & actus purus in illa linea. Id autem, quod in aliqua linea est actus purus, debet etiam in omni linea id habere: quia eo ipso dicit infinitatem in tali linea, ad quam requiritur, vt saltem consequenter habeat infinitatem in alijs lineis, ac proinde quòd sit actus purus in illis.

Tum denique. Quia linea intellectualitatis est perfectissima: & ita, quod in hac fuerit actus purus, etiam in alijs id habebit. Ex quo satis manet impugnata sententia Valentiæ quoad omnia, quæ in ea continentur. Et insuper quoad id, quod dicit de identificatione substantiæ Angelicæ cum aliqua ex suis intellectionibus, aut operationibus, non tamen cum omnibus, potest denuò impugnari ex eo, quòd essentia cuiusuis virtutis actiuæ, aut intellectiuæ in indiuisibili consistit: ergo respectu omnium intellectionum est in potentia, vel respectu nullius. Ex quo magis apparet implicatio. Quia hoc ipso, quòd esset omnis sua intellectio, sequeretur, Angeli substantiam esse visionem beatificam: ac proinde esse secundùm suam naturam beatam, & simul etiam non esse, vt ex fide supponitur.

Soluitur objectio Valent.

Nec id, quod objiciebatur in fauorem Valentiæ, obest. Nam etiamsi locutio illa in sensu formali sumatur, non inde sequitur aliqua implicatio. Quoniam ibi non inuenitur, quòd actualitas actus puri debeat formaliter actuare eundem actum purum, sed solùm virtualiter, hoc est, quod si ab aliquo actuaretur, non esset ab alio, quàm ab ea actualitate. Sicut cùm dicitur, quòd *intelligere* Dei est vltima actualitas sui intellectus, tunc simili sensus intenditur.

Adde, etiam probabiliter posse dici, vel illam locutionem esse identicam, cùm subiectum nihil ampliùs, quàm prædicatum dicat, sicut sunt propositiones, in quibus prædicatum transcendens prædicatur in abstracto de suo concreto, vt ens est entitas, vel dicatur, esse suo modo formalem, quatenus prędicatum quadammodò distinguitur ex parte nostri modi concipiendi à subiecto, & consideratur vt forma illius, ambiens tamen quicquid est in ipso

§. II. *Assertio posterior, & aliquæ obiectiones contra rationem secundam D. Thomæ.*

Vltima assertio.

3 DIcendum est secundò, satis efficaciter ex vi secundæ rationis Angelici Doctoris suaderi intentum, scilicet, *intelligere* Angeli non esse eius substantiam. Ita Doctores præcedenti conclusione relati. Assertio hæc, sicut & prior, non aliter meliùs, quàm adducendo rationem D. Thomæ, suaderi poterit. Hæc autem ad hanc formam queit redigi. Nam si *intelligere* Angeli esset eius substantia, esset quidem subsistens, vt ex se constare videtur: esset que tantùm vnum, quandoquidem *intelligere* subsistens est tantùm vnum: ergo etiam esset indistinctum, tam à substantia Dei, quæ est ipsum *intelligere* subsistens, quàm à quolibet alio Angelo: siquidem etiam quilibet Angelus esset suum *intelligere* subsistens.

Ratio D. Thom.

Prima obiectio.

4 Cæterùm contra rationem hanc plura ex Valentia, & alijs (quibus prædicta ratio D. Thomæ non ita efficax videtur) possunt obijci. Primum est, quòd in illa propositione, scilicet, *quòd intelligere subsistens tantùm est vnum*, in qua tota structura istius rationis innititur, vel est sermo de *intelligere* puro, & ambiente omnem perfectionem? & sic vera est: quia *intelligere* sic purum est Deus, qui est vnus, quique multiplicari in ratione huius, quod est *intelligere*, nequit: attamen sic non est ad propositum, quoniam in præsenti non agitur de isto *intelligere*. Vel est sermo de *intelligere* tali, scilicet Angelico? Et sic est falsa: quia ex eo quòd tale *intelligere* sit subsistens, solùm sequitur, quòd sit vnum specie, & numero, non verò quòd nequeat dari aliud, præter illud: ac proinde non colligitur, fore indistinctum ab *intelligere* subsistente Dei, aut aliorum Angelorum.

Confirmatur primò.

Confirmatur primò. Quia Angelus v. g. Gabriel secundùm suam rationem peculiarem ita habet crescere in perfectione, vt debeat necessariò esse substantia completa, & per se subsistens: & nihilominùs inde solùm sequitur, quòd sit tantùm vnus secundùm speciem, & numerum; non verò ex hoc multiplicatio substantiarum Angelicarum tollitur. Ergo similiter in præsenti.

Secundò.

Confirmatur secundò. Quia etiam ex hoc, quòd aliquid sit per se subsistens, adhuc non sequitur, quòd debeat esse tantùm vnum specificè, & numericè, vt patet in anima nostra rationali, quæ licèt sit per se subsistens, est tamen secundùm numerum multiplicabilis.

Secunda obiectio.

5 Secundò. Quia *subsistere* per se, potest dupliciter alicui conuenire. Primò formaliter, ita vt subsistere ratione sui illi competat: & hoc non contingit in præsenti: quia *intelligere* subsisteret ratione substantiæ, cui identificaretur. Secundò identicè, ratione illius, cui adiungitur, cum quoque identificatur: at ex hoc non sequitur, quòd sit tantùm vnum: sicut si color subsisteret identificatus cum albedine, & nigredine, & ratione illarum, tunc color non esset vnicus, sed cum ipsis multiplicaretur.

Tertia.

6 Tertiò obijci potest, quòd illa propositio, *intelligere subsistens est tantùm vnum*, vel est vera ratione formę? Et hoc non: quia alioqui in omnibus per se subsistentibus verificaretur, quòd sint tantùm vnum: quod patet esse falsum. Vel est vera ratione materiæ? Et tunc restat assignare rationem, cur in hac materia vera sit.

Quarta.

7 Quartò. Quia (vt D. Thomas inquit opusculo 15. cap. 7. & 8. in solutione ad quartam rationem Auicembron) illud per se subsistens est tantùm vnum, quod est ipsum *esse*: sed etiamsi *intelligere* Angeli esset per se subsistens, non identificaret secum suum *esse*, sicut illud substantia Angeli, etiamsi sit subsistens, non identificat: ergo, &c.

Vltima.

Denique contra eandem rationem obijci potest, non benè sequi ex eo, quòd *intelligere* Angeli sit subsistens, quòd non distingueretur à Deo: quia posset distingui ab illo per hoc, quòd *intelligere* Angeli non haberet (sicut *intelligere* Dei id habet) esse simul *intelligere*, & *velle*.

§. III. *Enucleatur vis rationis D. Thomæ.*

Duo fundamenta ad enucleationem rationis D. Th.

8 CÆterum, his non obstantibus, ratio D. Thomæ inconcussa manet. Sed, vt efficacia eius meliùs percipiatur, notandum est, quòd vis eiusdem rationis his duobus fundamentis nititur. Primum est, quòd omne abstractum, tam à susceptiuo, quàm à contractiuo, si sic, vt à nobis abstractum concipitur, re ipsa subsisteret, non posset esse nisi vnum. Secundum est, quòd hoc ipso, quòd *intelligere* Angeli esset subsistens, esset *intelligere* sic abstractum.

Probatio prioris.

Primi fundamenti veritas patet. Tum, quia abstractum illud, prout à nobis concipitur, abstrahit ab omni contractiuo, & susceptiuo, à quibus solùm poterat multiplicari. Tum etiam. Quia si idea illa Platonis, abstractè ab omni contractiuo, & susceptiuo concepta, daretur à parte rei sic subsistens, non esset nisi vna. Et similiter si color

lor, prout à nobis concipitur, eodem modo abstractus subsisteret, nõ esset nisi vnus. Quia nec posset multiplicari formaliter, seu specificè: cùm ab omni contractiuo, quod solum formaliter specificè multiplicat, abstraheret. Nec etiam materialiter, seu numericè: cùm etiam à distinguente materialiter, vel numericè, scilicet susceptiuo, abstractum esset.

Prior via ad fundendum secundũ fundamentum.

Secundum autem fundamentum quatuor medijs probatur. Vt autem primum ex his medijs melius capiatur, prænotandum est prius, quòd *intelligere* potest considerari dupliciter: primò absolutè, siue vniuersaliter sumptum: secundò vt est tale v.g. Angelicum. Et hoc adhuc potest bifariam accipi: vno modo, præcisè secundùm id, quod dicit perfectionis simpliciter: alio modo secundùm id, quod affert perfectionis, admistum tamen imperfectionibus. In præsenti ergo non loquimur de *intelligere* absolutè, siue vniuersaliter accepto, quia prout sic abstrahit ab hoc, quod sit substantia, vel accidens, sed loquimur de *intelligere* tali, non quidem secundùm id, quod affert perfectionis admistum cum imperfectione, sed secundùm id, quod dicit perfectionis simpliciter. Et ratio est. Tum quia cùm esse substantiam, sit prædicatum dicens perfectionem simpliciter talem, inde est, vt hoc ipso, quòd prædicaretur de *intelligere* Angelico, deberet ei conuenire secundùm id, quod est in ipso perfectionis simpliciter. Tum etiam. Quia eo ipso quod probetur, *intelligere* Angeli non esse subsistens secundùm id, quod dicit perfectionis simpliciter, manebit à fortiori probatum, quòd hoc ei non conuenit secundùm id, quod habet imperfectionis admistum.

9 Hinc ergo primum medium ad probandum secundum fundamentum rationis D. Thomæ deducitur. Quoniam si *intelligere* Angeli secundùm id, quod perfectionis simpliciter dicit, haberet ita in hac perfectione crescere, vt pertingeret ad hoc, vt sit substantia, sitque per se subsistens secundùm id, quod hæc dicunt perfectionis simpliciter: haberet vtique tunc totam perfectionem simpliciter, quæ intra lineam ipsius *intelligere*, vt dicit perfectionem simpliciter, potest contineri. Ergo cùm intra prædictam lineam contineatur *intelligere* abstractum ab omni concretiuo, & susceptiuo, inde est, vt tale *intelligere* esset secundùm rem *intelligere* abstractum ab omni susceptiuo, & contractiuo: & per consequens esset re ipsa tale, quale *intelligere* à nobis conceptum, vt abstractum ab omni contractiuo, & susceptiuo. Consequẽtia est legitima. Antecedens autem probatur. Quia id, quod sic est subsistẽs, habet vtiq; omnẽ perfectionẽ, quæ intra suã lineam ei competere potest. Sicut si albedo per se, & ratione sui subsisteret, haberet omnẽ perfectionem, quæ albedini cõpetere potest. Et similiter si color per se, & ratione sui esset per se subsistens, haberet omnem perfectionẽ coloris, licèt admistam imperfectionibus: quia hæc linea nequit ab illis denudari. Et denique quia substantia Angeli Gabrielis, vt talis, per se, & ratione sui subsistit, id circò habet omnem perfectionem speciei Gabrielis.

Secunda via.

Secundum medium (per quod præcedẽs confirmatur) est. Nam quando ea, quæ apud nos non subsistunt, pertingunt ad tantam perfectionem, vt habeant per se subsistere, habent in se omnem perfectionem suæ lineæ, vt patet in sapientia, & misericordia translata ad Deum: aeproinde abstrahunt ab omni susceptiuo, & contractiuo, quæ omnimodam illam perfectionem poterant limitare.

Tertia.

10 Tertium autem medium vt melius intelligatur, prænotari debet, quòd res tripliciter se habere possunt ad identitatem, & distinctionem realem. Primò, ita vt ex se ipsis petant in quocumque inueniantur, identificari, vt ratio veri, & ratio boni: Secundò è contrà, itavt in quocumque petant ex natura sua distingui, vt albedo, & dulcedo: tertiò, vt ex se ipsis indifferentes sint ad identitatem, & distinctionem, quamuis aliquæ magis in identitatem, aliquę verò magis in distincti onem inclinent. Res igitur hoc tertio modo se habentes, quando apud nos re ipsa distinguũtur, & in super ibidem se habent per modum actus, & potentiæ, non possunt identificari realiter, ac proinde amittere rationem actus, & potentiæ formaliter talium, nisi in actu puro, & per consequens in actu abstracto ab omni susceptiuo, & contractiuo. Et ratio est. Quia mistio actus, & potentiæ solùm potest tolli, vel per puram potentiam, vel per purum actum, vt ex terminis ipsis constat. Quare, cùm hîc nequeat prædicta admistio tolli per puram potentialitatem, siquidem dum ista identificantur, crescunt maximè in perfectione, & actualitate: oportet, vt tollatur per hoc, quòd ibidem detur ratio actus puri, & ex consequenti actus secundùm rem abstracti ab omni susceptiuo, & contractiuo.

Hinc ergo tertium medium desumitur. Nam substantia intelligens, & *intelligere* ex se sunt indifferentia ad identitatem, & distinctionem realem: & propterea in nobis distinguuntur, secùs verò in Deo. Et deinde in nobis, dum sic distinguuntur, comparantur per modum actus, & potentiæ. Ergo quando *intelligere* sic crescit in perfectione secundũ id, quod perfectionis simpliciter dicit, vt sit ipsa substantia intelligentis

sitque per se subsistens, ac proinde substantia intelligens, & intellectio non habeant rationem actus, & potentiæ formaliter talium, id prouenit ex eo, quod ibi inuoluitur ratio actus puri: ac proinde tunc *intelligere* dicet rationem actus abstracti secundùm rem ab omni contractiuo, & susceptiuo.

Vltima

11 Quartum, & vltimum medium est. Nam id, quod est subsistens, non potest specificari ab aliquo extrinseco: quia substantiæ sunt in se, & propter se: ac proinde si *intelligere* Angeli esset per se subsistens, non specificaretur ab alio extrinseco, sed solùm à se ipso. Cumque id, quod specificat *intelligere* Angelicum, sit omne verum, consequens esset, vt tale *intelligere* esset omne verum: ac per consequens esset *intelligere* purum abstractum ab omni susceptiuo, & contractiuo: quia quod sic non abstrahit, non est omne verum.

Ex quibus omnibus satis manet enucleata hæc posterior ratio D. Thomæ consistens in hoc, quòd si *intelligere* Angelicum secundùm id, quod dicit perfectionis simpliciter, est per se subsistens, erit vtique abstractum secundùm rem ab omni susceptiuo, & contractiuo, atque adeò perfectionis infinitæ: & per consequens erit tantùm vnum, scilicet *intelligere* diuinum: quia solùm istud potest esse sic abstractum.

§. IIII. *Fit obiectionibus contra hanc secundam rationem D. Thomæ factis.*

Enodatio primæ obiectionis contra rationé S. Th.

12 EX quibus omnibus patet solutio ad obiectiones adductas contra hanc rationem D. Thomæ. Nam ad primam respondetur, in præsenti sermonem fieri de *intelligere* tali, scilicet Angelico, secundùm id, quod dicit perfectionis simpliciter, vt explicatum est. Cæterùm si hoc *intelligere* secùndùm rationem vltimam esset subsistens, tunc esset tantùm vnum absolutè, & indistinctum ab *intelligere* diuino: quia esset illimitatum, & infinitum, vt probatum est. Licet etiam ex alio capite non esset tantum vnum absolutè, sed solummodò vnum specificè, & numericè, sicut substantia Angelica, cuius esset: & similiter esset finitum, & limitatum. Nec mirum, quòd in illo casu scilicet, si *intelligere* Angelicum esset subsistēs, dicta contradictoria darentur, cùm ex impossibili quodlibet sequatur.

Vnde (quoad præsens) idem est loqui de *intelligere* tali, cui secundùm id, quod perfectionis habet, conuenit esse per se subsistens, ac loqui de *intelligere* puro, omnemque perfectionem habente. Quia hoc ipso, quòd daretur tale *intelligere* per se subsistens, nō posset non ex hoc capite esse actus purus, omnēque perfectionem ambire.

Respōdetur ad primā cō firmationē.

13 Ad primam confirmationem concessa maiori, & minori, negetur consequentia. Et ratio disparitatis est, quòd Gabriel v.g. secūdùm suam peculiarem rationem habet ex genere suo, & ex natura sua identificari cum sustantia: & sic ad hoc vt identificetur cū illa, non est necesse, quòd crescat tantum in perfectione, vt abstrahat ab omni contractiuo, & susceptiuo: ac perconsequens neque oportet, quòd tollatur omnimoda multiplicatio substantiarum Angelicarum. Cæterùm in *intelligere* Angelico res è contrà se habet. Nā cùm ex genere suo non petat cū substantia identificari: ad hoc vt talis identificatio ei conueniat, oportebat, quòd ita in perfectione cresceret, vt ab omni contractiuo, & susceptiuo abstraheret, vt explicatum est: ac perconsequens quòd sit tantum vnum.

Adde, quòd ratio peculiaris Angeli, constituens illum in suo *esse* quidditatiuo, nō specificatur ab omni vero: & ideò etiāsi sit substantia, non debet esse omne verum abstractū ab omni contractiuo, & susceptiuo. Quod è contrà accidit in *intelligere*, quod à vero vniuersaliter sumpto specificatur. Et ita si esset substantia per se subsistēs, diceret totā perfectionem veri, vt in fine §. præcedentis dicebamus.

Ad secundā confirmat.

Ad secundam confirmationem iam patet, nos non loqui de quolibet subsistenti, sed de subsistenti modo dicto abstracto. Anima verò non abstrahit à susceptiuo, & sic potest numericè multiplicari.

Adde, quòd ex hoc potiùs doctrina nostra confirmatur. Nam ideò potest multiplicari specificè substantia Angelica, non verò numericè, quia non abstrahit à contractiuo (cùm propriè constet genere, & differentia) benè tamen à susceptiuo. E contrà anima nostra potest secundùm numerum multiplicari, quia non abstrahit à susceptiuo, seu ab ordine ad illud: nequit tamen secundùm speciem multiplicationem accipere, quia vlteriorem rationem contractiuam formalem excludit. Vnde hoc ipso, quòd *intelligere* (de quo loquimur) abstrahat ab omni contractiuo, & susceptiuo, erit tantummodò vnum.

Enodatio secundæ obiectionis.

14 Ad secundam respondetur, quòd si semel daretur illud *intelligere* subsistens, tunc non ratione alterius, sed formaliter ratione sui conueniret illi, quòd subsisteret: tum, quia haberet omnem perfectionem suæ lineæ ratione sui, ac proinde subsistentiam, quæ ad lineam *intelligere* spectat: tum etiam, quia esset actus purus: huic autē ratione sui conuenit per se subsistere: tum denique, quia tale *intelligere*, cùm nō ab alio,

sed

ſed à ſe ipſo debeat ſpecificari, haberet in ſe omne verum, vt dictum eſt: *intelligere* autem, quod eſt omne verum, eſt *intelligere* diuinum: ac per conſequens *intelligere*, cui ratione ſui ſubſiſtere competit.

Tertiæ. Ad tertiam reſpondetur, propoſitionem illam eſſe veram in abſtractis ab omni ſuſceptiuo, & contractiuo ratione formæ: & hæc, eo ipſo quòd ſic abſtracta ſubſiſterent, non eſſent niſi vnum.

Quartæ. 15 Ad quartam reſpondetur, quòd eo ipſo quòd *intelligere* Angelicum eſſet idem cum ſubſtantia Angeli, non ſolùm eſſet per ſe ſubſiſtens, ſed etiam eſſet ſuum *eſſe*. Quia cùm *eſſe* Angeli ſit medium inter eius ſubſtantiam, & *intelligere*, nõ poſſent hæc duo, ſcilicet *intelligere*, & ſubſtantia identificari ſine eo, quòd etiam identificarent ſecũ ſuum *eſſe*: quia cùm extrema ſint idem, medium nõ differt ab eis, cùm magis diſtet extremum ab extremo, quàm medium. Quæ ſolutio deſumitur ex D. Thoma in argumento *ſed contrà* huius articuli.

Vltimæ. Ad vltimam reſpondetur, quòd in illo caſu (ſcilicet, ſi *intelligere* Angeli eſſet ſubſiſtens) ſimul eſſet intelligere, & velle: quia cũ eſſet *intellegere* purum, ambiens omnem ſuæ lineæ perfectionem, oporteret, quòd eſſet radicaliter volitiuum per modum actus puri: quia hoc ad lineam intellectionis ſpectat. Ex quo vlteriùs ſequeretur, non poſſe diſtingui realiter à ſua volitione: quia ſi realiter diſtingueretur, iam *intelligere* non eſſet radix volendi per modum actus puri, ſed potiùs per modum potentiæ, & volitio ſe haberet per modum actus.

DVBIVM II.

Vtrùm ratio, qua D. Thomas articulo 2. huius q. probat, quòd intelligere *Angeli non eſt eius* eſſe, *ſit efficax?*

SEmel explicata efficacia vtriuſque rationis adductę à D. Thoma in priori art. meritò ad examinandam efficaciam rationis eiuſdem S. Doctoris, qua aſſertionem articuli ſecundi probat, ſtatim deuenimus.

§. I. *Reſolutio dubij.*

Concluſio. 16 DIcendum ergo eſt, rationem D. Thomæ art. 2. huius q. adductã, eſſe efficacem ad ſuadendum intentum, ſcilicet, *intelligere* Angeli non eſſe eius *eſſe*. Ita communiter Doctores de hoc agentes, præter vnum, vel alterum, quos infrà adducemus. Aſſertio hæc, ſicut duæ aſſertiones dubij præcedentis, non aliter meliùs, quàm ponendo rationem S. Doctoris, ſuadebitur, quæ quidem poteſt ſub hac forma proponi. Quoniam *eſſe* Angeli v. g. eſt in vnica, & determinata ſpecie atoma: ſed *intelligere* illius (& idem eſt de qualibet alia actione immanenti) non eſt in vnica, & determinata ſpecie, ſed eſt per tot ſpecies intellectionis multiplicabilis, quot ſũt obiecta, quę poteſt intelligere: ergo *eſſe*, & *intelligere* non poſſunt eſſe idem. Patet conſequentia. Quia determinatum, & indeterminatum ſecundùm ſpeciem non poteſt eſſe idem.

Cõfirmatio Confirmatur ratione, quam innuit S. Doctor in hoc eodem articulo. Quia *eſſe* Angeli eſt ſimpliciter finitum & limitatum: *intelligere* verò eiuſdem eſt ſimpliciter infinitum: quia, quantum eſt ex ſe, poteſt ſe extendere ad omne verum, ac proinde ad omne ens, ab illoque ſpeciem ſumit: ergo *intelligere* Angeli, & eius *eſſe* debent diſtingui realiter: quia finitum ſimpliciter, & ſimpliciter infinitum non poſſunt eſſe idem.

§. II. *Obiectiones contra rationem D. Thomæ, & eius confirmationem.*

Prima obiectio contra rationem D. Thom. *Valentiæ.* 17 CÆterùm hæc ratio D. Thomæ aliquibus diſplicet, & peculiariter eius confirmatio non omninò placet Valentiæ in hac 1. p. q. 5. de Cognitione Angelorum puncto 4. & ideò in fauorem eius poteſt primò contra præcipuam S. Doctoris rationem obijci, quòd ſubſtantia Angeli, vt natura, habet eſſe in vnica, & determinata ſpecie, & tamen ipſamet, vt in ordine intellectiuo eſt potentia reſpectu ſpecierum intelligibilium, non eſt in ſpecie determinata, ſed queit per tot ſpecies determinari, quot ſunt obiecta, quæ valet intelligere: & nihilominus prædicta ſubſtantia habet identificare has duas rationes: ergo etiamſi *eſſe* Angeli ſit in ſpecie determinata, ſecùs verò *intelligere* Angeli, poterunt eſſe idem.

Secunda. 18 Secundò, quòd licèt ex ratione D. Thomæ habeatur, non poſſe aliquid vnum & idem ſecundùm eandem rationem eſſe determinatum, & indeterminatum; nihil tamen obeſt, quòd ſecundùm diuerſas rationes virtualiter diſtinctas poſſit hoc habere. In præſenti autem, ſi *intelligere* Angeli eſſet ſuum *eſſe*, competeret ei eſſe determinatum per ordinem ad eſſentiam, quam terminaret, & indeterminatum reſpectu obiectorum, ad quæ terminaretur, ac proinde ſecundũm diuerſas virtualiter rationes.

Con-

Confirmatur. Quia adhuc non requiritur distinctio virtualis inter duo ad hoc, vt detur ibi aliquid, quod sit determinatæ speciei, & aliquid habens indeterminationem ad plures specificationes, sed sufficiet distinctio ex parte nostri modi concipiendi, seu distinctio secundùm explicitum, & implicitum, vt patet in ente, & bono. Quoniam aliquod ens v.g. actus charitatis, vt ens, est vnius quasi speciei, & tamen, vt bonus, est indeterminatus secundùm diuersas species boni honesti, vtilis, & delectabilis.

Confirmatur.

19 Tertiò. Quia etsi id, quod est determinatæ, & indeterminatæ speciei, non possit esse idē, quando non correspondet vni & eidē causæ, secùs quando ei correspondet, vt in præsenti contingit. Et ratio huius discriminis est. Quòd in his, quæ correspondent eidem causę, sicut se habet causa ad causam, ita effectus ad effectum. Sed forma, per quā Angelus est potentia ad *esse*, & habet vim ad causandum quodammodò illud, est eadem-met, quę est potentia radicalis ad omne *intelligere*, & habet causare illum. Ergo *esse* Angelicum, & omne *intelligere* illius erit omninò idem.

Tertia obiectio.

Nec refert, si occurras ex D. Thoma in hac q. art. 2. ad 2. vbi sic habet. *Dicendum, quòd ipsa essentia Angeli est ratio totius sui esse; non autem est ratio totius sui intelligere: quia non omnia intelligere potest per suam essentiam. Et ideò secundùm propriam rationem, in quantum est talis essentia, comparatur ad ipsum esse Angeli. Sed ad eius intelligere comparatur secundùm rationem vniuersalioris obiecti, scilicet veri, vel entis. Et sic patet, quòd licèt sit eadem forma, non tamen secundùm eandem rationem est principium essendi, & intelligendi. Et propter hoc non sequitur, quòd in Angelo sit idem esse, & intelligere.*

Solutio.

Non itaque hoc refert. Nam in contrarium est, quòd licet ex hac solutione habeatur *esse* Angeli non identificari cum omni suo *intelligere*, non tamen habetur, non identificari cum intellectione, qua se ipsum intelligit. Quoniam essentia Angeli, sicut est forma naturalis per quam ipse est, sic etiam est forma intelligibilis, per quam se ipsum intelligit. Et sic secundùm propriam rationem comparabitur ad *esse*, & ad hoc *intelligere*.

Impugnatio aduersariorum.

Confirmatur, & explicatur. Quia essentia Angeli, vt natura est, non distinguitur à se ipsa, vt species intelligibilis est: ergo neque eius *esse*, ad quod per se primò ordinatur essentia eius, vt natura, debet distingui, saltem ab *intelligere*, ad quod per se primò respicit, vt species intelligibilis est, scilicet ab *intelligere*, quo se ipsum intelligit. Probatur consequentia. Quia si hi duo actus distinguerētur realiter, non possent non similem distinctionem in substantiam Angeli, vt natura, & vt species intelligibilis est, refundere. Sicut propter eandem rationem, quia in igne *esse*, & *calefacere* sunt actus realiter distincti, etiam substantia ignis, & eius potentia calefactiua, quæ per se primò dictos actus respiciunt, debent realiter distingui.

Confirmatur & eluci datur.

20 Vltimò contra confirmationem obijci potest, quòd *intelligere* Angelicum etiam est simpliciter finitum, sicut *esse* eiusdem Angeli: quia etsi extendatur ad omne verum, non tamen infinito, sed finito modo: & ita ad summum erit secundùm quid infinitum. Sic autem *esse* Angelicum habet infinitatem: quia non limitatur, & diuiditur per materiam, sed habet totam suæ speciei plenitudinem, & perfectionem, quod est habere quodammodò, & secundùm quid infinitatem.

Nec obest, si occurras, quòd etsi *intelligere* Angelicum sit finitum intrinsecè, est tamen infinitum simpliciter ex parte obiecti: quia eius obiectum est omne ens, sicut *sentire* est infinitum secundùm quid ex parte obiecti, quia eius obiectum dicit aliquid infinitum secundùm quid, id est, in aliquo certo genere, scilicet in genere obiecti sensibilis.

Nam contra hoc est, quòd hoc etiam modo bene posset *esse* Angelicum identificatum cum *intelligere* esse quid simpliciter infinitum ex parte obiecti, & extrinsecè, ac finitum & determinatum intrinsecè: sicut intellectio, & cognitio sensitiua sunt quid finitum intrinsecè, licèt habeant infinitatem secundùm quid ex parte obiecti, & extrinsecam. Maximè, quia etiam esse Angelicum, vt requiritur ad intelligendum, habet quodammodò respicere omne verum, sicut deseruit ad omnem intellectionem cuiuslibet veri: & ita etiam ex hac parte habebit infinitatem obiectiuam, & extrinsecam.

§. III. *Enodatio obiectionum contra rationem S. Doctoris.*

Responsio primæ obiectionis.

21 HÆC tamen vim rationis D. Thomæ non infringunt. Vnde ad primū respondetur, quòd substātia Angeli est in vnica, & determinata specie atoma, & essentiali. Per determinationē autem, quā ab speciebus intelligibilibus recipit, non constituitur in aliqua specie essentiali, sed solùm accidentali. Vnde nullum est inconueniens, quòd sit determinabilis respectu illarum: quia ex hoc solùm sequitur, quòd in sua essentia sit determinata, & respectu accidentium indetermina-

minata. At verò *intelligere* Angelicum, ſecundùm quòd exprimit actum adæquatum intellectus Angelici, non eſt in ſpecie atoma, ſed ſubalterna: vnde differentiæ, per quas eſt determinabile, conſtituunt illud in ſpecie eſſentiali, ſuntque differentiæ eſſentiales. Et ideò, ſi ſemel *intelligere* Angeli non diſtingueretur ab *eſſe* eiuſdem Angeli, oporteret, quòd tale *eſſe* valeret contrahi, & determinari per differentias ſpecificas & eſſentiales, ſicut & ipſum *intelligere* eſt tali modo determinabile. Conſtat autem, quòd eſſe Angelicum, cùm ſit in vnica, atoma, & determinata ſpecie, nequit contrahi & determinari per vlteriores differentias eſſentiales: ac proinde non poterit cum ſuo *intelligere* identificari.

Prior enoda tio ſecundæ

22 Ad ſecundum reſpondetur, quòd cùm eſſentia ſpecifica, & atoma rei ſit tantũ vnica, ſecundùm vnicam etiam rationem debet in ſua ſpecie eſſentiali determinari. Vnde, ſi ſecundùm vnã rationem eſt determinata ſpecificè, atomè, & eſſentialiter, nequit ſecundùm alias rationes per vlteriores differentias eſſentiales (ſed ad ſummum accidentales) determinari. In præſenti autem, ſi *eſſe* identificaretur cum *intelligere*, eſſet determinatum in ſua ſpecie, vt dictum eſt, & non eſſet determinatum, quia eſſet vlteriùs contrahibile per plures differentias eſſentiales, ſcilicèt per differentias omnes intellectionum.

Alia eiuſdẽ ſolutio.

23 Secundò reſpondetur, quòd ex ratione D. Thomæ ex vi formæ ſolùm probatur diſtinctio formalis realis ante intellectus operationem: quia ſine tali diſtinctione non poteſt aliquid, etiam ſecundùm diuerſas rationes, eſſe determinatum, & indeterminatum ſecundùm ſpeciem. Cæterùm in preſenti ex alijs capitibus probatur diſtinctio entitatiua. Quia illa tantùm petunt diſtingui diſtinctione formali, non verò entitatiua, quorum alterum, vel vtrumque eſt adeò debilis realitatis, vt ſolùm afferat formalitatem aliquam, non verò entitatem per modum rei: vt patet in actione, & paſsione reſpectu motus, & etiam in motu reſpectu termini, à quo ſolùm realiter formaliter, ſeu modali diſtinctione diſtinguitur: quia motus ob ſuam imperfectionem non pertingit ad hoc, vt ſit ens per modum rei, & entitatis, ſed ſolùm ad hoc, quòd ſit formalitas quædam, ſiue modus ipſius termini, vt docent N. Complutenſes in lib. Phyſicorum diſput. 16. n. 31. At verò *intelligere*, aut *eſſe* Angelicum non dicuntur realitates ita debiles, ſed afferentes ſatis perfectionis: *eſſe* quidem intra lineam ſubſtantiæ, vt patet; *intelligere* verò intra lineam accidentis. Quia cùm ſit operatio immanens ad prædicamentum qualitatis ſpectans, non dicit modum ſui termini, neque eſt propter illum, vt contingit in actione tranſeunte; ſed potiùs è contrà, terminus eſt propter operationem, ſeu propter *intelligere*, & vt ipſi deſeruiat: & ita quando illo indiguerit, vt illi deſeruiat, tunc producit prædictum terminum, ſecùs quando non habet hanc indigentiam. Et ita viſio beata, cui non eſt neceſſarium, vt deſeruiat aliquod verbum creatum, non producit illud: & ideò ob hãc perfectionem *intelligere* habet, quòd ſit non ſolùm formalitas quædam, ſed etiam ens per modum rei: ac proinde debet diſtingui ab *eſſe*, non ſolùm diſtinctione formali, ſed etiam entitatiua.

N. Compl.

Adde primò, quòd dum aliqua ſolùm formaliter diſtinguuntur, tunc quod eſt cauſa efficiens vnius, debet eſſe etiam cauſa efficiens alterius: at quoad præſens ſubſtantia Angeli ſimul cum ſua potentia, & obiecto eſt cauſa efficiens intellectionis Angelicæ, non verò *eſſe* Angelici: ergo *eſſe*, & *intelligere*, non ſolùm formaliter, ſed entitatiuè diſtinguuntur. Enucleatur hæc ſolutio

Adde ſecundò. Tum, quòd *eſſe* Angeli eſt dumtaxat naturale; *intelligere* verò poteſt eſſe ſupernaturale ſecundùm ſubſtantiam, vt patet in actu fidei, & viſionis beatificæ. Tum etiam, quòd *eſſe* Angeli quoad totam ſuam entitatem eſt à ſolo Deo, nec poteſt ei aliqua deformitas nec phyſica, nec moralis coniungi: at intellectio non eſt à ſolo Deo, & poteſt deformitatem aliquam phyſicam, & etiam moralem admittere, vt patet in actu infidelitatis, qui formaliter eſt malus in ordine morali, ſicut & actus erroris in ordine phyſico. Hoc autem ſatis videtur indicare maiorem diſtinctionem inter vtrumque, quàm formalem. Illuſtratur amplius.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd ratio D. Thomæ procedit de illis, quæ ſunt determinata, & indeterminata reſpectu differentiarum realium, non ſolùm ex parte modi concipiendi, ſed etiam ex parte rei conceptæ determinantium & contrahentium rationem ſuperiorem: talia enim non poſſunt non aliqua diſtinctione reali (formali ſaltem) diſtingui. Vnde, quia bonum, vel non eſt determinabile per differentias reales, id eſt, addentes aliquam rationem realem, ſed ſolùm relationem rationis, vt vult Caietanus in præſenti; vel ſi prædictę differentiæ, aut quaſi differentiæ ſunt reales, ſolùm ſunt determinatiuæ ex parte modi concipiendi, non verò ex parte rei conceptæ: ideò non eſt neceſſe, quòd bonum, quod reſpectu talium differentiarum eſt modo dicto indeterminatum, diſtinguatur aliqua diſtinctione formali, & ex natura rei ab ente, quod, prout eſt ens, dicit determinationem. Occurritur cõfirmationi.

Caietanus

Ad

Tertiæ obiectioni fit satis.

24 Ad tertium respondetur, optimam esse solutionem D. Thomæ ibi assignatam. Ad replicam negatur antecedens. Et ad probationem in illo contentam respondetur, quòd etiam respectu intellectionis, qua Angelus seipsum intelligit, non est essentia eius secundùm eandem rationem principium essendi, & intelligendi. Nam essentia Angeli, secundùm propriam rationem est ratio adæquata totius sui *esse* existentiæ: at verò eadem essentia secundùm propriam rationem non est ratio adæquata intellectionis, qua Angelus se ipsum intelligit; sed insuper ad hanc intellectionem requiritur intellectus. Cùm autem essentia simul cum intellectu non sit idem secum, & sine intellectu sumpta: ideò non sequitur, quòd propter identitatem causæ debeant esse idem *esse*, & *intelligere*.

Soluitur cõfirmatio.

Ad confirmationem concesso antecedenti, negatur consequentia. Ad cuius probationem negatur antecedens. Nec instantia ibi allata aliquid probat. Quia ratio, propter quam substantia ignis, & eius potentia calefactiua distinguuntur realiter, non est, quia vtcumque respiciunt perse primò actus realiter distinctos; sed quia in eodem ordine entitatiuo hoc illis competit. Cæterùm essentia Angeli, vt natura, & vt species intelligibilis est, non habet in eodem ordine respicere per se primò & *esse*, & *intelligere*, sed in ordine entitatiuo respicit perse primò *esse*, secundariò verò operationem: in ordine autẽ intelligibili è contrà res se habent: nam *intelligere* primariò respicitur ab eo, *esse* verò secundariò: & ideò *esse*, & *intelligere*, etsi realiter distinguantur, similem tamen distinctionem in substantiam Angeli, vt natura, & vt species est, non refundunt.

Fulcitur ratione.

Ratio autem, & elucidatio huius desumitur ex his, quæ in 1. tomo tractatu 2. disput. 2. num. 105. diximus. Quia licèt essentia Angeli, vt species intelligibilis, habeat in ordine intelligibili respicere perse primò operationem, attamen hoc non habet, nisi vt fundata, & identificata cum *esse* entitatiuo & naturali: quia proprium est *esse* intelligibilis, saltem creati, fundari, & identificari cum aliquo *esse* naturali & entitatiuo. Ex quo prouenit, quòd in essentia Angeli, vt species est, & in qualibet alia specie intelligibili ex diuerso capite oritur distinctio realis, & entitatiua, ac ratio eius formalis: quoniam hęc desumitur ex operatione intelligibili, ad quam perse primò per modum determinationis potentiæ actiuæ in ordine intelligibili respicit, at verò distinctio realis, & entitatiua sumitur ex *esse* entitatiuo & naturali, in quo fundatur. Vnde essentia Angeli, vt est species, nequit realiter, & entitatiuè distingui à se ipsa, vt habet *esse* entitatiuum & naturale, benè tamen à qualibet alia. Cæterùm quando in eodem ordine, nempe entitatiuo, actus realiter distincti perse primò respiciuntur, tunc potentiæ, quæ illos respiciunt, ex eodem capite distinctionem realem, & suam formalem rationem sibi vendicant: ac proinde, si actus realiter distinguuntur, etiam potentiæ, illos perse primò respicientes, debent eadem distinctione reali gaudere.

Vindicatur solutio tradita vltimæ obiectioni.

25 Ad vltimum benè respondetur ibi. Et ad replicam respondetur, quòd *esse* Angeli nequit habere infinitatem simpliciter extrinsecè: quia talis infinitas prouenit ab obiecto specificatiuo, scilicet à vero includente ens, inquantùm ens: *esse* autem non specificatur à prędicto obiecto, sed à substantia, & natura, cuius est prędictum *esse*. Per quod patet ad vltimam probationem. Quia etiamsi *esse* Angelicum deseruiat ad cognitionem totius veri: cùm non habeat hoc per modum potentiæ proximæ, aut operationis ab illa elicitę, sed per modũ conditionis ad operandum, non potest habere pro obiecto specificatiuo omne verum, ac proinde nec adhuc extrinsecè infinitatem simpliciter. Sicut nec etiam substantia Angeli, quę per modum radicis concurrit, non habet prædictam infinitatem: quia sicut non respicit per se primò ipsum *operari* circa ens in tota sua latitudine, seu quia non respicit per se primò ipsum *intelligere* omne ens: ita non specificatur ab ente, siue à vero in tota sua latitudine, sed est omninò absoluta in sua specificatione.

Adde, quòd si *intelligere*, & *esse* identificarentur, non possent non habere infinitatem simpliciter intrinsecè. Quia (vt dubio præcedenti dictum est) eo ipso quòd *intelligere* esset *intelligere* substantiale, tunc non ab extrinseco, sed à se ipso specificaretur: ac proinde in se deberet habere omnem rationem veri: quæ ratio dicit infinitatem simpliciter: quia quod est omne verum, est omne ens sine aliqua limitatione aut contractione.

(.:.)

AR-

ARTICVLVS III.

Vtrum potentia intellectiua Angeli ſit eius eſſentia?

Inſ. q. 77. a. 1. cor. & q. 79. art. 1.

AD Tertium ſic procedi-tur. Videtur, quòd virtus, vel potentia intellectiua in Angelo non ſit aliud quàm ſua eſſentia. Mens enim, & intellectus nominat potentiam intellectiuam. Sed Dionyſius * in pluribus locis ſuorum librorũ nominat ipſos Angelos intellectus, & mentes. Ergo Angelus eſt ſua potentia intellectiua.

† Cap. 7. & 9. de diui. no. & c. 12. cæleſ. Hie

¶ 2. Præterea. Si potentia intellectiua in Angelo eſt aliquid præter eius eſſentiam, oportet, quòd ſit accidens: hoc enim dicimus eſſe accidens alicuius, quod eſt prẽter eius eſſentiam. Sed forma ſimplex ſubiectum eſſe nõ poteſt, vt Boetius dicit in libr. de Trinitate * . Ergo Angelus nõ eſſet forma ſimplex: quod eſt contra præmiſſa. †

†Ante medi. lib. de trin.

†Q. 50. art. 1. & 2.

¶ 3. Præterea. Auguſtinus dicit 12. Confeſsionũ *, quòd Deus fecit Angelicam naturam prope ſe; materiam autẽ primam prope nihil. Ex quo videtur, quòd Angelus ſit ſimplicior, quàm materia prima, vtpotè Deo propinquior. Sed materia prima eſt ſua potentia. Ergo multò magis Angelus eſt ſua potẽtia intellectiua.

† Lib. 12. confeſ. c. 7. in fin. tom. 1.

SED contra eſt, quod Dionyſius dicit 2. cap. * Angelicæ hierarchiæ, quòd Angeli diuidũtur in ſubſtantiã, virtutẽ, & operationẽ. Ergo aliud eſt in eis ſubſtãtia, & aliud virtus, & aliud operatio.

Cap. 11. circa med. illius.

RESPONDEO dicendũ, quòd nec in Angelo, nec in aliqua creatura virtus, vel potentia operatiua eſt idem, quod ſua eſſentia. Quod ſic patet. Cùm enim potentia dicatur ad actum, oportet, quòd ſecundùm diuerſitatem actuum, ſit diuerſitas potentiarũ. Propter quod dicitur, quòd proprius act s reſpondet propriæ potentiæ. In omni autem creato, eſſentia differt â ſuo eſſe, & comparatur ad ipſum, ſicut potentia ad actum, vt ex ſuprà dictis patet. * Actus autem, ad quem comparatur potentia operatiua, eſt operatio. In Angelo autem non eſt idẽ intelligere, & eſſe; nec aliqua alia operatio, aut in ipſo, aut in quocũque alio creato. Vnde eſſentia Angeli non eſt eius potentia intellectiua, nec alicuius creati eſſentia eſt eius operatiua potentia.

* Art. 1. & 2. præced. & q. 3. art. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod Angelus dicitur intellectus, & mens: quia tota eius cognitio eſt intellectualis. Cognitio autem animæ partim eſt intellectualis, & partim ſenſitiua.

Ad ſecundùm dicendũ, quòd forma ſimplex, quæ eſt actus purus, nullius accidentis poteſt eſſe ſubiectum: quia ſubiectum comparatur ad accidens, vt potentia ad actum, & huiuſmodi eſt ſolus Deus: & de tali forma loquitur ibi Boetius. Forma autem ſimplex, quæ non eſt ſuum eſſe, ſed comparatur ad ipſum, vt potentia ad actum, poteſt eſſe ſubiectũ accidẽtis; & præcipuè eius, quod cõſequitur ſpeciẽ. Huiuſmodi autẽ accidens pertinet ad formam. Accidens

verò, quod eſt indiuidui, non cõſequẽs totam ſpeciem, conſequitur materiam, quæ eſt indiuiduationis principium. Et talis forma ſimplex eſt Angelus.

Ad tertium dicendum, quod potentia materię eſt ad ipſum eſſe ſubſtantiale, & non potentia operatiua, ſed ad eſſe accidentale. Vnde non eſt ſimile.

Concluſio eſt negatiua.

Animaduerſio circa hunc articulum.

1 PLura poſſent circa ea, quæ in hoc articulo continẽtur, dubia excitari. Primum, an ſubſtantia ſit immediatè operatiua? Secundum, an ad hoc, quòd accidens attingat immediatè productionem ſubſtantię, debeat ſubſtantia præſtare aliquem immediatum influxum, quo confortet concurſum accidentis? Tertiũ, an paſsiones, aliqua actione media inter ipſas, & eſſentiam, & diſtincta ab actione generantis, efficienter ab ipſa eſſentia procedant? Quartum, an generatio ſubſtantialis, & alteratio realiter tanquam duæ actiones diſtinguantur? Et tãdem plura alia poſſent in hoc articulo diſputari. Gæterùm quia de his in lib. Phyſicorum latè diſputant N. Compl. nam de tribus prioribus agunt in 2. lib. Phyſic. diſp. 10. q. 4. 6. & 7. & de 4. in q. 6. citata §. 4. ideò, ne actũ agamus, ab illis omnibus ſuperſedendum duximus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm in Angelo ſit intellectus agens, & poſsibilis?

2. cõt. c. 96. ratione 6.

AD Quartũ ſic proceditur. Videtur, quod in Angelo ſit intellectus agens, & poſsibilis. Dicit enim Philoſophus in 3. de Anima † quòd ſicut in omni natura eſt aliquid, quo eſt omnia fieri, & aliquid, quo eſt omnia facere, ita etiã in anima. Sed Angelus eſt natura quædam. Ergo in eo eſt intellectus agens, & poſsibilis.

† Lib. 3. de anima tex. 17. tom. 2.

¶ 2. Præterea. Recipere eſt propriũ intellectus poſsibilis: illuminare autem eſt proprium intellectus agentis, vt patet in 3. de anima *. Sed Angelus recipit illuminationem à ſuperiori, & illuminat inferiorem. Ergo in eo eſt intellectus agens, & poſsibilis.

† Lib. 3. de anima tex. 2. 3. & 18. tom. 2.

SED cõtrà eſt, quòd in nobis intellectus agens, & poſsibilis eſt per comparationem ad phantaſmata: quæ quidem comparantur ad intellectum poſsibilẽ, vt colores ad viſum; ad intellectum autẽ agentem, vt colores ad lumen vt patet ex 3. de anima *. Sed hoc nõ eſt in Angelo. Ergo in Angelo nõ eſt intellectus agẽs, & poſsibilis

† Lib. 3. de anima tex. 18. tom. 2.

RESPONDEO dicẽdum, quòd neceſsitas ponendi intellectũ poſsibilẽ in nobis fuit propter hoc, quòd nos inuenimur quandoque intelligentes in potentia, & non in actu. Vnde oportet eſſe quãdam virtutem, quæ ſit in potẽtia ad intelligibilia, ante ipſum intelligere; ſed reducitur in actũ eorũ, cùm fit ſciẽs, & vlteriùs cùm fit cõſiderans: & hæc virtus vocatur intellectus poſsibilis. Neceſsitas autẽ ponẽdi intellectũ agentem fuit, quia naturæ rerum materialiũ, quas nos intelligimus, nõ ſubſiſtũt extra animã immateriales, & intelligibiles in actu; ſed ſunt ſolùm intelligibiles in potẽtia extra animã exiſtentes: & ideó oportuit eſſe aliquã virtutẽ, quæ faceret illas naturas intelligibiles actu: & hæc virtus dicitur intellectus agens in nobis. Vtraque autem neceſsitas deeſt in Angelis:

Angelis: quia neque ſunt quãdoque intelligentes in potentia tãtum reſpectu eorum, quæ naturaliter intelligunt: neque intelligibilia eorum ſunt intelligibilia in potentia, ſed in actu: intelligũt enim primò, & principaliter res immateriales, vt infrà prtebit. Et ideò non poteſt in eis eſſe intellectus agens, & poſsibilis, niſi æquiuocè.

2 ſeq. ar. 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd Philoſophus intelligit iſta duo eſſe in omni natura, in qua contingit eſſe generari, vel fieri, vt ipſa verba demonſtrant. In Angelo autem non generatur ſcientia, ſed naturaliter adeſt. Vnde non oportet ponere in eis agens, & poſsibile.

Ad ſecundum dicendum, quòd intellectus agentis eſt illuminare; non quidem alium intelligentem, ſed intelligibilia in potentia, inquantum per abſtractionem facit ea intelligibilia in actu. Ad intellectum autem poſsibilem pertinet eſſe in potentia reſpectu naturalium cognoſcibilium, & quandoque fieri actu. Vnde, quòd Angelus illuminat Angelum, non pertinet ad rationem intellectus agentis: neque ad rationem intellectus poſsibilis pertinet, quòd illuminatur de ſupernaturalibus myſterijs, ad quę cognoſcenda quandoque eſt in potẽtia. Siquis autem velit hæc vocare intellectum agentem, & poſsibilem, æquiuocè dicet, nec de nominibus eſt curandum.

Concluſio eſt negatiua.

Annotatio circa concluſionem huius articuli.

1 CIrca huius articuli concluſionem animaduertendum eſt, rationem illius à S. Doctore adductam inniti in eo, quòd propter duo ponitur in nobis intellectus agens. Primò quidẽ, quia nos inuenimur quandoque in potentia intelligentes, & non in actu, id eſt, habentes quandoque, quicquid ex parte actus primi requiritur ad intelligendũ, & quandoque id non habentes: ac proinde quia ſumus in potentia ad ſpecies intelligibiles, quæ ad conſtituendum nos in actu primo deſiderantur, ita vt reperiamur indifferentes ad hoc, vt ſimus actuati per illas, & ad hoc, vt ſimus præcisè in potentia ad eaſdem: & propterea intellectus noſter, dum primò producitur, eſt quaſi tabula raſa, in qua nihil eſt depictum. Secundò verò datur in nobis intellectus agens: quia res, quæ ſunt extra animam, non ſunt intelligibiles in actu, ſed in potentia: & ideò oportet, dari aliquam virtutem in anima, quæ ex intelligibilibus in potentia reddat illas intelligibiles in actu. At vtraque neceſsitas deeſt in Angelis. Prima quidem. Quia ratione ſuæ perfectionis debent ſemper eſſe in actu primo in ordine ad intelligendum ſuum ſubiectum proportionatum, ex eo quòd ſunt in tertio gradu immaterialitatis à D. Thoma art. 2. q. 12. huius 1. p. recenſito, qui hoc petit. Secunda verò. Quoniam intelligunt primò & principaliter res immateriales, quæ ſunt intelligibiles in actu, & ſolùm minùs principaliter ad res materiales extenduntur. Vnde ad rationem intellectus agentis oportet, vt correſpondeat potentia paſsiua intellectualis, quæ ſit indifferens ad habẽdas ſpecies intelligibiles, & ad carendum eis. Nam ſi hanc indifferentiam non habet, ſed ei debentur in primo inſtanti, non remanet neceſsitas ponendi in eo ſuppoſito intellectum agentem. Quoniam ad Deũ ſpectabit producere, & infundere prædictas ſpecies, quippe debitas in inſtanti creationis. Per quæ, omnia argumenta, quæ Scotus contra rationem D. Thomæ affert, facile ſoluuntur: & ideò neceſſe non eſt illa proponere, & ſigillatim diſſoluere. *Scotus*

(???)

ARTICVLVS V.

Virùm in Angelis sit sola intellectiua cognitio?

1.q 79. art. 3.3. Et mal. q.16. art 1. 14.

AD Quintum sic proceditur. Videtur, quod in Angelis non sit sola intellectiua cognitio. Dicit enim Augustinus †8. de Ciuitate Dei, quod in Angelis est vita, quæ intelligit, & sentit. Ergo in eis est potentia sensitiua.

†Lib 8. c. 6. paulò à princip. tom. 5.

†Isidor. lib. 1. de summo bono c. 12. à medio.

¶. 2. Præterea, Isidorus dicit, quod Angeli multa nouerũt per experientiam. Experientia autem fit ex multis memorijs, vt dicitur in 1. Metaphy. Ergo in eis est etiam memorialis potentia.

† Lib. 1. Met. non re notè à principio Fri tom. 3.

†Parte 4. paùm à medio.

¶. 3. Præterea, Dionysius †dicit 4. c. de Diuinis nominibus, quod in Dæmonibus est phantasia peruersa. Phantasia autem ad vim imaginatiuam pertinet. Ergo in Dæmonibus est vis imaginatiua. Et eadem ratione in Angelis, quia sunt eiusdem naturæ.

SED contra est, quod Gregorius *dicit in homilia de Ascensione, quod homo sentit cum pecoribus, & intelligit cũ Angelis.

*Homi. 29. in Euange. non longè à priucip. illius.

RESPONDEO dicendũ, quod in anima nostra sunt quædam vires, quarũ operationes per organa corporea exercentur: & huiusmodi vires sunt actus quarundam partium corporis, sicut est visus in oculo, & auditus in aure. Quædã verò vires animę nostræ sunt, quarũ operationes per organa corporea non exercẽtur, vt intellectus, & voluntas: & huiusmodi non sunt actus aliquarũ partium corporis. Angeli autem non habent corpora sibi naturaliter vnita, vt ex suprà dictis patet. Vnde de viribus animæ non possunt eis competere, nisi intellectus, & voluntas. Et hoc etiam Commentator dicit 12. Metaphysicorũ, quòd substantiæ separatæ diuidũtur in intellectum, & voluntatem. Et hoc conuenit ordini rerum in eis, vt suprema creatura intellectualis sit totaliter intellectiua, & non secundùm partem, vt anima nostra. Et propter hoc etiã Angeli vocantur intellectus, & mentes, vt suprà dictum est.

Q 51 art. 2.

Q. 28 pos.

†Art 3. huius q. ad 1. argum.

Ad ea verò, quæ in cõtrarium obijciuntur, patet dupliciter respondeti. Vno modo, quòd authoritates illæ loquũtur secũdùm opinionem illorum, qui posuerũt Angelos, & Dæmones habere corpora naturaliter sibi vnita: qua opinione secutus Augustinus in libris suis videtur licèt eã asserere non intendat. Vnde dicit 2. l. de Ciuitate Dei, quòd super hac inquisitione nõ est multũ laborãdũ. Alio modo potest dici, quòd authoritates illæ, & consimiles sunt intelligendæ per quãdam similitudinẽ, quia cum sensus certã apprehensionem habeat de proprio sensibili, est in vsu loquẽtiũ, vt etiã secundùm certã apprehẽsionẽ intellectus aliquid sentire dicatur: vnde etiã sententia nominatur. Experientia verò Angelis attribui potest per similitudinem cognitorũ, & nõ per similitudinẽ virtutis cognoscitiuæ. Est enim in nobis experientia dũ singularia per sensum cognoscimus. Angeli autem singularia cognoscunt, vt infrà patebit, † sed non per sensum. Sed tamen memoria in Angelis potest poni, secundùm quòd

† Aug. lib. 2. super Gẽ. c. 17. ad finem. & lib. 3. c. 10.

†Lib 21. de Ciuit. Dei c. 10. paulò post. princ. tom. 5.

† Q. 57. art. 2.

†Lib. 10. de Trinit. c. 11. tom. 3.

quòd ab Augustino * ponitur in mente; licèt non possit eis competere, secundùm quòd ponitur pars animæ sensitiuæ. Similiter dicendum, quòd phantasia proterua attribuitur Dæmonibus, ex eo quòd habent falsam practicam existimationem de vero bono. Deceptio autè in nobis propriè fit secundùm phãtasiam, per quam interdum similitudinibus rerum inhæremus, sicut rebus ipsis, vt patet in dormientibus, & amentibus.

Conclusio est affirmatiua.

CIrca hanc conclusionem plura dicunt N. Complutenses in lib. de Anima, & nos aliqua etiam in priori parte huius secũdi tomi disput. 1. n. 8. & in hoc tractatu disp. 4. à n. 1. asseruimus. Et ideò circa illam nihil peculiare occurrit dicendum. *N. Compl.*

QVAESTIO LV. DE medio cognitionis Angelicæ in tres Articulos diuisa.

PROOEMIVM.

CONSEQVENTER Quæritur de medio cognitionis Angelicæ. Et circa hoc quæruntur tria. Primo, vtrum Angeli cognoscant omnia per suam substantiam. Secundo, si per species, vtrùm per species connaturales, vel per species à rebus acceptas. Tertiò, vtrùm Angeli superiores cognoscant per species magis vniuersales, quam inferiores.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Angeli cognoscant omnia per suam substantiam?

†2. dist. 12. ar. 3. 5. Et 3. dist. 14. ar. 1 q. 2. cor. & 1.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quòd Angeli cognoscant omnia per suam substantiam. Dicit enim Dionysius * 7. c. de Diuinis nominibus, quòd Angeli sciunt ea, quæ sunt in terra, secundùm propriam naturam mentis. Sed natura Angeli est eius essentia. Ergo Angelus per suam essentiam res cognoscit.

*Canit 7. à medio.

¶ 2. Præterea. Secundùm Philosophum in * 12. Metaphy. & in 3. de Anima, in his, quæ sunt sine materia, idem est intellectus, & quod intelligitur. Id autem, quod intelligitur, est idem intelligenti, ratione eius, quo intelligitur. Ergo in his, quę sunt sine materia, sicut sunt Angeli, id, quo intelligitur, est ipsa substãtia intelligentis.

* Lib. 12. Metap. tex. 15. tom. 2.

¶ 3. Præterea. Omne, quod eſt in altero, eſt in eo per modum eius, in quo eſt. Sed Angelus habet naturam intellectualem. Ergo quicquid eſt in ipſo, eſt in eo per modum intelligibilem. Sed omnia ſunt in eo: quia inferiora in entibus ſunt in ſuperioribus eſſentialiter; ſuperiora verò ſunt in inferioribus participatiuè: & ideò dicit Dionyſius * 4. cap. de Diuinis nominibus, quòd Deus tota in totis congregat, id eſt, omnia in omnibus. Ergo Angelus omnia in ſua ſubſtantia cognoſcit.

* Cap. 4 pa. 1 parũ ante medium

SED cõtra eſt, quod Dionyſius † dicit in eodẽ capite, quòd Angeli illuminantur rationibus rerum. Ergo cognoſcunt per rationes rerum, & non per propriam ſubſtantiam.

† Cap. 4. nõ remotè á princ.

RESPONDEO dicendum quod illud, quo intellectus intelligit, cõparatur ad intellectũ intelligentem, vt forma eius: quia forma eſt, quo agens agit. Oportet autem ad hoc, quod potẽtia perfectè compleatur per formam, quod omnia contineãtur ſub forma, ad quæ potentia ſe extendit. Et inde eſt, quod in rebus corruptibilibus forma non perfectè cõplet potentiam materiæ: quia potentia materiæ ad plura ſe extendit, quàm ſit continentia formæ huius, vel illius. Potentia autem intellectiua Angeli ſe extẽdit ad intelligendum omnia, quia obiectum intellectus eſt ens, vel verũ commune. Ipſa autẽ eſſentia Angeli non comprehendit in ſe omnia, cùm ſit eſſentia determinata ad genus, & ad ſpeciem. Hoc autem proprium eſt eſſentiæ diuinę, quę infinita eſt, vt in ſe ſimpliciter omnia comprehẽdat perfectè. Et ideo ſolus Deus cognoſcit omnia per ſuam eſſentiam. Angelus autem per ſuam eſſentiam nõ poteſt omnia cognoſcere; ſed oportet, intellectum eius aliquibus ſpeciebus perfici ad res cognoſcendas.

Ad primum ergo dicendum, quod cùm dicitur, Angelum ſecundùm ſuam naturam res cognoſcere, ly ſecundùm non determinat mediũ cognitionis, quod eſt ſimilitudo cogniti; ſed virtutem cognoſcitiuam, quæ conuenit Angelo ſecundùm ſuam naturam.

Ad ſecundum dicẽdum, quod ſicut ſenſus in actu eſt ſenſibile in actu, vt dicitur in 2. de Anima; nõ ita, quod ipſa vis ſenſitiua ſit ipſa ſimilitudo ſenſibilis, quæ eſt in ſenſu; ſed quia ex vtroque fit vnũ, ſicut ex actu, & potentia: ita & intellectus in actu dicitur eſſe intellectum in actu; non quod ſubſtãtia intellectus ſit ipſa ſimilitudo, per quam intelligit: ſed quia illa ſimilitudo eſt forma eius. Idem eſt autẽ, quod dicitur: In his, quæ ſunt ſine materia, idem eſt intellectus, & quod intelligitur, ac ſi diceretur, quod intellectus in actu eſt intellectũ in actu: ex hoc enim aliquid eſt intellectũ in actu, quod eſt immateriale.

Ad tertium dicendum, quod ea, quæ ſunt infrà Angelum, & ea, quæ ſunt ſuprà ipſum, ſunt quodammodo in ſubſtantia eius: & non quidẽ perfectè, neque ſecundùm propriam rationẽ, cùm Angeli eſſentia finita exiſtens, ſecundùm propriam rationem ab alijs diſtinguatur; ſed ſecundùm quã-

dam

dam rationem communem. In eſſentia autē Dei ſunt omnia perfectè, & ſecundùm propriam rationem, ſicut in prima, & vniuerſali virtute operatiua, à qua procedit, quicquid eſt in quacunque re proprium, vel commune. Et ideò Deus per eſſentiam ſuam habet propriam cognitionem de rebus omnibus; non autem Angelus, ſed ſolam communem.

Prima concluſio.

Solus Deus cognoſcit omnia per ſuam eſſentiam: Angelus autem non poteſt omnia per ſuā eſſentiam cognoſcere; ſed oportet, intellectum eius aliquibus ſpeciebus perfici ad res cognoſcendas.

Secunda concluſio ad tertium.

Deus per eſſentiam ſuam habet propriam cognitionem de rebus omnibus; Angelus autē ſolam communem.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Angeli intelligant per ſpecies, à rebus acceptas?

Infra q. 89. ar. 1. 2. & 3. Et 2. diſt 3. q. 3. ar. 1. Et ver. q. 8. ar. 9. & 2. cont. c. 92 & 93. & opuſc. 3. c. 224.

AD Secundum ſic proceditur. Videtur, quòd Angeli intelligāt per ſpecies â rebus acceptas. Omne enim, quod intelligitur per aliquam ſui ſimilitudinē, in intelligente intelligitur. Similitudo autem alicuius in altero exiſtens, aut eſt ibi per modū exēplaris, ita quòd illa ſimilitudo ſit cauſa rei; aut eſt ibi per modum imaginis, ita quòd ſit cauſata à re. Oportet igitur, quod omnis ſciētia intelligentis; vel ſit cauſa rei intellectæ, vel cauſata à re. Sed ſcientia Angeli non eſt cauſa rerum exiſtentium in natura, ſed ſola diuina ſcientia. Ergo oportet, quod omnes ſpecies, per quas intelligit intellectus Angelicus, ſint à rebus acceptæ.

¶ 2. Prætereà. Lumen Angelicum eſt fortius, quàm lumen intellectus agentis in anima. Sed lumen intellectus agentis abſtrahit ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus. Ergo lumen intellectus Angelici poteſt abſtrahere ſpecies, etiam ab ipſis rebus ſenſibilibus. Et ita nihil prohibet dicere, quod Angelus intelligat per ſpecies à rebus acceptas.

¶ 3. Prætereà. Species, quæ ſunt in intellectu, indifferenter ſe habent ad præſens, & diſtans, niſi quatenus â rebus ſenſibilibus accipiuntur. Si ergo Angelus non intelligit per ſpecies à rebus acceptas, eius cognitio indifferenter ſe haberet ad propinqua, & diſtantia: & ita fruſtrà ſecundùm locum moueretur.

SED contra eſt, quod Dionyſius dicit * 7. cap. de Diuinis nominibus, quod Angeli non congregāt diuinā cognitionē à rebus diuiſibilibus, aut a ſenſibilibus. C. 7. inter princ. & medium.

RESPONDEO dicēdū, quod ſpecies, per quas Angeli intelligūt, nō ſunt à rebus acceptæ, ſed eis cōnaturales. Sic enim oportet intelligere diſtinctionē ſpiritualiū ſubſtantiarū, & ordinē, ſicut eſt diſtinctio, & ordo corporalium. Suprema autē corpora habent potentiā in ſui natura totaliter perfectam per formam. In corporibus autē inferioribus potētia materiæ non totaliter perficitur per

formam; sed accipit nunc vnam, nunc aliam formam ab aliquo agente. Similiter & inferiores substantiæ intellectiuæ, scilicet animæ humanæ, habent potentiam intellectiuam, non completã naturaliter; sed completur in eis successiuè per hoc, quod accipiunt species intelligibiles à rebus. Potentia verò intellectiua in substãtijs spiritualibus, id est in Angelis, naturaliter completa est per species intelligibiles cõnaturales, in quantum habent species intelligibiles connaturales ad omnia intelligẽda, quæ naturaliter cognoscere possunt. Et hoc etiam ex ipso modo essendi huiusmodi substantiarum apparet. Substantiæ enim spirituales inferiores, scilicet animæ, habent esse affine corpori, in quantum sunt corporum formæ: & ideò ex ipso modo essendi competit eis, vt à corporibus, & per corpora suam perfectionem intelligibilẽ consequantur, alioquin frustrà corporibus vterentur. Substantiæ verò superiores, ideſt Angeli, sunt â corporibus totaliter absolutæ, immaterialiter, & in esse intelligibili subsistentes: & ideò suam perfectionem intelligibilem consequũtur per intelligibilẽ fluxum, quo a Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cũ intellectuali natura. Vnde Augustinus dicit † 2. super Genesim ad litterã, quòd cætera, quæ infra Angelos sunt, ita causantur, vt prius fiãt in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in genere suo.

† Lib. 2 super Gen. c. 8. circa principium tom 3.

Ad primum ergo dicendum, quòd in mente Angeli, sunt similitudines creaturarum; non quidem ab ipsis creaturis acceptæ, sed à Deo, qui est creaturarum causa, & in quo primò similitudines rerum existunt. Vnde Augustinus dicit in eodem * libr. quod sicut ratio, qua creatura cõditur, priùs est in verbo Dei, quam ipsa creatura, quæ conditur: sic & eiusdem rationis cognitio priùs fit in creatura intellectuali, ac deinde est ipsa conditio creaturæ.

* Lib. 2. super. Gen. c. 8. circ. med. tom 3.

Ad secundum dicẽdum, quod de extremo ad extremũ non peruenitur, nisi per medium. Esse autẽ formæ in imaginatione, quod est quidem sine materialibus cõditionibus, medium est inter esse formæ, quæ est in materia, & esse formæ, quæ est in intellectu per abstractionem à materia, & à conditionibus materialibus. Vnde quantumcunque sit potens intellectus Angelicus, non posset formas materiales reducere ad esse intelligibile, nisi priùs reduceret eas ad esse formarum imaginatarum: quod est impossibile, cùm careat imaginatione, vt dictum * est. Dato etiam, quòd posset abstrahere species intelligibiles â rebus materialibus; non tamen abstraheret, quia nõ indigeret eis, cùm habeat species intelligibiles connaturales.

* Q. præced. art. 5.

Ad tertium dicendum, quod cognitio Angeli indifferenter se habet ad distans, & propinquum secundùm locũ. Non tamen propter hoc motus eius localis est frustrà: non enim mouetur localiter ad cognitionem accipiẽdam, sed ad operandum aliquid in loco.

Conclusio est negatiua.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Vtrum superiores Angeli intelligant per species magis vniuersales, quam inferiores?

† 2a di. 3. q 3. art. 2. & 2. cont. c. 96. & ver. q. 8. art. 10. & opuſ. 3. c 78. & 81. & 126. & cauſis le. 4. & le. 10.

AD Tertium ſic proceditur. Videtur, quòd ſuperiores Angeli nõ intelligant per ſpecies magis vniuerſales, quàm inferiores. Vniuerſale enim eſſe videtur, quod à particularibus abſtrahitur. Sed Angeli non intelligunt per ſpecies a rebus abſtractas. Ergo non poteſt dici, quòd ſpecies intellectus Angelici ſint magis, vel minus vniuerſales.

¶ 2. Præterea. Quod cognoſcitur in ſpeciali, perfectius cognoſcitur, quam quod cognoſcitur in vniuerſali: quia cognoſcere aliquid in vniuerſali, eſt quodammodo medium inter potentiã, & actum. Si ergo Angeli ſuperiores cognoſcunt per formas magis vniuerſales, quam inferiores, ſequitur, quòd Angeli ſuperiores habeant ſcientiam magis imperfectam, quam inferiores, quod eſt inconueniens.

¶ 3. Præterea. Idem non poteſt eſſe propria ratio multorum. Sed ſi Angelus ſuperior cognoſcat per vnam formam vniuerſalem diuerſa, quæ inferior Angelus cognoſcit per plures formas ſpeciales, ſequitur, quod Angelus ſuperior vtitur vna forma vniuerſali ad cognoſcendum diuerſa. Ergo non poterit habere propriam cognitionem de vtroque. Quod videtur inconueniens.

SED contra eſt, quod dicit Dionyſius † 12. cap. Angelicæ hierarchiæ, quod ſuperiores Angeli participant ſcientiam magis in vniuerſali, quàm inferiores. Et in lib. de cauſis dicitur, quod Angeli ſuperiores habent formas magis vniuerſales.

*Cap. 12. cæleſtis Hierarchiæ.

†In propoſ. 10. hſ iſte li. inter opera Ariſt. t 3.

RESPONDEO dicendum, quod ex hoc ſunt in rebus ſi qua ſuperiora, quod ſunt vni primo, quod eſt Deus, propinquiora, & ſimiliora. In Deo autem tota plenitudo intellectualis cognitionis continetur in vno, ſcilicet in eſſentia diuina, per quam Deus omnia cognoſcit. Quæ quidem intelligibilis plenitudo in intelligibilibus creaturis inferioribus modo, & minus ſimpliciter inuenitur. Vnde oportet, quod ea, quæ Deus cognoſcit per vnum, inferiores intellectus cognoſcant per multa, & tanto magis per plura, quanto magis ab vnitate intellectus inferiores recedunt. Sic igitur, quanto Angelus fuerit ſuperior, tanto per pauciores ſpecies vniuerſitatem intelligibilium apprehendere poterit: & ideo oportet, quod eius formæ ſint vniuerſaliores, quaſi ad plura ſe extendens vnaquæque earum. Et hoc exemplum aliqualiter in nobis perſpici poteſt. Sunt enim quidam, qui veritatem intelligibilem capere non poſſunt, niſi eis particulatim per ſingula explicetur: & hoc quidem ex debilitate intellectus eorum contingit. Alij vero, qui ſunt fortioris intellectus ex paucis multa capere poſſunt.

Ad primum ergo dicendum, quod

quòd accidit vniuersali, vtà singularibus abstrahatur: inquantũ intellectus ille cognoscens, à rebus cognitionem accipit. Si verò sit aliquis intellectus à rebus cognitionem non accipiens, vniuersale ab eo cognitum non erit abstractum à rebus, sed quodammodo ante res præexistens; vel secũdùm ordinem causæ, sicut vniuersales rerum rationes sunt in Verbo Dei; vel saltem ordine naturę, sicut vniuersales rerum rationes sunt in intellectu Angelico.

Ad secundum dicẽdum, quod cognoscere aliquid in vniuersali, dicitur dupliciter vno modo ex parte rei cognitæ, vt scilicet cognoscatur solùm vniuersalis natura rei: & sic cognoscere aliquid in vniuersali, est imperfectiùs: imperfectè enim cognosceret hominem, qui cognosceret de eo solùm, quod est animal. Alio modo ex parte medij cognoscendi: & sic perfectiùs est cognoscere aliquid in vniuersali. Perfectior enim est intellectus, qui per vnum vniuersale medium potest singula propria cognoscere, quàm qui non potest.

Ad tertium dicendum, quod idem non potest esse pluriũ propria ratio adæquata. Sed si sit excellens, potest idẽ accipi vt propria ratio, & similitudo diuersorum: sicut in homine est vniuersalis prudentia quantum ad omnes actus virtutum: & potest accipi vt propria ratio, & similitudo particularis prudentiæ, quæ est in leone, ad actus magnanimitatis, & eius, quæ est in vulpe, ad actus cautelæ, & sic de alijs. Similiter essentia diuina accipitur propter sui excellentiam propria ratio singulorũ, quæ sunt in ea: vnde sibi singula similantur secundum proprias rationes. Et eodem modo dicẽdum est de ratione vniuersali, quæ est in mente Angeli, quòd per eam propter eius excellentiam multa cognosci possunt propria cognitione.

Conclusio est affirmatiua.

DISPVTATIO V.

De medio cognitionis Angelicæ.

POSTQVAM D. Thomas q. præcedenti egit de cognitione Angelica ex parte virtutis cognoscitiuæ, nunc agit de medio eiusdem cognitionis, seu de speciebus intelligibilibus tenentibus se ex parte obiecti, quæ sunt medium *quo* in ordine ad eandem cognitionem. Nam cùm tam virtus cognoscitiua, quàm prædictum medium concurrant ad intellectionem, & virtus, seu potentia cognoscitiua quodammodò sit prior prędicto medio: inde est, vt priùs debuit institui sermo de cognitione Angelica ex parte potentiæ, seu virtutis cognoscitiuæ, quàm de medio eiusdem cognitionis, & quòd semel habito sermone de illo priori, debeat statim de hoc posteriori institui.

(.2.)

DV-

DVBIVM I.

Vtrùm Angelus cognoſcat omnia per ſuam eſſentiam? & an id ratione D. Thomæ ſufficienter probetur?

Explicatio tituli.

1 IN Titulo aliquid vt certũ ſupponimus, aliquid in dubium vocamus. Supponimus enim Angelum indigere ſpeciebus ad cognoſcendum, vt N. Complutenſes latè in lib. de Anima diſp. 18. n. 7. diſcutiunt. Vocamus autem in dubium an ſua eſſentia deſeruiat illi per modum ſpeciei ad intellectionem omnium rerum? Vnde cùm inquiritur, an Angelus per ſuam eſſentiam omnia cognoſcat? non inquiritur, an per ſuam eſſentiam tanquam per naturam intellectualem, & concurrentem *vt quod* per modum principij radicalis illa attingat? ſed an per ſuam eſſentiam, vt habentem rationem formæ intelligibilis hoc habeat? Cùm autem ſciſcitamur, an per ſuã eſſentiam hoc modo cognoſcat omnia? tunc de cognitione propria, & diſtincta rerũ quoad ſibi propria, ac proinde de cognitione perfecta, ſeu quidditatiua earum loquimur, non verò de confuſa, attingente rem quoad communia præcisè.

N. Compl.

§. I. *Expeditio dubij, & ratio D. Thomæ pro ea.*

Aſſertio.

2 DIcendum ergo eſt, Angelum nõ poſſe omnia cognoſcere per ſuam eſſentiam, idque ſufficiẽter ratione S. Doctoris ſuaderi. Aſſertio hæc quoad primam partem eſt expreſſa D. Thomæ art. 1. huius q. his verbis: *Solus Deus cognoſcit omnia per ſuam eſſentiam: Angelus autem per ſuam eſſentiam non poteſt omnia cognoſcere: ſed oportet, intellectum eius aliquibus ſpeciebus perfici ad res cognoſcẽdas.* Idem etiã habet in 2. diſt. 12. art. 3. & 5. & in 3. diſt. 14. art. 1. quæſtiuncula 2. in corpore & ad 1. & alibi ſæpè. Vnde etiam aſſertio hæc eſt communis inter omnes, aut ferè omnes Theologos: & ideò ab illis in particulari referendis abſtinendum duximus.

D. Thom.

Ratio D. Thomæ.

Et deinde eadem aſſertio quoad vtrãque partem non aliter melius ſuadebitur, quàm rationem D. Thomæ in hoc articulo contẽtam adducendo, quæ poteſt ad hanc formam reduci. Quoniam id, per quod tanquam per ſpeciem, ſeu formã intelligibilem poteſt Angelus cognoſcere omnia, debet in ſe illa per modum formæ intelligibilis continere: ſed eſſentia Angeli nequit omnia intelligibilia ab Angelo, continere: ergo nequibit per eſſentiã ſuam modo dicto ſumptã omnia cognoſcere. Maior conſtat, tum ex Ariſtotele 11. Metaphyſicæ textu 51. & 3. de Anima textu 15. & D. Thoma hìc ad 2. aſſerẽtibus, quòd intellectus in actu eſt intellectum, ſeu res intellecta in actu, in quantum res intellecta in actu debeat eſſe intra intellectum in actu per formam, per quam intelligitur: & ita neceſſe eſt ad hoc, vt intellectus intelligat actu, quòd res intellecta contineatur intra intellectum per formam, qua intellectus intelligit, vt cõſtituat illum in actu per eã: ac proinde, ſi eſſentia Angeli eſſet forma, per quam omnia intelligeret, oporteret, eſſe formam continẽtem omnia illa intelligibilia. Tum etiam, Quia id, per quod tanquam per formam intelligibilem Angelus omnia intelligeret, deberet perfectè actuare, & explere totam potentiam intellectiuam eius: & ita eo ipſo non poſſet non actu continere per modum formæ, & actus omnia intelligibilia: ſicut intellectus noſter in potentia continet illa, quia ſolùm eſt potentia in ordine intelligibili ſecundùm ſe ſumptus. Vnde ideò quæuis forma ſublunaris ſigillatim ſumpta non perfectè actuat materiam primam, quia quæuis nõ actu tribuit omne illud *eſſe*, ad quod materia eſt in potentia. Et propterea tota collectio prædictarum formarum actuat, & explet perfectè materiam, quia continet totum illud *eſſe*.

Ariſtotel. *D. Thom.*

Minor etiam patet. Quia intelligibilia ab Angelo ſunt omnia entia, ſaltem naturalia: ſiquidem eius obiectum intelligibile eſt ens, ſiue verum, in quantum ens, & verum, ſaltem naturale. Angelus autem nequit per ſuã eſſentiam omne ens, ſeu verum naturale continere: ex eo quòd conſtat ex genere, & differentia, & eſt determinatus ad certam ſpeciẽ: & quod ſic eſt determinatum, nequit continere actu omne ens, adhuc naturale.

3 Confirmatur ratione eiuſdem S. Doctoris in præſenti. Nam Deus, quia eſt infinitus, & non conſtat ex genere, & differentia, ideò per ſuam eſſentiam poteſt omnia continere, & cognoſcere; ergo è contra Angelus, quia conſtat ex genere, & differentia, nõ cognoſcet omnia per ſuam eſſentiam, nec continebit illa. Antecedens probatur. Tum, quia cùm ens naturale in ſuo ambitu dicat infinitatem, ideò Deus, quia infinitus, ac proinde vt non eſt circunſcriptus terminis eſſentiæ, nempe genere, & differentia, queit omnia per ſuam eſſentiam continere, & cognoſce-

re. Tum

re. Tum etiã. Quia differentia diuidit genus, & determinat ſpeciem, adhoc vt ſit certæ naturæ, & non alterius: & ita quod eſt ſpecies conſtans ex genere, & differentia, tantùm habet vnicam portionem illius generis, & vnicam tantùm naturam contentam in illo genere, non tamen portionem genericam aliarum naturarum ſub illo genere contentarũ, ſi fiat ſermo de illis portionibus, vt ſuo modo diſtinctis: & ſicut non habet alias differentias diuiſiuas eiuſdem generis, ita etiam nec conſtitutiuas aliarũ ſpecierum, ſed eam dumtaxat, per quam ſua ſpecies conſtituitur: ac proinde non continet cætera alia quoad id, ſecundùm quod ab eis diſtinguitur.

§. II. *Aliquæ euaſiones ad rationem S. Doctoris, & earum præcluſio.*

Prima euaſio ad rationem D. Thomæ.

4 NEc obeſt prima ſolutio, quæ poſſet ex doctrina aduerſariorum adduci, ſcilicet, quòd ad hoc vt eſſentia Angeli ſit forma intelligibilis reſpectu omnium rerum, non eſt neceſſe, vt actu contineat illa. Sicut ſpecies lapidis non actu continet ipſum lapidem: quia lapis eſt ſubſtantia, ſpecies verò accidens: hoc autem nequit in ſe continere id, quod eſt perfectius. Nam cõtra eſt, quòd ſpecies intelligibilis lapidis in *eſſe* intelligibili eſt ſubſtantia, vt in 1. tomo tractatu 3. diſput. 2. n. 18. & 46. diximus. Et ratio eſt. Quia prędicta ſpecies debet eſſe ſimilis lapidi in natura. Similitudo autem in natura fundatur in vnitate eiuſdem naturæ, vt latius in 1. tomo tractatu 2. diſput. 2. n. 133. diximus.

Eliditur.

Alia ſolutio.

5 Nec etiam obeſt alia ſolutio, quòd etſi requiratur aliqua continentia, non tamen ita vt ad repræſentandum totum ens naturale in ſuo ambitu, deſideretur infinita perfectio: & propterea ſpecies intelligibiles ſuperadditæ Angelis repræſentant innumeras naturas, & infinitas ſpecie diſtinctas, contentas v. g. ſub genere animalis, & tamen non propterea quælibet ex illis ſic repræſentantibus dicit infinitam perfectionem. Vnde hinc maior confirmatio ſolutionis deducitur. Si enim ſpecies, quæ eſt accidens, non obſtante compoſitione ex genere, & differentia, poteſt repræſentare has innumeras, & infinitas naturas: cur Angelus longè perfectior, quàm illa, non poterit habere tantam perfectionẽ, quantam ſpecies intelligibilis quoad hoc? imò quantam omnes illę, ſiquidem eſt omnibus perfectior?

Reijcitur primò.

Non itaque obeſt hæc ſolutio. Nam cõtra eam eſt primo. Quòd ad repræſentandum ens in toto ſuo ambitu, adhuc naturali, requiritur infinita perfectio, quamuis non ad repræſentandum peculiare aliquod genus, vt animal, & omnes ſpecies, adhuc infinitas ſub illo contentas. Quia omnium illarum perfectio, adhuc collectiuè ſumpta, eſt finita ſimpliciter clauſa ſub animali, ſecùs verò in ente in toto ſuo ambitu conſiderato, & in ſpeciebus, ſiue naturis ſub illo contentis contingit: quia illarum naturarum perfectio collectiuè ſumpta eſt ſimpliciter infinita, & ideò ſpecies repræſentans omnes illas eſſet ſimpliciter infinita.

Secundò. Quia licèt *eſſe* entitatiuum nõ ſit vt quid formale in ſpecie intelligibili, requiritur tamen de materiali prædictum *eſſe* entitatiuum; & inſuper eius immaterialitas deſideratur de formali. Et ideò ad repræſentandum plures naturas ſimul, maior immaterialitas requiritur, quàm ad repræſentandas ſimul pauciores, vt conſtat in ſpeciebus ſuperiorum Angelorum, quæ ſunt immaterialiores, quia ſimul habent plures naturas repræſentare. Ergo ad repræſentandas infinitas naturas, ad quas ſe extendit ens naturale in toto ſuo ambitu, quæque ſimul ſumptæ dicunt infinitam ſimpliciter perfectionem intra latitudinem entis per participationem (ex eo quòd Deus, vt author naturæ, non ita eſt participabilis, quin ampliùs, & ampliùs vſque in infinitum queat participari) requiretur infinita immaterialitas in ordine naturali. Secundò.

Euertitur tertio.

6 Tertiò. Quia eſſentia Angeli non eſt inſtituta per ſe primò ad repræſentandum, ſicut ſpecies intentionales ſunt per ſe primò ad hoc inſtitutæ: quæ autem non ſunt per ſe primò inſtitutæ ad repręſentandum, non repræſentant, quia contineant ſolùm intelligibiliter ſua obiecta, ſicut ſpecies intentionales, ſed quia in eſſe entitatiuo & naturali cõtinent res repręſentatas: hic autem modus ſic continendi infinita iam dicta, infinitatem apertam potiſsimo iure importat.

Nec ea, quæ ad confirmandam hanc ſolutionem adducuntur, eam iuuant. Quoniam (vt ex dictis conſtat, & ex ſtatim dicendis ampliùs patebit) eſt diſpar ratio inter illa, quæ ſunt per ſe primò inſtituta ad repræſentandum, & illa, quæ hoc nõ habent. Nam priora aliud ſunt in ſe in *eſſe* entitatiuo, & aliud ſunt in *eſſe* repræſentatiuo, & intelligibili, ac intentionali: & *eſſe* iſtud eſt amplius, quàm *eſſe* illud earũdem: quia (vt in 1. tomo tractatu 3. diſput. 2. dicebamus) *eſſe* intentionale prouiſum eſt in remedium, & ob defectum *eſſe* entitatiui: quia nimirum *eſſe* entitatiuũ, & creatum ita eſt limitatum, vt tribuat huic, nempe rei quam conſtituit, quòd ſit hæc, & non illa, habeatque propriam eſſentiam, non verò eſſentiam aliorum: è cõtrà verò *eſſe* intentionale hoc non habet, ſed tribuit rei, quam intelligibiliter informat, quòd ſit alia à ſe: & ideò ſpecies intelligibiles, quæ ſunt accidentia finita, & intentionalia, poſſunt in

eſſe en-

eſſe entitatiuo habere prædictam finitatem & coarctationẽ, in *eſſe* verò intentionali cõtinere, aut repræſentare plures naturas, vel continere vnam, in qua omnes illæ eminenti quadam ratione repreſententur: ſecùs verò ea, quę non ſunt per ſe primò inſtituta ad repræſentãdum alia à ſe. Neque hinc ſequitur, reperiri infinitatem in prædicta ſpecie intẽtionali. Quia omnia illa repræſentat, vt ſub vno genere, eoque finito continentur.

§. III. *Poſterior ſolutio rationis Angelici Doctoris, & eius euerſio.*

Vltima ſolutio rationis D. Thom.

7. EX quo etiam alia ſolutio manet impugnata, nempe, hinc ad ſummum haberi, eſſentiam Angeli non eſſe formam intelligibilem reſpectu omnium, non tamen quòd nõ ſit forma intelligibilis reſpectu plurium & diuerſarum naturarum; vt in ſpecie intelligibili ſupremi Angeli videtur poſſe contingere. Nam cõtra hoc eſt primò, quòd etſi ex vi rationis D. Thomæ magis efficaciter illud prius ſuadeatur, nihilominùs ſatis efficaciter hoc poſterius probatur, vt ex modo dictis patet. Quod quidem poteſt ſic explicari. Quia prædicta eſſentia Angeli eſt per ſe primò inſtituta, vt ſit Angelo ratio eſſendi, ſitque in ſe, & per ſe ſubſiſtẽs in ſuo ordine, & ſpecie diſtincta ab alijs. Nam ad pulchritudinem vniuerſi, quæ ex varietate, & diſtinctione partium coaleſcit, hoc exigitur, ſaltem quoad præcipuas eius partes, ſcilicet Angelos. Conſtat autem, quòd ea, quæ ſunt per ſe primò inſtituta ad ſic eſſendum, limitantur & coarctantur per ſuum genus, & differentiam ad hoc, vt ſint hæc, & non illa, habeantque hanc naturam, & non aliã, & quòd ad ſummum forma illa reddat intelligibile id ipſum, quod conſtituit in ſe, & per ſe, & in tali ordine, & ſpecie, ex eo quòd ſit immaterialis, & habeat intimam coniunctionem cũ proprio intellectu. Vnde eſſentia Angeli tantùm ſe habebit in ratione formæ intelligibilis eo modo, quo ſpecies intentionales per ſe primò inſtitutæ ad repræſentandum aliquas naturas comparantur ad illas. Nã ſicut quælibet has, & non alias repræſentat, quia ad hoc per ſe primò inſtituta eſt: ita eſſentia Angeli ſolùm vnit cum intellectu eandem eſſentiam Angeli quoad quidditatiuam, & diſtinctam cognitionem: quia ſolùm eſt inſtituta per ſe primò, vt ſit in ſe, & per ſe. Et ſicut eſt Angelo ratio eſſendi: ſic conſequenter ratione ſuæ intelligibilitatis, propter puritatem à materia, & coniunctionem intimam cum eodem, eſt illi ratio intelligẽdi ſe ipſum.

Impugnatur primo.

Confutatur ſecundò.

Secundò (per quod præcedens probatio elucidatur.) Quia in ſpeciebus intentionalibus duo ſunt, vnde limitentur, nempe, compoſitio ex genere, & differentia in *eſſe* entitatiuo, & rurſus compoſitio ex genere, & differentia in *eſſe* intentionali. Nam ratio generica illius in *eſſe* intentionali, ſiue intelligibili eſt eſſe ſimilitudinem alterius diſtincti à ſe ipſa in *eſſe* entitatiuo conſiderata, & ratio differentialis, eſſe ſimilitudinem huius obiecti, non illius, ſeu huius, aut harum naturarum, & non illarum: quia cùm per ſe primò ſit inſtituta ad repreſentandum alia diſtincta à ſe in *eſſe* entitatiuo, oportet, vt detur in ea *eſſe* entitatiuum, & repræſentatiuum, & quod in vtroque ordine habeat ſuum limitatiuum, quod nõ poteſt eſſe aliud, præter illud, quod modò explicuimus. Et ideò licèt in *eſſe* entitatiuo non ſit alia à ſe; benè tamen in *eſſe* intentionali, & intelligibili eſt res aliæ à ſe in *eſſe* entitatiuo diſtinctæ: quia contra hoc limitatiuum non eſt, quòd plura in *eſſe* intelligibili contineat, imò & infinita, dummodò ſub certo genere contento ſub ente naturali v.g. claudantur: ex eo quòd prædictum genus ſic contentum habet *eſſe* finitum ſimpliciter: & conſequenter, quæ ſub illo clauduntur, ſunt etiam perfectionis finitæ. Cæterùm quod non eſt per ſe primò ad repræſentandum alia à ſe, ſed ad eſſendum, habet vnum tantum limitatiuum, ſcilicet genus, & differentiam, in *eſſe* entitatiuo: & ita nequit vlla ratione continere alia à ſe ſecũdùm propria ipſarum: quia hoc eſt proprium *eſſe* entitatiui, vt talis, conſtantis genere, & differentia.

Explicitur tertiò.

8. Tertiò. Nam etſi in accidenti poſsit inueniri participatio illius eminentiæ, quæ reperitur in Deo, nẽpe, continere alia à ſe ſecundùm propria ipſorum; non tamen in ſubſtantia completa, qualis eſt natura Angelica. Sicut licèt in accidentibus poſsit inueniri participatio Dei, vt eſt author ſupernaturalis, ac proinde queant inueniri accidentia quoad ſubſtantiam ſupernaturalia, non tamẽ ſubſtantia ſupernaturalis. Et ratio eſt eadem vtrobique, ſcilicet, quòd tam id, quod participat rationem entis ſupernaturalis, quàm hanc eminentiam continendi alia à ſe, habet iſta per ordinem ad Deum illa communicãtem, & vt exemplata ab ipſo, & tandem reducuntur ad Deum. Conſtat autem, eſſe cõtra naturam eius, quod eſt in ſe, & per ſe, ac in ordine ad ſe, quale eſt ſubſtantia completa, habere ſuam eſſentiam per ordinem ad aliud extra ſe, aut ſecundùm ſuam eſſentiam reduci ad aliud, vt participationem formalẽ ſecundùm ſuam eſſentiam illius: ſiquidem eſt contra naturam illius, quod eſt per ſe, reduci formaliter ad aliud.

Occurritur tacitæ obiectioni.

Nec ob id (vt ita maneat ſoluta quædam obiectio, quæ hic fieri poterat) accidentia habentia hanc eminentiam diuinam, erunt

ordinis supernaturalis, & diuini. Quia etsi participent illam, non tamē communicatur eis sub illo modo essendi, qui est proprius, & connaturalis Deo, & vt est in Deo, sed vt illa eminētia splēdet in illa creatura modo proprio ipsius creaturæ. Sicut licèt creaturę participent à Deo *esse* existentiæ, quod est in eo *esse* per essentiam, nihilominùs non ob id prædictum *esse* participatum est ordinis supernaturalis: quia non participatur secūdùm illum modum, quo est in Deo, sed vt splēdet in creatura modo proprio eiusdem creaturæ. Sed de his videantur illa, quæ in 1. tomo tractatu 2. disput. 3. n. 24. tetigimus.

Quarta. Quartò. Quia proprium est solius Dei, vt secundùm *esse* entitatiuum contineat aliquid extra se secundùm propria ipsius rei contentæ, licèt creaturæ contineant alia secundùm communia. Quia differentia diuisiua generis, & constitutiua speciei, vt suprà dicebamus, diuidit genus, & determinat illud ad certam speciem, vt habeat, & cōtineat hanc naturam, & non illam secūdùm propria ipsius: sicut cùm diuiditur tabula, ex vi diuisionis fit, vt vna pars diuisa ab alia nequeat continere propria alterius partis. Vnde D. Thom. infrà q. 84 art. 2. vbi interrogat, an anima per suam essentiam intelligat corpora? respō det, ex finitate essentiæ animæ prouenire, quòd nequeat per essentiam suam corpora intelligere. Et ideò ibi inquit, indigere speciebus, & non posse sine illis alia à se, secundùm id, in quo ab ea distinguuntur, concipere.

D. Thom.

Obiectio. 9. Nec obest, si obijcias. Tum, quòd Deus constituitur per suam Deitatem, & per eam distinguitur, & diuiditur ab omnibus alijs: & nihilominùs continet creaturas quoad id, in quo ab illo distinguuntur: ergo quòd aliquid constituatur per suam differentiam constitutiuam, & diuisiuam generis, non ob id res sic constituta desinet continere virtualiter alia inferioris rationis, quoad ea, in quibus distinguuntur. Tum etiam. Quia plures res corporeæ continent virtualiter, & eminēter res alias inferiores: & propterea producūt eas quoad eas rationes, in quibus distinguuntur: ergo compositio ex genere, & differentia non prohibet huiusmodi continentiam.

Responsio. Respondetur enim ad primam ex his impugnationibus, Deitatem non constituere Deum, tanquam assumētem partem entitatis ab ente, sed includendo totam rationē entis per essentiam: & ideò non mirum, quòd Deus contineat omnia, etiam quoad rationes differentiales: liquidem quoad istas debēt dependere ab ente per essentiam. Cæterùm differentiæ diuisiuæ creatæ diuidunt, & constituunt, assumendo de ratione superiori partem & partem relinquendo: & propterea res constituta per illas nequit continere alias species, aut essentias cōtentas sub ratione superiori, si considerentur quoad id, in quo ab illa distinguuntur.

Adde primò, Deum dicere entitatem, vt abstractam secundùm rem: & ita licut ens abstractum secundùm rationem continet, modo sibi proprio, omnia entia quoad id, in quo distinguuntur: ita Deitas, quę est ipsa entitas abstracta secundùm rem, ac proinde excludendo omnem imperfectionem in modo continendi, habebit continere omnem aliam entitatem modo perfectissimo, nempe, continendo virtualiter ea, quæ inuoluunt imperfectionem, & formaliter ea, quæ ex se illam non dicunt.

Adde secundò, Deitatem, quantum est ex se, non diuidere Deum à quouis alio, sed potiùs, quantum est de se, omnia alia idētificare: quauis quia creaturæ sunt limitatæ, ideò sunt incapaces huius idētificationis. Et propterea, dum intelliguntur virtualiter contentę in Deo, secundùm quam rationem non dicunt limitationem, identificantur cum diuina essentia, quatenus sic in illa habent hunc modum essendi. Vnde priùs est secundùm rationem, quòd creaturæ sint limitatæ, quàm quòd Deus distinguatur ab illis, licèt modo alibi tacto hoc ipsum quodammodò habeāt à diuina omnipotentia, ratione cuius, suppositis non repugnantia terminorum, dicuntur possibiles.

10 Ad secundam verò impugnationem respondetur, creaturam, de qua dicitur continere aliam virtualiter, & producere illam, non cōtinere, nec producere ipsam quoad rationes differentiales, per quas creatura continens, & contenta distinguuntur, sed creatura sic continens ideò dicitur continere aliam virtualiter, quia habet eminenti ratione gradum illum, in quo conueniunt, & secundùm illum producit, quauis secundùm rationes, secundùm quas distinguuntur, producatur, vel à solo Deo, vel ab illa creatura superiori in virtute peculiari Dei.

§. IIII. *Opposita sententia, eius fundamenta, & responsiones ad illa.*

11. OPpositam tamen sententiam, nēpe, Angelum per suam essentiam cognoscere omnia, & contrarium huius non suaderi efficaciter ratione D. Thomæ, tuentur aliqui, licèt non omnes quoad vtramque partem. Nam quoad primam quidam, qui suppresso nomine referuntur. Quoad secundam verò Valentia in præsenti, & alij. Et probatur primò. Quia non est necessaria continentia obiecti in specie, ad hoc vt per

Opposita sententia.

Valentia.

Primū fundamentum

vt per illam obiectum queat cognoſci: ergo Angelus poterit cognoſcere omnia per ſuam eſſentiam, licèt in illa non contineantur: ac proinde ratio D. Thomæ, in hac continentia innitens, non erit efficax. Antecedēs probatur. Nam Angelus per ſuam eſſentiam cognoſcit Deum: & tamen in ea non continetur Deitas, ſeu Deus ipſe: ergo &c.

Cōfirmatur Confirmatur. Quia ſufficit aliqua habitudo ad rem cognitam: at Angelus habet per ſuam eſſentiam ad omnes res hanc habitudinem: ergo etiam ſi illas per ſuam eſſentiam non contineat, poterit per prædictam eſſentiam eaſdem cognoſcere. Maior videtur certa. Quoniam cognita diſtinctè illa habitudine, cognoſcetur terminus illius. Minor autem etiam liquet. Quoniam Angelus, v. g. Raphael, dicit habitudinē ad ſuperiores Angelos, vt ad eos, à quibus illuminatur; ad inferiores, vt ad illos, quos illuminat: ad cæteras verò creaturas corporeas, vt ad eas, quibus præeſt, quaſque gubernat.

Diluitur fundamentū cū ſua confirmatione. Reſpondetur, antecedens eſſe falſum quoad cognitionem, de qua loquimur, nempe, quoad cognitionem diſtinctam, & quidditatiuam, ſecùs quoad confuſam, imperfectam, & non quidditatiuam. Vnde Angelus ſic cōfuſè, & imperfectè tantùm Deum, & alia huius vniuerſi per ſuam eſſentiam cognoſcit, vt **D. Thom.** fatetur D. Thomas art. 1. huius q. ad 2. Per quod ad confirmationem patet.

12 Ratio autem, quare per ſuam eſſen confuſè, & non quidditatiuè attingit Angelus omnia, poteſt duplex reddi. Prima. Quia cum alijs quoad communia conuenit, & ea, quæ conueniunt, ſunt quodammodò vnum: & ita ſcit per hanc cognitionem, equum v. g. eſſe ens, ſubſtantiam, & viuens: quia quodammodò quoad iſta in eſſentia Angeli continetur. Secunda. Quia per ſuam eſſentiam, & cognitionem eius redditur in actu ad hoc, vt ſe applicet ad diſtinctam, & quidditatiuam cognitionem huius, potiùs quàm illius obiecti: ad hoc autem requiritur, vt per illam habeat omnium confuſam cognitionem. Videantur illa, quæ infrà diſputat. 9. n. 57. dicemus.

Obiectio prima. Nec obeſt, ſi contrà primàm ex his rationibus obijcias, quòd ſi conuenientia iſta in communibus eſt Angelo ratio cognoſcendi alia à ſe confuſè, & imperfectè, tunc minùs de Deo, quàm de alijs rebus per propriam eſſentiam Angelicam cognoſcet: quia cum illo minùs conuenit, quàm cum alijs.

Soluitur. Reſpondetur, verum eſſe ex vi huius capitis conuenientiæ in communibus: aliunde tamen, quia Angelus eſt effectus Dei, & reſpicit illum, vt propriam ſui cauſam, oppoſitū contingit.

Secunda. 13 Secūdò probatur. Quia ſpecies Angelica, repreſentans aliquam rationem communem, repræſentat omnes rationes particulares ſub illa contentas: ergo eſſentia Angeli, repræſentans rationes communes entis, &c. cuncta alia ſub ente contenta repræſentabit: ac proinde non deficiet in illa continentia quòad rationes particulares.

Reſpondetur, antecedens eſſe verum de ſpecie repræſentante, & continente per ſe primò illam rationem communem; nō verò de ſpecie continente per ſe primò rationē atomam, & ex conſequenti rationem communem, vt in præſenti contingit. **Reſpondet.**

14 Tertiò probatur. Quia ſufficit, eſſentiam Angeli eſſe radicaliter intellectiuam totius entis, quanuis non contineat illud, ad hoc vt per eam totum ens cognoſcatur: ergo, &c. Antecedens probatur. Quia hoc ipſo, quòd ſit intellectiua totius entis, comprehenſa illa, comprehenderetur, ſiue cognoſceretur perfectè prædictum ens. **Tertia obiectio.**

Confirmatur. Nam hoc ipſo, quòd omnipotentia ſit factiua omnium poſsibilium, ea comprehenſa, comprehenderentur omnia poſsibilia: ergo ſimiliter hoc ipſo, quòd eſſentia Angeli ſit intellectiua totius entis naturalis, ea comprehenſa, comprehendentur omnia illa, ſiue perfectè, & diſtinctè cognoſcentur. **Cōfirmatio**

Reſpondetur, quòd ex eo, quòd eſſentia Angeli ſit intellectiua totius entis naturalis, ſolùm ſequitur, ea comprehenſa, cognoſci imperfectè, & confuſè totum ens quoad rationem generalem entis: quia ipſa ſolummodò eſt omnia alia, quia continet illa per modum puræ potentiæ in genere intelligibili, prout conſideratur ſine ſpeciebus intelligibilibus ſuperadditis: & proprium eſt puræ potentiæ, continere ſolùm confuſè ea, reſpectu quorum eſt pura potentia. **Enodatio obiectionis**

Ad confirmationem reſpondetur, eſſe diſparem rationem. Quia omnipotentia per modum actus perfectiſsimi, ac proinde diſtinctè continet omnia: & ita non mirum, quòd ea comprehenſa, comprehendantur alia. **Confirmationis.**

15 Ex quo fit, non obeſſe, ſi vrgeas, quòd comprehenſa eſſentia Angeli, illamet comprehenſio pertingit vſque ad comprehenſionem ſpecierum: ergo ex vi illius cognoſcentur omnia repreſentata per illas, ita vt ſpecies intelligibiles diſtinctæ ab eſſentia Angeli per modum obiecti priùs cogniti præcisè, eſſentia verò Angeli ſola per modum ſpeciei concurrat. **Replica**

Reſpondetur enim ex dictis, ex vi comprehenſionis eſſentiæ, & per eam, precisè vt eſt ſpecies intelligibilis, ſolùm confuſè alias ſpecies intelligibiles cæterarum rerum cognoſci, quatenus eſſentia Angeli per modum **Solutio**

puræ potentiæ in ordine intelligibili continet illas, atque adeò confusè, & in potentia. Vnde species superadditæ tribuunt illi determinationem, & quòd distinctè contineat in *esse* intelligibili obiecta saltem primaria per illas repræsentata.

DVBIVM II.

Vtrùm Angelus accipiat species rerum corporearum, & sensibilium ab eisdem rebus sensibilibus?

POSTQVAM Diximus, Angelum per suam essentiam non cognoscere omnia distinctè, & suppossuimus ex N. Cõplutensibus in libr. de Anima, indigere speciebus, si semel sua essentia non est species, ad distinctam omnium cognitionem: nunc inquiritur, an à rebus has species accipiat? Et primo loco de rebus sensibilibus, quippe nobis notioribus, quàm de intelligibilibus id scisciamus.

N. Compl.

§. I. *Expeditur dubium, & probatur vera D. Thomæ sententia.*

D. Thomæ sententia.

16. DIcendum ergo est, Angelum non accipere species à rebus sensibilibus. Assertio hæc videtur haberi apud Ezechielem cap. 28. vbi de primo, & præcipuo Angelo, qui cecidit, dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia in die, qua conditus es. Perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ.* Vbi satis significatur, Angelum habuisse plenam & perfectam sapientiam. Ideò enim vocatur signaculum diuinæ similitudinis, vt distinguatur ab homine, qui dicitur factus ad similitudinem Dei, vbi illa particula *ad* denotat viam & tendentiam ad diuinam similitudinem: cùm tamen Angelus non dicatur ad similitudinem Dei factus, quasi tendens ad illam, sed dicitur signaculum diuinæ similitudinis, quasi iam habens illam, licèt non omninò perfectè. Et similiter dicitur hoc habere Angelum à die suæ conditionis, vt denotetur, non ei conuenire per acceptionem specierum à rebus, & maximè à rebus sensibilibus. Nam si ei sic competeret, non esset ab initio suæ conditionis plenus sapientia circa has res materiales, sed eam paulatim, & successiuè, prout res ipsæ sensibiles occurrerẽt, accepisset: siquidẽ paulatim ex eisdem rebus sensibilibus species ad intelligẽdũ acciperet.

Ezech. 28

Vnde assertionem hanc tuentur in primis Dionysius 7. de Diuinis nominibus, & D. Thom. in q. sequẽti art. 2. his verbis: *Vnicuique spiritualium creaturarum à Verbo Dei impressæ sunt omnes rationes rerum omnium, tam corporalium, quàm spiritualium: ita tamen, quod vnicuique Angelo impressa est ratio suæ speciei secundùm esse naturale, & intellectuale simul: ita scilicet, quòd in natura suæ speciei subsisteret, & per eam se intelligeret. Aliarum verò naturarum, tam spiritualium, quàm corporalium rationes sunt ei impressæ secundùm esse intellectuale tantum: vt videlicet per huiusmodi species impressas, tam creaturas corporales, quàm spirituales cognosceret.* Idem docet in solutione ad 3. & q. 8. de Veritate art. 7. vbi recensitis varijs modis dicẽdi, sic cõcludit: *Vnde alius modus est eligendus, vt dicatur, quòd vnus Angelus alios cognoscit per similitudines eorũ in intellectu eius existentes; non quidem abstractas, aut impressas ab alio Angelo, vel aliquo modo acquisitas; sed à creatione diuinitus impressas, sicut & res materiales per huiusmodi similitudines cognoscit.*

Suaderur assertio ex Sãctis Patribus.

Dionys. D. Thom.

Et 2. contra Gẽtes c. 96. ratione 1. his verbis: *Ex præmissis ostendi potest, quòd substãtiæ separatæ non accipiunt intellectiuam cognitionẽ ex rebus sensibilibus.* Et in postrema parte eiusdem capitis sic concludit: *Patet autem ex hoc, quòd in substantijs separatis non est intellectus agens, & possibilis, nisi forte æquiuocè. Intellectus enim possibilis, & agens in anima intellectiua inueniuntur propter hoc, quòd accipit cognitionem intellectiuam à sensibilibus. Nam intellectus agens est, qui facit species à sensibilibus acceptas esse intelligibiles: intellectus autem possibilis est in potentia ad omnes formas sensibilium cognoscendas. Cùm igitur substantiæ separatæ non accipiant cognitionem à sensibilibus, non est in eis intellectus agens, & possibilis. Vnde & Aristoteles in 3. de Anima, intellectum possibilem, & agentem inducens, dicit eos in anima oportere poni.* Quod etiam docuit idem S. Doctor 1. p. q. 89. art. 1. 2 & 3 & in 2. dist. 3. q. 2. art. 1. de Veritate q. 8. art. 9. & opusculo 3. c. 224.

17. Idem etiam docuit D. August. lib. 2. super Genesim ad litterã c. 8. & lib. 4. c. 24. & lib. 5. c. 4. vbi inquit, res fuisse priùs creatas in mẽte Angelorũ, quàm in proprio genere. Constat autẽ non fuisse in mente Angelorũ priùs creatas, nisi quia fuere creatæ, seu productæ à Deo species intelligibiles earum in prædicta mente, siue intellectu Angelico.

D. Aug.

Nec potest responderi cum Scoto, & Molina ad Augustinum, illum loqui de speciebus intelligibilibus Angelicis quoad rationes vniuersales, non verò de speciebus repræsentatiuis singularium, sed has adhuc

Solutio Scoti & Molinæ

adhuc in ſententia Auguſtini acceptas eſſe in Angelis ex rebus etiam ſenſibilibus.

Refutatur. Nam contra hoc eſt, quòd Auguſtinus ibi loquitur de rebus creatis abſolutè, & vt terminant productionem. Quare neceſſariò debet intelligi de eis ſecundùm *eſſe* indiuiduale, & non ſolùm ſecundùm quidditates ſpecificas, & communes.

Alij Greg. Neque etiam eſt ſufficiens ſolutio Gregorij articulo citato in ſolutione 3. quam etiam ſequitur Molina, qui dicunt, Auguſtinum illis locis non loqui de cognitione naturali creaturarum, ſed de ſupernaturali, quæ res huius vniuerſi ab Angelis cognoſcebantur in Verbo per viſionem beatificam.

Exploditur Nam contra hoc poteſt obijci, Auguſtinum quantum ad hoc loqui de cognitione communi Angelis omnibus ante lapſum malorum, & quæ non fuerit poſterior duratione, quàm creatio huius mundi, vt poteſt oſtendi ex D. Thoma 1.p.q.58. art.6.& 7.& q. 62.art.1. Vnde S. Doctorem, & alios Patres communiter ſequuntur ferè omnes Theologi: & ideò ab illis in particulari referendis abſtinendum eſt.

D. Thom.

Ratio fundamentalis 18 Ratio autem fundamentalis deſumitur ex D. Thoma in hoc articulo, quæ ſub hac forma poteſt proponi. Quia modus acquirendi perfectionem eſt iuxta modum eſſendi: nam vnumquodque acquirit ſuam perfectionem iuxta proprium modum, atque adeò iuxta modum eſſendi: hic autem in Angelo eſt omninò immaterialis, & abſtractus, ac ſeparatus à rebus ſenſibilibus: ergo non accipit ſuam perfectionem, nempe eſſe in actu per ſpecies, ab eiſdem rebus ſenſibilibus. Maior, & minor non indigent probatione. Conſequentia verò videtur perſpicua. Tum, quia iam haberet modum acquirendi prædictam perfectionem per communicationem, & cõmercium cum rebus ſenſibilibus: atque adeò modus eſſendi illius, qui debet eſſe iuxta modum acquirendi perfectionem, haberet etiã commercium cum illis, & non eſſet omninò ab eis abſtractus. Tum etiam. Quia ideò anima noſtra accipit ſpecies à ſenſibilibus, quia habet commercium cum illis, & *eſſe* affine eiſdem, neque eſt omninò ab eis abſtracta: vnde, niſi propter acceptionem ſpecierũ, non vniretur corpori: & per conſequens cùm Angelus non ſit naturaliter vnibilis corpori, vt eius forma, non accipiet ſpecies à ſenſibilibus.

§. II. *Euaſio Scoti, & aliorum, nec non quadruplex illius impugnatio.*

Aduerſariorũ euaſio ad rationẽ D. Thom. 19 NEc obeſt ſolutio Scoti, & aliorum dicentium, abſtractionem hanc Angelicam ſupra ſenſibilia ſolùm tollere, quòd non accipiat ſpecies ab eiſdem rebus ſenſibilibus miniſterio ſenſuum, non tamen quòd ſine illis, vt miniſtrãtibus, eas accipiat: quia non eſt contra hanc abſtractionem accipere illas à ſenſibilibus, vt ab obiecto præcisè. Vnde anima noſtra, quia commercium habet cum corpore, ideò nõ ſolùm à ſenſibilibus, vt ab obiecto, ſed miniſterio ſenſuum eaſdem recipit.

Impugnatur primo. Nam contra hoc eſt primò, quòd res inferioris ordinis nequeunt perficere per modum obiecti rem ordinis ſuperioris. Quia, quod ſic perficit, habet eſſe talis conditionis, vt ab eo pendeat id, quod per illud perficitur quod quidem pugnat cum perfectione rei ſuperioris ordinis: ergo cùm Angelus ſit ſuperioris ordinis, quàm res ſenſibiles, nequibit ab illis perfici. Maximè, quia obiectum, vt ſic perficiens, comparatur vt quid actualius re, quam perficit. Vnde in idem redit, res ſenſibiles perficere intellectum vt obiecta, & perficere illum miniſterio ſenſuum: quia non perficiunt vt obiecta, niſi ea, quæ habent cum illis commercium, & iſta perficiũtur ab eis, vt ab obiectis, & miniſterio ſenſuum. Quæ probatio deſumitur ex D. Thoma 2. contra Gẽtes c.96. ratione 6. his verbis: *Perfectio naturæ ſuperioris non dependet à natura inferiori. Perfectio autem ſubſtantiæ ſeparatæ, cum ſit intellectualis, eſt in intelligendo. Earum igitur intelligere non dependet à rebus ſenſibilibus, ſic quòd ab eis cognitionem accipiat*: ac proinde neque ſpecies, quibus cognoſcat: alioqui eius intellectus, ſicut pẽdet ab ſpeciebus, ſic & à rebus ſenſibilibus.

D. Thom.

Obiectio. Nec obeſt huic impugnationi, quòd anima noſtra etiam eſt ſuperioris ordinis collata cum ſenſibilibus: & nihilominùs ab illis ſpecies accipit: ergo, &c. Reſpondetur enim, quòd licèt anima ſit ordinis intellectualis, nihilominùs quodammodò, quatenus eſt forma corporis, pertinet ad eundem ordinem, & genus, ac ſenſibilia: & ipſa, dum perficiunt animam, quodammodò intrant ordinem illius, quia perficiunt, vt elucẽt in phantaſmate, quod eſt ſupremum infimi, attingens infimum ſupremi ordinis intellectualis, nempe animam noſtram. Maximè, quia virtute intellectus agentis accipit anima ſpecies iſtas à ſenſibilibus, & res ſenſibiles, vt ſtant ſub lumine intellectus agentis, ad eũdem ordinem quodammodò pertinent: ſecùs autem omninò hæc omnia in Angelis contingunt, & ideò nequeunt à ſenſibilibus ſpecies accipere.

Solutio.

Reijcitur ſecundo. 20. Secundò contrà ſolutionem Scoti vrget id, quod ex præcedenti impugnatione deducitur. Nam immaterialitas Angeli, & modus eſſendi illius, quippe eleuatiſsimus, debet eſſe purè immaterialis: ergo etiã in modo acquirẽdi ſuam perfectionem non debet

ibi immiſceri corpus, tanquam id, à quo illã accipit: & ſi ſemel immiſcetur, iam ibi inter Angelum, & ſenſibilia erit quoad hoc eſſe, vt nuper dicebamus, commercium: & ita erit ibidem modus perficiendi miniſterio ſenſuum, quod eſt proprium rerum habentium commercium cum ſenſibilibus. Quæ probatio etiam eſt D. Thomæ 2. contra Gentes c. 96. ratione 4. vbi ſic inquit: *Amplius. Modus operationis propria alicuius rei proportionaliter reſpondet modo ſubſtãtiæ, & naturæ ipſius: ſubſtantia autem ſeparata eſt intellectus per ſe exiſtens, non in corpore aliquo: operatio igitur intellectualis eius erit intelligibilium, quæ non ſunt fundata in aliquo corpore. Omnia autem intelligibilia à ſenſibilibus accepta ſunt in aliquibus corporibus aliqualiter fundata: ſicut intelligibilia noſtra in phãtaſmatibus, quæ ſunt in organis corporeis. Subſtãtiæ igitur ſeparatæ non accipiunt cognitionem ex ſenſibilibus.*

D. Thom.

Euertitur tertio.

21. Tertiò. Quoniam quò intellectus eſt perfectior, & abſtractior, eò obiectum eſt abſtractius: ſed proprium obiectum intellectus humani eſt quidditas materialis, prout elucet in phantaſmate, aut ſaltem elucere poteſt: ergo obiectũ intellectus Angelici altioris debet eſſe altius. Ergo ſicut intellectus humanus accipit ſpecies à ſenſibilibus, quia eius obiectum eſt quidditas materialis, prout modo dicto elucet in phantaſmate, ita Angelicus intellectus propter oppoſitam rationem eas à ſenſibilibus non accipiet.

Cõfirmatio

Confirmatur, & explicatur vis præcedentis probationis. Quia phantaſma eſt ſuperius in ordine obiectorum, quàm res ſenſibilis extra animam exiſtens, vt patet ex ordine virtutum cognoſcitiuarum. Nam phantaſia, habens pro obiecto intrinſeco phantaſma, eſt perfectior ſenſibus externis, habentibus pro obiecto rem ſenſibilem extra animam: ergo obiectum ſubſtantiæ ſeparatæ nequit eſſe res ſenſibilis, quę ſit extra animam, vt ab illa accipiat cognitionem, neque etiam phãtaſma, ſed aliquid altius prædicto phantaſmate. Cumque hoc tantùm ſit intelligibile in actu, oportet, prædictam ſubſtantiam non accipere cognitionem intellectiuam à ſenſibilibus. Quæ probatio colligitur ex D. Thom. 2. contra Gentes c. 96. ratione 2. vbi ſic inquit: *Amplius. Altioris virtutis oportet eſſe altius obiectum. Virtus autem intellectiua ſubſtantiæ ſeparatæ eſt altior, quàm vis intellectiua animæ humanæ, cùm intellectus animæ humanæ ſit infimus in ordine intellectuum, vt ex præmiſſis habetur. Intellectus autem humanæ animæ obiectum eſt phantaſma, vt ſuprà dictũ eſt, quod eſt ſuperius in ordine obiectorũ, quàm res ſenſibilis extra animam exiſtẽs, ſicut ex ordine virtutum cognoſcitiuarum apparet. Obiectum igitur ſubſtantiæ ſeparatæ non poteſt eſſe res exiſtens extra animam, vt ab ea immediatè accipiat cognitionem: neque phantaſma. Relinquitur igitur, quod obiectũ intellectus ſubſtantiæ ſeparatæ ſit aliquid altius phantaſmate. Nihil autem eſt altius phantaſmate in ordine obiectorum cognoſcibilium, niſi id, quod eſt intelligibile actu. Subſtãtiæ igitur ſeparatæ non accipiunt cognitionem intellectiuam à ſenſibilibus; ſed intelligunt ea, quæ ſunt per ſe ipſa etiam intelligibilia.*

D. Thom.

22. Quartò. Nam quę ſecundùm ſe ipſa ſunt actu intelligibilia, ſunt ſuperiora in ordine intelligibilium his, quæ non ſunt intelligibilia, niſi quia nos facimus ea tali: ergo cùm hæc ſint, quæ intellectus noſter intelligit tanquam obiecta proportionata, à quibuſque accipit cognitionem, fit inde, vt intellectus ſubſtantiæ ſeparatæ, qui eſt ſuperior intellectu noſtro, non intelligat iſta accipiẽdo ſpecies ab illis. Quæ probatio deſumitur ex D. Thoma loco citato ratione 3. vbi ſic ait: *Adhuc. Secundùm ordinem intellectuum eſt ordo intelligibilium: ſed ea, quæ ſunt ſecundùm ſe ipſa intelligibilia, ſunt ſuperiora in ordine intelligibilium his, quæ non ſunt intelligibilia, niſi quia nos facimus ea intelligibilia. Eiuſmodi autem oportet eſſe omnia intelligibilia à ſenſibilibus accepta: nam ſenſibilia non ſunt ſecundum ſe intelligibilia: huiuſmodi autem intelligibilia ſunt, quæ intelligit intellectus noſter. Intellectus igitur ſubſtantiæ ſeparatæ, cùm ſit ſuperior intellectu noſtro, non intelligit intelligibilia à ſenſibilibus accepta, ſed quæ ſunt ſecundùm ſe intelligibilia actu.*

Elicitur 4.

D. Thom.

§. III. *Aliæ euerſiones eiuſdem ſolutionis Scoti.*

Quinto infertur cõtra prædictã ſolutionem

23. Quintò. Quia nequit fieri tranſitus de extremo ad extremum, niſi per medium: ergo nec res ſenſibiles ad extrà exiſtentes poſſunt fieri intelligibiles per ſpecies intelligibiles acceptas à rebus, niſi medio phantaſmate: ergo niſi medijs ſenſibus, & miniſterio illorum. Et ita in idem redit, res ſenſibiles perficere intellectum vt obiecta, immittendo, aut cauſando ſpecies intelligibiles, ac tales ſpecies cauſari miniſterio ſenſuum. Antecedens videtur perſpicuum: propterea enim natura curauit de medijs inter extrema, vt per illa fieret tranſitus ab vno ad aliud. Prima conſequentia probatur. Quoniam phantaſma eſt medium inter illa duo extrema: ex eo quòd res ſenſibiles ad extrà ſunt materiales, & cum conditionibus materialibus, & individualibus: at in phantaſmate ſunt materiales, & ſine conditionibus materialibus in

eſſe

esse entitatiuo : & tandem in specie intelligibili sunt materiales ex parte obiecti, sine conditionibus tamen materialibus, & individualibus: & propterea phantasma est supremum ordinis infimi, scilicet materialis. Item alia via quæ in idem ferè redit, potest hæc ratio medij in phantasmate reperta explicari. Nam iuxta doctrinam D. Thomæ in præsenti art. 2. ad 2. *esse* formæ in imaginatione, quod est *esse* sine materia, non autem sine materialibus conditionibus, est medium inter *esse* formæ in materia, quod est *esse* cum materia, & cum materialibus conditionibus, & *esse* formæ in intellectu, quod à materia, & à conditionibus materialibus est abstractum.

Secunda verò consequentia etiam constat. Quoniam quod medio phantasmate accipitur, non nisi medijs sensibus habet accipi: acproinde in idem redibit, accipere speciem à sensibilibus, vt ab obiecto, & accipere illã ministerio sensuum. Quæ probatio desumitur ex D. Thoma art. 2. huius q. in solutione
D. Thom. ad 2. vbi sic inquit: *Dicendum, quòd de extremo ad extremum non peruenitur nisi per medium. Esse autem formæ in imaginatione, quod est quidem sine materia, non tamen sine materialibus conditionibus, medium est inter esse formæ, quæ est in materia, & esse formæ, quæ est in intellectu per abstractionem à materia, & à conditionibus materialibus. Vnde quantumcũque sit potens intellectus Angelicus, non posset formas materiales reducere ad esse intelligibile, nisi priùs reduceret eas ad esse formarũ imaginatarum, quod est impossibile, cùm careat imaginatione, vt dictum est.*

Nec obest contra hanc probationem id,
Obiectio. quod Scotus obijcit, scilicet, phantasma vel esse medium ex parte obiecti, & tunc neque etiam à Deo poterit infundi species sine hoc medio: vel ex parte virtutis intellectiuæ, & tunc respectu virtutis superioris, qualis est Angelica, poterit non requiri, quamuis respectu inferioris desideretur.

Responsio. Respondetur enim, requiri ex parte obiecti, vt naturaliter operantis, sui similitudinem. Hoc autem nihil vetat, quin Deus absque prædicto medio possit inducere species repræsentantes sensibilia in intellectu Angelico. Cur autem respectu prædicti obiecti naturaliter operantis sit phantasma medium, satis deducitur ex eo, quòd infima, nisi per supremum sui ordinis, nõ causant illa, quę quodammodò sunt superiora: & ita anima nostra non nisi ex sensibilibus, & per supremum huius infimi pertingit ad cognitionem intellectiuam, quæ est quodammodò superioris ordinis, quàm quæuis sensitiua cognitio.

Cõtra præcipuã solutionẽ Scoti arguitur vlterius. 24 Prætereà contra præcipuam Scoti solutionem obstat. Quoniam (vt sæpè dixi-
mus) in idem redit, intellectum accipere species à sensibilibus, vt ab obiecto sensibili, & accipere eas ministerio sensuum, ergo sinequit eas recipere Angelus ministerio sensuum, vt idem Scotus fatetur, non poterit illas à sensibilibus, vt ab obiecto recipere. Antecedens sic denuò probatur, & explicatur. Quia obiectum sensibile se solo nequit has species producere per modum causæ principalis: quia est quid materiale, & species intelligibiles recipiendæ in intellectu sunt spirituales. Nec solus intellectus potest illas eruere (vt sic dicamus) ex sensibilibus: quia est indifferens ad omnes illas: & ideò oportet determinari per obiecta sensibilia. Rursus, nec sensibilia possunt se ipsis determinare intellectum: quia nec sunt cum illo naturaliter vnita, nec possunt agere in rem purè spiritualem propria virtute determinando illam. Neque intellectus potest determinare efficienter res sensibiles ad extrà existentes in ordine ad eliciendas species ex illis: quia hæc determinatio, quæ solùm queit dari per applicationem virtutis intellectus ad sensibilia, nec potest fieri per applicationem naturalem, & necessariam: siquidem intellectus, & sensibilia, nisi medijs sensibus, & phantasmate, & ratione illorum, non sunt naturaliter colligata: neque etiam per applicationem liberam, quia hæc supponit cognitionem, quæ cùm non possit esse phantasiæ, aut alterius sensus, quia suponitur non fieri ministerio sensuum, tantùm potest esse intellectiua: cumque ad hanc requirantur species in intellectu, consequens est, vt species huic cognitioni deseruientes nequeant elici per hanc applicationem ex rebus sensibilibus, sed ante prædictam applicationem iam præcesserant in intellectu, & non à sensibilibus acceptæ. Et ita in idem redit, intellectum posse accipere species à rebus sensibilibus, vt ab obiecto, & accipere ministerio sensuum: siquidem nisi præcedat phantasma, & cognitio phantasiæ, aut aliorum sensuum, nequit intellectus determinare res sensibiles ad hoc, vt accipiat species ab illis, & solùm in virtute intellectus, & vt eleuata per illas possunt prædictas species immittere.

Effugium. Nec obest solutio, quæ huic probationi poterat adhiberi, nempe, sufficere ad hoc præuiam cognitionem, qua Angelus se ipsum per suam substantiam cognoscit: nam per hanc attingit imperfectè cuncta alia: & ita media illa poterit liberè determinare res sensibiles ad extrà. Nam contra hoc est, desiderari distinctam cognitionem, & non sufficere confusam
Præcluditur.

vt mediante illa applicet se Angelus ad eruẽ dam speciem distinctè repræsentantem obiectum: sicut contingit, dum intellectus humanus elicit ex sensibilibus species: tunc enim per phantasiam, modo tamen illi proportionato, distinctè, & quoad sibi propria cognoscitur singulare, ex quo accipienda est species medio phantasmate.

Vltimo explodit. 25. Tandem contra prædictam Scoti solutionem obstat sequens impugnatio, per quam ampliùs confirmatur, & explicatur simul, quomodo illa duo nuper recensita in idem redeant. Nam substantiæ separatæ non habent corpora sibi naturaliter vnita: ergo non accipiunt intellectiuam cognitionem ex sensibilibus. Patet consequentia. Quia omnis substantia cognoscitiua, ex sensibilibus cognitionem accipiens, habet cognitionem sensitiuam, secundùm quam nata sunt sensibilia secundùm suam naturam apprehendi: & per consequens habet corpus sibi naturaliter vnitum, accipitque species medijs sensi-

D. Thom bus. Quæ probatio desumitur ex D. Thoma loco citato ex contra Gentes ratione 3. his verbis: *Sensibilia enim secundùm suam naturam nata sunt apprehendi per sensum, sicut intelligibilia per intellectum. Omnis igitur substantia cognoscitiua, ex sensibilibus cognitionẽ accipiens, habet cognitionem sensitiuam: & per consequens habet corpus naturaliter vnitum: cùm cognitio sensitiua sine organo corporeo esse non possit. Substantiæ autem separatæ non habent corpora naturaliter sibi vnita, vt superiùs est ostensum. Non igitur intellectiuam cognitionem ex rebus sensibilibus sumunt.*

Ex quibus etiam fit, nõ ita benè additum fuisse ab Scoto in sua solutione, animam nostram non accipere species à rebus, vt ab obiecto, quia cum illis habet cõmerciũ. Quoniam, vt sæpè diximus, in idem vtrumque redit.

Adde, quòd tunc colligeremus, animam non vniendam corpori, si non acciperet species à sensibilibus: ac proinde in idem redibit, eam ab illis accipere species, & esse formam vnibilem naturaliter corpori, quæ ministerio corporis, & sensuum eas acquirat. Probatur antecedens. Quia anima vnitur propter suam operationem: cũque non vniatur propter illam, quia egeat organo corporeo ad eam eliciendam, fit inde, vt vniatur, quia eget hac vnione, vt accipiat ministerio sensuum species, quibus independẽter ab organo corporeo intelligat: & ita benè colligeremus, nõ vniendam corpori, si non acciperet species à sensibilibus.

Nec obest, si occurras, quòd vnitur toti composito, vt det *esse* corporeum sensitiuũ, &c. Nam contra hoc est, quòd totum istud fit etiam propter operationem sensitiuam, & intellectiuam: & si ad has non indigeret corpore, colligeremus, non vniri ad dandum *esse* toti composito. Et propterea Angelus, quia ad suam operationem non indiget vnione naturali ad corpus, ideò optimè colligemus, eum non accipere species à sensibilibus.

§. IIII. *Occurritur breuiter cuidam interrogationi.*

Cuidam interrogationi satisfit. 26. SEd inquires, an saltem supernaturaliter possit intellectus Angeli à rebus sensibilibus accipere species? Respondetur, satis probabilem esse partem negatiuam. Sed antequam rationem huius reddamus, prænotandum est, quòd accipere species à sensibilibus, propriè loquendo, dupliciter tantùm contingit. Primò, ita vt intellectus sit agens principale, & patiens, siue prædictus intellectus sit re ipsa distinctus ab intellectu possibili, siue non. Secundò, ita vt tantùm sit patiens, & obiectũ sensibile agens, & diffundens principale. Quare, si Deus alio modo immiserit species, tunc ipse erit, qui immittit, non verò per hoc dicetur, intellectum à rebus sensibilibus eas desumere. Et quidem quoad secundum modum patet, non posse, adhuc supernaturaliter, Angelum accipere prædictas species à sensibilibus. Quia obiectum sensibile nequit esse causa principalis, quippe inferioris ordinis respectu Angeli, quoad species intelligibiles spirituales in eo receptas. Vnde solùm reddenda est ratio de primo modo accipiendi has species. Quæ deducitur ex D. Thoma art. 3. quæst. præcedentis, & sub hac forma potest proponi.

Quoniam sicut visus nequit eleuari extra suum actum, & obiectum adæquatum, sic neque intellectus agens: hic autem est essentialiter potentia inferior ad intellectum Angeli, exigitque determinationẽ obiectiuam phantasmatis, & actiuam procedentem ab ipso in phantasma, dicitque naturalem colligationem cum phantasmate, & phantasia: ergo nequit eleuari ad actum adæquatum altiorem, qualiter eleuandus esset, vt esset in Angelo, & haberet rationem virtutis actiuæ, & principalis immutantis intellectum Angelicum per productionem specierum ex sensibilibus.

§. V. *Contraria sententia, cum suis fundamentis, & eorum solutionibus.*

Oppositæ sententia. 27. OPpositam sententiam tuentur Scotus in 2. dist. 3. q. vltima §. *respondeo*, Richardus dist. 3. art. 6. q. 2. Maior q. 4. & Marsilius in 2. q. 7. art. 1. 2. p. conclusione 5. 7. & 9. quatenus iuxta explicationem *Scotus.* *Richard.* *Maior.* *Marsil.*

Scoti

Scoti duo dicunt. Primum eſt, quòd etſi Angelus habuerit ſpecies infuſas in inſtanti ſuæ creationis, repræſentãtes naturas vniuerſales attamen ſi nõ haberet eas hoc modo, poſſet propria virtute accipere illas à rebus. Secundũ eſt, Angelos accepiſſe à rebus ſpecies ſingularium, & quoad ſingularitatem, ſiue differentiam individualem, & quoad actualem exiſtentiam, ac quoad rationem, ſiue conditionem, ſecundùm quam habent terminare notitiam intuitiuam. Et tandem ſolent referri Gregorius in 2. diſt. 2. q. 5. art. 1. concluſione 24. ad 5. OKam q. 16. aſſerentes Angelum non accepiſſe à Deo, vt ab agẽte particulari aliquas ſpecies in inſtãti creationis, ſed à rebus, licèt non ſit certũ, eos (ſaltem ita abſolutè) pro hac ſententia referẽdos.

Greg. *OKam.*

Argumentum primũ.

28 Probatur primò hæc ſententia. Quia intellectus noſter habet efficaciam ad eruendum ſpecies ex ſenſibilibus: ergo etiam Angelicus, qui efficaciam maiorem habere debet.

Cõfirmatur

Confirmatur. Quia quæ ſunt in inferioribus dicentia perfectionem, potiori iure in ſuperioribus ſunt admittenda: at eruere ſpecies à ſenſibilibus, dicit perfectionem, & hæc reperitur in intellectu noſtro inferiori ad Angelum: ergo idpotiori iure intellectui Angelico tribuendum erit.

Enodatio argumenti cum ſua cõfirmatione.

Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Quia ſatis eſt, quòd ſit efficacior in ſuo ordine, & in his, ad quæ ſalua ſua perfectione, ſe extendere poteſt: & ideò eſt in cognitione efficacior, & in alijs; non autem in hoc, quòd accipiat ſpecies à rebus: quia hoc ſupponit imperfectionem, nẽpe, quòd non ſit ab initio conſtitutus adequatè in ratione illorum, quæ requiruntur ad actum primum, & quòd non habeat ab initio plenitudinem ſcientiæ, necnon quòd egeat rebus corporeis. Ac tandem, quòd non habeat *eſſe* omninò ſpirituale, ſed admittens commercium cum corpore, & acquirens miniſterio ſenſuum ſuam perfectionem: ac proinde quòd ſit vera forma corporis, vt ex dictis patet. Per quod ad confirmationẽ cõſtat.

Secundum argumentũ

29 Secundò probatur. Quoniam phantaſia ex præconceptis ſpeciebus, nempe mõtis, & auri, format & eruit aliam ſpeciem mõtis aurei: & intellectus noſter ex præconceptis ſpeciebus generis, & differentiæ format ſpeciem repræſentantem naturam atomam: & de ſimilitudine imaginis formare poſſumus in nobis ſimilitudinem eius, cuius eſt imago: & ſic D. Paulus ex viſione eſſentiæ diuinæ potuit formare in ſe ſimilitudines rerum, quæ remanſerunt in eius intellectu, poſt quam deſiuit illam videre, vt docet D. Thomas ſuprà q. 12. art. 9. ad 2. Ergo intellectus Angeli ſimiliter potuit hoc efficere: præcipuè ſi daretur, quòd per potentiam Dei aliquis Angelus deſineret eſſe beatus: quia procũ dubio iſte talis recordaretur eorum, quæ in eſſentia diuina vidit: ergo per aliquam peciem ab eius intellectu formatam. Nec poteſt dici, hoc non poſſe fieri ab Angelo, quia non habet intellectum agentem. Nam contra hoc eſt, quòd idem facit imaginatio, & ſine adminiculo intellectus agentis.

D. Thom.

Reſponſum gr̃etur.

Reſpõdetur ex dictis, negando cõſequẽtiam. Quia omnia iſta poteſt intellectus noſter, & imaginatio, ex eo quòd ſunt potentię non perfectæ, & completæ per actum primũ, ſiue per ſpecies creatas ab inſtanti ſuæ productionis. Vnde poſſunt à ſe, vel ab alio nouis actuari formis intelligibilibus, ſcilicet ſpeciebus, ſecùs verò intellectus Angelicus. Et ideò adhuc in illo euentu, quòd aliquis Angelus deſineret eſſe beatus, tunc ſi recordaretur eorum, quæ in Deo vidit, fieret per ſpecies à Deo illi inditas.

Tertiũ.

30. Tertiò. Nam Angeli accipiunt ſcię tiam ab extrinſeco: ergo & ſpecies. Patet cõſequentia: tum, quia ſcientia, quæ eſt per ſpecies inditas, non eſt ab alio: tum etiam, quia quod habet ſpecies ab extrinſeco, quæ ſunt cauſæ ſcientiæ, etiam habet ab extrinſeco illam ſcientiam & è contrà. Antecedens verò probatur dupliciter. Primò ex illo ad Epheſ. 3. *Vt innoteſcat principatibus, & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei, &c.* Quem locum D. Hieronymus, & alij SS. Patres, quos refert Xyſtus Senenſis lib. 6. Bibliothecæ annotat. 299. explicant adhunc ſenſum, ſcilicet, quòd Angeli ab Apoſtolis didicerunt aliqua myſteria gratiæ, ſaltem quoad particulares circunſtãtias. Ergo, &c. Secundò probatur idem antecedens. Quia vnus Angelus illuminat alterum, & docet illum: ergo Angelus edoctus ab extrinſeco recipit illam doctrinam.

Ad Eph. 3.

D. Hier.

Xyſtus.

Diluitur primo.

31. Reſpondetur primò, negando antecedens. Quoniam Angelis innotuere myſteria gratiæ, non per Eccleſiam hominum, ſed Angelorum, per quam principibus, & poteſtatibus huius mundi reuelata ſunt. Ita explicat Auguſtinus adductum in hoc argumento Pauli teſtimoniũ lib. 5. de Geneſi ad lit. c. 19.

Auguſt.

Secundo.

Secundò reſpõdetur, quòd quia Apoſtolis prædicantibus Angeli pleniùs cõgnouerunt res, quas Prophetæ prædicauerant, & ipſi Angeli hominibus reuelauerant, ſicut pleniùs ſciunt præſentia, quàm futura (modo tamen infrà q. de illuminatione Angelorum explicando) ideò dicuntur fuiſſe edoctos ab Apoſtolis, non tamẽ quia acciperent ab eis aliquã ſcientiam. Et in hoc ſenſu loquuntur Hiero. & alij Sancti Patres in argumento adducti.

Ad ſecundam probationẽ antecedentis reſpondetur, quòd vnum Angelum docere alterum, non eſt, quòd infundat, aut intendat lumen intellectuale eius, vel ſpeciẽ, ſed quòd obiectum cognoſcibile per ſuum lumen,

& repræ-

& repreſentabile per ſpeciem eius proponat magis dearticulatim. Sicut quando vnus homo docet alterum, nec cauſat lumen intellectuale, nec ſpecies in eo, ſed obiectum, quod repræſentabatur per ſpecies, quas diſcipulus abſtraxit, vel habet apud ſe, ordinat, & explicat, vt faciliùs cognoſcatur. Ex hoc autem non habetur, quod Angelus accipiat virtutem, aut ſcientiam ab extrinſeco.

Tandem ſolet hæc ſententia probari ex eo, quòd non dantur ſpecies ſingularium inditæ ab initio productionis Angeli à Deo: tum, quia ſingularia iſta ſunt infinita, & ita infinitæ ſpecies in intellectu Angeli darentur: tum etiam, quia ſpecies futurorum contingentium non ſunt inditæ in inſtanti conditionis Angelicæ, alioqui Angelus illa cognoſceret propriis viribus: ac proinde debent eſſe acceptæ à rebus. Cæterùm quia de iſtis duabus difficultatibus infrà q. 57. erit ſermo, illas quoad præſens omittimus.

DVBIVM III.

Vtrùm Angelus cognoſcat res immateriales per ſpecies acceptas ab illis?

MAIOR Difficultas eſt, an Angeli accipiant ſpecies à rebus ſpiritualibus, quippe magis proportionatis ad hoc munus? Et ita ſemel explicato, an illas à ſenſibilibus accipiant? meritò inquiritur, an ſaltem ab obiectis immaterialibus habeant ſpecies illas, per quas prędicta obiecta ſpiritualia cognoſcantur?

§. I. *Vera Dionyſij, Auguſtini, & D. Thomæ ſententia, & eius fundamentum.*

Aſſertio vera. *Dionyſ. Auguſt. D. Thom. Ezech. 28*

32. DIcendum ergo eſt, Angelum non accipere ſpecies rerũ immaterialium ab illis, ſed habere eas à Deo ab initio ſuæ creationis. Ita Dionyſius, Auguſtinus, & D. Thom. locis dubio præcedenti citatis: & peculiariter Angelicus Præceptor infrà q. 56. art. 2. ad 3. & 4. ſupponit, hanc fuiſſe in art. 2. huius q. ſententiam. Videturque contineri apud Ezechielẽ c. 28. vt dubio præcedenti aſſerebamus. Et tandem eam ferè omnes Theologi tuentur: & ideò eos ſigillatim non adducimus.

Ratio eius fundamẽtalis

Ratio autem eius fundamentalis deſumitur ex D. Thoma in hoc articulo, & per eam tam hæc, quàm præcedentis dubij aſſertio ſic ſuadetur. Quoniam idem conſtituendus eſt ordo, & diſtinctio inter ſubſtãtias ſpirituãles (ſeruata tamẽ proportione) ac inter ſubſtãtias corporeas: ſed inter iſtas hic eſt ordo, & diſtinctio, vt ſubſtantiæ ſuperiores, quales ſunt cœleſtia corpora, habeant à Deo ſuã potentiã, ſcilicet materiã primam, totaliter expletam per formã ab inſtanti ſuæ primæ conditionis, ita vt prædicta materia non habeat ſucceſsiuè accipere ab alijs agentibus nouas formas: ergo etiam inter ſubſtantias ſpirituales admittendus eſt proportionaliter ſimilis ordo, & diſtinctio, ita vt ſuperiores inter illas, nẽpe Angeli, habeant à primo inſtanti ſuæ creationis, & à Deo totaliter completam ſuam potentiam, nempe intellectum, per formas intelligibiles; cùm tamẽ inferiores ſubſtantiæ, quales ſunt animæ noſtræ, nõ habeant illam à Deo completã à primo inſtanti, in quo conditæ ſunt, ſed paulatim, & ſucceſsiuè prædictas formas intelligibiles acquirant. Quã rationem propoſuit etiã D. Thomas 2. cõtra Gentes c. 96. ratione 5. his verbis: *Sicut materia prima eſt infimum in ordine rerum ſenſibilium, & per hoc eſt in potentia tantùm ad omnes formas ſenſibiles: ita intellectus poſsibilis, infimus in ordine intelligibilium exiſtens, eſt in potentia ad omnia intelligibilia, vt ex præmiſsis patet. Sed ea, quæ ſunt in ordine ſenſibilium ſupra materiã primam, habent in actu ſuam formam, per quam conſtituuntur in eſſe ſenſibili. Subſtantia igitur ſeparata, quæ ſunt in ordine intelligibiliũ ſuprà intellectum poſsibilem humanum, ſunt actu in eſſe intelligibili. Intellectus enim accipiens cognitionem à ſenſibilibus non eſt actu in eſſe intelligibili, ſed in potentia. Subſtantia igitur ſeparata non accipit cognitionem à ſenſibilibus.* D. Thom.

§. II. *Solutiones aduerſariorũ ad rationem D. Thomæ.*

33. NEc obeſt triplex ſolutio Scoti, & aliorũ authorũ oppoſitæ ſentẽtię. Prima eſt, concedendũ eſſe antecedẽs, & negãdã cõſequẽtiã. Et rationẽ diſparitatis reddit Scotus ex eo, quòd qualitates cœleſtes à nullo agente creato poſſunt attingi: & propterea ſpectat ad diuinã prouidentiã eas producere, & perpetuò cõſeruare: ac proinde & perpetuò ibi eſſe illam formã ſubſtantialẽ, & nõ aliã, ne cœlũ perpetuo maneãt ſine ſua perfectione, aut corrũpatur. Cæterũ ſpecies intentionales poſſunt in Angelis produci à cauſa creata, nimirũ ab intellectu eius agẽte, & ab obiecto, ſicut producuntur in nobis: & hoc potiſsimè habet locum in Angelo reſpectu obiecti ſpiritualis: & ideò non oportet eas immediatè attingi à ſolo Deo. Immo ex hoc ſequitur, nõ debere à ſolo Deo produci. Nã ſicut ad eius prouidentiã pertinet producere immediatè eas perfectiones, ad quas nõ poteſt agẽs creatũ: ſic ad illã pertinet produ-

Ad rationẽ D. Th. ſolutio prima.

cere

cere mediis cauſis ſecundis ea, ad quæ prædictæ cauſæ poſſunt ſe extendere. Siquidem nō magis ſpectat ad diuinam prouidentiā, quòd ſuppleat defectus cauſarum ſecundarum, quàm quòd relinquat eas influere, ad effectū in quos poſſunt.

Secunda. 33 Secunda ſolutio reddit aliam diſparitatem, nempe, non fieri debitam comparationem. Nam in cœlis potentia, ſcilicet materia prima, eſt ſubſtantialis, & in ordine ad actum ſubſtantialem, in Angelis verò potentia receptiua ſpecierum eſt accidentalis. Conſtat autem, non debere eſſe hanc paritatem inter hanc, & illam potentiam, ſiquidem repugnat, cœlum, & eius potentiam ſubſtantialem actuari per diuerſas formas, ſed ſolùm poteſt per vnicam informari, & hæc debet eſſe ab initio in materia illa, ne prædicta materia ſine forma ſit: quodtamen in potentia accidentali nullam inuoluit repugnantiam.

Tertia Molinæ. 34 Tertia, quam tradit Molina in hoc articulo diſput 2. membro 4. vbi quaſi explicans præcedentem ſolutionem, quæ eſt Gregorij, dicit, eſſe diſcrimen inter potentiā ſubſtantialem cœli ad formam ſubſtantialem, & potentiam intellectus ad accidentalem: quòd prior potentia in cœlo, quippe incorruptibili, debet ſemper & neceſſariò eſſe completa per formam ſuam, ita vt cœli non ſint in potentia, ſaltem proxima, ad aliam, alioqui eſſent corruptibiles: at vero poſterior, licèt ſit in ſubſtantia incorruptibili, non oportet quod ſit ita completa per ſuam formā, ſed poteſt ſucceſſiuè per aliam perfici, ex eo quòd ſubſtātiæ, quantūuis incorruptibiles, poſſunt hoc modo ſuſcipere alias, & alias formas accidentales.

Quibus etiam poteſt addi, quòd ſi ratio D. Thomæ aliquid probaret, conuinceret vtique, quòd ſicut materia cœli per ſuam formam habet totum ſuum *eſſe* actuale à principio, ita potentia intellectiua Angeli per ſpecies infuſas à principio habeat ſimiliter totā ſuam actualitatem: acproinde ſemper ſit in actuali cognitione omnium illorum, ad quæ huiuſmodi ſpecies infunduntur. Et ſimiliter quòd ſicut materia cœli eſt in potentia ad recipiendum aliquem actum accidentalem ab aliquo extrinſeco, ſcilicet lucem à ſole, & virtutem cauſandi ſtabilitatem in his inferioribus ab Angelis: ſic intellectus Angelicus ſit in potentia ad recipiendam aliquam ſpeciē ab aliquo extrinſeco. Ac tandem eadem ratione D. Thomæ etiam probaretur, quòd inter ſubſtantias ſenſitiuas ſuperiores, & inferiores detur ſimilis ordo, & diſtinctio, qui inter corpora ſuperiora, & inferiora, nempe cœleſtia, & ſublunaria datur: ſiquidem non eſt cur proportionalis ordo, & diſtinctio inter prædictas ſubſtantias ſenſitiuas non inueniatur, qui in illis prioribus reperitur: & ita potētia cognoſcitiua prædictarū ſubſtantiarū ſuperiorū, ſenſibiliū tamen, erit ab initio cōpleta, & reducta ad omnē ſuū actū primū.

§. 3. *Vis rationis Angelici Præceptoris expenditur, & obiectionibus in contrarium fit ſatis.*

Ad euerſiō nem harum ſolutionum animaduerſio prima. 35 NOn igitur hæc omnia obſunt. Quoniā facilè corruunt ex expenſione rationis D. Thomæ. Vt autem hæc meliùs capiatur, præſupponendum eſt, non poſſe negari, quin detur aliqua proportio inter ordinem, & diſtinctionem ſubſtantiarum intellectualium ſuperiorū, & inferiorū, & ordinem, ac diſtinctionē corporū itidē ſuperiorum, & inferiorū, vt cōmuniter docent Theologi, & Philoſophi. Hæc autē proportio nō poteſt in alio meliꝰ reperiri, & explicari, quā per hoc, quòd ſeruetur inter illas ſecundū eā rationē, ſecundùm quā attēditur ſuperioritas & inferioritas in prædictis corporibus. Et ideò ſolùm reſtat explicare, per quid attenda tur ſuperioritas, & inferioritas iſta corporū, vt proportionalis ordo, & diſtinctio inter ſubſtantias ſpirituales inferiores, & ſuperiores deſignetur.

Secunda Quod vt meliùs fiat, præſupponendū eſt ſecundò, corpora ſuperiora, ſcilicet cæleſtia, eò eſſe ſuperiora corporibus ſublunaribus, & corruptibilibus, quòd ſunt magis in actu ſiquidē vnumquodque eò eſt ſuperius, & perfectius alio, quò habet eſſe magis in actu, quā illud: & ideò Deus eſt ſuperior omnibus alijs, quia eſt actus purus, omnē excludēs potētialitatem: & ſubſtātiæ ſeparatæ, & immateriales, nēpe Angeli, ſunt ſuperiores quouis corpore, quia habēt magis de actualitate, & minùs de potentia: nā ſicut materia prima, quæ eſt pura potētia, eſt infimæ notæ: ita quò magis aliquid recedit ab illa, & perconſequens habet magis de actualitate, eò erit nobilius, & ſuperius. Cæterùm prædicta corpora cæleſtia eſſe magis in actu, cōſiſtit in hoc, quòd eorū potentia ſubſtantialis, nēpe materia prima, magis compleatur per formam, quā habet, ita vt nō remaneat in potētia ad alias formas: è cōtrà verò corpora corruptibilia ſunt minùs in actu, quia potētia eorū, nēpe materia prima, non eſt ita completa per ſuam formam, ſed relinquitur in potentia ad alias formas.

Enucleatio rationis D. Thomæ. 36 Hinc ergo ratio D. Thomæ ſic expenditur. Quoniam proportio neceſſariò ſeruanda inter ordinem, & diſtinctionem ſpiritualium creaturarum ſuperiorum, & inferiorum ex vna parte, & inter ordinem, ac diſtinctionem corporum ſuperiorum, & inferiorū ex alia, debet (ſeruata vtriuſque ordinis natura) maximè attendi quoad id, ſecundū quod dicuntur eſſe ſuperiora, & inferiora, ſcilicet ex eo, quòd habeāt magis, velminùs de actualitate:

licatenat in corporibus habere magis, vel minùs de actualitate, consistit in hoc, quòd eorum pura potentia compleatur omninò per suam formam, & actum primũ ab initio suæ conditionis, ita vt noa maneat in potẽtia ad alias formas successiuè acquirendas, è contrà verò inferioritas per hoc, quòd non sic compleatur, sed possit successiuè compleri: ergo etiam in substantijs spiritualibus esse superiores, vel inferiores, ac proinde habere magis, ac minùs de actualitate, consistet in hoc, quòd in superioribus, nempe Angelis, eorum pura potentia in ordine intelligibili, scilicet intellectus, sit ab instanti suæ conditionis omninò completa à Deo per suas formas intelligibiles, ita vt nequeat secundùm communem cursum aliquas de nouo recipere: è cõtra verò in inferioribus, qualis est anima nostra, prędicta potentia non sit completa ab instanti suę conditionis, sed possit paulatim, & successiuè perfici per formas intelligibiles.

Euersio primæ solutionis.

37 Ex quo planè fit, nihil obesse rationi huic aliquam ex solutionibus traditis. Nã prima supponit falsum, scilicet prædictas species, & formas intelligibiles posse in substantijs intellectualibus superioribus produci paulatim, aut ab alio, quàm à Deo: siquidem superioritas illarum petit, potentiam earundem in ordine intelligibili esse ab instãti suæ creationis omninò completam: ac proinde compleri à Deo creante substantiam illam Angelicam, sicut superioritas corporũ petit, vt earum potentia, scilicet materia prima, in illo instanti à Deo compleatur, & expleatur.

Secundæ.

Et similiter secunda solutio corruit. Siquidem fit comparatio inter potentias puras, vnam quidem in genere intelligibili, & aliã in genere entitatiuo, & quoad superioritatẽ, quam habent substantiæ, in quibus sunt: & comparatio inter istas, siue vna sit substãtia, & alia accidẽs, siue vtraque sit substãtia, qualiter contingeret, si fieret cõparatio inter potentiã radicalẽ ad recipiendas species, & inter materiã primã corporum, petit, quòd potentia prædicta ab initio sit cõpleta, & expleta: & ita per accidens est, quòd sint substãtia, vel accidẽs, si quoad præcisũ munus cõferantur.

Tertiæ.

38 Et deinde tertia solutio Molinæ eadẽ ratione corruit. Tũ, quia superioritas in corporibus cœlestibus non oritur ex incorruptibilitate, sed potiùs è contrà: quia ex eo quòd corpora cœlestia sint magis in actu modo dicto, oritur, quòd sint incorruptibilia. Tũ etiã. Quia ex eadẽ maiori actualitate reperta in substantijs spiritualibus supra alias substãtias spirituales, & inferioris ordinis debet etiã propter dictam rationem oriri, quòd sint intransmutabiles quoad formas intelligibiles, quibus earũ potentia intellectiua actuatur, & in ordine ad quas (sumpta præcisè quoad ea, quæ ex intraneis, & quoad omninò intrinseca dicit) comparatur per modum puræ potentiæ in ordine intelligibili: quãuis quoad alia accidentia, habentia rationẽ actus secundi, & non primi, possit trasmutari, & paulatim acquirere illa.

39 Ex quo etiam fit, falsa esse tria illa, quæ ad eneruandam hanc rationem D. Thomæ adducuntur. Quoniam duo priora conuenientia cœlis, nõ cõpetunt illis, qua ratione sunt corpora superiora, sed quatenus cõmunicãt cum inferioribus: & propterea duo illa etiam corporibus inferioribus cõueniũt. Et tãdem, licèt ratio D. Thomæ suadeat intentum quoad substantias intellectuales superiores, nempe Angelos, & inferiores, scilicet animas nostras rationales, nõ tamẽ quoad substantias præcisè sensitiuas: quia istæ nõ pertinẽt ad diuersos ordines, aut diuersos gradus exclusionis potentialitatis, sicut substãtiæ intellectuales superiores, & inferiores, & corpora superiora itidem, & inferiora pertinẽt. Et propterea substãtiæ præcisè sensitiuæ eodem modo quoad suã potentialitatẽ cõplendæ sunt, nempe paulatim, & successiuè.

Maior impugnatio illarum.

Adde pro maiori confutatione harũ omnium euasionum. Quòd hoc ipso quòd intellectus Angelicus in ordine ad res sensibiles non habeat accipere species ab obiectis, sed ab initio suæ conditionis illas inditas à Deo habeat, vt dubio præcedenti ostendimus, oportet, vt similis ordo, & distinctio (proportione tamen seruata) reperiatur in eis, ac in corporibus cœlestibus respectu corporũ inferiorũ quoad hoc, quod est actuari intransmutabiliter, & ab initio suę productionis per omnes suas formas intelligibiles. Et ratio videtur aperta. Tũ, quia prædictus intellectus consideratur per modũ potentiæ collatæ cũ suo actu primo: hæc autẽ indiscriminatim, & eodẽ modo respicit has, & illas formas, quarũ est capax: & ita, si respectu specierũ obiectorũ sensibiliũ non habet acquirere illas successiuè ab obiectis, nec etiam respectu immaterialium id habebit. Tũ etiam. Quia sicut quæuis res tantùm habet vnicum modũ suæ productionis, ita etiam & vnicum modum acquirendi suam perfectionem: & ita, si respectu specierum repræsentatiũ sensibilia dicẽdum est habere illas à Deo in instanti creationis, etiam respectu specierum rerũ immaterialium hoc idem affirmari oportebit.

Tũ deinde. Quia modus acquirendi propriam perfectionem est iuxta modũ essendi: hic autem vnicus tantùm est: ergo & modus acquirendi propriam perfectionem in actu primo. Quæ propositio desumitur ex D. Th. infrà q. 89. art. 1. Tum præterea. Quoniam cognitio obiectorum immaterialium est magis connaturalis, quàm materialium, & consequenter suo modo magis debita: ergo etiã

etiã

erit magis connaturale, non carere ab initio ſuæ productionis ſpeciebus immaterialium, quam materialium. Tum denique. Quia ex gradu perfectionis, qui in Angelis reperitur, prouenit, quòd ab initio ſuę productionis non ſint in potentia ad ſpecies rerum ſenſibilium: ergo ex eodem gradu debet prouenire, quòd non ſit in potentia ad ſpecies rerum ſpiritualium: quia ex omnibus his ſpeciebus integratur ſua perfectio intelligibilis, & potiſſimè ex ſpeciebus immaterialium.

§. IIII. *Interrogatio animaduertenda.*

Cuidam interrogationi fit ſatis,

40 SEd inquires, an aſſertio noſtra ſit ita certa, vt oppoſitum implicet? Reſpondetur, probabilem eſſe partem affirmatiuam. Quam vt meliùs explicemus, recolendum eſt id, quod dubio præcedenti diximus, ſcilicet, accipere ſpeciem ab obiecto, propriè loquendo, fieri duobus illis modis, nempe, vel ita vt intellectus ſit agens principale, & ſpecies illæ recipiantur in illo, ſiue intellectus iſte ſit realiter diſtinctus ab intellectu agente, ſiue non: vel ita vt obiectum ſit cauſa principalis talium ſpecierum, & intellectus ſe habeat paſsiuè recipiendo illas. Et qui dem quòd hæc acceptio ſpecierum nequeat fieri primo modo, conſtat ex dictis dubio præcedenti quoad ſpecies acceptas à ſenſibilibus. Quia in Angelo nequit eſſe intellectus agens adhuc reſpectu ſpecierum obiectorum immaterialium: quia iſte eſſentialiter eſt potentia inferior, quippe petens, vt paulatim producat ſpecies obiectorum, ſecundùm quòd paulatim occurrunt, ex eo quòd non niſi determinatus per obiecta, aut illa determinans poteſt eas producere.

Adde, quòd (vt dubio præcedenti dicebamus) prædictus intellectus agens non poteſt realiter, & neceſſario eſſe determinatus ad applicandam ſuam virtutem in ordine ad productionem prędictarum ſpecierum, quia non eſt naturaliter colligatus, & vnitus cum obiectis: nec liberè, quia ad hanc liberam applicationem cognitio intellectualis, & ad hanc ſpecies illa intelligibilis prærequiritur.

Loquendo verò de ſecundo modo accipiendi ſpecies à rebus, poteſt quoad præſens adduci probabilis coniectura. Quoniam vnus Angelus, v.g. Michael, nequit ex viſua, & per naturalem ſuam virtutem ſpeciem ſui per modum obiecti ad alium Angelum immittere: ergo neque etiam per diuinam potentiam poterit prædictam ſpeciem diffundere. Antecedens conſtat ex dictis. Conſequentia verò probatur. Quia obiectum per modum obiecti, & per modum cauſæ principalis obiectiuæ (de qua in præſenti) nequit diffundere ſpecies, niſi ratione ſuæ entitatis, & perfectionis: ſicut etiã dum per ſe ipſum immediatè vnitur, nequit niſi ratione huius vniri ſic cum intellectu in ratione formæ intelligibilis. Ergo ſicut quidquid ei additum fuerit diuinitus, non pertinebit ad hanc intrinſecam entitatem: ſic non reddet illum magis aptum ad hoc, vt diffundat ſpeciem ſui in alterum Angelum.

41 Nec obeſt, ſi obijcias, quòd ſaltem poterit vnus Angelus, non ratione ſuæ eſſentiæ præcisè, ſed vt habet ſpecies rerum ſpiritualium, producere ad exemplar, & ſimilitudinem earum alias ſpecies ſimiles, vel inferioris rationis in intellectu alterius Angeli. Obiectio.

Reſpondetur enim, ſpeciem, vt eſt virtus obiecti, & gerit quodammodò vices illius, non habere eſſe fœcundã ad productionem ſimilium, vel inferiorum ſpecierũ in alio ſubiecto, niſi quando obiectum eſt ex ſe fœcundum, quod in præſenti non contingit, vt dictum eſt. Et propterea adhuc dato, quòd prædictæ ſpecies poſsint eleuari à Deo, & eis aliquid ſuper addi, ratione cuius poſsint inſtrumentaliter producere diuinitùs alias ſpecies in alio ſubiecto, non tamen ob id erunt ad iſtud munus fœcundæ, quatenus ſunt quodãmodò virtutes obiectorum, aut gerunt vices illius, nec obiectum dicetur per modum obiecti cauſare illas, ſed ſolùm per modum puræ cauſæ efficientis inſtrumentalis: quod non eſt ſatis ad hoc, vt propriè dicatur, intellectum Angeli accipere ſpecies ab obiectis ſpiritualibus. Soluitur.

Poteſtque huius reddi alia ratio, quam inſinuat Angelicus Præceptor art. 2. q. præcedentis. Nam intellectus Angelicus habet pro obiecto connaturali, & non ſuperexcedenti vniuerſum ens naturale, vt dubio ſequenti expendemus: ergo non poteſt propter ſuam vniuerſalitatem ſubordinari alteri, tanquam cauſæ principali, niſi Deo vniuerſali cauſæ totiusentis: nam potentia paſsiua vniuerſaliſsima ſolùm poteſt correſpondere, vt cauſę principali vniuerſaliſsimo enti. Sicut è contrà anima noſtra poteſt quoad ſuos ſenſus ſubdi obiectis particularibus, vt cauſis principalibus in ordine ad immiſsionem ſpecierum: quia eorum obiectum proportionatum eſt peculiare aliquod ens, ſcilicet obiectum ſenſibile. Sicut è contrà, quia quoad ſuum intellectum habet pro obiecto, ſaltem adæquato, ens in tota ſua vniuerſalitate: ideircò ſolùm à Deo, vel à proprio intellectu, prout à cauſa principali, queit immutari per productionem ſpecierum.

§. V. *Opposita sententia, fundamenta illius, vnà cum solutionibus eorum.*

Contraria sententia.

42 CONtrariam tamen sententiam, nempe, Angelum posse accipere ab obiectis spiritualibus species illa repræsentantes, tuentur Scotus, & alij, quos dubio præcedenti retulimus, & in eodem sensu, quem ibidem innuimus. Probatur primò, supponendo ex D. Thoma, quòd actio, quam habent corpora in immissione specierum, quæ non est ad transmutationem materiæ, sed diffusionem similitudinis formæ in medio secundùm similitudinem spiritualis intentionis, quæ recipitur de re in sensu, aut in intellectu, conuenit eis, non ex natura sua, sed ex participatione substantiarum separatarum, vt attingunt ad ordinem ipsarum, & ad modum operandi earum, vt docet D. Thomas de Potentia q. 5. artic. 8. Ex quo sic arguitur. Angeli habent virtutem naturalem producendi similitudines sui in potentijs cognoscitiuis: sed non possunt illas imprimere in sensu, aut in intellectu hominis: ergo poterunt illas imprimere in intellectu alterius Angeli: & per consequens Angelus potest à rebus, saltem intellectualibus, & omninò spiritualibus accipere species, per quas intelligat.

Scotus.

Primum fundamentum *D. Thom.*

Maior constat ex his, quę nuper ex D. Thoma suppositimus. Minor etiam est certa. Nam species, quam producit Angelus, cùm sit omninò spiritualis, & independens à corpore, non est forma proportionata, nec sensui, nec intellectui hominis, qui cognoscit res per species materiales, aut saltem à materia dependentes. Consequentia verò probatur. Quia si datur potentia actiua naturalis productionis talium specierum, debet etiam dari potentia passiua naturalis receptiua earum, & non est alia, nisi intellectus Angelicus, qui solùm est proportionatum principium passiuum causę actiuę talis speciei: ergo, &c.

Enodatur.

Respondetur, sensum D. Thomæ non esse, quòd Angelus producat species intentionales aliarum naturarum, distinctè, & quoad ubi propria eas repræsentans, vt constat ex illis, quæ idem S. Doctor infrà quæst. 111. art. 3. ad 2. & in quæstionibus de illuminatione, & locutione Angelorum docet, sed solùm, quòd cùm in diffusione specierum distinctè repręsentantium sint duo, scilicet ipsa diffusio, & modus, quo fit, nempe modo perfectiuo, & non corruptiuo, inde est, quòd cùm hic modus agendi sit proprius Angeli, vt agentis completi, & perfecti, quòd corpora in diffusione suarũ specierum per participationem ab Angelis, seu quia attingũt quodammodò hunc ordinem superiorem eo modo, quo supremum infimi attingit infimum supremi, habeant hunc modum operandi: quanuis prædicta corpora ex se, id est, non per hanc participationem habeant diffundere speciem sui, quoad suam substantiam (vt sic dicamus) consideratam.

43 Secundò probatur eadem sententia. Quoniam obiectum sensibile, quia est sensibile in actu, id circò potest diffundere speciem sui ad sensum: ergo potiori ratione obiectum spirituale omninò, quale est substantia Angelica, erit obiectum actu intelligibile respectu alterius Angeli, & poterit diffundere in illum speciem intelligibilem sui. Patet consequentia. Quia cùm immaterialitas sit ratio intelligibilitatis, fit inde, quòd id, quod est omninò immateriale, sit etiam omninò intelligibile, seu intelligibile in actu: ac proinde, quòd non minùs quàm sensibile in actu possit diffundere speciem sui: alioqui intelligibile in actu esset minoris efficacitatis in suo ordine, quàm sensibile in suo, & hoc esset actualius, & formalius, quàm illud.

Secundum.

Nec satest, si respondeas, esse disparem rationem inter sensibile in actu, & intelligibile in actu Angelicum, quòd illud est respectu potentiæ, quæ potest immutari paulatim, & successiuè: quia nõ petit habere ab initio suæ cõditionis inditas ab authore naturæ species sensibiles, secus verò intelligibile in actu respectu intellectus Angeli, quia hoc est tale respectu potẽtię habentis ab initio inditas à Deo omnes species intelligibiles, quibus eget. Et ideò, quia prædicta potentia non est capax nouę immutationis ab obiecto actu intelligibili, non imprimit ad eam speciem sui.

Solutio.

Nam contra hoc est, quòd cuiuis virtuti actiuæ naturali debet correspondere potentia passiua naturalis. Et ita non potest stare, quòd obiectum spirituale intellectus Angelici sit ex se actu intelligibile, & diffusiuum specierum sui respectu alterius Angeli, & quòd in prædicto Angelo non sit potentia passiua naturalis, ad hoc vt immutetur per prædictas species.

Impugnatur.

44 Respondetur, quòd transeat antecedens: & deinde negetur consequentia. Quia quòd obiectum spirituale sit, vel non sit actu intelligibile, non attenditur ex eo, quòd diffundere possit species sui, aut ex eo, quòd valeat se per se ipsum vnire alieno intellectui, sed ex gradu debitæ immaterialitatis, quam ex dictis in 1. tomo tract. 2. disput. 2. n. 156. satis constat habere Angelum, & ex eo quòd alicui intellectui, scilicet suo sit per se ipsum in ratione formæ intelligibilis vnibilis. Ad probationem autem consequentiæ dicendum est, esse disparem rationem. Quia sensibile in actu est tale respectu sensus, cui paulatim per species perfici queit, secus intelligibile

Respõsio secundi fundamenti.

ligibile in actu Angelicum, quod eſt reſpectu intellectus, qui paulatim nõ perficitur quoad ſpecies, ſed potiùs petit, vt ab initio, & ab auctore naturæ perficiatur. Et ideò optimè colligimus, non habere ex ſe prædictum intelligibile vim ad immutandum per immiſſionem ſpecierum intellectum Angelicum: ſiquidem nequit dari in vno Angelo vis actiua naturalis reſpectu alterius, ſi in iſto non eſt potentia paſsiua naturalis correſpondens virtuti actiuæ.

Et ad ſecundam probationem negandum eſt, hinc fieri, obiectum ſenſibile in actu eſſe efficacius, & formalius in ſuo ordine, quàm intelligibile in ſuo. Quia ad hoc deſideraba tur, vt in ordine ad cognitionem ſui eſſet efficacior, & actualior res ſenſibilis in actu, quàm ſubſtantia Angeli in ordine ad illam cognitionem, qua à ſe cognoſcitur: quod tamen eſt falſum: ſiquidem ſubſtantia Angeli eſt efficax, & actualis in ordine ad cognitionem ſui longè immaterialiorem, & excellentiorem; & reſpectu proprij intellectus habet ſe per modum ſpeciei non indigentis alia ſpecie, ſicut obiectum ſenſibile ea indiget.

Illuſtratur ampliùs. Adde, quòd adhuc reſpectu alieni intellectus habet Angelus, vt per ſpeciem intelligibilem, quatenus productam à Deo tamquam virtutem eiuſdem Angeli, influat in prædictam cognitionem actualiorem, & immaterialiorẽ, quã ſit cognitio, in quã influit obiectum ſenſibile per ſpeciẽ à ſe diffuſam. Vnde, ſicut non ſequitur, Angelum non eſſe actualiorem, quàm corpora, licèt non habeat vim ad producendas aliquas operationes, quas prædicta corpora eliciunt: quia hæ non ad lineam Angelicam, ſaltem vt eſt cauſa particularis, pertinent, ſed ſat eſt, quòd in ſua linea ſit cauſa perfectiorum operationum: ſic, licèt Angelus non habeat vim ad diffundendam ſpeciem ſui in alienum intellectum ſicut obiectum ſenſibile eam habet reſpectu ſenſus, non ſequitur, hoc eſſe quid ſimpliciter actualius, & formalius illo: quia ſat eſt, quòd in ſuo ordine, & linea influat in operationem longè actualiorem, & puriorem, ad hoc vt ſit ſimpliciter actualior, & formalior obiecto ſenſibili.

Vindicatur ſolutio inter arguendũ tradita. 45 Vnde admittenda eſt ſolutio, quam inter arguendum adhibuimus, ſanè tamen intellecta. Nam ex eo, quòd non detur in intellectu Angelico potentia paſsiua naturalis ad accipiendas ſpecies à rebus ſpiritualibus, benè colligitur, neque etiam obiectum ſpirituale habere vim actiuam ad eas immittendas: ſiquidem ſi in Angelo eſſet potentia actiua naturalis ad immutandum alium Angelum per immiſsionem ſpecierum ſui, tunc etiam in altero Angelo eſſet potentia paſsiua naturalis ad hanc immutationem: quod etiam ſuadet id quod ſuprà diximus, ſcilicet, intellectum Angeli ratione ſuæ magnæ vniuerſalitatis quoad ſuum obiectum non ſub ordinari alteri, vt cauſæ principali, niſi Deo.

Adde, quòd obiectum ſenſibile licèt quoad productionem ſpeciei quoad ſuam ſubſtantiam, ideſt, vt præciſè eſt repræſentatiua, non habeat diffundere illam per participationem ab Angelis, benè tamen quoad modum illum diffundendi perfectiuo modo, vt ex D. Thoma num. 42. dicebamus. Quod ſatis indicat excellentiam obiecti intelligibilis ſuprà ſenſibile.

46 Nec hinc fit oppoſitum eius, quod in ſolutione præcedenti ſuppoſuimus, ſcilicèt, prædictum obiectum non eſſe actu ſenſibile, ſicut ſequitur, non eſſe ex ſe actu intelligibile ex eo, quòd per participationem ab intellectu agente producit ſpeciem intelligibilem quoad immaterialitatem, & ſpiritualitatem, licèt ex ſe habeat illam producere quoad naturam repræſentatam. Nam ratio diſparitatis eſt in promptu, nempe, quòd obiectum ſenſibile fit actu intelligibile per participationem ab intellectu agente, eleuante illum ad ſuperiorem ordinem rerum, & graduum immaterialitatis: & ita habet ab illo producere ſpeciem intelligibilem repreſentantem naturam ſine conditionibus materialibus, ſeu ſine ſingularitate: & propterea ſolùm inſtrumentaliter medio phantaſmate habet producere prædictam ſpeciem, & prædictum obiectum ſolùm in potentia eſt ex ſe intelligibile. Cæterùm obiectum intelligibile non habet hunc modum diffundendi ſpecies, vt eleuatum ad ſuperiorem ordinem, ſed ex eo quòd ordo ſenſibilis ex ſe immediatè coniungitur ordini intelligibili, & habet participare hoc, tamquam aliquid ſibi debitum in ordine ad proprias actiones: ſicut imaginatiua etiam intra ſuam latitudinem petit cognoſcere perfectiùs ex coniunctione ad intellectum, & nihilominùs, quia primò ex hac coniunctione nõ cõmunicatur ei aliqua perfectio in ordine ad actiones altiores alterius potentiæ, ſed in ordine ad proprias, tunc ex hac coniunctione non extrahitur à ratione cauſæ principalis, nec perfectio ei communi cata tribuit ei, quòd ſit cauſa inſtrumentalis, ſed potiùs inde maiori perfectione habet illas principaliter cauſare.

DVBIVM IIII.

Vtrùm species intelligibiles productæ à Deo in intellectu Angelico propriè habeant rationem naturalium proprietatum respectu illius, & essentiæ Angelicæ, ab eisdem per naturalem resultantiam actiuè dimanantium?

POstquam explicuimus, Angelos non accipere species ab obiectis, sed à Deo in intellectu Angelico in primo instanti suæ creationis produci: restat explicare, an prædictæ species non solùm producantur à Deo, sed etiam ab essentia ipsius Angeli per naturalem resultantiam ad modum naturalis proprietatis, quæ propriè sit talis, actiuè dimanens?

§. I. *Decisio dubij ex mente D. Thomæ, & prior illius ratio.*

Conclusio

47 DIcendum ergo est, species intelligibiles Angelicas non esse in rigore, & propriè loquendo, proprias passiones respectu essentiæ Angeli, aut sui intellectus, neque ab eisdem per naturalem resultantiam emanare, sed à solo Deo in intellectu Angelico à primo creationis instanti effectiuè produci. Hæc conclusio videtur planè colligi ex Doctrina D. Thomæ art. 1. huius q. vbi inquit, quòd Angelus non cognoscit omnia distinctè, & quoad sibi propria per suam substantiam: quia non continet sic ea. Si autem species rerum omnium, distinctè eas repræsentantes, essent proprietates Angeli, actiuè ab eo dimanãtes, tunc res omnes, saltẽ per se primò repræsentabiles per species, in essẽtia Angelica quoad sibi propria distinctè, & perfectè in *esse* intelligibili cõtinerẽtur: ac proinde per solã suam essentiam cuncta ista cognosceret. Similiter in eodem articulo in solutione ad 3. inquit, quòd substantia Angeli continet ea, quæ sunt infra, & supra ipsum, non quidem perfectè, & distinctè secundùm rationes proprias, sed secundùm quandam rationem communem. Si autem species Angelicæ essent proprietates Angeli, propriè, & in rigore loquendo, tunc (vt modo dicebamus) non solùm secundùm rationem communem, sed etiam secundùm rationes proprias omnia, vel saltem illa, quæ per se primò repræsentabilia sunt per species Angelicas, contineret. Et deinde in hoc eodẽ articulo ex eo probat, Angelum non posse omnia per suam substantiam intelligere, quia eius intellectus ad plura se extendit, quàm eius substantia: quandoquidem intellectus potest omnia intelligere, quia eius obiectum est ens, & verum in tota sua latitudine: substantia verò, cum sit limitata & finita, non omnia in se comprehendit. Hoc autem vltimum esset falsum, si species intelligibiles essent modo dicto proprietates ipsius.

Suadetur ex D. Thom.

Idem etiam colligitur ex his, quæ docet Idem Angelicus Præceptor infra q. 56. art. 2. ad 4. vbi inquit, quod si Deus plures naturas rerum statuisset creare, plures etiam species in intellectu Angelico impressisset. Vnde cõcludit, quòd eiusdem rationis est, addere aliquam creaturam in vniuerso, & addere aliquã speciem in intellectu Angeli. Constat autem, quòd si species intelligibiles essent, iuxta mentem D. Thomæ, proprietates in rigore tales respectu essentiæ Angelicæ, non penderet, quòd eas haberet, aut quòd haberet tot, & non plures, ex eo, quòd decerneret creare has, vel illas creaturas, sed naturali necessitate esset Angelus determinatus ad eas habendas. *Angelic. Præcept.*

Vnde hanc sententiam tuentur Ferrara lib. 2. contra Gent. c. 98. § *ad secundi dubij euidentiam*, Nauarrete tomo 3. controuersia 51. Zumel in præsenti q. 2. qui tamen contrariam sententiam etiam reputat esse probabilem. Et deinde assertionem istam sequuntur Molina, & Pesantius in præsenti, Rada controuersia 9. Albertinus in 8. corollario pagina 122. Malonius in 2. dist. 2. disput. 10. Suarez lib. 2. de Angelis c. 7. & alij. *Ferrara. Nauarr. Zumel. Molina. Pesantius. Rada. Albertin. Malonius Suarez.*

Explicatio assertionis:

48 Explicatur assertio. Consultò enim diximus, quòd *species non habent in rigore, & propriè loquendo rationem proprietatũ*. Quia quodammodò comparantur per modũ proprietatum, quatenus ex triplici capite sunt connaturales Angelo. Primò quidem. Quia receperunt illas simul cum sua natura in instanti creationis: iuxta quem modum etiam iustitia originalis, si Adamus non peccaret, diceretur connaturalis posteris: quia omnes simul cum iustitia originali nati fuissent. Secundò dicuntur connaturales Angelo, propter potentiam, & aptitudinem passiuam naturalem, quam ad illas intellectus Angelicus habet: secundùm quam rationem etiam receptio lucis dicitur connaturalis diaphano. Tertiò denique. Quia cùm inter creaturas natu-

naturales Angelus ſit in ſummo gradu ſpiritualitatis, ſunt illi debitæ ſpecies, per quas poſsit potentia proxima cognoſcere cunctas rerum naturas ad ordinem huius vniuerſi pertinentes.

Prior eius ratio.

Ratio autem prior aſſertionis iam tacta eſt in priori teſtimonio in aſſertione relato, poteſtque, ad hanc formam, vt magis elucidetur, reduci. Quoniam Angelus non cognoſcit per ſuam eſſentiam omnia, quę aliàs per ſpecies Angelicas ſunt per ſe primò repræſentabilia, vt dubio 1. huius diſput. diximus: ergo ſpecies rerum non ſunt in rigore proprietates ſuæ eſſentiæ, & intellectus per naturalem reſultantiam actiuè ab eiſdem dimanãtes. Conſequentia conſtat. Quia aliquin comprehenſa eſſentia, comprehenderentur hæ proprietates, ſicut & aliæ: & ita per ſuam eſſentiã cognoſceret omnia prædicta. Quia non ſtaret, cognoſci exvi cognitionis eſſentiæ prædictas ſpecies quoad ſibi propria, & non cognoſci ſic ſua obiecta per eas per ſe primò repræſentata.

Confirmatur.

49 Confirmatur ratione, quam in eodem loco inſinuat D. Thomas. Quoniam Angelus eſt in certa ſpecie: ergo non continet, adhuc intelligibiliter, omnia alia: ergo neque ſpecies illorum erunt proprietates Angelicæ, actiuè per naturalem reſultantiam ab eis dimanantes. Antecedens videtur perſpicuum. Prima verò conſequẽtia patet. Tum, quia differentia conſtituens ſpeciem, & diuidens genus, diuidit, & diſtinguit ſpeciem, & naturam illam ab omnibus alijs: & ita faciet, vt habeat ſuam peculiarem eſſentiam, non verò contineat quoad earum propria eſſentias aliarum rerum, vel in *eſſe* entitatiuo, vt ex ſe conſtat, vel in *eſſe* intelligibili, quoties in *eſſe* intelligibili habet ſuam finitam & limitatam rationem, & certis limitibus generis, & differentiæ, aut alicuius habentis ſe per modum generis, & differẽtiæ clauſam. Tum etiam. Quia, quod eſt in certa ſpecie diſtincta ab alijs, nequit eſſe ſimilitudo alterius quoad id, in quo diſtincta ſunt: atque adeò nequit illud intelligibiliter continere: ſiquidem hæc continentia conſiſtit in hoc, quòd in *eſſe* intelligibili ſint quodammodò vnum. Secunda verò conſequentia etiam conſtat. Quia ſi ſpecies intelligibiles dimanarent per modum proprietatum ab Angelo, tunc omnia intelligibilia, ſaltem iam dicta, continerentur intelligibiliter in illo: ſi quidem ipſæ ſpecies, per quas redduntur intelligibilia, vt obiecta per ſe prima illarum, haberent in eo contineri.

(.ć.)

§. II. *Solutiones aduerſariorum ad rationem D. Thomæ, & eius confirmationem, necnon & impugnationes earum.*

Prima euaſio ad ratio nem D. Th. *Nazarius*

50 NEC obeſt prior ſolutio Nazarij ad rationem præcipuam D. Thomæ, nempe, quòd ſpecies ſunt proprietates actiuè dimanantes, vt affectiones ſunt intellectus Angelici, & ſecundùm *eſſe* entitatiuum, non autem vt ſunt repræſentatiuæ. Et propterea cognitis eis, vt proprietatibus, non ideò ſequitur cognitio diſtincta obiectorum: quia ad hoc deſiderabatur, quòd vt repræſentatiuæ haberent rationem proprietatum dimanantium.

Impugnatur.

Nam contra hoc eſt primò, quòd præcipualis huius dubij eſt de ſpeciebus intelligibilibus formaliter ſumptis; ac proinde vt repræſentatiuis: ergo ſi, vt repræſentatiuæ, non ſunt proprietates actiuè per naturalem reſultantiam dimanantes, habebitur intentum.

Deinde. Quia in ſpeciebus *eſſe* entitatiuum, & accidentale, per quod afficiunt intellectum, & ſubſtantiam Angeli, non per ſe primò intenditur, ſed ſecundariò; at *eſſe* repræſentatiuum eſt per ſe primo intentum à natura: ergo reſpectu cuius ſpecies, vt repræſentatiuæ non comparantur per modum proprietatum ab eo dimanantium, neque etiam comparabuntur per modum rigoroſæ proprietatis, vt affectiones illius, & ſecundùm *eſſe* entitatiuum conſideratæ: quia ſecũdarium ſequitur quoad hoc modũ, & rationem primarij. Vnde, quia in virtutibus operatiuis v. g. calore intenditur per ſe primò ipſe quoad virtutem operandi, & ſecundariò eſſe illius: idcirco ſi calor non fuerit proprietas alicuius actiuè ab eo dimanãs ſecundùm illud prius, neque etiam hoc habebit ſecundùm iſtud poſterius.

Secunda ſolutio.

51 Neque etiam obeſt alia ſolutio ex Bañez de ſumpta, ſcilicet, eſſentiam Angeli non repręſentare formaliter ſuas ſpecies, aut obiecta per illas repræſentata, ſed ſolùm continere ſpecies radicaliter, & virtualiter: & propterea ex hoc, quòd comprehendatur eſſentia, non illicò cognoſci ſpecies intelligibiles, aut eorum obiecta per ſe primò repręſentata quoad propria ipſorum: quia ad hoc deſiderabatur illud prius, & non ſat eſt hoc poſterius, nempe, continentia ſolùm virtualis, & radicalis.

Eliditur.

Nam contra hoc eſt primò, quòd aliæ proprietates cognoſcuntur diſtinctè per eſſentiam, & ea comprehenſa, comprehenduntur: ergo etiam id ipſum in ſpeciebus intelligibilibus accidet, ſi ſemel ſunt proprietates, ſicut aliæ. Secundò. Quia hoc ipſo,

ſo, quòd ſpecies ſint proprietates dimanãtes per naturalem reſultantiam actiuè ab eſſentia. continentur in ea, non vt in pura potentia, ſed vt in aliquo dicente actualitatem, atque adeò diſtinctè, & non confusè: ergo comprehenſa eſſentia, comprehendentur prædictæ proprietates. Tertiò. Nam ex eo, quòd eſſentia non ſit ſimilitudo formalis ſpecierum, ſed ſolùm contineat prædictas ſpecies virtualiter, & radicaliter, ad ſummum ſequitur, quòd non cognoſcantur per eſſentiam, tamquam per ſpeciem, & principium *quo* non cognitum; non tamen quòd non cognoſcantur diſtinctè per eandẽ eſſentiã, vt habet rationem obiecti cogniti, & comprehenſi. Quoniam ex cognitione propriæ radicis alicuius, in qua virtualiter, & modo dicto, continetur quoad ſibi propria, deuenitur tanquam ex obiecto priùs cognito in cognitionem rei cõtentæ in illa: ſeu (vt meliùs quoad præſens dicamus) illamet cognitio terminata primò ad radicem, terminatur ſecundariò ad id, quod ex ea dimanat quoad ſibi propria.

Prior ſolutio ad confirmationẽ D. Thom.

52 Et ſimiliter non obeſt prior ſolutio, quæ poteſt adhiberi confirmationi, nempe, quòd ad hoc, vt aliquid reſultet actiuè ab alio per naturalem reſultantiam, non eſt neceſſe, vt cõtineatur in illo: ſed ſatis eſt naturalis colligatio inter vtrũque, & quòd agens nequeat attingere vnum, niſi priùs attingat aliud, ac proinde quòd habeat attingere hoc vltimum, vt eſt quaſi corollarium illius prioris: & ideò forma ignis reſultat ex vltima diſpoſitione ad illam; cùm tamen vltima diſpoſitio non contineat prædictam formam, ſed habeat conditiones modò recenſitas.

Euertitur.

Nam contra hoc eſt, quòd aliud eſt loqui de naturali reſultantia vtcumque; aliud de naturali reſultantia per modum proprietatis. Nam ad illam non deſideratur continentia, ſecùs tamen ad iſtam. Quia eſſentia reſpectu huius habet ſe per modum cauſæ formalis, & per modum radicis illius, ex cuius intraneis dimanat: & propterea in ratione proprietatis habet veluti formalizari, & ſpecificari ab ipſa eſſentia. Vtrùm autem prædictæ ſpecies, licèt non per modum propriarum paſsionum in rigore talium, nihilominùs abſolutè poſsint dimanare ab eſſentia Angeli, ex eo quòd fiant per eandem creationem, qua Angelus creatur, & ſint terminus ſecundarius illius: conſtabit ex illis, quæ in ſolutione ad vltimum in hoc dubio dicemus.

Alia cuaſo

53 Et deinde nec etiam obeſt alia ſolutio, quæ prædictæ confirmationi poterat adhiberi, nimirum, quòd eadem ratione probaretur, proprietates Angeli, vt intellectus, vel voluntas, non dimanare ab illo: quia Angelus collatus cum illis eſt in certa ſpecie, & limitibus eſſentialibus generis, & differentiæ clauditur: & ita, ſi hi termini & limites coarctant illum, ne per modum radicis contineat ſpecies intelligibiles, etiam coarctabunt eundem, ne etiam per modum radicis habeat continere intellectum, & voluntatem.

Refutatur.

Non igitur hoc obſtat. Nam proprietates, vt intellectus, & voluntas quodammodò ſpectant, quatenus tales, ad ſpeciem eſſentiæ Angelicæ: quia ſine illis prædicta ſpecies non eſt completa complemento (vt ſic dicamus) intrinſeco, & propterea tenent ſe ex parte illius: & ideò, licèt differentia conſtitutiua, & determinatiua Angeli limitet ſuam naturam ſpecificam, ne contineat alia quoad propria illius, non tamen quòd non contineat ea, quæ ad propriam naturam & ſpeciem modo dicto ſpectant: & ſic ad illam quodammodò reducuntur.

Vnde iuxta hæc intelligenda ſunt, quæ ſuprà de limitatione rei creatæ per ſuum genus, & differentiam diximus. Quare, ſicut infinitas, & eminentia propriæ eſſentiæ tribuit Deo, quòd eminenti, & virtuali ratione contineat omnia creata, adhuc quoad propria eorum, licèt ſecundùm ſe, prout poſſunt eſſe, aut ſunt ad extrà, diſtinguantur ab illo: ita quòd aliqua per modum proprietatum pertineant ad ſpeciem eſſentiæ, cuius ſunt proprietates, ad illamque reducantur, tribuit eidem eſſentiæ, quòd per modum radicis, & virtualiter contineat eas quoad propria earundem. Vnde ad omne id, ad quod cauſa effectiua illius eſſentiæ concurrit, efficiendo propriè, & in rigore prædictas proprietates, habet eſſentia illa influere tanquam id, à quo per naturalem dimanationem fluunt. Et ita quoad præſens, dum Deus efficiendo propriè, & in rigore, attingit proprietates Angeli quoad propria earum, debet eſſentia Angeli per naturalem dimanationem illas attingere quoad propria, & peculiaria earundem proprietatum; licèt ſub diuerſa ratione *ſub qua* illa dimanatio terminetur ad prædictas proprietates, ac actio Dei habet ad eaſdem terminari.

Expenſio rationis D. Thom.

54 Ex quo etiam maior elucidatio confirmationis rationis D. Thomæ deducitur. Quoniam proprietates ideò continentur in eſſentia, quia ſpeciali illo modo ex parte naturæ ſe tenent, & ad illam pertinent: at ſpecies ex parte obiecti ſe tenent: ergo non continebuntur in eſſentia Angeli quoad propria illarum.

Confirmatur.

Confirmatur. Quia ſpecies ſunt veluti ſemen (vt ſic dicamus) obiecti, ac proinde ex parte illius ſe tenentes: & ita nequeunt per-

pertinere ad naturam intellectualem, tanquam aliquid reductum ad ſpecificationem prædictæ naturæ, & ab intraneis illius fluens. Et propterea nequeunt contineri in prædicta natura, ſicut proprietates ad illam ſpectãtes, vt intellectus v.g. & voluntas.

Vltima ſolutio Bañez

55 Nec etiam obeſt poſterior ſolutio, quæ ex Bañez poſſet adhiberi, nimirũ, quòd limitatio prouenies ex genere, & differentia ſolùm tollit continentiam formalem in *eſſe* intelligibili; non verò continentiam virtualem, & per modum principij radicalis. Et ideò inferiores Angeli continent hoc modo intelligibiliter naturas Angelorum ſuperiorum, poſſuntque ex illis ſpecies repræſentantes prædictas naturas per naturalem reſultantiam dimanare.

Reijcitur primo.

Non igitur hoc obeſt. Primò. Quoniam limitatio prouenies ex genere, & differentia, tollit ab Angelo, quod virtualiter, & per modum principij radicalis contineat alias naturas in *eſſe* entitatiuo: ergo etiam tollet, quòd contineat hoc modo illas in *eſſe* intelligibili. Antecedens videtur certum. Quoniam hæc compoſitio tollit continentiam in *eſſe* formali, quæ eſt minùs perfecta: & ita potiori ratione aufert continentiam virtualem, & per modum principij radicalis, quia hæc eſt nobilior. Et propterea intellectus, vt contentus ſic in anima, nobilior eſt quoad modum eſſendi ſe ipſo, vt habet formaliter *eſſe* in ſe.

Conſequentia verò probatur. Tum, quia ea, quæ non ſunt per ſe primò inſtituta ad repræſentandum, ſed ad eſſendum, qualis eſt eſſentia Angeli, non continent alia in *eſſe* intelligibili, niſi contineant illa in *eſſe* entitatiuo. Et ideò, quod limitat ea in hoc *eſſe* entitatiuo, quod eſt in eis potiſsimum, & menſura aliarum rationum, limitat etiam eodem modo in *eſſe* intelligibili. Tum etiam. Quia illæ res, quæ per ſe primò ſunt inſtitutæ ad repræſentandum, ideò poſſunt eſſe magis amplæ in *eſſe* intentionali & repræſentatiuo, quàm in *eſſe* entitatiuo, quia licèt *eſſe* entitatiuum intendatur propter intentionale, nihilominùs in vtroque ordine habent ſuum genus, ſuam que ſpeciem completam, & compoſitio ex genere, & differentia in ordine intelligibili eſt quid amplius, quàm genus, & differentia ordinis entitatiui. At in his, quæ ſunt per ſe primò inſtituta ad eſſendum, tantùm eſt vnum limitatiuum, vnicaque compoſitio completa ex genere, & differentia: & ſi quæ eſt alia, habet tantùm eſſe quid incompletum, & reductum ad iſtam: & ita hoc ipſo, quòd compoſitio hæc limitet illa, ne in ordine entitatiuo contineant alias naturas ex æquo condiſtinctas per modum principij radicalis, etiam limitabit ipſa, ne per modum principij radicalis, & in *eſſe* intelligibili eas contineant.

Impugnatur deinde.

56 Tandẽ ſi eſſentia Angeli contineret in ordine intelligibili per modum principij radicalis obiecta, & ſpecies intelligibiles, hęque fluerent per naturalem dimanationẽ ab illa, tunc haberet infinitam vim in ordine intelligibili, imò & entitatiuo. In entitatiuo quidem: quia in hoc etiam hic ordo concomitatur illum: & ita ſi ille eſt infinitus, etiam iſte. Et propterea hoc ipſo, quòd Deus in ordine intelligibili ſit infinitus, etiam in entitatiuo habet infinitatem: & ſimiliter hoc ipſo, quòd aliqua ſpecies ſit repræſentatiua Dei prout eſt in ſe, & hinc habeat infinitatẽ in ordine intelligibili, vt 1. tomo tractatu 2. diſput. 2. num. 149. diximus, etiam erit infinita in *eſſe* entitatiuo, vt ibidem num. 153. oſtendimus. In ordine verò intelligibili: quia non contineret, nec flueret ab eſſentia Angeli ſpecies repræſentans aliquod obiectum, ex eo quòd eſſet repræſentatiua huius obiecti, & non alterius: alioqui alia ſpecies præter iſtam non dimanaret ab eo, ſed contineret eam, & flueret à prędicta eſſentia ob generalem rationem ſpeciei repræſentatiuę entis naturalis. Ergo eo ipſo eſſentia illa Angelica haberet infinitatem.

Conſequentia patet. Nã ſicut colligimus infinitam vim in Deo ex eo, quòd creet formicam, quia attingit illam ſub ratione generaliſsima entis: ita etiam colligemus infinitatem in eſſentia Angelica in ordine intelligibili & intentionali ex eo, quòd continet ſpecies ſecundum rationem generaliſsimam entis intẽtionalis & intelligibilis, ſcilicet ſecundùm rationem generalem repręſentatiui intelligibiliter, quę eſt ratio communiſsima huius ordinis. Et paritas eſt eadem vtrobique. Quia ideò creans formicam, in quantũ ens, habet eſſe quid infinitum, quia producit eam ſub quadam ratione, quę tranſcendit omnes ſpecies, & eſt ſupra illas: & ita producẽs hoc modo, debet eſſe ſupra omnes ſpecies entis, atque adeò quid infinitum. Conſtat autem, rationẽ repręſentatiui entis naturalis eſſe ſupra omnes ſpecies huius ordinis, & tranſcendere illas: ac proinde principium radicale, vnde ſpecies iſtę ſecundùm hanc rationẽ dimanant, erit ſupra cunctas ſpecies huius ordinis: & per cõſequẽs in hoc ordine dicet infinitatẽ

Effugium. *Bañez. Nazarius*

57 Nec obeſt huic vltimę impugnationi ſolutio, quã Bañez, & Nazarius inſinuant, nempe, ſolùm contineri virtualiter, & vt in principio radicali ſpecies obiectorum, quæ ſunt partes vniuerſi: & ita ratio, ſub qua dimanant, non eſt illa ſuperior, ſed hęc inferior, nempe, ratio ſpeciei repręſentantes partis vniuerſi, aut vniuerſum ipſum, quę finitatem, non infinitatem dicit.

Præcluditur. Nam contra hoc eſt, quòd intellectus Angelicus, quantum eſt ex parte ſua, & ſecundùm id, quod ex parte potentiæ deſideratur, habet vim ad intelligendum omne ens naturale: ergo, vel non continet ſpecies per modum principij radicalis, à quo per naturalem dimanationem actiuè fluant, vel continet omnes repræſentantes totum ens prædictum: atque adeò ratio, ob quam fluunt ab illo, erit illa ſuperior denotans infinitatem in principio radicali. Antecedens probatur. Quia conuenit cum omnibus illis in gradu immaterialitatis: & per conſequens, quantum eſt ex ſe, & ex parte eorum, quæ ex parte potentiæ ſe tenent, habet vim ad quodlibet ens naturale intelligendum. Conſequentia etiam conſtat. Quia ſi ſemel ſpecies continerentur, & fluerent per naturalem reſultantiam ab eſſentia, & intellectu Angelico, hoc ideò eſſet, quia ex parte ſua, & ſecundùm ea, quæ ex parte eiuſdem ſe tenent, habet ſufficientem virtutẽ ad hoc, vt attingat obiecta per illa repræſentata: ergo cùm hæc ſit reſpectu cuiuſuis ſpeciei totius entis naturalis, quia habet eandem connaturalitatem ex parte ſua cum quouis, inde erit, vt vel nullæ, vel omnes ſpecies repreſentantes omne ens naturale, ab illa dimanent.

Confirmatur. Confirmatur. Quia prædictæ ſpecies debent fluere, & contineri in eſſentia, & intellectu Angelico, vel ratione alicuius ex parte obiecti ſe tenentis, vel alicuius, quod ex parte eſſentiæ, & intellectus Angeli ſe teneat. Non primũ. Quia, quod ex parte obiecti ſe tenet, tantùm eſt ipſa ſpecies intelligibilis, quæ dimanatura eſt: & ita hæc non eſt ratio, aut virtus tribuens eſſentiæ Angeli, & eius intellectui vim ad hoc, vt ab illa prædictæ ſpecies dimanent. Ergo neceſſariò eſt dicendum ſecundum. Ergo cùm eſſentia Angeli, & eius intellectus ſecundùm ea, quæ ex parte ſua afferunt, ſint omninò completa ex parte potentiæ in ordine ad intelligendum, & per modũ comprincipij intellectionis cuiuſuis entis naturalis: fit inde, vt vel habeat integrã virtutẽ ex parte ſua ad hoc, vt omnes ſpecies rerum naturalium ab illa dimanent, vel non habeat vim, vt aliquæ ex illis per naturalem dimanationem ab illa reſultent.

§. III. *Ratio ſecunda aſſertionis ex eodem S. Doctore deprompta.*

Secũda ratio pro aſſertione. 58 SEcunda ratio aſſertionis innuitur à D. Thoma infrà q. 56. iam citata, per eam que præcedens impugnatio ſolutionis Bañez magis fulcitur. Quoniam ex eſſentia Angeli non poſſunt per modum propriarum paſſionum fluere ſpecies omnium obiectorum naturalium, nec aliquorum, potiùs quã aliorum: ergo nullæ. Antecedens quoad primam partem conſtat: alioqui eſſet infinita: ſiquidem intra latitudinem totius entis naturalis datur infinita perfectio, ſaltem per participationem: ac proinde etiam in tota collectione ſpecierum repræſentantium totum ens naturale, dabitur hęc eadem infinita perfectio, & ſimiliter etiam in eſſentia Angelica, à qua iſtæ dimanarent. Quoad ſecundam verò partem idem antecedens ſuadetur. Quoniã (vt nuper dicebamus) eſſentia, & virtus intellectiua Angelica reſpicit, quantũ eſt ex ſe, omne ens naturale, ita vt ex parte ſua nihil deſideretur ad omne illud intelligendum; ſed ſit indifferens, & æquè reſpiciens quoduis ens naturale ſub illo contentum: ergo non habet, vnde fluant iſtæ ſpecies, potiùs quàm illæ.

Euaſio. Nec poteſt reſponderi, quòd ad diuinam prouidentiam ſpectat determinare, quænam ſint illæ ſpecies, quæ fluxuræ ſunt ab eſſentia Angeli: ac proinde quenam, potius quã alię.

Exploditur. Nam contra hoc eſt, quòd determinatio ad fluxum propriarum paſſionum debet ab intraneis, & non ab extrinſeco eſſe: ergo hoc ipſo, quòd hæc determinatio ſit à Deo, & non ab intraneis, ſignum erit, non dari ibidem fluxum, & dimanationem per modum propriæ paſſionis.

Confirmatur. Confirmatur. Nam D. Thomas q. 5. de Potentia art. 5. probat, quòd non poteſt eſſe principium efficiens in aliqua natura in ordine ad motum, ſi ille motus non ordinetur ad quietem. Et ratio eſt. Quoniam in motu eſt diuerſitas, & varietas: natura verò eſt determinata ad vnum. Et ita hinc probat D. Thomas, quòd motus circularis cæli non eſt naturalis illi ratione principij actiui, id eſt, non oritur à principio actiuo exiſtente in ipſo cælo. Sed ſpecies non ſunt determinatæ in Angelo, ſed poſſunt plures, quàm modò habet, ei infundi. Ergo natura Angeli, quæ eſt determinata ad vnum, non poteſt eſſe id, vnde per naturalem dimanationem prædictæ ſpecies dimanent. *D. Thom.*

Aliorũ ſolutio. *Bañez.* *Nazar.* 59 Neque etiam obeſt, ſi ex Bañez, & Nazario occurras, in idem redire, hanc determinationem eſſe à Deo, & quòd fiat ab intraneis. Quia prædicta determinatio fit ex eo, quòd hęc obiecta, & non illa ſint partes huius vniuerſi: at Angelus modò creatus per ſe, & ab intrinſeco habet eſſe partem huius vniuerſi, & petere coniunctionem cum hoc vniuerſo, & partibus illius: & ideò ab intrinſeco eſt determinatus ad hoc, vt ab eo fluant ſpecies huius vniuerſi; potiùs quàm alterius.

Refellitur primó. Nam contra hoc eſt. Primo, quòd adhuc dato, Angelũ eſſe partẽ huius vniuerſi, & petere cõiunctionem dictam, nihilominùs hoc eſſet ſufficiens cauſa ad hoc, vt à Deo illi infunderentur hæ ſpecies, potiùs quã alię; non verò

verò ad hoc, vt ex eius eſſentia per modũ naturalis dimanationis iſtæ, & non aliæ fluerẽt. Et ratio eſt. Quoniã ſpecies Angelicæ ſunt ita eleuatę, vt quantum eſt ex ſe repræſentent futura contingentia. Quia quòd in actu exercito non faciant illa præſentia intellectui, non prouenit ex defectu illarum, ſed ex eo, quòd futura ſint actu exiſtẽtia: & ita, hoc ipſo quòd exiſtant, repræſentantur per eas. Ergo à ſolo illo intellectu producentur, in ſoloque illo continebuntur, qui ex ſe poteſt ſe extendere ad futura contingentia attingenda. Ergo cũ ſolus Deus hoc habeat, non verò intellectus Angelicus, conſequens erit, vt ſpecies repræſentantes illa ſolùm contineantur in Deo, & exẽplaribus eius, nõ autẽ in eſſentia Angelica: ac proinde, adhuc facta illa ſuppoſitione, ſolùm inde fiet, poſſe connaturaliter infundi à Deo in mente Angelica, non verò quòd ab eſſentia, & intellectu per modum proprietatum fluant.

Secundò. 60 Contra ſecundò. Quoniam adhuc dato eo, quod ſupponit hæc ſolutio, nihilominùs ſi Deus produceret denuò aliquã nouam naturam ſpecificam in hoc vniuerſo, non propterea prædictum vniuerſum eſſet aliud numero, aut prædicta natura non pertineret ad ordinem huius vniuerſi: & tamen tunc ſpecies intelligibilis, repræſentans illam nouam naturam, non flueret ab eſſentia Angelica, ſed à Deo fieret: ergo ſignum eſt, quòd pertinere aliquod obiectum ad hoc vniuerſum, eſt ſatis ad hoc, vt ſpecies repreſentatiua illius à Deo infundatur connaturaliter; non verò ad hoc, vt ab Angelo dimaneat. Cõſequentia ſatis patet. Minor probatur. Quia ſi tunc illa ſpecies flueret ab Angelo, etiam fluxiſſet, licèt Deus non haberet illud decretum de productione illius naturæ ſpecificæ. Sicut quia intellectus fluit ab eſſentia Angeli, ſemper fluit ab illa, ſiue Deus decernat producere has, & non illas creaturas, ſiue illas, & non has. Maior autem ſuadetur. Quoniam vniuerſum hoc tantùm eſt vnum vnitate ordinis, ſicut exercitus. Vnde, ſicut addito vnico milite exercitui ingenti, tunc ille exercitus adhuc eſſet idem numero, & miles additus eſſet pars illius: ita in præſenti, &c.

Eliditur vltimo. 61 Contra tertiò. Quoniam adhuc cõceſſo eo, quod ſupponitur in dicta ſolutione, nihilominùs quiuis Angelus habet potentiam, quãtum eſt ex ſe proximam ad hoc, vt ſit pars plurium aliorum vniuerſorum: ſiquidem (vt dicebamus) eſt intellectiuus connaturaliter, quantum eſt ex ſe, cuiuſuis entis naturalis contenti ſub toto ente naturali, & lumine naturali cognoſcibili: & ita, quantum eſt ex ſe, poteſt proximè habere (vt ſic dicamus) commercium cum quouis vniuerſo contento ſub ente naturali, vt tali, ſeu vt eſt lumine naturali cognoſcibile. Ergo, vel non debent fluere ab illo ſpecies huius vniuerſi per modum proprietatum, & per reſultantiam naturalem, vel habebit virtutem proximam ad hoc, vt poſſint aliorum vniuerſorum ſpecies ab illo fluere: atque adeò habebit virtutem infinitam in ordine intelligibili. Patet conſequentia. Quia cùm ex ſe habeat virtutem proximam ex parte intellectus ad intelligendum omnia, & inſuper, quantum eſt ex ſe, poſſit proximè eſſe pars cuiuſuis vniuerſi: non erit vnde non habeat virtutem proximam ad hoc, vt fluant ab illo prædictę ſpecies, licet demus, quòd in actu exercito non fluerent, quia actu non eſt conditum aliud vniuerſum præter iſtud.

§. *IIII. Vltima ratio aſſertionis ex eodem S. Doctore deſumpta.*

Vltima ratio. 62 VLtima ratio deſumitur ex D. Thoma art. 1. huius q. quam dubio præcedenti latius expendimus. Quoniam idem ordo, & modus acquirendi propriam perfectionẽ debet ſeruari in ſubſtãtijs intellectualibus ſuperioribꝰ, & inferioribus, qui ſeruatur inter corpora ſuperiora, & inferiora, ſeruata tamẽ proportione inter vtrũq; ſed potentia, quã habent corpora ſuperiora ad hoc, vt actuentur per ſuam primam, & ſubſtantialem formam, expletur à Deo, non verò ab ipſis corporibus, adhuc per naturalem dimanationem: ergo ſimiliter potentia in ordine intelligibili, quæ eſt in ſubſtantijs intellectualibus ſuperioribus in ordine ad ſuam primam formam intelligibilẽ, ſcilicet ſpecies, explebitur à Deo, ita vt non oriantur ab eſſentia aut intellectu Angelico per modum proprietatum per naturalem dimanationem fluentium.

Occurrunt aduerſarij. 63 Nec obeſt ſolutio, quæ ex doctrina aduerſariorum poteſt adduci, nempe, paritatẽ hanc debere eſſe in alijs, non verò quoad emanationẽ, vel nõ emanationẽ formarum: quia debet ſeruari proportio petita à peculiari natura vtriuſque ordinis, & hæc in ſubſtantijs ſpiritualibus ſuperioribus petit, vt fluant per modum proprietatum ab ea ſpecies, ſecùs in ſubſtantijs materialibus corporeis, & ſuperioribus, nempe cælis, ex quorum materia non debet forma ſubſtantialis fluere. Quoniam ſicut ab anima noſtra fluit intellectus agens, qui poteſt producere omnes ſpecies obiecti proportionati eiuſdẽ animæ: ita ob maiorẽ perfectionem ſubſtãtiæ Angelicæ debet ab ea oriri intellectus, actu, & per naturalem dimanationem informatus omnibus ſuis ſpeciebus intelligibilibus.

Contra primo. Nam contra hoc eſt primò, quòd ſicut in corporibus ſuperioribus potentia eorum, ſcilicet materia prima, ſolum comparatur per modum purę potentiæ reſpectu ſuæ formæ

mæ ſubſtantialis, licèt non ſit in potentia ad illam: quia ratione ſuæ ſuperioritatis petit, vt nunquam ſit ea priuata, ſed quòd talis potentia ab initio ſuæ productionis ſit expleta à Deo: ita etiam intellectus Angelicus in ordine intelligibili ſolùm eſt, modo dicto, pura potentia reſpectu ſuarum formarum intelligibilium, licèt ratione ſuæ ſuperioritatis nũquam ſit in potentia ad illas, ſed petat, modo explicato; & explicando, eſſe ab initio ſuæ productionis ſub illis. Et ratio eſt. Quia ſicut quantumuis ſit ſuperior potentia corporum in ordine entitatiuo reſpectu ſuæ primæ formæ, nihilominùs nunquam poteſt extrahi ratione huius ſuperioritatis ab hoc, quòd ſit pura potẽtia in hoc ordine, ſed ſolùm ab hoc quòd ſit in potentia: ita etiam intellectus creatus, qui eſt pura potentia in genere intelligibili, nunquam ratione ſuæ ſuperioritatis poterit ita creſcere, vt extrahatur ab hoc, quòd ſit pura potentia in hoc ordine; benè tamen ab hoc, quòd ſit in potentia.

Et paritas eſt eadem vtrobique. Quia tam forma intelligibilis, quàm forma ſubſtantialis comparãtur (vnaquæque in ſuo ordine) per modum primæ formæ, primique actus reſpectu ſuæ potentiæ: & ideò vnaquæque debet in ſuo ordine ſupponere puram potẽtiã ſine miſtione actꝰ illius ordinis, licèt nõ puram potentiam, quæ ſimul ſit potentia, & in potentia: quia ratione ſuæ ſuperioritatis exigit in his, in quibus habet prædictam ſuperioritatem, vt modo inſinuato ſit expleta.

Roboratur confutatio.

64 Adde, quòd ſi potentia intellectus extraheretur extra limites puræ potentiæ ratione ſuæ ſuperioritatis, atque adeò haberet aliam vim, præter vim potentiæ paſſiuæ reſpectu ſuæ primæ formæ, & exigentis illam: tunc non ſolùm per modum potentiæ, ſed etiam per modum actus contineret totam latitudinem formarum intelligibilium, quarum eſt capax. Et ita ſequerentur illa duo inconuenientia in hoc dubio recenſita: primum, quòd contineret diſtinctè, & non ſolùm confuſè omnes ſpecies, & obiecta iam dicta, quorum habet ſpecies ab illis fluentes: & conſequenter ex comprehenſione eſſentiæ Angeli, & eius intellectus, omnia iſta comprehenderentur, vt explicatum eſt. Secundũ, quòd haberet infinitam virtutem ad hanc dimanationem: ex eo quòd per modum principij radicalis contineret ſpecies cuiuſuis entis naturalis, vt ex dictis conſtat.

Nec id, quod in fauorem huius ſolutionis adductum eſt, ei fauet. Quia neganda eſt paritas. Et ratio illam negandi eſt. Quia ex eo, quòd ab eſſentia animæ fluat intellectus agẽs, nec tollitur ab intellectu poſsibili quòd ſit pura potentia in ordine intelligibili, continens præcisè per modum potentiæ paſſiuę illas ſpecies, ſicut tolleretur ratio prædictæ puræ potentiæ ab intellectu Angelico, & ab eſſentia Angeli, vt receptiua ſpecierum, ſi ex illa per naturalem dimanationem reſultaret intellectus informatus ſuis formis intelligibilibus, atque adeò etiã ab illo prędictæ formæ dimanarent. Et ſimiliter ex eo, quòd detur intellectus agens, & fluens ab anima, nõ inde ſequitur aliqua infinitas in illo, ſicut in intellectu Angelico, ſi ab illa fluerent prædictæ ſpecies. Quia intellectus agens tantùm eſt reſpectu ſpecierum obiectorum materialium & agit, & producit illas non ſe ſolo, ſed cum adminiculo obiectorum ſenſibilium: quæ duo derogant infinitati. At verò intellectus Angelicus eſt reſpectu cuiuſuis intelligibilis naturalis, ſeu lumine naturali intelligibilis: & ſi omnes iſtæ ſpecies ab illo fluerent non egeret adminiculo obiectorum, vt probatum eſt.

Corrobora tur ampliùs

Adde, quòd ſpecies intelligibiles productæ ab intellectu agente, non producuntur ab eo principaliter quoad naturas repręſentatas, hoc enim prouenit à phantaſmate, & ab obiecto ſenſibili, cuius eſt virtus; ſed quoad immaterialitatem. Et ideò ſatis eſt ille gradus immaterialitatis, quem habet intellectus agens: ſiquidem omnes illæ ſpecies producit intra hũc gradum. Et propterea nõ requiritur in eo maior perfectio quàm perfectio prædicti gradus immaterialitatis, determinati tamen ad peculiarem ſpeciem eiuſdem intellectus agentis. At ſi ſpecies Angeli fluerent ab eo, fluerent etiam quoad naturas repræſentatas intra latitudinem totius entis naturalis. Cumque in eis collectiuè ſumptis ſit infinita perfectio, fit inde, vt etiam in intellectu Angelico deſideraretur infinita perfectio, vt inde reſultarent.

§. V *Corollaria animadnerſione digna ex dictis deducuntur.*

Obiectio prior.

65 EX quibus omnibus fit, manere ſolutam obiectionem quandam, quę alios premeret, ſcilicet, quòd ſi intellectus Angelicus haberet (vt in his tribus rationibus ſuppoſuimus) quantum eſt ex ſe, & ex vi eorum, quæ ex parte intellectiuæ potentiæ requiruntur, ſufficientem virtutem intellectiuam ad attingendum quoduis ens contentum ſub cuncto ambitu totius entis naturalis, tunc hæc virtus eſſet infinita: ſiquidem potentia, quæ immutata in his, quæ ex parte ſua requiruntur, permanens poteſt attingere aliud, & aliud obiectum perfectius, & perfectius ſecundùm ſpeciem vſque in infinitum, debet eſſe infinita.

Enodatur

Ex dictis igitur hæc obiectio manet ſoluta. Quia etſi virtus intellectiua Angeli habeat, quantum eſt ex ſe, & ſecundùm ea, quæ ex parte ſua requiruntur, virtutem (vt ſic dicamus) completam ad intelligendum aliud, & aliud obiectum perfectius, & perfectius ſecundùm ſpeciem vſque in infinitum ex his, quæ intra totam latitudinem entis naturalis continentur; nihilominùs hæc potentia eſt per modum puræ potentiæ in ordine intelligibili, & ad hanc non requiritur infinita perfectio: licèt, ſi hæc virtus eſſet per modum actus, afferret ſecum infinitam perfectionem. Et ita ſi tam ex parte ſui, quàm ex parte obiecti haberet virtutem cõpletam, tunc quia eſſet per modum actus, ideò haberet eam infinitam in ratione virtutis cognoſcitiuæ omninò completæ.

Secunda obiectio.

66 Et ſimiliter hinc etiam manet ſoluta alia obiectio, nempe, non poſſe hæc duo inter ſe cohærere, ſcilicet, potentiam cognoſcitiuam, quantum ex ſe, & ex vi illorum, quæ ex parte illius præciſè requiruntur, eſſe completam reſpectu totius entis naturalis, & nihilominùs non habere ſpecies in ordine ad totum prædictum ens, neque eſſe illi debitam hanc cognitionem. Siquidem potentiæ ex ſe, & ex parte ſua completæ debentur ea, quæ requiruntur ad cognitionem: & per conſequens illa, quæ ex parte obiecti deſiderantur, ſcilicet ſpecies.

Diluitur.

Reſpondetur enim ex dictis, hanc obiectionem vrgere contra oppoſitam ſententiam tenentem, prædictas ſpecies per naturalem dimanationem fluere per modum proprietatum ab Angelo, quia tunc tota ratio dimanandi eſſet id, quod ex parte potentiæ ſe tenet: ſecùs contra D. Thomę ſententiam, & noſtram. Quia iuxta eam aliunde debitum ſpecierum, & aliunde vis completa ex parte potentiæ deſumitur. Quia primum accipitur ex eo, quòd potentia, & natura intellectiua ſit actu pars certi & determinati vniuerſi actu conditi: ex eo quòd obiecta repræſentata per ſpecies ſint à Deo producta, vel producenda, tamquam partes actuales illi⁹ vniuerſi: atverò poſterius præciſè prouenit ex gradu immaterialitatis, in quo conuenit Angelus cum ente naturali, & toto eius ambitu.

Alia ſolutio.

Adde, quòd quoties exercitium, ad quod aliqua potentia quantum eſt ex ſe habet virtutem naturalem, non fluit per naturalem dimanationem ab ea, & eſt reſpectu obiecti infiniti in potentia, poteſt pertinere ad diuinam prouidentiam taxare & determinare obiecta, circa quę debet verſari, vt patet in potentia naturali, quam habet ignis ad hoc, vt quantùm eſt ex ſe producat ſucceſsiuè alios & alios ignes in infinitum numero diſtinctos, & in potentia, quam habet materia prima ad hoc, vt recipiat quantum eſt ex ſe alias, & alias formas ſublunares in infinitum: nam in his ad Dei prouidentiam ſpectat taxare prædictam exercitium. Similiter ergo in præſenti philoſophandum erit. Et ratio eſt eadem vtrobique. Quia ſicut non poteſt illa potentia ignis reduci tota, & totaliter ad actum: & ideò ſpectat ad Dei prouidentiam taxatio & determinatio illa: ita ſimiliter potentia, quam habet intellectus ad hoc, vt quantum eſt ex parte ſua intelligat omne ſuum obiectum naturale, nequit tota, & totaliter expleri: quia eſt in ordine ab obiectum infinitum, & eius expletio per omnes formas intelligibiles trahit infinitatem in actu prædictarum ſpecierum: & ideò ſpectat ad diuinam prouidentiam taxatio & determinatio iam dicta.

Tertia obiectio.

67 Ex quo ſequitur tertiò, relinqui etiam ſolutam alteram obiectionem, nempe, quòd ſi intellectus Angelicus haberet prædictam virtutem reſpectu totius entis naturalis, tunc hæc potentia, quippe naturalis, eſſet violenta, dum non infunderentur illi ſpecies totius prædicti entis: ſicut materia cælorum eſſet in ſtatu violento, ſi non produceretur ſimul cum ſua forma cæleſti.

Reſpõdetur

Reſpondetur enim ex dictis, negando ſequelam. Quoniam prædicta potentia ab intrinſeco petit, quòd etſi ipſa ſit, quantum eſt ex ſe, intellectiua totius entis, ita vt non requirat additionem virtutis ex parte potentiæ ſe tenentis ad omne illud intelligendum: nihilominùs determinatio ad hoc, potiùs quàm aliud intelligendum, & conſequenter ad has ſpecies, potiùs quàm illas in inſtanti creationis recipiendas, fiat, & taxetur à diuina prouidentia, modo iam dicto. Et ideò non eſt in ſtatu violento per hoc, quòd non habeat ſpecies omnium obiectorum, aut aliorum, potiùs quàm horum, quibus actu gaudet, per quaſque hæc determinatio in genere cauſæ formalis fit, ſecùs verò in materia cęleſti ob oppoſitam rationem.

Explicatur amplius.

Poteſtque hoc explicari ex eo, quod in naturalibus contingit. Nam fœminæ in ordine naturali non eſt debitum ſemen cuiuſque viri, à quo poteſt fœcundari, ex eo præciſè, quòd in ratione fœminæ habeat totam virtutem requiſitam: ac proinde nec debetur illi coniunctio cum quouis viro ex hoc præciſo capite, ſed hoc taxandum eſt ex diuina prouidentia. & iuxta modum, & rationem capitis, & radicis, ex qua ſupponitur illi deberi. Ita ſimiliter intellectui, qui in ordine intelligibili habet ſe per modum fœminæ, non debetur ſemen, aut quaſi ſemen cuiuſuis viri, ſeu ſpeciei intelligibilis, quæ eſt veluti ſemen, & quodammodò virtus viri, nimirum obiecti, ex hoc præciſo capite,

quòd

quòd ipsa sit completa quoad illa, quæ ex parte sua requiruntur, sed hoc ex alijs capitibus; & iuxta modum illorum pensandum est, & quoad præsens oritur ex hoc, quòd obiecta, quorum sunt illę species, sint actu compartes vnà cum intellectu respectu vniuersi, quod ex omnibus illis actu coalescit. Vnde respectu aliorum obiectorum dabitur in intellectu Angelico potentia naturalis, non tamen inclinatio naturalis ad illa: quia ad hanc requiritur taxatio prædicta per diuinam prouidentiam facta.

Vltima obiectio.

63 Et tandem hinc etiam soluitur alia obiectio, nempe, quòd si Angelo non debentur in quouis euentu istæ species, potiùs quàm aliæ, atque adeò si istæ non fluerent ex illius essentia, tunc non seruatur proportio, quam intendit D. Thomas in ratione vltima pro assertione adducta, scilicet, quòd sicut potentia materiæ primæ in corporibus superioribus in primo instanti creationis omninò expletur per suam primam formam substantialem: ita etiam potentia in ordine intelligibili, quæ est in intellectu superiorum substantiarum spiritualium, debet expleri omninò in primo instanti, quo conditæ sunt. Ergo &c. Antecedens probatur. Quia si illæ formæ intelligibiles non sunt à natura determinatæ ad hoc, vt hæc & nõ illæ debeãtur, cõsequens erit, vt ipsæ non expleant omninò tunc potentialitatem materiæ: quandoquidem, quod sic explet, ita est commensuratum cum re, quam explet, vt in re illa non sit potentia ad aliquam aliam formam recipiendam: alioqui per illas formas priores eius potentialitas non expleretur.

Occurritur

Respondetur enim, negando antecedens: quia D. Thomas in hac ratione loquitur de potentia, cui non solùm, quantum est ex se, nihil desit ex his, quę ad ipsam pertinent, & ex parte eius se tenent in recto, sed etiam de potentia habente capacitatem proximam, & inclinationem ad suam formam. Cumque hæc capacitas proxima, pertingens vsque ad prædictam inclinationem (vt ita sit paritas inter materiam primam, seu puram potentiam in genere entis, & in ordine intelligibili) non sit, vsquedum Deus substantiam illam superiorem constituat actu partẽ huius v.g. vniuersi, & vnà cum illo eam condat: inde est, sufficere, quòd facta hac suppositione, illæ species omninò expleant potentiam intellectus, quatenus ab initio suæ productionis has, & non illas susciput, & saltem naturaliter nequit alias decursu temporis suscipere, nisi fortè Deus decernat posteà aliam nouam naturam creare: quia in eo euentu poterit posteà alias species intelligibiles denuò infundere, tunc tamen semper saluabitur, quòd omnes illæ species explent potentiam naturalem Angeli, vt inclinatam in illas. Quia in quo instanti incepit hæc inclinatio, tributæ sunt species: & quia incepit respectu illarum naturarum, quæ vnà cum Angelo sunt conditę, ab initio conditionis Angeli, ideò tunc illi sunt infusę. Sicut quia inclinatio ad speciem nouæ naturæ incepit posteà, dum talis natura creata est, ideò ex tunc prædicta potentia, & inclinatio habuit expleri.

§. VI. *Opposita sententia cum suis fundamentis, & responsionibus ad illa.*

Contraria sententia.

64 CONtrariam tamen sententiam, nempe, species Angelicas comparari propriè cum essentia Angeli, & eius intellectu per modum propriarum passionum, & ab illa per naturalem resultantiam fluere, tuentur Caietanus quæst. præcedenti artic. 4. *Caiet.* & infrà quæst. 79. art. 2. & 3. p. quæst. 9. art. 3. Bañez in præsenti, Nazarius controuersia 2. & alij. *Bañez. Nazar.*

Primum argumentũ. *Nazar.*

Probat primò Nazarius hanc sententiam ex D. Thoma quæst. 64. artic. 1. vbi loquens de cognitione dæmonum naturali, negat eam esse ablatam, aut diminutam: & causam assignans, ait. *Consequitur enim ipsam naturam Angeli, qui secundùm suam naturam est quidam intellectus, vel mens. Propter simplicitatem autem suæ substantiæ à natura eius aliquid subtrahi non potest: vt sic per subtractionem naturalium puniatur, sicut homo punitur per subtractionem manus, aut pedis, aut alicuius huiusmodi. Et ideò dicit Dionysius, quòd dona naturalia in eis integra manent. Vnde naturalis cognitio in eis non est diminuta.* Vbi Sanctus Doctor apertè videtur insinuare, Angelorum cognitionem consequi eorum naturam: & per consequens etiam species, quibus fit, ex eorum natura veluti accidentia propria pullulabunt. Maximè, quia si hoc ita non esset, non rectè probasset S. Doctor ex Angelicæ naturæ simplicitate, non posse subtractione specierum, & consequenter scientiæ Angelum à Deo puniri, sicut punitur homo subtractione manus, aut pedis, aut alicuius huiusmodi, quæ scilicet homini aut sunt intrinseca, veluti partes, aut ex intrinsecis necessariò pullulant, vt potentiæ, & aliæ naturales proprietates: siquidem quod ab agente confertur extrinsecus, nullo modo cooperante natura, facilè poterit ab eodem absque detrimento simplicitatis auferri: quod autem naturaliter oritur ab essentia, ab ea diuelli absque eius intrinseca mutatione non potest secundùm Dei potentiam saltem ordinariam.

Confirmatur ex Bañez.

Confirmat hoc ipsum Bañez. Quia D. Thomas suprà quæst. 54. artic. 4. ait, quòd in Angelo

Angelo non generatur ſcientia, ſed naturaliter adeſt: & ideò non oportet, vt habeat intellectum agentem, & poſsibilem. At ſi ſpecies imprimerentur Angelo abſque dimanatione ab illo, ac proinde ſolùm ab extrinſeco principio, non adeſſet in Angelo ſcientia naturaliter, ſed in eo generaretur.

Exertitur fundamẽtũ

70 Reſpondetur, Angelicum Doctorem non negare, quin Deus poſsit auferre ab Angelis ſpecies, quas eis naturaliter indidit, & hanc ablationem poſſe fieri in pœnam ſui peccati: nihilominùs non erit hoc ita conſonum naturæ ſimplici, qualis eſt Angelus: ſed id eius ſimplicitati quodammodò derogabit. Nam ſuppoſito, quòd, quantum eſt ex vi ſuæ naturæ, queat in æternum durare, adhuc poſt peccatum, & Deus decreuerit in perpetuum illum conſeruare, conſonum eſt, vt eius naturæ ſimplici, & per modum ſimplicitatis petenti prorumpere in operationes naturæ ſimplicis, perpetuò tribuantur prædictæ ſpecies ad illam operationem deſideratæ, quamuis non fluant per modum proprietatum ex tali natura, ſed ſolùm ei, quantum eſt ex ſe, debeantur imprimi à Deo. Quod è contra accidit in natura humana, quę eſt compoſita, tum ex multiplici parte, tum ex pluribus appetitibus, & portionibus: & ita potuit in aliquo puniri, non punito in alio, id eſt in alijs, quantum eſt ex ſe, ſibi debitis.

Diluitur cõ firmatio.

Ad confirmationem reſpondetur, ſatis eſſe ad hoc, vt in Angelo ſcientia naturaliter adſit, quòd ſpecies naturaliter etiam adſint, id eſt, ſint productæ cum ipſa natura, & ſint iuxta potentiam receptiuam, & naturalem eius, actandem in inſtanti creationis ſint illi debitæ.

Secũdũ fundamentum.

71 Secundò probatur eadem ſententia. Quia ſi Angelus non haberet ab initio ſuæ productionis prædictas ſpecies, aut ab eo auferrentur poſteà, tunc pateretur violentiam: ergo ſignum eſt, habere ab intraneis impetum in illas: & per conſequens per naturalem dimanationem ab eodem Angelo fluere. Conſequentia videtur legitima. Et antecedens probatur. Quia ſi non pateretur in prędicto caſu violentiam, poſſet realiter eſſe ſine illis.

Confirmatio.

Confirmatur. Quia ſine prædictis ſpeciebus maneret ſubſtantia Angelica imperfecta, & veluti manca, & monſtruoſa: ergo tales ſpecies dimanabũt ab eius eſſentia. Quia natura prouidit dare cuiuis eſſentiæ vim ad hoc, vt ex ea reſultarent illa, ſine quibus manca, & monſtruoſa maneret.

Reſpondetur ad ſecundum.

Reſpondetur, quòd ſi ad violentiam requiritur, quòd ſit contra internum impetum ad genus cauſæ efficientis ſpectantem, tunc in prædicto euentu Angelus non pateretur violentiam, quamuis permaneret in ſtatu pręternaturali: quia iuxta hunc modum dicendi plus ad violentiam, quàm ad prędictum ſtatum requiritur. Si autem ad violentiam non requiritur prędictus impetus, ſed ſatis eſt impetus potentię naturalis receptiuę, & debitum illius formę, tunc in illo euentu maneret in ſtatu violento, quatenus hoc eſſet contra peculiarem inclinationem, & eſſet ablatio rei debitę. Non tamen inde fieret, quòd ſpecies illę reſultarent per naturalem dimanationem per modum proprietatum: quia ille impetus, cui fieret violentia, non ad genus cauſę efficientis ſpectaret.

Ad confirmationem.

Ad confirmationem reſpondetur, non omne id, ſine quo aliquid remaneret imperfectum, fluere per naturalem dimanationem ab illo, ſed ſatis eſſe, quòd ſit complementum ab agente proueniens, & per aliam actionem diſtinctam à productione rei, cui debetur, factum, & ei naturaliter debitum.

Tertium.

72 Tertiò. Quia alioqui prædictæ ſpecies eſſent ſupernaturales ſecundùm ſuam ſubſtantiam: hoc autem eſt contra communem Theologorum ſententiam: ergo, &c. Probatur ſequela. Quia deberent infundi proximè à ſolo Deo: atque adeò eſſent ſupernaturales ex parte cauſæ efficientis. Et deinde non eſſet aliquod principium, à quo dimanarent naturaliter, ſed ſolùm eſſet ex parte Angeli potentia paſsiua ad illas. Ergo ſicut lumen gloriæ eſt ſupernaturale ſecundùm ſubſtantiam, quia ex parte cauſæ efficientis eſt quid ſupernaturale, & ex parte intellectus ſolùm ſupponit potentiam paſsiuã: ita hoc ipſum de prędictis ſpeciebus eſſet dicendum.

Diſſoluitur

Reſpondetur, ſatis eſſe ad hoc, vt prædictæ ſpecies pertineant ſecundùm ſuam ſubſtantiam ad ordinem naturalem, quòd præſupponant potentiam paſsiuam naturalem, & naturaliter inclinatam in ipſas, & inſuper eſſe debitas ipſi: ac tandem eſſe connaturales intellectui Angelico, ex eo quòd ſunt in ordine ad ſuas operationes naturales, & naturaliter eliciendas per ſe primò deſtinatæ. Quorum oppoſitum in lumine gloriæ contingit: & propterea iſtud eſt ſecundùm ſuam ſubſtantiam ſupernaturale.

Quartum.

73 Quartò. Quia alioqui homo eſſet perfectior Angelo: quod (vt ex ſe conſtat) eſt falſum. Sequela probatur. Quia Angelus, & homo ſunt æquales in hoc, quòd ſpecies non fluant ex eius eſſentia per modũ proprietatũ. Homo autem excedit Angelũ in hoc, quòd habet naturalem potentiam actiuam ad eas producẽdas, Angelus verò ſolũ paſsiuam. Ergo homo erit abſolutè perfectior. Quod argumentũ habet maiorẽ vim in Angelo creato in hoc

in hoc vniuerſo ſolùm cum ſuis proprijs paſſionibus, ſcilicet intellectu, & voluntate: tunc enim eſſet ineptior homine ad intelligendũ: quia homo per ſe ipſum poſſet acquirere ſcientiam, non autem Angelus.

Obuiam. Reſpondetur, eſſe in Angelo maiorẽ perfectionem, habere talem naturam, cui debeãtur ſpecies ab agẽte Deo, & non ab alio, & explentes ab initio ſuæ creationis eius potentialitatem, & inclinationẽ naturalem, quàm poſſe per ſe illas acquirere per ſuum intellectum agentem: tum, quia per illud prius Angelus eſt magis in actu, vt dubio 2. huius diſput. diximus: tum etiam, quia hoc poſterius, nempe, acquirere illas per intellectum agentem, atque adeò ſucceſsiuè, & paulatim, ſupponit plures imperfectiones, quas in eodem dubio tetigimus.

Ad id autem, quod in hoc argumento vltimo loco adducitur, dicendum eſt, illud eſſe per accidẽs. Perfectio autem alicuius naturæ non ex his, quæ per accidens contingunt, libranda eſt, ſed ex his, quæ per ſe conueniunt. Conſtat autem, Angelum in hoc vniuerſo productum per ſe loquendo oppoſitum petere. Et ita eſt talis naturę, vt propter ſui magnam perfectionem ſint tunc debitæ illi ſpecies, quę vnà cum tali natura ſimul infundantur: cùm tamen homini ſolùm debeantur ſpecies ſucceſsiuè acquirendæ: ac proinde quæ nunquam eius potentialitatem pro hoc ſtatu compleant. Hoc autem minoris perfectionis nota eſt.

Quintum. 74 Quintò. Quia inde fieret, quòd ſi Deus tantùm decreuiſſet creare vnum Angelum, & non aliam creaturam, vel ſaltem vnicam ſolummodò cum ipſo, tunc non deberentur ei ſpecies aliarum creaturarum, ſed, vel nullæ, vel vna dumtaxat repræſentans prędictam creaturam: hoc autẽ eſſet nimis coartare intellectum Angelicum, & eius actualitatem in ordine ad intelligendum: ergo, &c.

Euertitur. D. Thom. Reſpondetur, concedendo ſequelam. Nam (vt ſuprà diximus) D. Thom. infrà q. 56. art. 2. ad 4. hoc aduertè ſupponit vt certũ. Et vt explicet, quæ ſunt ea, quæ ab Angelo perfectè, & per proprias ſpecies cognoſcuntur, tã in hoc articulo, quàm in corpore articuli nũc citati, & infrà q. 89. art. 3. vtitur teſtimonio Auguſtini dicẽtis 2. lib. de Geneſi ad litteram, Deũ omnia, quæ fecit in proprijs naturis, priùs feciſſe in intellectu Angelico. Et tamen hoc teſtimonium intelligitur præciſè de rebus factis, & non de poſsibilibus. Et ad hoc eſt notanda doctrina ipſius q. 89. art. 8. vbi docet, animam ſeparatam non cognoſcere naturaliter ea, quæ hic aguntur. Et rationem aſsignat: *Quia ſegregata ſunt à conuerſatione viuentium.* Nam ex hac ratione etiam colligitur, eſſe dicendum idem de Angelo quoad naturas, quæ tantùm ſunt poſsibiles: quia huiuſmodi naturæ non pertinent ad hoc vniuerſum, cuius Angelus eſt pars: & ita Angelus non habebit, vnde naturaliter ſit propenſus ad cognoſcendum eas: atque adeò non erunt ipſi debitæ earum ſpecies.

Nec hinc fit, coarctari nimis, ſeu plus æquo intellectum Angelicum, & eius actualitatem, ac complementum. Tum, quia per propriam eſſentiam poſſet cognoſcere talis Angelus omnia, ad quæ haberet inclinationem naturalem, ſcilicet ſe ipſum, & Deum, ac poſsibilia quoad rationes, in quibus cum eis conueniret. Tum etiam. Quia ſi Deus huic vniuerſo adderet nouas aliquas creaturas non immutantes eius vnitatem, tunc eſſet connaturale, & debitum Angelo, vt ei infunderentur plures ſpecies, quàm modò ei infuſæ ſunt, vt docet D. Thomas loco citato in ſolutione ad 4. Vnde, ſicut hoc non eſſet extendere nimis intellectum Angelicum, & eius actualitatem in ordine ad intelligendum: ſic nec illud erit nimis coarctare prædictum intellectum: quia hoc eſt conſonum ſuæ naturæ, vt in hoc eodem dubio §. 3. explicuimus. D. Thom.

75 Vltimò. Quia ſpecies Angelicæ non fiunt à Deo per aliam actionem diſtinctam à creatione Angeli, ſed vnà cum eſſentia illius concreãtur: ergo fiunt per naturalem dimanationem ab eadem eſſentia Angelica. Conſequentia videtur certa. Quoniam hoc ipſo, quòd fiant per illam creationem, ac proinde concreentur: oportet, vt terminus primario creatus ſit ipſa ſubſtantia Angelica; & ſpecies concreentur vt terminus ſecundarius, ex eo quòd ſunt debitæ illi ſubſtantiæ in inſtanti creationis. Conſtat autem ex his, quę N. Complut. in lib. Phyſicorum diſput. 10. num. 99. docent, terminum ſecundarium alicuius actionis dimanare à primario: quia agens non niſi mediante illo termino primario attingit ſecundarium. Vltimũ fundamentum. N. Compl.

Antecedens autem probatur. Quoniam prædictę ſpecies non fiunt per aliam actionem, nempe per eductionem. Tum, quia ſunt debitæ in inſtanti creationis ipſi Angelo: & ea, quæ ſic ſunt debita, ſunt veluti corollarium eius, cui debentur, & quaſi determinant agens ad hoc, vt eius actio productiua eiuſdem rei non ſiſtat, vſquedum attingat rem illam cum omnibus, quæ ei debentur. Tum etiam. Quia, quæ fiunt per eductionem, fiunt per ſe loquendo per tranſmutationem materiæ, ſeu ſubiecti, & non petuntur per ſe loquendo in eo inſtanti, vt latiùs N. Complutenſes in lib. Phyſicorum diſput. 4. num. 13. & deinceps docent. Ergo cùm ſpecies iſtæ debeantur in illo N. Compl.

illo inſtanti creationis, nequibunt fieri per eductionem, ſiue ex præſuppoſito ſubiecto: atque adeò cõcreabũtur, & ex vi actionis creatiuæ Angeli attingentur.

Reſpondetur. 76 Reſpondetur ex dictis, negando antecedens. Et ad probationem dicendum eſt, prædictas ſpecies fieri per aliam actionem, nempe, per eductionem earum ex ſubſtantia Angeli, vt ex potentia radicali, & ex intellectu Angeli, vt ex potentia proxima. Neque obſtat, quòd ſint debitæ. Quia non ſunt debitæ ex eo, quòd ſubſtantia Angeli per ſe, & ex natura ſua petat has potiùs, quàm alias, ſed quia, ſuppoſito diuino decreto de conditione huius numero vniuerſi, ſunt illi debitæ, vt ex D. Thoma in ſolutione præcedentis argumẽti dicebamus. Et ideò, ſi Deus decreuiſſet condere aliud vniuerſum, cuius Angelus eſſet actualis pars, non eſſent ei debitæ hæ ſpecies, ſed aliæ repræſentatiuæ alterius vniuerſi, & partium eius. Hic autem modus debiti, quo Angelo debentur prædictæ ſpecies huius vniuerſi, non inducit, quòd ſint veluti corollarium naturæ fluens ab illa, aut quòd determinent agens ad hoc, vt eius actio productiua illius rei non ſiſtat, vſque dum attingat rem illam cum omnibus, quæ ei ſic debentur, ſed ad ſummum ad hoc, vt poſt illam actionem productiuam rei eliciat in eodẽ inſtanti, cum poſteritate tamen naturæ, aliã actionem, per quam producat ea, quæ ei ſic debentur.

Vnde, per ſe loquendo, poſſunt fieri hæ ſpecies per tranſmutationem naturæ: quatenus poteſt dari in Angelo carentia omnium illarum, quæ ei modò infunduntur: licèt ſuppoſito, quòd conſtituatur, vt actu pars huius vniuerſi, debeat habere illas, & facta prædicta ſuppoſitione, ſolùm per accidens (vt ita obiectio, quę fieri hic poterat, maneat ſoluta) per diuinam potentiam poſſent omnes, aut aliquæ denegari. Sicuti etiam per ſe petit, quòd fiat actu pars alicuius vniuerſi: quia, quantum eſt ex ſe, poteſt cum quouis vniuerſo coordinari: licet quòd ſit actu pars huius vniuerſi, potiùs quàm illius, ex eo quòd actu cõdatur hoc vniuerſum, & non aliud, conueniat ei per accidens, ſeu ex ſuppoſitione diuini decreti: & ideò ſine ſpeciebus cuiuſuis vniuerſi in particulari queit, per ſe loquendo, manere: & per conſequens, cùm actio productiua ſpecierum terminetur per priùs ad eas in particulari, inde eſt, vt poſſint fieri, per ſe loquendo, per tranſmutationem materiæ, atque adeò per eductionem, imò & quòd ſic fuerint factæ, ex rationibus adductis liquet.

(??)

DVBIVM V.

Virùm quò Angeli ſunt ſuperiores, eò intelligant per vniuerſaliores ſpecies?

77 PRO Tituli intelligentia notandũ eſt, poſſe aliquid dici vniuerſale, vel in cauſando, quo pacto Deus, & corpora cæleſtia dicuntur vniuerſalia in cauſando, quia plures, & diuerſos cauſant effectus: vel in prædicãdo, qua ratione naturæ abſtractæ per operationẽ intellectus, & cõparatę ad ſua inferiora dicuntur ſic vniuerſales: vel tandẽ in repreſentãdo, & hoc dupliciter. Primò quidẽ, quia repreſẽtat naturã aliquã communẽ abſtractã v.g. à ſuis ſpeciebus, ſiue rationibus differentialibus, & modis intrinſecis eãdẽ determinãtib⁹: ac proinde non repreſentat diſtinctè, ſed tolũ confuſè inferiora ſub illa cõtẽta, ex eo quòd repreſentat prędictã naturã vniuerſalẽ, vt confuſè, & in potẽtia tantũmodò illa continet. Secũdo ita vt diſtinctè, & actualiſsimè repreſentet tam naturã illã vniuerſalem, quam inferiora ſub illa contẽta, & differẽtias, ac modos, quibus intrinſecè contrahitur & determinatur. Animaduerſio pro luce tituli.

Poteſtque hęc vniuerſalitas in repreſentando aliter explicari, ita vt illa dicatur ſpecies vniuerſalis in repreſentãdo, quę ad plura obiecta, diſtinctè tamẽ, & actualiſsimè repreſentanda quoad illa, in quibus plura illa diſtinguũtur, ſe extẽdat: & ideò ea ſpecies dicetur vniuerſalior in repreſentando, quę modo nuper dicto habuerit plura repreſentare, quàm alia ſpecies minùs vniuerſalis. Titulus ergo nõ intelligitur de ſpeciebus vniuerſalibus in cauſando, aut prędicãdo, ſed in repreſentãdo & non de qualicũque vniuerſalitate intra hũc ordinem, nempe de illa, per quam plura confuſè ſolùm, & indiſtinctè repreſentantur, ſed de vniuerſalitate, per quam multa illa diſtinctè, & actualiſsimè quoad ea, in quibus diſtinguuntur, repreſentantur.

78 Cæterũ, quia dupliciter Angeli poſſũt eſſe ſuperiores, nẽpe, quia vnus pręcisè ſit ſuperior, & perfectior alio in eſſẽtia: qua ratione quiuis Angelus, quippe diſtinctus ſecundũ ſpeciẽ ab alio, cõparatur cum eo, vel vt inferior, vel vt ſuperior in eſſẽtia: vel quia ſunt ſuperiores ſecũdũ ordinẽ hierarchiarũ: idcircò titulus vtroque modo intelligitur, & peculiariter primo modo, an ſcilicet, hoc ipſo quòd vn⁹ Angel⁹ ſit ſuperior, quã alius in eſſentia, debeat

debeat intelligere per ſpecies vniuerſaliores? Nam ſi ſemel quilibet Angelus ratione huius ſuperioritatis debet habere vniuerſaliores ſpecies, quàm alius inferior: planè ſit Angelos ſuperiores in ordine Hierarchico intelligere per ſpecies vniuerſaliores, quàm Angelos inferioris Hierarchiæ.

§. I. *Ex mente Dionyſij, & D. Thomæ dubij difficultas expeditur.*

Aſſertio

79 DIcendum ergo eſt, Angelos, quò ſuperiores fuerint in eſſentia, eò per ſuperiores, & vniuerſaliores ſpecies intelligere: atque adeò, quibus Angelū diſtinctione ſpecificā, nobiliori ſpecie ab alio diſtinctū habere vniuerſaliores ſpecies, per quas intelligat. Aſſertio hæc eſt communis inter omnes antiquos Scholaſticos in 2. diſt. 3. deſumiturque ex Sanctis Patribus, præſertim ex Dionyſio, & D. Thoma. Ex Dionyſio quidē c. 12. cœleſtis Hierarchiæ, vbi docet, ſuperiores Angelos magis vniuerſalem ſcientiam habere, quàm inferiores, & hos reſpectu illorum habere ſcientiam particularem, id eſt minùs vniuerſalem.

Probatur ex Dionyſio D. Thom.

Effugium P. Vazquez

Vnde nihil refert ſolutio Vazquez aſſerentis, Dionyſium in hoc c. non velle, Angelos ſuperiores, aut inferiores intelligere per ſpecies vniuerſaliores, aut minùs vniuerſales. quia de his ſpeciebus nec verbum habet Dionyſius, ſed ſolùm intendere, inferiores Angelos pauciora ſcire, quàm ſuperiores. Et hoc confirmat Vazquez ex tranſlatione Perionij, ſecundùm quam tantùm denotatur, ſcientiam inferioris Angeli eſſe partem ſcientiæ ſuperioris. Vocat autem eam partem, nempe ex parte obiecti, quia eſt de rebus paucioribus.

Elliditur

Non igitur hoc refert. Quoniam in ſenſu iſto falſa eſſet ſententia Dionyſij. Siquidem ibidem inſtituit ſermonem de ſcientia naturali Angelorum. Conſtat autem ex communi Theologorum ſententia, in hac non eſſe Angelos inæquales quoad pluralitatem naturarum ſcitarum.

Roboratur impugn.

80. Adde, quòd etiam ſi loqueretur de ſcientia ſupernaturali habituali, & permanēti, non eſſet in illo ſenſu vera ſententia Dionyſij. Quia in hac ſcientia omnes Sancti Angeli ſunt æquales quoad obiecta, ſiue naturas, tam ſcitas in verbo, quàm extra verbum; quamuis demus, aliqua poſſe eſſe nota per ſpeciales reuelationes aliquibus, quæ non cognoſcantur ab omnibus. At Dionyſius in illo loco nec de his agit, neque in illis ſemper præſtant ſuperiores Angeli inferioribus: ſiquidem non eſt repugnantia in hoc, quòd fiat reuelatio ad inferiorem Angelum de aliquibus ſpectantibus ad ſuum miniſterium, quod quidem non reueletur omnibus Angelis ſuperioribus, ex eo quòd ad eorum opus, & miniſterium non pertineat.

Nec verum eſt, Dionyſium ibi non loqui de ſpeciebus Angelicis. Qua licèt ſub nomine *ſpecierum* de his non fuerit locutus, benè tamen ſub nomine *radij*, vel *luminis*, vt ſtatim dicemus. Maximè, quia iuxta Dionyſiū nequit negari ſcientia habitualis, & permanens magis, vel minùs vniuerſalis in Angelis: & iuxta eam debent etiam ſpecies magis, vel minus vniuerſalitatis habentes concedi. Nec etiam id, quod de trāslatione illa addu cit Vazquez, obeſt. Tum, quia trāslatio Ambroſij Florentini non eſt minoris auctoritatis: & iuxta hanc dicendum eſt Angelos ſuperiores, & inferiores intelligere per vniuerſaliores, & minùs vniuerſales ſpecies. Tum etiā. Quia tranſlatio Perionij, ne falſam ſententiam contineat, debet in ſenſu à nobis explicato, dum ſententiam Dionyſij retulimus; intelligi. Quamuis etiam ſcientia inferioris Angeli poſsit dici pars ſcientiæ ſuperioris ex parte rerum cognitarum, ſi ſcientia ſumatur pro actuali, quæ habetur tota ſimul: nam Angelus ſuperior, dum ei libuerit, habet ſimul ſcientiam actualem omnium obiectorum, quæ ſimul cognoſcit Angelus inferior, & plurium aliorum. Cæterùm ſcientia habitualis vtriuſque eſt æqualis, vt iā diximus: quatenus omnia, quæ ſuperior ſcit, poteſt inferior (licèt pluribus actibus, modo infrà explicando) contemplari. Quia verò ſpecies per ſe ad habitualem ſcientiam pertinent: ideò ratione harum non poteſt dici particularis ſcientia inferioris Angeli, niſi quia per ſpecies magis particulares habetur.

Cōfirmatur ex eodem Dionyſio

81 Vnde idem Dionyſius hoc ipſum explicuerat c. 7. eiuſdem libri, vbi inquit, quòd Angeli de ſupremo ordine omnia intelligit, quæ inferiores, ſed in paucioribus & magis vnitis radijs. Vocat autem radios ibi Dionyſius ſpecies intelligibiles, quibus prædicti ſūt. Ita enim oportet imaginari, Angelū medijs ſpeciebus ſuis omniū rerum notitia ſplēdere, ſicut videmus ſolem ſuis radijs fulgere. Et c. 7. de diuinis nominibus: *Hoc*, inquit, *animæ noſtræ inferiores ſunt Angeli, quòd nos per plura ſigna, illi autē per pauciora intelligunt.* Et tandem idē Dionyſius lib. de Cœleſti Hierarchia c. 15. vbi explicans metaphoricè Angeli perfectionē, & cognitionē ſub figura hominis, & metaphorā iſtam ſingulis nominis mēbris applicās, ſic de dentibus loquitur: *Porrò dētes diuiſionē indultæ ſibi perficiētis alimoniæ alētiſq; perfectionē exprimere credimus. Quelibet enim ſubſtātia ſpiritualis quā ab auguſtiore perceperit vnicā, & vniformem intelligētiam, prouidā virtute diuidit, atque multiplicat, dum inferiorē quoque pro captu ſuo promouet, atq; ſuſtollit.* Inquibus verbis ſatis apertè denotat, Angelū ſuperiorē vnica intelligētia ſeu intellectione percipere, & hanc in plures multi-

Dionyſius

multiplicati in Angelo inferiori, vt ab eo percipiqueant pluribus intellectionibus, quę ab Angelo superiori vnica intelligentia intellecta sunt: ac proinde sentit, in Angelo superiori dandam esse vniuersaliorem intelligentiam, quàm in inferiori, atque adeò species vniuersaliores, quæ intelligentijs eiusdem Angeli superioris proportionatæ esse debent.

Solutio P. Vazquez

82 Nec obest solutio Vazquez, quòd in his verbis loquatur Dionysius de cognitione supernaturali Angelorum accepta ex diuina reuelatione, & de ea affirmare, quòd Angelus superior plura attingit vnica intelligentia, quæ inferiori pro captu illius in plures conceptus distribuit.

Refellitur

Non itaque hoc obest. Nam adhuc dato, Dionysium loqui de intelligentia supernaturali, & per consequens docere, quòd hæc intelligentia in Angelis superioribus est vniuersalior, ac proinde etiam species eidem proportionata: nihilominùs ex hoc sumitur sufficiens argumentum ad id, quod intendimus, nempe quoad cognitionem naturalem. Nam Angeli in supernaturalibus perficiuntur ad modum suæ naturæ: & propterea (iuxta ea, quæ docet D. Thomas infrà de creatione Angelorum in *esse* naturæ, & gratiæ) quò Angeli sunt perfectiores in natura, eò in perfectiori, siue intensiori gratia conditi sunt. Ergo si in ordine supernaturali Angeli superiores perficiuntur per intelligentiam vniuersaliorem, quàm inferiores, signum erit, hanc perfectionem fieri ad modum suæ naturæ: & ex consequenti, prædictos Angelos ex natura sua habere intelligẽtiam naturalem superiorem, & vniuersaliorẽ, quàm Angeli inferiores: & ita habere etiam species vniuersaliores prædictis intelligentijs (vt loquitur Dionysius) seu intellectionibus correspondentes.

D. Thom.

Vnde hinc etiam sumitur non modicum indicium ad explicationem mentis Dionysij in testimonio adducto ex ipso capite 12. cœlestis Hierarchiæ, nec non & in alijs similibus, vbi intelligentiam Angeli inferioris, collatam cum cognitione superioris, nuncupat partialem, vel quasi partem prædictæ cognitionis. Quoniã sic eam nuncupat, quia prædicta intelligentia inferioris habet esse magis diuisam, & quasi in partes distributam respectu perfectioris conceptus Angeli superioris. Et ita eodem modo se habebunt species conceptibus illis commensuratæ.

Probatur assertio ex D. Thoma

83 Et similiter assertio ista depromitur ex D. Thoma in hac q. art. 3. vbi sic concludit: *Sic igitur, quanto Angelus fuerit superior, tanto per pauciores species vniuersitatem intelligibilũ apprehendere poterit: & ideò oportet, quòd eius formæ sint vniuersaliores, quasi ad plura se extẽdẽtes vnaquæq; earũ.* Et in 2. dist. 3. quæst. 2. art. 2. *Dicendum, quòd secundùm Theologos, & Philosophos, oportet ponere, formas superiorum Angelorum esse magis vniuersales.* Et q. 8. de Veritate art. 10. postquam retulit testimonium Dionysij ex c. 12. cœlestis Hierarchiæ modò adductum, & testimonium aliud ex lib. de Causis propositione 10. vbi dicitur, quòd intelligentiæ superiores continẽt formas magis vniuersales: postea in corpore articuli sic concludit: *Vnde quanto in Angelo fuerit plus de actu, & minùs de potentia, tanto emanatio huiusmodi rationum minùs in ipso multiplicatur, & virtus eius cognoscitiua erit efficacior: & secundùm hoc superiores Angeli cognoscunt res per formas magis vniuersales, quàm inferiores.* Et opusculo 2. cap. 81. his verbis: *Quia verò, vt dictum est, quanto substantia intellectualis est altior, tanto formas intelligibiles vniuersaliores habet.* Et tandem hoc ipsum habet 2. contra Gentes cap. 98. & alibi sæpè.

Effugium

84 Vnde non obest, si occurras cum aliquibus, testimonia hæc D. Thomæ non intelligi de quouis Angelo in essentia superiori, sed de ijs, qui secundùm ordinem Hierarchiæ fuerint superiores. Nam contra hoc, est, quòd dum Angelicus Præceptor inquit, quòd Angelus, quò superior est, eò per pauciores, atque adeò per vniuersaliores species intelligit, tunc illi comparatiuo *superior*, seu *perfectior*, non addit aliquid, quo restringatur ad Angelos superiores in Hierarchia, aut in ordine: ergo testimonia S. Doctoris debent de quouis Angelo perfectiori, & superiori quoad gradum specificum intelligi. Maximè, quia ratio, qua hoc probat, fundatur in maiori assimilatione Angeli perfectioris ad Deum. Hæc autem maior assimilatio non solùm inuenitur, quando excessus est secundùm ordinem Hierarchicum, sed etiam quando præcisè est in ratione specifica & essentiali.

Præclud.

Confirmatur.

Potestque hoc magis confirmari: tum conferendo hanc sententiam cum altera ipsius S. Doctoris circa distinctionem Hierarchiarum, & ordinem. Quia manet sub aliquo dubio, an discrimen inter Hierarchias, aut vnum, & alterum ordinem repertum in Angelis, accipiatur ex diuersitate in gradibus essentiæ, vel solùm ex diuersis ministerijs, & donis gratiæ. Et tamen est certum, maiorem, aut minorem vniuersalitatem specierum in Angelis proportionari maiori, vel menori perfectioni essentiæ. Tum etiam optimo testimonio Angelici Præceptoris quæst. de Anima artic. 7. in solutione ad 3. dicentis, in diuersis Angelis esse species intelligibiles diuersas, & quãtò vnusquisque est Deo propinquior, tãtò habere formas intelligibiles magis eleuatas, & vir-

Angelici Præcept.

& virtuoſiores ad plura cognoſcenda: & ex conſequenti prædictæ ſpecies erunt vniuerſaliores.

Caiet. *Ripa.* *Nazar.* *Zumel.* *Bañez.* *Nauar.* *Ledeſma.* *Ferrara.* *Arrubal.* *Suarez.*

Vnde aſſertionem hanc tuentur Caietanus in hoc articulo, Ripa, Nazarius, Zumel, & Bañez ibidem, Nauarrete tomo 3. Suarũ controuerſiarum controuerſia 52. Ledeſma de Perfectione Dei q. 4. art. 4. Ferrara 2. contra Gentes c. 98. ſaltem quoad hoc, quòd Angelus, quò ſuperior in Hierarchia, eò per pauciores ſpecies intelligit. Et cum eadem limitatione idem tenet Arrubal in præſenti diſput. 165. Et tandem aſſertionem hanc tuetur Suarez lib. 2. de Angelis c. 15. & 16. vbi plures alios refert.

§. II. *Ratio prior aſſertionis ex D. Thoma accepta.*

Prior ratio aſſertionis.

85 RAtio prior, & fundamentalis deſumitur ex D. Thoma in hoc articulo, quæ poteſt ſub hac forma proponi. Quoniam Deus per vnicam dumtaxat ſpeciem intelligibilem, eámque vniuerſaliſſimam cognoſcit omnia: ergo quiuis Angelus, quò perfectior fuerit, eò per vniuerſaliores ſpecies intelliget. Conſequentia patet. Quia quiuis Angelus, quò perfectior eſt, eò eſt ſimilior Deo in modo intelligendi, ac proinde cognoſcet per vniuerſaliores ſpecies. Quam rationem etiam adduxit D. Thomas in 2. diſt. 3. q. 2. art. 2. in fine corporis his verbis: *Scientia Dei eſt vniuerſaliſſima, quia vna ſimilitudine, quæ eſt ſua eſſentia, omnia cognoſcit: ac ſi aliquis per rationem communem entis, omnia cognoſcere poſſit: & quantò per pauciores formas intelligit, tantò ſcientia eius eſt vniuerſalior, & ſimilior diuinæ ſcientiæ: vt ſi aliquis cognoſcat omnia per intentionẽ decem generum, & aliquis non, niſi acciperet ſpecies primas generum, & ſic deſcendẽdo vſq; ad ſpecialiſſima, ſecundùm multiplicationem ſpecierum inueniretur particulatio earum.*

Occurrit Scotus.

86 Nec obeſt ſolutio Scoti loco infrà referendo (cui hęc ratio D. Thomæ non videtur firma) nempe, non eſſe neceſſarium hanc ſimilitudinem prouenientem ex maiori perfectione Angelica, & maiori acceſſu ad Deum eſſe in hoc, quòd Angelus ſuperior per ſpecies vniuerſaliores intelligat, ſed in hoc, quòd clariùs, & diſtinctiùs cognoſcat.

Vazquez

Quæ ſolutio etiam deſumitur ex Vazquez diſp. 203. c. 2. vbi etiam relata ſententia D. Thomæ, & diſcipulorum eius, inquit illam non conſtare ratione firma.

Impugnatur primo.

Nam cõtra hoc eſt, quòd ſi ex maiori acceſſu ad Deum colligitur maior ſimilitudo cum illo quoad claritatem cognitionis: non eſt cur hinc non colligatur maior etiam ſimilitudo in hoc, quod eſt, intelligere per vniuerſaliores ſpecies? quandoquidẽ ex hoc, quòd vna ſpecies ſit vniuerſalior alijs, atque adeò ex eo, quòd plures naturæ per illam repræſententur, non ſequitur, prædictam ſpeciẽ fore infinitæ perfectionis: ex eo quòd ad repræſentationem plurium naturarum, imò etiam infinitarum, contentarum tamen ſub aliquo genere finito, non requiritur infinita perfectio, ſed ſolùm illam ſpeciem eſſe ſuperioris ordinis: ſicut ad hoc, vt homo dicat tantam perfectionem, vt æquiualeat infinitis alijs ſpeciebus cõtentis ſub animali, ſatis eſt, quòd ſit ſuperioris ordinis. Conſtat autem, ex maiori acceſſu ad Deum optimè colligi maiorem ſimilitudinem in his perfectionibus, in quibus ſimilitudo cum Deo infinitatem non arguit.

Euaſio ad impugnationem.

87 Nec obſtat, ſi ad hanc impugnationem occurras, hanc perfectionem intelligendi cum maiori claritate eſſe participabilem, ſecùs illam intelligẽdi per vnicam ſpeciem. Et ita ex maiori acceſſu ad Deum colligi ſimilitudinem in claritate, non verò in hoc, quòd intelligat per ſpecies vniuerſaliores.

Exploditur

Nam contra hoc eſt, quòd adhuc dato, perfectionem illam intelligendi per vnã ſpeciem vniuerſaliſſimam eſſe imparticipabilẽ, ſicut ratio entis per eſſentiam, vt exprimit hunc conceptum, nequit ſub illo participari: nihilominùs licèt non poſſit participari eo modo, quo aliæ perfectiones, vt ſapientia, &c. per acceſſum ad prædictam perfectionẽ; attamen poterit quodammodò per receſſum ab oppoſito participari: ſicut ratio entis per eſſentiam, vt eſt ſub hoc conceptu, nõ eſt ſub conceptu illo participabilis priori modo, nẽ pe per acceſſum, benè tamen per receſſum ab oppoſito, nempe à nihilitate: & propterea, quò aliquod ens fuerit perfectius, eò magis recedit ab illa. Ergo pari ratione, licèt intelligere per vnam dumtaxat ſpeciem vniuerſaliſſimam non ſit per acceſſum participabile, poterit tamen, quò Angelus fuerit perfectior in intelligendo, eſſe magis ſimilis Deo per receſſum ab oppoſito, nempe, ab intelligendo per plures, & minùs viuerſales ſpecies,

Impugnatur ſecũdo præcipua ſolutio.

88 Secundò eadem præcipua ſolutio ad rationem D. Thomæ impugnatur ratione deſumpta ex eodem S. Doctore, tum in hoc articulo, tũ q. 8 de Veritate art. 10. Quoniam homo perſpicacioris ingenij per principia vniuerſaliora clariùs, & faciliùs intelligit plures concluſiones, quàm alius tardi ingenij, qui indiget pluribus, & magis particularibus principijs: ergo hoc ipſo, quòd Angelus vnus ſit perſpicacioris, & efficacioris intellectus, poterit, & debebit per principia vniuerſaliora, nempe per ſpecies magis vniuerſales, intelligere clariùs, diſtinctiùs, & perfectiùs, quam alius. Patet cõſequentia. Quoniam homo perſpicacis ingenij, ideò per

vniuer-

vniuerſaliora principia clariùs, & diſtinctiùs, ac perfectiùs cognoſcit, non verò per ſpecies vniuerſaliores, quia vterque eſt eiuſdem intellectus quoad ſpeciem atomam illius, & diuerſitas in ſpeciebus naturalibus, & naturaliter habitis arguit ſpecificam diſtinctionem in intellectionibus, & intellectibus, ſecùs intelligere vniuerſaliorib⁹ principijs: ergo cùm Angeli differant eſſentialiter, & ſe excedant in intellectibus exceſſu ſpecifico, conſequens eſt, vt quò clariùs, eò per ſpecies vniuerſaliores, & è conuerſo intelligant.

Confirm. 1. 89 Confirmatur primò. Quoniam Angelus ſimilior Deo in intelligẽdo cum maiori claritate, poteſt aſsimilari illi, non in qualicunque claritate, ſed in claritate ſpecie diſtincta, quia intellectus eorum ſpecie diſtinguuntur: hæc autem claritas ſpecie diſtincta nequit dari, niſi ſpecies ſint vniuerſaliores: ergo, &c. Minor conſtat. Quoniam non eſſet, vnde hæc claritas ſpecie diſtincta deſumeretur: ſiquidem non ex ſpeciebus, quas quilibet habet: nam iſtæ ſupponuntur eſſe eiuſdẽ rationis, quippe quæ repræſentarent omnes quidditates naturales, quę cuiuis Angelo ſunt naturaliter notæ, & ſpecies exiſtentes in vno Angelo, non eſſent vniuerſaliores, quàm aliæ exiſtentes in altero. Neque etiam ex luminibus intellectualibus: quia iſta proportionantur ſpeciebus, vtpotè quæ per modum puræ potentiæ comparantur cum illis, atque adeò ſunt iuxta naturam illarum.

Confirm. 2. Confirmatur ſecundò. Quoniam fœmina in *eſſe* naturali, quæ naturaliter non eſſet fœcundabilis, niſi per ſemen eiuſdem rationis cum ſemine, quo altera naturaliter fœcundaretur, & non alio, non poſſet habere diſtinctionem ſpecificam ab altera illa fœmina: at intellectus eſt fœmina quædam in ordine intelligibili: ergo ſi naturaliter non eſſet fœcundabilis per ſpecies diuerſæ rationis, quæ ſunt (vt ſic dicamus) quodammodò ſemina, ſiue virtutes obiectorum, ſignum eſſet, ibidem non reperiri diſtinctionem ſpecificã in ratione intellectus.

Effugium. 90 Nec refert, ſi ad hanc impugnationem, & eius primam cõfirmationem occurras, prædictas ſpecies poſſe diſtingui eſſentialiter: non quidem, quia vna ſit magis, aut minùs vniuerſalior altera, ſed quia maiori claritate repræſentat.

Præcluditur Nam contra hoc eſt, quòd primum, quod in ſpecie intelligibili inuenitur, eſt repræſentatio obiecti: ac proinde ſi vna ſpecies nõ habet ſuperioritatem in hoc quod eſt primum, repræſentando nimirum plura obiecta, neque etiam habebit ſuperioritatem in aliis, nempe in claritate. Vnde, licèt lumen gloriæ ſit in vno beato principium viſionis clarioris, quàm in alio, non ideò lumen illud diſtinguitur ſpecie, neque illa claritas eſt diſtincta ſpeciei eſſentialiter: quia non habet vniuerſalius obiectum primarium, ſed omnia lumina per ſe primò tendunt ad diuinam eſſentiam, prout eſt in ſe quidditatiuè cognoſcibilis.

Confirm. 1. 91 Confirmatur primò. Quoniam maior claritas diſtincta eſſentialiter, prouenit ex maiori efficacitate eſſentialiter etiam diſtincta: maior autẽ efficacitas ex maiori actualitate, ſimplicitate, & vnione virtutis: ergo ex maiori vniuerſalitate ſpeciei. Patet conſequentia. Quia maior vnio, & ſimplicitas, ac efficacitas iam dicta virtutis, quæ eſt in aliquo medio deſtinato ad cognoſcendũ, quale eſt ſpecies intelligibilis, oritur ex maiori vniuerſalitate: nam maior vniuerſalitas in illis habet hæc omnia. Et propterea quò principia ſunt vniuerſaliora, eò (quantum eſt de ſe) ſunt efficacioris virtutis, & maioris ſimplicitatis, &c. Quæ probatio deſumitur ex D. Thoma 2. Sententiarum diſt. 3. q. 2. art. 2. in ſolutione ad 3. his verbis: *Ad tertiũ dicendum, quod cognitio perfecta non habetur per medium vniuerſale, quia non eſt efficax ad cognitionem omnium propriorum. Si autẽ per medium vniuerſale omnia propria efficaciter cognoſcerentur, eſſet perfectiſſima cognitio: quia quantò aliquid eſt magis vnum, & ſimplex, tantò eſt virtuoſius, & nobilius. Et hoc modo dicimus, quòd Angeli ſuperiores ſufficienter per formas vniuerſales cognoſcunt res, ſicut Deus per eſſentiam ſuam perfectè cognoſcit omnia.* D. Thom.

Confirm. 2. Confirmatur ſecundò. Quoniam vniuerſaliter loquendo, in aliis virtutibus, artibus, & ſcientijs, quò perfectiores, & nobiliores ſunt, eò habent eſſe vniuerſaliores, & attingentes rationes vniuerſaliores, & deinde ad particularia, modo ſibi debito deſcẽdunt: & propterea artes, & ſcientiæ ſuperiores, & clariores claritate diſtincta ſecũdùm ſpeciẽ, habent pro obiecto formali rationes ſuperiores, ex quibus ad inferiora deſcendant. Ergo idem inuenietur in ſpeciebus: ac proinde hoc ipſo, quòd ſuperiori, & clariori modo, & ſpecificè diſtincto repræſentent, habebũt obiectum vniuerſalius, eruntque vniuerſaliores in repræſentando. Quæ probatio deſumpta eſt ex D. Thoma loco nuper citato in corpore articuli his verbis: *Reſpondeo dicẽdum, quòd ſecundùm Theologos, & philoſophos oportet ponere formas ſuperiorum Angelorum eſſe magis vniuerſales. Cuius ratio eſt. Quia in omnibus ſcientijs, & artibus, ſiue ſpeculatiuis, ſiue operatiuis oportet, quòd illa, quæ eſt altior, & ordinatiua aliarum, conſideret rationes magis vniuerſales: eò quòd principia ſunt parua quantitate, & maxima virtute, & ſimplicia ad plura ſe extendunt: verbi gratia ſub ciuili ſcientia eſt militaris, & ſub militari equeſtris, & ſic deinceps. Ciuilis autem ſub conſidera-* D. Thom.

sideratione boni humani absolutè. Militaris autem considerat hoc idem, secundùm quòd determinatur ad res bellicas, & sic deinceps. Et propter hoc inferior accipit principia sua à superiori, quæ est quasi propter quid demonstrãs. Et hoc etiam facilius patet in scientijs speculatiuis. Quia metaphysica, quæ est ordinatiua aliarum, considerat rationem entis absolutè, aliæ verò secundùm determinationem aliquam. Hoc autem sic est in Angelis, & secundùm omnes Philosophos, & secundùm nos. Quia superiores per suam scientiam ordinant actus, & officia inferiorum, illuminantes eos, & perficientes, & purgantes. Vnde oportet, quod scientia superiorum sit vniuersalior, & species vniuersaliores.

Occurres ad hanc impugnationẽ

92 Nec etiam obstat, si ad hanc secundam impugnationem simul cum suis confirmationibus occurras, esse disparem rationẽ. Nam aliæ virtutes, & potentiæ non sunt repræsentatiuæ suorum obiectorum, sicut species: at cum ista repræsentatione pugnat, hoc ipso quod sit creata, quòd repræsentet distinctè, & quoad propria earum plures naturas: alioqui in *esse* intelligibili esset vna, & simul haberet in eodem *esse* intelligibili plures naturas: & ita esset, & non esset vna. Quæ tamẽ ratio non procedit in alijs.

Contrà primò.

Nam contra hoc est, primò. Quòd licèt hoc, quod est continere intelligibiliter, aut repræsentare plures quidditates quoad propria earum, nequeat communicari substantiæ creatæ, benè tamen accidenti. Quoniam ea, quæ per se primò sunt instituta ad repræsentãdum, possunt optimè repræsentare alia à se quoad propria eorum: alioqui non satisfacerent muneri suo, nempe, essendi per se primò instituta ad repræsentandum alia. Et ita, sicut possunt cõtinere aliquid aliud à se quoad propria illius rei contentæ: ita, si habeant *esse* eminens, queãt plura quoad propria eorum repræsentare. Substantia autem, quia nõ est per se primò propter aliud repræsentandum, sed vt sit in se, & propter se: ideò non potest continere aliud à se intelligibiliter præcisè, quia ad hoc desiderabatur, vt esset per se primò instituta ad repræsentandum; sed sicut est instituta, vt in se, & propter se sit, ita solùm potest continere in *esse* intelligibili ea, quæ in *esse* entitatiuo continet, & quia illa sic continet. Constat autem, substantiam creatam ratione sui generis, & differentiæ coarctari, ne contineat alia, aut aliquid aliud à se quoad propria illius in *esse* entitatiuo. Circa quæ possunt videri, quæ suprà dubijs præcedentibus huius disputationis diximus.

Adde, quòd si species istæ essent desumptæ ex rebus, nequirent simul repræsentare plures naturas, vt statim in hoc dubio dicemus: at ratione suæ excellentiæ non sunt desumptæ ex rebus, sed immediatè exemplatæ à diuina essentia. Quare, sicut diuina essentia, vt est species, & exemplar rerum, repræsentat plures quidditates per repræsentationẽ vniuersalissimam: ita etiam species istæ immediatè exemplatæ & deriuatæ à diuina essentia, poterunt plures naturas repræsentare.

Confirmatur secũdo.

93 Deinde contra eandem solutionem obstat secundò, quòd vniuersaliter loquẽdo, vnio, siue maior vnitas, & simplicitas prouenit ab actu: ergo quò aliquis actus fuerit excellentior, & superior, eò magis erit vnitus, & perconsequens efficacior, & extendens se ad plura: ergo hoc ipso, quòd species sint actus superiores, habebũt virtutem magis vnitam, atque adeò efficaciorem, & se extendẽtem ad plura: quod est eas esse vniuersales in repræsentando. Antecedens probatur. Nam potentia ad multa se habens, determinatur ad vnum per actum. Hoc autẽ satis indicat, proprium esse actus vniuersaliter loquendo (vt sic dicamus) vnificare ea, quæ veluti dispersa sunt, ex eo quòd ad multa se habent: sicut est proprium, vniuersaliter loquendo, potentiæ explebilis per multos actus, etiamsi sit potentia in ordine intelligibili, ad multa se habere. Quod satis indicat, non esse contra rationem actus in ordine intelligibili correspondentis prædictæ potentiæ, quòd ab illo, si fuerit superior, proueniat maior vnitas, maiorque efficacia, ac proinde maior vniuersalitas, habens nexum cum viribus eiusdem actus magis vnitis.

D. Thom.

Quæ probatio desumpta est ex D. Thoma q. 8. de Veritate art. 10. in corpore his verbis: *Respondeo dicendum, quòd potentia, quæ ad multa se habet, determinatur ad vnũ per actum. Vnde forma, & actus inuenitur esse principium vnionis, sed potentia inuenitur esse principium multiplicationis, & diuisionis. Et quia efficacia rei in operando est ex hoc, quod est in actu: inde est, quòd omnis virtus, quanto est magis vnita, tanto est efficacior ad operandum. Et ideò quanto aliqua virtus est altior, tanto inuenitur ex paucioribus operari; quæ tamen ad plura se extendunt. Et hoc videmus communiter in operatiuis, & cognitiuis virtutibus. Ars enim architectonica, vt pote ædificialis, per vnam formam artis dirigitur in omnibus, quæ ad artem suam spectãt: in quibus tamen inferiores artifices, vt pote cæmentarij, & eæsores lignorum, & alij huiusmodi, per diuersa artificiata diriguntur. Similiter etiam in cognitiuis aliquis, qui est eleuationis intellectus, ex paucis principijs penes se retentis habet in promptu procedere ad varias conclusiones; ad quas peruenire non possunt, qui sunt hebetioris ingenij, nisi per varias inductiones, & per principia particulariter coaptata conclusionibus.*

Confirm. 2.

94 Confirmatur primò. Quoniam essentia

eſſentia diuina, quia eſt perfectiſsima in ratione actus, idcircò non eſt contra eius rationem repræſentare plura, acproinde eſſe vniuerſalem in repræſentando: ergo quò ſpecies perfectiores fuerint in ratione actus, poterũt habere magis de vniuerſalitate, atque adeò ſimul plures naturas repræſentare. Vnde videmus, quòd in artibus ſuperioribus, licèt creatis, idem exemplar eſt ratio plurium ſimul obiectorum, quando illa ars eſt ſuperior in ratione actualitatis, & exemplar ſimiliter eſt ſuperius: cùm tamen artes inferiores, & exemplaria earum reſpiciant minus vniuerſale obiectum. Quæ probatio etiam deſumitur ex D. Thoma loco proximè citato vbi ſic ait: *Cum in Deo ſit perfectiſsima virtus, & puritas actus, ipſe per vnum quod eſt eſſentia ſua, omnia operatur, & omnia cognoſcit efficaciſsimè. Ab ipſa autem effluũt rationes rerum intelligibilium in Angelis, vt ex dictis patet; non quidem ad cauſandum res, ſed ad cognoſcendum. Vnde quanto in Angelo fuerit plus de actu, & minùs de potentia, tanto emanatio huiuſmodi rationum, minùs in ipſo multiplicatur, & virtus eius cognitiua erit efficacior. Et ſecundũ hoc ſuperiores Angeli cognoſcunt res per formas magis vniuerſales, quàm inferiores.*

D. Thom:

Confirmatio 2.

Confirmatur ſecundò. Quoniam ſecundùm differentias intellectus, & intellecti, ſeu ſecundùm, quòd intellectus eſt actualior, & perfectior, & ſecundùm quòd ſpecies continens intelligibiliter obiectum eſt excellentior, attenditur maior ſimplicitas, minorque compoſitio inter intellectum, & rem intellectam, ſiue ſpeciem intelligibilem: ergo hoc ipſo, quòd ſpecies, & intellectus ſint actualiores, erit minor compoſitio inter illa, minorque diſtinctio: acproinde ibidem pauciores erunt ſpecies, vt ita minus diſtinctionis, & cõpoſitionis ibidem inueniatur. Ergo eo ipſo ſpecies erunt vniuerſaliores repræſentantes plures naturas, vt hoc modo paucioribus ſpeciebus informatus intellectus ſuperior poſsit extendi ad tot obiecta, ad quot alius intellectus cum pluribus ſpeciebus ſe extendit. Quã probationem adduxit D. Thomas in 2. diſt. 3. q. 2. art. 2. in corpore his verbis: *Oportet, quod ſcientia ſuperiorum ſit vniuerſalior, & ſpecies vniuerſaliores. Quod quomodo contingat, poteſt videri ex verbis Commen. in 11 Meta. Ipſe enim dicit, quòd ſecundum ordinem differentiæ inter intelligens, & intellectum, eſt etiam ordo multiplicationis intellectorũ: quia in intellectu ſuperiori, qui habet minùs depoſſibilitate, minor eſt compoſitio intelligentis, & intellecti. Et inde eſt etiam, quòd ſunt in eo pauciores formæ intelligibiles: quia quantò minùs habet de potentia lumen intellectuale, minùs diuiditur, & multiplicatur in eo: & ideo oportet, quòd iſtæ formæ ſint vniuerſaliores formis magis multiplicatis.*

D. Thom.

Nec refert id, quod in fauorem huius vltimæ ſolutionis adductum eſt, nempe, ſpeciẽ eſſe eiuſdem naturæ cum obiecto: & ita ſi repræſentauerit ſimul plura actu, & diſtinctè, erit eiuſdem ſpeciei, & naturæ cum omnibus illis. Nam ad hoc ſatis conſtabit ex his, quæ in hoc eodem dubio in 2. ſolutione ad 1. n. 129. dicemus.

95. Ex quibus etiam manet impugnata alia ſolutio, ſatis ſolutioni immediatè præcedenti affinis, per quam etiam præcipua ſolutio Scoti ad rationem D. Thomæ quodammodò fulcitur, nempe, quòd etſi in alijs rationibus nobilibus, & excellentibus poſsit participari proportionalis vniuerſalitas earum ab vniuerſalitate, quæ eſt in Deo, quoad rationes, in quibus cõtinentur, non tamẽ in ſpecie intelligibili creata. Quoniam eius vniuerſalitas deberet eſſe per modum ſimilitudinis cum pluribus naturis quoad propria earum, atque adeò diſsimilibus inter ſe. Conſtat autem, hoc inuoluere apertam repugnantiam. Nam ſicut quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe: ita quæ ſunt ſimilia vni tertio, debent eſſe inter ſe ſimilia. Et ideò eſſet, & non eſſent inter ſe ſimilia, & diſsimilia. Eſſent quidem diſsimilia, vt ſupponitur: ſiquidem haberent diuerſas naturas. Non autem eſſet: quia haberent cum illo tertio ſimilitudinem. Vnde maior perfectio ſpeciei non ex hac vniuerſalitate, ſed ex maiori claritate (vt vult Scotus) quà repræſentet, debet deſumi.

Alia ſolutio ad rationẽ D. Thomæ

Reſellitur primo

Ex dictis igitur hæc ſolutio manet impugnata, vt conſideranti patebit. Et deinde poteſt denuò impugnari. Tum ex eo, quod iam innuimus, nimirum, quòd ſi hæc ſolutio eneruaret rationem D. Thomæ, & impugnationes hucuſque factas, etiam ſuaderet, exemplaria diuina, & eſſentiam itidem diuinam non poſſe eſſe repræſentatiuam plurium naturarum: quod quidem, vt ex ſe conſtat, eſt abſurdum.

Secundo

Præterea. Quia quoties aliquid eſt excellens, & ob ſui excellẽtiam repræſentat plura ſuperexcedenti modo ad vnumquodque eorum, ita vt nullum eorum in particulari ſit adæquatè ſimile, aut quaſi ſimile illi, ſed ſolùm inadæquatè, non ſequitur, ſimilitudo, aut quaſi ſimilitudo inter extrema. Sicut etiam quando plura identificantur cum vno tertio, ita vt illud tertium non identificetur adæquatè cum vnoquoque ex duobus extremis in particulari, ſed ſolùm inadæquatè, tũc non ſequitur identitas extremorum inter ſe quoad ſuas particulares rationes. Quoniam in vtroque caſu tale tertium excedit aliquomodo vnumquodque ex extremis: & ideò ex eius idẽtitate, aut ſimilitudine cum extremis non ſequitur eadem identitas, aut ſimilitudo inter extrema. Quare, cùm ſpecies Angelicæ ſint valdè excellentes, & ob hanc excellentiam

tiam posſint repræſentare hoc modo ſuper excedenti, & excellenti quamlibet ex illis naturis diſsimilibus in particulari: fit inde, vt nõ ſequatur ex eo, quòd ſint ſimiles, aut quaſi ſimiles illi, quòd habeant ſimilitudinẽ interſe.

D. Thom. Quæ impugnatio deſumitur ex D. Thoma, tum in art. 3. huius q. in ſolutione ad 3. tum in q. 8. de Veritate art. 10. ad 3. vbi ſic habet: *Dicendum, quod id, quod vnum eſt, nõ poteſt eſſe propria ratio plurium, ſi ſit eis adæquatum: ſed ſi ſit ſuperexcedens, poteſt eſſe propria ratio plurium: quia continet in ſe vniformiter propria vniuscuiuſque, quæ in eis diuiſim inueniuntur. Et hoc modo eſſentia diuina eſt propria ratio rerum omnium: quia in ipſa vniformiter præexiſtit, quicquid diuiſim in omnibus creaturis inuenitur, vt Dionyſius dicit. Et ſimiliter cùm formæ intellectus Angelici ſint excellentiores rebus ipſis, vt potè diuinæ eſſentiæ propinquiores, non eſt inconueniens ſi vna forma intellectus Angelici ſit ratio propria plurium ſecundùm diuerſas eius habitudines ad diuerſas res, ex quibus habitudinibus conſurgit pluralitas idearum. Sed formæ intellectus noſtri accipiuntur ex rebus: vnde nõ ſunt ſuperexcedentes rebus, ſed quaſi adæquatæ quantum ad repræſentationem: licèt ſint excedentes quantum ad modum eſſendi, in quantum habent immateriale eſſe. Vnde forma intellectus noſtri non poteſt eſſe ratio propria plurium.*

Obiectio 96 Nec obſtat, ſi obijcias, quòd dum tribuimꝰ hoc ſpeciebus Angelicis ob excellentiam earum ſupra id, quod repræſentant, vel fit ſermo de excellentia in repræſentando ſupra alias ſpecies? vel de excellentia in eſſendo ſupra id, quod repræſentant? Non hoc poſterius: ſiquidem naturæ repræſentatæ poſſunt eſſe quid excellentius in eſſendo, quam ſpecies intelligibiles Angelicæ, cum iſtæ ſint accidentia, illæ verò poſsint eſſe ſubſtantiæ. Neque etiam illud priꝰ: quia ibi committeretur aperta petitio principij. Siquidem idem eſt dicere, vnam ſpeciem creatam poſſe repræſentare plures naturas, quia eſt excellens in repræſentando, ac aſſerere, repræſentare illas, quia eas repræſentant: ſiquidem hæc excellẽtia in repræſentando nihil eſt aliud, quam repræſentare prædictas naturas quoad propria earum.

Diluitur Reſpondetur cum Caietano, & alijs, quòd licèt ſpecies illa quoad modum eſſendi ſit eleuatior pluribus illis naturis repræſentatis: nihilominùs ſatis eſt excellentia illius in repræſentando ad hoc, vt poſsit repræſentare plures naturas quoad propria earum. Nec tunc fit, cõmitti petitionem principij, aut probari idem per idem. Nam ex excellentia, & perfectione ſpeciei abſolutè in repræſentando benè poteſt colligi vniuerſalitas illius, tanquam ex ratione à priori. Quoniam hoc ipſo, quod ſit ita excellens in repræſentando, eſt forma intellectus perfectioris, & maioris actualitatis, ac ſubinde magis vnitè, & per vniuerſalius medium debentis intelligere. Vnde perfectio ſpeciei in repræſentando eſt quid ſuperius ad vniuerſalitatem eiuſdem ſpeciei, & ad alias perfectiones, vt puta, ad maiorẽ claritatem &c. proportionatas tamen maiori, vel minori perfectioni intellectus, cuius eſt prædicta ſpecies. Et ita probando ex excellẽtia ſpeciei vniuerſalitatem illius, non probatur idem per idem.

§. III. *Obiectio contra dicta in elucidatione prioris rationis D. Thomæ & ſolutio illius.*

Obiectio contra rationem D. Thomæ 97 NEque obſtat, ſi contra dicta in elucidatione huius rationis D. Thomæ obijcias. Tum, quòd Anima Chriſti Domini eleuata eſt ad modum cognoſcendi clariorem, & perfectiorem per lumen ſupernaturale: & tamen non ob id eleuata eſt ad hoc, vt per ſpecies vniuerſaliores intelligeret: ergo ex hoc, quòd vnus intellectus Angelicus intelligat clariùs, quàm alius, non ſequitur, habiturum vniuerſaliores ſpecies. Tũ etiam, quòd vnus beatus clarius, & diſtinctius videt Deum, quàm alius: & ex conſequẽti reſpectu illius maiori claritate, & diſtinctione repræſentantur illi ex parte ſpeciei, tã Deus, quàm alia obiecta in ipſo viſa: cùm tamen non ob id habeat ſpeciem vniuerſaliorem, ſed omnes beati per eandem ſpeciem vident Deum. Tum denique. Quia etſi demus, exceſſum in actualitate, & perfectione repertum inter Angelos, poſſe eſſe rationem habendi vniuerſaliores ſpecies, non tamen quiuis exceſſus ad id eſt ſufficiens. Vnde reſtat probandum, exceſſum in perfectione ſpecifica, quem habet vnus Angelus reſpectu alterius, eſſe tantum, quantus requiritur ad prædictam vniuerſalitatem.

Roboratur primo. Poteſtque hæc vltima impugnatio confirmari ex eo, quòd animalia ſe excedunt in actualitate, & ſimiliter potentiæ ſenſitiuæ eorum: & tamen non ob id exceſſus iſte eſt tantus, vt pertingat ad hoc, vt per ſpecies vniuerſaliores animal perfectiùs cognoſcat ſua obiecta. Et ſimiliter licèt ratione actualitatis, & perfectionis multa animalia habeant plures ſenſus, quàm alia, non tamen ob id qui uis exceſſus in perfectione vnius animalis ſupra aliud ſufficit ad hoc, vt omnes illos ſenſus habeat. Ergo ſimiliter in præſenti. Et ita reſtabit reddere rationem, propter quam exceſſus, quem habet vnus Angelus ſupra aliũ in perfectione ſpecifica, ſit tantus, quantus requiritur, vt per vniuerſaliores ſpecies intelligat.

Poſſunt-

Secundo

Poſſuntque hæc omnia confirmari ex eo, quòd ſi exceſſus in perfectione ſpecierum, & actualitate earum inducit maiorem vniuerſalitatem in linea ſpeciei, ſimiliter exceſſus in intellectibus inducet etiam maiorem vniuerſalitatem, acproinde maiorem extenſionem ad maius, & vniuerſalius obiectum naturale. Quod tamen eſt contra communem Philoſophorum,& Theologorum ſententiam.

Occurritur obiectioni quoad primam probationem Caietanus

98 Reſpondetur enim ad primam impugnationem cum Caietano 3.p.q.11.art.6. quòd ſpecies datæ ſunt animæ Chriſti iuxta modum recipientis.& ideò non ſunt ita formales,ſicut ſpecies Angeli. Quoniam anima Chriſti ex natura ſua non habet modum ita eleuatum in *eſſe* intelligibili,ſicut habent Angeli:illa enim eſt pura potentia, Angeli verò habent aliquid de actu.Et licèt in ſcientia illa infuſa anima Chriſti eleuetur ad modum excellentiorem,& ſupernaturalem cognoſcẽdi Deum quantum ad iudicium, quantum ad apprehenſionem tamen, & aliqua alia illa ſcientia proportionatur ſubiecto, & ita ſpecies non ſunt ita vniuerſales.Si tamen animę Chriſti Domini infuſę ſunt ſpecies ſupernaturales (de quo alibi) non eſt inconueniens concedere, eas eſſe vniuerſaliores ſpeciebus naturalibus Angelorum.

Ad ſecũdã probationẽ prior ſolut.

Ad ſecundam reſpondetur primò, eſſe diſparem rationem. Quia viſiones beatorũ, quorum vnus clarius alio videt Deum, ſunt eiuſdem ſpeciei eſſentialis,& ſolùm diſtinctę ſecundùm intenſionem,& claritatem accidẽtalem,& ideò non eſt neceſſè,vt fiant per ſpeciem vniuerſaliorem,ſecùs tamen intellectiones Angelorum,& claritates eorum,quę poſſunt ſpecificè diſtingui.

Poſteriore nodatio.

Reſpondetur ſecundò,eandem eſſentiam diuinam in ſe vniuerſaliſſimam vniri, vt minùs vniuerſalem cum intellectu minùs beati, minuſque videntis Deum.E contrà verò, cũ intellectu magis beati vniri vt vniuerſaliorem, licèt prædicta ſpecies ſit vna & eadem. Vnde hinc maior confirmatio rationis D. Thomæ,& impugnatio ſolutionum aduerſariorum deducitur. Nam ſi vnus beatus, videns clariùs Deum,habet ſibi vnitam eſſentiam diuinam,quatenus eſt ſpecies magis vniuerſalis,conſonum erit, vt intellectus ſpecie diſtincti,& clariùs intelligentes, intelligant per ſpecies magis vniuerſales.

Ad tertiam

99 Ad tertiam impugnationem reſpondetur,ſatis facilem poſſe reddi rationẽ, propter quam quiuis Angelus ſpecie ab alio diſtinctus habeat tantum exceſſum perfectionis, quantus requiritur ad hoc, vt intelligat per vniuerſaliores ſpecies.Nam ſicut intellectus humanus propter exceſſum perfectionis ſupra alias potentias cognoſcitiuas, poteſt attingere ſua obiecta per ſpecies magis vniuerſales,repræſentantes naturã vniuerſaliter ſumptã,& ſine ſuis ſingularibus, aut inferioribus, ſeu abſtrahentẽ ab eiſtita etiam propter exceſſum,quem Angelus v.g.infimus habet ſupra intellectum humanum, poterit intelligere per ſpecies repræſentantes naturam aliquam vniuerſalem, vt animal: & non vt cumque,ideſt abſtractam ab inferioribus,ſed repræſentando ſimul omnia,vel plura ex ſuis inferioribus exiſtentibus in vniuerſo, ita vt iſtæ ſpecies ſint magis vniuerſales in repræſentando, quàm ſpecies intellectus humani.

Reijcitur quorũdam dictum.

100 Vnde non ita bene Iuniores aliqui aſſerunt,quòd ad ſaluãdum exceſſum infimi Angeli ſupra intellectum humanum ſatis eſt, quod habeat ſpeciem repræſentatiuam alicuius naturæ atomæ, & ad omnia ſingularia illius ſe extendentem:quia intellectus humanus ſolùm habet ſpeciem repræſentatiuam illius naturæ. Non igitur hoc ita bene aſſeritur.Nam in primis oppoſitum huius videtur docere D. Thomas in hoc articulo in ſolutione ad 2.& ad 3. vbi comparat ſpeciem vniuerſalem repertã in quouis Angelo cum illo in hoc, quòd eſt propterſuam excellentiam eſſe proportionatam rationem,& ſimilitudinem diuerſorum:& ſufficere ad hoc, vt per eam multa cognoſcantur propria cognitione. Quæ quidem omnia dici non potuerunt, niſi comparando vniuerſalitatem ſpecierum cum diuerſis naturis,& quidditatibus obiectorum: nam ad hanc ſolùm requiritur excellentia illa, & actualitas magna, de qua ibi D.Thomas. *D. Thom.*

Quod adhuc clarius docuit idem S. Doctor in 2.contra Gentes c.98. ratione 2. vbi comparans intellectum noſtrum cum omnibus intellectibus ſubſtantiarum ſeparatarum ita inquit: *Intellectus autem noſter, quia infimum gradum tenet in ſubſtantijs intellectualibus,adeò particulatas ſimilitudines requirit, quòd vnicuique cognoſcibili proprio oportet reſpondere propriam ſimilitudinem in ipſo. Vnde per ſimilitudinem animalis non cognoſcit rationale: & perconſequens nec hominem,niſi ſecundùm quid.Similitudo autem intelligibilis,quæ eſt in ſubſtantia ſeparata, eſt vniuerſalioris virtutis ad plura repræſentanda ſufficiens: & ideò non facit imperfectiorem cognitionem,ſed perfectiorem: eſt enim vniuerſalis virtute, ad modum formæ agentis in cauſa vniuerſali:quæ quantò fuerit vniuerſalior, tantò ad plura ſe extendit, & efficacius producit. Per ſimilitudinem igitur vnam cognoſcit,& animal,& differentias animalis, aut etiam vniuerſaliori modo, & contractiori ſecundùm ordinem ſubſtantiarum prædictarum.* Hæc ibi S.Doctor. Quibus apertè ſignificat, ſolam humanæ mentis ſpeciem intelligibilem vnius eſſe tantùm quidditatis repræſentatiuam, *D. Thom.*

uam, eò quòd infimum inter ſubſtantias intellectuales fuerit ſortita gradum: quamlibet autem ſubſtantiæ ſeparatæ ſpeciem intelligibilem plures ex ſui ratione ſpecies, ſiue naturas ſpecificas ſub aliquo genere comprehenſas repræſentare. Idem etiam ſatis colligitur ex diſcurſu eiuſdem S. Doctoris de Veritate q. 8. art. 10. ad 3.

Illuſtrantur omnia ſupradicta.

101 Poteſtque hoc ipſum ratione ex eodem S. Doctore petita elucidari, nempe, quia rationes differentiales contentæ ſub ſpecie atoma alicuius naturæ, tantum addunt aliquid materiale determinans illud formale quòd ex parte naturæ affertur. Et ideò adhoc vt repreſentetur ratio iſta materialis, ſatis eſt, prædictam ſpeciem intelligibilem determinari in genere cauſæ materialis per phantaſmata: ac proinde plura indiuidua repræſentata per eandem ſpeciem intelligibilem non adæquant vim eius repræſentatiuam, quando talis ſpecies eſt ſuperior, & ſuperioris intellectus in gradu immaterialitatis, vt in Angelis contingit. Quia ſicut hæc dicit perfectionem intenſiuam valdè ſuperantem quoad rationẽ ſpecificam, & ordinem ſpeciem intelligibilẽ intellectus humani, non ſplendebit adæquatè hic exceſſus in repræſentatione præcisè alicuius rationis materialis, ſed in maiori repræſentatione plurium naturarum dicentiũ perfectionem intenſiuam, & formalem. Et propterea Angelicus Præceptor comparat vniuerſalitatem cuiuſuis ſpeciei intelligibilis Angelicæ vniuerſali virtuti exiſtenti per modum formæ in cauſa vniuerſali, quæ quantò fuerit vniuerſalior, tantò ad plura ſe extendit, & efficaciùs producit. Conſtat autẽ, formam agentis vniuerſalis, maximè ſi ſit ſatis eminens, ad plures effectus ſecundùm ſpeciẽ ſe extendere.

Diluitur cõfirmatio prima.

102 Ad confirmationem huius vltimæ impugnationis quoad primum, quod in ea continetur de ſubſtantijs ſenſitiuis, reſpondetur, eſſe diſparem rationem. Quia vniuerſalitas repugnat cuilibet ſpeciei ſenſitiuæ, quæ non eſt infuſa, ſed ab ipſa re ſenſibili accipitur: & ideò per ſe, & eſſentialiter eſt ſimilitudo rei ſingularis: quamuis ſenſus cõmunis, & phantaſia modum quendam habeant vniuerſalitatis, plura quandoque ſenſibilia ſimul, vt partes vnius integri ſenſibilis, intuendo.

Ad eandem verò confirmationem quoad id, quod ſecundo loco in ea continetur, patet ex dictis rationis diſparitas. Quibus etiam addi poteſt alia, quam adducit Nazarius art. 3. huius q. controuerſia 2. inſolut. ad 1. Molinæ contra 5. concluſionem. Quia virtutes animalium ſenſitiuæ datæ ſunt illis à natura, vt medijs actibus vitæ earum ſibi neceſſaria comparent, concurrentibus etiam cæteris ad id requiſitis, & illis ſubordinatis. Et quoniam eadem eſt aliorum omnium irrationalium perfectorum neceſsitas, ideò date ſunt omnibus potentiæ ſenſitiuæ eiuſdem rationis, & numeri. Et quoniam animal rationale, quod eſt homo, ad vitæ ſuæ regimen, quod oportet eſſe naturæ ſuæ conforme, altioribus eget potentijs, quæ ſunt intellectus, & voluntas: idcircò præter ſenſus accipit homo duas has virtutes omnium nobiliſsimas. At verò ſpecies intelligibiles ad cognitionẽ ordinãtur, non tamen ad vitam Angelorum naturalem per earum actus conſeruandã. Et ideò iuxta naturã gradus debuit eſſe maior, aut minor ſpecierum nobilitas, quam, ſuprà diximus, ſecundùm quidditatum plurium, aut pauciorum repræſentationem eſſe conſiderandam.

Nazarii.

Ad ſecundã cõfirmationem.

Ad confirmationem verò vltimam dicendum eſt, eſſe diſparem rationem. Quia intellectus ex ſe eſt potentia intellectiua: & ideò ex ſe debet habere vniuerſaliſsimũ obiectum, maxime ſi ſit in vltimo immaterialitatis gradu intellectibus creatis competenti. Et ideò nequit vnus intellectus Angelicus habere vniuerſalius obiectum, quàm alius: ſecùs verò ſpecies intelligibiles, quæ hoc ipſo quòd ſint determinationes huius potentiæ, poſſunt quędam earum habere obiectum vniuerſalius, quàm aliæ.

§. IIII. *Poſterior ratio aſſertionis ex Angelico Præceptore deſumpta.*

Secundum aſſertionis fundamẽtũ.

103 SEcunda, & principalis ratio aſſertionis deſumitur ex D. Thoma 2. contra Gentes c. 98. & q. 8. de Veritate art. 10. & in 2. diſt. 3. q. 2. art. 1. & 2. quæ ad hanc formã poteſt reduci. Quoniam ex eo, quòd Deus eſt purus actus in omni genere, & ſupremus in natura intellectuali, idcircò intelligit omnia per ſuam eſſentiã: anima verò rationalis, quoniam eſt infima in natura intellectuali, vtpotè pura potentia in genere intelligibili, per tot ſpecies intelligit, quot ſunt formæ rerum naturalium. Ergo Angeli habentes rationem medij inter hæc duo extrema, quò ſuperiores ſunt in natura intellectuali, & habent magis de actualitate, & minùs de potentia, tantò per pauciores, & vniuerſaliores ſpecies intelligunt, & magis recedunt à multiplicatione, & diuiſibilitate animæ.

Effugium.

104 Nec obeſt, ſi occurras, quòd etſi Angelus habeat rationẽ medij inter hæc duo extrema, nihilominùs, qua ratione medium eſt, non petit intelligere per ſpecies vniuerſaliores, ita vt quò Angelus ſit ſecundùm gradum ſpecificum perfectior, eò per vniuerſaliores ſpecies cognoſcat. Quoniam ad hanc rationem medij ſolùm deſideratur, quòd ſi-

cut

cut Deus est purus actus in ordine intelligibili; & intellectus humanus est pura potentia in hoc ordine: sic intellectus Angelicus, qui est medium, sit partim in actu, & partim in potẽtia, idest, quòd sit in actu quoad actum primum, habens ab instanti suæ conditionis ea, quæ ad illum desiderantur, licèt sit in potentia quoad actus secundos, qui præcisè rationem talium habent.

Præclud. Nam contra hoc est, quòd extrema, inter quæ Angelus est medium, per se petunt, quatenus extrema, quòd vnum eorum, nempe Deus, intelligat per vnam dumtaxat speciem, eamque vniuersalissimam, & aliud, nempe intellectus humanus, cognoscat per tot species, quot sunt formæ rerum naturalium. Ergo Angelus, quatenus medium inter illa, exiget, vt non intelligat omnia per vnam dumtaxat speciem, sicut primum extremum; nec per species ita particulares, sicut aliud extremum: ac proinde nec per species, quarum quælibet tantùm repræsentet vnam naturam specificam inferiorem, sed per species magis vniuersales, plures naturas repræsentantes: & ex consequenti, quò Angeli magis recesserint ab hoc extremo, & à limitatione suarum specierum, eò per vniuersaliores species intelligẽt. Antecedens quoad primam partem de primo extremo, scilicet Deo, satis cõstat. Quoniam constituit primum extremum, quia est actus purus in ordine intellectuali, & intelligibili: hic autẽm petit, vt per vnicam dumtaxat speciem, eamque vniuersalissimam omnia intelligat.

Et deinde idem antecedens quoad secundam partem, seu quoad alterum extremum probatur. Nam prædictum extremum, quia vltimum extremum est, petit intelligere per species acceptas à rebus medijs sensibus: prædictæ autem species, hoc ipso quòd sic sint acceptæ, nequeunt repræsentare distinctè, & quoad propria earum plures naturas, vt ex Diuo Thoma quæst. de Veritate articul. 10. ad 3. nuper dicebamus. Et ratio id suadet. Quia in speciebus, quæ accipiuntur à rebus, determinatio, vt producatur species talis obiecti, potiùs quàm alterius, prouenit ab ipso obiecto, siue obiectum habeat aliquam efficientiam in ipsam speciem, siue non: ergo necesse est, vt pro diuersitate obiectorum producantur diuersæ species intelligibiles: atque adeò nequit effici vna aliqua species, quę simul repręsentet distinctas naturas specificas. Patet consequentia. Quia diuersitas effectuum respondet diuersitati causarum particularium determinantium concursum causæ indeterminatæ.

D. Thom.

Ampliusim pugnatur 105 Deinde contra eandem solutionem obstat, quòd hoc ipso, quòd Angelicus intellectus sit medium inter hæc duo extrema, quatenus est partim in actu, & partim in potentia, atque adeò superat in illa maiori actualitate intellectum humanum, & magis recedendo ab illo, acceditur ad Deum: oportet, vt habeat vim ad intelligendum specie distinctam, efficaciorem, & magis vnitam: & perconsequens, quòd possit intelligere per medium magis vnitum, & vniuersale, quàm intellectus humanus, scilicet per vniuersaliorem speciem: atque adeò (vt suprà dicebamus) per speciem superantem in vniuersalitate, & actualitate species intellectus humani, ex quibus quælibet ad vnicam dumtaxat naturam repræsentandam terminatur, non verò ad plures per distinctam, seu claram repræsentationem, & quoad propria earum.

Confirmatur Confirmatur tandem. Quoniam vnumquodque iuxta modum essendi debet habere modum operandi, & virtutes, ac rationes formales operandi: at intellectus humanus, quia est infimus in ordine intellectuali quoad *esse*, ac proinde minùs recedit à rebus sensibilibus in suo *esse*, habetque illud veluti affine ipsis: idcircò accipit species à sensibilibus, & eo ipso commensuratas illis, & modo operandi earundem rerum sensibilium: ergo Angelus, qui, quatenus est medium inter intellectum humanum, & diuinum, debet secundùm suum *esse* eleuari supra intellectum humanum, ita vt sit omninò abstractus à sensibilibus, & non habeat *esse* veluti affine illi, debebit quoad species esse eleuatus supra sensibilia: ita vt nullo modo accipiat eas ab eisdem, nec modo illo limitato & coarctato, quo sensibilia illas imprimunt, habeat species earundem rerum sensibilium: ac proinde debebunt illæ species esse viuersales in repræsentando naturas inferiores, vt ita superent species intellectus humani, & non accipiat illas, nec ei imprimantur eo limitato modo, quo intellectus humanus illas accipit, eique à sensibilibus imprimuntur.

§. V. *Adducitur contraria sententia, & primum eius fundamentum, duplexq; illius solutio refertur, & refellitur.*

Sententia contraria 106 OPpositam tamen sententiam, scilicet, Angelos non intelligere per species vniuersaliores, eo ipso quòd sunt species distincti, tuentur Scotus in 2. dist. 3. quæst. 10. *Scotus* Aureolus apud Capreolum q. 2. artic. 2. in argumentis 2. & 3. contra 7. conclusionem, *Aureoli* Rada 2. p. controuersiarum controuersia 9. *Rada* Vazquez disput. 203. capit. 2. qui quamuis absolutè species neget; tamen ex *Vazquez* hypothesi

hypotheſi illis poſitis, dicit, non poſſe cum fundamento, imò nec cum probabili coniectura affirmari, perfectiores Angelos per vniuerſaliores ſpecies intelligere. Molina ad hunc articulum §. *opinio D. Thomæ meo iudicio certa non eſt*, Arrubal diſput. 165. c. 2. & alij.

Molina.

Arrubal.

Primũ fundamentum

Probatur primò. Quoniam non poteſt dari aliqua natura finita ſpecifica ex illis, quæ per talem ſpeciem repræſentarentur, cõtinens perfectè, ſiue formaliter, ſiue virtualiter alias naturas ſpecificas ab ipſa diſtinctas: ergo neque ſpecies intelligibilis repræſentans perfectè plures ſpecificas naturas. Antecedens patet. Quia omnes illæ naturæ eſſent creatæ: & quæcũque natura creata habet ex propria limitatione non poſſe perfectè continere aliam naturam à ſe diſtinctam: imò hæc eſt ratio, quam Diuus Thomas artic. 1. huius quæſt. adducit, vt probet, non poſſe Angelum per ſuam eſſentiam tanquam per ſpeciem cognoſcere omnia quoad proprias earum rationes. Et conſequentia probatur. Tum, quia eſſentia diuina ideò eſt intellectui Dei ratio cognoſcendi omnia per modum ſpeciei repræſentantis ea, quæ habent vnum obiectum primarium, in quo cuncta continentur, ſcilicet eadem eſſentia diuina. Tum etiam. Quia ad vnitatem rationis cognoſcendi habentis ſe ad modum habitus deſideratur ſaltem hæc vnitas ex parte obiecti materialis. Tum deinde. Quia omnis ſpecies creata reſpicit obiectũ, tamquam ſui menſuram, ab eoque ſuam vnitatem deſumit: ergo neceſſe eſt, quòd obiectum ſit vnum, ad hoc vt ipſa vnitatem habeat: at obiectum in præſenti nequit eſſe ſimpliciter vnum, cùm ſupponamus eſſe plures quiddidates ſpecificas: ergo debet eſſe vnum vnitate attributionis ad vnum primarium obiectum in quo reliqua minùs præcipua contineantur. Tum denique. Nam ſpecies repræſentans naturam aliquam, eſt idem cum ipſa natura in *eſſe* intelligibili: & ita debet eſſe eadem ratio vtriuſque.

D. Thom.

Solutio P. Vazquez.

107 Ad hoc argumentum reſpondet Vazquez diſputat. 202. cap. 2. n. 7. & 8. vbi primò contra Caietanum dicit, ad vnitatem ſpeciei repræſentantis plura obiecta nõ requiri conuenientiam eorum in vna ratione formali vniuoca. Et deinde addit, requiri vnum obiectum, quod ſit præcipuum inter reliqua, & contineat ea. Et ad formam argumenti videtur negare antecedens. Et ad probationem dicit, non debere in hoc obiecto præcipuo contineri reliqua perfectè, ſed ſolùm ſecundùm aliquam attributionem ad ipſum.

Reijcitur.

Sed hæc ſolutio in hoc caſu facilè impugnari poteſt. Quia inter plures naturas ſpecificas contentas ſub eodem genere nulla poteſt aſſignari ratio, cur vna, potiùs quàm alia, vel reliquæ, ſit obiectum primarium & præcipuum, ad quod reliquæ habeant attributionem: maximè ſi attendatur ad ea, quæ in duabus huius argumenti ſolutionibus ex Capreolo, & Caietano deſumptis adducemus.

Reſpõſio Iuniorꝭ.

108 Secundò occurrit huic argumento Iunior quidam Doctiſsimus huius Salmantinæ Academiæ, communi omnium applauſu Primariam Theologiæ Cathedram quondam regens, qui poſtquam impugnauit ſolutionem ex Capreolo ſtatim adducendam, ſcilicet ſpecies has, quippe non acceptas à rebus, non menſurari per eas, & ſententiam Caietani petentis ex parte obiecti ſpecierum vnitatem formalem in ratione formali *quæ*, licèt non formalem realem, ideſt vnitatem per modum cuiuſdam naturæ ſingularis, aliter reſpondent, nempe, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Et ad primam probationem, non valere argumentum quoad hoc ab eſſentia diuina ad ſpeciem, de qua loquimur. Et ratio diſparitatis eſt. Quia eſſentia diuina non ideò continet eminenter omnia alia à ſe, quia nequeat aliter repræſentare diſtincta obiecta, ſed quia habet ſpecialem modum repræſentandi, nimirum vt res cognita: & inſuper, quia infinitatem ſibi vendicat, nec ex ſua natura ordinatur ad repræſentandum illa obiecta. At verò ſpecies, de qua fit ſermo, repræſentat diſtincta obiecta, vt ratio cognoſcendi, non verò vt cognita, & ordinatur ad hoc ex natura ſua.

Ad ſecundam verò probationem inquit, negandum eſſe antecedens. Quia ſat eſt alius modus vnitatis: ſicut etiam idem ſufficit in obiectis potentiarum, vt dicetur in ſolutione ad tertiam probationem, ad quam diſtinguendum eſt antecedens, & primum conſequens: & ſi intelligatur de obiecto in genere rei præcisè, negari debet: ſecùs verò, ſi de eodem in genere obiecti. Ac proinde eodem modo diſtinguenda eſt minor ſtatim ſubſumpta. Quia etſi ex multiplicatione harum naturarum ſpecie diſtinctarum ſequatur, eas non eſſe vnum in genere rei, nec poſſe talem vnitatem habere, niſi omnes illæ in aliqua vna natura ex illis, vel formaliter, vel eminenter continerentur: attamen ſat eſt, quòd ſint vnum vnitate ſpeciei ſpecialiſsimæ in genere obiecti, ad hoc vt ſimpliciter habeant eam vnitatem, quæ deſideratur ad ſpeciem intelligibilem menſurandam, & ſpecificandam.

109 Si autem inquiſieris, in quonam hæc vnitas atoma in genere obiecti conſiſtat, & vnde proueniat? Reſpondetur, eam oriri ex ratione formali *ſub qua*, & ex ratione

formali

formali *quæ*; & in coniuncto, quod ex vtraque ratione coalescit, adæquatè consistere. Ratio verò formalis *sub qua* nihil est aliud, quàm quædam accómodatio, & aptitudo ipsarum quidditatum, vt simul repræsententur per eandem speciem, quæ solet appellari repræsentabilitas: sicut ratio *sub qua* obiecti scientiæ appellatur scibilitas. Ita tamen, vt quia species non fiunt à natura propter se ipsas, sed ad complementum potentiæ cognoscitiuæ: ideò nec hęc accommodatio, vel repræsentabilitas obiectorum sit explicanda in ordine ad aliquod obiectum absolutè, sed vt deseruit tali potentię cognoscitiuæ: nec ipsa obiecta sunt dicenda repræsentabilia per vnam speciem absolutè, sed in ordine ad certam aliquam naturam cognoscitiuam: vt ita possit contingere, aliqua obiecta esse repræsentabilia per eandem speciem respectu vnius naturæ, & non respectu alterius. At ratio formalis *quæ* nihil est aliud, quàm prædictæ quidditates repræsentatæ, secundũ quòd tamquam subiectum, & materia substant rationi formali *sub qua*, vt constitutiuæ earundem in *esse* vnius & eiusdem obiecti, dantique illis atomam speciem (vt sic dicamus) obiectiuam.

Et non obstat, quidditates, quibus conuenit hæc ratio formalis, esse plures secundùm speciem, vt ipsa non sit vna vnitate speciei specialissimę, & quidditates ipsę, prout eidem subsunt, eaque informãtur, eandem retineant vnitatem. Quia cùm hæc ratio non conueniat pluribus naturis specificis secundùm se, & absolutè sed vt comparãtur ad talem potentiam cognoscitiuam, satis est, eas conuenire in comparatione ad potentiam, vt possint infundere hanc rationem *sub qua* omninò infimam, & specialissimam, talisque ratio eisdem queat omninò formaliter, & completè prædictam vnitatem tribuere, sicut patet in exemplis potentiarum intellectualium, & appetitiuarum.

Et tandem ad vltimam probationem posset responderi iuxta doctrinam huius Doctoris, quod licèt species intelligibilis sit quodammodò vnum in *esse* intelligibili cum naturis repræsentatis, quatenus per hoc significatur, quòd illas repræsentat: nihilominùs quia prædictæ naturę comparantur per modum vnius in *esse* obiecti, licèt non in *esse* rei respectu illius, idcircò possunt tribuere ei vnitatem; quamuis ipsæ in *esse* rei sint, & permaneant plures.

Impugnatur hæc solutio in eo, in quo displicet

110 Cæterùm hæc solutio non displicet omninò in eo, quod astruit, secùs tamen in eo, quod negare videtur, ideſt, licèt sit probabile id, quod in ea asseritur, nempe, species intelligibiles mensurari ab obiecto, & non requirere necessariò vnitatem formalẽ in ratione formali *quæ*, sed solùm in ratione formali *sub qua* explicata, & in genere obiecti: nihilominùs non ob id debet negari, esse valdè probabile, tum, has species Angelicas non mensurari à suis obiectis, nec ab illis accipere suam vnitatem, tum etiam, quòd si ab obiecto mensurantur, prærequirunt, quòd ratio formalis *quæ*, per se primò inspecta sit ex parte sua, & secundùm se vna vnitate formali; & quòd hac ablata debet etiam auferri vnitas rationis formalis *sub qua* in genere obiecti, sicut ablato fundamento, aufertur id, quod in eo fundatur. Quæ omnia satis constabunt ex his, quæ in defensionem, tam solutionis Capreoli, quàm Caietani in sequentibus §§. latiùs dicemus.

§. VI. *Alia solutio ex mente D. Thomæ.*

111 QVare aliter occurendum est huic argumento: & pro eius vberiori enodatione triplex illi responsum præbebimus. Primum quidem in hoc §. alia verò duo in alijs duobus. Quia prædictum argumentum est, quod potissimè vrget contra sententiam Sancti Doctoris: & eo ex omnibus capitibus, ex quibus dissolui potest, enodato, maximè elucebit veritas, & subtilitas sententiæ Angelici Præceptoris.

Prior & vera solutio. *D. Thom. Capreol. Soncinas*

Responsetur ergo primò ex D. Thoma loco statim referendo, & cum Capreolo in 2. dist. 3. quæst. 2. art. 3. in solutione ad 1. Scoti contra primam conclusionem, nec non Soncinate 12. Metaphy. quæst. 60. concedendo, non esse in rebus aliquam vnam naturam, adhuc formaliter in *esse* rei vnam, quæ sit obiectum primarium repræsentatum *vt quod* per illam speciem: nec esse aliquam rationem *sub qua* in genere obiecti ex parte naturarum se tenentem, & ab eisdem primordialiter ortam: inde tamen non fit talem speciem non esse vnam in specie atoma. Quia licèt in speciebus acceptis à rebus requiratur vnitas, ex parte naturæ repræsentata se tenens, & ab illa primordialiter originata, non tamen in speciebus eleuatioribus, & quæ non sunt acceptæ à rebus. Nam in istis naturæ repræsentatæ secundùm id, quod se tenet ex parte illarum, possunt, & debent esse plures. At esse vnitas, solùm conuenit eis, vt habent modum essendi eleuatiorem in prædicta specie: & ita per refusionem speciei in ipsas, vt quodammodò terminant repræsentationem illius, possunt dici vnica natura, non quidem in *esse* rei (sic enim semper manent plures) sed in *esse* intelligibili.

Illustratur testimonijs D. Thom.

112 Quod quidem non obscure videtur docuisse D. Thomas, tum in hoc articulo in solutione ad 2. vbi sic inquit: *Cognoscere aliquid in vniuersali, dicitur dupliciter. Vno modo, ex parte rei cognitæ, vt scilicet cognoscatur solùm vniuersalis natura rei: & sic cognoscere aliquid in vniuersali est imperfectiùs, &c. Alio modo, ex parte medij cognoscendi: & sic perfectius est cognoscere aliquid in vniuersali.* In quibus verbis satis apertè docet D. Thomas, quòd vniuersalitas speciei intelligibilis non sumitur ex aliquo obiecto cognito, vel ex aliqua ratione vniuersali, quæ se teneat ex parte obiecti (maximè, quia difficile est explicare, quomodo omnes istæ rationes contineant distinctè, & quoad propria rationes inferiores, & non solùm in confuso) sed quòd talis vniuersalitas sumitur ex parte medij: hoc autem medium nihil est aliud, quàm ipsa repræsentatio speciei, quatenus species descendit à Deo, & inde habet vniuersalitatem, & vnitatem, eamque rebus ipsis, quæ sunt ad extrà, communicat, quatenus suo modo terminant, aut quasi terminant repræsentationem vniuersalem speciei.

Tum etiam in 2. distinct. 3. quæst. 2. artic. 2. ad 1. vbi sic habet. *Dicendum, quòd est triplex vniuersale: quoddam, quod est in re, scilicet natura ipsa, quæ est in particularibus: quamuis in eis non sit secundùm rationem vniuersalitatis in actu. Est etiam quoddam vniuersale, quod est à re acceptum per abstractionem: & hoc posterius est re. Et hoc modo formæ Angelorum non sunt vniuersales. Est etiam quoddam vniuersale ad rem, quod est prius re ipsa, sicut forma domus in mente ædificatoris: & per hunc modum sunt vniuersales formæ rerum in mente Angelica existentes, non ita, quòd sint operatiuæ, sed quia sunt operatiuis similes, sicut aliquis speculatiuè scientiam operatiuam habet.*

Elucidatur amplius.

113 Explicatur hoc (aliquibus enim satis difficile videtur, & ideò peculiari indiget explicatione.) Etenim naturæ, quæ sunt infra Angelum, habent modum essendi eleuatiorem in specie intelligibili illius, quàm in se ipsis, & non vtcumque, sed ita vt non sit acceptus à rebus ipsis: & propterea modus iste eleuatior ad ordinem intelligibilem spectans, & vnitas eius non debet reduci ad *esse* entitatiuum rerum, vt ab eo primordialiter originatus, sed potiùs *esse* entitatiuum rerum repræsentatarum debet reduci ad prædictum *esse* intelligibile, vt ad id, à quo intelligibiliter habet vnitatem in hoc ordine: ac proinde prædicta vnitas erit priùs in specie, & deinde per refusionem illius deriuabitur ad res repræsentatas. Et ob hanc causam, iuxta Augustinum, & Angelicum Doctorem, priùs hæc inferiora producta sunt in mente Angelica, quàm in se ipsis: quia ibi priùs habuerunt *esse* eleuatius, ibique magis vnitè productæ sunt. *August. Angelic. Doctor.*

Ratio huius solutionis.

Nec deest huius maioris vnitatis, quam prædictæ res habent in specie intelligibili, cùm tamen in se, & à se ipsis illam nequeant habere, congrua ratio. Ex eo quòd, sicut res in essentia diuina, vt est species intelligibilis earum, possunt habere longè maiorem vnitatem in *esse* intelligibili, quàm in se, & à se ipsis, imò cùm plures naturæ specificæ nequeant in se, & à se esse vna & eadem natura specifica, queunt, vt habent modum essendi intelligibilem in essentia diuina, habere vnitatem, & inde per refusionem prædictæ speciei in ipsas (modo tamen statim explicando) dici vnum & idem, quatenus terminant repræsentationem illam prædictæ speciei: ita quò prædictæ res continentur in aliqua virtute, seu specie creata magis accedente ad diuinam essentiam, ex eo quòd prædicta virtus est peculiaris participatio illius, vt vnitè, & eleuato modo continet creaturas, eò ibidem habebunt maiorem vnitatem, quàm in se ipsis: imò cùm in se ipsis naturæ v. g. leonis, & equi non possint esse vna & eadem natura specifica, nihilominùs vtraque natura in prædicta specie intelligibili poterit esse intelligibiliter vna, ratione modi essendi eleuatioris, & magis vniti, quem in ipsa habent, & ex consequenti ex ea ad ipsas deriuari vnitas specifica, seu hoc, quod est constituere ibidem in *esse* intelligibili vnicam & eandem naturam atomam, quæ simul sit natura hominis, & equi, &c. & cum quauis ex his naturis sigillatim inadæquatè identificari.

Explicatur hæc ratio.

114 Potestque hæc ratio magis elucidari ex discrimine, quod intercedit inter species intellectus nostri, & Angelici. Nam etsi res inferiores in speciebus nostri intellectus habeant modum essendi eleuatiorem, quàm in se ipsis, nihilominùs quia prædictæ species desumptæ sunt à rebus, & earum vnitas ab illis primordialiter originem trahit, ideò diuersæ naturæ specificæ, quæ in se ipsis, & in *esse* entitatiuo nequeunt esse vna & eadem natura atoma, neque etiam possunt ratione prædicti modi intelligibilis, & eleuati, quem in ea species intelligibiles retinent, habere vnitatẽ in *esse* intelligibili, ita vt in hoc ordine sint vna & eadem natura atoma: quia vnitas, & specificatio speciei intelligibilis acceptæ à rebus reducitur ad vnitatẽ, & specificationẽ obiecti, cuius est participatio, & inde pri-

primordialiter in genere cauſæ formalis prouenit. Cæterùm, cùm vnitas, & modus eleuatus ſpeciei intelligibilis Angelicæ non deſumatur ex rebus ipſis, tanquam à primo fonte; ſed ſit immediatè exemplata ab eſſentia diuina vt peculiaris participatio eius, ad ipſamque reducatur vt illius participatio, tam in genere cauſæ efficientis, quàm formalis: inde eſt, vt licet ipſæ naturæ repreſentatæ ſecundùm ſe non habeant vnitatem atomam, nihilominùs, vt ſunt in ſpecie, & in *eſſe* intelligibili, poſſint vnire ad conſtituendam in ordine intelligibili vnicam naturam, ſeu ſpeciem intelligibilem illas repræſentantem, & cum eiſdem ſimul ſumptis adæquatè, cum ipſis verò ſigillatim acceptis inadæquatè identificatam.

115 Ex quo fit, tantum abeſſe, quòd ad hoc, vt per vnam ſpeciem, creatam tamen, repræſententur plures & diuerſæ naturæ quoad propria earum, & hoc modo diſtinctè cognoſcantur, ſit neceſſarium eaſdem reduci ad aliquam vnam naturam in *eſſe* rei per ſe primò repræſentatam, in qua illæ contineantur, quòd potiùs ad hoc, vt repræſentẽtur, & cognoſcantur quoad propria earum, & ſub maiori, & perfectiori vnitate, non debent reduci ad prædictam naturam, ſed debent cognoſci, & attingi per reductionem ad modum eſſendi, quem habent in intellectu Angeli, ſeu debent attingi ſub ea præcisè vnitate, quam habent ſecundùm illum modum eſſendi, & inde per refuſionem ad illas deriuatur.

Et ratio eſt. Tum, quia nulla reperitur ratio formalis creata extra intellectum Angelicum, in qua diuerſæ naturæ ſpecificæ ſũptæ ſecundùm ſuas peculiares, & proprias differentias habeant perfectè adunari: cùm tamen hæc perfecta vnio reperiatur in prædictis naturis, ſecundùm quòd illis conuenit modus ille eleuatus in ſpeciebus intelligibilibus. Tum etiam. Quia modi proprij, quibus plures naturæ inter ſe diſtinguuntur, nequeunt clarè & diſtinctè reperiri in aliqua ratione creata extra intellectum Angeli; benè tamen in intellectu illius, ratione ſpecierum eleuatarum, quas habet. Et ita naturę repreſentatę per ſpeciem non tribuunt illi vnitatem & ſpecificationem, ita vt ex illis ad ipſam deriuetur; ſed ſolùm ab eſſentia diuina, vt habet rationem ſpeciei intelligibilis, per ſe primò hęc vnitas deriuatur, & inde ex ſpecie ad res habet deriuari: ita quidem, vt in ſpecie repreſentante plures naturas ſit hęc vnitas intrinſeca, in naturis verò repreſentatis, vt ſunt à parte rei, ſit extrinſecè, & per deriuationem ab ſpecie intelligibili, ſeu per refuſionem ipſius in illas: ad eum proportionalem modum, quo cùm aliqua res creata attingitur in Deo per lumen gloriæ, tunc ratio formalis *ſub qua* eſt ipſum lumen gloriæ, & intelligibilitas diuinæ eſſentię, vt refunditur in illud obiectum: & dum per lumen fidei percipiuntur obiecta creata, tunc etiam ratio *ſub qua* tribuens ſpeciem non ſunt res ipſę creditæ, ſed diuina reuelatio, vt refuſa in ipſas. Quare ad hoc, vt intellectus Angelicus perfectiùs, & diſtinctiùs attingat obiecta illa repræſentata, meliùs hoc acquiret, ſi conuertatur ad prædictas ſpecies, ideſt, ſi vtatur his ſpecieb⁹, vt habent hunc modum eleuatum, quàm ſi conuertatur ad vnicam naturam creatam repreſentatam *vt quod*, ſeu quàm ſi vteretur ſpecie repræſentante per ſe primò vnicam creatam naturam genericam, ſub qua diuerſę illę naturæ ſpecificæ tanquam inferiora illius continentur.

116 Ex quibus omnibus ſatis conſtat, quo modo ad formam argumenti occurrendùm ſit, nempe, concedendo antecedens, iuxta dicta, & negando conſequentiam, & ad primam probationem dicendum eſt, eſſentiam diuinam, vt habet rationem ſpeciei intelligibilis, non ideò habere vnicum in *eſſe* rei obiectum, quia id deſideratur ad rationem ſpeciei intelligibilis, ſed ex alio capite, primirũ, quia propter ſuam eminentiã nequit habere pro obiecto primario *quod* niſi ipſam eſſentiam diuinã. Ad ſecũdam probationem patet ex dictis, eam eſſe veram quoad alias virtutes, & rationes agendi, non verò quoad rationem eleuatam & acceptam à rebus, ſed immediatè exemplatam ab eſſentia diuina, & diuinis exemplaribus. Ex dictis ſatis ſit argumẽto in oppoſitum

Ad tertiam autem probationem conſtat etiam ex dictis, negandum eſſe antecedens in ſpeciebus, de quibus in præſenti fit ſermo.

Ad vltimam autem probationem concedendum eſt antecedens, & neganda conſequentia. Et ratio diſparitatis eſt. Quoniam licet ſpecies intelligibilis Angelica ſit eiuſdẽ ſpeciei cum naturis illis repræſentatis, modo ſtatim dicendo, nihilominùs prædictæ naturæ, conſideratæ ſecundùm id, quod in *eſſe* rei, ſeu in *eſſe* entitatiuo dicunt, tantùm important id, quod ex ſe habent: at ſecundùm hoc nequeunt eſſe vna & eadem natura. Cæterùm, vt habent modum eſſendi eleuatum in *eſſe* intelligibili, habent id, quod eis conuenit per reductionem ad prædictum modum eſſendi, & ad diuinam eſſentiam, vt habet rationem ſpeciei intelligibilis: ac proinde dicunt id, quod conuenit eis per participationem ab illis, & reductionem ad ipſa. At ſecundùm quòd ſic reducuntur ad prædictum modum eſſendi, & diuinam eſſentiam, dicunt vnitè id, quod ſparſim, & non vnitè eis ſecundùm ſe ipſas conuenit, ſcilicet, illasmet naturas,

vt in *esse* intelligibili vnam naturam constituunt: quia sic habent participare diuinam essentiam, vt vnitè illas continet.

Replica. 117 Nec obest, si vrgeas, prædictam speciem, vt habet modum istum essendi eleuatũ esse certæ & determinatæ speciei, quippe quę constat genere, & differentia: ergo dicit vnã dumtaxat naturam in indiuisibili consistentem, sicut alia constantia ex genere, & differentia: ergo tantùm dicet vnam indiuisibilem essentiam & naturam, non verò plures.

Enodatio. Respondetur enim, concedendo antecedens, & distinguendo consequens vtriusque consequentiæ: ac concedendo illam, si sensus illius sit, quòd tantùm dicit vnicam naturam consistentem in indiuisibili in ordine intelligibili: quia reuerà omnia, quæ elucent in illa specie, desiderantur ad illam naturam totalem in ordine intelligibili, & habentem modum essendi ita eleuatum: & ideò secundùm omnia ista consistit in indiuisibili. Cæterum neganda est consequentia vtriusque consequentis, si sensus illius sit, quòd dicit vnicam naturam dicentem ea sola prædicata, quæ ab vnica natura in *esse* entitatiuo desiderantur. Quia ordo intelligibilis est amplior ordine entitatiuo: & ideò potest vnica natura in *esse* intelligibili complecti illas plures naturas, quarum quælibet sit satis ad constituendum vnicam naturam in *esse* entitatiuo. Cæterum cum hoc stat, vt iuxta hunc dicendi modũ, in vnica dumtaxat specie Angelica, & vniuersalissima non contineantur formaliter aliæ species minùs vniuersales: tum, quia omnes istæ ad vnum & eundem ordinem spectant: & ita solùm materialiter in ea continebuntur, ad eum modum, quo in quinario quaternarius continetur: & ita species superior non cõtinet inferiores distinctè, & clarè quoad ea, in quibus distinguũtur. Tum etiam. Quia quælibet ex his speciebus inferioribus non habet suam vnitatem per reductionem ad aliam superiorem speciem: sed per reductionem peculiarem ad diuinam essentiam, vt habet rationem speciei intelligibilis. Vnde, sicut in speciebus acceptis ab obiectis quæuis ad suum obiectum reducitur non verò ad obiectum alterius, & ideò vna, non continet aliam: ita in præsenti (proportione seruata) philosophandum est.

Prima obiectio contra prædictã solutionem. 118 Ex quibus non difficulter colligitur solutio aliquarum obiectionum, quæ contra dicta in tota hac solutione possunt adduci. Prima est, quòd hæc species intelligibilis, vt repræsentat vnam v. g. ex illis naturis, reducitur ad speciem illius naturæ. Ergo sicut natura illa nequit cum cæteris naturis ibidem repræsentatis constituere in *esse* rei vnicam naturam, sic nec in *esse* intelligibili. Antecedens constat. Quia illa natura repræsentata in *esse* rei, est (pẽsatis omnibus) nobilius quid quàm prædicta species, vt illam repræsentans: ergo prædicta natura in *esse* intelligibili reducitur ad eam. Consequentia etiam constat. Quia id, quod reducitur ad aliud, nequit extendi magis, quàm id, ad quod habet reduci: quia clauditur eius limitibus tanquam reductum ad illud.

Diuiitur. Respondetur enim ex dictis, quod adhuc dato, quòd *esse* entitatiuum, pensatis omnibus, sit nobilius, quàm *esse* intelligibile: nihilominùs non sequitur, quòd ad aliud sit reducendum *esse* intelligibile harum specierum, aut naturarum, vt elucentium in eis, sed potiùs è contrà. Quia prædictæ species, & naturæ, vt habent modum essendi eleuatum in ea non sunt acceptæ à rebus, neque eius vnitas ab illis, vt à primo fonte deducitur, sed potiùs è contrà. Et ideò non species ad naturas secundùm *esse* entitatiuum reducendæ sunt, sed naturæ ad ipsas species.

Secunda. 119 Secunda est, quòd si prædictæ species habet *esse*, & vnitatem per reductionem ad diuinam essentiam, vt est species intelligibilis, & ad diuina exemplaria: sit inde, vt sicut ista, licèt contineãt in *esse* intelligibili naturas creatas, & repræsentatas, non sunt tamen eiusdem naturæ, adhuc in *esse* intelligibili cum eis: ita nec prædicta species erit idem in natura cum naturis repræsentatis.

Enodatur Respondetur enim, diuinam essentiam propter suam infinitam eminentiam hoc sibi vendicare, vt licèt repræsentet, & contineat alia à se, non tamen sit eiusdem naturæ cum illis, adhuc in *esse* intelligibili. Quia eminentia sui *esse* petit, vt sub nullo *esse* reali, siue entitatiuo, siue intelligibili sit formaliter aliquid creatum, ac proinde finitum. Et ita hoc ipso, quòd species participent finito modo essentiam diuinam, vt habentem rationem speciei intelligibilis, & non habeant, nec cõmunicetur illis illa eminentia propria Dei, & ex se incommunicabilis (quia hæc consistit in hoc, quòd per se primò repræsentetur per talem speciem natura Dei, prout est in se, nõ verò aliquid creatum) consequens est, vt prædicta species debeat participare repræsentationem, secundùm quam sit eiusdem naturæ in *esse* intelligibili cum naturis repræsentatis ideſt cum naturis, non repræsentatis media alia natura per priùs repræsentata: Quia in vniuersum species intelligibilis debet esse eiusdem naturæ in *esse* intelligibili cum obiecto in sensu iam dicto immediatè repræsentato. Vnde hic modus sic repræsentandi naturas creatas, vt sit idem cum eis, conuenit illi, quia inadæquatè, & non plenè communicatur ei ratio speciei intelligibilis in Deo existens, ideſt, quia non communicatur ei, quòd repræsentet prædictas naturas creatas, repræsentando immediatè naturam diuinam.

Explicatur exemplo.

Potestque hoc explicari exemplo sapientiæ (aut alterius attributi) quę debet necessariò haberi, & communicari, vel per modum substantiæ, vel per modum accidentis. Et si non communicetur per modum substantiæ, vt reuerà communicari sic creaturæ nequit, debet communicari per modum accidentis. Et hoc, quod est, ibidem esse per modum accidentis, prouenit ex hoc, quòd illa communicatio est inadæquata, & nõ plena, sed ab hac deficiens.

Tertia.

120 Tertia obiectio. Quoniam si species Angelica repræsentat plures naturas, quia reducitur ad diuinam essentiam, vt habet rationem speciei intelligibilis, & ad diuina exemplaria; ac proinde quia est participatio essentiæ diuinæ, vt peculiariter repræsentat naturas creatas: consequens erit, vt sit supernaturalis quoad substantiam. Patet sequela. Quia continere plures naturas quoad propria earum, est proprium essentiæ diuinæ, cõueniens illi tanquam prædicatum proprium illius, vt distinguitur ab alijs naturis: ergo species intelligibilis participans hanc rationẽ, erit supernaturalis quoad substantiam. Sicut gratia, quia participat naturam diuinã quoad propria illius, & charitas, quia est participatio diuinæ charitatis hoc modo: idcircò vtraque est supernaturalis secundùm substantiam.

Euanescit.

Respondetur enim ex dictis, non satis esse ad ens supernaturale secundùm substantiam, participare aliquid, quod sit proprium Dei, nisi participetur modo proprio, quo est in Deo, nõ verò si participetur, vt elucet in creatura modo proprio creaturæ. Vnde gratia est participatio alicuius, quod est proprium Dei formaliter loquendo: quia participat illud modo proprio ipsius Dei, qui consistit in hoc, quòd sit radix videndi Deum, prout est in se. Cæterùm species Angelica participat id, quod est proprium Dei, non tamen secundùm modum proprium Dei: quia modus iste proprius Dei consistit in hoc, quòd repræsentet plura, repræsentando priùs per se primò, & immediatè ipsam essentiam diuinam, prout est in se, & ideò non dicitur participare id, quod est proprium Dei formaliter loquendo, sed id, quod est proprium illius materialiter. Quia ad illud prius desideratur, quòd participetur sub modo proprio Dei.

§. VII. *Alia solutio ex Angelico Doctore desumpta.*

Secunda solutio a gentili principalis. *D. Thom. Caietan. Ferrara. Nazar.*

121 SEcundò potest responderi ex D. Thoma locis statim referendis, & ex Caietano, Ferrara, Nazario, & alijs discipulis D. Thomæ, quod etsi non detur aliqua vna ratio & natura, quæ sit ratio formalis *qua*, seu obiectum formale per se primò repręsentatum per speciem intelligibilem, ita vt hęc sit vna formaliter realiter, & per modum vnius naturæ singularis, in rerũ natura sic existens, benè tamen datur aliqua vna ratio & natura, quæ sit vna vnitate præcisè formali, quæ sit obiectum formale, & per se primum habens vnitatem formalem obiectiuam, à qua vt à prima radice, & fonte originem trahat ratio formalis *sub qua* in genere obiecti. Et ratio est. Quia ad illud priùs desiderabatur, quòd talis res esset in rerum natura per modum naturæ singularis, quatenus adæquatè repræsentatur per speciem: cùm tamen nulla vna res singularis inueniatur in rerum natura adæquatè illi respõdens. Cæterùm ad hoc posterius satis est, prę-supponi vnitatem formalem illius naturæ, siue unitatem tantùm formalem obiectiuam. & rationis formalis *qua*, continentem per modum primi fontis, & rationis, rationẽ formalem *sub qua* in genere obiecti. Quemadmodum (proportione tamen seruata) si species naturæ leonis esset alicui intellectui impressa à Deo, tunc prædicta species haberet hanc vnitatem posteriorem, licèt non illam priorem.

Roboratur testimonijs D. Thom. pro assertione adductis

Congruitque hæc solutio cum illis testimonijs, quę ex secundo sententiarum, & ex q. 8. de Veritate ad probandam assertionem D. Thomę ex ipso adduximus. Nam eodem proportionali modo loquitur de his speciebus quoad rationem obiectiuam, ac de alijs artibus, & scientijs superioribus, quæ tamen habent rationem formalem *qua*, per modum obiecti primarij originantem, & fundantem ex parte sua rationem obiectiuam *sub qua*. Nec hoc derogat excellentię specierum intelligibilium, si semel non derogat excellentię aliarum virtutum, & rationum in suis lineis vniuersalium. Neque etiam derogat peculiari eminentiæ, quam habent species Angelicæ, nempe, quòd nec sint, nec possint esse acceptæ à rebus, sed debeant immediatè participari, & infundi à Deo. Nam etsi Deus illas infundat, & tribuat illis *esse* repræsentatiuum superius & eminentius ad species acceptas à rebus, ac proinde quòd sint repræsentantes distinctè plures naturas quoad propria earũ: nihilominùs tribuit illis esse coaptatum & commensuratum cum illo obiecto, quod adæquatè repræsentant: ac proinde tribuit eisdem, quòd quodammodò pendeant à prædicto obiecto & mensurentur per illud; non quidem tanquam ab obiecto motiuo, à quo immittantur, & fiant, sed tanquam ab obiecto terminatiuo, & quodammodò causa formali, à qua specificentur.

122 Nec aliud voluit, iuxta hunc modum dicendi, Angelicus Præceptor, dum in loco citato pro præcedenti solutione in 2. Sentent.

Sentent. enumerans tria illa vniuersalium genera, dixit, vnum ex illis, nempe species Angelicas, non esse quid posterius rebus, sed potiùs quid prius. Solùm enim voluit denegare illis posteriotitatem in existendo, quæ conuenit speciebus acceptis à rebus, ex eo quòd pendent ab illis in genere causę efficientis, & tanquàm ab obiecto motiuo; non verò quòd non pendeant ab illis, vt ab specificante: quia hæc dependentia non petit vniuersaliter anterioritatem in existendo in eo, à quo aliquid pendet.

Et ratio est. Quoniam prædictæ species producuntur à Deo, & participantur ab ipso, tanquam quid per se primò institutum ad repræsentandum: & ideò oportet, esse commensuratas suis obiectis, & ab eis vt à mensuris mensurari, & specificari. Potestque hoc magis elucidari ex eo, quòd essentia diuina, vt habet rationem speciei intelligibilis, ideò non respicit vt mensuram sui *esse* creaturas, quia non est per se primò quasi instituta ad illas repræsentandum, sed per se primò solùm est (vt sic dicamus) instituta ad hoc, vt ipsam essentiam diuinam vniat cum diuino intellectu: & ideò sola prædicta essentia est mensura quodammodò sui, vt habentis rationem speciei intelligibilis.

Ex dictis soluitur argumentum in forma.

123 Ex quibus omnibus satis constat, quomodo, iuxta istum modum dicendi, sit occurrendum ad formam huius primi argumenti, nempe, negando antecedens, iuxta sensum tamen explicatum de vnitate naturæ per se primò repræsentatæ.

Nec contra hoc habet vim probatio prior consequentiæ, quatenus potest retorqueri, & adduci ad probationem huius antecedentis, quod negamus. Nam etsi essentia diuina, vt species intelligibilis, habeat pro obiecto formali, & adæquato vnam naturam, quæ non solùm formaliter, sed realiter, & per modum naturæ singularis sit omninò vna: non tamen id est necessarium ad vnitatem cuiusuis speciei, sed ad summum requiritur ad vnitatem primæ, & supremæ speciei intelligibilis: quia in ista eademmet essentia in *esse* entitatiuo debet vniri per modum speciei, & in ea *esse* entitatiuum, & intelligibile non distinguuntur, adhuc virtualiter. Et propterea sicut ipsa, vt species, est hæc, & singularis: ita etiam, vt natura, & obiectum repræsentatum, habet hoc ipsum: secùs verò species Angelicæ repręsentatiuæ naturarum inferiorum: nam istæ non petunt tantam vnitatem, ideſt, quod sicut ipsę sunt singulares in essendo, ita etiam natura per se primò repræsentata habeat vnitatem per modum naturæ singularis, sed sufficit vnitas formalis iam explicata. Per quod etiam ad vltimam probationem eiusdem cõsequentiæ, quatenus poterat afferri ad probationem antecedentis huius argumenti à nobis negati satis constat. Nam etsi eadem sit natura in specie intelligibili, ac in obiecto per se primò repræsentato, nihilominùs, quia prædictum obiectum, sub modo essendi entitatiuo consideratum, habet quodammodò mensurare eandem naturam sub modo essendi intelligibili, ideirco non est necesse, quòd habeat vnitatem per modum naturæ singularis, quatenus per modum obiecti mensurat, licèt res mensurata habeat vnitatem per modum naturæ existentis sub modo singulari in ordine intelligibili.

Obiectio prima contra hanc solutionem.

124 Cęterùm hęc solutio non placet Inniori cuidam Doctissimo, de quo suprà, & ideò contra illam duo obiecit. Primum est. Quia ex ea sequeretur, non posse dari speciē, quę repręsentet duas tantùm naturas specificas sub aliquo genere, & non omnes, quę sub eodem possunt inueniri. Quod tamen est contra dicta in hoc eodem dubio, & contra ea, quę ex D. Thoma dubio precedenti dicta sunt: quandoquidem S. Doctor sentit, nõ deberi, atque adeò nec infundi Angelo species repręsentantes naturas possibiles, sed solùm repręsentantes eas, quę productę sunt in hoc vniuerso: & constat, non omnes naturas possibiles sub tali genere esse productas, aut producendas. Sequela verò suadetur: Quia tantam habet latitudinem repręsentatio speciei, quantam ratio formalis sui obiecti, vt patet in potentijs, & habitibus comparatis ad rationes formales suorum obiectorum.

Secunda

Secundum. Quia ad vnitatem potentiæ cognoscitiuæ non requiritur conuenientia in ratione formali generis immediati, vt patet in albedine, & lumine respectu visus: neque in ratione generis mediati, alioqui (in eodem exemplo perstendo) omnes species contentæ sub genere communi ad albedinem, & lumen cognoscerentur à potentia visiua: imò neque in aliqua ratione vniuoca, vt patet in intellectu, cuius obiectum est tota latitudo analogiæ entis. Ergo idem dicendum est de specie intelligibili comparata ad obiectum, quod per se ipsam repræsentatur: ac proinde falsò Caietanus inquit, hanc rationem formalem esse conuenientiam in vnico & eodem prædicato vniuoco essentiali ac generico respectu omnium obiectorũ, quę repræsentantur. Et non fauet huic solutioni exemplum adductum de specie naturæ genericæ, aut specificæ existente in nostro intellectu. Quia hæc non repræsentat actu, & distinctè inferiora secundùm próprias rationes sed solùm secundùm gradum communem, secùs verò in specie infusa.

Caietanus

Tertia

125 Et deinde potest tertiò contra eandem solutionē obijci, quòd istæ species sunt ordinis

ordinis ſuperioris, ac proinde tranſcendunt ordinem aliarum ſpecierum, & naturarum inferiorum: ergo nequeunt ſpecificari à naturis ordinis inferioris: alioqui non eſſent ſuperioris ordinis, nec tranſcenderent ordinem inferiorum: ſiquidem nulla res eſt ſuperioris ordinis ſuo ſpecificatiuo, neq, eius ordinem tranſcendit.

Confirm. Confirmatur. Nam ratio formalis eſſendi in loco, ſeu fundandi vbicationem in illo, quæ reperitur in Angelo, nec non & vbicatio ipſa, quia ſunt ſpirituales, & eleuationis ordinis, nequeunt ſpecificari à loco, qui eſt ordinis inferioris: ergo ſimiliter quoad præſens, ſpecies ſuperioris ordinis nequeunt à re ordinis inferioris ſuam ſpeciē deſumere.

Quarta obiectio 126 Tandem contra prædictam ſolutionem poteſt quartò obijci, quòd natura v.g. animalis, per ſe primò repræſentata per aliquam ſpeciem, non continet actu totam perfectionem ſuorum inferiorum: nec proinde poterit eſſe ratio formalis repræſentandi aut cognoſcendi diſtinctè & clarè eadem inferiora quoad id, in quo actu diſtinguuntur: ſiquidem ratio formalis obiectiua, per quam cognoſcuntur aliqua quoad propria illorum debet actu, & diſtinctè illa continere. alioqui non poterit eſſe ratio cognoſcendi ea diſtinctè, & clarè quoad propria eorundē, ſed ſolū diſtinctè, confuſè, & quoad communia.

Reſpōdetur ad primam obiectionē 127 Cæterum hæc non eneruant ſolutionem traditam. Nam ad primam ex his obiectionibus reſpondetur, negando ſequelā. Et ad probationē, quòd etſi ratio formalis obiectiua reſpectu alicuius Angeli ſuperioris ſit v.g. natura animalis diſtributa per ſuas ſpecies, non tamen per qualeſcumque ſpecies ſiue naturas inferiores, ſed per eas, quæ ſunt actu partes huius vniuerſi: & ideò non habet tantā latitudinē in ratione obiecti formalis, proportionati tamē reſpectu illius intellectus Angelici, aut ſpecierum eidem deſeruientiū, quanta ei poteſt aliàs conuenire.

Ad ſecundā Ad ſecundam, verò obiectionem tranſeat antecedens, & negetur conſequentia. Et ratio diſparitatis eſt. Quoniam aliæ rationes (vt ratio intellectus ſecundùm ſe, & cum præciſione ſumpta) non petunt, vt per ſe ipſas immediatè ſint ipſum obiectum intelligibile, ſed hoc habent mediis ſpeciebus. Cæterùm ſpecies intelligibilis eſt in ordine intelligibili ipſummet obiectum per ſe primò per illam repræſentatum: & ideò oportet, quòd obiectum prædictæ ſpeciei habeat maiorem vnitatem per modum rationis formalis *quæ*, ne ſpecies intelligibilis ſit eiuſdem naturæ cū diuerſis obiectis diuerſas habētibus naturas.

Ad id autem, quod adducitur contra exēplum allatum de ſpecie intelligibili naturæ genericæ exiſtente in noſtro intellectu, reſpondetur prædictum exemplum non adduci ad ſignificandum omnimodam paritatē inter ſpecies noſtri intellectus, & intellectus Angelici: quia planum eſt, eſſe diſparitatem inter eas quoad hoc, quod eſt repræſentare actu & diſtinctè, vel ſolùm indiſtinctè & confuſè inferiora: ſed ſolùm adduci ad explicandum, quomodo vnitas formalis reperta in ratione obiectiua vniuſcuiuſque ex illis non cōueniat illis per modum vnitatis formalis, & realis, ſeu per modū vnius naturæ ſingularis, ſed ſolùm per modum vnitatis formalis.

128 Nec obeſt, ſi obijcias, quòd conſequenter ad ea, quæ in lib. de Anima diſp. 18. n. 40. N. Complutenſes docent, & nos in 1. tomo tractatu 3. diſput. 2. n. 14 & deinceps diximus, videbatur dicendum, ſpeciem intelligibilem repræſentantem aliquam naturam, aut plures ex illis, debere eſſe eiuſdem naturæ cum illis. Et ratio eſt. Quia iuxta ibidem dicta, ſpecies repræſentat formaliter, atque adeò eſt formaliter ſimilis obiecto, formaliter per illam repræſentato: ſimilitudo autem formalis fundatur in vnitate naturæ, ſaltem ſub *eſſe* intelligibili, vt in 1. tom. tract. 2. diſput. 2. num. 133. latiùs diximus. **Replica** *N. Compl.*

Reſpondetur primò, poſſe ſatis probabiliter iuxta hunc modum dicendi teneri, ſpeciem intelligibilem repræſentare formaliter obiectum per ſe primò repræſentatum, ſecùs verò obiectum ſecūdarium, nam iſtud ſolùm virtualiter repræſentatur: & hoc potiſsimò in his ſpeciebus exemplatis ab eſſentia diuina poteſt contingere. Nam quòd prædicta eſſentia, vt habet rationem ſpeciei intelligibilis, ſolùm repræſentet formaliter ſuum obiectum primarium, nempe ſemetipſum, non verò obiecta ſecundaria, ſcilicet creaturas, conſtat ex illis, quæ in 1. tomo tractatu 2. diſput. 7. n. 56. & 57. diximus, ex eo quòd nō formaliter, ſed ſolùm virtualiter eas continet. Neque hoc contradicit his, quæ in 1. tomo loco citato diximus. Propterea enim ibidem diximus, quòd pro tunc teneri poterat, prædictam ſpeciem repræſentare formaliter etiam obiecta ſecundaria, & deciſionem huius in hunc locum remiſimus. Et ſimiliter nec ſolutio iſta pugnat cum illis, quæ N. Cōplutenſes docēt. Quoniā ſolùm loquūtur de obiecto primario, ex eo quòd innituntur in hoc, quòd ſpecies per ſe primò ſunt inſtitutæ ad repræſentādū: & ideò non habent aliā rationē per ſe priorē iſta: & conſequenter repræſentatio illa non eſt virtualis: quia quod virtualiter eſt tale, ſupponit aliam rationem formalē, in qua cōtineatur, & veluti latitet id, quod dicitur cōtinere virtualiter. Cōſtat autē, ſpeciē nō eſſe per ſe primò inſtitutā, niſi propter obiectū primarium, & ideò ſatis eſt, quòd illud formaliter repreſentet, licèt virtualiter etiam & ratione primarij contineat ſecundarium. **Prima ſolutio** *N. Compl.*

129 Se-

Occurritur secundó

129 Secundò respondetur, quòd adhuc admisso, repræsentari formaliter in prædictis speciebus, tam naturam animalis, quàm obiecta secundaria, scilicet inferiora illius, atque adeò pro nunc, & pro tunc esse hunc dicendi modum satis probabilem; nihilominùs species intelligibilis tantùm erit eiusdem naturæ cum suo primario obiecto, scilicet natura animalis. Et ratio est. Quoniam obiecta secundaria speciei formalizantur in *esse* intelligibili per obiectum primarium, & eius rationem formalem. Vnde sicut prædicata hominis si in *esse* entitatiuo, & in *esse* rei formalizarentur per aliquid tanquam per rationem formalem eorum, tunc iam non essent prædicata hominis, nec illa natura esset natura hominis: sic nec in *esse* intelligibili possunt manere, & contineri, vt prædicata hominis, ita vt reuerà ibidem intrinsecè sint sub hoc conceptu, si in *esse* intelligibili formalizantur, tanquam per rationem formalem per aliquam naturam, aut prædicata eius:

Ex quo etiam fit, quòd nec vllo modo ibidem contineantur formaliter, tanquam aliquid intrinsecum, & existens in ipsa specie, sed solùm repræsentari ibidem formaliter: quia illa repræsentatio vlteriùs tendit, & terminatur expressè, & non solùm implicitè ad obiecta illa secundaria: ac proinde nõ est repræsentatio solummodò virtualis, cuius proprium est terminari solùm implicitè ad obiectum virtualiter repræsentatum, tanquã ad aliquid veluti latitans in alio expressè repræsentato: & ex consequenti prædicta species, & eius obiectum primarium non formalizat ea., nisi in *esse* obiectorum extrinsecorũ, per refusionem sui primarij obiecti in illa: habetque se respectu eorum ad eum proportionalem modum, quo in sententia esserentium speciem intelligibilem repræsentare formaliter suum obiectum primarium; non tamen ob id esse eiusdem naturæ in *esse* intelligibili cum illo, solet dici, prædictum obiectum nõ contineri intrinsecè, & secundùm suam (vt sic dicamus) substantiam in prædicta specie; sed solùm repræsentationem speciei terminari expresse ad illud in *esse* intelligibili, vt ad obiectum repræsentatum, & extrinsecum, quod, hoc ipso quòd ibidem repræsentetur, dicitur ibi contineri repræsentatiuè, non tamen esse ibidem verè, & realiter; & intrinsecè secundùm suam essentiam sub aliquo modo essendi reali eidem intrinseco.

130 Ratio autem, propter quam negamus, quòd illæ naturæ secundariò repræsentatæ, & eius essentialia prædicata contineantur in specie illa formaliter, tanquam aliquid intrinsecũ existens adhuc secundariò in ipsa specie, ad eum modum, quo obiectum primarium ibidem primariò continetur, reddi potest ex eo, quòd non stat, intrinsecè manere sub *esse* intelligibili aliqua prædicata formaliter in specie, & ibidem formalizari per formam aliquam, si ex parte prædicatorum remanentium sub illo *esse* nequeãt dari illa prædicata sic formalizata sub *esse* entitatiuo. Quoniam id ipsum, quod potest esse sub modo essendi entitatiuo, queit reperiri sub modo essendi intelligibili. Et ita, si illa prædicata nequeunt manere sub *esse* entitatiuo, & manere sic formalizata, nec etiam poterunt esse modo dicto in specie intelligibili, & in ea sub *esse* intelligibili sic formalizata, & modo explicato remanere.

Illustratur solutio.

Potestque hoc elucidari: tum ex eo, quòd non ex quacumque formali repræsentatione colligitur similitudo, sed solùm ex primaria. Repræsentatio autem formalis, quæ non pertingit ad hoc, vt repræsentet rem secundùm se, vt se ipsa formalizatam, ac proinde ad hoc, vt sit talis in se, qualis est res ipsa repræsentata, non fundat identitatẽ in natura, secùs verò repræsentatio primaria, quæ propter oppositã rationem dicit similitudinem, ac proinde identitatem in natura.

Tum etiam. Quia dum per speciem alicuius figuræ artificialis repræsentatur per se primò tota illa figura per vnicam & eandẽ speciem, & secundariò repræsentantur partes eiusdem figuræ, vt formalizatæ per eandem figuram totalem; ideò species repræsentatiua totius figuræ, & partium eius, est eiusdem naturæ in *esse* cognoscibili, tam cum tota figura, quàm cum eius partibus. Quia sicut in *esse* cognoscibili formalizantur per figuram totalem, & eius repræsentationem, sic in *esse* rei habent sic formalizari: ex eo quòd forma illa totalis figuræ cõparatur, adhuc in *esse* rei, per modum formæ totalis vnientis, & adunatè continentis suas partes. Et propterea dũ dicitur, speciem tantum esse eiusdem naturæ, cum obiecto primario, non verò cum obiecto secundario, intelligitur de obiectis secundarijs, quæ in *esse* rei non sunt partes actuales constituentes tamquam vnum per se prædictum obiectum primarium. Ergo propter oppositam rationẽ, quando obiecta secundaria repræsentantur, vt formalizata per aliquam formam in *esse* intelligibili: cum tamẽ in *esse* rei nequeant sic formalizari, sed potiùs è contra res se habeat, nequibit illa species esse eiusdem naturæ cum obiectis secundarijs, licet formaliter, tamẽ per illã repręsentẽtur.

Satisfit tertiæ obiectioni.

131 Ad tertiam verò obiectionem dicendum est, aliud esse, an istæ species intelligibiles sint superiores alijs speciebus inferioris rationis: aliud verò, an sint superiores naturis per illas repręsentatis. Et si ergo collatæ cum speciebus inferioribus sint superiores & eminentiores illis: attamen si conferãtur cũ naturis repræsentatis, non sunt præstantiores ipsis ex parte formæ repræsentatæ, sed solùm

lùm ex parte modi eſſendi. Quia verò prædictus modꝰ eſſendi intelligibilis, licèt ſit præſtantior modo eſſendi naturali ſecundũ quid, ſicut & ipſe, vt diſtinctus à modo eſſendi entitatiuo, tantùm eſt *eſſe* cum addito, & vnitas in natura ſub illo eſt tantùm vnitas cum addito, ſcilicet in *eſſe* intelligibili, & non vnitas ſimpliciter: inde eſt, vt prędictę ſpecies intelligibiles poſsint à naturis repræſentatis, quæ ſunt ſub modo eſſendi entitatiuo, ſpecificari, & ab illis menſurari habeant, quippe quæ (vt dicebamus) ſunt per ſe primò inſtitutæ ad illas repræſentandas.

Ad confirõnem. Ex quo ad confirmationẽ ſatis cõſtat. Nã ratio formalis fundãdi vbicationẽ in Angelo, & vbicatio ipſa collata cum loco eſt ſuperioris ordinis, tum ex parte formę, tũ ex parte modi eſſẽdi entitatiui: & deò ſunt in eis oppoſitę cõditiones, ac inſpecieb⁹ intelligibilib⁹ cõparatis cũ naturis repręſentatis: ac proinde nõ nimirũ quòd licèt ratio illa fũdãdi vbicationẽ, & vbicatio ipſa nõ ſpecificẽtur à loco; nihilominus ſpecies habeant à ſuis obiectis ſpecificari.

Euaneſcit vltima obiectio. 132 Ad vltimam verò obiectionẽ reſpondetur, naturã animalis poſſe dupliciter conſiderari: vel in abſtracto: vel (vt ſic dicamus) in cõcreto, prout eſt diffuſa, & diſtributa actu & in exercitio in omnia inferiora, quę ſũt à Deo producta per modũ partis huius vniuerſi. Et ſimiliter ſpecies intelligibilis illã repręſentãs poteſt dupliciter exercere hoc munꝰ: vel primò, repræſentãdo ipſã (vt ſic dicamꝰ) in abſtracto, ſeu abſtractã ab inferioribus: ſecundò repræſentãdo ipſã (vt ſic loquamur) in cõcreto, ideſt, vt actu diffuſã, & diſtributã in prædicta inferiora. Etſi ergo ſpecies repræſentans primo modo naturã animalis, nõ cõtineat actu, & diſtinctè inferiora quoad propria eorũ, bene tamẽ ſpecies repręſẽtãs talẽ naturã poſteriori modo. Nã ſicut ipſa natura ſic in concreto ſũpta affert propria inferiorũ naturarũ quoad id, in quo diſtinguũtur, & nõ vtcũque, id eſt, indiſtinctè, & in potẽtia, ſed actu, & diſtinctè: ita etiã ſpecies repręſentãs eandẽ naturã ſic ſumptã cõtinebit actu in ordine intelligibili naturas inferiores quoad ea, in quibus diſtinguũtur inter ſe: atq; adeò prędicta cõtinentia nõ erit cõfuſa, & indiſtincta, ſed actualis & diſtincta, prout actualitas, & diſtinctio opponũtur confuſioni, & cõtinẽtiæ tãtùm in potẽtia tali. Quare, cùm ſpecies Angelica infuſa à Deo in intellectu v.g. vnius Angeli, habẽtis ſufficientẽ immaterialitatẽ ad hoc vt per vnã ſpeciem inteillgat omnes naturas ſpecificas cõtentas ſub animali, & factas in hoc vniuerſo, repęrſentet eãdẽ naturã animalis ſumptam in concreto, prout eſt diffuſa in omnia prædicta inferiora, vel ſi talis intellectus non habuerit tantam immaterialitatem, tunc infunduntur illi à Deo ſpecies vniuerſales in repræſentando eandem naturã animalis ſic in concreto ſumptam, ita vt per vnam ſpeciem repræſentetur talis natura, vt contracta ad certa quædam inferiora, & per aliam eadem-met natura, vt contracta, & vt eſt in concreto, concernens alias naturas inferiores: inde eſt, vt prædictæ ſpecies repræſentantes rationem illam primariã vnam formaliter, contineant intelligibiliter, & actu inferiora illa quoad propria eorum, in quę prędicta natura repræſentatur actu diffuſa.

Ratio autem, propter quam aſſeruimus, prædictas ſpecies repræſentare naturam animalis in concreto, & modo dicto, ſatis conſtat ex his, quæ de excellentia, & vniuerſalitate harum ſpecierum diximus: & peculiariter ex eo, quòd ex Auguſtino, & D. Thoma, imò ferè ex communi Theologorum ſententia diximus, nimirum, creaturas has inferiores bis creatas fuiſſe, nempe, in intellectibus Angelicis accommodatè ad eorũ perfectionem, & in ſeipſis: ita vt ſicut à parte rei creatæ ſunt in concreto, & vt actu diſtributæ per ſua inferiora, ita etiam hoc modo priùs fuerint productæ in prædictis intellectibus.

133 Nec obeſt, ſi vrgeas, quòd hinc ad ſũmum habetur, per illam ſpeciẽ cognoſci inferiora quoad propria eorũ, ſi per ſe primò repræſententur vnà cum natura animalis, nõ tamen ſi ratio per ſe primò repræſentata ſit natura animalis, & non prędicta inferiora. Quia natura animalis adhuc in concreto nõ habet eſſe rationem formalem ſuorum inferiorum quoad ea, in quibus diſtinguuntur, ſed ſolùm quoad ea in quibus adunantur, ſcilicet participare naturã animalis, & ſubeſſe illi: ac proinde prædicta inferiora quoad propria & peculiaria habebunt ex ſe ipſis, vt à rationibus formalibus veluti formalizari. Et ita, ſi natura animalis per ſe primò repræſentatur, tamquam ratio adæquata formalis, & inferiora non repræſentantur etiam hoc modo, nequibunt quoad propria cognoſci, aut repræſentari. **Replica.**

Reſpondetur, quòd inferiora, vt ſunt quid actu contentum ſub latitudine animalis actu diffuſi per illa, pertinentque ad eandem latitudinẽ, habent veluti formalizari per prædictam naturam: ita quidem, vt id, quod mediatè (per ſe tamẽ) ſubeſt huic formalizationi intra hanc latitudinem, ſit diuerſitas naturarum: quia etiam per modum diuerſarum naturarum ſpectant ad latitudinem prædictæ naturæ animalis: quamuis proximè, & immediatè ſubſint illi, ſecundùm quòd omnes illæ conueniunt in hoc, quòd per illas diffunditur prędicta natura animalis. Et ideò ſi ſpecies ob ſuam excellentiã habuerit tãtam vim vt repræſentet inferiora quoad propria eorũ, tam ſecundùm id, ſecundùm quod ſubſunt immediatè naturæ animalis, quàm ſecun- **Diluitur.**

dùm

dùm id, per quod mediatè subijciuntur illi, & pertinent ad suam latitudinem: oportet, vt repræsentet etiam prædicta inferiora, tum quoad propria eorum, vt ita repræsententur quoad mediatam rationem secundùm quam subsunt naturæ animalis, & pertinent ad illam latitudinem illo speciali modo, nempe per modum naturarum diuersarum: tum etiam, vt subordinata quodammodò prædictæ naturæ animalis, vt illam formalizanti, quatenus immediatè illi subsunt, & conueniunt in ratione participandi illam.

134 Vnde prædicta inferiora quoad propria, quæ dicunt, possunt considerari in *esse* rei: & sic non formalizantur per naturam animalis, saltem vt per rationem formalẽ adæquatam: vel in *esse* obiecti repræsentabilis per vnam & eandem speciem vniuersalem, & excellentem: & secundùm hanc considerationem habent formalizari per naturam animalis, quatenus adhuc secundùm suas rationes peculiares, & diuersas habent pertinere ad latitudinem animalis, & esse id, ad quod natura animalis extenditur.

Elucidatur. Potestque hoc explicari, tum ex eo, quòd illa species intelligibilis est excellens, & est vna: & ita ex quo capite est excellens, debet extendere se ad plura quoad proprias naturas eorum: & ex quo capite est vna, & habet identitatem in natura in *esse* intelligibili cum suo obiecto formali primario, debet se extendere ad illa plura cum aliqua subordinatione ad aliquam vnam naturam diffusam per omnia illa. Tum etiam, exemplo diuinæ omnipotentiæ, quæ, quia excellens, ideò continet actu omnia possibilia quoad proprias rationes eorum: quia verò est vna, idcircò præter vnitatem, quam habet ex essentia diuina, vt est ratio faciendi creaturas, terminatur perprius ad easdem creaturas sub ratione communi possibilis, quàm ad easdem secundùm peculiares rationes, & vt inter se distinguuntur: quia in *esse* obiecti pertinentis ad latitudinem obiectiuam diuinæ omnipotentiæ, habent (vt sic dicamus) formalizari per rationem illam communem possibilitatis diffusam suo modo per illas.

§. VIII. *Posterior solutio eiusdem argumenti oppositæ sententiæ.*

Animaduersio pro solutione posteriori vltimi argumi. 135 TErtiò potest probabiliter responderi eidem primo argumento principali. Vt autem solutio ista melius intelligatur, recolendum est id, quod sæpè diximus, nimirum, obiectum proportionatum, & adæquatum in ratione proportionati respectu intellectus Angeli esse totum hoc vniuersum, vt est vnum vnitate ordinis: & ideò non sunt debitæ ei species, nisi eorum, quæ sunt partes prædicti vniuersi: ac proinde, modo dicto obiectum adæquans omnes species intelligibiles residentes in intellectu, erit prædictum vniuersum, & obiectum peculiaris huius, aut illius speciei intelligibilis, erit peculiaris aliqua pars vniuersi, quæ sit, vel talis cõditionis, vt sit de supremis partibus eiusdem vniuersi in collatione ad Angelum, in quo reperitur talis species intelligibilis, vel sit etiam præcipua vniuersi pars, quatenus constat, & integratur ex alijs partibus minoris perfectionis, & constituentibus saltem vnitate ordinis prædictam partem potiorem.

Vnde, si intellectus Angeli fuerit tantæ perfectionis, vt debeatur illi species intelligibilis ita vniuersalis, quòd repræsentet naturam animalis cum omnibus naturis inferioribus sub eo contentis, & actu conditis in rerum natura: tunc obiectum formale, & proportionatum prædictæ speciei erit collectio illa omnium naturarum, quæ continentur sub natura animalis, necnon natura ipsa animalis, vt constituunt hanc præcipuam & potissimam partem vniuersi, vnam vnitate saltem ordinis, & dicentem totum gradum animalitatis diffusum per omnes suas veluti partes ipsum quasi integrantes. Si vero intellectus alicuius Angeli non fuerit tantæ perfectionis, vt debeatur ei vnica species pro repræsentatione totius naturæ animalis modo nuper dicto, tunc obiectum formale, & proportionatum talis speciei erit aliqua alia pars huius vniuersi, constans & integrata ex paucioribus partibus, nempe ex natura animalis, & ex certis quibusdam inferioribus contentis sub illa, & constituentibus vnam partem respectu totius vniuersi, quæ sit minùs lata, quàm altera pars eiusdem vniuersi per vniuersaliorem, & perfectiorem illam speciem repræsentata.

Cæterùm, sicut si per possibile, vel impossibile daremus, intellectum alicuius Angeli intelligere per vnicam tantum speciem totum hoc vniuersum, tunc prædicta species haberet pro obiecto formali, & proportionato, ac proinde primario prædictũ vniuersum, vt est vnum vnitate ordinis, & pro secundario peculiares partes vniuersi, & per illam speciem repræsentaretur distinctè, & actualissimè totum vniuersum per se primò, & deinde secundariò partes, vt illud constituunt; non quidem vtcumque, sed tam quoad ea, in quibus conueniunt, quàm quoad ea, in quibus distinguuntur, quia prædictæ partes, vt partes illius sunt, vtrumque afferunt: ita quando species v. g. repræsentat naturam animalis cum omnibus inferioribus, cum quibus condita est, tunc hæc præ-

cipua

cipua pars vniuerſi, in qua ſic lucet gradus animalis, quæque integratur, aut quaſi integratur ex alijs partibus, eſt obiectum formale primarium, & proportionatum prædictæ ſpeciei intelligibilis, & peculiares naturæ integrantes hunc gradum ſunt obiectum ſecundarium illius. Et ideò per illam ſpeciem non ſolùm poteſt cognoſci diſtinctè pars illa potior vniuerſi, vt eſt vna vnitate ordinis, ſed etiam aliæ partes quaſi integrantes hanc potiorem partem. Quoniam tam quoad ea, in quibus conueniunt, quàm quoad ea, in quibus diſtinguuntur, integrant, & componunt eam, vt eſt vna vnitate ordinis.

Explicatur exemplo.

136 Poteſtque hoc explicari exemplo ſpeciei intelligibilis repræſentantis totam aliquam figuram artificioſam, cuius primarium obiectum eſt tota illa figura, & ſecundarium partes illius, per quam ſpeciem meliùs, & diſtinctiùs repræſentantur partes, quàm ſi ſingulæ per ſingulas ſpecies repræſentarentur: quia per prædictam ſpeciem totius repræſentantur quoad ea, in quibus conueniunt, & quoad ea, in quibus diſtinguuntur. Vnde ad formam argumenti negandum eſt antecedens, intellectum de vnica natura, vt eſt vna vnitate ordinis. Nec cõtrarium ſuadet prior probatio conſequentiæ de eſſentia diuina, quatenus ad probationem huius antecedentis queit adduci. Quoniam poteſt ei præberi idem reſponſum, proportione ſeruata, quod ei præbuimus in præcedenti ſolutione ex D. Thoma, & Caietano deſumpta. Sicut etiam ad alias probationes eiuſdem conſequentiæ ſatis conſtat, non poſſe retorqueri contra hanc ſolutionem. Maximè, ſi expendantur ea, quæ pro præcedenti diximus.

Ex dictis eneodatur argumentum

Obiectio.

137 Vnde non obeſt, ſi contra eam obijcias, hoc vniuerſum, vt eſt vnum vnitate ordinis, non eſſe vnum per ſe, ſed tantùm eſſe vnũ ſecundùm quid: ac proinde aliqua ex eius potiſsimis partibus, vt eſt vna vnitate ordinis integrata ex alijs, tantùm habebit vnitatem ſecundùm quid, non verò vnitatem per ſe, ſiue ſimpliciter talem: ergo non poterit eſſe ratio formalis obiectiua, & primaria alicuius ſpeciei intelligibilis. Patet conſequentia. Quia cùm ſpecies ſit eiuſdẽ naturæ cum obiecto primario, ſi hoc non dicit vnam naturam formaliter vnam, ac proinde vnam per vnitatem per ſe, conſequens erit, vt illa ſpecies intelligibilis non ſit per ſe vna, nec habeat in *eſſe* intelligibili vnicam, ſed plures naturas ſimpliciter, licèt prædictæ naturæ ſint vna natura ſecundùm quid.

Enodatur.

Reſpondetur enim ex illis, quæ §. 5. huius dubij dicta ſunt, nempe, quòd iuxta hunc dicendi modum ſatis eſt ad vnitatẽ per ſe ſpeciei, quòd terminetur ad obiectum per ſe vnum in genere obiecti, licèt non ſit per ſe vnum formaliter in genere rei: ac proinde quòd naturæ repræſentatæ in *eſſe* repræſentabilium ſint vnum, quia ſubſunt eidem rationi *ſub qua* in genere obiecti. Ad hanc autem vnitatem per ſe in genere obiecti fundandam, & originandam ſatis eſt vnitas ordinis inter illas; etiam ſi demus, quòd in *eſſe* rei non ſit hæc vnitas ita perfecta, vt pertingat ad vnitatem per ſe. Et ita ſpecies repræſentatiua repræſentabit duplicem naturam, ſi conſiderentur prædictæ naturæ ſecundùm ſe: & tamen ſi hæ naturæ in *eſſe* obiecti, ſiue in *eſſe* repræſentabilium ſumantur, tunc conſtituunt vnicam dumtaxat naturam in genere obiecti: quia ſunt repræſentabiles per vnicam ſpeciem, & ex ſe hanc repræſentabilitatem poſſunt fundare.

Quæ ſolutio videtur innui à D. Thoma infrà q. 58. art. 2. vbi cùm inquiſiſſet, vtrùm intellectus Angelicus queat plura ſimul intelligere? reſpondet, poſſe dummodò non intelligat illa vt plura, ſed vt vnum. Et vt explicet, quæ vnitas ad id ſufficiat, inquit, ſatis eſſe eam vnitatem, quæ eſt inter duo, comparata ſecundùm quòd conueniunt in vna comparatione. Et tandem vt exponat, quomodo duo comparata, & vniuerſaliter alia, quæ in *eſſe* rei ſunt plura, poſſint in *eſſe* intelligibili eſſe vnum, & vnicum intelligibile conſtituere, recurrit ad vnitatem ſpeciei intelligibilis: quia, quę per vnicam ſpeciem intelliguntur, habent rationem vnius intelligibilis, & propterea queunt ſimul cognoſci. Vbi (vt conſtat) S. Doctor admittit, duo comparata ſecundùm quòd conueniunt in vnica comparatione, poſſe ſimul cognoſci: & conſequenter poſſe etiam per vnicam ſpeciem intelligibilem attingi. Cumque duo iſta comparata, vt ſtant ſub vna comparatione, non ſit neceſſe eſſe vnum per ſe, & formaliter in *eſſe* rei, ſed ſatis ſit, eſſe vnum in genere obiecti: inde eſt, vt ad rationem vnius ſpeciei intelligibilis, potentis ipſa repræſentare, non requiratur ex parte obiecti vnitas per ſe in *eſſe* rei; ſed ſufficiat vnitas per ſe in *eſſe* obiecti, ſeu in *eſſe* repræſentabilis.

D. Thom.

§. IX. *Secundum, & tertium fundamentum oppoſitæ ſententiæ.*

Secundum fundamentum oppoſitæ ſententiæ

138 SEcundò, & principaliter probatur prædicta ſententia. Quoniã ſi Angelus, quò perfectior, eò per vniuerſaliores ſpecies intelligeret, fieret inde, poſſe deueniri ad aliquem ex illis, qui per vnicam dumta-

dumtaxat ſpeciem valeret omnia intelligere: ac proinde, qui per ſolam ſuam ſubſtantiam illa perciperet. Hoc autem eſt contra ea, quæ dubio 1. huius diſputationis latiùs diximus. Ergo, &c. Probatur ſequela. Quia ſi ponamus, ſupremum Angelum, qui modò eſt, intelligere per duas ſpecies, tunc ſi crearetur à Deo Angelus eo perfectior, intelligeret per pauciores, quippe qui intelligeret per ſpeciem vniuerſaliorem: atque adeò haberet cognoſcere omnia per vnicam dumtaxat ſpeciem: ac proinde per ſolam ſuam eſſentiam, à qua, vt habet rationem ſpeciei intelligibilis, non poteſt denudari.

Quod argumentum eandem vim habet, etiamſi ponatur, Angelum ſupremum, qui nunc eſt, non intelligere omnia præciſè per duas ſpecies, ſed per plures alias. Quia dummodò illæ ſpecies ſint vniuerſaliores, ac proinde pauciores, quàm ſpecies Angeli inferioris, fiet inde, vt aſcendendo ad alium, & alium Angelum perfectiorem, deueniendum ſit ad aliquem ita perfectum, qui tantùm per duas ſpecies omnia intelligat. Cumque ſupra hunc debeat eſſe alius (quia Angeli ſe excedentes in perfectione eſſentiali ita ſe habent, vt quouis dato, quantumuis perfecto, poſſet alius, & alius vſque in infinitum produci perfectior, iuxta ea, quę N. Complutenſes in lib. Phyſicorum diſput. 18. num. 28. docent) inde eſt, deueniendum eſſe ad quemdam Angelum, qui omnia per vnicam dumtaxat ſpeciem intelligat, ſi ſemel, quò Angeli ſint perfectiores, eò per vniuerſaliores, ac proinde per pauciores ſpecies intelligunt.

N. Compl.

Animaduerſio pro reſponſione argumenti. *Caietanus Nazarius*

139 Reſpondetur enim ex Caietano, Nazario & pluribus alijs ex diſcipulis D. Thomæ, ſupponendo tamen priùs, nulli Angelo conuenire ſpecies vniuerſales reſpectu quidditatum, quæ fuerint ipſo perfectiores. Tum, quia ſpecies quoad hanc vniuerſalitatem commenſurantur perfectioni Angeli, cui conueniunt, quia concurrunt connaturaliter: at non poteſt rectè explicari, qua ratione commenſurentur, ſi concedamus vniuerſalitatem in ſpeciebus alicuius Angeli reſpectu obiectorum perfectiorum eodem Angelo: quia iam eius vis repræſentatiua excederet ſaltem quoduis illorum ſigillatim ſumptorum, cùm tamen intellectus, cuius eſt talis ſpecies, non haberet prædictum exceſſum. Tum etiam. Quia vt ſpecies ſint vniuerſales in repræſentando, & ſint ſuperexcedentes peculiaribus naturis ſimul ab illa repræſentatis, oportet inter alia, vt in ea habeant nobiliorem, & eleuatiorem modum eſſendi, quàm in ſe ipſis, vt ita ibidem magis vnitè quodammodò contineantur, quàm in ſe ipſis: at dum quidditates repræſentatæ ſunt nobiliores in actualitate, & immaterialitate, quàm intellectus, cui eſt connaturalis illa ſpecies, tunc non habent in illa nobiliorem, & immaterialiorem modum eſſendi, quàm in ſe ipſis: & propterea prædicta ſpecies nequit eſſe vniuerſalis in repræſentando, ſeu ſuperexcedens reſpectu prædictarum quidditatum.

Diſſoluitur expreſſa animaduerſione *Caietanus*

Hoc ergo ſuppoſito, reſpondetur cum Caietano artic. 3. huius q. vbi ſic habet: *Ad hoc dicitur breuiter, negando conſequentiam. Quoniam ſtante illa hypotheſi, quicquid de illa ſit, dicitur, quod creato ſuperiori Angelo, neceſſario omnibus inferioribus Angelis ſuperadderetur noua ſpecies, qua diſtinctè poſſent illum intelligere. Et ſic in illo, qui erat ſupremus, erunt tres ſpecies: in iſto verò non iter facto eſſent duæ tantum, & conſequenter pauciores. Et ſic eodem modo dicendum eſt ſi procedatur in infinitũ: ſemper ſuperior habebit pauciores ſpecies, non per minorationem dualitatis, ſed per additionem, ſeu multiplicationem pluralitatis in inferioribus.*

Obiectio.

140 Nec refert ſi obijcias, hinc fieri, eſſe veram ſententiam Scoti quam in toto hoc dubio impugnauimus, ſaltem quoad ſpecies intelligibiles Angelorum v. g. infimæ Hierarchię, repræſentantes alios Angelos ſuperiorum Hierarchiarum, aut perfectiores intra eandem infimam Hierarchiam. Sequela videtur perſpicua. Siquidem prædictę ſpecies intelligibiles non ſe excedunt in vniuerſalitate repræſentandi, ſed vnaquæque ſolùm repræſentat vnicam dumtaxat naturam: atque adeò exceſſus ſpecificus, quo vna ex illis excedit aliam, tantùm erit in hoc, quòd maiori claritate repræſentet, quàm alia.

Confirmatio.

Confirmatur. Nam vel illæ ſpecies intelligibiles duorum Angelorum infimæ Hierarchiæ repræſentantes aliquem alium Angelum ſuperiorem, diſtinguuntur ſpecificè, vel non? Hoc ſecundum dici nequit: alioqui intellectiones elicitæ ab illis Angelis non eſſent diuerſæ ſpeciei: ſiquidem ſpecificatio intellectionis deſumitur ex principio formali *quo* effectiuo illius, ſcilicet ſpecie intelligibili: conſtat autem prædictas intellectiones, vtpotè ducentes originem ab intellectibus diuerſæ ſpeciei, debere diſtingui ſpecie. Ergo neceſſe eſt dici primum: & per conſequens manent eneruatæ omnes illæ probationes, quibus ſuprà in hoc eodem dubio ex diſtinctione ſpecifica ſpecierum intelligibium, & intellectuum deducebamus maiorem vniuerſalitatem earum in repręſentando, non ſufficere, quòd hic exceſſus, & diſtinctio earum

splendeat in hoc, quòd habeant clariùs, & distinctiùs repræsentare.

Fit obuiam obiectioni. 141 Respondetur enim, negando sequelam in eo sensu, in quo Scotus, & alij aduersarij intendunt, prædictas species esse æquales in repræsentando. Et ad probationem dicendum est, aliud esse, an collata ex vna parte tota collectione specierum intelligibilium Angeli superioris, cum tota collectione specierum alterius Angeli inferioris, tunc collectio illa prior sit specierum magis vniuersalium, atque adeò pauciorum, quàm collectio posterior? Aliud verò, an facta collatione alicuius determinatæ speciei intelligibilis existentis in Angelo perfectiori, v. g. infimæ Hierarchię, cum specie intelligibili reperta in Angelo inferiori eiusdem Hierarchiæ, quarum quælibet repræsentet alium Angelum superioris Hierarchiæ, tunc illa debeat esse vniuersalior ista? Etsi ergo primum illud sit verum, & necessariò dicendum; non tamen hoc posterius: quia ad maiorem perfectionem, & accessum maiorem Angelorum nobiliorum ad Deum satis est illud primum. Et ratio est. Tum, quia intellectus perpriùs respicit hanc collectionem specierum: & ita eius perfectio, & maior propinquitas ad Deum in hac debet splendere: quia eo ipso magis assimilatur Deo in hoc, quòd intelligat per pauciores species. Sicut maior perfectio, quæ est in intellectu supra voluntatem, maiorque vniuersalitas, quam dicit, quamque explicant N. Complutenses in libr. de Anima disput. vltima, num. 42. non est necesse, vt splendeat in quouis actu intellectus secundùm suam peculiarem rationem sumpto, sed satis est, eam splendere in actu adæquato illius. Et propterea huic maiori perfectioni non derogat, quòd detur aliquis actus intellectus, qui secundùm suam peculiarem rationem non sit nobilior alio actu voluntatis, imò quòd superetur ab illo, vt patet in actu fidei, & charitatis. Sic ergo in præsenti, proportione seruata, philosophandum est.

N. Compl.

Vnde adhuc quoad species intelligibiles existentes in Angelo inferiori, & repræsentantes Angelum superiorem, non incidimus in sententiam Scoti. Quoniam ipse ita asserit has species non se extendere in vniuersalitate, vt existimet, id prouenire ex ratione generali speciei intelligibilis creatæ, quæ, hoc ipso quòd creata est, nequit plures naturas distinctè, ac actualissimè repræsentare: ac proin de negat, has species esse talis conditionis, vt tam species existens in Angelo non ita perfecto, quàm illa, quę est in Angelo perfectiori, queat ingredi ad componendam collectionem magis vniuersalem, siue constantem ex paucioribus speciebus intelligibilibus.

Tum etiam. Quia quod Scotus intendit, est id, quod ex diametro opponitur sententiæ D. Thomæ, & rationi, qua innititur. At D. Thomas, & ratio illius eò tantùm tendunt, vt dentur in Angelis, quò perfectiores sunt, species magis vniuersales repræsentantes naturas inferiores, ita vt hoc ducat ortum ex maiori similitudine, & accessu ad Deum, quem debent in suis speciebus habere. At diuina essentia, vt habet rationem speciei intelligibilis, solùm est vniuersalis in repræsentando respectu naturarum inferiorum; non verò respectu naturæ æqualis sibi, vt habet rationem speciei intelligibilis, nempe respectu sui, vt habet rationem naturæ: & multò minus respectu naturæ superioris, quia illam non habet: & si haberet naturam superiorem, nequiret esse excellens in repræsentando respectu illius, ac proinde nec habere repręsentationem vniuersalem respectu eiusdem. Quare ad saluandam hanc similitudinem, & maiorem accessum Angelorum ad Deum, satis est tribui illis species vniuersales in repræsentando respectu naturarum inferiorum, & quòd hę in Angelis, secundùm gradum specificum superioribus, sint vniuersaliores.

Ad confirmationē respondetur.

142 Ad confirmationem respondetur, duas illas species distingui specificè, non quidem ex parte naturę repręsentatæ, sed ex parte modi repræsentandi; & quia species reperta in Angelo superiori infimę Hierarchiæ potest ingredi collectionem specierum magis vniuersalium in repræsentando, & ex consequenti constantem ex paucioribus speciebus. Vnde hinc non fit, manere eneruatas probationes in fauorem rationis D. Thomæ. Quia omnes eo tendunt, tum vt conuincant, in Angelis, quò fuerint perfectiores, dari species vniuersaliores respectu naturarum, & obiectorum inferiorum; non verò respectu obiectorum superiorum, & præstantiorum: tum etiam (id, quod ex præcedenti sequitur) vt ostendant, Angelum perfectiorem, collatum cum collectione suarum specierum intelligibilium, importare collectionem magis vniuersalem in repræsentando, seu collectionem coalescentem ex paucioribus speciebus, sicut de excessu intellectus supra voluntatem dicebamus.

Vnde, sicut hunc excessum satis venamur ex eo, quòd facta collatione inter perfectissimum actum intellectus, & perfectissimum voluntatis, nempe visionem claram Dei, & amorem beatificum, ille fit perfectior isto: ita ad venandum maiorem

iorem vniuerſalitatem ſpecierum vnius Angeli ſupra ſpecies alterius, ſatis eſt, quòd facta comparatione inter ſpecies vniuerſales vnius, & vniuerſales alterius, tunc ſpecies exiſtentes in Angelo perfectiori ſint vniuerſaliores ſpeciebus repertis in Angelo non ita perfècto: & quòd ſpecies æquales in repręſentando exiſtentes in ipſis ſint talis conditionis, vt in Angelo perfectiori ordinentur ad conſtituendam collectionem ſpecierum magis vniuerſalem in repræſentando, ſiue conſtantem ex paucioribus ſpeciebus, quàm ſpecies inuenta in altero Angelo non ita nobili: quia eo ipſo magis vnito, atque eleuato modo actuant intellectum. Et licèt non ob ſuam peculiarem rationem, attamen ob rationem actus primi, inadæquati tamen reſpectu intellectus, reſpicit obiectum vniuerſalius: quia reſpicit totum obiectum proportionatum intellectus, in quo eſt, vt eſt repræſentabile per collectionem magis vniuerſalem in repræſentando. Sicut licèt actus fidei v. g. ſecundùm quòd eſt fidei, non habeat perfectius obiectum, quàm actus charitatis: attamen ſecundùm rationem generalem actus inadæquati intellectus reſpicit obiectum perfectius, quàm actus charitatis. Quia reſpicit illud idem, quod reſpicitur ab actu adęquato: & hoc eſt nobilius, quàm actus adæquatus voluntatis. Per quæ ſatis ſaluatur vniuerſalitas maior, quę in ſpeciebus intelligibilibus Angelorum perfectiorum reperitur, hoc ipſo quòd prædictæ ſpecies ſint ſpecificè diſtinctæ.

Tertiũ fundamentum

143 Tertiò probatur eadem ſententia. Quoniam datis his ſpeciebus vniuerſalibus in repræſentando, non eſt aſsignabilis ratio, cur ſpecies vnius Angeli, repręſentantes tanquam rationem primariam aliquam naturam genericam, ſint vniuerſaliores, quàm ſpecies alterius Angeli, quæ illam etiam repræſentant: cùm tamen debeat dari prædicta ratio ad hoc, vt debeant concedi prædictę ſpecies cum exceſſu in hac vniuerſalitate. Antecedens probatur. Quoniam, natura illa generica menſurans prædictas ſpecies, non habet aliquid, vnde diſtributa ſit magis in decem v.g. inferiora, quàm in viginti, vel in omnia, in quibus creata eſt à Deo, ſed indifferenter reſpicit omnia ſua inferiora, vel ſaltem ea, quæ actu condita ſunt in hoc vniuerſo, tamquam partes eiuſdem vniuerſi.

Diluitur.

Reſpondetur, ſatis deduci à poſteriori, prædictam naturam genericam habere aliquid, ratione cuius collata cum hoc Angelo dicat ſe ipſam, vt contractam ad certum numerum inferiorum, quatenus eſt obiectum formale per ſe primò in ſpectum ab eadem ſpecie intelligibili. Nam cùm prędictus intellectus ratione immaterialitatis, quam ſecundùm ſuam ſpeciem atomam habet, petat ſpeciem intelligibilem ſub certa quadam vniuerſalitate: inde eſt, vt ipſa natura animalis, vt ei correſpondet per modum obiecti, dicat etiam ſe ipſam diſtributam in ſua inferiora, per tantam, vel tantam extenſionem diſtributionis in ipſa, quanta requiritur ad vniuerſalitatem petitam à prædicta ſpecie intelligibili.

Vnde natura animalis poteſt conſiderari, vel ſecundùm ſe, & abſolutè in genere rei; vel comparata cum hoc intellectu Angelico, & ſpecie intelligibili illius, ac proinde non in *eſſe* rei, ſed in *eſſe* obiecti, ſecundùm quòd fundamentaliter, & radicaliter originat rationem *ſub qua* in genere obiecti. Licèt ergo natura animalis primo modo non habeat aliquid, vnde connectatur cum his potiùs naturis inferioribus, quàm cum alijs; benè tamen ſecundo modo accepta: quia ſic conſideratur in collatione ad id, cuius eſt obiectum: & ita dicit eam diſtributionem, & extenſionem ad ſua inferiora, quæ petitur ab illo intellectu, & eius ſpeciebus, & non maiorem. Vnde prędicta natura cum illis inferioribus, & non cum alijs habet ſpecialem rationem repræſentabilitatis in collatione ad ſpeciem intelligibilem prædicti intellectus, quam non habet in comparatione ad alium intellectum, & ſpeciem intelligibilem illius. Sicut eadem natura generica animalis ſecundùm ſe, & eſſentialiter, ac in genere rei ſumpta, non eſt magis nexa cum omnibus inferioribus, cum quibus actu condita eſt, quàm cum quibuſuis alijs poſsibilibus: & tamen quatenus comparatur cum intellectu Angelico per modum obiecti proportionati illius, eſt peculiariter connexa cum naturis ſpecificis ſibi inferioribus, cum quibus actu condita eſt.

Prior obiectio contra ſolutionem.

144 Nec obeſt, ſi contra hæc obijcias duo. Primum eſt. Quòd ſaltem non erit vnde deſumatur ratio, propter quam iſta ſpecies intelligibilis, exiſtens v. g. in aliquo Angelo, qui non ſit tantæ perfectionis, vt petat vnam dumtaxat ſpeciem pro tota natura animalis, & inferiorum illius actu productis in hoc vniuerſo, repræſentet has potiùs naturas ſpecificas contentas ſub animali, quàm illas, & alia ſpecies intelligibilis exiſtens in eodem repręſentet alias naturas ſpecificas, & inferiores reſpectu animalis, & nõ iſtas. Quia ex parte naturæ animalis, vnde debet prouenire iſta diuerſitas, tãtũ habetur, quòd in ſpeciebus exiſtẽtibus in prædicto intellectu ſit illa vniuerſalitas, quę exigitur ab eodẽ intellectu in ſui ſpecieb⁹: & hæc eſt ęqualis in omnibus illis, quæ vniuerſales ſunt in repræſentando: ac proinde ſolũ petitur ex vi rationis obiectiuę proximę, & perfectionis intellect⁹, quòd

per

per quamlibet ex illis ſpeciebus repræſententur v.g. tres, vel quatuor naturæ ſpecificæ ex his, quæ continentur ſub natura animalis, nõ verò hæ potiùs, quàm illæ prædictum numerum non excedentes.

Secundũ eſt. Quòd ſi prædictæ ſpecies habent ex parte naturæ genericæ repræſentare hãc vnitatẽ, & vniuerſalitatẽ, tunc omnes ſpecies, quæ repertæ fuerint in vnico intellectu, repræſentantes tamquam obiectum formale primarium illam naturam genericam, erunt eiuſdem rationis, & ſpeciei atomæ, quippe quæ habebunt idem obiectum formale primarium. Hoc autem non videtur admittendum: alioqui duo accidentia ſolo numero diuerſa eſſent ſimul in eodem intellectu.

Secunda.

145 Reſpondetur enim ad primam ex his obiectionibus, optimè poſſe reddi ſufficientem rationem eius, quòd in eadem probatione continetur. Nam hæc diſtributio naturarum in prædictas ſpecies intelligibiles ſic facienda eſt, vt ſi intellectus ſit v.g. tantæ perfectionis, vt pervnicam ſpeciem poſsit ſimul intelligere centum ex naturis inferioribus, & minoris perfectionis, contentis, ſub animali tũc detur ei vna ſpecies pro omnibus illis: & ita ſpecies, quæ habuerit talẽ ſpecificationẽ, vt ſit per ſe primò ad hoc deſtinata, habebit repræſentare naturã animalis concernendo illas peculiares naturas. At cæteræ ſpecies intelligibiles terminatæ ad naturam animalis, non repræſentabunt ſingulæ alias centum naturas ſub animali contentas, & perfectiores, quàm illæ centum priores; ſed pro qualitate exceſſus naturarum repræſentatarum erit minor numerus earum: ita tamen, vt prædictæ naturæ repreſentatæ ſic concatenentur, vt ſemper ſpecies repræſentatiua earum ſit excellens, & repræſentet plures ex illis, quia hoc exigunt ſpecies Angelicę, quæ repreſentant naturas inferiores: & ideò illæ ſpecies potiùs, quàm aliæ repræſentabunt has collectiones naturarum contentarum ſub animali, & non illas, quę habuerint talem ſpecificationẽ, vt per ſe primò deſtinatæ ſint ad has, & non illas collectiones naturarũ contentarum ſub animali modo dicto repræſentãdas.

Enodatur prior obiectio.

Elucidatur ratione.

Ratio autẽ, propter quã ſpecies repræſentãtes perfectiora inferiora cõtenta ſub animali, debent repræſentare pauciora, quã illæ quæ repræſentauerint imperfectiora, & ſunt in eodem intellectu, habentque proinde eandem actualitatem proportionatam cum perfectione prædicti intellectus, eſt. Quia requiritur maior actualitas ad repræſentandum naturas perfectiores, quàm non ita perfectas: ſicut ad continendum in *eſſe* entitatiuo excellentiores naturas, quàm non ita excellentes, deſideratur maior nobilitas, maiorque actualitas. Et propterea in diuina omnipotentia, & in eſſentia itidem diuina, vt habet rationem ſpeciei intelligibilis, diſtinguimus plures (vt ſic dicamus) ſinus, pluresque gradus, ſiue virtualiter, ſiue ex parte noſtri modi intelligendi diſtinctos. Et concipimus in ſinibus non dicentibus tantam perfectionem, contineri naturas nõ ita excellentes: è contrario in ſinibus exprimentibus maiorem perfectionem præhaberi naturas excellentiores. Et ita vniuerſalitas ſpecierum repręſentantium naturas perfectiores, eſt intenſiuè maior (cæteris paribus) quàm vniuerſalitas ſpecierum, quæ repræſentant naturas nõ ita perfectas. Et per conſequens, ſi vniuerſalitas ſpecierum reſidentium in eodem intellectu, & repręſentantium res non ita nobiles, ac eſt Angelus, in quo ſunt, debet eſſe ęqualis: oportet, vt ſpecies repręſentantes naturas excellentiores, non repræſentent quoad multitudinẽ rerum repræſentatarũ tot naturas, quot aliæ ſpecies repræſentant naturas non ita perfectas, vt ita, penſatis omnibus, ſit omnium prędictarum ſpecierum ęqualis vniuerſalitas. Quomodo autem, & in qua quantitate determinatè, ſiue in qua multitudine naturarũ repræſentatarum debeat fieri hæc diſtributio, vt vniuerſalitas harum ſpecierum exeat ęqualis, nequit taxari à nobis, ſed ſolùm in communi poſſumus aſſerere, hanc diſtributionẽ poſſe ita fieri, vt quod deeſt in vna ſpecie de maiori multitudine naturarum repręſentatarum, compenſetur per repræſentationem excellentiorum naturarum ſub illa ratione communi contentarum: & rurſus, quod alteri ſpeciei de hac excellentia quoad naturas repręſentatas defuerit, veluti reſarciatur per repræſentationem plurium naturarum ſecundùm multitudinem, deficientium tamen ab illa nobilitate, & pręſtantia in ſuis rationibus ſpecificis.

Euertitur ſecunda obiectio.

Ad ſecundam verò obiectionem reſpondetur, quòd ſicut intellectiones diuerſorum obiectorum, vt ſunt actus inadæquati intellectus, & obiecti formalis, ac adęquati illius, ſunt eiuſdem ſpeciei, & tamen ſecundùm ſuas particulares rationes, & collatę cum ſuis peculiaribus obiectis, vt inter ſe diſtincta ſunt, habent diſtingui ſpecie per comparationem ad illa: ita duę ſpecies exiſtentes in eodem intellectu, vt ſunt actus primi, & inadęquati intellectus, & reſpiciunt collectionem adęquatam, coaleſcentem ex alijs ſpeciebus intelligibilibus repertis in eodem intellectu, ac proinde vt ambę reſpiciunt idem obiectum formale adęquatum, ſunt eiuſdem ſpeciei atomę, cùm tamen, vt reſpiciunt ſua obiecta peculiaria, diſtinguantur ſpecie per ordinem ad illa. Vnde natura animalis, vt habet rationem obiecti formalis reſpectu ſpeciei repręſentantis illam, cum certis quibuſdam naturis ſpecificis ſub ea contentis, & non cum alijs, eſt valdè probabile, quòd diſtingua-

ſtinguatur formaliter (adhuc quoad rationem formalem *quæ* in *eſſe* rei ſumptam) à ſe ipſa, vt eſt obiectum formale alterius ſpeciei repreſentantis eandem diſtributam in alias naturas ſpecificas, & non iſtas. Quia vt induit rationē obiecti formalis reſpectu prędictę ſpeciei, aut rationis formalis *quæ* in *eſſe* rei, dicit ſe ipſam, vt exigentem, & connotantem illas naturas ſpecificas, & non alias.

Replica. 146 Nec refert ſi vrgeas, quòd eſſentia diuina, vt per modum ſpeciei intelligibilis repręſentat in beato ſeipſam, prout eſt ratio cognoſcendi has creaturas poſsibiles, & non illas, nō diſtinguitur à ſe ipſa ſpecificè, prout eſt ratio cognoſcendi alias, & non iſtas: nec eſſentia diuina, vt eſt obiectum primarium prioris repręſentationis, diſtinguitur eſſentialiter in ratione obiecti à ſe ipſa, vt eſt obiectum primarium poſterioris repræſentationis. Ergo eadem ratione vna ſpecies intelligibilis, repræſentans naturam animalis, vt eſt ratio cognoſcendi certa quædam inferiora, nō diſtinguetur ſpecie ab alia repræſentāte eandem naturam animalis, vt eſt ratio cognoſcendi certa alia inferiora: nec ipſa natura animalis, ſecundùm quòd terminat repręſentationem vnius ſpeciei intelligibilis, diſtinguetur in ratione obiecti à ſe ipſa, vt terminat repræſentationem alterius.

Reſpondetur primo. Reſpondetur, negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt. Quoniam eſſentia diuina, vt eſt ſpecies intelligibilis, non deſeruit per ſe primò, niſi intellectui diuino, nec petit commenſurari cum alio intellectu, præter quàm cum iſto: at reſpectu huius non eſt ratio cognoſcendi has potiùs creaturas, quàm illas, ſed omnes. Et ita, quia in collatione ad prædictum intellectum debet deſumi eius vnitas, necnon in comparatione ad ſe ipſam, vt eſt obiectum terminatiuum diuini intellectus: ideò non diſtinguitur ſpecie penes illa, quæ conueniunt ipſi in comparatione ad intellectum creatum, & eandem diuinam eſſentiam, vt eſt obiectum illius. Cæterum repræſentatio conueniens his duabus ſpeciebus intelligibilibus, de quibus in hac obiectione fit ſermo, ita conuenit eis, vt intellectus, cui vnaquæque ex illis per ſe primò deſeruit, poſtulet certam illam repręſentationem, quam quæuis habet, & non maiorem, nec minorem: & ita ipſæ ſpecies per ſe primò dicunt tantam repræſentationem, & non maiorem, nec minorem: ac proinde per ſe primò habebunt repræſentare naturam illam animalis, vt eſt ratio cognoſcendi certa illa inferiora: & per conſequens, vt concernit, ſeu petit illa, & non alia.

Secundo. 147 Secundò reſpondetur, eſſe valdè probabile, quòd prędictæ ſpecies repræſentantes eandem naturam animalis, ſiue cum his, ſiue cum illis naturis inferioribus coniunctam, eſſe ſemper eiuſdem rationis quoad rationē *quæ* in *eſſe* rei, licèt quoad rationem *ſub qua* obiectiuam ſint diſtinctæ. Quia ratio formalis *quæ* in *eſſe* rei per ſe primò repræſentata tantùm eſt ipſa natura animalis, non verò petitio (vt ſic dicamus) tot, vel tot ex naturis inferioribus ſub illa contentis. Nam, quòd has petat, & non illas, vt repræſentatur per iſtam ſpeciem, prouenit ex diſtincto modo magis, vel minùs eleuato repræſentandi, & ex ipſa, vt eſt ſub ratione *ſub qua* obiectiua talis repræſentationis; non verò ex ipſa ratione *quæ* in *eſſe* rei per ſe primò repræſentata, ſecundùm ea, quæ ex ſua præciſa ratione, vt diſtincta à ratione *ſub qua*, habet. Nec contra hoc obeſt id, quod in præcedenti ſolutione dicebamus aſſignando diſcrimen ex vna parte inter eſſentiam diuinam, vt eſt ratio cognoſcendi has potiùs creaturas, quàm illas, & ex alia inter has ſpecies Angelicas, vt vna eſt ratio cognoſcendi has naturas contentas ſub animali, & non alias, & altera, vt etiam eſt ratio cognoſcendi has, & non illas. Quia quòd vna ex his ſpeciebus deſeruiat per ſe primò intellectui poſtulanti certam illam repræſentationem, & non maiorem, nec minorem, & alia eidem intellectui exigenti certam aliam repræſentationem, quæ non ſit maior, nec minor, ſatis ſaluatur per hoc, quòd illæ ſpecies intelligibiles habeant diſtinctas rationes *ſub quibus*, vnde proueniat inæqualitas illa repræſentationum: ac proinde per hoc, quòd reſpiciāt diſtinctas rationes *quæ*, in *eſſe* obiecti, ideſt, reſpicientes diſtinctas rationes *ſub quibus*, non verò quòd habeant diſtinctas rationes formales *quæ* in *eſſe* rei, quę quidem ſunt obiectum per ſe primum, & formale, cui competit, non vtcumque repræſentari, ſed repræſentari *vt quod*

§. X. *Vltimum fundamentum eiuſdem ſententiæ vnà cum reſponſione ad illud.*

Vltimū fundamentum. 148 VLtimò probatur prædicta ſententia. Quoniam alioqui aliqua ſpecies intelligibilis animalis repręſentans plures naturas poſſet eſſe infinita: hoc autem admitti nequit: ergo, &c. Sequela patet. Quia ſi ſemel ſpecies poteſt v.g. quinquaginta naturas ſub animali cōtentas repræſentare, etiam poterit centum, vt ex paritate rationis conſtare videtur. Et ſi poteſt centum, etiam habebit vim ad quaſuis alias ſub animali contentas repræſentandas. Ergo cùm ſub animali infinitæ naturę contineantur, poterit infinitas repræſentare, ac proinde erit infinita. Patet hæc vltima conſequentia. Quoniam ad repræſentandum naturā animalis cum quinquaginta

quaginta ſpeciebus requiritur certa & determinata perfectio: & ad repreſentãdum illam cum centum ex naturis inferioribus, deſideratur duplo maior perfectio, & ſic aſcendendo vſque in infinitum: ergo ad repræſentandũ infinitas, petetur infinita perfectio. Sicut quia ad portandum pondus vnius librę requiritur aliqua virtus, & ad portandum pondus duplo maius, deſideratur virtus duplo maior: id circò ad deferendum pondus infinitarum librarum, petitur infinita virtus.

Confirm. 1. Confirmatur primò. Quoniam per hoc, quòd prædicta ſpecies repræſentet vnam ex illis naturis, non ideò limitatur ab illa, ne repræſentet aliam: ergo ſimiliter ex eo, quòd repreſentet alteram, non limitabitur ab ipſa, ne repræſentet aliam naturam, & ſic de alijs: ergo ſicut repræſentat has naturas, poſſet repræſentare infinitas: quod (vt conſtat) arguit infinitam virtutem repræſentandi.

Confirm. 2. Confirmatur ſecundò. Nam in ſpecie intelligibili dicit perfectionem, quòd repræſentet vnam naturam ſpecificam: at hæc perfectio nequit eſſe tantùm perfectio individualis: ſiquidem eſt perfectio deſumpta per ordinem ad obiectum, & dicit perfectionem (vt ſic dicamus) intenſiuam in eadem ſpecie: ergo erit ſpecifica: ac proinde, ſi talis ſpecies repræſentauerit plures naturas ſpecificas, habebit plures perfectiones ſpecificas, & eo ipſo non erit quid conſtans ex genere, & differentia limitante ad vnam perfectionem ſpecificam, ſed quid illimitatum, & infinitum in ratione repræſentandi.

Diluitur argumentum 149 Reſpondetur, negando conſequentiam. Et ad probationem concedatur antecedens, & omnes (iuxta dicta tamen) conſequentiæ præter vltimam. Et ad probationem eius conſtat ex dictis, quòd, ſi hæc repræſentatio fuerit per maiorem intenſionem eiuſdem virtutis repræſentatiuę ſecundùm ſpeciem, tunc conuinceretur intentum: ſicut conuincitur infinita vis ad portandum pondus infinitarum librarum, ſi requiritur determinata virtus ad deferendum pondus duarum librarum, & duplo maior ad portandum illud duplo maius; & hęc portatio debet fieri per intenſionem maiorem virtutis deportatiuę ponderis. Cæterùm maior & vniuerſalior repræſentatio harum ſpecierum intelligibilium non fit per hoc, quòd eadem ſpecies intelligibilis, inuariata manens in ſua ſpecificatione, habeat magis intendi, & creſcere in ſua repræſentatione, ſed per hoc, quòd creſcat in perfectione ſpecifica, & ſit ſuperioris ordinis, & rationis ſpecificę. Nam, vt ratione huius exceſſus queat repræſentare duplo vniuerſalius obiectum, quàm alia ſpecies inferior, non eſt neceſſe, vt ſuperaddatur ei virtus ſpecie diſtincta, quæ ſit duplo perfectior perfectione ſpecifica, ſeu per exceſſum hunc certum & determinatum, quàm ſpecies inferior; ſed ſatis erit addi illi perfectionem ſpecificam ordinis ſuperioris; licèt non ſit duplo maior, ſed dicat exceſſum in determinatum minorem, & minorem: quoniam hic exceſſus, quamuis ſit in re ſuperioris ordinis, ſatis eſt ad hoc, vt ſpecies ſuperioris ordinis habeat vim ad repræſentandum obiectum duplo maius, & vniuerſalius: quandoquidem res vna ſuperioris ordinis poteſt æquiualere infinitis ordinis inferioris, ſi habeat ſufficientem actualitatem ad hoc, licèt non infinitam.

Replica. 150 Nec obeſt ſi vrgeas, quòd quæuis ſpecificatio debet eſſe certa & determinata: ergo cum ea non ſtat hic exceſſus indeterminatus, ſed debet eſſe certus & determinatus, ſi per hanc ſpeciem repræſentatur obiectum duplo maius, & vniuerſalius: ac proinde, ſi repræſentetur aliud obiectum per alteram quadruplo vniuerſalius, requiretur maior virtus ſecundùm rationem ſpecificam certa & determinata: & ex conſequenti ad repreſentationem infinitarum naturarum deſiderabitur infinita virtus.

Soluitur. Reſpondetur enim, aliud eſſe, an ſpecificatio illa debeat eſſe certa? aliud vero, an exceſſus debeat etiam eſſe certus? Primum eſt verum: ſecundum verò falſum. Quia ille exceſſus, vnà cum alijs gradibus (vt ſic dicamus) perfectionis communicantibus, & incertis, facit vnam & determinatam ſpecificationem; licèt ſigillatim ſumptus ſit indeterminatus. Sicut dum qualitas intenditur per maiorem, & maiorem radicationem ſecundùm maioritatem incertam & indeterminatam, correſpondentem partibus minoribus, & minoribus motus, tunc illa radicatio addita habet eſſe indeterminatam, & minorem, ac minorem ſecundùm ſe ſumptam. Si tamen comparetur cum reliqua intenſione, conſtituit certam & determinatam intenſionem, & in ea intenſione minori, & minori ſecundùm ſe ſumpta poſſet excedere aliam minorem intenſionem alterius qualitatis ſecundùm ſe etiam acceptam.

Prima reſpõſio ad primã confirmationem. 151 Ad primam confirmationem reſpondetur primò, iuxta ſolutionem adhibitam ex Capreolo primo argumento in fauorem ſententiæ Scoti adducto, aliud eſſe, an ſpecies iſtæ vniuerſales in repræſentando participentur limitatè, & reipſa ſint finitæ, & coarctatæ in repræſentando? aliud verò, an hęc limitatio proueniat ex naturis repreſentatis, prout in ſe habent ſuum *eſſe* entitatiuum, ex eo quòd ab illis menſurentur, accipiantque ſuam vnitatem ſpecificam? Primum illud verum eſt: quia procedunt

dunt ab essentia diuina limitatè quoad participationem eius, vt habet rationem speciei intelligibilis. At secundum est falsum: quoniam non sic originantur à diuina essentia, vt alię res, quę sunt talis conditionis, vt etsi respiciant Deum tanquam causam efficientem, prodeunt tamen ab illo cum proprijs rationibus specificis ex se, vel aliunde sumptis: vt patet in essentia Angelorum, vt habente rationem naturę, quæ etsi procedat à Deo, vt à causa efficienti secundùm inæqualitatem perfectionis, & secundùm inęqualem accessum ad Deum, hęc tamen inęqualitas non sumitur à Deo, vt ab specificante, sed ex proprijs rationibus, vt à causa, siue ratione formali: quinimò repugnat hic modus specificationis à Deo respectu substantię completę, vt ex dictis constat. Cęterùm species istę intelligibiles respiciunt diuinam essentiam, vt id, à quo exemplantur, & vt causam formalem extrinsecam ipsas specificantem, & simul vt causam efficientem: quia habent esse peculiares participationes diuinę essentię, vt sortitur rationem speciei intelligibilis: & id, quod est proprium (modo tamen dicto) eiusdem essentię, communicatur illis per participationem, & modo explicato: ac subinde ad eándem reducuntur, ab eademque, vt participationes illius specificantur: & inde habent limitari, secundùm quòd sunt participationes perfectiores, vel non ita perfectę diuinę essentię.

Posterior solutio.

Secundò respondetur, iuxta solutionem Caietani eidem primo argumento traditam, speciem repræsentantem v. g. duas naturas, limitari à qualibet sigillatim inadæquatè; ab vtraque autem adæquatè. Quia non habet maiorem actualitatem, quàm illam, quæ potest extendi ad ambas repræsentandas, vt supponitur: & ideò duę illæ exhauriunt totam eius vim repræsentatiuam.

Ad secundã cõfirmationem occurritur primo

152 Ad secundam verò confirmationem respondetur primò, quòd in specie repræsentante plures naturas specificas, pertinet ad eius perfectionem specificam repræsentare vnam ex illis: non quidem ita, vt ex tali natura repræsentata talis perfectio accipiatur, sed ex ordine ad diuinam essentiam; non quidem tamquam ad obiectum cognitum, sed vt est ratio vniendi intelligibiliter illas naturas in vna & eadem specie. Hinc tamen non sequitur, quòd si prædicta species repræsentauerit plures naturas specificas, quòd habebit plures specificationes; sed solùm, quòd in eadem specificatione, qui ppe eminenti, reperiẽtur plura munia inadæquata, ex eo quòd id, vnde exemplata est prædicta species, quatenus est specificatiuum eiusdem, habet vnitè similia munia.

Diximus, *Non quidem tamquam ad obiectum cognitum, sed vt est ratio vniendi*, &c. Quia vt cognoscatur obiectum illud, quod per hanc speciem repræsentatur, non est necesse, cognosci priùs diuinam essentiam in actu signato: nam id, quod participat, est repræsentatio illa vniuersalis, licèt in ea intimè imbibatur ordo ad diuinam essentiam, vt est ratio vniendi illas naturas. Sicut licèt gratia sit talis per participationem à diuina essentia (modo tamen illo sibi peculiari) nõ tamen, vt cognoscatur esse radicẽ videndi, & amandi Deum prout est in se, requiritur, quòd priùs in actu signato cognoscatur diuina essentia, vt est viuiua sui, prout est in se, sed immediatè potest cognosci de gratia, quòd sit viuiua Dei, vt est in se: quia participatio, quæ fit per gratiam, in ratione hac consistit, licèt ibi imbibatur tamquam id, quod dat speciem, diuina essentia, vt est id à quo prędicta gratia, modo illo sibi proprio, & supernaturali specificatur, & à quo habuit participari.

Respondetur secundo

Secundò respondetur, quòd iuxta ea, quæ ex Caietano loco citato diximus, non inconuenit, species has mensurari ab obiectis, & ab eis accipere perfectionem specificam, vt ab obiectis terminatiuis; & quòd pertineat ad perfectionem specificam repræsentare vnam v. g. naturam; & quòd nihilominùs non inde colligatur pluralitas perfectionum specificarum: sed satis erit excellentia in repræsentando secundùm rationem specificam, vt ibidem in vna ratione atoma sint plura munia inadęquata, ex parte saltem nostri modi concipiendi distincta.

(2)

QVÆSTIO

QVAESTIO LVI. DE COGnitione Angelorum ex parte rerum immaterialium, in tres articulos diuiſa.

PROOEMIVM.

DEinde quæritur de cognitione Angelorum ex parte rerum, quas cognoſcunt. Et primô de cognitione rerum immaterialium. Secundô de cognitione rerum materialium.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Angelus cognoſcat ſe ipſum?

2.q.87.ar.1 & 2.cont.c. 96.& lib. 4. c. 11. cor. 1. & 2. & ver. q 8 ar 6 & cauſis lect. 13.fin.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quòd Angelus ſe ipſum nõ cognoſcat. Dicit enim Dionyſ. * 6.cap. Angelicæ hierar. quòd Angeli ignorant proprias virtutes. Cognita autem ſubſtantia, cognoſcitur virtus. Ergo Angelus non cognoſcit ſuam eſſentiam.

† Cap. 6. Eccleſ hierar. non procul á fine.

¶ 2 Prætereà. Angelus eſt quædam ſubſtãtia ſingularis, alioquin non ageret, cùm actus ſint ſingularium ſubſiſtentium. Sed nullum ſingulare eſt intelligibile. Ergo non poteſt intelligi: & ita cùm Angelo non adſit niſi intellectiua cognitio, non poterit aliquis Angelus cognoſcere ſe ipſum.

¶ 3 Prætereà. Intellectus mouetur ab intelligibili: quia intelligere eſt quoddam pati, vt dicitur in * 3. de Anima. Sed nihil mouetur, aut patitur à ſe ipſo, vt in rebus corporalibus apparet. Ergo Angelus non poteſt intelligere ſe ipſum.

† Lib. 3. de Anima tex. 12. tom. 2.

SED contra eſt, quòd Auguſt. dicit 2. ſuper Geneſ. ad lit. * quòd Angelus in ipſa ſua confirmatione, hoc eſt, in illuſtratione veritatis, cognouit ſe ipſum.

† Lib. 2. de Geneſ. c. 8. in principio ferè. tom. 3.

RESPONDEO dicendum, quôd ſicut ex ſuprà dictis * patet, obiectum aliter ſe habet in actione, quæ manet in agẽte, & in actione, quæ tranſit in aliquid exterius. Nã in actione, quæ tranſit in aliquid exterius, obiectũ ſiue materia, in quã tranſit actus, eſt ſeparata ab agente: ſicut calefactum, à calefaciente, & ædificatum ab ædificante. Sed in actione, quæ manet in agente, oportet ad hoc, quod procedat actio, quod obiectum vniatur agenti: ſicut oportet, quod ſenſibile vniatur

† Q. 54. ar. 2

tur sensui, ad hoc quòd sentiat actu. Et ita se habet obiectum vnitum potentiæ ad huiusmodi actionem, sicut forma, quę est principium actionis in alijs agẽtibus. Sicut enim calor est principium formale calefactionis in igne: ita species rei visæ est principium formale visionis in oculo.

Sed considerandum est, quod huiusmodi species obiecti quandoque est in potentia tantùm in cognoscitiua virtute: & tunc est cognoscens in potentia tantùm: & ad hoc, quod actu cognoscat, requiritur, quod potentia cognoscitiua reducatur in actum speciei. Si autem semper eam actu habeat, nihilominùs per eã cognoscere post absque aliqua mutatione, vel receptione præcedẽti. Ex quo patet, quod moueri ab obiecto, non est de ratione cognoscentis, in quantum est cognoscens, sed in quantum est potentia cognoscens. Nihil autem differt ad hoc, quod forma sit principium actionis, quod ipsa forma sit aliquando inhærens, & quod sit per se subsistens. Non enim minus calor calefaceret, si esset per se subsistens, quàm calefacit inhærens. Sic igitur, & si aliquid in genere intelligibilium se habeat vt forma intelligibilis subsistens, intelligit se ipsum. Angelus autem, cùm sit immaterialis, est quædam forma subsistens, & per hoc intelligibilis actu. Vnde sequitur, quod per suam formam quæ est sua substantia, se ipsum intelligat.

Ad primum ergo dicendum, quòd littera illa est antiquæ trãslationis, quæ corrigitur per nouam, in qua dicitur: Præterea, & ipsos (scilicet Angelos) cognouisse proprias virtutes. Loco cuius habebatur in alia translatione: Et adhuc eos ignorare proprias virtutes. Quamuis etiam littera antiquæ translationis saluari possit quantum ad hoc, quòd Angeli nõ perfectè cognoscunt suam virtutem, secundùm quòd procedit ab ordine diuinæ sapientiæ, quæ est Angelis incomprehensibilis.

Ad secundum dicendũ, quod singularium, quæ sunt in rebus corporalibus, non est intellectus apud nos; non ratione singularitatis, sed ratione materiæ, quæ est in eis indiuiduationis principiũ. Vnde si aliqua singularia sunt sine materia subsistentia, sicut sunt Angeli, illa nihil prohibet intelligibilia esse actu.

Ad tertium dicendum, quòd moueri, & pati conuenit intellectui, secundùm quòd est in potentia. Vnde non habet locum in intellectu Angelico, maximè quantum ad hoc quòd intelligit se ipsum. Actio etiã intellectus nõ est eiusdem rationis cum actione, quæ in corporalibus inuenitur, in aliam materiam transeunte.

Conclusio.

Angelus per suam formam, quæ est sua substãtia, se ipsum intelligit.

ARTICVLVS II.

Vtrum vnus Angelus aliũ cognoscat?

AD Secundum sic procedit. Videtur quòd vnus Angelus alium non

2. Con. c. 96 & ver. q 8. art. 7.

non cognoſcat. Dicit enim Philoſophus in * 3. de Anima, quòd ſi intellectus humanus, haberet in ſe aliquam naturam de numero naturarũ rerũ ſenſibiliũ, illa natura interius exiſtens prohiberet apparere extranea: ſicut etiã, ſi pupilla eſſet colorata aliquo colore, non poſſet videre omnem colorem. Sed ſicut ſe habet intellectus humanus ad cognoſcendas res corporeas, ita ſe habet intellectus Angelicus ad cognoſcendas res immateriales. Cum igitur intellectus Angelicus habeat in ſe aliquã naturã determinatã de numero illarum naturarum: videtur, quôd alias cognoſcere non poſsit.

† Lib. 3. de Anima text. 4 tom. 2.

¶ 2. Præterea. In lib.* de Cauſis dicitur, quôd omnis intelligentia ſcit, quod eſt ſupra ſe, in quantum eſt cauſata ab eo: & quod eſt ſub ſe, in quantum eſt cauſa eius. Sed vnus Angelus non eſt cauſa alterius. Ergo vnus Angelus non cognoſcit alium.

Propoſ 8. in princ. habetur hic liber inter opera Ariſt. to. 3.

¶ 3. Præterea. Vnus Angelus non poteſt cognoſcere alium per eſſentiam ipſius Angeli cognoſcentis. Cùm omnis cognitio ſit ſecundùm rationem ſimilitudinis. Eſſentia autem Angeli cognoſcẽtis non eſt ſimilis eſſentiæ Angeli cogniti, niſi in genere, vt ex ſuprà dictis * patet. Vnde ſequeretur, quôd vnus Angelus non haberet de alio cognitionem propriã, ſed generalem tantùm. Similiter etiã non poteſt dici, quòd vnus Angelus cognoſcat aliũ per eſſentiam Angeli cogniti: quia illud, quo intellectus intelligit, eſt intrinſecũ intellectui. Sola autem Trinitas illabitur menti. Similiter etiam dici non poteſt, quòd vnus cognoſcat alium per ſpeciem: quia illa ſpecies nõ differt ab Angelo intellecto, cùm vtrumque ſit immateriale. Nullo igitur modo videtur, quòd vnus Angelus poſsit intelligere alium.

† Q. 40 art. 4 * q. 55. artic 1.

¶ 4. Præterea. Si vnus Angelus intelligit alium, aut hoc eſſet per ſpeciẽ: & ſic ſequeretur, quôd ſi Deus nunc de nouo crearet aliquem Angelum, quòd non poſſet cognoſci ab his, qui nunc ſunt. Aut per ſpeciem acquiſitam à rebus: & ſic ſequeretur, quôd Angeli ſuperiores non poſſent cognoſcere inferiores, à quibus nihil accipiunt. Nullo igitur modo videtur, quôd vnus Angelus alium cognoſcat.

SED contra eſt, quôd dicitur in lib. † de Cauſis, quòd omnis intelligẽtia ſcit res, quę corrũpũtur.

Propoſ. 11. in princ. habetur hic liber inter opera Ariſt. tom. 3.

RESPONDEO dicendũ, quôd ſicut Aug. dicit * 2. ſuper Gen. ad lit. Ea, quæ in Verbo Dei ab æterno præextiterunt, duplicitèr ab eo fluxerunt. Vno modo, in intellectum Angelicum: alio modo, vt ſubſiſterent in proprijs naturis. In intellectum autẽ Angelicum proceſſerunt per hoc, quôd Deus menti Angelicæ impreſsit rerum ſimilitudines, quas in eſſe naturali produxit. In Verbo autẽ Dei ab æterno extiterunt, non ſolùm rationes rerũ corporalium, ſed etiam rationes omnium ſpiritualium creaturarum. Sic igitur vnicuique ſpiritualium creaturarum à Verbo Dei impreſſæ ſunt omnes rationes rerum omnium, tam corporalium, quàm ſpiritualium: ita tamen, quòd vnicuique Angelo impreſſa eſt ratio ſuę ſpeciei

† Lib. 2. c. 8 per totum tom. 3.

cici ſecundùm eſſe naturale, & intellectuale ſimul: ita ſcilicet, quod in natura ſuæ ſpeciei ſubſiſteret, & per eam ſe intelligeret. Aliarũ verò naturarum, tam ſpiritualiũ quàm corporalium rationes ſunt ei impreſſe ſecundùm eſſe intellectuale tantùm: vt videlicet per huiuſmodi ſpecies impreſſas, tam creaturas corporales, quàm ſpirituales cognoſceret.

Ad primum ergo dicendum, quòd naturæ ſpirituales Angelorum ab inuicem diſtinguũtur ordine quodam, ſicut ſuprà dictum † eſt. Et ſic natura vnius Angeli Q. 50 art. 4 non prohibet intellectum ipſius à cognoſcendis alijs naturis Angelorum: cùm tam ſuperiores, quàm inferiores habeant affinitatem cum natura eius, differentia exiſtente tantùm ſecũdùm diuerſos gradus perfectionis.

Ad ſecundum dicendũ, quòd ratio cauſæ, & cauſati nõ facit ad hoc, quôd vnus Angelus aliũ cognoſcat, niſi ratione ſimilitudinis, in quantum cauſa, & cauſatũ ſunt ſimilia: & ideò ſi inter Angelos ponatur ſimilitudo abſque cauſalitate, remanebit in vno cognitio alterius.

Ad tertium dicendum, quòd vnus Angelus cognoſcit alium per ſpeciem eius, in intellectu ſuo exiſtentem, quę differt ab alio Angelo, cuius ſimilitudo eſt, non ſecundùm eſſe materiale, & immateriale, ſed ſecundùm eſſe naturale, & intentionale. Nam ipſe Angelus eſt forma ſubſiſtens in eſſe naturali, non autem ſpecies eius, quæ eſt in intellectu alterius Angeli: ſed habet ibi eſſe intelligibile tantùm: ſicut etiam & forma coloris in pariete habet eſſe naturale; in medio autem deferente habet eſſe intentionale tantùm.

Ad quartum dicendum, quòd Deus vnamquamq; creaturam fecit proportionatam vniuerſo, quod facere diſpoſuit. Et ideò, ſi Deus inſtituiſſet facere plures Angelos, vel plures naturas rerum, plures ſpecies intelligibiles mentibus Angelicis impreſsiſſet. Sicut ſi ædificator voluiſſet facere maiorem domum, feciſſet maius fundamentum. Vnde eiuſdem rationis eſt, quòd Deus adderet aliquam creaturam vniuerſo, & aliquam ſpeciem intelligibilem Angelo.

Prima concluſio.

Vnus Angelus cognoſcit alterum.

Secunda concluſio in ſolutione ad tertium.

Vnus Angelus cognoſcit alium per ſpeciem intelligibilem in ſuo intellectu exiſtentem, & non per eſſentiam illius.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Angeli per ſua naturalia Deum cognoſcere poſsint?

AD tertium ſic procedi- 2. Diſt. 23. q. 2 ar. 1. cor. & 4 diſt. 49. q. 2. art. 6 & 7. & 3. cont. c. 49. & 52. & Ro. 1 l. 6. fin & ver. q. 8 art. 3. cor. † Cap. 9 inter principium, & medium.

tur. Videtur, quòd Angeli per ſua naturalia Deum cognoſcere nõ poſsint. Dicit enim Dionyſ. † 9. cap. de diuinis nomi. Quôd Deus eſt ſuper omnes cæleſtes mentes, incomprehenſibili virtute collocatus. Et poſteà ſubdit, quôd quia eſt ſupra omnem ſubſtantiam, ab omni cognitione eſt ſegregatus.

¶ 2. Præterea. Deus in infinitum distat ab intellectu Angeli. Sed in infinitum distãtia non possunt attingi. Ergo videtur, quòd Angelus per sua naturalia nõ possit Deum cognoscere.

¶ 3. Prętereà. 1. Corin. 13. dicitur: Videmus nunc per speculũ in ænigmate; tũc autem facie ad faciem. Ex quo videtur, quòd sit duplex Dei cognitio. Vna, qua videtur per sui essentiã, secundũ quã dicitur videri facie ad faciẽ: alia secundũ quod videtur in speculo creaturarũ. Sed primam Dei cognitionẽ Angelus habere non potuit, per sua naturalia, vt supra ostensum† est. Visio autem specularis Angelis non conuenit: quia non accipiũt diuinam cognitionem à rebus sensibilibus, vt dicit Dion. *5. c. de diui. nomi. Ergo Angeli per sua naturalia Deum cognoscere non possunt.

† Q. 12. ar. 4

* Cap. 5. inter principium, & medium.

SED CONTRA. Angeli sunt potentiores in cognoscendo, quã homines. Sed homines per sua naturalia Deum cognoscere possũt, secũdũ illud Rom. 1. Quòd notum est Dei, manifestũ est in illis. Ergo multò magis Angeli.

RESPONDEO dicendum, quòd Angeli aliquam cognitionem de Deo habere possunt per sua naturalia. Ad cuius euidentiã considerãdũ est, quòd aliquid tripliciter cognoscitur. Vno modo per præsentiam suæ essentiæ in cognoscente, sicut si lux videatur in oculo: & sic dictum est *, quòd Angelus intelligit se ipsum. Alio modo, per prẹsentiam suæ similitudinis in potentia cognoscitiua, sicut lapis videtur ab oculo per hoc, quòd similitudo eius resultat in oculo. Tertio modo per hoc, quòd similitudo rei cognitæ non accipitur immediatè ab ipsa recognita, sed à re aliqua, in qua resultat, sicut videmus hominem in speculo. Primæ igitur cognitioni assimilatur diuina cognitio, qua per essentiam suã videtur, & hæc cognitio Dei non potest adesse creaturæ alicui per sua naturalia, vt suprà dictum est. * Tertiæ autem cognitioni assimilatur cognitio, qua nos cognoscimus Deum in via per similitudinem eius in creaturis resultantem, secundùm illud Rom. 1. Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Vnde & dicimur Deum videre in speculo. Cognitio autẽ, qua Angelus per sua naturalia cognoscit Deum, media est inter has duas: & similatur illi cognitioni, qua videtur res per speciem ab ea acceptam. Quia enim imago Dei est in ipsa natura Angeli impressa, per suam essentiam Angelus Deũ cognoscit, in quantum est similitudo Dei, non tamen ipsam essentiã Dei videt: quia nulla similitudo creata est sufficiens ad repræsentãdam diuinã essentiam. Vnde magis ista cognitio tenet se cum speculari: quia & ipsa natura Angelica est quoddam speculũ diuinã similitudinẽ repræsentans.

* Q. 12. ar. 4

† Art. 1. huius quæst.

Ad primũ ergo dicendũ, quòd Dion. loquitur de cognitione cõprehensionis, vt expresse eius verba ostendunt, & sic à nullo intellectu creato cognoscitur.

Ad secundum dicẽdum, quòd propter hoc, quòd intellectus, & essentia Angeli in infinitum distant à Deo, sequitur, quòd non possit ipsum comprehẽdere, nec

per ſuam naturam eius eſſentiam videre: non tamen ſequitur, quòd propter hoc nullam habeat eius cognitionem. Quia ſicut Deus in infinitum diſtat ab Angelo: ita cognitio, quam Deus habet de ſe ipſo, in infinitum diſtat à cognitione, quam Angelus habet de eo.

Ad tertium dicendum, quòd cognitio, quam naturaliter Angelus habet de Deo, eſt media inter vtramque cognitionem: & tamen magis ſetenet cum vna, vt ſuprà dictum * eſt. In corpore articuli.

Prima cõcluſio eſt affirmatiua

Secunda concluſio.

Angelus per ſuam eſſentiam, tanquam per ſpeciem immediatè acceptam à Deo, cognoſcit illum.

DISPVTATIO VI.

De cognitione Angelorum ex parte rerum immaterialium.

POSTQVAM Angelicus Præceptor egit de cognitione Angelorum abſolutè, necnon & de modo prædictæ cognitionis, agit in hac quæſtione de illa ex parte, ſuorum obiectorum. Et quia inter eius obiecta primum locum obtinent res immateriales: idcircò primò de eiſdem ſermonem inſtituit, & nos cum eodem Sancto Doctore ad hoc idem explicandum præſentem diſputationem excitamus.

DVBIVM I.

Vtrùm Angelus per ſuam formam ſeu eſſentiam ſe ipſum intelligat?

Expoſitio 1 articuli.

IN Titulo aliquid vt certũ ſupponimus, & aliquid in dubium vocamus. Supponimus, Angelum ſe ipſum intelligere: nec de hoc poteſt eſſe aliqua controuerſia. Nam cum Angelus ſit naturæ intellectualis, & ipſe reſpectu ſui intellectus ſit obiectum valdè proportionatum; non eſt cur non intelligat ſemetipſum. Vocamus autem in dubium, an Angelus per ſuam formam, ſeu eſſentiã ſe ipſum cognoſcat? Non quidem ita, vt per hoc inquiratur, vtrùm eſſentia Angeli ſit principium radicale ſuæ intellectionis: nam etiam quoad hoc nulla poteſt eſſe lis: ſiquidem ſicut eſſentia Angeli eſt principium radicale aliarum intellectionum, quibus ab eodem Angelo intelligũtur cætera alia obiecta: ſic etiam debet eſſe principiũ radicale illius intellectionis, quaſe ipſum intelligit. Sed ita vt ſenſus tituli ſit, vtrùm Angelus per ſuam eſſentiam, tanquam per formam ſeu ſpeciem intelligibilem, ſe ipſum intelligat? ac proinde nõ indigeat ſpecie intelligibili ſuperaddita ad ſui intellectionẽ, ſed habeat ſe eo proportionali modo, quo diuina eſſentia vnitur ſuo intellectui, & intellectui creato per ſe ipſam in ratione ſpeciei intelligibilis ad viſionẽ clarã Dei?

§. *I. Vera D. Thomæ ſententia.*

2 DIcendum ergo eſt, Angelum per ſuam formam, ſeu eſſentiam ſe ipſum intelligere: atque adeò prædictam eſſentiam vniri cum ſuo intellectu in ratione ſpeciei intelligibilis: & ex conſequenti non indigere ſpecie intelligibili ſuperaddita ad ſui cognitionem. Ita D. Thomas art. 1. huius q. his verbis: *Angelus autem, cùm ſit immaterialis, eſt quædam forma ſubſiſtens: & per hoc intelligibilis actu. Vnde ſequitur, quòd per ſuã formam, quæ eſt ſua ſubſtantia, ſe ipſum intelligat.* Et q. 8. de Veritate ar. 6. vbi ſic habet. *Intello-* Concluſio. D. Thom.

tellectus vero Angeli, quia habet eſſentiam, quæ eſt vt actus in genere intelligibilium, ſibi præſentem, poteſt intelligere id, quod eſt intelligibile apud ipſum, ſcilicet eſſentiam ſuam, non per aliquam ſimilitudinem, ſed per ſe ipſam. Et 2. contra Gentes cap. 98. vbi ſic loquitur: *Subſtantiæ autem ſeparatæ ſunt ſecundùm ſuam naturam vt actu exiſtentes in eſſe intelligibili: vnde vnaquæque earum ſe ipſum per ſuam eſſentiam cognoſcit, non per aliquam ſpeciem alterius rei.* Vnde eandem aſſertionẽ tuentur Caiet. Bañez, Nazarius, Ripa, Zumel in præſenti, Nauarrete tom. 3. ſuarum controuerſiarum controuerſia 53. Capreolus in 2. diſt. 3. quæſt. 2. art. 1. Ferrara 2. contra Gentes cap. 98. Durandus loco cit. ex 2. ſent. q. 6. Arrubal. 1. part. diſput. 266. cap. 1. Suarez libr. 2. de Angelis cap. 4. referens Peſantium, Molinam, & Valentiam.

Caiet. *Bañez.* *Nazarius* *Ripa.* *Zumel.* *Nauar.* *Capreol.* *Ferrara.* *Durand.* *Arrubal.* *Peſant.* *Molin.* *Valent.*

Ratio fundamentalis illius.

Ratio autem fundamentalis huius aſſertionis deſumitur ex D. Thoma in hoc art. poteſtque ad hanc formam redigi. Quoniam obiectum vnitum intellectui eſt cauſa, ſiue principium formale intellectionis ſui, ſicut calor eſt principium formale calefactionis: ita quidem, vt ſi mediante ſpecie intelligibili à ſe diſtincta vniatur cum intellectu, tunc per illam ſit cauſa prædictæ intellectionis: ſi autem per ſuam eſſentiam habuerit vniri, tunc per eandem, tanquam per formam intelligibilem, ſeu tanquam per principium formale intellectionis ſe ipſum intelligat. Sed Angelus vnitur cum ſuo intellectu per ſuam eſſentiam, tanquam per formam intelligibilem: ergo intelliget ſe per ſuam eſſentiam tanquam per prædictam formam, ſeu principium formale: ac proinde non indigebit alia forma, ſiue ſpecie intelligibili ad ſui cognitionem.

Maior probatur ex diſcrimine, quod intercedit inter actionem immanentem, & trãſeuntem. Nam in actione tranſeunte obiectum, ſiue materia, in quam tranſit actus, circa quamque verſatur, eſt ſeparata ab agente, ſicut calefactum à calefaciente, & ædificatum ab ædificante: ſed in actione immanẽte obiectum debet eſſe vnitum agenti, ſicut oportet, quòd ſenſibile vniatur ſenſui, ad hoc vt actu ſentiatur: ibique vnitũ comparatur per modum principij formalis reſpectu cognitionis ſenſitiuæ. Et propterea, quemadmodũ calor eſt principium formale calefactionis in igne: ita ſpecies verbi gratia rei viſæ eſt principium formale viſionis in oculo. Ac proinde, ſi obiectum mediante ſpecie fuerit vnitũ potentiæ cognoſcitiuæ tunc ea mediante erit cauſa prædictæ cognitionis: & ſi per ſe ipſum immediatè vniatur, tũc per ſe ipſum erit principium formale illius.

Minor autem probatur. Quia eſſentia Angeli collata cum ſuo intellectu, habet tres conditiones requiſitas, & ſufficientes ad hoc, vt vniatur illi per modum formæ intelligibilis in ordine ad cognitionem ſui. Primam quidem conſiſtentem in hoc, quòd ſe ipſa ſit actu intelligibilis: quandoquidem eſſentia Angeli ſe ipſa eſt depurata ab omni materia phyſica, eſtque ſatis immaterialis. Conſtat autem, intelligibilitatem in actu prouenire à prædicta puritate à materia, à prædictaque immaterialitate. Secundam verò, quæ ſita eſt in proportione eſſentiæ Angelicæ cum ſuo intellectu, tam in modo eſſendi, quàm in modo operandi, ſatis conſtat, in eadem eſſentia inueniri, quippe quæ quoad hoc eſt valde commenſurata cum ſuo intellectu. Vltimam verò, nempe, quòd inter vtrumque intercedat intima vnio, planum eſt, quoad præſens inueniri: ſiquidem eſſentia Angeli, & eius intellectus ſunt intrinſecè, ſatiſque intimè vnita: & perconſequens Angelus vnietur per ſuã eſſentiam tanquam per formam intelligibilem cum ſuo intellectu in ordine ad cognitionem ſui. Ex quo vtraque conſequentia primi ſyllogiſmi huius rationis D. Thomæ eſt ita perſpicua, vt probatione non indigeat.

3. Confirmatur ratione deſumpta ex D. Thoma ſuprà quæſt. 12. Nam ideò in viſione beata videtur Deus per ſuam eſſentiam, tanquam per ſpeciem intelligibilem, quia diuina eſſentia reſpectu beati habet has tres conditiones. Primam quidem, quia eſt ſummè immaterialis, ſummeque intelligibilis, ſeu ipſa intelligibilitas in actu. Secundam verò, quia licèt inter intellectum creatum ſecundùm ſe, & eſſentiam diuinam non ſit debita proportio, benè tamen inter ipſum, vt eleuatum lumine gloriæ, & prædictam eſſentiam: quia per illud lumen habet intellectum deificum, ſeu participationem diuini intellectus, prout eſt in ſe. Tertiam tandem, quia diuina eſſentia eſt intimè illapſa, intimeque vnita, quantum ſatis eſt, cum eodem intellectu ſic deificato. Ergo eadem ratione eſſentia Angelica, cui comparatæ cum ſuo intellectu conueniunt prædictæ tres conditiones, poterit vniri per modum formæ intelligibilis cum illo, ac proinde Angelus ſe per ſemetipſum tanquam per formam intelligibilem intelligit.

Confirmatio prima.

Confirmatur ſecundò ratione depromp-ta ex eodem Angelico Præceptore infrà quæſt. 87. Quoniam ideo anima noſtra pro hoc ſtatu non intelligit ſe per ſe ipſam tanquam per formam intelligibilem, quia pro eodem ſtatu formaliter non vnitur, vt eſt forma actu intelligibilis: ex eo quòd ad hanc actualem intelligibilitatem requi-

Secunda.

requiritur, quòd sit separata à corpore, siue ab indigentia à sensibus. Ergo propter oppositam rationem Angelus, cui non desit prædicta conditio, & insuper est intimè vnitus cum suo intellectu, poterit vniri cum illo per modum formæ intelligibilis.

4 Antecedens probatur, & explicatur. Nam licèt animæ nostræ, quæ aliàs potest esse separata à corpore, competat esse etiam aliàs intelligibilem in actu, & vniri, secundùm suam substantiam cum proprio intellectu: nihilominùs pro statu vnionis cum corpore non potest vniri cum suo intellectu per modum obiecti actu intelligibilis: quia non habet debitam proportionem quoad eleuationem à materia, tam in essendo, quàm in modo operandi cum eo. Quoniam, vt vniretur per modum obiecti se ipso actu intelligibilis, deberet sumi secundùm se, & secluso corpore, ac si non esset in eo: cùm tamen intellectus pro hoc statu sit virtus animę informantis corpus, & aliquo modo, scilicet ministerialiter, à corpore pendeat quoad modum operandi, ex eo quòd pro hoc statu nequit intelligere, nisi per conuersionem ad phantasma.

Vnde Angelicus Præceptor ex defectu prioris conditionis, nempe intelligibilitatis in actu, quæ deest intellectui possibili pro hoc statu, colligit, ipsum non vniri secum per modum formæ intelligibilis in ordine ad cognitionem sui pro eodem statu: & ex eo, quòd essentiæ Angeli conuenit prædicta prior conditio, & in ea duæ aliæ conditiones quoad præsens inuoluuntur, deducit, Angelum se per suam essentiam, tamquam per speciem intelligibilem cognoscere. Et ideò loquens in 2. contra Gentes cap. 98. de substantijs separatis, nempe Angelis, sic inquit: *Vnaquæque igitur & se ipsam, & alias cognoscit. Se ipsam quidem vnaquæque earum aliter cognoscit quam intellectus possibilis se ipsum. Intellectus enim possibilis est vt potentia existens in esse intelligibili. fit autem actu per speciem intelligibilem: sicut materia prima fit actu in esse sensibili per formam naturalem: nihil autem cognoscitur secundùm quòd est potentia tantùm, sed secundùm quòd est actu. Vnde & forma est principium cognitionis rei, quæ per eam fit actu, similiter autem potentia cognoscitiua fit actu cognoscens per speciem aliquam. Intellectus igitur possibilis noster non cognoscit se ipsum, nisi per speciem intelligibilem, qua fit actu in esse intelligibili. Et propter hoc dicit Aristot. in 3. de Anima, quòd est cognoscibilis sicut & alia, scilicet per species à phantasmatibus acceptas, sicut per formas proprias. Substantiæ autem separatæ sunt secundùm suam naturam vt actu existentes in esse intelligibili. Vnde vnaquæque earum se ipsam per suam essentiam cognoscit, non per aliquam speciem alterius rei.*

Angelicus Præcept.

§. II. *Euasio prior ad rationem D. Thomæ, & eius præclusio.*

5 NEC obest, si occurras primò ex Vazquez, vnionem, quam habet essentia Angeli cum proprio intellectu, tantum esse vnionem subiecti cùm suo accidenti, & radicis cum sua proprietate, non verò vnionem formæ: siquidem essentia Angeli non subiectatur in intellectu Angelico, sed potiùs è contrà iste in illa habet recipi: & ideò non habet vnionem debitam ad hoc, vt sortiatur rationem speciei intelligibilis: quia hæc vnio debet esse per modam formæ. Euasio Vazquez.

Euertitur. Non igitur hoc obest. Quoniam aliud est, an prærequiratur hæc vnio naturalis, & in esse entitatiuo, quæ est inter essentiam Angeli, & suum intellectum, tamquam inter subiectum, & suum accidens connaturale, & inter radicem, ac proprietatem inde dimanantem. Aliud verò, an ibidem non sit alia vnio in *esse* intelligibili; hoc ipso quòd præsupponatur illa prior. Licèt ergo primum illud sit verum, non tamen hoc secundum. Ratio autem, ob quam prior illa vnio prærequiratur, est. Quoniam essentia Angeli est forma intelligibilis finita & limitata, & ratione huius est ita coarctata, vt nequeat vniri per modum formæ intelligibilis, nisi cum suo proprio intellectu: sicut etiam eius substantia, quia est finita, ita est commensurata & coarctata ad suam naturam, vt nequeat aliam terminare. Et ideò oportet, vt intellectus, cum quo prædicta essentia Angelica vnitur, sit intellectus suus, atque adeò vnitus ei per modum subiecti, & proprietatis, seu per modum naturæ, & radicis ad intelligendum, ac potentiæ proximæ ad eandem intellectionem. Quia intellectus Angeli, sicut & quęuis alia potentia vitalis, nequit habere rationem talis, nisi sit vnita cum sua propria natura, à qua dimanat, vt nostrum Collegium Comp. in lib. Physicorum disp. 10. num. 66. adnotauit. N. Compl.

6 Ratio autem, propter quam negamus secundum illud, nempe, quòd supposita hac priori vnione, non sit ibi alia vnio in *esse* intelligibili, & alterius rationis, facilè reddi potest. Nam cùm ibidem sint duo ordines, duo que genera entium, scilicet, rerum in *esse* rei sumptarum & deinde in *esse* intelligibilium: oportet, vt in vnoquoque detur suus actus, suaque forma, ac proinde sua proportionata vnio huius formæ, & actus ad id, cuius est forma. Ratio euasionis.

Vnde in tribus inter alia discriminibus, quæ inter has vniones intercedunt, Enucleatio eius.

potest

poteſt ratio cuiuſlibet magis deprehendi: primum quidem. Quia (vt noſtri Complutenſ. in lib. de Anima diſp. 18. q. 4. & 5. docent, & nos in 1. tom. tract. 2. diſp. 2. n. 61. & tractatu 3. diſp. 2. n. 66. latè diximus) vnio, quæ intercedit inter obiectum intelligibile, & inter intellectum, eſt vnio per identitatem in *eſſe* intelligibili: ita quidē, vt ex intellectu, & ſpecie intelligibili non reſultet in hoc ordine aliquod tertium, ſed vnum extremum fiat aliud: & ita intellectus per ſpeciem fit quodammodò, ideſt in ordine intelligibili, ipſamet ſpecies, necnon & ipſummet obiectum intellectū in eo ordine conſideratū, & eo modo, quo noſtri Compl. loco cit. explicant, & nos fuſiùs in prædicto tractatu de ſcientia Dei diſp. relata proſequimur, vbi etiam omnes obiectiones contra hunc modum dicendi pugnantes diluimus. Ex quo ortum habuit commune illud proloquium ex Commentator 3. de Anima textu 37. de ſumptū, ſcilicet, ex intellectu, & re intellecta fieri magis vnum, quàm ex materia, & forma. Nam materia non fit forma, at intellectus fit quodammodò, ideſt in *eſſe* intelligibili, ipſummet obiectum *vt quod*, & ipſa ſpecies intelligibilis, vt id *quo*, in prædicto ordine ſit ipſum obiectum.

N. Compl. *N. Compl.* *Commentator.*

Secundum verò. Quia vnio illa prior in *eſſe* entitatiuo fit cum mutua dependentia inter eſſentiam Angelicam, & eius intellectum. Nam licèt eſſentia Angelica ex vna parte det *eſſe* intellectui per modum principij vniuerſalis tam illius, quàm aliarum proprietatum, nihilominùs indiget ſpeciali determinatione eiuſdem intellectus ad ſpeciales operationes eliciendas: ex eo quòd principium vniuerſale diuerſarum operationum, reſpicientium diuerſas rationes formales, indiget determinatione per principium proximum, à quo tales operationes in ratione actionum ſumant proximè diuerſas rationes, quas habent. Cæterùm in vnione ſecundùm *eſſe* intelligibile taliter eſſentia in hoc ordine confert perfectionem intellectui, vt ab ipſo nullam perfectionem recipiat: quia eſſentia ſic actuans, ſe ipſa eſt intelligibilis, atque adeò in tali genere eſt veluti ratio ſui, nec participat aliquam rationem intelligibilitatis ab intellectu.

Tertium denique. Quia per primam vnionem habet aliquo modo id, quod ſe habet vt principium formale proximum, nempe intellectus, limitari à principio radicali, & ſubiecto, ſcilicet ab eſſentia Angelica: attamen in ſecunda vnione, quæ fit in ordine intelligibili, eſſentia Angelica, vt vnitur per modum ſpeciei intelligibilis cum ſuo intellectu, non limitatur ab illo, ſed manet ita ampla, ac ſi non informaret ipſum intelligibiliter, ſed eſſet in ſe omninò ſeparata ab eodem intellectu, vt in 1. tom. tractatu 2. diſput. 2. num. 52. & deinceps & tractatu 3. diſp. 2. dub. 2. ex Angelico Præcepto re diximus, & rationem ſatis aptam reddidimus.

7 Poſſuntque hæc omnia explicari, & confirmari primò ex nuper dictis, in hunc tamen modum expenſis. Nam etſi ſecundùm vnam & eandem conſiderationem nequeat vnum eſſe forma alterius, & hoc rurſus eſſe etiam forma illius, bene tamen ſecundùm diuerſam conſiderationem, & loquendo de forma diuerſimodè ſumpta: maximè, ſi conſideretur in diuerſo ordine. Quare, cùm eſſentia ſubſtantiæ ſeparatæ, & eius intellectus ſint in duplici ordine, ſeu genere, nempe, in genere entis, ſiuè rei, & in genere intelligibilis: indeeſt, vt duplex ordo inter illa conſiderari poſsit, ſcilicet, ordo in genere entium, & ordo in genere intelligibilium. Etſi conſiderentur, vt ſunt in genere entium, ſic intellectus eſt in eſſentia ſicut accidens in ſuo ſubiecto, & ſicut potentia in ſubſtantia, cuius eſt potentia: ſi autem conſiderentur, vt ſunt in genere intelligibilium, ſic eſt contrarius ordo: quia eſſentia comparatur ad intellectum, ſicut actus ad potentiam, ſiue quaſi potentiam, & ſicut ſpecies intelligibiles ad intellectum intelligentem, non quidem ſicut ſpecies inhærens, ſed ſicut ſpecies ſubſiſtens, faciens tamen vnum cum intellectu in *eſſe* intelligibili in ordine ad intelligendum. *Amplius elucidatur.*

Quæ doctrina deſumpta eſt ex D. Thoma quæſt. 8. de Verit. artic. 6. in ſolutione ad 2. vbi cùm ſibi obiecciſſet id ipſum, quo mouetur inter alia Vazquez ad denegandam eſſentiæ Angelicæ rationem ſpeciei intelligibilis reſpectu proprij intellectus, nempe, quòd ſpecies debet eſſe forma intellectus, & hoc non conuenit eſſentiæ Angeli reſpectu ſui intellectus, ſed potiùs iſte ineſt eſſentiæ tamquam proprietas eius, ſiue forma, ſic reſpondet: *Dicendum, quod eſſentia Angeli quamuis non poſsit comparari ad intellectum eius, vt actus ad potentiam in eſſendo, comparatur tamen ad ipſum, vt actus ad potentiam in intelligendo.* Et infrà in reſponſione ad 6. explicans magis hoc ipſum, ſic ait: *Dicendum, quòd nihil prohibet aliquid eſſe in altero, & illud in eo diuerſis modis, ſicut totum in partibus; & è conuerſo. Et ſimiliter eſt in propoſito. Eſſentia enim Angeli eſt in intellectu eius, ſicut intelligibile in intelligente: intellectus autem in eſſentia, ſicut potentia in ſubſtantia.* Vbi (vt vides) totum poteſt formalizari, & habere ſuum eſſe à ſuis partibus, vel ab aliqua ex illis, quæ *D. Thom.*

per modum cauſæ formalis concurrat ad dandum illi eſſe, ac proinde prædicta pars queat eſſe in illo, vt forma in ſuo compoſito, & vt cauſa formalis, quæ eſt pars, eſt in ſuo effectu formali. Et rurſus ipſa natura totalis inde conſurgens habet ſe per modum formæ totalis, formalizantis prædictas partes: quia etſi vtraque cauſalitas ſit in genere cauſæ formalis, eſt tamen in diſtincta ſpecie, aut quaſi ſpecie cauſæ formalis, & ſecundum diuerſas conſiderationes. Ita ergo in præſenti, proportione ſeruata, philoſophandum eſt: vbi non ſolùm intercedunt diſtinctæ ſpecies, aut quaſi ſpecies cauſæ formalis (vt ſtatim magis explicabimus) ſed etiam quæuis ex his cauſis formalibus ſpectat ad diſtinctũ genus, diſtinctumque ordinem: & ideò in eis potiori iure hæc mutua cauſalitas in genere cauſæ formalis poterit inueniri.

§ III. *Elucidatur præcedens præclusio euaſionis Vazquezij.*

Expẽſio præcedentis euerſionis

8 ET ſanè ſatis conformiter ad ipſas rerum naturas ſic cum Angelico Præcept. philoſophamur, maximè, ſi intellectus, & obiectum intelligibile vniuntur ſpeciali illa vnione iã dicta, ſcilicet, per identitatem in *eſſe* intelligibili. Nam hoc ipſo, quòd eſſentia Angelica, vt eſt obiectum actu intelligibile, habeat illam ſpecialem vnionẽ, pertingentem vſque ad identificationem in *eſſe* intelligibili cum ſuo intellectu; & deinde habeat determinare intellectum eundem quoad ſpeciem actus intelligendi, quo eandem eſſentiam Angelicam intelligit, nec poſſit intellectus per modum principij, & cauſæ formalis per ſe inſpectæ ſpecificare prædictã intellectionem, niſi vt determinatus per prædictam eſſentiam, vt habet rationem obiecti actu intelligibilis: conſequẽs eſt, vt in ordine intelligibili comparetur per modum formæ: ſiquidem prædicta determinatio tribuẽs ſpecificationem, & ratio formalis illius ad ordinem cauſæ formalis pertinet, & non vtcumque, ſed per modum formæ ita intimè vnitæ, vt pertingat hæc vnio vſque ad identitatem cum addito, ſcilicet in genere intelligibili.

Adde, quòd etiamſi vnio, quæ eſt inter obiectum actu intelligibile, & eius intellectum, non pertingeret ad hoc, vt eſſet tanta, quòd prædicta duo in ordine intelligibili identificarentur, & ſimiliter in alijs ſpecieibus intelligibilibus hoc ipſum contingeret: nihilominùs illamet vnio, realiter loquendo, quæ eſt naturalis, quaque intellectus per modum proprietatis vnitur cum intellectu Angelico, ſufficeret, quatenus habet ibidem munus quoddam inadæquatum pertinens ad ordinem intellectualem, & correſpondens eidem eſſentiæ, non vt eſt natura, & radix ſuarum proprietatum reduplicatiuè loquendo, ſed vt eſt obiectum actu intelligibile reſpectu proprij intellectus, ad hoc vt per modũ formæ intelligibilis vniretur per aliam vnionem ratione diſtinctam cum eodem intellectu.

9 Hoc autem, imò & cætera alia nuper dicta poſſunt explicari ſequenti exemplo, nẽpe, eiuſdem eſſentiæ Angelicæ comparatæ diuerſimodè cum ſua exiſtentia, & cum intima vnione, quam cum illa habet. Nam prædicta eſſentia confertur cum ſua exiſtentia, tum per modum cauſæ materialis, & receptiuæ illius, tum per modum cauſæ formalis, nõ qualiſcumque, ſed præcisè determinantis exiſtentiam ad hanc ſpeciem: quia exiſtentia eſt huius ſpeciei, & non illius, quia eſt petita ab hac eſſentia, & ipſa per poſitionem ſui ponit determinationem ad hanc exiſtentiam ſecundùm ſpeciem, & non aliam: ideòque ipſa exiſtentia, ſecundùm ſuam rationem dicit ordinem ad iſtam eſſentiam, potiùs quàm ad aliam tanquam ad id, cum quo eſt intimè cõiuncta. Vnde illa vnio, quæ ſe tenet ex parte eſſentiæ, vt correſpondet eidem eſſentiæ, quatenus receptiuæ exiſtentiæ, ſpectat ad ordinem & genus cauſæ materialis, vt exercitium illius: cùm tamen illamet vnio, vt correſpondet eſſentiæ, prout per modum cauſæ formalis determinat exiſtentiam actu & in exercitio ad hoc, vt in actu exercito habeat hanc ſpeciem, debeat pertinere ad ordinem cauſæ formalis, vt exercitium illius, vel ſaltẽ vt quid requiſitum ad tale exercitium. Et tãdem illamet vnio, vt ſe tenet ex parte exiſtentiæ, & correſpondet ipſi, vt alio genere, aut ſpecie cauſæ formalis informat ipſam eſſentiam, nempe in genere cauſæ formalis, quæ non ſit præcisè determinatiua, & exercitium huius cauſæ formalis, & vt correſpondet eidem, vt veluti formalizatur, modo dicto, ab eadem eſſentia, habet prædicta vnio pertinere veluti ad genus cauſæ materialis, & receptiuæ. Nec in his mutuis dependentijs inuenitur inconueniens: quia etſi ſint intra ambitum cauſæ formalis, ſunt tamen intra diuerſa genera, & ſpecies eius, & illa vnio realiter vnica habet correſpondere his diſtinctis generibus.

10 Si ergo iſtæ mutuæ cauſalitates intra ambitum cauſæ formalis, & inter eſſentiam, & exiſtentiam inueniuntur, etiamſi ſit eadem realiter vnio, media qua exercentur: non eſt cur eodem proportionali modo non poſsimus quoad præſens philoſophari. Siquidem eſſentia Angelica, & eius intellectus pertinent ad diuerſos ordines, & induunt diuerſas rationes cauſarum formalium: & ita illa

vnio

vnio realiter vnica, qua ſunt vnita, habebit, vt ſe tenet ex parte eſſentiæ Angelicæ, & correſpondet illi, quatenus pertinenti ad ordinẽ intelligibilem, & in hoc ordine determinanti vniuerſalitatem, & indifferentiam intellectus Angelici ad ſua obiecta, ſpectare ad ordinem intelligibilem: & in hoc ordine pertinebit ad genus cauſæ formalis determinantis, per modum exercitij illius, vel ſaltem vt quid requiſitum ad prædictum exercitium: ſicuti etiam, vt ſe tenet ex parte intellectus collati cum eadem eſſentia in ordine intelligibili, & correſpondet eidem, vt eſt potentia in hoc ordine, ſpectabit ad genus cauſæ materialis vt exercitium illius. Et deinde, vt ſe tenet ex parte intellectus, vt tribuentis Angelo vim proximam intra genus entis ad intelligendũ per modum potentiæ actiuę, non verò per modum determinationis potentiæ actiuæ proximę, erit quid pertinens ad genus entis per modum exercitij prædictæ formæ. Ac tandem, vt eſt correſpondens eſſentiæ Angelicæ, vt in genere entis eſt prima potentia radicalis, & ſubiectum prædictæ potentię proximæ, ſpectabit ad genus cauſæ materialis in genere entis, vt exercitium, & cauſalitas illius.

Vnde, licèt eſſentia Angeli ſubſit intellectui, tam quoad id, quod dicit de genere rei, quã quoad id, quod affert de genere intelligibiliũ, hoc tantùm eſt identicè, non verò formaliter. Et ita ipſa diſtinguitur virtualiter ſecundùm hos duos ordines, & genera: & vt ei ineſt intellectus, tantùm dicit ſe ipſam, vt eſt natura, & pertinet ad genus rei: poſteà verò, vt ſpectat ad ordinem intelligibilem, cõſideratur, vt determinans intellectum; non tamẽ vt quid determinatum, aut formalizatum ab ipſo: ex eo quòd in ordine intelligibili prædicta eſſentia, vt collata cum ſuo intellectu, eſt primus actus, primaque forma formalizans intellectum, & alia huius generis: quia ſaltem per modum primæ cauſæ formalis determinantis comparatur cum omnibus, quæ ad hoc genus in ordine ad intellectionem ſui cõcurrunt.

§. IIII. *Alia euerſio præiectæ euaſionis Vazquezij.*

Inſurgitur ampliùs cõtra euaſionẽ Vazquez

11 TAndem contra eandem ſolutionem Gabrielis Vazquez vrget ratio alia D. Thomæ loco ſtatim referendo. Quoniam ex eo, quòd intellectus diuinus eſt intelligens per modum actus ſummè puriſsimi, ideò nõ actuatur ad intellectionem ſuæ eſſentiæ, aut aliarum rerũ per aliam ſpeciem diſtinctam aliquo modo ex parte rei conceptæ, ſiue virtualiter ab eſſentia Dei, ſed ipſamet diuina eſſentia gerit vicem ſpeciei intelligibilis reſpectu ſui intellectus: & ita ex duplici capite eſt vnitus diuinus intellectus cum ſua eſſentia, nempe, quia formaliter eminenter eſt eius vis proxima ad intelligendum, & quia actuatur per eandem eſſentiam, eſtque vnitus illi, vt eſt obiectũ per modum actus puriſsimi intelligibile: & propterea eſſentia vnitur cum ſua voluntate, vt vis radicalis ad amãdũ cum ſua vi proxima, non tamen altera illa vnione intelligibili: & deinde intellectus noſter, quia eſt pura potentia pro hoc ſtatu in ordine intelligibili, idcircò ſolùm pro hoc ſtatu vnitur cum eſſentia animæ, vt accidens connaturale cum ſuo ſubiecto, & vt proprietas, & potentia proxima ad intelligendum cum ſua radice, non verò alia vnione in *eſſe* intelligibili: quia anima pro hoc ſtatu non eſt obiectum actu intelligibile, ſed potentia tantùm. Ergo cùm intellectus Angelicus teneat medium quoddam inter hæc duo extrema, quia nec eſt actus purus, nec pura potentia: oportet, vt ſit partim in actu, & partim in potentia in ordine intelligibili: quatenus ex ſe, & ex propriis meritis debet ſemper eſſe in actu reſpectu prædictæ eſſentiæ, quia ſemper eſt vnitus cũ illa taquam cum forma, & obiecto actu intelligibili: licet reſpectu aliorum non habeat hoc, niſi per ſpecies ex ſuperaddita actione, & influxione Dei illi inditas: atque adeò, vltra vnionem, qua vnitur in *eſſe* rei per modum proprietatis, & potentiæ proximæ cum ſua connaturali eſſentia, & potentia radicali, à qua oritur, habebit ex ſe aliam, qua vniatur cum eadem eſſentia, vt intellectus in actu cum ſuo intelligibili in actu.

12 Quæ probatio deſumpta eſt ex D. Thoma q. 8. de Verit. art. 6. in corpore, vbi illam ſatis inſinuat his verbis *Sciendum eſt igitur, quod nihil prohibet eſſe aliquid actu vnum, & in potentia alterum: ſicut corpus diaphanum eſt actu quidem corpus ſed potentia tãtùm coloratum. Et ſimiliter eſt poſsibile, aliquid eſſe actu ens, quod in genere intelligibiliũ eſt potentia tantùm. Sicut enim eſt gradus actus, & potentiæ in entibus, quod aliquid eſt potentia tantùm, vt materia prima; aliquid actu tantùm, vt Deus, aliquid actu, & potentia, vt omnia intermedia: ſic eſt in genere intelligibilium aliquid, vt actu tantùm, ſcilicet eſſentia diuina, aliquid vt potentia tantùm, vt intellectus poſsibilis, qui hoc modo ſe habet in genere intelligibilium, ſicut materia prima in ordine ſenſibilium, ſicut dicit Commentator in 3. de Anima. Omnes autem ſubſtantiæ Angelicæ ſunt mediæ, habentes aliquid de potentia, & actu, non ſolùm in genere entium, ſed etiam in genere intelligibiliũ. Sicut igitur materia prima non poteſt agere aliquam actionẽ niſi perficiatur per formam, & tunc actio illa eſt quædam emanatio formæ ipſius magis, quã* D. Thom.

materia; res autem existentes actu possunt agere actiones secundùm quòd sunt actu: ita intellectus possibilis noster nihil potest intelligere, antequam perficiatur forma intelligibili in actu: tunc enim intelligit rem, cuius est illa forma, nec potest se intelligere, nisi per formam intelligibilem actu in se existentem. Intellectus verò Angeli, quia habet essentiam, quæ est vt actus in genere intelligibilium, sibi præsentem, potest intelligere id, quod est intelligibile apud ipsum, scilicet essentiam suam, non per aliquam similitudinem, sed per se ipsam.

Angelicus Præceptor Vnde idem Angelicus Præceptor in art. 1. huius q. vt saluaret, quomodo intellectus Angelicus semper est in actu per suam essentiam, vt est obiectum intelligibile ab ipso, atque adeò ex vtraque vnione, scilicet in genere rei, & in genere intelligibili, vnitus cum illa, insinuauit, illum non moueri ab essentia Angelica: quia per hunc motum quodammodò videbatur innui, prædictum intellectũ aliquando posse non esse vnitum cum sua essentia in ordine intelligibili: & ita concludit: *Ex quo patet, quòd moueri ab obiecto, non est de ratione cognoscentis, in quantum est cognoscens, sed in quantum est potentia cognoscens.*

§. V. *Euasio alia, & eius impugnatio.*

Alia solutio eiusdem. 13 Nec etiam obest alia solutio ex Vazquez præcedenti affinis, per quam ipsa magis explicari, & fulciri videtur, scilicet, ad rationem speciei intelligibilis requiri, nõ esse quid per se subsistens, sed quid inhærens. Quare, cùm essentia Angelica sit forma per se subsistens, nequit rationem speciei intelligibilis induere.

Explodituꝛ Non igitur hoc obest. Tum, quia ex præcedentis solutionis impugnatione satis corruit. Tum etiam, quia est contra Sanctũ Doctorem, *D. Thom.* qui in ar. 1. huius quæstionis sic inquit: *Nihil autem differt ad hoc, quòd forma sit principium actionis, quòd ipsa forma sit aliquando inhærens, & quòd sit per se subsistens. Sic igitur, & si aliquid in genere intelligibilium se habeat vt forma intelligibilis subsistens, intelligit se ipsum.* Tum deinde, quia est contra rationem ab eodem Sancto Doctore ibidem allatam his verbis: *Non enim minùs calor calefaceret si esset per se subsistens, quàm calefaciens inhærens.* Etita si adhuc conseruãdo, quòd sit subsistens, posset esse coniunctus per aliquam intimam vnionem cum igne, posset vtique esse illi ratio calefaciendi, & compararetur cum illo per modum principij proximi, & formalis in ordine ad calefactionem. Quare, cùm essentia Angeli sit coniuncta, & vnita cum suo intellectu, poterit illi esse ratio intelligendi. Tum præterea. Quia iuxta Angelicum Præceptorem, essentia diuina vnitur cum intellectu Dei in ratione formæ intelligibilis, & similiter cum intellectibus beatorum, cùm tamen semper sit forma per se subsistens.

14 Accedit primò, quòd cùm species intelligibilis non det primam actiuitatem proximam intellectui in ordine ad intellectionem, sed hanc supponat ex parte intellectus, & illam compleat determinando eiusdem intellectum, & eius indifferentiam vniuersalem ad hanc speciem intellectionis, nẽpè illius, quæ terminatur ad intelligendam eandem essentiam Angelicam: inde est, quòd non obsit prædictæ essentiæ, eam esse subsistentem, ad hoc vt in genere intelligibili possit intelligibiliter informare proprium intellectum Angelicum, complendo & determinando illum in ordine ad prædictam intellectionem. Vnde propter hanc rationem, inter alias, essentia diuina, licèt sit subsistens, potest respectu intellectus beati comparari per modum formæ intelligibilis: quia non dat primam actiuitatem proximam tenentem se ex parte intellectus, sed hanc supponit mediante lumine gloriæ, & complet ac terminat per modum obiecti, & formæ intelligibilis prædictam actiuitatem. Et similiter subsistentia Verbi potest in ratone subsistentiæ vniri naturæ humanæ: quia non dat primã rationẽ eidẽ naturæ, nam hanc habet natura humana ex sua specie, sed complet & terminat illam. Et ita eadem ratione poterit essentia Angelica comparari per modum formæ intelligibilis respectu proprij intellectus. Maxime, quia hæc ratio formæ est quodammodò ratio termini in *esse* intelligibili, sicut ratio subsistendi in ratione termini sita est. *Roboratur primo hæc impugnatio*

Accedit secundò, quòd hoc est discrimen inter formam naturalem, & intelligibilem formaliter, & cum præcisione sumptam, quòd forma naturalis, & in *esse* naturali actentitatiuo informans, petit esse quid incompletum, vel imperfectum: & ideò est contra rationem eius, quod sit subsistens per modũ actus perfecti & completi. Cæterùm forma intelligibilis non exigit, vt sit actus incompletus, vel imperfectus: quin potiùs, hoc ipso quòd habuerit magis de actualitate, & perfectione, habebit etiam magis de ratione etiã intelligibilis, vt constat in essentia diuina, quæ quia actualissima, & perfectissima est, tam collata cum suo intellectu, quàm cum intellectu creato beati, idcircò gerit vicem speciei intelligibilis respectu vtriusque. Vnde in prædictis formis, quòd sint subsistentes per modum actus completi, nihil obstabit ad hoc, vt possint vniri per modum formæ intelligibilis, sed potiùs id prodesse poterit. Nam sicut ratione suæ immaterialitatis habent esse obiectum actu intelligibile: ita, si *Secundò*

hæc

hæc immaterialitas magis, ac magis creſcat, habebunt potiori ratione reſpectu proprij intellectus eſſe formas intelligibiles. Et ſi hoc incrementum ſit infinitum, & per eſſentiam, tunc prædicta forma erit adeò eminès in ratione formæ intelligibilis, vt queat cuiuis intellectui creato vniri intelligibiliter, vt in eſſentia diuina conſtat.

Tertio

Accedit tertiò aliud diſcrimen inter prædictas formas naturalem, & intelligibilem, quòd illa ſolet ſe tenere ex parte ſubiecti, in quo eſt, & (vniuerſaliter loquendo) limitatur per illud. Attamen forma intelligibilis tenet ſe ex parte obiecti: & ita eidem per ſe primò commenſuratur, nec per hoc, quod intelligibiliter actuat, limitatur. Quare, licèt ſit contra rationem formæ naturalis, quòd ſubſiſtat per modum actus omninò perfecti, ſecùs tamen contra rationem formæ intelligibilis, ſaltem quando obiectum eſt actus omninò perfectus, & per ſe ſubſiſtens: quia tunc forma poteſt eſſe quid cõmenſuratum cum illo in modo eſſendi, & aliunde ex parte intellectus, cui vnitur, non limitatur, ac proinde nec detrahitur aliquid de perfectione & complemento, quod ex parte obiecti habet. De quo poſſunt videri illa, quæ in 1. tom. tr. 2. diſp. 2. n. 51. & deinceps necnõ tr. 3. diſp. 2. dub. 2. diximus.

§. VI. *Altera euaſio Gabrielis Vazquez, & quomodo præcludenda.*

Altera euaſio.

15 NEc obſtat alia euaſio Vazquez, occurrentis ad hanc rationem, & dicentis, ſupponi in ea, requiri neceſſariò ad viſionẽ concurſũ ſpecialẽ obiectiuum *eſſe* obiecti: & ita quoties obiectũ habuerit cõditiones aſſignatas, habere per ſe ipſum rationem ſpeciei intelligibilis. Cæterùm talis concurſus non eſt neceſſario requiſitus ad viſionem: & ideò eſſentia diuina ſolùm concurrit per modum cauſæ vniuerſalis, & ſimiliter intellectio, qua Angelus ſe ipſum cognoſcit, ſolùm fit ab intellectu Angelico ſine ſpeciali concurſu eſſentiæ ipſius in ratione obiecti, aut ſpeciei intelligibilis.

Elliditur

Non igitur hæc ſolutio obſtat. Quoniã ſatis corruit ex illis, quæ in 1. tom. tr. 2. diſp. 2. à n. 88. vſque ad 41. diximus. Et ideò, ne ex vna parte iam acta iterùm agamus, & ne ex alia prædicta ſolutio maneat in hoc 2. tomo abſque impugnatione, idcircò quoad præſens vnam, vel alteram tantùm impugnationem ex his, quæ loco cit. adduximus, apponemus: & cæteræ aliæ ibidem (ſi libuerit) videri poterunt. Contra prædictam igitur euaſionem obſtat primò, quod (vt conſtat ex cõmuni illo Theologorum & Philoſophorum axiomate) ex obiecto, & potentia paritur notitia: ergo obiectum ſpecialiter influit in intellectionem. Patet conſequentia. Tum, quia ob hanc rationem D. Aug. lib. 9 de Trinitate cap. 10. & lib. 14. cap. 17. inquit, quòd intellectus eſt potentia paſſiua, cuius actiuũ principium eſt obiectum. Et D. Thom. in ſuã q. 77. art. 3. ſic ait: *Obiectum autem comparatur ad actũ potẽtiæ paſſiuæ ſicut principiũ, & cauſa mouens.* Tum etiam. Quia cùm in intellectione interueniat quidam partus, oportet, vt ibidem adſit fœmina, ſcilicet potentia intellectiua &, ſimul aliquid habens ſe ad inſtar maris fœcundantis illam, nimirum obiectum. Ergo ſicut intellectus habet ſpecialem concurſum, quia concurrit per modum fœminę: ita obiectum influit per ſpecialem influxum, & per modum principij actiui fœcundantis, & mouentis potentiam, ex eo quòd ſe habet ad inſtar maſculi.

D. Aug.

D. Thom

Deinde contra eandem ſolutionem obſtat ſecundò. Quia verbum productum, ex ſe & neceſſariò habet aſſimilari obiecto, quoties per intellectionem producitur: ergo obiectum habet ſpecialem concurſum in illud per modum principij *quo*, ac proinde in intellectionem. Antecedens eſt perſpicuum. Nam verbum ex ſe & neceſſariò habet eſſe repræſentatiuum obiecti: ergo ex ſe & neceſſariò erit ſimile illi. Vnde in diuinis Verbum ex ſua ratione formali eſt imago, & ſimilitudo Patris, aſſimilaturque illi in eſſentia, quæ eſt obiectum paternæ cognitionis, per quam producitur. Prima verò conſequentia etiam conſtat. Quia verbum ſolùm aſſimilatur neceſſariò ſuo principio formali *quo* producenti illud: ergo ſi ex ſua ratione formali neceſſariò aſſimilatur obiecto, fit inde, vt hoc habeat ſpecialem influxum in ipſum, nimirum, per modum principij productiui *quo*, vel ſaltem per modum principij formalis determinantis ad eius productionem.

§. VII. *Poſterius effugium cuiuſdam Iunioris, & eius euerſio.*

Vltimũ effugium

16 EX quo etiam fit, nihil referre aliam ſolutionem cuiuſdam Iunioris præcedentibus affinem, quamuis aliquomodo ab eis diſtinctam. Aſſerit enim, verum eſſe, non dari de facto ſpeciem creatam in ordine ad intellectionẽ alicuius obiecti, quoties habet conditiones à nobis enumeratas. Cæterùm falsò ſupponi, quòd tale obiectum debet vniri tunc in ratione ſpeciei intelligibilis. Quia ad hanc indiſpenſabiliter requiritur inhærentia, aut informatio in eſſe entitatiuo. Quare, tunc ſufficiet, & deſiderabitur concurſus ſpecialis obiecti in eſſe obiecti, quatenus vnà cum intellectu coefficiat intelle-

intellectionem, absque eo quòd ibi interueniat ratio speciei intelligibilis, siue creatæ, siue increatæ.

Præclusio eius. Ex dictis igitur satis hæc solutio euanescit, & insuper ex illis, quæ in simili in 1.to. disp. nuper cit. à n. 41. vsque ad 48. asseruimus, ex quibus hanc dumtaxat impugnationem deduximus (cæteræ enim loco cit. inspici poterunt.) Quoniam hoc ipso, quòd obiectum in ratione obiecti concurrat effectiuè ad cognitionem sui, necesse est, vt vniatur aliquo modo cum intellectu per modum vnius principij, non quidem secundùm *esse* naturale, sed in *esse* intelligibili: sed obiectum sic vnitum cum intellectu eo ipso determinat, actuat, complet, & perficit illum in ordine ad prædictam visionem: ergo eo ipso habebit rationem speciei intelligibilis respectu illius. Consequentia videtur certa. Quia nomine speciei intelligibilis nihil aliud intelligimus, quàm obiectum, vel aliquid aliud eius vices gerens, quod vnà cum intellectu concurrat effectiuè ad intellectionem, quodque perficiat, actuet, compleat, & determinet eum in ordine ad illam. Maior verò probatione non indiget: quandoquidem de se constat, quòd quoties concursus duorum in actu secundo requiritur ad aliquam operationem, necesse est, vt sicut in actu secundo vniuntur, ita in actu primo præsupponãtur aliquo modo vnita: alioqui daretur integer actus secundus sine integro & completo actu primo, quod apertè repugnat.

Minor, in qua videbatur esse difficultas, sic ostenditur. Quia intellectus, quousque sit vnitus cum obiecto, est in potentia essentiali in ordine ad eius intellectionem: & ita lumẽ naturale intellectus nostri in sua prima productione est in pura potentia in ordine intelligibili, quia non est vnitum cum aliquo obiecto: & similiter, si lumen naturale intellectus Angelici non esset vnitum cum aliquo ex suis obiectis, vel speciebus eorum, esset quoad illa in potentia essentiali. Ergo eo ipso, quòd obiectum sit ei vnitum per modum principij actiui, comparabitur ad tale lumẽ per modum actus, & complementi, ac determinationis eiusdẽ. Patet consequentia. Quoniam, eo ipso, absque aliquo alio actu, extrahitur lumen illud de potentia essentiali: & ita ibidem inuoluitur, quòd necessariò comparetur per modum actus, & complementi, & determinationis respectu illius.

§ VIII. *Obiectio contra rationem D. Thomæ ex Doctrina Scoti, & Molinæ desumpta.*

Obiectio 17 NEc est magni momenti obiectio quædam, quæ contra ea, quæ pro ratione D. Thomæ diximus, formari potest ex Doctrina Scoti, & Molinæ, nempe, quòd ad rationem speciei intelligibilis non est necessarium, eam intelligibiliter informare intellectum, siue tribuere illi aliquod *esse* formale: ergo frustrà desudatum est in explicatione huius rationis in assignando, quomodo essentia Angeli, ad hoc vt gerat vicem speciei intelligibilis respectu cognitionis sui, debeat intelligibiliter informare proprium intellectum. Antecedẽs probatur. Quoniam etsi verum sit, necessariũ esse in Angelis, determinari intellectum ab obiecto antecedenter ad intellectionem: cæterùm hæc determinatio non est aliquis effectus ab obiecto communicatus intrinsicè ipsi intellectui, sed consistit solùm in vnione inter intellectum, & obiectum, sufficiente ad hoc, vt ex eis tamquam ex causis partialibus constituatur vna integra & totalis causa productiua intellectionis: & ad hanc vnionem satis esse intimam coniunctionem secundùm spatium, supposita proportione inter obiectum, & intellectum quoad gradum immaterialitatis. Nam eo ipso constituitur vna integra causa totalis: & concursus obiecti, quippe determinatus ad se ipsum vt ad terminum determinat concursum intellectus secundùm se vniuersalis & indeterminati, & respicientis plura obiecta. Sicut propter hanc rationem causa particularis dicitur determinare vniuersalem, aut eius concursum.

Soluitur D. Thom. 18 Non igitur hæc obiectio est magni momenti: nec id, quod in ea continetur, verũ est. Tum, quia est contra dicta ex D. Thoma: & insuper contra eundem Sanctum Doctorẽ de Verit. q. 8. ar. 6. in corpore, vbi sic inquit: *Actio autem appetitus, & sensus, & intellectus non est sicut actio progrediens in materiam exteriorem, sed sicut actio consistens in ipso agente, vt perfectio eius. Et ideo oportet, quòd intelligens, secundùm quòd intelligit, sit actu: nõ autem oportet, quòd intelligendo intelligens sit vt agens, intellectum vt passum, sed intelligẽs, & intellectum, prout ex eis est effectum vnum quid, quod est intellectus in actu, sicut vnum principium huius actus, qui est intelligere. Et dico, ex eis effici vnum quid in quantum intellectum coniungitur intelligenti, siue per essentiã suam, siue per similitudinem.* In quibus verbis satis denotat Angelicus Præceptor, ex intellectu, & obiecto fieri vnum quid, secundum quòd intellectus est actu per obiectum, atque adeò actuatur per illud: & hæc actuatio pertinet ad genus causæ formalis, cuius est proprium constituere in actu.

Et similiter in eadem q. art. 7. in solutione ad 2. ex his, quę secũdo loco adducta sunt, sic habet. *Dicẽdum, quòd cognoscens, & cognitum non se habent sicut agens, & patiens, vt ex dictis patet, sed sicut duo, ex quibus fit vnum cognitionis principium: & ideo non sufficit ad cogni-*

cognitionem contactus inter cognoſcens & cognoſcibile: ſed oportet, quòd cognoſcibile cognoſcenti vniatur vt forma, vel per eſſentiam ſuam, vel per ſimilitudinem ſuam. Quod etiã docuerat idem Sanctus Doctor ar. 6. prædictæ quæſtionis in ſolutione ad 2. & 6. cuius verba in hoc eodem dubio n. 7. retulimus. Et tandem ar. 1. huius q. reddens rationem, ob quam obiectum debeat vniri potentiæ cognoſcitiuæ, inquit, in actione, quæ manet in agente, oportet ad hoc, vt procedat actio, vniri obiectum agenti. Et tamen hæc ratio nequit intelligi de vnione ſecundùm ſpatium: quia hæc ſat non eſt ad actionem immanentem.

Idẽ S. Doctor

Tum etiam. Quia ſi vnio inter obiectũ, & intellectum requiſita, vt intellectus determinetur ab obiecto, conſiſteret ſolummodò in coniunctione ſecundùm ſpatium, vix poterit reddi ſufficiens ratio, ob quam vnus Angelus non poſsit alium ſibi coniunctum ſecundùm ſpatium cognoſcere per eius ſubſtãtiam, & ſine ſpecie: cuius oppoſitum artic. ſequenti dicemus. Tum deinde. Quia alias intellectio non eſſet actio immanens ex parte vnius ex duobus principijs partialibus ipſius. Tum denique. Quia niſi obiectum ſit intra intellectum, non habebit vim ad præbendũ influxum in actualem intellectionem: alioqui huiuſmodi influxus non eſſet vitalis, nec intellectio ex parte huius cauſæ, atque adeò nec quoad propriam ſpecificationem, quam habet ex illa, eſſet vitalis. Quare ex his ad formam huius obiectionis facilis, & breuis redditur ſolutio, negando nimirum antecedens. Et ad probationem tranſeat maior, intellecta tamen iuxta nuper dicta; ſed negan da eſt minor.

§. IX. *Oppoſita ſententia, cum ſuis fundamentis, & enodationibus eorum.*

Contraria ſententia

19 PRo contraria tamen ſententia, nimirum, Angelum non intelligere ſe per ſuam ſubſtantiam, tamquam per formam intelligibilem, refertur Marſilius in 2. q. 7. ar. 1. cui ex parte conſentit Scotus ibidem d. 3. q. 10. quatenus ait, quòd licet Angelus cognitione intuitiua poſſet ſe cognoſcere per ſuam eſſentiam tamquam per ſpeciẽ, attamen cognitione abſtractiua cognoſcit ſe per ſpeciem ſui, & ſibi ſuperadditam. Et tandem Vazquez ad ar. primum huius q. Sententia hæc, quatenus abſolutè negat Angelo, quòd per ſuam ſubſtantiam vniatur cum ſuo intellectu in ordine ad cognitionem eiuſdem eſſentiæ Angelicæ, poteſt probari ex D. Th. libro 3. contra Gent. cap. 51. vbi ponit diſcrimen inter eſſentiam diuinam, & eſſentiam ſubſtantiæ ſeparatæ, ſcilicet Angeli, quòd illa poteſt eſſe ſpecies intelligibilis intellectus, ſecùs verò iſta.

Marſilius

Vazquez

Confirmatur ex eodem Sancto Doctore infrà q. 87, ar. 1. vbi ait, animam rationalẽ non ſe intelligere per ſuam eſſentiam, quia eſt pura potentia in genere intelligibilium: ſed ſimiliter Angelus ſecundùm ſuam eſſentiam eſt pura potentia, quia eius intellectus ſecundum ſuam ſubſtantiam non habet aliquam formam intelligibilem: ergo &c.

Cõfirmatio D. Thom.

20 Reſpondetur cum Ferrara 2. contra Gent. cap. 98. §. *ad euidentiam ſecundi dubij* in fine illius, quòd D. Thomas in illo loco loquitur de eſſentia ſubſtantiæ ſeparatæ in ordine ad extrinſecos intellectus, non tamen in ordine ad proprium intellectum, cum quo maximam habet vnionem. Nam non poteſt ſubſtantia ſeparata eſſe forma extranei intellectus in *eſſe* intelligibili: ex eo quòd nullã aliam naturalem vnionem cum illo habet, & non eſt ſecundùm ſe actus tantùm in *eſſe* intelligibili. Reſpectu autẽ proprij intellectus propter naturalem vnionem inter ſe, illa conditio, ſcilicet non eſſe actu tantùm in *eſſe* intelligibili, non impedit, quin ipſius forma eſſe poſsit in *eſſo* intelligibili: habet enim id, propter quod ponitur ſpecies in intellectu, ſcilicet vnionem cum intelligente. Cæterùm de hoc diſcrimine inter diuinam eſſentiam, & eſſentiam ſubſtantiæ ſeparatæ dub. ſequẽti latiùs tẽdibit ſermo, vbi illud magis explicabimus.

Reſpõdetur Ferrara

Ad confirmationem reſpondetur, D. Thomam in illo loco tantùm determinare, animam rationalẽ pro hoc ſtatu, ex eo quòd eſt in potentia ad omnia intelligibilia, non habere in ſe ipſa aliquam formam intelligibilem, niſi acceptam à rebus, & ideò ſe per prædictam formam intelligit. Cæterùm hæc ratio non vrget in Angelis. Nam etſi ſecundùm ſe concepti non ſint formæ intelligibiles aliarum rerum: quia tamen ſunt ſupremæ creaturæ intellectuales, ad nullam formã intelligibilem ſunt in potentia, ſed ſemper in actu: quamuis cum hoc diſcrimine, quòd reſpectu formarum intelligibilium, repræſentantium alias naturas, habet illas aliunde, ideſt ex ſuperaddita actione Dei ſupra ſuam creationem, in inſtanti tamen eiuſdem creationis: cæterùm reſpectu propriæ eſſentiæ, vt obiecti intelligibilis, ex proprijs meritis eſt ſemper in actu, quatenus ab intrinſeco, petit, vt ex prædicta eſſentia oriatur intellectus, non qualitercumque, ſed vnitus cum eadem, vt habet rationem formæ intelligibilis.

Ad confirmationem

Argumẽtũ primum

21 Secundò probatur prædicta ſententia. Quoniam id, quo Angelus ſe intelligit, tãquam per formam intelligibilem, debet actuè concurrere per modum principij formalis *quo*, & immediatè in intellectionem: ſed eſſen

Secundum argumentũ

tia

tia Angeli nequit hoc modo influere in prædictam intellectionem: ergo nec Angelus poterit per suam essentiam, tamquam per formam intelligibilem, se intelligere. Maior cõstat ex illis, quæ nostri Compl. in lib. de Anima disp. 18. n. 62. & in sua Logica cap. de Actione docent, necnon ex his, quæ nos in 1. tom. tr. 2. disp. 2. n. 82. latiùs diximus. Minor autem probatur ex his, quæ Angelicus Præceptor suprà q. 54. & nostri Compl. cum illo in lib. Physicorum disp. 10. n. 22. & deinceps latè dicunt, & probant, nimirum, substantiam non posse esse immediatè operatiuam.

N. Compl. *Angelic. Præcept. N. Compl.*

Diluitur 1. Respondetur, argumentum hoc petere discussionem grauis illius difficultatis, an nimirum substantia Angelica, dum gerit vicè speciei intelligibilis, concurrat efficienter, & immediatè in ordine ad intellectionem sui? Cæterùm, quia de hoc non pauca diximus in 1. tom. disp. nuper cit. à n. 93. vsque ad n. 110. & hoc ipsum latè discussimus circa essentiam diuinam ibidem, idcircò peculiare dubium ad hoc explicandum non excitamus: quia quæ ad præsens desiderari poterant ibi pro viribus tradidimus: & propterea hîc tantùm succinctè, & breuiter duplicem solutionem ex illis dictis adducemus. Prima est, quòd species intelligibilis duo exequitur munia: aliud quidem causæ formalis vnientis obiectum cum potentia; aliud verò causæ efficientis respectu intellectionis. Etsi ergo primum illud munus debeat præstari indispensabiliter ab specie immediatè per se ipsam, sicut etiã immediatè per se ipsã debet determinare intellectũ ad specificationem actus per modum causæ formalis: cæterùm posterius munus non est indispensabiliter necessarium quòd ab obiecto intelligibili vnito per modum formæ intelligibilis præstetur immediatè per se ipsum, sed satis est, quòd fiat mediante intellectu, tamquam virtute eius: ita quidem, vt prædictus intellectus oriatur ab essentia Angelica, tum vt est natura, tum vt est obiectum actu intelligibile: ac proinde oriatur ab vtraque ratione vt virtus vtriusque, & vtrique subordinatus: & vt est virtus prædictæ essentiæ, vt natura est, operetur immediatè intellectionem vt ab ea sic considerata per modum primi principij radicalis oritur, & secundùm quòd est virtus eiusdem essentiæ, vt essentia est obiectum actu intelligibile, præstet immediatè illum influxum, qui correspõdet obiecto intelligibili, quique ab illo, vt in hoc ordine est prima radix, debet per modũ obiecti prouenire.

Secundo Secunda solutio est, quòd etsi substantia non possit esse immediatè operatiua per modum potentiæ actiuæ proximæ, & in ordine entitatiuo ac naturali, benè tamen, per modũ determinationis eiusdem potentiæ, & in ordine intelligibili. Et iuxta hæc intelligenda sunt, quæ docet D. Tho. loco cit. q. 64. nec non & illa, quæ ex eodem Sancto Doctore N. Compl. loco relato dicunt. Et licèt vtraque solutio habeat contra se non leues obiectiones: nihilominùs, quia loco nuper dicto illas in 1. tom. adduximus, & dissoluimus, idcircò quoad præsens nihil amplius dicendum videtur, ne iam actum iterùm agamus.

D. Thom. *N. Compl.*

Tertium argumentum 22 Tertiò probatur prædicta sententia. Quoniam si Angelus posset se per suam essentiam tamquam per formam, siue speciem intelligibilem intelligere, etiam posset se per eandem essentiam tamquam per verbum cognoscere: hoc autem dici nequit. Quia inter intellectiones creatas solã visio diuinæ essentiæ est talis conditionis, vt per eam non formetur verbum, sed essentia Dei suppleat tam rationem speciei intelligibilis, quàm verbi. Sequela probatur. Quoniam verbum, & species intelligibilis, deseruientes ad aliquam intellectionem, sunt eiusdem immaterialitatis. Et ita, si Angelus propter suam immaterialitatem potest vniri cum intellectu suo per modum speciei intelligibilis in ordine ad sui intellectionem, non est cur nequeat in ratione verbi vniri in ordine ad eandem intellectionem.

Satisfit Respondetur, quòd etiam hoc argumentum exigebat excitationem dubij illius satis difficilis, an nimirum sola essentia diuina, an vero etiam essentia Angeli possit vniri per modum verbi, saltem respectu proprij intellectus, in ordine ad cognitionem sui. Cæterùm quia de hoc latè egimus in 1. tom. tr. 2. disp. 2. dub. 3. vbi partem negãtem ex D. Thoma amplexi sumus: propterea hoc in præsenti discutiendum non est, sed ad ibidem dicta recurrendum. Et ita ad argumentum factũ breuiter respondetur, negando sequelam. Et ad probationem dicendum est, quòd licèt verbum productum per intellectionem creatã, quodque proinde est accidens, concedatur esse eiusdem immaterialitatis cum specie intelligibili: attamen verbum, quod est substantia, dicit infinitam immaterialitatem. Quia etsi in accidenti esse essentialiter intellectum, seu habere talem essentiam, vt non possit nõ esse semper obiectum actu terminans intellectionem, non dicat infinitam perfectionem, quia hæc perfectio obiecti actualiter intellecti non exigit identificare secum ipsam intellectionem, & principium intelligendi; secùs verò verbum, quod est substantiale, quodque per suam substantiam vnitur in ratione verbi: nam eo ipso idemmet poterit vniri in ratione speciei intelligibilis: ac proinde iam idẽtificabuntur species intelligibilis, & ipsum verbum. Cumque inter prædictam speciem, & verbum mediet intellectio, nequibit species pertingere ad identificandum sibi verbum,

bum, niſi etiam pertingat ad hoc, vt identificet ſecum intellectionem. Conſtat autem, ſpeciem, & verbum, quæ ſunt ſua intellectio, dicere infinitam immaterialitatem.

Quartũ argumentum

23 Quartò probatur prædicta ſententia. Quoniam ſpecies intelligibilis, maximè ſi concurrat actiuè ad intellectionem, influit vt ſubordinata intellectui: ergo eſſentia Angelica nequit in ratione ſpeciei concurrere actiuè vnà cum ſuo intellectu. Patet conſequentia. Quia influere per modum principij ſubordinati cuidam accidenti, importat imperfectionem, & dependentiam, quæ non videtur congruere perfectioni ſubſtantiæ completæ. Antecedens verò etiam conſtat. Quia ſpecies, quæ eſt cauſa efficiens intellectionis, influit per modum principij *quo* determinantis intellectum, vt intelligat. Principium autem actiuum *quo* ſubordinatur principio actiuo *quod*, vt de ſe patet.

Cõfirmatur

Confirmatur. Quia aliàs concurſus ſpeciei non eſſet vitalis, atque adeò nec ſpecificatio intellectionis ab ipſa prouenienſeſſet vitalis. Hoc autem eſt falſum: ergo &c. Sequela patet. Nam ſpecies impreſſa ſecundùm ſe ſumpta non eſt principium vitale, quippe quæ poteſt oriri, vt à cauſa principali, à principio omninò mortuo, vt in ſpeciebus ſenſibilibus conſtat. Vnde, niſi ſubordinetur principio vitali, ſcilicet potentiæ vitali, nequit vitalem influxum præbere. Falſitas autem conſequentis inde liquet. Nam cũ intellectio per ſe, & ab intrinſeco ſit vitalis, non poteſt non ſecundùm propriam ſpeciem, & eſſentiam habere vitalitatem intellectualem.

Reſponſio

24 Reſpondetur, quod circa hoc argumentum, & eius confirmationem plura diximus in 1. tom. tr. & diſp. ſæpè citatis à n. 87. vſque ad 92. vbi fuſior vtriuſque ſolutio videri poterit. Interim tamen reſpondetur, antecedens eſſe verum de ſpeciebus, quæ ſunt accidentia, & inhærent intellectui; non verò de ſpeciebus, quæ ſunt formæ intelligibiles ſubſiſtentes, vt contingit in eſſentia diuina reſpectu intellectus beati, & in Angelo reſpectu cognitionis propriæ eſſentiæ. Et ratio diſparitatis deſumitur ex eo, quòd principium *quo* eatenus ſubordinatur, & pendet à principio *quod*, quatenus ab eo ſuſtentatur, & ſuo modo recipit aliquod *eſſe* ab illo: quandoquidem iuxta commune Philoſophorum axioma modus operandi ſequitur modum eſſendi. Ergo ſpecies intelligibilis, quæ eſt accidens, & ſuſtentatur quoad ſuum *eſſe* à principio operante *vt quod*, pendebit, & ſubordinabitur illi quantum ad ſuam operationem (modo tamen ſtatim dicendo) non tamen quæ eſt forma ſubſiſtens, & actus completus, quippè quæ in ſuo eſſe ab illo non pendet. Et ad probationem patet ex dictis, veram eſſe minorem in ſpeciebus accidentalibus; ſecùs verò in ſpeciebus, ſiue formis intelligibilibus per ſe ſubſiſtentibus.

Nec obeſt, quòd principium *quo* nequeat exire in operationem ſine principio *quod*: ſicut nec obeſt, quòd prima cauſa, vt concurrit per concurſum generalem cum cauſa ſecunda, nequeat (vt multi volunt, de quo alibi) producere effectum ſine concurſu eiuſdem cauſæ ſecundæ, ad hoc quòd illa ab iſta pendeat. Quoniam vtrobique eſt eadem ratio, ſcilicet, cauſam ſecundam non tribuere primæ virtutem ad operandum; benè tamen è contrà. Et ſimiliter nec principium *quod* præſtare principio *quo* vim & rationem agendi *vt quo* (maximè quando principium agendi *quo* eſt per ſe ſubſiſtens, vt in eſſentia diuina, adhuc in ratione ſpeciei intelligibilis conſiderata, & in eſſentia Angelica contingit) benè tamen è conuerſo principium agendi *quod* habere eſſe tale à principio conſtituente & determinante ipſum.

Tandem, quia ad hæc admiſſo, quòd in alijs rebus principium formale *quòd* ſubordinaretur principio *quod*, non tamen id eſſet admittendum in intellectu, & ſpecie intelligibili. Et ratio diſparitatis deſumitur ex propria natura intellectus, & obiecti intelligibilis. Nam in alijs rebus principium formale *quod* non tranſit in naturam principij *quo*, ſeu (quod in idem quoad præſens redit) non identificatur cum eo, ſed manet omninò ab illo diſtinctum, ita vt ex vtroque vnum tertium coaleſcat. At in ordine intelligibili intellectus tranſit quodammodò in obiectum intelligibile: quia intellectus ſit identicè ipſa res intellecta: & hæc quodammodò imbibitur in ipſa natura intellectus, quatenus identificatur eum ipſo. Et ideò dato, quòd intellectus ſuo modo influat *vt quod*, nihilominùs obiectũ non ſubordinabitur illi: quia intellectus eſt intelligibiliter ipſum obiectum, & nihil ſubordinatur ſibi ipſi.

Occurritur cõfirmationi.

25 Ad confirmationem plura etiam diximus in dicto 1. tom. tr. & diſp. ſæpiùs relatis à num. 111. vſque ad n. 115. ex quibus hæc pauca ad ſolutionem eiuſdem confirmationis breuiter deduci poſſunt, nimirum, ſpeciẽ intelligibilem, & intellectum identificari realiter in ordine intelligibili, vt in eodem tom. tr. 3. diſp. 2. dub. 2. ſatis latè diximus: & propterea realiter loquẽdo ſpeciẽ intelligibilẽ influere in vitalitatẽ actionis, quippe quę eſt realiter in *eſſe* intelligibili ipſemet intellectus: & iſte in eodẽ ordine eſt realiter idẽtificatus cũ ipſa ſpecie, & obiecto illi⁹. cũ ſpecie quidẽ, tã-

quam cum medio *quo* identificationis: cum obiecto verò, tamquam cum extremo *quod*. Cæterùm, quia cum hac reali identificatione in ordine intelligibili ſtat diſtinctio virtualis inter intellectum, & obiectum intelligibile, imò & diſtinctio realis, non quidem actualis, ſed potentialis, vt locis citatis explicuimus: idcircò addimus, ſpeciem intelligibilem, adhuc quatenus ſic diſtinctam ab intellectu, habere ex ſua ratione formali ſufficientem vim ad influendum in vitalitatem actionis, habereque aliquod vitalitatis genus, quatenus ab intrinſeco habet eſſe determinationem potentiæ vitalis, quatenus talis: & non poſſe alio modo, niſi per modum determinationis eiuſdem potentiæ concurrere. Hoc autem ſatis eſt ad hoc, vt in ſuo ordine, & per modum determinationis prædictæ poſsit vnà cum potentia actiuè influere in cognitionem, etiam quatenus vitalem: quia determinatio potentiæ vitalis formaliter ſumptæ ab intrinſeco habet concurrere ad operationes illius potētiæ, quatenus tales, atque adeò etiam ad vitalitatē earundem operationum.

Nec obeſt id, quod in eadem confirmatione adducitur, ſcilicet, ſpecies ſenſibiles non poſſe habere aliquod vitalitatis genus, eò quòd non procedunt à principio vitæ. Quoniam ad hoc vt habeant vitalitatem modo explicato, ſatis eſt, quòd ſint determinationes potentiarum vitalium formaliter ſumptarum: quod quidem eis conuenire, ſatis conſtat.

Adde, quòd quando obiectum, vt habet rationem formæ intelligibilis, dicit naturam vitalem, & ſecundùm iſtam rationem obiecti quaſi oritur à ſe ipſa, vt habet rationem naturæ intellectiuæ, & ab intrinſeco petit coniunctionem cum tali principio, à quo habet quodammodò oriri, tunc ſpeciali ratione dicit aliquod vitalitatis genus, quippè ab intrinſeco petens eſſe quid coniunctum cum principijs vitæ, & dicit in *eſſe* intelligibili eandem naturam vitalem, eſtque ſemper, & inſeparabiliter determinatio actualis potentiæ, & principij vitalis.

Vltimū argumentum

26 Vltimò probatur prædicta ſententia, ſaltem quoad limitationem, qua illam tuetur Scotus, nimirum, Angelum cognoſcere ſuam eſſentiam abſtractiuè, & quoad hanc cognitionem non poſſe per ſe ipſum tamquam per formam intelligibilem, ſed per ſpeciem ſuperadditam ſe intelligere. Quia omnis cognitio ex genere ſuo imperfecta, quæ conuenit ſuperiori Angelo reſpectu alicuius obiecti, poteſt etiam inferiori conuenire reſpectu eiuſdem obiecti: ſed Angelus ſuperior cognoſcit inferiorem per eius ſpeciem ſuperadditam cognitione abſtractiua: ergo etiam inferior poterit ſe hoc modo cognoſcere. Maior videtur certa ex eo, quòd alioquin notitia illa non eſſet ex ſuo genere imperfecta quandoquidem ſolis Angelis ſuperioribus, & perfectiſsimis poſſet conuenire.

Reſpondetur, Angèlum ſecundùm communem & connaturalem curſum non poſſe habere ſpeciem alicuius rei exiſtentis in vniuerſo, quæ non repræſentet ipſam, prout eſt in ſe. Quia (vt ex Auguſtino, & Diuo Thoma ſuprà dicebamus) ſunt ei debitæ ſpecies omnium rerum exiſtentium in vniuerſo: & per hoc, quòd res produceantur in ſe ipſis intra prædictum vniuerſum, continentur intra latitudinem obiecti proportionati eiuſdem Angeli. Vnde, vel per ſuam eſſentiam tamquam per ſpeciem poterit vltra intuitiuam ſui cognitionem habere aliam non ita extenſam; vel ſi per ſuam eſſentiam hanc non poteſt habere, nec etiam poterit per ſuperadditam ſpeciem prædicta cognitio ei conuenire. Addendum tamen eſt cum pluribus ex diſcipulis D. Thomæ, Angelum non poſſe inadæquatè vti ſua eſſentia per modum formæ intelligibilis, & cognoſcere illam præcisè quoad eſſentialia, & modo quodam abſtractiuo, propter rationem, quam dub. ſequenti dicemus.

Reſponſio præbetur.

DVBIVM II.

Vtrùm vnus Angelus cognoſcat alium, vel per eſſentiā Angeli cognoſcentis, vel per eſſentiam Angeli cogniti tamquam per formam intelligibilem.

27 CONSVLTO etiā in hoc dubio nō inquirimus, an vnus Angelus cognoſcat alium? ſicut nec in præcedenti inquiſiuimus, an Angelus cognoſcat ſe ipſum. Sed tam hoc, quàm illud vt certum ſupponentes, inquirimus de modo, quo hæc cognitio fiat: an nimirum fiat, per

Senſus tituli.

per essentiam Angeli cognoscentis, vel cogniti, tamquam per speciem? Quia de hoc sua est lis, & controuersia inter Doctores. Ratio autem, propter quam illud prius vt certum supponimus, est in promptu. Quoniam cùm omnes Angeli conueniant in gradu immaterialitatis, ac proinde vnus respectu alterius sit obiectum satis proportionatum, non est cur denegetur, vnum cognoscere alterum, & è conuerso. Cæterùm, cùm in dubium vocamus modum, quo vnus Angelus cognoscit alium, non de qualicumque cognitione, sed de illa, qua vnus attingit alterum quoad propria illius, ac proinde de cognitione distincta, prout opponitur confusæ, necnon de perfecta cognitione fit sermo.

§. I. *Assertio prior ex D. Thoma mente.*

Assertio prima.

27 DIcendum ergo est primò, vnum Angelum non posse cognoscere alterum quoad propria illius, ac proinde distincta, ac perfecta cognitione, per essentiã Angeli cognoscentis, tamquam per formam intelligibilem. Assertio hæc habetur apud D. Thom. D. Thomam ar. 2. huius quæstionis, vbi loquens de cognitione iam dicta, ait: *Sic igitur vnicuique spiritualium creaturarum à Verbo Dei impressa sunt omnes rationes rerum omnium, tam corporalium, quàm spiritualium: ita tamen, quod vnicuique Angelo impressa est ratio suæ speciei secundùm esse naturale, & intellectuale simul: ita scilicet, quòd in natura suæ speciei subsisteret, & per eam se intelligeret. Aliarum verò naturarum, tam spiritualiũ quàm corporalium rationes sunt ei impressæ secundùm esse intellectuale tantùm: vt videlicet per huiusmodi species impressas tam creaturas corporales, quàm spirituales cognosceret.* Et in solutione ad 3. vbi texens etiam sermonem de cognitione alterius Angeli quoad propria illius, sic ait: *Dicendum, quòd vnus Angelus cognoscit alium per speciem eius in intellectu suo existentem, quæ differt ab alio Angelo, cuius similitudo est, non secundùm esse materiale, & immateriale, sed secundùm esse naturale, & intentionale. Nam ipse Angelus est forma subsistens in esse naturali, non autem species eius, quæ est in intellectu alterius Angeli, sed habet ibi esse intelligibile tantùm: sicut etiam & forma coloris in pariete habet esse naturale, in medio autem deferente habet esse intentionale tantũ.* Et propterea in solutione ad 4. concludit quòd si Deus instituisset facere plures Angelos, vel plures naturas rerũ, plures species intelligibiles mentibus Angelicis impressisset: sicut si ædificator voluisset facere maiorem domum, fecisset maius fundamentum. Et tandẽ subdit: *Vnde eiusdem rationis est, quòd Deus adderet aliquam creaturam vniuerso, & aliquam speciem intelligibilem Angelo.*

Et 2. contra Gentes cap. 98. vbi sic inquit: *Relinquitur igitur, quòd solus Deus per suam essentiam omnia cognoscat: Quælibet autem substantiarum separatarum per suam naturam cognoscit perfecta cognitione suam speciem tantùm.* Et infrà: *Et propter hoc dicitur in libro de Causis, quòd intelligentia est plena formis: quia scilicet tota potentialitas intellectus eius completa est per formas intelligibiles: & sic per huiusmodi intelligibiles species vna substantia separata aliam intelligere potest.* Et quæst. 8. de Veritate articul. 7. vbi retulit, & aliquibus testimonijs confirmauit aliorum placitum his verbis: *Ex aliorum autem dictis videtur, quòd Angelus per essentiam suam, idest, videntis alium Angelum, videat. Et hoc videtur ex verbis Augustini 10. de Trinitate, vbi sic dicit: Mens ipsa sicut corporearum rerum notitias per corporis sensus colligit, ita & incorporearum per semetipsam. Ex quo videtur similiter etiam de mente Angeli, quod cognoscendo se ipsam, cognoscat alios Angelos. Huic videtur etiam attestari, quòd dicitur in lib. de Causis, quòd intelligentia intelligit, quòd est supra se, & infra se per modum substantiæ.* Et ita statim reprobans hunc dicendi modum, inquit: *Sed istud non videtur sufficere.* Et protinus optimam huius reddit rationem, quam ad probationem huius assertionis adducemus. Et tandem occurrit testimonio Augustini pro opposito dicendi modo adducto, sic inquiens: *Auctoritas autem Augustini non sonat, quòd mens per se ipsam sicut per medium cognoscendi cognoscat alia, sed sicut per potentiam cognoscitiuã: sic enim per sensus corporalia cognoscit.*

Vnde hanc assertionem tuentur cõmuniter omnes, vel ferè omnes Theologi: & ideò ab eis in particulari referẽdis abstinẽdũ.

Fũdamẽtalis ratio.

29 Ratio autem fundamentalis huius assertionis desumitur ex Diuo Thoma, potestque sub hac forma redigi. Quoniam cognitio perfecta, de qua in præsenti loquimur, seu quoad propria rei cognitæ, fit per assimilationem: constat autem, vnum Angelum non esse similem alteri quoad propria eorum, siquidem distinguuntur specie: ergo essentia vnius non potest deseruire ad prædictam cognitionem alterius per modum formæ intelligibilis: siquidem hæc, quoad præsens, debebat esse perfectè similis obiecto cognito.

D. Thom. Quam rationem adduxit D. Thom. loco citato ex quæst. 8. de Veritate sequentibus verbis: *Quia, cùm omnis cognitio sit per assimilationem, Angelus per essentiam non potest plus de alio Angelo cognoscere, quàm hoc, in quo essentia est similis. Vnus autem Angelus alteri non similatur nisi in natura communi*

communi: & sic sequeretur, quòd vnus alium non cognosceret cognitione completa, & præcisa quantum ad illos, qui ponunt plures Angelos esse vnius speciei.

Confirmatur ratione desumpta ex eodē Sancto Doctore. Quoniam vnus Angelus per suam essentiam non continet alium: ergo per eam, tanquam per speciem, & formam intelligibilem, nequibit illum cognoscere. Patet consequentia. Quoniam obiectum intellectionis debet contineri intra intellectum mediante forma intelligibili. Antecedens autem ex dictis suprà disp. præcedenti, ex D. Thom. satis liquet. Quoniam essentia vnius Angeli non continet essentiam alterius præcisè in *esse* intelligibili & repræsentatiuo: quia hoc est proprium specierum, quæ sunt per se primò institutæ ad repræsentandum, qualis non est substantia Angelica, quæ per se primò est propter se, & vt in se subsistat, non verò vt alia repræsenter. Nec etiam in *esse* intelligibili, simul & entitatiuo: tū, quia cùm quælibet ex illis constet suo genere, & differentia diuisiua illius rationis genericæ omnibus illis cōmunis, oportet vt vnaquæque limitetur ad proprium *esse* per suam differentiam, ac proinde non contineat propria alterius: tum etiam, quia alioqui vna posset producere aliam: quod quidem est contra rationem substantiæ Angelicæ, postulantis fieri à solo Deo, quippe quæ debet fieri per creationem.

Obiectio contra assertionē, & rationem D. Thomæ.

30 Nec obest, si contra assertionem, & rationem D. Thom. obijcias, quòd illa similitudo, quæ est inter vnum, & alium Angelum quoad rationem naturæ intellectualis, satis est ad hoc, vt ratione ista perfectè cognita, deueniatur in cognitionem specierum sub eadem natura contentarum: sed Angelus perfectè cognoscit prædictam rationem ex vi cognitionis suæ essentiæ: ergo cognoscit etiam per eandem essentiam alios Angelos. Consequentia videtur legitima. Quoniā hoc ipso, quòd prędicta natura perfectè cognoscatur, percipietur etiam, esse determinabilem per distinctos gradus, distinctasque differentias diuersi ordinis & rationis: atque adeò attingentur species contentæ sub prædicta natura, & ex ea, & illis differentijs constantes. Minor verò satis liquet. Quoniam sicut illa natura perfectè est in quolibet Angelo, ita per essentiam eiusdem Angeli poterit perfectè attingi.

Soluitur.

Respondetur enim, concedendo maiorem intellectam de cognitione quidditatiua, & perfecta illius gradus, tam quoad id, quod formaliter includit, quàm quoad naturas, quas sub se continet. Quoniam, vt cognoscatur distinctè quoad omnia ista, oportet, naturas specificas contentas sub natura intellectuali Angelica distinctè cognosci. Cæterùm neganda est minor. Quoniam Angelus per suam essentiam solùm habet distinctam, & claram notitiam illius naturæ, siue gradus intellectualis quoad ea, quæ formaliter, & essentialiter includit actu; non verò quoad ea, in quæ potest diffundi, scilicet, quoad naturas specificas sub ea contentas. Et licèt cognoscat, illum gradum esse diffundibilem per species varias, non tamen has distinctè & in particulari, sed solùm indistinctè & confusè attingit: ac proinde tantùm terminatur ad eas secundùm illam rationem communem, quam habent differentiæ contractiuæ eiusdem gradus: quia essentia illius non continet similitudinem distinctam prædictarum differentiarum, sed confusam & in communi.

Replica. D. Thom.

31 Nec obest, si vrgeas ex D. Thoma loco cit. ex q. 8. de Verit. vbi oppositum huius solutionis videtur docere. Nam postquā retulit sententiam oppositam nostræ assertioni, sic inquit: *Quantum enim ad illos, qui ponūt, plures Angelos specie ab inuicem differre, fortè posset aliquomodo sustineri modus iste. Quilibet enim Angelus, cognoscendo essentiam suam, cognoscit perfectè intellectualem naturam. Cognita autem natura intellectuali perfectè, cognoscuntur omnes gradus naturæ intellectualis. Diuersæ autem species in Angelis non distinguūtur, nisi secundùm gradus perfectionis intellectualis naturæ, & secūdùm hoc vnus Angelus essentiam suam videns concipit singulos gradus naturæ intellectualis, & per huiusmodi conceptiones de omnibus alijs Angelis cognitionem completam habet. Et sic potest saluari, quòd quidam alij dicunt, quòd vnus cognoscit alium per formam acquisitam, vt prædicta conceptio forma acquisita dicatur. Sicut si albedo seipsam intelligeret, perfectè cognosceret naturam coloris, & per consequēs omnes species colorum secundùm gradus colorum distinctè: & vlteriùs etiam omnes indiuiduos colores, si in vna specie non esset nisi vnum indiuiduum.*

Respōdetur

Respondetur, verum esse, quod Angelicus Præceptor, hæsitāter tamē, aliquid probabilitatis tribuat huic modo dicendi, vt constat ex illis verbis: *Fortè posset aliquo modo sustineri modus iste.* Cæterùm statim elegit oppositum his verbis: *Vnde alius modus est eligendus, vt dicatur, quòd vnus Angelus alios cognoscit per similitudines rerum in intellectu eius existentes, &c.* Et propterea nos Sanctum Doctorem sequentes, non illi, sed huic posteriori modo dicendi adhærendum duximus.

Obiectio Vazquez.

32 Nec etiam oberit, si cum Vazquez, qui quodammodò sententiæ assertioni nostræ aduersæ suffragatur, obijcias, quòd etsi ex ratione facta sequatur, Angelum non

posse

poſſe per propriam eſſentiam, tamquam per ſpeciem intelligibilem, nec cognitione quidditatiua cognoſcere alios Angelos, non tamen non poſſe illos attingere, etiam quoad rationes particulares, ſi prædicta eſſentia concurrat per modum obiecti cogniti, atque adeò alij Angeli cognoſcantur ad modum eſſentiæ Angeli cognoſcentis. Quoniam ſi intellectus humanus poteſt per ſpecies rerum materialium, & eiſdem prius cognitis, vt obiectis, ad modum earum cognoſcere ſubſtantias ſuperiores, & ſpirituales ad modum rerum materialium, non eſt cur vnus Angelus per ſuam ſubſtantiam, modo dicto concurrentem, nequeat cognoſcere ſimili & proportionali modo alios Angelos.

Eius enodatio.

Reſpondetur enim, quod hæc obiectio vrgeret, ſi Angelus non haberet aliam ſpeciem quidditatiuè, & prout eſt in ſe repræſentantem alios Angelos, ſecùs tamen de facto, & abſolutè, ſuppoſito (vt ſupponi debet) quòd cuiuis Angelo impreſſæ ſunt ſimilitudines, & ſpecies repræſentantes quidditatiuè, & intuitiuè alios Angelos. Et ratio quoad priorem partem, nempè, id poſſe contingere, ſi Angelus crearetur abſque prædictis ſpeciebus, continetur virtualiter in eadē obiectione. Quia ille modus cognitionis nō importaret aliquam imperfectionē repugnantē ſtatui eiuſdem Angeli ſic conditi, & in eo eſt maior vis intellectiua ad vtendum prædicto modo cognitionis, quàm in homine: & ita ſi hoc tribuitur homini, potiori ratione debet concedi Angelo.

Ratio verò quoad ſecundum partem eſt. Quoniam etſi Angelo non ſemper competat vti ſpeciebus infuſis: attamen ſi ei libeat cognoſcere alium Angelum per hanc cognitionem, de qua in obiectione fit ſermo, oportet, vt in eo excitetur ſpecies eiuſdem Angeli: ac proinde quòd habeat cognitionem illius per talem ſpeciem. Et ita nequibit habendo ſpeciem prædicti Angeli, & cognitionem illius, prout repræſentatur in eadem ſpecie, attingere illum per hunc cognitionis modum imperfectum: tum, quia iſte modus cognitionis non eſt connaturalis huic Angelo: tum etiam, quia intra eundem ordinem, ſcilicet naturalis cognitionis, reperiuntur in eo conditiones repugnantes alteri cognitioni perfectæ, ſcilicet, quòd non terminatur ad obiectum, ſicuti eſt, nec quidditatiuè illud attingit. Poteſtque hoc magis elucidari exemplo noſtri intellectus, in quo ſolùm propter cōnexionem cum phantaſia excitatur ſpecies proportionatæ phantaſmatibus, quibus phantaſia vtitur. Quare propter oppoſitam rationē in Angelo, volente vti illo modo imperfectæ cognitionis reſpectu alterius Angeli, excitabitur ſpecies proportionata ad obiectum, quòd repræſentat, ſecundùm ſe ſumptum, & excitabitur cognitio proportionata, nempe quidditatiua, & intuitiua: & ita ponetur impedimentum ad habendam hanc imperfectam cognitionem, de qua in obiectione fit ſermo.

§. II. *Aſſertio poſterior, & primum eius fundamentum ex Angelico Præceptore deprompta.*

33 Dicendum eſt ſecundò, vnum Angelum non cognoſcere alium per eſſentiam Angeli cogniti, tamquam per formam intelligibilem. Aſſertio hæc eſt expreſſa D. Thomæ art. 2. huius q. vt in priori aſſertione ex ipſo diximus. Quam etiam docuit idem Sanctus Doctor q. 8. iam citata de Verit. ar. 7. vbi ſic (vt §. præcedēti tetigimus) concludit: *Vnde alius modus eſt eligendus, vt dicatur, quòd vnus Angelus alios cognoſcit per ſimilitudines eorum in intellectu eius exiſtentes: non quidem abſtractas, aut impreſſas ab alio Angelo, vel aliquo modo acquiſitas; ſed à creatione diuinitùs impreſſas: ſicut & res materiales per huiuſmodi ſimilitudines cognoſcit.* Et 2. cōtra Gent. c. 98. vbi cū ſibi ſic obiecisſet: *Fortè autem alicui videri poteſt, quòd cum ſubſtantia ſeparata per eſſentiam ſit intelligibilis, non oportet ponere, quòd per aliquas ſpecies intelligibiles vna ab alia intelligatur, ſed per eſſentiam ipſius ſubſtantiæ intellectæ: hoc enim quòd ſubſtantia aliqua per ſpeciem intelligibilem cognoſcatur, videtur accidere ſubſtantijs materialibus, ex hoc quòd non ſunt per ſuā eſſentiam intelligibiles actu.* Reſpondet in hæc verba: *Hoc autem ſi concedatur, habet dubitationes non paucas.* Et ita concludit ratione tertia: *Impoſſibile igitur videtur, quòd vna videatur ab altera per eſſentiam ſuam.*

Secunda aſſertio.

D. Thom.

Caietanus
Bañez
Nazarius
Ripa
Zumel
Nauarrus
Capreolus
Ferrara
Suarez
Bonauēt.
Richard.
Herbeus
Maior
Argētina
Ægidius
Marſili.
Alenſis

Vnde Sanctum Doctorem ſequuntur eius diſcipuli communiter, Caietan. Bañez, Nazar. Ripa, Zumel ad ar. 2. huius quæſtionis, Nauarrete controuerſia ſuper eundem artic. Capreol. in 2. diſt. 3. quæſt. 2. artic. 3. & 8. 1. loco poſitum contra primam concluſionem, Ferrara loco citato ex 2. contra Gentes. Id etiam tuetur Suarez lib. 2. de Angelis capit. 5. num. 12. referens Bonauent. Richardum, Herbeum, Maiorem, Argentinam, Ægid. Marſil. Alenſem, & plures alij.

Ratio aſſertionis.

34 Ratio autem fundamentalis huius aſſertionis deſumitur ex D. Thoma loco relato ex 2. contra Gent. Quoniā ad hoc vt eſſētia vnius Angeli deſeruiret ad cognitionē ſui per modum formæ intelligibilis intellectui alterius Angeli, deberet eſſe vnita illi, ſeu eſſe intra eundem Angelum intelligentem: at nequit vniri per modum formæ intelligibilis cum prædicto intellectu, ſeu eſſe ſic intra

intra Angelum intelligentem: ergo nequit deseruire intellectui eiusdem in ordine ad prædictam cognitionem. Maior & consequentia videntur perspicuæ. Minor autem probatur. Quia cùm vnaquæque substantiarum separatarum habeat esse separatum ab alia, videtur impossibile, quòd vna vniatur alteri per modum formæ intelligibilis.

D. Thom. Quam rationem loco nuper relato proposuit D. Thomas his verbis: *Omne agens, vel operans operatur per suam formam, cui operatio respondet: sicut calefactio calori. Vnde & illud videmus, cuius speciei visus informatur. Non videtur autem esse possibile, quòd vna substantia separata sit forma alterius: cùm habeat vnaquæque esse separatum ab alia. Impossibile igitur videtur, quòd vna videatur ab altera per essentiam suam.*

Confirmatur primò. 35 Confirmatur ratione eiusdem Sancti Doctoris. Quoniam vna substantia Angelica non potest esse intra aliam, siue (quod in idem quoad præsens redit) vniri cũ alia per modum formæ intelligibilis, nisi esset illapsa intimè menti, siue intellectui alterius: at nulla substantia creata potest sic illabi: ergo nulla poterit cum altera vniri per modum formæ intelligibilis in ordine ad cognitionem sui. Maior probatur. Quoniam ad vnionem per modum formæ intelligibilis, quæ fit in ordine intelligibili, debet præsupponi aliqua vnio in *esse* naturali, vt inductiuè constat in cæteris alijs formis intelligibilibus, & intelligibiliter vnitis. Cumque essentia vnius Angeli non possit vniri cum altero in *esse* naturali & entitatiuo, informando, aut inhærendo, nec terminando per modum termini intrinseci, vt ex se, & ex communi sententia omnium Theologorum constat: consequens est, quòd debeat vniri per intimum illapsum: quia non restat alius modus vnionis in *esse* entitatiuo, & naturali.

Minor autem probatur ex communi sententia Theologorum affirmantium, hunc illapsum esse proprium solius Trinitatis, vt docet Aug. de Ecclesiast. Dogmat. cap. 83. & Angelicus Præceptor 3. p. q. 8. ar. 8. ad 1. Idẽ que sentit cum Magistro in 2. dist. 8. ar. 5. ad 3. Bonau. eadem dist. in eius 2. p. art. 1. quæst. 2. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. vbi de Angelis ait: *Ineſt ſingulis naturalis terminus, quo à ſe inuicem diſcernuntur: quia nullus eorum in alio eſt* Bernard. serm. 5. in Cant. circa finem dicens, nullum creatorum spirituum perse mentibus nostris applicari: & ita nec ipsi Angeli ita se alterutrum capiunt.

Augusti. Angel. Præcept. Magister. Bonauẽt. Fulgent. Bernard.

D. Thom. Quam rationem breuiùs adduxit D. Thomas loco cit. ex 2. cõtra Gẽt. rat. 5. his verbis: *Intelligibile eſt intra intellectum, quantum ad id, quo intelligitur. Nulla autem ſubſtantia illabitur menti, niſi ſolus Deus, qui eſt in omnibus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam. Impoſſibile igitur videtur, quòd ſubſtantia ſeparata per eſſentiam ſuam intelligatur ab alia, & non per ſimilitudinem eius in ipſa.*

Secundò. 36 Confirmatur secundò ex eodem Sancto Doctore. Quoniam essentia vnius Angeli non solùm nequit deseruire per modũ speciei intelligibilis intellectui alterius in ordine ad cognitionem prædictæ essentiæ ex eo quòd non potest dari vnio intelligibilis, aut naturalis inter vtrumque extremum; sed etiam quia talis essentia non est proportionata in ratione formæ respectu prædicti intellectus: ergo nulla ratione poterit vnus Angelus intelligere alium per essentiã Angeli intellecti tamquã per formam intelligibilẽ. Antecedẽs quoad primã partẽ patet ex rationibus nuper factis. Quoad secundam verò, loquendo de Angelis superioribus collatis cum inferioribus, etiam constat. Quia prædicti Angeli superiores sunt immaterialiores secundùm suam essentiam, quam inferiores, habentque nobiliorem modum essendi, quàm illi: & ita inferiores non possent per essentiam superiorum illos cognoscere: siquidem potentia intellectiua, & forma intelligibilis debent habere eundem modum essendi, saltem in ordine intelligibili, eandemque immaterialitatem. Et similiter, si fiat sermo de Angelis inferioribus collatis cum superioribus, hoc ipsum probatur. Tum ex probatione modò facta, proportionaliter tamen eisdem applicata. Quoniam essentiæ prædictorum Angelorum sunt minoris actualitatis, & immaterialitatis, quàm intellectus superiorum: & ita, sicut essentiæ horum nequeunt vniri cum inferioribus ob excessum immaterialitatis, & modi essendi: ita nec essentia inferiorum cum intellectibus superiorum, ob defectum æqualitatis in immaterialitãte, & modo essendi: alioqui non seruaretur debita proportio inter formam intelligibilem, & intellectum. Tum etiam (id quod ex præcedẽti sequitur). Quoniam forma intelligibilis est perfectio intelligentis: constat autem, essentiam inferiorem non posse esse perfectionem superioris. Tũ denique. Quia alioqui Angelus superior non intelligeret inferiorem: quippe qui sicut non potest perfici per substantiam inferioris, ita neque per illam ipsum intelligeret.

Quas duas vltimas probationes adduxit Angelicus Præceptor loco relat. ex 2. contra Gent. ratione 4. his verbis: *Intellectum eſt perfectio intelligentis. Non poteſt autem inferior ſubſtantia ſeparata eſſe perfectio ſuperioris: ſequeretur etiam, quòd ſuperior inferiorem nõ intelligeret, ſi per eſſentiam ſuam vnaquæque intelligeretur, & non per ſpeciem aliã.* Explicuitque, & confirmauit hoc ipsum nec non primam confirmationem nuper adductam idem Sanctus Doctor q. 8. de Verit. art. 7. sic

D. Thom.

7. ſic inquiens: *Forma enim qua intellectus intelligit, cum ſit intellectus perfectio, eſt nobilior intellectu, & propter hoc Philoſophus in 11. Metaphyſ. probat, quòd Deus non intelligit aliquo extra ſe: quia illud perficeret intellectum eius, & eſſet eo nobilius. Si igitur ſuperiores Angeli intelligerent inferiores per eſſentiam inferiorum, ſequeretur, quòd inferiorum eſſentiæ eſſent perfectiores intellectibus ſuperiorum, & eis nobiliores, quod eſt impoſſibile. Poſſet autem forte dici, quòd hic modus eſt cõueniens quantum ad modum intelligendi, quo inferiores intelligunt ſuperiores, vt ſcilicet inferior ſuperiorem intelligat per eſſentiam ſuperioris, &c. Sed hæc via poſſet ſuſtineri fortaſſis apud Philoſophos, qui poſuerunt, ſuperiores intelligentias eſſe inferiorum creatrices: ſic enim poterant ponere quodammodò, quòd ſuperior Angelus inferiori eſſet intimus, quaſi cauſa conſeruans eum in eſſe: quod quidem apud nos dici non poteſt, niſi de ſolo Deo, qui mentibus Angelicis, & humanis illabitur. Forma autem, qua intellectus intelligit, oportet, quòd ſit intra intellectum intelligentem in actu. Vnde non poteſt dici de aliqua ſubſtantia ſpirituali, quòd per eſſentiam ſuam ab alia videatur, niſi de ſolo Deo.*

§. III. *Solutiones aduerſariorum ad hanc primam rationem D. Tho. & eius primam confirmationem, vnà cum impugnationibus earum.*

Aduerſarium prior ſolutio.

37 NEc obeſt, ſi contra rationem hanc reſpõdeas, quòd etſi ſubſtantiæ ſeparatæ, hoc ipſo quòd tales, non ſint vnitæ, nec vnibiles ſecundùm ſuum *eſſe* naturale, & per vnionem in *eſſe* entitatiuo & naturali cum alia ſubſtantia; benè tamen per modum formæ intelligibilis. Nõ itaque hoc obeſt. Quoniã ſolutio hæc ex his, quæ in fauorem rationis D. Thomæ diximus, facile corruit. Non enim ſtat, aliquid vniri per modum formæ intelligibilis per vnionẽ in hoc ordine intrinſecam, qualis ad informationẽ formæ intelligibilis petitur, quin ſimul vniatur aliquo genere vnionis intrinſecæ in ordine naturali, ſeu entitatiuo, vt inductione facta in alijs formis intelligibilibus creatis cõſtat: at Angelus in hoc ordine entitatiuo nequit vniri per ſuam eſſentiam cum alio Angelo per aliquam vnionem intrinſecam in hoc ordine: ergo neque etiam poterit per eãdem eſſentiam vniri cum illo per modum formæ intelligibilis.

Impugnatur.

Confirmatur primo.

Confirmatur, & explicatur primò, reddendo rationem à priori huius. Nam cùm *eſſe* intelligibile fundetur in *eſſe* entitatiuo & naturali, oportet, vt ſicut non poteſt dari *eſſe* intelligibile, niſi fundatum in *eſſe* naturali & entitatiuo; ita nec poſsit dari vnio in *eſſe* intelligibili duorum, quæ ſit intrinſeca in ordine intelligibili extremis vnitis, quin detur, & præcedat, tamquam fundamentum eius, aliqua vnio intrinſeca in ordine naturali, ſeu entitatiuo.

Confirmatur ſecũdo.

Confirmatur ſecundò. Nam adhuc eſſentia diuina, quæ eſt forma intelligibilis infinitæ perfectionis, & efficacitatis in hoc ordine, non vnitur in *eſſe* intelligibili cum intellectu beati, niſi præcedente alia vnione in *eſſe* naturali & entitatiuo, quæ licèt non ſit vnio per modum formæ naturalis, attamen in hoc ordine entitatiuo eſt intimior, quàm ſit vnio per inhæſionem, aut informationẽ, ſecundùm quam formæ naturales intrinſecè vniuntur cum ſuis ſubiectis (vt in 1. tom. tr. 2. diſp. 2. num. 73. ex D. Thoma explicuimus, & rationem reddidimus, vbi etiam nu. 74 oſtendimus, quomodo prædicta vnio per intimum illapſum deſideretur ad vnionem eſſentiæ diuinæ per modum formę intelligibilis cum intellectu beati). Ergo potiori ratione ad vnionem intrinſecam formæ intelligibilis creatæ cum aliquo intellectu, in ordine intelligibili conſideratam, deſiderabitur aliqua vnio intrinſeca eiuſdem in *eſſe* naturali, ſiue entitatiuo: ergo cùm hæc nequeat dari inter eſſentiam vnius Angeli, & intellectum alterius, nequibit prædicta eſſentia in ordine intelligibili vniri vnione intrinſeca per modum formæ intelligibilis cum ipſo.

Alia ſolutio Farrara

38 Ex quo etiam manet impugnata ſolutio, quam tradit Ferrara ad primam confirmationem à nobis pro aſſertione factam, nẽpe, quòd etſi ſit proprium Dei illabi mentibus, tam ſecundùm *eſſe* intelligibile, quàm ſecundùm *eſſe* naturale; non tamen ſecundùm *eſſe* præcisè intelligibile. Et propterea hoc vltimum poſſet conuenire eſſentiæ Angelicæ, quæ eſt in ſupremo gradu immaterialitatis creatæ. Et ita, quantum eſt ex vi huius capitis non prohibetur, quòd eſſentia vnius Angeli nequeat vniri per modum formæ intelligibilis cum intellectu alterius.

Refutatur

Ex dictis igitur conſtat, ſolutionẽ hanc manere impugnatam. Siquidem *eſſe* intelligibile ob rationem generalem ſui habet, quòd fundetur in *eſſe* naturali & entitatiuo: & ita quoduis *eſſe* intelligibile, quod hoc fundamẽtum non habuerit, nequit habere veram & realem rationem *eſſe* intelligibilis. Ergo eadem ratione quæuis vnio intrinſeca in ordine intelligibili præſupponet vnionem in *eſſe* entitatiuo & naturali: ſicut, ſi vnio in *eſſe* intelligibili eſſet præcisè extrinſeca, nequiret in hoc ordine dari, niſi etiam, in ordine entitatiuo daretur aliqua vnio extrinſeca.

Aliud P. Suarez effugium.

39 Ex quibus etiam fit, poſſe facilè impugnari ſolutionem aliam ex Suarez lib. 2. de Angelis cap. cit. deductam, ſcilicet, quòd intimus illapſus, qui ſecundùm communem

Theologorum sententiam dicitur esse proprius Dei, est ille, quo Deus illabitur mentibus, conseruando, & continendo eas in *esse*, & cum dominio, & plena potestate super illas. Nã etsi vnus Angelus possit aliquid producere in mente alterius; non tamen ita vt contineat eam in *esse*, neque cum dominio, & plena potestate super illum, vt de se constat. Cæterùm ad hoc, vt vnius Angeli essentia vniatur per modum formę intelligibilis cum mente alterius, non est necesse, vt hoc genere illapsus illabatur menti illius, sicut neque id desideratur ad hoc, vt in illa aliquid producat: sed satis erit ad prædictã vnionem, quòd secundùm suam substantiam sit (vt sic dicamus) intimè penetrata cum mente alterius Angeli, & quòd sic quasi penetrata determinet eam ad speciem effectus, & vnà cum illa coefficiat intellectionem. At hæc omnia fieri possent absque intimo illo illapsu, qui est proprius Dei.

Præcluditur.

Ex dictis igitur constat, solutionem hanc posse facilè euerti. Quoniam id, quod vnitur per modum formæ intelligibilis, debet per vnionem aliquam intrinsecam vniri cum intelligente: tum propter illa, quæ contra Scotum, & Molinam dub. præcedenti num. 18. dicebamus: tum ex illis, quæ in 1. tom. tr. 2. disp. 2. num. 133. & tr. 3. disp. 2. n. 69. asseruimus, vbi ostendimus, vnionem speciei, siue formæ intelligibilis cum intelligente esse tantam in hoc ordine, vt pertingat vsque ad identitatem in eo: tum denique, quia hoc ex se constare videtur: siquidem est vnio secundùm rationem formæ intra aliquem ordinẽ realem: vnio autẽ formæ cum suo actuabili intra aliquem ordinem realem debet esse intrinseca: maximè quando talis ordo ex genere suo tendit ad faciendum vnum, qualiter in ordine intelligibili contingit, qui ex se ordinatur ad hoc, vt intelligens sit intelligibiliter res intellecta. Ergo, quoad præsens attinet, vel hæc vnio inter essentiam Angeli intellecti, & inter Angelum intelligentem fundabitur in vnione per intimum illapsum propriè dictum, & in eo sensu, in quo communiter à Theologis assignatur tãquam quid proprium Dei; vel nulla ratione ibidem inuenietur vnio intrinseca: ac proinde, neque manebunt vniti per modum formæ intelligibilis, & intelligentis actuabiles per talem formam.

Hæc secunda consequentia apertè sequitur ex priori. Prior verò ex antecedenti. Nã cùm talis vnio sit intrinseca in ordine intelligibili, oportet, vt fundetur in aliqua vnione etiam intrinseca in ordine entitatiuo, vt nuper dicebamus. Cumque vnio in hoc ordine non sit, quoad præsens, per inhæsionem, aut informationem, aut realem & intrinsecam terminationem in *esse* entitatiuo, vt de se patet: oportebit, eam esse per intimũ illapsum propriè dictum, & in eo sensu, in quo est proprium Dei illabi mentibus: quandoquidem, præter duas vniones intrinsecas informationis, aut inhæsionis in *esse* entitatiuo, nõ supereſt alia intrinseca respectu essentiæ vnius Angeli collati cum essentia, aut intellectu alterius: & ita quæuis alia vnio præter illas recensitas, & hanc, quæ fit per prædictum illapsum intimum, non est intrinseca, sed tãtùm dicit indistantiam quandam secundùm spatium inter prædicta extrema. Imò nisi vnus Angelus operetur aliquid in alio (quòd tamen non est ita consonum doctrinæ D. Thomæ) aut vterque in eodem loco materialiter eodem, non habebunt hanc indistantiam, & vnionem extrinsecam.

40 Confirmatur, & explicatur primò. Quoniam præter vniones alias modò enumeratas, tantùm posset dari vnio intrinseca in *esse* entitatiuo inter Angelos, ex eo quòd vnus, nempe Angelus cognitus, esset intra terminos alterius; non qualescunque, sed terminos essentiæ, scilicet proprias eorum existentias: quandoquidem, ex quo capite esset intra terminos, maneret vnitus vnione intrinseca cum illis: & ex quo capite Angeli non habent alios terminos, præter suum *esse* existentiæ, non verò terminos dimensiuos, qualis est superficies, oportebit, non esse intra qualescunque terminos, sed intra hos terminos, nempè intra prædictas existentias. Sed Angelus in *esse* entitatiuo nequit esse intra prædictos terminos, nisi efficiendo aliquid intra eosdem terminos: quandoquidem (vt disp. 2. huius tractatus latiùs diximus) solùm per modum agentis, aut rei locabilis præexigentis vt fundamentum suæ locationis contactum virtutis, qui fit per actionem, potest esse in aliqua alia re distincta à se, cumque illa vniri. Ergo oportet, vt sit intra terminos prædictos per hoc, quòd sit causa essentiæ Angelicæ, aut intellectus itidem Angelici: & consequenter per hoc, quòd contineat vtrũque in *esse*. Confirmatio prima.

Patet vtraque consequentia. Quoniam sicut nihil præter essentiam Angelicam potest causari ab Angelo, quod sit intra terminos eiusdem essentiæ, nempe existentiam prædicti Angeli: quia omne aliud est extra prædictum terminum, & illum veluti circunstat, & (vt sic dicamus) est suprà, non verò infrà eãdem existentiam: ita non potest esse intra terminos essentiarum aliorum Angelorum nisi per hoc, quòd sit causa essentiæ Angelicæ (quòd idem cum proportione de intellectu Angelico, & eius essentia dicimus) & ex cõsequenti nisi per hoc, quòd contineat illa in *esse*. Imò & hinc etiam fiet, non fieri hunc illapsum per hoc, quòd vtcunque contineat prædicta in *esse*; sed cum plena potestate super illa:

per illa: ſiquidem quod cauſat eſſentiam Angelicam, & continet eam in *eſſe*, debet prædictam poteſtatem habere. Quæ probatio deſumpta eſt ex D. Thoma loco cit. ex 2. ſent. diſt. 8.

D. Thom.

Secunda.

41 Confirmatur ſecundò. Quoniam vnio, quæ in *eſſe* entitatiuo requiritur ad hoc, vt in *eſſe* intelligibili maneret vnita eſſentia vnius Angeli cum altero, ſiue cum intellectu alterius, debet eſſe talis, vt naturali (vt ſic dicamus) colligatione concurrat forma intelligibilis vnà cum intellectu, & per modum vnius agentis cum illo, quoties intellectus in intellectionē influxerit, vt ex ſe conſtat: at ſi hæc vnio eſſet, vel per inhæſionem, vel per informationem, aut realem, & intrinſecam terminationem, poſſet optimè hoc contingere: & ſimiliter ſi eſſet per aliquam aliam naturalem colligationem, vt accidit in vnione, & colligatione, qua eſſentia Angelica eſt colligata cum ſuo proprio intellectu: vel ſi ſit per intimum illapſum, per quem intellectus continetur in *eſſe*, vt cōtingit in eſſentia diuina vnita cum intellectu beatifico. Nam ſicut, quia ſic continet, eſt primum principium mouens: ita poteſt ſe (vt ſic more noſtro loquamur) quaſi mouere, & applicare, vt habet rationem obiecti, & formæ intelligibilis, ad hoc vt præſtet ſuum influxum per modum formæ, dum mouerit intellectum ad viſionem beatam, ſecùs verò quando non intercedit aliqua ex his vnionibus. Ergo cùm ex prædictis vnionibus tres priores nequeant conuenire Angelo, oportet, vt eſſentia vnius Angeli nō poſsit vniri cum intellectu alterius, ita vt naturali aliqua colligatione influat in intellectionem, quoties intellectus influxerit, niſi ſit intimè vnitus cum illo per prædictum illapſum. Conſequentia non indiget probatione. Maior videtur perſpicua: tum, quia hoc deprehenditur ita eſſe in quibuſuis alijs ſpecieibus intelligibilibus: tum etiam, quia ſpecies intelligibilis influit dando ſpeciem: id autē, quod ſic influit cum alio, debet habere conditionem illam in prædicta maiori recenſitam.

Minor autem quoad primam partem ſatis liquet. Quoad ſecundam verò, nēpe, quòd quando non intercedit aliqua ex prædictis vnionibus, nequeunt eſſentia vnius Angeli, & intellectus alterius ſic connecti, vt cùm intellectus influxerit, toties etiam eſſentia influat, non quidem à caſu & fortuitò, ſed per ſe & ex naturis rerum, ſeu naturali colligatione, etiam conſtat. Quia concurſus duarum cauſarum, aut rationum agendi naturaliter colligatus nequit dari, niſi præſupponat naturalē colligationem cauſarum, & rationum agendi, ita vna ſit naturali & entitatiuo modo vnita & colligata intrinſecè cum alia, vel intrinſecè ſint ambę radicatę in vna & eadē radice.

Et hoc poſteriori ratione eſt verum quoad præſens. Quia neutrum ex his principijs, nēpe, tam Angelus cognoſcēs, quàm cognitus influit per modum naturæ, ſed liberè: nec vnus eorum poteſt per ſuam voluntatem neceſsitare alterum ad hoc, vt præſtet ſuum influxum, vt ex ſe patet: nec queit inter illos eſſe naturalis ſympathia, quia hæc ſine debito fundamento fingeretur. Et ita poſſet contingere, vt vnus Angelus vellet alium videre, & non poſſet, quia alter non vult, & è conuerſo. Imò non eſſet quomodo voluntas libera vtriuſque ſimul ad hunc effectum per ſe cōueniret, ſed ad ſummum à caſu & fortuitò, vel niſi vnus præuideat voluntatem alterius, & ei conſentiat: quod quidem & ſatis indicat imperfectionis in modo cognoſcendi Angelico, & videtur eſſe impoſsibile: tum propter generalem rationē, propter quam actus liberi vnius Angeli ſunt occulti alteri: tum etiam, nam qua ratione vnus Angelus ſciet, quid alius in particulari velit, ſi illum non cognoſcit? aut quo pacto appetet, vt aliter, verbi gratia Gabriel, præſtet ſuum influxum immediatè per ſuam ſubſtantiam quoad propria eiuſdem, ſi illius quoad propria ipſius ignarus eſt?

§. IIII. *Obiectio notanda contra dicta in præcedentibus impugnationibus, & eius enodatio.*

Prima obiectio.

42 NEc refert, ſi cōtra ea, quę dicta ſunt in his impugnationibus, obijcias. Tū primò. Quòd ſemel data in vno Angelo ſpecie intelligibili alterius Angeli impreſſa à Deo, nō idcircò talis ſpecies eſſet illāpſa illapſu (vt ſic dicamus) formali, ſeu in genere cauſę formalis: ſiquidē nō eſſet intra terminū eſſentiæ Angeli intelligentis, nempe exiſtētiam, ſed (vt ſic dicamus) ſupra illam, & eam quaſi circunſtans. Ergo neque etiam eſſentia Angeli requireret vnionem per intimum illapſum ad hoc, vt vniretur per modum formæ intelligibilis cum alieno intellectu. Patet conſequentia. Quia non videtur amplius requirendum in eſſentia Angelica, vt per ſe ipſam vnitur per modum formæ intelligibilis, quàm deſideratur in ſpecie impreſſa à Deo, & repræſentante ipſam, quandoquidē prædicta ſpecies tantum habet rationem formæ ſupplentis id, quod eius obiectum præbiturum erat, ſi per ſe ipſum immediatè vniretur.

Secunda.

Tum ſecundò. Quòd iuxta D. Thomæ, & noſtram doctrinā, nihil videtur obeſſe, quòd ſubſtantia vnius Angeli ſit præcisè per modum formæ intelligibilis intra terminum alterius, nimirum intra ſuam exiſtentiam: ergo nihil oberit, quominùs vniatur illi per intimum illapſum. Conſequentia ex dictis ſatis patet.

patet. Antecedēs autem probatur. Quoniam ad hoc, vt per modum formæ intelligibilis sit intra terminos Angeli intelligentis, sufficit, vt sit intra terminum illius in ordine intelligibili: at licèt non posset esse intra prædictum terminum in ordine naturali & entitatiuo (quia quicquid est intra illum per modum formæ, aut partis illius, debet existere per eandem existentiam) benè tamen potest esse intra prædictum terminum in ordine intelligibili, nempe intra intellectionem, quæ est existentia huius ordinis. Nam etsi essentia vnius Angeli nequeat existere per existentiam naturalem alterius, bene tamen per existentiam in ordine intelligibili. Sicut licèt aliæ species intelligibiles nequeāt existere per illam priorem existentiam, benè tamen per hanc posteriorem.

Tertia. Tum denique. Quoniam adhuc essentia diuina, vt habet rationem formæ intelligibilis, non vnitur per intimum illapsum in genere causæ formalis cum intellectu beato: & nihilominùs vnitur ei in ratione speciei: ergo etiamsi essentia Angeli non sit intimè illapsa in hoc genere cum intellectu alterius Angeli, poterit esse vnita cū illo in ratione formæ intelligibilis.

Enodatio primæ. 43 Respondetur ad primam ex his impugnationibus, concedendo antecedens, intellectum de illapsu in intellectum, & essentiam Angeli intelligentis, qui sit intra terminum eius in *esse* entitatiuo, scilicet intra existentiam eius naturalem: sed neganda est cōsequentia. Et ratio disparitatis sumitur ex dictis. Quoniam etsi non sit necessaria vnio per intimum illapsum in his, quæ sunt in *esse* entitatiuo & naturali intimè, & intrinsecè vnita per informationem, aut inhæsionem, qualiter species impressæ à Deo vniuntur cum intellectu, cui imprimuntur: attamen in his, quæ in *esse* entitatiuo nequeūt intrinsecè vniri, desideratur loco huius vnionis in *esse* entitatiuo alia intrinseca vnio in hoc ordine; & nulla alia superest præter vnionem per intimum illapsum, per quāque proinde, si hic illapsus sit in genere causæ efficientis, producatur aliquid, aut conseruetur, quod sit intra terminos naturales earum rerum, in quibus fit iste illapsus, scilicet intra existētiam, si res illæ his solummodò terminis terminatæ fuerint.

Secundæ. Ex quo etiam ad secundam impugnationem constat, negandum esse antecedens. Quia, vt sit intra terminum alterius Angeli cognoscentis consideratum præcisè in ordine intelligibili, oportet, vt priùs sit intra terminum naturalem, & in *esse* entitatiuo eiusdem, nempe intra existentiam naturalem. Constat autem, intra hanc non posse esse. Quia (vt sæpè innuimus) quod est intra hūc, existit per illā: & certum est, essentiam vnius Angeli non posse in *esse* naturali & entitatiuo existere per existentiam alterius.

Tertiæ prior solutio. Ad tertiam respondetur primò, satis esse quoad præsens, diuinam essentiam esse in *esse* entitatiuo intimè illapsam intellectui beati, & lumini gloriæ illius per modum causæ efficientis, & continentis ea in *esse*, esto nō esset intimè illapsa per modum formæ intelligibilis. Quia supposita illa priori vnione, esset in ordine intelligibili identificata cum intellectu beato, vt tali, vt constat ex illis, quæ in 1. tom. tr. 2. disp. 2. num. 74. & tr. 3. disp. 2. n. 69. diximus. Constat autem, hanc vnionem, seu identitatem esse satis accommodatam ad hoc, vt ratione illius dicatur, essentiam diuinam esse intrinsecè vnitam cum intellectu beato per modum formæ intelligibilis.

Eiusdē posterior enodatio. 44 Adde, quòd essentia diuina, adhuc per modum formæ intelligibilis, habet intimè illabi in genere causæ formalis intra intellectum beatum, vt talem: non quidem quia ipsa existat per eius terminos, siue ordinis naturalis, siue intelligibilis, vt constat ex illis, quæ in 1. to. tr. 3. disp. 2. n. 105. asseruimus; sed quia sicut dicitur illabi in genere causæ efficientis, ex eo quòd producit in hoc genere aliquid, quod est intra terminos intellectus, quodque proinde existit per existentiam illius, siue in ordine naturali, siue intelligibili: ita etiam dicetur illabi in genere causæ formalis: quia in hoc genere causat aliquid, nempe lumen gloriæ, quod constituit, vnà cum potentia intellectiua naturali, vnicum dumtaxat intellectum beatificum integrum, & existit per existentiam supernaturalem, prædicti intellectus beatifici, tam in ordine entitatiuo, quàm in ordine intelligibili. Ratio autem, propter quam asserimus, prædictum lumen causari in genere causæ formalis à diuina essentia, vt habet rationem formæ intelligibilis, cōstat ex illis, quę in 1. to. tr. 2. disput. 2. n. 63. diximus, ostendentes, lumen gloriæ comparari cum essentia diuina, vt habente rationem formę intelligibilis, per modum vltimæ dispositionis ad illam: at vltima dispositio causatur à forma, ad quam disponit, tanquam à causa formali determinante in hoc genere ad illam.

§ V. *Euasio contrariorum ad secundam confirmationem primæ assertionis D. Thomæ, & eius præclusio.*

Aduersariorum solutio ad secūdā confirm. assertionis. 45 EX quibus omnibus satis constat, quomodo præcipua ratio, & sua prima confirmatio pro assertione adductæ maneant in sua vi, & solutiones illarum eam non eneruent. Quare solùm restat adhibere solutionem, quæ ex doctrina eorum aduersariorum potest adhiberi se-

cundæ

cundæ confirmationi eiuſdem rationis, & eam breuiter impugnare. Ad eam igitur occurrunt, aſſerentes, falſum eſſe, eſſentiam vnius Angeli non eſſe proportionatam intellectui alterius in ratione formæ intelligibilis, ſiue prædicta eſſentia excedat, ſiue excedatur ab Angelo intelligente. Quoniam ſatis eſt, vtrumque Angelum eſſe purè immaterialem, licèt ſe excedat in diuerſis modis habendi immaterialitatem. Sicut eſſentia diuina eſt proportionata intellectui beato in ratione formæ intelligibilis: quia tam ipſa, quàm ille ſunt immateriales, licèt eſſentia diuina infinitè excedat in immaterialitate intellectum beatum.

Refutatur. Cæterùm hæc ſolutio ſatis corruit ex illis, quæ in 1. tom. tr. 2. diſp. 2. num. 172. & deinceps diximus, nempe, quod ad cognitionem, de qua loquimur, requiritur conuenientia in gradu immaterialitatis inter ſpeciem, & obiectum: & quòd, ſi obiectum exceſſerit in diuerſo modo habẽdi prædictum gradum, tũc ſpecies repræſentatiua illius obiecti habeat in Angelo inferiori modum eſſendi proportionatum eidem Angelo inferiori, & non excedentem modum habẽdi immaterialitatem, qui illi cõperit: ſicut ſi obiectum fuerit minoris immaterialitatis in modo habendi illam, quàm Angelus intelligẽs, tunc prædicta ſpecies debet habere modum eſſendi eleuatiorem, & immaterialiorem, commmenſuratum in immaterialitate peculiari conueniente Angelo ſuperiori. Quare, cùm Angelis per ſuas eſſentias nõ poſsit hoc conuenire, quia ſemper habẽt illum modum immaterialitatis proprium cuiuſlibet: & ita eſſentia Angeli, v. g. Gabrielis, ſemper haberet modum immaterialitatis, vel excedẽtem, vel deficientem à modo immaterialitatis alterius Angeli, quippe quæ ſpecie diſtinguitur ab omnibus illis intra genus immaterialitatis: inde eſt, vt non ſit proportionata in ratione formæ intelligibilis reſpectu intellectus alterius Angeli; ſed ſemper comparetur cum illo, vel per modum excedentis, vel per modum deficientis.

Cõfirmatio Confirmatur. Quoniam ſpecies impreſſę, quæ ſunt in intellectu vnius Angeli, nequeũt eædemmet omninò inhærere in intellectu alterius Angeli, ita vt illis poſsit prædictus Angelus vti: ex eo quòd neceſſariò debent eſſe vel excedentes, vel deficientes in modo immaterialitatis ab illo: & propterea non ſunt proportionatæ reſpectu prædicti intellectus: ergo propter ſimilem rationem nequibit eſſentia vnius Angeli eſſe proportionata per ipſam in ratione formæ intelligibilis cũ intellectu alterius.

Nec id, quod de eſſentia diuina adducitur, prodeſt. Tum, quia eſſentia diuina non comparatur per modum formæ proportionatæ in ordine intelligibili reſpectu intellectus beati propter conuenientiam in immaterialitate intellectus cum illa, ſed propter cõuenientiam in ordine diuino, ad quem per lumen gloriæ eſt eleuatus prædictus intellectus, & quia lumen gloriæ, per quod fit hæc eleuatio, eſt participatio quædã diuini intellectus ſecũdùm ſuam rationem atomam cõſiderati.

Tum etiam. Quia eſſentia diuina propter ſuam infinitatem eſt in ratione formæ intelligibilis (quãtũ eſt ex ſe) proportionata, tam reſpectu ſui intellectus, quàm reſpectu aliorum intellectuũ: & ita ex parte eius nihil obeſt, quominùs queat cùm illis vniri. Cæterùm eſſentia Angeli propter ſuam limitationẽ ſolùm poteſt eſſe forma intelligibilis reſpectu ſui, non tamen reſpectu aliorum. Sicut etiam *eſſe*, & *ſubſiſtere* Dei propter ſuam infinitatem poteſt terminare tam diuinam eſſentiam, quàm cæteras alias eſſentias creatas; cũ tamen hoc nequeant præſtare exiſtentia & ſubſiſtentia Angelica, ſed propter ſuam limitationem ſolùm poſsint terminare propriam eſſentiam Angeli.

46 Ex quo etiam manet ſoluta quædã obiectio, quæ contra hanc ſecundam confirmationem, quam elucidamus, poſſet fieri, nẽpe, quòd ſi eſſentia Angeli inferioris propter ſuam inferioritatẽ nequit eſſe forma intelligibilis reſpectu Angeli ſuperioris, ex eo quòd forma intelligibilis eſt perfectio intellectus, & hoc nequit conueniri eſſentiæ inferiori reſpectu intellectus ſuperioris: fit inde, vt neque etiam ſpecies alia, repreſentans eũdem Angelum inferiorẽ, & impreſſa à Deo, poſsit habere rationem formæ intelligibilis reſpectu Angeli ſuperioris: nam etiam iſta eſt eo ignobilior: & ex conſequenti nequit eſſe eius perfectio. **Obiectio.**

Ex dictis igitur conſtat, hanc obiectionẽ manere ſolutam. Quoniam proportio, quæ debet eſſe inter intellectum, & formam intelligibilem, tantùm debet attendi penes cõuenientiam in gradu immaterialitatis ex parte obiecti repræſentati per ſpeciem, & Angelum intelligentem: & quòd excẽſſus in modo habendi immaterialitatem, qui fuerit in prædicto Angelo intelligente reſpectu obiecti, compenſetur per hoc, quòd illa ſpecies in prædicto intellectu habeat etiam modum eſſendi ita eleuatum in immaterialitate, & modo illius, ſicut talis intellectus: & inſuper ad hoc vt cum hac æqualitate habeat exceſſum actus perficientis ſupra intellectum Angeli ſuperioris, ſatis eſt, quòd ita inter ſe cõparentur, vt cum æqualitate iam dicta habeat ſpecies rationem determinationis reſpectu illius, & ipſe rationem determinabilis reſpectu ſpeciei: ac proinde, quòd habeat ab ea determinationẽ quoad ſpecificationẽ in ordine ad peculiarẽ illã intellectionẽ eliciędã: **Occurritur**

quia

quia hic modus causalitatis spectat ad genus causæ formalis,& actus perficientis. Constat autẽ, hęc posse reperiri in prędicta specie intelligibili repræsentante Angelũ inferiorem superiori,secùs verò in essentia naturali eiusdem Angeli inferioris.

§. VI. *Ratio posterior pro eadem secunda assertione ex Angelico Præceptore desumpta.*

Vltima ratio.

47 SEcunda, & principalis ratio nostræ secundæ assertionis desumitur ex D. Thoma locis statim referẽdis, quam in 1.tom.tr.2.disp.2.n.47.adduximus,ex discrimine, quod intercedit inter essentiã creatam,v.g. Angeli,& inter diuinam. Nam id, quod concurrit actiuè,& est forma in *esse* naturali ac entitatiuo,potest vniri cuiuis obiecto capaci, constituendo illud in actu primo, secùs autem id,quod est compositum ex materia,& forma,vt ex se constat:ergo quod est pura forma in *esse* intelligibili,ac proinde est ipsa intelligibilitas, & actiuè influit,poterit alteri vniri per modum formæ constituentis illud in hoc ordine in actu primo, & consequenter per modum speciei intelligibilis: ergo cùm Deus vt est obiectum intelligibile, influat actiuè, & sit ipsa intelligibilitas, & perconsequens pura forma in genere intelligibili,valebit hoc modo vniri cuiuis intellectui eleuato, & proportionato eidem, secùs verò essentia Angeli, quæ non est ipsa intelligibilitas, sed id, quod est intelligibile: & ita,licèt quia includit intelligibilitatem,possit sibi esse ratio intelligendi, sicut quod includit formam naturalem, queit esse sibi ratio existendi,& operandi: attamen quia inuoluit potentialitatem, & non est ipsa intelligibilitas per modum actus, & formæ puræ,sed id,quod habet illam,nequibit vniri per modum formæ intelligibilis cum alieno intellectu.

D.Thom.

Elucidatur testimonijs D.Thom.

Quam rationem adduxit D. Thomas in 4.dist.49.q.2. art. 1. & 3. contra Gent. cap. 51. his verbis: *Ad huiusmodi igitur intelligentiam veritatis considerandum est,quòd substãtia, quæ est per se ipsam subsistẽs,est vel forma tantùm,vel compositum ex materia,& forma. Illud igitur,quod est ex materia,& forma cõpositum, non potest alteri esse forma: quia forma in eo iam est contracta ad illam materiam, vt alterius rei forma esse non possit. Illud autem, quod sic est subsistens, vt solùm tamen sit forma, potest alteri esse forma, dummodò esse suum sit tale, quòd ab aliquo alio participari possit (sicut in 2. ostendimus de anima humana). Si verò esse suum ab altero participari nõ possit, nullius rei forma esse potest: sic enim per suum esse determinatur in se ipso sicut quæ sunt materialia per materiã: hoc autem sicut in esse substantiali,vel naturali inuenitur,sic & in esse intelligibili considerãdum est. Cùm enim intellectus perfectio sit verum:illud intelligibile erit vt forma tantùm in genere intelligibiliũ, quod est veritas ipsa: quod conuenit soli Deo. Nam cum verum sequatur ad esse:illud tãtùm sua veritas est,quod est suum esse,quod est propriũ soli Deo(vt in secundo ostẽsum est). Alia igitur intelligibilia subsistentia non sunt, vt pura forma in genere intelligibilium, sed vt formam in subiecto aliquo habentes:est enim vnũquodque eorum verum,non veritas,sicut & est ens,non autem ipsum esse. Manifestum est igitur, quòd essentia diuina potest comparari ad intellectum creatum, vt species intelligibilis, qua intelligit: quod nõ contingit de essentia alicuius alterius substantiæ separatæ.*

Eandem autem rationem proposuit idem Sanctus Doctor q. 8.de Verit. art. 1. in fine corporis, & in 4.dist.49.q. 2. art. 1. sic inquiens. *Sicut enim ex forma naturali,qua aliquid habet esse,& materia efficitur vnum ens simpliciter:ita ex forma,qua intellectus intelligit,& ipso intellectu fit vnum intelligẽdo. In rebus autẽ naturalibus res per se subsistens nõ potest esse forma alicuius materiæ,si illa res habeat materiam partem sui:quia non potest esse, vt materia sit forma alicuius. Sed si illa res per se subsistens sit forma tantùm,nihil prohibet, eã esse formam alicuius materiæ,& fieri,quo est ipsius compositi,sicut patet de anima. In intellectu autem oportet accipere ipsum intellectum in potentia quasi materiam,& speciem intelligibilem quasi formã: & intellectus in actu intelligens erit quasi compositum ex vtroque. Vnde,si sit aliqua res per se subsistens, quæ non habeat aliquid in se præter id,quod est intelligibile in ipsa,talis res per se poterit esse forma, qua intelligitur. Res autem qualibet est intelligibilis secundùm id,quod habet de actu, non secũdùm id,quod habet de potentia, vt patet in 9. Met. Et huius signum est, quòd oportet formã intelligibilem abstrahere à materia, & omnibus proprietatibus materiæ. Et ideò cùm essentia diuina sit actus purus, poterit esse forma, qua intellectus intelligit,& hæc erit visio beatificãs. Et ideò Magister dicit in dist.2.1.Sent. quòd vnio animæ ad corpus est quoddam exẽplum illius beatæ vnionis qua spiritus vnietur Deo.* Vbi Angelicus Præceptor ex eadem radice,nempe ex purissima actualitate, reddit rationem, propter quam essentia diuina est pura forma in ordine intelligibili,& propter quam essentia creata hoc non habet,nempe, quia non est purus actus.

Confirmatur.

48 Cõfirmatur,&explicatur ex his,quę ex eodẽ Angelico Præceptore in 1. to.tr.2. disp.2.n.68.& tr.3.disp.3.n.17. diximus,nimirũ,in Deo nõ distingui(adhuc virtualiter) esse entitatiuũ, siue naturale ab *esse* intelligibili,secùs verò in creaturis. Ergo sola diuina

essentia

eſſentia erit pura forma in *eſſe* intelligibili, ipſaque intelligibilitas, creaturæ verò non erunt ipſa pura forma intelligibilis, nec ipſa intelligibilitas, ſed ad ſummum concretum, & compoſitum quoddam coaleſcens ex forma intelligibili, & ex materia, aut quaſi materia, quæ per illam informatur: & ex conſequenti, etſi aliqua eſſentia creata poſsit eſſe ſibi forma intelligibilis ad intelligendũ per eam, non tamen poterit vniri per modum formæ intelligibilis cum alieno intellectu. Hæc ſecunda conſequentia patet ex nuper dictis in ratione D. Thomę. Prima verò ex antecedenti apertè videtur ſequi. Quoniam *eſſe* entitatiuum cõparatur cum *eſſe* intelligibili per modum fundamẽti, ſubſtracti, & materiæ: & ita, ſi virtualiter inter ſe diſtinguuntur: coaleſcit ex illis vnum concretũ, vnumque compoſitum, quod non ſit pura forma intelligibilis, ſed quid conſtitutum ex forma prædicta, & materia ei correſpondente: quod proinde non erit ipſa intelligibilitas, ſed id, quod eſt intelligibile.

Antecedens autem probatur. Tum, quia (vt ex D. Tho. loco cit. ex 4. ſent. vidimus) intelligibilitas oritur ex immaterialitate, & actualitate. Et ideò, vbi hæc miſta fuerit cum potentialitate, erit etiam ibidem miſtio intelligibilitatis, formaque intelligibilis miſcebitur cum aliquo *eſſe* virtualiter diſtincto, nempe, cum *eſſe* entitatiuo: cum quo proinde conſtituet quodammodò aliquod compoſitum, reſpectu cuius ſe habeat per modũ actualitatis, ſiquidẽ ipſa ſemper comparatur per modũ actualitatis. Econtrà verò, quando actualitas fuerit per modũ actus puriſsimi, erit ibidem intelligibilitas puriſsima immiſta cum aliquo alio *eſſe*, ſcilicet entitatiuo, à quo ſit virtualiter diſtincta.

Tum etiam. Quia adhuc ipſæ ſpecies intelligibiles, & creatæ, à quibus obiecta ſecundùm *eſſe* entitatiuum conſiderata reddũtur intelligibilia, ſunt talis conditionis, vt in eis *eſſe* intelligibile diſtinguatur virtualiter ab *eſſe* entitatiuo. Et propterea ſecundùm *eſſe* entitatiuum ſunt accidentia, & ſecundùm *eſſe* intelligibile poſſunt eſſe ſubſtantia, iuxta ea, quæ in 1. tom. tr. 3. diſput. 2. num. 135. aſſeruimus: cùm tamen in diuinis eſſentia diuina, vt habet rationem ſpeciei intelligibilis, & vt dicit ſe ipſam in *eſſe* entitatiuo, non diſtinguatur virtualiter. Tum denique. Quia cùm ordo intelligibilis ſit ordo vnionis inter intellectum, & ſpeciem, ac obiectum repræſentatum: conſequens eſt, vt vbi hic ordo eſt in ſuprema perfectione, & actualiſsimè, nempe in diuinis, ibi etiam ſit in ſupremo gradu vnionis, ſeu identitatis, quæ ſit tanta, vt non admittat diſtinctionem virtualem: è cõtrà verò in creaturis, in quib⁹ hic ordo eſt admiſt⁹ cũ potẽtialitate, & imperfectionib⁹.

§. VII. *Obiectio notanda contradicta, in præcedenti §. & enodatio eius.*

49 NEC obeſt, ſi contrà hæc, quæ ex D. Thoma deſumpta ſunt, obijcias, quòd licèt *eſſe* entitatiuum, & intelligibile in creaturis diſtinguantur virtualiter, non tamen realiter, ſiue ex natura rei: ergo non erit ibi realis compoſitio, realeque compoſitum, & concretum, ſi res illa in *eſſe* naturali & entitatiuo, ac ſecundùm ſuam eſſentiam non fuerit compoſita ex materia, & forma, ſed ſit realiter ſimplex quædam forma, vt in eſſentia Angeli contingit: ergo poterit vniri, realiter loquendo, per modum formę realiter talis cum alieno intellectu. Patet hæc vltima conſequentia. Quia iuxta ea, quæ ex D. Thoma dicebamus, compoſitio ex materia, & forma in aliquo ordine impedit, ne illud compoſitum vniatur cum altero per modum formæ. ergo ſi, realiter loquendo, ibi tantummodò eſt ratio formæ, & compoſitio illa tantùm eſt per noſtros conceptus, conſequens eſt, vt poſsit ibidem, realiter loquendo, inueniri vnio per modum formę. Obiectio.

Confirmatur primò. Quoniam in ſpeciebus intelligibilibus, quæ ſunt accidentia, datur hæc compoſitio ſaltem virtualis ex *eſſe* entitatiuo, & intelligibili: & nihilominùs non ob id amittunt, quòd poſsint vniri per modum formæ intelligibilis cum intellectu. Confirmatur.

Confirmatur ſecundò. Quoniam perſona Verbi eſt virtualiter compoſita ex ſua perſonalitate, & natura diuina: & tamen hoc non obeſt, quominùs poſsit vniri per modum termini cum aliena natura, ſicut hoc modo cum propria vnitur. Ergo pari ratione hæc compoſitio virtualis ex *eſſe* entitatiuo, & intelligibili nihil ei impediet, quominùs queat vniri per modum formæ intelligibilis cum alieno intellectus ſicut poteſt vniri cum ſuo. Secunda.

50 Reſpondetur, quòd ſicut compoſitio ex genere, & differentia tantùm eſt compoſitio virtualis: & nihilominùs certis limitibus claudit rem, ac ita coarctat illam, vt non poſsit extendi ad hoc, vt in *eſſe* entitatiuo, & naturali, ſit aliæ res, à quibus ſpecificè diſtinguitur, aut ad hoc, quòd poſsit continere illas quoad propria earum, in quibus diſtinguuntur ab ipſa: ita compoſitio virtualis ex *eſſe* entitatiuo, & intelligibili, quæ eſt in eſſentia Angelica, licèt non ſit realis actualis compoſitio, ac proinde non tollat, quòd prædicta eſſentia, quæ aliàs realiter eſt forma in *eſſe* intelligibili, maneat realiter in ratione formæ; Fit obiectis obiectioni.

nihilominùs attentis omnibus, limitat eius amplitudinem in ratione eiusdem formæ, ne extendatur eius (vt sic dicamus) sphæra ad aliquem alium intellectum informandum, præter quam ad proprium. Et ratio huius est. Quoniam forma, quæ est limitata, habet etiam attentis omnibus, vt ad vnicum dumtaxat subiectum possit extendi. Et propterea in via D. Thom. certum est, solam diuinam existentiam, & subsistentiam posse extendi ad alienam naturam terminandam, quia est infinita in terminando. Quare, cùm illa compositio virtualis inter *esse* entitatiuum, & intelligibile reperta in essentijs creatis, satis indicet attentis omnibus earum limitationem in *esse* intelligibili, imò & talis compositio sit etiam suo modo ratio huius limitationis: consequens est, vt ex ea optimè deducatur, essentiam Angelicam, non obstante prædicta compositione, manere quidem realiter puram formam intelligibilem collatam cum suo intellectu, non tamen cum alieno; sed totam eius sphæram ad proprium intellectum coartari.

D. Thom.

Replica

51 Nec obest, si vrgeas, quòd hoc est proprium formarum intelligibilium, nempe, quòd non limitentur à subiectis, in quibus recipiuntur, seu ab intellectibus, quos intelligibiliter informant, vt cõstat ex illis, quæ in 1. tom. tr. 3. disp. 1. n. 22. & dis. 2. n. 72. diximus: ergo si essentia Angelica, non obstante hac compositione virtuali, manet realiter forma intelligibilis, & potest informare proprium intellectum Angelicum, non est cur non possit extendi ad informandum intelligibiliter etiam alienum intellectum.

Soluitur

Respondetur enim, aliud esse, an forma intelligibilis creata quoad suam repræsentationem limitetur ab intellectu, quem intelligibiliter informat, ita vt se ipsa species repræsentet aliquam naturam in vniuersali, siue in tota sua amplitudine, tunc hæc amplitudo non coarctetur, sicut formæ in *esse* entitatiuo consideratæ non possunt limitari, & earum amplitudo veluti partiri, & determinari per hoc, quòd informent sua subiecta. Aliud verò, an hoc ipso, quòd informet intellectum secundùm *esse* intelligibile, limitetur ex aliquo capite, ne possit plures intellectus informare, sed hoc ipso, quòd sit forma huius intellectus, sit ibidem ita contracta, vt licèt nihil amittat amplitudinis suæ repræsentationis, nihilominùs ex aliquo capite, siue attentis omnibus contrahatur, & determinetur, ne possit alium intellectum informare. Et si ergo formæ intelligibiles creatæ, & limitatæ non coarctentur ab intellectu quem informant, ab amplitudine suæ repræsentationis; benè tamen habent ex aliquo sui capite limitari ab amplitudine, siue extensione ad informandum alium intellectum: quam poterant habere, si non dicerent peculiarem habitudinem ad prædictum intellectum.

Alia replica.

52 Ex quo fit, nihil obesse, si iterùm vrgeas, quòd iuxta doctrinam, quam tradidimus in 1. tom. tract. 3. disputat. 2. omnes species intelligibiles repræsentantes idem prorsus obiectum, & existentes in quouis intellectu, sunt eadem prorsus species secundùm numerum, ex eo quòd identitas quoad specificationem, & vnitatem numericam in *esse* intelligibili consideratam, sumitur ex obiecto repræsentato: ergo *esse* intelligibile nulla ratione limitabitur in *esse* intelligibili per hoc, quòd informet illum intellectum.

Satisfit

Respondetur, quòd adhuc admisso, species intelligibiles, quæ sunt accidentia, & distinctæ ab obiecto intellecto, non limitari secundùm *esse* intelligibile ab intellectu, quem informant, ita vt ex informatione vnius intellectus omninò tollatur ab illis quòd eædemmet numero in *esse* intelligibili informent alium intellectum; attamen quodammodò limitantur, quatenus sub illo numero *esse* entitatiuo, quod habent, nequeunt nisi vnicum tantummodò intellectum informare: & nisi eis addatur aliud, non possent adhuc secundùm *esse* intelligibile ad alterum intellectum extendi. Cæterùm quoad presens essentia Angeli ita limitatur ad suum intellectum in ratione formæ intelligibilis, vt nequeat ad alienum extendi: ac proinde omninò à proprio intellectu habet limitari.

Illustratur enodatio.

Explicatur hoc. Etenim in speciebus, quæ sunt accidentia, ideò non obest, quòd eædemmet numero in *esse* intelligibili possint informare plures intellectus, quia perseuerante hac identitate in prædicto *esse* intelligibili; possunt habere aliud, & aliud *esse* entitatiuum, & accidentale, & secundùm quòd sunt sub vno modo essendi entitatiuo, inhærere vni intellectui, ac proinde informare ipsum intelligibiliter; & vt sunt sub alio modo essendi entitatiuo, inhærere etiam alteri subiecto, & perconsequens actuare illud in ordine intelligibili: quia (vt ex dictis constat) nequit extendi vis formæ intelligibilis, & sphæra illius, quò non se extenderet vis eiusdem ad vniendum se intrinsecè secundùm *esse* naturale cum eo, cum quo per modum formæ intelligibilis vniri queit. Cæterùm species, quæ secundùm *esse* entitatiuum est substantia, ac subinde identificatur in *esse*

in *eſſe* entitatiuo cum ſuo obiecto qualis eſt ſubſtantia Angelica, non habet aliud *eſſe* entitatiuum, præterquam *eſſe* vnicum entitatiuum ſui obiecti. Et propterea, ſicut hoc *eſſe* limitatur ab vnione intrinſeca, & entitatiua cum proprio intellectu, ne poſſet in hoc ordine vniri alteri intellectui, ita etiam limitatur quoad *eſſe* intelligibile: quia quoad hoc par, & æqualis debet eſſe ſphæra extenſionis, quę conuenit illi vnico *eſſe* naturali & entitatiuo, ac *eſſe* intelligibili.

Enodatio primæ confirmationis.

53 Ex quo ad primam confirmationem præcipuæ obiectionis reſpondetur, eodem ferè modo philoſophandum eſſe quoad preſens in ſpeciebus intelligibilibus, quæ ſunt accidentia, & in eſſentia Angeli. Nam ſicut compoſitio illa virtualis ex *eſſe* entitatiuo, & intelligibili, reperta in eſſentia Angelica, tollit ab illa, quòd non ſit forma intelligibilis reſpectu alieni intellectus, ſecùs verò reſpectu proprij: ſic eadem compoſitio, quæ inuenitur in ſpecie accidentali, obeſt illi, ne comparetur per modum formæ, vt eſt ſub illo *eſſe* intelligibili, & entitatiuo, niſi cum vnico dũtaxat intellectu. Quamuis inter prædicta ſit ſua aliqualis diſparitas. Quia in ſpecie intelligibili, quæ eſt accidẽs, tam illud *eſſe* intelligibile, quàm entitatiuum, eſt *eſſe* proprium formæ actuantis: quia conſtituit formam informantem in vtroque ordine: & ideò ſpecies in vtroque ordine actuat intellectum. Cæterùm eſſentia Angelica, vt habet rationem formæ intelligibilis, non conſtituitur ex *eſſe* entitatiuo ordinato ad conſtituendam formam informantem in hoc ordine, nempe entitatiuo. Et ideò, licèt ſpecies intelligibilis, quæ eſt accidens, non limitetur ex illa compoſitione virtuali, ad hoc vt ſit forma ſecundùm vtrũque *eſſe*, benè tamen eſſentia Angelica: quia ſolùm in ordine intelligibili eſt forma, & in hoc ordine tantùm eſt limitata ad vnicum intellectum: ex eo quòd tantùm poteſt eſſe ſub vnico modo eſſendi entitatiuo: ſicut ſpecies intelligibilis, quæ eſt accidens, vt habet hunc determinatum modum eſſendi entitatiuum, & non alium coniunctum cum ſuo *eſſe* intelligibili, nequit vna cum illo informare, niſi vnicum dumtaxat intellectum.

Secundæ.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, diuinam perſonalitatem, & perſonam ſecundùm id, quòd in recto importat, non diſtingui adhuc virtualiter, ſed ſecundùm *eſſe* relatiuũ importare, tam id, quo, quàm id, quod eſt in recto ratio perſonæ: & ideò poteſt terminare, tam diuinam, quàm alienam naturã.

Quare natura diuina ab eadẽ perſona importata tantùm affertur in obliquo vt ex diffinitione perſonæ conſtat.

§. VIII. *Contraria ſententia noſtræ ſecundæ aſſertioni, cum ſuis argumentis, & reſponſionibus ad illa.*

Oppoſita ſententia.

54 CONtrariam tamen noſtrę ſecundæ aſſertioni ſententiam, nempe, vnum Angelum cognoſcere alium per eſſentiam Angeli cogniti, tenuerunt aliqui, quos refert D. Thomas q. 8. de Verit. art. 7. & 2. contrà Gent. cap. 98. & ex recentioribus ſequitur eam Molina in hoc art. §. *dubium verò eſt*. Et licèt ferè omnia argumenta, quæ pro hac ſententia adduci poſſunt, maneant ſoluta ex illis, quæ pro noſtris aſſertionibus diximus: nihilominùs aliquot ex illis breuiter adducemus, vt ex eorum vberiori ſolutione veritas magis pateat. Probatur ergo primò ex Dionyſio cap. 4. de diuinis nom. vbi Angelos diſtinguere videtur per intelligibiles, & intellectuales ſubſtantias: ſuperiores quidem intelligibiles vocans, inferiores autem intellectuales. Vbi etiam dicit, quòd inferioribus ſunt ſuperiores vt cibus. Quod videtur (inquit D. Thomas loco cit. ex q. 8. de Verit.) poſſe intelligi hoc modo: in quantum ſcilicet ſuperiorum eſſentiæ ſunt formæ, quibus ſuperiores intelliguntur. Ergo iuxta Dionyſium ſaltem Angeli ſuperiores poſſunt vniri per modum formę intelligibilis cum inferioribus.

D. Thom. *Molina.* Primum argumentum. *Dionyſ.* *D. Thom.*

55 Reſpondetur primò ex D. Thoma loco nuper citato vbi ſic inquit: *Dionyſij dicta verba non ſunt ſecundùm hunc intellectum accipienda* (nempe ſecundùm eam explicationem, quæ in hoc eodem argumento eis adhibita eſt) *ſed eoſdem vocat intelligibiles, & intellectuales: vel ſuperiores vocat intelligibiles, & inferiorum cibum, in quantum in eorum lumine inferiores intelligunt*, id eſt, quatenus ſuperiores illuminant inferiores: ad quod tamen non eſt neceſſarium, vt per ſuam eſſentiam vniantur cum illis per modum formæ intelligibilis, vt ex dictis, & ex dicendis infrà patebit.

Reſpõdetur primò ex D. Thoma.

Secundò reſpondetur ex eodem Sancto Doctore 2. contra Gentes c. 98. quòd Dionyſius locutus eſt iuxta ſententiam Platonis. Vnde Angelicus Doctor ibidem ſic ait: *Secundùm autem poſitionem Platonis, intelligere fit per contactum intellectus ad rem intelligibilem. Sic igitur vna ſubſtantia ſeparata poteſt aliam per eius eſſentiam intelligere, dum eam ſpiritualiter contingit: ſuperior quidem inferiorem, quaſi eam ſua virtute concludens, & continens: inferior verò ſuperiorem, quaſi eam capiens vt ſui perfectionem. Vnde & Diony. dicit 4. capit. de diuinis nomin. quòd ſuperiores ſubſtantiæ intel-*

Secundò ex eodem.

intelligibiles sunt quasi cibus inferiorum.

Secundum argumentũ

56 Probatur secundò. Nam essentia cuiuslibet Angeli est intelligibilis in actu: ergo perse ipsam potest vniri per modum formæ intelligibilis cum intellectu alterius Angeli in ordine ad cognitionem eiusdem Angeli, cuius est talis essentia. Antecedens videtur perspicuum. Siquidem prædicta essentia est omninò immaterialis, & ex hoc sumitur intelligibilitas in actu. Consequentia verò ex antecedenti liquet. Nam ex eo quòd Angelus est intelligibilis in actu, potest vniri cum suo intellectu in ratione formæ intelligibilis: ergo propter eandem rationem poterit sic vniri cum intellectu alterius Angeli.

Confirm. 1.

Confirmatur primò. Nam species intelligibilis, quæ est accidens, & repræsentat essentiam alicuius Angeli, non est magis actualis in ratione intelligibilitatis, quàm ipsa essentia repræsentata: at prædicta species propter talem actualitatem potest vniri per modum formæ intelligibilis cum intellectu alterius Angeli: ergo etiam poterit essentia repræsentata.

Confirm. 2.

Confirmatur secundò. Nam diuina essentia, quia est actu intelligibilis, potest vniri per modum speciei cum alieno intellectu: ergo cùm quæuis essentia Angelica habeat esse actu intelligibilem, poterit etiam cum quouis intellectu creato, licèt sit alienus, vniri per modum formæ intelligibilis.

Confirm. 3.

Confirmatur tertiò. Nam intellectui vnius Angeli magis est proportionata essentia alterius Angeli, quàm essentia diuina: ergo cùm Angeli videant Deum per diuinam essentiam, multò fortiùs vnus Angelus essentiam alterius Angeli per eam in ratione formę intelligibilis sibi vnitam cognoscet.

Diluitur argumentum

57 Respondetur fatendo, essentiam cuiusuis Angeli esse ex se actu intelligibilem: cæterũ non respectu cuiusuis intellectus, sed solũ respectu proprij propter rationem à D. Thoma assignatam, & ideò respectu huius non indeget specie à se distincta, è contrà verò respectu aliorum intellectuum. Per quod etiam ad cõfirmationem patet. Nam species intelligibilis repræsentatiua Angeli, v.g. superioris, est intelligibilis in actu *vt quo*. & proportionata respectu intellectus Angeli inferioris: & propterea habet ibidem modum immaterialitatis cõmensuratum eidem Angelo inferiori. Cùm tamen essentia Angeli superioris per se ipsam non sit actu intelligibilis respectu inferioris: ac proinde nec habeat modum immaterialitatis commensuratum prædicto Angelo inferiori: quamuis nõ ob id desinat esse, & vocari obiectum intelligibile in actu: quia ad hoc satis est in creaturis, quòd respectu alicuius intellectus possit per modum formæ intelligibilis vniri.

Ad primam cõfirmationem.

Ad secũdã.

Ad secundam confirmationem respondetur, esse disparem rationem. Quoniam essentia diuina, quippe infinita in ratione formæ intelligibilis, habet hoc peculiare, vt quantum est ex se, sit vnibilis cuicumque intellectui creato, & intelligibilis in actu respectu illius. Et propterea vltra vim, quam habet ad vniendum se intelligibiliter cum quolibet per vnionem intrinsecam, competit etiam ei vis ad hoc, vt sit intimè, & intrinsecè, nempe per intimum illapsum, in quouis intellectu, considerata secundùm suum *esse* naturale & entitatiuum: & ità conuenit ei quicquid ex omni capite requiritur ad vnionem per modum formæ intelligibilis. E contrà verò essentiæ Angelicæ comparatæ cum alieno intellectu, propter oppositas rationes.

Ad tertiam

Ad tertiam confirmationem respondetur ex D. Thom. quæst. 8. de Verit. art. 7. in solutione ad 3. ex his, quæ in 2. loco proposita sunt, vbi sic ferè inquit: Dicendum, quòd quãuis essentia Angeli magis conueniat cum intellectu Angeli alterius, quàm cum similitudine rei materialis, aut cum essentia diuina secundùm participationem naturæ vnius, nõ tamen secundùm conuenientiam habitudinis, quæ requiritur inter perfectionem, & perfectibile. Sicut etiam vna anima magis conuenit cum alia anima, quàm cum corpore: & tamen vna anima non est forma alterius animæ, sicut est corporis.

Vltimum fundamẽtũ.

58 Vltimò probatur eadem sententia. Quoniam licèt daremus, vnum Angelum non posse connaturaliter vniri per modum formæ intelligibilis cum intellectu alterius: benè tamen supernaturaliter. Tum, quia non apparet ratio repugnantiæ in ordine ad diuinam potentiam. Tum etiam, quia potest Deus præbere illi virtutem ad hoc, quòd esset intimè in altero, ex eo quòd produceret in illo aliquam speciem intentionalem, vel aliquid huiusmodi. Semel autem Angelo vnito intimè cum altero Angelo secundùm *esse* naturale entitatiuum, non est cur non possit statim subsequi altera vnio in *esse* intelligibili, vt ex dictis in hoc eodem dubio pro secunda assertione constat. Tum denique. Quia potest Deus vnire intellectum Angeli superioris cum essentia inferioris, ita vt sit ibidem per inhæsionem: tunc autem Angelus inferior, sic informatus per hunc intellectum, posset sibi habere vnitam per modũ formæ intelligibilis essentiam Angeli superioris, quippequæ prædicto intellectui est valdè connaturalis.

Dissoluitur

59 Respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem patet ex pluribus, quæ pro secunda assertione diximus, ex quibus satis colligitur ratio repugnantiæ in hac probatione petitæ, vt considerãti patebit.

Ad

Ad ſecundam probationem reſpondetur, negando, poſſe Deum vnire eſſentiam vnius Angeli, conſideratam ſecundùm *eſſe* entitatiuum & naturale, cum intellectu alterius per vnionem intrinſecam. Nam ſi quæ quoad præſens eſſet, maximè illa, quæ fieret per intimum illapſum: per quam tamen non poſſe vniri Angelum adhuc, per diuinam potentiam, conſtat ex dictis in hoc dubio. Nec ex eo, quòd Angelus vnus diuina virtute, ac proinde inſtrumentaliter produceret ſpeciem intentionalem, aut aliquid huiuſmodi in intellectu alterius, conuinceretur intimus illapſus Angeli producentis prędictam ſpeciem intra Angelum, aut eius intellectum, cui illam imprimeret, vt ex alibi dictis liquet.

Ad tertiam probationem dicendum eſt, quòd ſi ſemel intellectus Angelici diſtinguuntur ſpecie in ratione virium cognoſcitiuarũ, tunc intellectus vnius Angeli nequit ſeparari ab illo, & vniri alteri: quia de ratione potentiæ vitalis eſt coniunctio cum ſuo principio vitę radicalis: atque adeò de eſſentia cuiuſuis intellectus Angelici, ſpecie diſtincti ab alio, erit vnio cum illa eſſentia, à qua ſecundùm vltimam rationem dimanat. Et ideò, ſi ab hac ſeparetur, non manebit in ratione potentiæ vitalis: & ex conſequenti nec cum vi proxima ad intelligendum. Sicut etiam, ſi maneat vnitus cum propria radice, & inſuper vniatur ſimul cum aliena natura, tunc ex quo capite eſſet ei vnitus, non haberet reſpectu ipſius rationem potentię vitalis, ac proinde nec poſſet influere proximè in intellectionem: & propterea nec illi quatenus ſic ſumpto poſſet vniri in ratione formæ intelligibilis prædicta eſſẽtia Angelica; licèt aliàs prædicta eſſentia ſemel vnita cum ſuo intellectu in *eſſe* naturali per modum radicis, & propietatis, deberet etiam vniri altera vnione cum ipſo, nempe, in ratione formę intelligibilis.

60 Cæterùm, ſi prædicti intellectus non diſtinguantur ſpecie in ratione virium cognoſcitiuarum, ac proinde ſecundùm hanc rationem ſolùm requirant vnionem cum natura intellectuali omninò ſeparata à materia phyſica, tunc intellectus Angeli ſuperioris, ſeparatus à prædicto Angelo, & vnitus eſſentię Angeli inferioris, poterit remanere in ratione potentię vitalis. At quia in eo euentu non eſſet ſimul vnitus in *eſſe* naturali & entitatiuo cum eſſentia Angeli ſuperioris, vt ſupponitur: idcircò nec poſſet prædicta eſſentia vniri intelligibiliter cum illo, vt inhærente in Angelo inferiori, vt ex prædictis conſtat. Si autem ſupponatur, prædictum intellectum eſſe ſimul in duplici ſubiecto, nimirum in Angelo inferiori, & in ſuperiori, cuius eſt proprietas, tunc non videtur inconueniens, prædictam eſſentiam Angeli ſuperioris vniri etiam intelligibiliter cum eſſentia Angeli inferioris: ex eo quòd iam adeſt proportionata aliqua vnio in *eſſe* naturali, nempe illa, qua vtraque eſſentia eſt vnita in illo tertio, quippè in eodem intellectu. Hinc tamen nihil contra nos. Quia non loquimur, niſi de intellectu proprio cuiuſuis Angeli, & de vnione eſſentiæ alterius per modum formæ intelligibilis cum illo, necnon de Angelo, vt per proprium intellectum intelligente.

Quibus etiam addi poteſt, adhuc in eo euentu non poſſe eſſentiam Angeli ſuperioris vniri per modum formæ intelligibilis cum ſuo intellectu, vt exiſtente in Angelo inferiori: quia ipſa non eſt vnita in *eſſe* entitatiuo cum prędicto intellectu, prout eſſet in alio Angelo, ſed cum eodem, prout præcisè eſt proprietas Angeli ſuperioris. At ad vnionem intelligibilem cum illo, vt eſt in altero Angelo, deſiderabatur, vt etiam eſſet vnitus in *eſſe* entitatiuo cum eodem, quatenus in *eſſe* entitatiuo eſt in prædicto Angelo inferiori.

DVBIVM III.

Vtrùm Angeli inferiores comprehendant ſuperiores?

QVIA titulus expoſitione indiget, ideò primo loco pro illius elucidatione nonnulla prælibanda ſunt.

§. I. *Expoſitio tituli.*

Animaduerſio prima pro luce tituli.

61 NOtandum igitur in primis eſt, in titulo aliquid vt certum ſupponi, & aliquid in dubium vocari. Supponimus enim, quemlibet Angelum comprehendere ſemetipſum. Nec de hoc poteſt eſſe aliqua dubitatio: ſiquidem planum & certum debet eſſe apud omnes, quemlibet Angelũ non habere maiorẽ intelligibilitatẽ, quã intellectualitatẽ: & ita intellectualitatẽ eius omninò adæquare ſuã intelligibilitatem. Conſtat autem ex ſe, & id amplius ex dicendis in hoc dubio patebit, nihil aliud requiri ad comprehenſionem, præter hanc adæquationem in intelligibilitate, & intellectualitate. Ex quo fit, ſupponi etiam vt certum, Angelum inferiorem comprehendi à ſuperiori: ſiquidem intellectualitas huius

ius non solùm adæquat, sed etiam superat (modo tamen in hoc eodem dubio dicendo) intelligibilitatem illius. Vnde, sicut à Deo non tollitur, quòd comprehendat Angelos, licèt eius intellectualitas excedat intelligibilitatẽ illorũ; quin potiùs hoc iuuat ad hoc, vt perfectiõ, perfectione se tenẽte ex parte sua, cõprehendat prædictos Angelos: sic in superioribus, collatis cum inferioribus, idem contingere debet. Vocamus autem in dubium id, quod non parum difficultatis habet, nempe, an Angeli inferiores comprehendãt etiam superiores?

62 Cæterùm vt titulus, & ea, quæ in hoc dubio dicenda sunt, meliùs capiantur, recolenda sunt ea, quę in 1. tom. tract. 2. disp. 6. nu. 1. & deinceps diximus: quæ hic referre placuit, quoniam ex eis non parùm dubij huius intelligentia, & tituli declaratio pendet.

Animaduersio secunda. Notandum igitur secundò est, comprehensionem intellectualem nuncupari talem per ordinem, & analogiam ad comprehensionem materialem. Comprehensio autem materialis (teste D. Thoma in præsenti in solut. ad 1.) dupliciter sumi potest. Vel largè, prout opponitur insecutioni: & hoc modo dicitur comprehendi, quod manu v. g. iam tenetur. Et huic acceptioni correspondet alia in rebus spiritualibus, scilicet assecutio eius, quod desiderabatur: atque adeò etiam obtentio, & possessio vltimi finis dicitur hoc modo comprehensio. Secundò sumitur strictè, pro inclusione & continentia, qua vnum corpus quantum continet intra se totum aliud corpus: vt cùm manus ita continet totum aliquem globum, vt nihil eius sit extra illam. Et huic comprehensioni correspondet alia in rebus intellectualibus, & earum cognitionibus, secundùm quam tunc res aliqua comprehendi dicitur per intellectionem, cùm tam perfectè, ac tantum cognoscitur, quantum ipsa ex natura sua est cognoscibilis: quia cum res ita cognoscitur, quasi continetur & clauditur tota, & totaliter intra cognitionem, eo proportionali modo, quo vnum corpus quantum comprehensum ab alio continetur secundùm se totum, & totaliter clauditur ab alio.

D. Thom. *D. Aug.* Vnde D. Aug. lib. 20. de Ciuit. Dei capit. 8. loquens de hac comprehensione per cognitionem, inquit: *Quicquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur: quatenus nimirum nihil est in re sic cognita, quod sit extra cognitionem comprehendentem illam.* Et tom. 2. epist. 112. capit. 9. circa principium, diffiniens comprehensionem, inquit: *Totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, quòd nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circunspici possunt.* Nam, vt loco cit. explicat D. Thomas, tunc finis alicuius circunspicitur, quando ad finem in modo cognoscendi illum peruenitur, ideſt, quando talis res cognoscitur tantum, seu tam perfectè, quantum ipsa ex natura sua est cognoscibilis.

63 Nomine autem *finitionis*, ad comprehensionem desideratæ, & in particula illa *finitur* explicatæ non intelligitur finitio positiua, quasi necesse sit ad comprehensionem, quòd res cognita finiatur positiuè per talem cognitionem: alioqui Deus non esset comprehensibilis etiam à se ipso: quandoquidem ad hanc finitionem positiuam requiritur, vt obiectum in ratione obiecti cognoscibilis sit in se finitum: sed intelligitur finitio negatiua, per quam tantùm significatur, quòd licèt obiectum sit infinitum in ratione cognoscibilis, nihilominus ita perfectè videatur, vt nihil sit in eo, quod totum, & totaliter per cognitionem illam non attingatur: atque adeò nullus sit excessus inter cognitionem in ratione cognitionis consideratam, & inter obiectum cognoscibile in ratione cognoscibilis sumptum. Et similiter cùm idem August. inquit, tunc aliquid comprehendi, cùm fines eius circunspiciuntur, aut circunscribi possunt, non intelligitur de circunscriptione positiua, sed negatiua, ac proinde nec de finibus obiecti positiuis, sed negatiuis in collatione ad comprehensionem: quatenus (vt modò dicebamus) nihil est in obiecto cognito, quod totum, & totaliter non attingatur per illam cognitionem, ita vt nullus sit excessus inter eam, & obiectum, si illa in ratione cognitionis, & attingentiæ prædictę, & obiectum in ratione obiecti cognoscibilis considerentur.

Ex dictis explicatur titulus. Titulus ergo non intelligitur de comprehensione primo modo sumpta: quia sic certum est, quemlibet Angelum à quolibet comprehendi, vt nuper dicebamus: sed de comprehensione posteriori modo accepta, quatenus dicit cognitionem ita perfectam in ratione cognitionis, vt cognoscat obiectum tantum, quantum ex natura sua cognoscibile est, ac prinde attingat illud totum & totaliter. Diximus, *ex natura sua*: quia ad comprehensionem strictè sumptam non desideratur, vt cognitio attingens obiectum comprehendendum sit omnium perfectissima, alioqui solus Deus posset comprehendere aliquod obiectum: sed sufficit, vt sit tanta in ratione cognitionis, quanta ab obiecto ex meritis propriæ cognoscibilitatis exigitur.

(?)

§. II. Ex

§. II. *Ex mente D. Thomæ difficultas dubij expeditur.*

Concluſio & probatio ex D. Tho.

64 Dicendum igitur eſt, Angelum inferiorem comprehendere ſuperiorem. Aſſertio hæc colligitur ex D. Thoma 2. contra Gentes cap. 98. vbi loquens de Angelis, & intellectualitate completa illorum, ſic inquit: *Ex hoc autem, quòd ſubſtantia aliqua eſt intellectualis, comprehenſiua eſt totius entis* (id eſt creati, & pertinentis ad ordinem naturæ, vt ibi explicat Ferrara.) *Vnde cum ſubſtantia ſeparata per ſuam naturam non ſit actu comprehendens totum ens, ipſa in ſua ſubſtantia conſiderata eſt quaſi potentia ad ſimilitudines intelligibiles, quibus totum ens cognoſcitur: & illa ſimilitudines erunt actus eius, in quantum eſt intellectualis.* In quibus verbis Angelicus Præceptor tribuit Angelo, quantumuis inferiori, quippe habenti intellectualitatem completam, quòd poſsit comprehendere totum ens naturale, quantum eſt ex parte ſuæ virtutis intellectiuæ, ac proinde etiam Angelos, quantumuis ſuperiores.

Idem etiam docuit c. 99. immediatè ſequenti, ſic aſſerens: *Cùm enim intellectus earum* (ſcilicet ſubſtantiarum ſeparatarum, de quibus loquitur) *ſit perfectus naturali perfectione, vtpotè totus in actu exiſtens, oportet, quòd ſuum obiectum, ſcilicet ens intelligibile, vniuerſaliter comprehendat.*

Occurrit Suarez.

65 Vnde non omninò placet id, quod reſpondet Suarez, nempe, primum ex his teſtimonijs, ac proinde ſecundum, non eſſe omninò ad rem. Quia D. Thomas tantùm vult ſignificare, quòd ſub obiecto intellectus Angelici comprehenditur totum ens naturale, non verò quòd talis intellectus comprehendat prædictum obiectum. Non igitur hæc expoſitio placet. Quoniam D. Thom. non dixit, ſub obiecto intellectus Angelici comprehendi totum ens naturale, ſed aſſeruit, quòd hoc ipſo, quòd ſubſtantia aliqua eſt intellectualis (intellectualitate tamen completa) comprehenſiua eſt totius entis naturalis. Per hoc autem ſatis denotatur, prædictam ſubſtantiam intellectualem, hoc ipſo quòd talem, comprehenſiuam eſſe prædicti obiecti. Quod adhuc clariùs in prædicto cap. 99. expreſsit: ſiquidem in illo, ex eo quòd intellectus ſubſtantiæ ſeparatæ ſit perfectus naturali perfectione, non colligit, cuncta entia naturalia comprehendi ſub ſuo obiecto, ſed quòd prædictum obiectum, ſcilicet ens intelligibile vniuerſaliter comprehendat.

Refellitur.

Adde primò, quòd Sanctus Doctor reddidit propriam rationem, ex qua deducitur, Angelum quemlibet eſſe comprehenſiuum totius entis naturalis, ſcilicet, quia eius intellectus eſt perfectus perfectione naturali: nam ex hoc (vt ſtatim dicemus) optimè colligitur, prædictum intellectum eſſe comprehenſiuum totius entis naturalis.

Adde ſecundò, quòd in hac eadem ratione ab Angelico Præceptore adducta claditur, prædictum intellectum conuenire in gradu immaterialitatis cum quouis ente naturali. Hæc autem conuenientia eſt radix, propter quam quiuis intellectus Angelicus poteſt totum ens naturale comprehendere, quantum eſt ex parte virtutis intellectiuę, vt in hoc eodem dubio expendemus.

Reijcitur alia interpretatio teſtim. D. Th.

Ex quo etiam fit, non placere aliam interpretationem cuiuſdam Iunioris, alias Doctiſsimi, nimirum, D. Thomam non intelligi de comprehenſione propriè dicta, ſed de comprehenſione impropriè, ſiue largè ſumpta, prout opponitur inſecutioni, & dicit tentionē (vt ſic loquamus) ſeu poſſeſsionem intellectualem obiecti, iuxta illud, quod §. præcedenti in explicatione tituli dicebamus. Ex dictis igitur conſtat, cur etiā expoſitio hæc non placeat: ſiquidem ea, quæ pro impugnatione primæ expoſitionis adducta ſunt ex Angelico Præceptore, ſatis probant, eum non loqui de comprehenſione impropriè, aut largè ſumpta, ſed de propria & ſtrictè accepta, vt conſideranti patebit, & ex ſtatim dicendis amplius conſtabit.

66 Et tandem hanc eandem aſſertionem ſatis videtur denotari ab eodem Sancto Doctore infrà q. 109. art. 3. ad 2. vbi ſic inquit: *Dicendum, quòd ſecundùm ea, quæ ad naturalem cognitionem pertinent, non eſt neceſſaria manifeſtatio veritatis, nec in Angelis, nec in Dæmonibus: quia, ſicut ſuprà dictum eſt, ſtatim à principio ſuæ conditionis omnia nouerūt, quæ ad naturalem cognitionem pertinent. Et ideò maior plenitudo naturalis luminis, quæ eſt in ſuperioribus Dæmonibus, nō poteſt eſſe ratio illuminationis.* In quibus verbis, vt conſtat, docet Sanctus Doctor, Angelum inferiorem non poſſe illuminari à ſuperiori de aliquibus rationibus pertinentibus ad ordinem naturæ. Si autem Angelus inferior non comprehenderet totum ens naturale, non eſſet cur de prædictis rationibus non poſsit illuminari ab Angelo ſuperiori: ſiquidem aliquæ ex rationibus, vel modis pertinentibus ad ens naturale poſſent latere illum, non verò Angelum ſuperiorem: & ideò poſſet de iſtis ab illo illuminari. Videantur tamen quoad hoc teſtimonium ea, quæ infrà q. 106. dicemus, agentes de illuminatione Angelorum, & iuxta ibidem dicenda intelligātur.

D. Thom.

Victoria. Soto. Bañez. Gonçalez.

Vnde hanc ſententiam tuentur Victoria, & Soto, quos refert, & ſequitur Bañez art. 2. huius quæſt. dub. 2. Gonçalez in hac

1.p.disp.25.sect.3. & plures alij ex Iunioribus, & probatioribus discipulis D.Thomæ. Et deinde fauet Molina in præsenti, & Vazquez, ex suppositione quòd ad comprehẽsionem non requiratur cognitio actuum liberorum. Et tandem eandem assertionem tuentur plures alij. Et eam esse probabilem docent Suarez lib.2.de Angelis cap.31.n.15.& Zumel in præsenti q.2.

Molina
Vazquez
Suarez
Zumel

§. III. *Ratio prior pro assertione ex D. Thoma deprompta.*

Prior ratio

67 RAtio autem prior, & fundamentalis sumitur ex locis cit.ex D. Thoma, nec non ex illis, quæ ex eodem Sancto Doctore in 1.tom.tr.2 disp. 2.n.154. & deinceps, & disp.6.n.15. & 16.diximus, poteitque ad hanc formam reduci. Nam ad hoc vt aliqua cognitio sit comprehensiua, requiritur, & sufficit, tum quòd cognitum sit in cognoscente omninò connaturaliter, & perconsequens quòd forma, seu species intelligibilis per quam cognoscit, sit omnino connaturalis eidem cognoscenti: tum etiam, quòd ipsa cognitio omninò connaturaliter recipiatur in cognoscente. Sed in cognitione, qua Angelus inferior cognoscit superiorem, omnes istæ conditiones reperiuntur: ergo &c. Consequentia patet.

Maior autem probatur. Et in primis, quòd ad cognitionem comprehensiuam, quæ ibi dicuntur, requirantur, patet. Tum, quia propterea beatus videns essentiam diuinam, prout est in se, illam non comprehendit, quia essentia diuina, vt habet rationem speciei intelligibilis, non est omninò connaturalis intellectui creato, quantumuis perfuso lumine gloriæ, sed ei aliquo modo extranea, vt ex dictis tr.& disp.nuper cit.constat: ex eo quòd essentia diuina, vt informans intelligibiliter, & omninò connaturaliter petit, quòd quantitas virtutis intellectus, quem informat sit omninò idem cum commensuratione essentiali eiusdem intellectus: atque adeò, quòd intellectus, non vt eleuatus, sed per modum virtutis intellectiuæ simplicis, & præcisè secundùm lumen ei cõnaturale informetur per prædictam essentiam diuinam: quod tamen in intellectu creato, adhuc vt perfuso lumine gloriæ, non inuenitur: & ita nec visio intuitiua Dei ab intellectu creato, adhuc vt eleuato, est omninò connaturaliter in illo: quia ad hoc desiderabatur, quòd intellectus per modum potentiæ simplicis, & totalis in eam influeret: & eo ipso quòd non sit omninò sic cõ naturalis, non est comprehensiua Dei.

Tum etiam. Quia cognoscens per formam nõ omnimodo connaturalẽ, sed aliquo modo extraneam, & non recipiens cognitionem omninò connaturaliter, non potest habere prædictam cognitionem in summo, ac proinde ita vt sit comprehensiua, sed deficienter & diminutè, & perconsequens non pertingendo vsque ad comprehensionem.

68 Quòd autem prædictæ conditiones ad cognitionem comprehensiuam sufficiant, probatur. Nam quoties illæ conditiones concurrunt, oportet, vt cognitum nõ habeat modum essendi præstantiorem, quàm potentia cognoscitiua. Quoniam si modus essendi obiecti cogniti sit supra modum essendi cognoscentis, non reciperet illud cognoscens omninò connaturaliter, sed supra eius naturam: atque adeò nec etiam eius cognitio esset connaturalis prædicto cognoscenti. Constat autem, ad cognitionem comprehensiuam nihil aliud desiderari, quàm vt cognitum non habeat modum essendi præstantiorem (modo tamen statim explicando) quàm potentia cognoscitiua.

Minor verò quoad omnes sui partes satis colligitur ex his, quæ in 1.tom.disp.2. nuper cit.a à num.155.& deinceps diximus, vbi etiam pluribus obiectionibus, quæ non leuem difficultatem præ se ferre videbãtur, à n.165. vsque ad n.185. satisfecimus. Et nunc potest ex ibidem dictis suaderi, & maximè si supponatur (vt debet supponi) id, quod nuper ad probationem maioris propositionis dicebamus, scilicet, quòd ad cognitionem omninò connaturalem, ac proinde comprehensiuam requiritur, quòd cognitum non habeat modum essendi præstantiorem, quàm potentia cognoscitiua. Nam cùm modus essendi per se desideratus ad cognoscibilitatem obiecti, & virtutem cognoscitiuæ potentiæ sit eleuatio à materia in certo gradu immmaterialitatis (quia, vt D. Thom. & cum eo cõmuniter Theologi suprà q.14.docent, ex conuenientia in gradu immmaterialitatis, & modo essendi immateriali habet virtus cognoscitiua esse cognoscitiuam, & species esse repræsentatiuam, ac tandem obiectum esse cognoscibile) consequens est, vt quiuis Angelus, quantumuis superior, sit per suam speciem omninò connaturaliter in intellectu inferioris, & quòd cognitio illius omninò connaturaliter recipiatur in tali intellectu: siquidem omnia ista conueniunt in eodem gradu immaterialitatis, scilicet in tertio, recensito à D. Thoma ar.4.nuper citato, & consistenti in omnimoda depuratione à materia physica, & habitudine ad illam.

Confirmatur. Quoniam hoc ipso, quòd aliquis intellectus sit perfectus & completus intra ordinem naturæ, qualis est intellectus Angelicus, debẽt in eo connaturaliter omninò esse cuncta naturalia in ordine intelligibili. Tum, quia intellectus perfectus debet ad modum suum, atque adeò perfectè continere omnia pertinentia ad suum obiectũ, scilicet

Confirmatur.

omnia

omnia naturalia, ac proinde omninò connaturaliter. Tum etiam, quia eo ipso est quoad gradum immaterialitatis eleuatissimus inter omnes potentias cognoscitiuas creatas: ac proinde nullum obiectum naturale potest esse in eo præterconnaturaliter, ex eo quòd petat nobiliorem modum essendi intelligibiliter in aliquo intellectu.

§. IIII. *Prior euasio ad hanc primam rationem Sancti Doctoris, & eius præclusio.*

Solutio prior ad rationem D. Thomæ.

69 NEC obest, si occurras, falsum esse, Angelum superiorem per suam speciem esse omninò connaturaliter in intellectu Angeli inferioris, aut intellectionem prædicti Angeli superioris esse omninò connaturalem eidem Angelo inferiori. Quia ad hanc omnimodam connaturalitatem non sufficit conuenientia in gradu immaterialitatis; sed insuper desideratur conuenientia in modo habendi eundem gradum, vel excessus in prædicto modo habendi illum. Constat autem, Angelum superiorem habere prædictũ gradum sub modo essendi actualiori & immaterialiori: & ita species illius non erit omninò connaturaliter, nisi in intellectu habente eundem gradum sub prædicto modo, qui ad minùs sit ita immaterialis & actualis, sicut ipse. Et similiter cognitio petita ab eodem Angelo non recipietur omninò connaturaliter, nisi in intellectu ita eleuato, sicut ipse Angelus.

Elidirur. Non igitur hoc refert. Quoniam hic excessus in modo habendi eundem gradum immaterialitatis de materiali & peraccidens se habet ad hoc, vt Angelus superior per suam speciem sit connaturaliter in intellectu Angeli inferioris. Et ratio est. Nam prædicta species non est ibidem cum mistione alicuius præternaturalis modi: ergo est in eo omninò connaturaliter: ac proinde excessus ille de materiali & peraccidens quoad hoc se habet. Prima consequentia (ex qua pendet secunda) videtur perspicua. Siquidem quoties aliqua forma recipitur connaturaliter, & absque aliqua præterconnaturalitate, debet recipi omninò connaturaliter: siquidem omnimoda connaturalitas, adhuc vt omnimoda est, solùm potest tolli per mistionem alicuius præternaturalitatis.

Antecedens autem (imò & ipsa prima consequentia) sic probatur. Nam quoties aliquares completa propter sui amplitudinem habet alios diuersos modos essendi, tunc, licèt vnus sit perfectior alio, nihilominùs, dum est sub quouis illorum, non idcircò est ibidem mista cum aliquo præternaturalitatis genere; sed omninò connaturaliter. Et propterea, quia diuina essentia propter sui amplitudinem potest naturaliter esse sub tribus modis essendi relatiuis, idcircò, licèt daremus (vt multi volunt) vnum illorum esse perfectiorem altero, & rursus hunc superari ab alio, nihilominùs sub quolibet v. g. vt est sub modo essendi relatiuo spirationis passiuę constitutiuæ Spiritus Sancti, est ibi ita connaturaliter omninò, sicut est sub modis relatiuis Paternitatis, & Filiationis: ac proinde non ibi miscetur aliquis præternaturalitatis modus. Sed essentia Angeli superioris, quę est quid completum, habet multiplicem modum essendi in ordine intelligibili: quia ex se est actu intelligibilis medijs diuersis speciebus, in quibus ipsa per suam essentiam intelligibiliter residet, medijsque diuersis modis illarum. Ergo modi essendi intelligibiles, & diuersi, qui aliàs ei in diuersis speciebus intelligibilibus existentibus in diuersis intellectibus competunt, erunt eidem omninò connaturales, absque aliqua mistione præternaturalitatis: & per consequens, dum per prædictas species informat intellectus Angelorum inferiorum, non est ibidem aliquo præternaturalitatis modo, sed omninò connaturaliter: siquidem modi illarum specierum sunt omninò commensurati cum prædictis intellectibus, & è contrà,

Confirmat. 70 Confirmatur, & explicatur. Quoniã id, quod quoad suam essentiam est commune, siue communitate rei, siue communitate rationis pluribus, & distinctis rebus, non est sub modo essendi præternaturali, aut cum aliqua mistione illius, per hoc quòd sit in eis, quibus est commune, licèt in vno habeat perfectiorem modum essendi, quàm in alio, sed hic excessus de materiali & per accidẽs se habet ad hoc, vt communicetur connaturaliter. Vnde natura animalis, quæ est communis communitate rationis pluribus speciebus, est in quauis connaturaliter, absque mistione alicuius præternaturalitatis, licèt differentiæ diuisiuæ illius, & constituentes speciem sint inæquales in perfectione. Et similiter (vt nuper dicebamus) idem contingit in essentia diuina, quæ est communis communitate rei respectu trium personarum, adhuc dato, quòd dicerent perfectiones relatiuas inter se inæquales. Sed essentia Angeli superioris est quodammodò, nempe in *esse* intelligibili, communis communitate rei respectu specierum intelligibilium existentium in intellectibus Angelorum inferiorum, & per consequens respectu eorumdẽ intellectuum, ex eo quòd eadem met numero, sub diuerso tamen modo intelligibili, est in omnibus his speciebus, & medijs illis in intellectibus, in quibus recipiuntur, vt constat ex illis, quæ in 1. tom. tr. 3. disp. 2. dubio 1 & 2. diximus. Ergo licèt sit in his speciebus sub inæqualibus modis immaterialitatis & actualitatis, conten-

contentis tamen sub eodem gradu immaterialitatis, erit ibidem omninò connaturaliter, absque mistione alicuius præternaturalitatis.

Confirm. 2. Confirmatur secundò. Quoniam ex eo, quòd natura Angeli superioris habeat duplicem modum essendi, nempe, alium in *esse* entitatiuo & naturali, alium verò in *esse* intelligibili, & isti sint inter se inæquales, non ideò est sub modo essendi præternaturali, aut cum mistione istius, dum est sub modo essendi v.g. intelligibili, quia vterque est modus illius naturæ: quamuis esset cum aliqua mistione præternaturalitatis, si ita esset sub modo essendi intelligibili, vt non esset sub modo essendi connaturali, vel è contrà. Ergo cùm intra latitudinem modi essendi intelligibilis habeat diuersos modos intelligibilitatis, & immaterialitatis in diuersis speciebus intelligibilibus, ac proinde in diuersis intellectibus, in quibus mediis illis debet esse, cõsequẽs erit, vt sub quolibet ex his modis, & in quocũque ex prædictis intellectibus sit omninò connaturaliter, absque mistione alicuius modi præternaturalitatis: quamuis si esset hæc mistio, tolleretur ab illa, quòd ita esset sub vno ex his modis, quòd non esset sub altero, & è contrà. Et per consequens hic excessus in diuersitate modorum de materiali & per accidens se habebit ad hoc, vt essentia Angeli sit ibidem omninò connaturaliter: & quod per se ac formaliter petetur ad connaturalitatem istam omnimodam, tantùm erit, quòd omnes isti modi conueniant in eodem immaterialitatis gradu.

Confirm. 1.

Refellitur secundo præd. solut.

71 Deinde contra eandem solutionem potest secundò obiici, quòd quoties aliquis gradus immaterialitatis est in *esse* rei, licèt non in *esse* gradus communis communitate naturæ genericæ, aut quasi genericè, toties excessus in rationibus specificis in *esse* rei de materiali & per accidens se habet ad hoc, vt obiectum sit ibidem omninò connaturaliter. Quia etsi ex alijs capitibus petatur, quòd quædam ex his speciebus excedantur ab alijs: attamen ad connaturalitatem iam dictam vtrũque de materiali & per accidens se habet. Et propterea obiectum in ratione cognoscibilis comprehensiuè ab aliquo intellectu, ac proinde petens esse ibidem omninò connaturalitèr, nõ exigit per se hos modos, vt sunt tantæ, vel tantę perfectionis in *esse* rei intra prędictum gradum modo dicto communem; benè tamen vt præcisè sunt in gradu immaterialitatis. Ergo cùm gradus immaterialitatis conueniens Angelis sit, licèt non in *esse* gradus, benè tamen in *esse* rei communis per modum naturæ genericæ: fiet inde, vt de materiali & per accidens se habeat prædictus excessus ad hoc, vt sit ibidem omninò connaturaliter, & per se solùm petatur conuenientia in gradu immaterialitatis. Consequentia videtur legitima.

Antecedens autem (præterquam quòd ex contentis in eo videtur sufficienter constare) potest suaderi ex eo, quod contingit in diuinis, si semel datur (vt multi satis probabiliter volunt) obiectum adęquatum & formale diuini intellectus non esse tãtùm diuinam essentiam, sed omnia diuina, maximè absoluta, & ex consequenti gradum immaterialitatis petitum ab hoc obiecto tantum esse rationem actus puri, prout dumtaxat denotat puritatem, non solùm ab omni materia physica, sed etiam ab omni potentialitate. Nam certum est, hanc rationem esse quasi genericam, & quod inæqualiter (vt sic dicamus) participatur à diuina essentia, & à diuinis attributis iuxta maiorem, vel minorem perfectionem, quam vnumquodque ex illis exprimit: & nihilominùs diuina essentia comprehenditur, tum à se ipsa, tum à diuina sapientia: ac subinde prædicta essentia est vtrobique omninò connaturaliter per modum obiecti intelligibilis: quia quod per se, & formaliter petitur ad hanc connaturalitatem omnimodam, tantùm est conuenientia in illo gradu immaterialitatis: & ille excessus, aut quasi excessus (modo tamen alibi tacto) ibidem inuentus, materialiter & (vt sic dicamus) per accidens se habet in ordine ad prædictam connaturalitatem, & per consequens ad comprehensionem.

§. V. *Alia Solutio eiusdem prioris rationis, & eius euersio.*

Alia ratio nis D. Th. euasio.

72 EX quibus omnibus etiam constat, manere impugnatam aliam solutionem, quæ huic primę rationi ex D. Thoma desumptæ poterat adhiberi: nimirum, quòd ad hoc vt aliquid comprehendatur ab aliquo intellectu, non satis est, vt sit ibidem omninò connaturaliter, sed insuper requiritur, quòd inter omnes modos essendi connaturales sit ibi sub modo essendi perfectissimo à se petito. Quare, cùm essentia supremi Angeli licèt sit omninò cõnaturaliter in intellectu inferioris, sine mistione alicuius modi essẽdi præternaturalis, nõ tamẽ sit ibi perfectissimo modo inter omnes illos, qui sũt omninò cõnaturales: inde est, vt prædicta essentia nequeat ab Angelo inferiori cõprehẽdi, nec sit in eius intellectu eo modo essendi omninò connaturali, qui requiritur ad prædictam comprehẽsionem.

Impugnatur.

Ratio autem, propter quam ad comprehensionem non qualiscumque modus essendi omninò connaturalis, sed perfectissimus inter omnes petitos desideretur, facilè reddi potest ex eo, quòd esse in aliquo intellectu, vt obiectum comprehensibile in intellectu com-

comprehendente, eſt eſſe in illo modo perfectiſsimo petito ab eodem obiecto comprehenſibili: quia non petitur melior modus intra ordinem intelligibilem, quàm ille, qui requiritur ad comprehenſionem. Et ita hoc ipſo, quòd ſit in aliquo intellectu, vt obiectum comprehenſibile in ſuo comprehendente, oportet, vt habeat ibidem modum eſſendi intelligibilem præſtantiſsimum inter omnes ab eo petitos.

Impugnatur.

73 Ex dictis igitur ſolutio hæc corruit, & ex maiori impugnatione illius manebunt præcedentes impugnationes non parùm elucidatæ: & relinquetur perſpicuum, in quo ſenſu, & quomodo prædicti modi eſſendi intelligibiles ſint inæquales in perfectione, & in intelligibilitate. In primis igitur prædictam ſolutionem ex his, quæ diximus, corruere, inde liquet. Quoniam aliud eſt, an modi eſſendi intelligibiles inæquales in perfectione, & actualitate, ſub quibus poteſt eſſe eſſentia ſupremi Angeli, ſint inæquales in prædicta perfectione in alio ordine, ideſt, in intelligibilitate in *eſſe* rei, ſeu de materiali, & de materiali importata, & ex alijs capitibus. Aliud verò, an hic exceſſus reperiatur in ordine intelligibili (vt ſic dicamus) puro, ſeu formaliter conſiderato, ideſt, vt diſtincto ab *eſſe* entitatiuo, & ab intelligibilitate in *eſſe* rei. Et ſimiliter aliud eſt, an modus eſſendi intelligibilis, quem habet eſſentia ſupremi Angeli in ſuo intellectu, ſit perfectior alijs modis intelligibilitatis per exceſſum in ratione maioris connaturalitatis: aliud verò per exceſſum in alijs. Etſi ergo modus eſſendi intelligibilis, quem habet eſſentia ſupremi Angeli in ſuo intellectu ſit perfectior in alio ordine formaliter, nempe in genere rei, ſeu in ordine intelligibili in *eſſe* rei ſumpto, ac proinde intelligibilitate materiali, & de materiali importata; non tamen in genere intelligibili (vt ſic dicamus) puro, ſeu in *eſſe* intelligibili formaliter conſiderato, & vt diſtincto à genere, & intelligibilitate in *eſſe* rei, vt ſtatim dicemus.

Cæterùm ad comprehenſionem ſolùm deſideratur æqualitas inter modum eſſendi obiecti intelligibilem intelligibilitate illa (vt ſic dicamus) pura, ſeu in *eſſe* intelligibili formaliter, & inter intellectum, & cognitionem conſiderata in hoc genere intellectus, & cognitionis formaliter, ſeu vt obiecto intelligibili, vt purè intelligibili, correſpondent, vt iam explicamus. Et ſimiliter licèt reperiatur prædictus exceſſus inter modos connaturales, & intelligibiles intelligibilitate ſumpta in *eſſe* rei, & de materiali; non tamen ita vt hic exceſſus ſit quoad maiorem connaturalitatem eſſendi in intellectu, conſideratam in ordine (vt ſic dicamus) puro intelligibili. At ad hoc, vt eſſentia ſupremi Angeli ſit in intellectu inferioris, tamquam obiectum comprehenſibile in comprehendente, ſatis eſt, quòd ſit ibidem modo perfectiſsimo in ordine intelligibili formaliter ſumpto: & ad hoc vt ſic ſit in eo, ſufficit, quòd ſit ibidem modo perfectiſsimo, ſumpta ſumma illa perfectione ex ſumma connaturalitate: atque adeo, quòd non ſit ibi miſtio alicuius modi præternaturalis.

Et ratio eſt. Tum, quia cognitio propria alicuius rei fit per hoc, quòd cognitum ſit in cognoſcente connaturaliter: ac proinde cognitio perfectiſsima, qualis eſt comprehenſiua, fiet per hoc, quòd cognitum ſit in cognoſcente per ſummam, & perfectiſsimam connaturalitatem perfectione connaturalitatis, & per conſequens per connaturalitatem excludentem quemuis modum præternaturalitatis: quia eo ipſo erit ſumma in ratione connaturalitatis. Conſtat autem, eſſentiam ſupremi Angeli eſſe hoc modo in quouis Angelo, quantumuis inferiori: ergo, &c. Tum etiam. Quia ſpecies quidditatiua rei affert formaliter (licèt in *eſſe* intelligibili) quicquid formaliter eſt in re illa, & ſaltem eminenter, quicquid in ea continetur eminenter, quia eſt res illa in *eſſe* intelligibili, non ſecùs ac eadem res eſt ipſamet in *eſſe* naturali: & propterea affert formaliter, quæ ad eam formaliter ſpectant, & eminenter, quæ in illa virtualiter continentur. Ergo hoc ipſo, quòd illa ſpecies ſit omnino connaturaliter in aliquo intellectu, communicabit ſe ſecundùm omnia illa eidem intellectui: atque adeò ipſe per illam poterit ad totam intelligibilitatem, & entitatem illius obiecti, & totaliter terminari.

Animaduerſio pro maiori luce, & cõfirmatione præced. impugn.

74 Explicantur, & confirmantur hæc omnia, ſupponendo tamen priùs, quòd eſſentiæ Angeli, v. g. ſupremi, duplex intelligibilitas, ſiue intelligibilitatis modus poteſt conuenire: & ſimiliter duplex intellectualitas, ſiue intellectualitatis modus. Alia quidem formalis, & (vt ſic dicamus) ſpectans ad ordinem intelligibilem quodammodò purum, ſeu ad prædictum ordinem formaliter in *eſſe* intelligibili ſumptum. Alia verò intelligibilitas de materiali, imò & per accidens importata, & eo ipſo non pertinens ad ordinem intelligibilem quodammodò purum, ſed potiùs ad ordinem rei, licèt ſit inuoluta cum ordine intelligibili. Et ſimiliter duplex intellectualitas

debet

debet distingui. Alia quidē formalis, de formali importata, correspōdēs priori illi intelligibilitati formali, & de formali adductæ ab obiecto. Alia verò intellectualitas de materiali, & materialis, imò & per accidens allata, correspondens intelligibilitati posteriori de materiali adductę ab eodem obiecto.

Intelligibilitas ergo formalis, seu de formali importata sumitur præcisè ex gradu immaterialitatis in *esse* gradus formaliter considerati. Et vocatur intelligibilitas formalis, quia formalizat intelligibilitatem illam posteriorem, & materialem. Nam illa solùm in *esse* rei est formalis, & de formali importatur, at in ordine intelligibili, vel vt distincto ab ordine rei, est materialis, & de materiali allata. Dicitur-que hæc intelligibilitas formalis pertinere ad ordinem intelligibilem (vt sic dicamas) purum, non quidem quia non afferat ordinem entitatiuum de materiali, sed quia ordo intelligibilis prædominatur (vt sic loquamur) ordini naturali, & quia non constituit rationem aliquam atomam in ordine & genere rei, sed præcisè, & formalissimè in ordine intelligibili, & ad hoc per se primò est instituta. Ceterùm intelligibilitas de materiali importata sumitur præcisè ex peculiaribus modis in *esse* rei inter se inæqualibus participandi prædictum gradum immaterialitatis in *esse* rei sumptum: quia licèt in *esse* gradus dicat rationem atomam, attamen in *esse* rei dicit rationem genericam: & per consequens rationem contrahibilem per diuersas species, & modos inæquales in *esse* rei, & in hoc ordine formales.

Hæc autem intelligibilitas appellatur intelligibilitas de materiali, siue materialis: quia formalizatur per priorem illam intelligibilitatem in ordine intelligibili (vt sic dicamus) puro, siue formaliter sumpto; licèt sit formalis in ordine & genere rei. Et deinde de eadem dicitur afferri per accidens ab intelligibilitate formali desumpta ex gradu immaterialitatis in *esse* gradus: quia iste gradus ita formaliter inuenitur in *esse* gradus in Angelo inferiori non habente hanc perfectiorem intellectionem, aut intellectualitatem de materiali, ac in Angelo superiori illam adducente. Et tandem nuncupatur intelligibilitas in genere rei: quia correspondet intellectualitati eiusdem Angeli supremi in genere rei sumptæ, ideſt, vt constituit illum in genere rei in sua speciali ratione atoma in hoc genere, & tribuit illi in eodem genere ordinem partis vniuersi ad alias partes eiusdem vniuersi: sicut & aliæ differentiæ atomæ aliarum rerum constituunt illas in suis speciebus in genere rei, & in ratione habentium in hoc genere ordinem partium vniuersi ad alias partes eiusdem vniuersi: & ita prædicta differentia secundùm hanc rationem ad id potissimè est instituta: & propterea, vt est formaliter in ordine rei, hoc est potissimum in illa, hocque alijs rationibus prędominatur.

Ex præfata animaduersione confirmatur.

75 Hinc ergo sequens confirmatio, & explicatio eorum, quæ dicta sunt, deducitur. Quoniam adæquatio petita ad comprehensionem inter obiectum cognoscibile, & cognoscentem, ideſt, vt quanta est intelligibilitas obiecti per se petita ab illo, tanta sit intellectualitas intellectus, atque adeò adæquatio inter modum essendi intelligibilem obiecti, & modum essendi intellectus, ad hoc vt sit ibidem summè connaturaliter, tantùm attenditur penes intelligibilitatem formalem, & de formali importatam, ac inter intelligibilitatem formalem, & de formali: non verò penes intelligibilitatem, & intellectualitatem materialem, & de materiali allatam, seu quæ, licèt sit formalis in genere rei, est tamen materialis quoad illum excessum respectu ordinis intelligibilis. Sed essentia Angeli superioris, vt dicit intelligibilitatem formalem, & de formali importatam, non excedit intellectualitatem Angeli inferioris ei correspondentem: quia vtraque secundùm suam speciem atomam intelligibilitatis, & intellectualitatis formalis considerata non potest aliunde sumi, nisi ex gradu immaterialitatis, vt in *esse* gradus est atomus. Ergo habent adęquationem summam petitam ad comprehensionem: & Angelus supremus est in prædicto intellectu secundùm modum essendi summè connaturalem, imò & summè perfectum per summam perfectionem, & connaturalitatem desideratam ad comprehensionem. Consequentia ex vtraque præmissa satis constat. Minor verò ex nuper prænotatis etiam liquet.

Maior autem videtur perspicua. Tum, quia planum est, ad comprehensionem non requiri adæquationem inter obiectum, cognitionem, & intellectum in genere rei: cùm obiectum sæpè sit substantia, & intellectus, ac cognitio sint accidentia. Tum etiā, quia illa intelligibilitas materialis, desumpta præcisè ex prędicto excessu in *esse* rei, quem habet supremus Angelus respectu aliorum, non solùm est materialis, sed etiam per accidens ad tantitatem (vt sic dicamus)

dicamus) intelligibilitatis formalis, vt nuper dicebamus.

Illuſtratur omnia dicta elegãti exemplo.

76 Poſſuntque cuncta iſta ampliùs explicari, & confirmari exemplo illo adducto diuinæ eſſentiæ, in opinione iam dicta ſatis probabili aſſerentium, eam non eſſe obiectum formale adæquatum diuini intellectus; ſed hoc coaleſcere ex omnibus rationibus formalibus diuinis: & per conſequens gradum immaterialitatis diuinæ præcisè eſſe actum purum ab omni materia, & potentialitate. Nam cùm eſſentia diuina ſe ipſam comprehendat, & ſimiliter ſcientia eandem habeat comprehendere, alioqui non eſſet ſummè perfecta in ratione ſcientiæ, oportet, vt ſit ſumma adæquatio in *eſſe* intelligibili inter prædictam eſſentiam, vt intelligibilem, & inter ipſam vt intelligentem, & comprehendentem, ac tandem inter eandem eſſentiam, & ſuam ſcientiam, per quam ſimiliter comprehenditur: ac proinde debet ibidem diſtingui duplex intelligibilitas, & adæquatio: alia formalis, & petita præcisè ex gradu immaterialitatis, & in iſta eſt ſumma adæquatio inter omnia prædicta: alia (vt ſic dicamus) de materiali importata, & ad ordinem rei propter rationem dictam ſpectans, quæque licèt in ordine rei ſit formalis, eſt tamen de materiali importata in ordine intelligibili formaliter ſumpto: & quoad iſtam eſt ſumma adæquatio inter prædictam eſſentiam vt obiectum, & inter eandem vt intelligentem quoad id, quod ipſa vt intelligens de materiali, & in *eſſe* rei etiam trahit.

Cæterùm, quia hæc non ſolùm de materiali, ſed peraccidens (vt ſic dicamus) affertur ab intelligibilitate formali: idcircò in hac intelligibilitate eſt ſumma adæquatio inter eandem eſſentiam, vt eſt obiectum intelligibile intelligibilitate formali ad ordinem intelligibilem ſpectante, & inter diuinam ſcientiam, vt dicit cognitionem de formali ad ordinem cognitionis, prout diſtinctum ab ordine rei, pertinentem: licèt illi formaliſsimè, & modo alibi explicato ſumptæ, ideſt, ſecundùm id, quòd præcisè exprimit, ſeu ſecundùm id, quòd ex vi ſuæ lineæ affert, quodammodò de ſit illa perfectio de materiali, quæ inuenitur in eadem eſſentia, vt intelligente ſe ipſam. Quia etſi totam hanc perfectionem per modum tranſcendentis includat, non tamen illam exprimit, aut ex vi ſuæ lineæ præcisè, ſeu ex vi ſuę rationis quaſi differentialis; ſed ſolùm ob rationem communem omnibus diuinis illam dicit & exprimit.

Et ratio eſt eadem in diuinis, & quoad præſens. Quia quoties gradus immaterialitatis eſt communis in *eſſe* rei, licèt non in *eſſe* gradus, debet dari in æqualitas in eo, quod affertur de materiali, & per accidens ad gradum, & æqualitas in ratione formali: & nihilominùs inæqualitas in illa priori ratione non obeſt comprehenſioni, nec tollit, quòd obiectum ſit vtrobique omninò connaturaliter: quia in ordine ad iſta non petitur, niſi adæquatio quoad formale, non verò quoad materiale & peraccidens importatum. Per quæ ad id, quod ad iuuandam hanc ſolutionem in ea adducebatur, ſatis conſtat.

§. VI. *Poſterior ratio aſſertionis ex Angelico Præceptore accepta.*

Vltima ratio D. Th.

77 SEcunda, & potiſsima ratio ex D. Thoma deſumpta, tum ex aliquibus locis iam relatis, tum ſuprà quæſt. 12. ar. 8. vt ſtatim dicemus, poteſt ſub hac forma proponi. Quoniam quiuis Angelus, quantumuis inferior, cognoſcit alterum Angelum, quantumlibet ſuperiorem, quoad ſuam eſſentiam, & omnes modos in eo formaliter exiſtentes, necnon quoad cuncta, quæ in illo eminenter continentur: ergo quilibet comprehendet quemlibet, quantumuis ſuperiorem, & excellentiorem. Conſequentia videtur legitima. Tum, quia non videtur reſtare aliquid amplius cognoſcendum in Angelo ſuperiori, quàm illa, quæ in antecedenti recenſentur: & ita eis cognitis, aderit omnimoda adæquatio inter Angelum inferiorem cognoſcentem, & inter cognoſcibilitatem ſuperioris cogniti, ac proinde comprehenſio. Tum etiam. Quia D. Thomas ſuprà quæſt. 12. articul. 8. colligit à poſteriori, intellectum creatum non poſſe cognoſcere omnes creaturas poſsibiles in Deo: quia ſi illas cognoſceret, comprehenderet Deum, ex eo quòd & videret Deum quoad omnia, quæ ſunt formaliter in ipſo, cùm quiuis beatus hæc videat, & deinde videret ipſum quoad illa, quæ eminenter in eo præhabentur: & nihil aliud ad comprehenſionem deſideratur. *D. Thom.*

Antecedens autem etiam conſtat. Quia cùm omnia illa contineantur ſub ente naturali vniuerſaliter ſumpto, quod eſt obiectum proportionatũ intellectus Angelici, poſſunt cuiuis Angelo eſſe nota. Et propterea quiuis Angelus omnium rerum naturalium ad hoc vniuerſum ſpectantium in primo inſtanti ſuæ conditionis recipit à Deo ſpecies intelligibiles, vt ſuprà dicebamus. Sicut & propter hãc rationem (vt in hoc eodem dubio vidimus, & in ſenſu infrà q. 106. explicando) iuxta Angelici Præcept. mentem infrà q. 109. art. 3. ad ſecun-

secundum, Angelus inferior nequit de rebus naturalibus, & ad naturalem cognitionem spectantibus illuminari à superiori: quia omnia ista, hoc ipso quòd talia, sunt naturaliter nota cuiuis Angelo, quantumuis inferiori.

Euasio Vazquez. 78 Nec obest, si occuras ex Vazquez, rationem hanc conuicturam intentum, si ad comprehensionem Angelorum non desideratur cognitio, & comprehensio actuum liberorum cuiusuis Angeli: cæterum, quia prædicta cognitio ad comprehensionem petitur, ex eo quòd actus liberi sunt aliquid Angeli, & ad ipsos pertinet vt determinationes suarum voluntatum, inde est, vt vnus Angelus alium nequeat comprehendere: ac proinde, quòd non solùm inferior superiorem, verum neque superior inferiorem valeat comprehensiua cognitione attingere; sed ad summum vnusquisque se ipsum potest comprehendere: quia suos actus liberos in eo existentes queit cognoscere.

Explodituꝛ Cæterùm hæc solutio optimè impugnatur à Iuniore quodam satis Docto, ex eo quòd Angelus inferior, vt præsupponitur suis actibus liberis, imò quamuis nullum ex eis habeat, nihilominꝰ sibi vẽdicat certũ gradum intelligibilitatis, cui debet adæquari virtus intellectiua, vt sit illius comprehensiua, ergo in hac intelligibilitate non continetur liberum decretum voluntatis. Probatur antecedens. Tum, quia intelligibilitas conuenit Angelo necessariò secundùm suam naturam, & quasi in modum proprietatis: cùm tamen actus liberi competant ei omnino contingenter. Tum etiam. Quia cuicumque creaturæ naturali conuenit certus gradus intelligibilitatis ante suam causalitatem actualem, ita vt commensuratiuè ad hunc gradum dicatur absolutè comprehendi, aut non comprehendi per aliquam cognitionem. Et tota huius ratio est: quia actualis causalitas conuenit ei omninò accidentaliter & contingenter. Ergo propter eandem rationem est idem dicendum de Angelo collato ad suos actus liberos. Patet consequentia. Quia non minùs accidentaliter & contingenter conueniunt ei.

Alia solutio 79 Nec etiam refert alia solutio, scilicet, quòd etsi omnia naturalia sint nota cuiuis Angelo quoad id, quod formaliter dicũt; non tamen quoad id quod eminenter, & virtualiter afferunt. Et propterea effectus naturales contenti in Angelo superiori, possũt secundùm se, & vt sunt in se ipsis, esse naturaliter noti Angelo inferiori; non tamen vt contenti virtualiter in prædicto Angelo: quia in se ipsis non habent cognoscibilitatem excedentem virtutem cognoscitiuam Angeli inferioris; benè tamen vt contenti in superiori, & vt cognoscendi ex vi cognitionis; & comprehensionis superioris. Quoniam sic sumpti tantam habent cognoscibilitatem, quantam Angelus superior, & hæc excludit virtutem cognoscitiuam inferioris. Potestque hoc explicari exemplo creaturarum, quæ possunt, prout sunt in se ipsis, & vt cognoscendæ sunt per cognitionem per se primò terminatam ad ipsas, esse proportionatæ in ratione obiecti cognoscibilis, & comprehensibilis respectu alicuius luminis intellectualis, ac naturalis: & tamen vt cognoscendæ sunt in Deo, & ex vi virtutis diuinæ essentiæ, non habere proportionem cum prædicto lumine, ex eo quòd sic sumptæ habent altiorem & eleuatiorem cognoscibilitatem.

Refutatur 80 Non igitur hæc solutio refert. Tum, quia satis corruit ex illis, quæ pro prima ratione latè diximus. Tum etiam. Quia quoties lumen attingens effectus, aliàs contentos in aliqua causa, est talis conditionis, vt valeat etiam attingere eandem causam, tunc etiam est potens attingere eosdem effectus in causa, & ex vi virtutis prædictæ causæ. Vnde, quia lumina creata attingentia aliquos effectus naturales, nequeunt attingere diuinam essentiam, prout est in se ipsa, idcircò neque in ea priùs visa possunt prædictos effectus videre. Et ita, si per lumen gloriæ viderentur effectus isti in se ipsis, possent etiam per eandem quantitatem luminis videri in diuina essentia: ex eo quòd, tam cum ipsis, quàm cum obiecto primario, scilicet diuina essentia, prout est in se proportionem haberet. Ergo cùm lumen intellectuale cuiusuis Angeli, non solùm sit cognoscitiuum effectuum, aliàs contentorum virtualiter in Angelo superiori, sed etiam Angeli superioris, & vtrumque contineatur sub obiecto proportionato sui intellectus: inde est, vt si possit attingere hos effectus in se, quòd etiam queat illos cognoscere in essentia Angeli priùs cognita: atque adeò, quòd vltra cognitionem, quam habent de Angelo superiori quoad omnia, quæ formaliter continet, sit etiam in eo cognitio eorum, quæ virtualiter præhabet: quæ duo (vt diximus) satis sunt ad cognitionem comprehensiuam.

Tum deinde sequenti inductione. Nam ea, quæ Angelus superior virtualiter continet, sunt, vel intellectiones possibiles ab eo elicitæ, vel alij effectus ad extra: at cognitiones prædictas quiuis Angelus inferior, quantum fat est ad comprehensionem, attingere queit. Quoniam sicut non continetur in eo secundùm se sumpto, nisi in potentia, & per modum puræ potentiæ intelli-

intelligibilis, ex eo quòd tam ipſe, quàm eius intellectus ſecundùm ſe ſpectati tantùm comparantur eum eis per modum puræ potentiæ in ordine intelligibili: ita ſolùm continentur ibidem in confuſo, non verò diſtinctè, & vt præhabitæ in aliquo actu, quatenus tali: & ideò ad cognitionem harum, quantum ſatis eſt ad comprehenſionem Angeli, ſat eſt, ſi ſic in confuſo cognoſcantur. Conſtat autem, hanc cognitionem non excedere vim Angeli ſuperioris: & ſimiliter effectus ad extrà contenti in Angelo ſuperiori etiam poſſunt videri ab Angelo inferiori: quia etiam ſolùm continentur in potentia, & in confuſo ab Angelo ſuperiori, ex eo quòd potentia executiua illius non diſtinguitur ab eius intellectu, vt conſtat ex illis, quæ noſtri Complutenſes in lib. de Anima diſputat, 7. num. 29. dicunt, & ex illis quæ nos in 1. tom. tract 3. diſput. 5. num. 78. aſſeruimus. Intellectus autem Angeli, non niſi vt determinatus, & actuatus per ſpecies intelligibiles, continet actu, & diſtinctè prædictos effectus: & ideò ſat erit cognoſcere illos confuſè, & ſecundùm rationem generalem.

N. Comp.

Explicatur

81 Poteſtque explicari vis huius rationis ex diſcrimine, quod intercedit inter eſſentiam diuinam, vt continentem effectus ad extrà per ſuam potentiam executiuam, nempe diuinam ſcientiam, & inter potentiam executiuam Angeli. Nam diuina potentia continet per modum actus, & diſtinctè prædictos effectus: quia ab intrinſeco, & ex ſe ipſa eſt vnita cum ſpecie intelligibili, eſtque in *eſſe* entitatiuo & naturali identificata cum ipſa, & potentia executiua radicalis, nempe diuina eſſentia, eſt ipſa ſpecies intelligibilis. Cæterùm intellectus Angeli, qui eſt eius potentia executiua, non eſt ab intrinſeco vnitus, nec in *eſſe* entitatiuo identificatus cum ſpeciebus intelligibilibus: & ideò ſolùm ſecundùm ſe continet ſuos effectus in potentia, & in confuſo: & ad comprehenſionem prædictæ potentiæ ſat eſt cognoſcere confuſè, deberi ſibi prædictas ſpecies, non verò requiritur cognitio earum, & obiectorum illius in particulari, niſi ad ſummum (de quo infrà) ex eo quòd conueniunt aliunde in eodem gradu immaterialitatis cum intellectu Angeli, quantumuis inferioris: & ideò debent etiam ipſæ comprehendi.

Illuſtratur magis.

Adde, quòd exceſſus, quem Angelus, qui modo eſt ſuperior, habet ex continentia prædictorum effectuum, non eſt tantus, vt ſuperet virtutem cognoſcitiuam Angelorum inferiorum. Quoniam cognoſcibilitas, quæ hinc poteſt accreſcere Angelo nunc ſuperiori, eſt infinitè minor, quàm illa, quæ conueniret alteri Angelo ſuperiori, & ſuperiori vſque in infinitum, quoad ſuam eſſentiam conſiderato, vt de ſe conſtare videtur: at Angelus, quantumuis inferior, habet, quantum eſt ex ſe, virtutem cognoſcitiuam ad attingendum quidditatiuè Angelum ſuperiorem, & ſuperiorem vſque in infinitum: ex eo quòd conuenit cum eo in gradu immaterialitatis: & hoc ſufficit ad cognitionem quidditatiuam, vt conſtat ex illis, quæ in 1. tom. tr. 2. diſput. 2. num. 165. diximus. Ergo &c.

Adde ſecundò, quòd effectus ad extrà contenti in Angelis ſunt ſatis pauci, vt patet ex illis, quæ in hoc eodem tractat. diſput. 2. n. 99. tetigimus: & ideò ex hoc capite non poteſt eſſe tantus exceſſus in cognoſcibilitate Angeli ſuperioris, vt non poſsit adæquari per vires Angeli inferioris, potentis cognoſcere quidditatiuè alium, & alium Angelum vſque in infinitum perfectiorem.

Aliud effugium.

82 Nec tandem obſtat poſterior aliorum ſolutio, nempe, non ſufficere ad comprehenſionem Angeli ſuperioris, quòd cognoſcantur omnia, quæ formaliter, & eminenter continet, ſed inſuper deſiderari, quòd cognoſcat illa tanta cognitione, quanta cognoſcibilia ſunt: ex eo quòd ad comprehenſionem requiritur adæquatio inter obiectum, & cognitionem, non ſolùm in genere rei, ideſt, quòd nihil pertinens ad ordinem rei lateat cognoſcentem, ſed inſuper petitur adæquatio in genere obiecti, & cognitionis: & ad hanc exigitur, quòd obiectum cognoſcatur tanta cognitione, quanta ex natura ſua cognoſcibile eſt. Cæterùm Angelus ſuperior eſt ex ſe cognoſcibilis maiori cognitione, quàm ſit cognitio Angeli inferioris, nempe cognitione, ſui intellectus propriam cognoſcibilitatem eiuſdem Angeli ſuperioris adæquante.

Poteſtque hæc ſolutio iuuari ex ijs, quæ docet Diuus Thomas ſuprà quæſt. 12. articul. 7. Nam ille, qui hanc propoſitionem demonſtrabilem, *Triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis*, cognoſcit ſolùm per medium probabile, non attingit comprehenſiue ipſam: quia non cognoſcit eam per cognitionem ita perfectam, ſicut ex natura ſua petit cognoſci: ac proinde hoc ipſum in præſenti debet admitti.

D. Thom.

Vnde addunt, ſolutionem iſtam non eſſe contra Angelicum Doctorem. Quia iuxta ipſum, conſequentia illa, qua infertur, intellectum creatum comprehenſurum Deum, ſi videret omnia, quæ in ipſo continentur eminenter, non eſt legitima gratia formæ, ſed gratia materiæ. Ex eo quòd ad videndum in Deo omnes creaturas poſsibiles requiritur lumen infinitum, & cognitio ſimpliciter infinita, & in actu: quæ neceſſariò deberet eſſe comprehenſiua Dei: ex eo

quòd non potest dari aliquid infinitum in actu præter diuinam essentiam.

Euersio eius.

83 Non itaque hæc posterior solutio obest. Tum quidem. Quia ex his, quæ pro prima ratione diximus, satis manet impugnata. Tum etiam. Quia solutio hæc videtur esse contra D. Thomam ar. 8. ex q. 12. cit. huius 1. p. vbi vniuersaliter docet, quòd intellectus potens in causa cognoscere omnes suos effectus, & eorum rationes, eam totaliter comprehendit. Et hinc infert, nullum intellectum creatum posse in Deo videre cuncta, quæ in eo continentur. Vnde sic ait. *Ille igitur intellectus potest in causa cognoscere omnes causæ effectus, & omnes rationes effectuum, qui causam totaliter comprehendit. Nullus autem intellectus creatus totaliter Deum comprehendere potest, vt ostensum est. Nullus igitur intellectus creatus videndo Deum potest cognoscere omnia, quæ Deus facit, vel potest facere: hoc enim esset comprehendere eius virtutem.*

D. Thom.

Idem Angelicus Præceptor.

Quod etiam docuit idem Angelicus Doctor 3. contra Gentes capit. 56. vbi vniuersaliter hanc doctrinam tradens, satis denotauit, consequentiam illam esse veram ratione formæ, non verò gratia alicuius specialis materiæ: & ita inquit: *Tunc enim solum necesse est, quòd cognito aliquo principio omnes eius effectus cognoscantur per ipsum, quando principium comprehenditur intellectu. Sic enim principium aliquod secundum suam totam virtutem cognoscitur, quando omnes eius effectus cognoscuntur, qui causantur ex ipso. Per diuinam autem essentiam alia cognoscuntur sicut cognoscitur effectus ex causa. Cum igitur intellectus creatus non possit diuinam substantiam cognoscere, sic quòd ipsam comprehendat, non est necessarium, quòd videndo ipsam, omnia videat, quæ per ipsam cognosci possunt.*

Elucidatur testimonijs D. Thomæ

Et in eodem cap. ratione 3. sic addit: *Quantitas virtutis attenditur secundùm se in qua potest. Idem igitur est cognoscere omnia, in quæ potest aliqua virtus, & ipsam virtutem comprehendere &c.*

Tum denique. Quia obiectum in ratione cognoscibilis non dicit maiorem cognoscibilitatem, quàm sit tantitas (vt sic dicamus) illius cognitionis adeò eleuatæ, & extensæ, vt attingat, & contineat, quicquid est in obiecto formaliter, vel eminenter. Cuius duplex potest assignari ratio. Prima quidem: quia eo ipso claudit intelligibiliter intra se, quicquid in obiecto est. Secunda verò: quia cùm intelligibilitas obiecti fundetur in entitate ipsius, consequens est, vt sicut in obiecto tantum possunt esse illa, quæ formaliter, vel eminenter in eodem continentur: ita tantùm potest fundare cognoscibilitatem exigentem cognitionem, per quam omnia ista attingantur: atque adeò impossibile est, quòd attingatur res secundùm omnem modum, qui est in ipsa formaliter, & eminenter, & quòd non habeat attingi secundùm omnem modum cognoscibilitatis, quam ex parte sua habet.

§. VII. *Opposita sententia, duplex eius fundamentum cum enodatione eorum.*

Contraria sententia.

84 CONtrariam tamen sententiam, nimirum, Angelum superiorem non comprehendi ab inferiori, tenent Nazarius in præsenti controuers. 2. Suarez disp. 35. suæ Metaph. sect. 4. n. 4. Pesantius super hunc art. & probabilem censet Zumel vbi suprà & alij.

Nazari. Suarez Pesantius Zumel

Argumentum primũ

Probatur primò. Quoniam ex opposito fieret, Angelos superiores non cognoscere perfectiùs Deum, quàm inferiores: hoc autem videtur falsum: ergo &c. Sequela probatur. Quoniam Deus cognoscitur ab Angelis cognitione naturali (de qua in præsenti fit sermo) ex effectibus: at quiuis Angelus comprehendit superiorem, & quemuis alium effectum naturalem: ergo æquali cognitione, ac Angelus superior, cognoscit Deum: non enim videtur posse excogitari perfectior cognitio Dei ex effectibus illius, quàm comprehensiua. Falsitas autem consequentis etiam constat. Nam Angeli, quò perfectiores sunt secundùm suas species & naturas, eò sunt beatiores beatitudine naturali: nam vniuscuiusque rei beatitudo naturalis debet suæ perfectioni cõmensurari. Constat autem, beatitudinem naturalem Angelorum consistere formaliter in cognitione, quam ex effectibus naturalibus habent de Deo, vt auctore, & fine naturali.

Diluitur

Respondetur, distinguendo sequelam: & concedendo illam de cognitione Angelorum, vt constituit gradum, seu in *esse* cognitionis formaliter, vt pertinentis ad ordinem cognitionis, & correspondet suo obiecto primario, vt pertinenti ad ordinem intelligibilem formaliter: sed negando illam de eadem cognitione, vt *esse* rei participat diuerso modo illum gradum, ac proinde secundùm id, quod de materiali, & per accidens affert, vt dicit prædictum gradum: nam secundùm istam rationem, quò aliqua cognitio est elicita à superiori Angelo, eò est perfectior perfectione prædicta: licèt daremus, quòd omnes illæ, adhuc vt beatificantes, haberent esse comprehensiuas quorumlibet obiectorum naturalium, & in *esse* entitatiuo: quia tota hæc perfectio est de materiali & per accidens ad comprehensionem, & per consequens non petita ab obiecto, sed tenẽs se ex parte cognoscentis præcisè. Vnde ad hoc vt

Angeli,

Angeli, quò sunt perfectiores, eò sint beatiores, satis est, quòd cognoscat Deum cognitione perfectiori, non illo, sed hoc posteriori modo. Sicut ad hoc quòd secundùm suas species se excedant in intellectualitate, satis est, quòd prædictus excessus sit in intellectualitate quoad perfectionem in *esse* rei; non verò quoad intellectualitatem in *esse* intellectualitatis formaliter, ideſt, vt correspondet propriæ essentiæ, prout est intelligibilis intelligibilitate formali, vt explicatum est.

Argumentum secùdũ

85 Secundò probatur eadem sententia. Nam Angelus superior habet maiorem intelligibilitatem, quàm inferior intellectualitatem: ergo iste non comprehendit illum. Consequentia est perspicua. Quoniam ad comprehensionem desideratur, vt tanta sit intellectualitas intellectus comprehendentis, quanta intelligibilitas obiecti comprehensi, vt sæpè dictum est. Antecedens autem etiam videtur perspicuum. Quoniam tanta est intelligibilitas Angeli supremi, quanta eius intellectualitas: ergo cùm hæc excedat intellectualitatem Angeli inferioris, etiam intelligibilitas prædicti Angeli superioris excedet intellectualitatem inferioris.

Confirmatur primò.

Confirmatur primò. Quoniam Angelus superior excedit in entitate inferiorem, alioqui non distinguerentur in specie: ergo etiam excedet illum in intelligibilitate, & in intellectualitate: quia vtraque fundatur in entitate: & perconsequens Angelus inferior nequibit superiorem comprehendere.

Secundo

Confirmatur secundò. Quoniam tam intellectualitas, quàm intelligibilitas desumuntur ex eadem radice, nempe, ex immaterialitate: sed Angelus superior est immaterialior, quàm inferior, quippè qui dicit essentiam actualiorem, & perfectiorem: ergo sicut propter hanc rationem eius intellectualitas vincit intellectualitatem inferioris, etiam eius intelligibilitas, quæ est æqualis suæ intellectualitati; excedet eandem intellectualitatem Angeli inferioris.

Tertio

Confirmatur tertiò. Quoniam essentia Angeli superioris habet omnimodam adæquationem cum suo intellectu, vt ex se constat: ergo erit superexcedens respectu intellectus inferioris: & perconsequens ab illo nõ comprehendetur.

Vltimo

Confirmatur tandem. Nam essentia diuina ideò est incomprehensibilis ab intellectu creato, quantumuis perfuso lumine gloriæ, quia dicit maiorem perfectionem, quàm ipse sic perfusus: sed Angelus superior dicit maiorem perfectionem, quam intellectus Angeli inferioris: ergo etiam erit incomprehensibilis ab illo; licet essentia diuina propter suam maiorem perfectionem sit magis comprehensibilis.

Responsio ad secundũ argum.

86 Respondetur, Angelum superiorem habere maiorem intelligibilitatem, loquendo de intelligibilitate illa de materiali, & per accidens, quam suprà num. 73. explicuimus, quàm inferior habeat intellectualitatem, si fiat sermo de intellectualitate illa in *esse* rei, ac proinde per accidens & de materiali importata, de qua etiam ibidem mentionem fecimus. Cæterùm prædictus Angelus superior non habet maiorem intelligibilitatem formalem, & de formali, ac spectantem ad ordinem intelligibilem formaliter, quàm inferior intellectualitatem de formali sumptam, & perconsequens vt constituit gradum, & pertinet ad ordinem cognitionis formaliter sumptæ in ratione cognitionis, & vt distinctæ à se ipsa, vt pertinet ad ordinem rei: imò nec intelligibilitas illa de materiali Angeli superioris, excedens intellectualitatem de materiali inferioris, habet esse superexcedens eandem intellectualitatem prædicti Angeli inferioris de formali considerata, si per hunc excessum significetur, hanc non posse capere & attingere perfectè illam, seu quòd prædicta intelligibilitas de materiali exigat ad sui omnimodam comprehensionem aliam intellectualitatem, quæ intra lineam intellectualitatis, seu cognitionis formaliter sumptæ sit altior, & eminentior, benè tamen si denotetur, quòd hæc eadem intellectualitas non est in genere rei ita perfecta, ac intelligibilitas Angeli superioris in genere rei, & quoad id, quod de materiali & peraccidens ad ordinem intelligibilem affert, aut quòd prædicta intelligibilitas de materiali, & modo dicto peraccidens importata exigat in genere rei intellectualitatem aliam altiorem, & de materiali, ac peraccidens coniunctam cum eadem intellectualitate in genere intellectionis formaliter sumptæ considerata. Vnde satis erit ad comprehensionem illam, quòd prædicta intelligibilitas de materiali non habeat gradum immaterialitatis superexcedentem, sed eundem cum Angelo inferiori, siue quòd vterque in esse rei, sub illo gradu contineatur: & perconsequens hoc etiam satis erit ad hoc, vt prædicta intelligibilitas non sit supra intellectualitatem Angeli inferioris de formali considerata.

Quare ad formam argumenti distinguatur antecedens iuxta nuper dicta. Et ad probationem in contrarium concedatur antecedens, facta tamen debita comparatione, tum inter intelligibilitatem Angeli supremi cum intellectualitate eiusdem, considerata vtraque quoad id, quod de formali dicit: tum etiam inter intelligibilitatem de materiali

teriali cum intellectualitate etiam de materiali. Cæterùm neganda est consequentia, si id, quod in ea supponitur, nempe, intellectualitatem Angeli superioris excedere intellectualitatem Angeli inferioris, intelligatur de intellectualitate de formali, secùs tamen, si in ea fiat sermo præcisè de intellectualitate vtriusque de materiali. Et tandem neganda est posterior pars contenta in consequenti eiusdem consequentiæ, nimirum, intelligibilitatem Angeli superioris excedere intellectualitatem inferioris: quia solum est vera, loquendo de intelligibilitate de materiali prædicti Angeli, & collata cum intellectualitate de materiali Angeli inferioris. Quare, cùm ad hoc, quòd Angelus inferior comprehendat superiorem, nõ obstet, quòd intelligibilitas huius de materiali importata excedat intellectualitatem inferioris quoad id, quod de materiali, & per accidens dicit, sed satis sit, quòd non habeat excedere eãdem quoad id, quod de formali affert in *esse* intellectualitatis, ac proinde quòd hæc intellectualitas de formali, & illa intelligibilitas etiam de formali sint omninò adæquata: quia eo ipso prædicta intellectualitas sic considerata extendet se ad illud intelligibilitatis de materiali importatum à supremo Angelo, ipsumque adæquabit, quippe quod continetur per se in *esse* rei; sub eodem gradu immaterialitatis in *esse* rei, sumpto, licèt per accidens, & de materiali afferatur ab eo in *esse* gradus.

Ad primam confirmat.

87 Ad primam confirmationem concedendum est antecedens de entitate in *esse* rei præcisè sumpta, non tamen vt fundat gradum immaterialitatis, ac intellectuitatem, & intelligibilitatem de formali. Et deinde neganda est consequentia. Quia satis est, quòd se adæquent in entitate hoc posteriori modo accepta, ad hoc vt inferior possit comprehẽdere superiorem.

Ad secundã

Ad secundam confirmationem respondetur ex dictis, quod intellectualitas, & intelligibilitas tam de materiali, quàm de formali importata sumuntur ex eadem radice, nempe ex immaterialitate: aliter tamen & aliter. Nam intellectualitas, & intelligibilitas de formali sumuntur ex immaterialitate, vt cõstituit gradum: & in hac sunt æquales ambo Angeli, scilicet superior, & inferior: licèt intellectualitas, & intelligibilitas de materiali accipiantur ex diuerso modo participandi in *esse* rei eundem gradum, in *esse* rei etiã sumptum. Cæterùm ad comprehensionem satis est æqualitas in immaterialitate, vt constituit gradum, licèt non sit æqualitas in participatione prædicti gradus modo dicto sumpti.

Ad tertiam

Ad tertiam confirmationem patet etiam ex dictis, Angelum superiorem habere omnimodam æqualitatem cum suo intellectu, tam in intelligibilitate de materiali, quàm in intelligibilitate de formali, & considerato intellectu, & intellectualitate eius tam in *esse* intellectuali de formali, quàm de materiali, & in *esse* rei. Cæterùm tanta æqualitas non requiritur ad comprehensionem, sed illa æqualitas maior in eo, quod est de materiali, per accidens se habet ad comprehensionẽ, & non est petita ex parte obiecti, sed setenet præcisè ex parte comprehendentis. Et ideò Angelo inferiori conuenit ea æqualitas cum superiori, quæ per se petitur à superiori in ratione obiecti.

Ad vltimã

Ad vltimam confirmationem respondetur, esse disparem rationem. Quia ille excessus essentiæ diuinæ est in entitate, prout fundat gradum intelligibilitatis: & ideò essentia diuina, quippe superioris gradus immaterialitatis, & intelligibilitatis, est superexcedens intelligibile respectu intellectus creati, quantumuis eleuati lumine gloriæ, ac proinde nequit ab illo comprehendi.

§. VIII. *Postremum, & difficile fundamentum pro opposita sententia, & prior illius solutio.*

Argumẽtũ tertium.

88 TErtiò principaliter probari potest prædicta sententia argumento quodam satis difficili, quod propterea sigillatim proponitur, & accuratè varijs vijs dissoluendum est. Postremò igitur pro eadẽ sententia argui sic potest. Quoniam Angelus inferior non habet species intelligibiles proportionatas ad comprehendum species etiã intelligibiles, quæ sunt in Angelo superiori: ergo nec poterit illum comprehendere. Consequentia videtur sequi ex dictis. Quoniam si Angelus inferior posset comprehendere superiorem, haberet vtique species proportionatas ad comprehendendas species intelligibiles illius. Antecedens autem probatur. Quoniam species intelligibilis Angeli supremi, repræsentans quidditatiuè totum vniuersum, præterquam essentiam eiusdem Angeli supremi, non potest cognosci ab Angelo inferiori per aliam, vnicamque speciem, quæ sit eiusdem rationis cum illa, & repræsentet etiam totum vniuersum quidditatiuè, præterquam prædictam essentiam Angeli supremi: quia in Angelo, verbi gratia inferiori, nequit dari species ita vniuersalis in repræsentando. Nec etiam potest illam cognoscere per varias & distinctas species, quas habet totius vniuersi, adunando (vt sic dicamus) illas in ordine ad prædictam cognitionem. Tum, quia hæc cognitio esset valdè confusa, ac proinde non pertingens vsque ad comprehensionem: quia Angelus ad summum potest simul vti omnibus suis speciebus in ordine ad cognitionem confusam, non verò in ordine ad distinctam, & omninò perfectam. Tum etiam.

Quia

Quia repræſentatio, quæ fieret per omnes illas ſpecies, non eſſet tam perfecta in ratione repræſentationis, ſicut repreſentatio illius ſupremæ ſpeciei exiſtentis in Angelo ſuperiori. Quoniam licèt omnes illæ ſimul ſumptæ repreſentarent ſpeciem illam ſuperiorem, & quicquid in ea lucet; attamen perfectior modus repræſentandi conueniret prædictæ ſpeciei, quia vnitè, & magis actualiter haberet repræſentare: ac proinde, ſicut omnes iſtæ inferiores non adæquarent eius perfectionem, ita non eſſent idoneæ ad hoc, vt per eas ſpecies illa ſuprema comprehenderetur. Tum denique. Quoniam vt aliqua ſpecies ſit comprehenſiua alicuius, debet eſſe eiuſdem naturæ in *eſſe* intelligibili cum illo: at omnes illæ ſpecies inferiores ſimul ſumptæ non ſunt eiuſdem naturæ in *eſſe* intelligibili cum ſpecie ſuprema: quia hæc, quippe ſuprema, eſt ſuperioris rationis. Ergo &c.

Animadverſio primo pro ſolutione tertij.

89 Reſpondetur, præſupponendo tamẽ primò, quòd quia multoties in hac ſolutione faciendus eſt ſermo de ſpecie ſupremi Angeli, & de ſpeciebus exiſtentibus in inferioribus Angelis, & repræſentantibus hanc eandem ſpeciem, ideò, vt omnis confuſionis tollatur occaſio, & breuioribus terminis quoad hoc vtamur, nuncupabimus ſpeciem illam ſuperioris Angeli ſpeciem directam: quia nõ eſt ſpecies alterius ſpeciei intelligibilis, ad hoc munus repræſentandi per ſe primò inſtitutæ: at ſpecies repræſentantes hanc eandem ſpeciem intelligibilem appellabimus ſpecies reflexas: quia ſunt ſpecies alterius ſpeciei intelligibilis, nempè illius ſupremæ, exiſtentis in ſupremo Angelo.

ecunda.

Secundò præſupponendum eſt, ſpeciem illam directam, quippe habentem rationem obiecti repreſentati *vt quod*, & ſimiliter intellecti *vt quod* ab alijs intellectibus Angelicis, repræſentari per aliquam vnam ſpeciem reflexam, exiſtentem, v.g. in Angelo infimo: ita quidem vt hęc ſpecies reflexa non ſit vna per ſimplicitatem, ſed per adunationem plurium ſpecierum conuenientium ad conſtituendam tantam repræſentationem accommodatè ad intellectualitatem Angeli inferioris, quanta eſt intelligibilitas ſpeciei directæ.

ertia.

90 Vt autem hoc meliùs intelligatur, & quomodo facienda ſit diſtributio per prædictas ſpecies reflexas quoad hoc munus repreſentandi inadæquatè id, quod ſpecies directa adæquatè repræſentat, præſupponendum eſt tertio, quod ſicut in eſſentia ſupremi Angeli diſtinguimus duplicem illam intelligibilitatem, de qua in hoc dubio mentionem fecimus, ſcilicet formalem, & materialem, & & per accidens importatam: & illa prior ſumitur ex gradu immaterialitatis in *eſſe* gradus, & hæc poſterior ex diuerſo modo participandi eũdem gradum in *eſſe* rei ſumptum: ita tamen quòd licèt vtraque intelligibilitas debeat elucere in ſpecie intelligibili repræſentante ſupremum Angelum, & exiſtente in intellectu inferioris, non tamen per ſpeciem habentem modum intelligibilem tantæ actualitatis, & immaterialitatis, quanta eſt intelligibilitas materialis prædictæ naturæ, & modus peculiaris habendi illam, ſed quanta eſt intelligibilitatis formalis illius: & ideò quoad reliqua commenſuratur ſpecies quoad modum intelligibilem cum actualitate, & immaterialitate intellectus, in quo eſt: ita in ſpecie illa directa, & repræſentata *vt quod* (cuius ratio conſiſtit in repræſentatione, vt ſic dicamus, actiua illius obiecti ampliſsimi, ſeu in natura entis defacto creati, & diſtincti ab Angelo ſupremo, & non qualitercumque, id eſt, non vt prædicta natura habet modum eſſendi entitatiuum, ſed intelligibilem & repræſentatiuum, ac talis conditionis, vt debeat illa natura repræſentari, vt ſic loquamur, in concreto, & vt actu diſtributa in omnes illas ſpecies, ſiue inferiora in hoc vniuerſo condita) debemus diſtinguere intelligibilitatem formalem, & materialem, ac de materiali importatam. Ex quibus prior illa ſumatur ex gradu immaterialitatis in modo repræſentandi, ſeu intelligibili: poſterior verò ex diuerſa participatione eiuſdem gradus de materiali & per accidens importata, & conſiſtens in diuerſo illo modo participationis eiuſdem gradus, qui ſit tantus in actualitate, vt ille modus intelligibilis, vnicus & idem omninò exiſtens, petat connexionem cum natura illa creata entis, vt diffuſa per omnia inferiora prædicta: ac proinde ſit in ſuo ordine ratio repræſentandi ſimul cuncta illa. Vnde, licèt vtraque intelligibilitas debeat repræſentari per ſpeciem reflexam adunatam ex prædictis ſpeciebus reflexis, non tamen modo intelligibili ita perfecto, & actuali, ac eſt modus ſpeciei directæ quoad id, quod de materiali, & per accidens affert, ſed accommodatè ad actualitatem, & vniuerſalitatem intellectus, in quo ſunt, & perconſequens cũ defectu adæquationis ad prædictum modum ſpeciei directæ.

Hic autem defectus conſiſtit in hoc, quòd licèt repræſentatio actiua ſpeciei directæ ſit per vnicam ſimpliciſsimam repræſentationem, vnicumque indiuiſibilem modum intelligibilem & repræſentatiuum: attamen repræſentatio, quæ fit per ſpeciem reflexam adunatam, habet fieri per multiplices repræſentationes actiuas particularium ſpecierum reflexarum, & per multiplices modos intelligibiles earum: ita quidem, vt per vnicam indiuiſibilem ſpeciem reflexam repræſentetur ſpecies illa directa, & eius repræſentatio actiua prædictæ naturæ

entis, vt actu distributæ per aliqua peculiaria determinata inferiora, plura, vel pauciora iuxta maiorem, vel minorem actualitatẽ, & perfectionem illius speciei indiuisibilis, & intellectus Angelici, in quo inhæret: & per aliam speciem indiuisibilem repræsentetur eadem natura entis, vt est contracta ad alia inferiora, seruata tamen proportione iam dicta: & sic de alijs speciebus simplicibus, quousque per multiplicitatem specierum fiat adæquatio inter repræsentationem actiuam earundem specierum reflexarum, & repræsentationem actiuam speciei directæ, quæ comparatur ad illas per modum repræsentationis passiuæ, seu obiectiue præsentati.

Ex dictis enodatur tertium argumentum.

91 Hinc ergo ad formam argumenti negandum est antecedens. Et ad probationẽ concedatur antecedens quoad priorem partem, sed negetur quoad secundam. Et ad primam probationem eiusdem secundæ partis dicendum est, illam cognitionem terminatam ad speciem directã, vt ad obiectum cognitum *vt quod*, & elicitam medijs illis speciebus reflexis inter se adunatis fore satis perfectam, & distinctam, absolutè & simpliciter loquendo de illa: quippe quæ est comprehensiua respectu prædictæ speciei directæ: quamuis possit dici quodammodò confusa comparatiuè, ideſt, non ita distincta, clara, & perfecta, claritate, & perfectione de materiali & per accidens importata, ac illa, qua Angelus supremus v. g. comprehendit prædictam speciem. Imò licèt sit distincta, & cõprehensiua respectu repræsentationis actiuæ speciei directæ, non tamen respectu repræsentationis passiuæ eiusdem, vt habet rationem speciei, seu obiecti prædictæ speciei directæ. Quoniam ex vi specierum reflexarum cognoscitur quidditatiuè, & comprehensiuè natura illa repræsentata vt est sub modo essendi intelligibili, in quo consistit eius repræsentatio actiua, non tamen comprehenditur eadem met natura, vt est sub modo essendi naturali & entitatiuo, in quo sita est eius repræsentatio passiua, seu obiectum repræsentatum per illam, vt habet rationem speciei.

Ratio autem, ob quam prædictum obiectum non cognoscatur quidditatiuè, & comprehensiuè per cognitionem elicitam medijs his speciebus reflexis, sicuti ratio, ob quam prædicta repræsentatio actiua speciei directæ cognoscatur quidditatiuè, & comprehensiuè per eandem cognitionem, reddi potest ex eo, quòd prædictæ species sic adunatæ possunt esse propriæ species repræsentantes speciem directam quoad suam repræsentationẽ actiuam directè, seu obiectum per illam repræsentatum: quia hoc tantum habet repræsentari, quia est obiectum speciei directæ quoad suam actiuam repræsentationem cõsideratæ. Et ideò per has species reflexas potest haberi cognitio quidditatiua, & comprehensiua speciei directæ, quoad repræsentationem actiuam, in qua ipsa consistit, non verò quoad eius obiectum, vt statim magis explicabitur.

Occurritur secũdæ probationi.

Ad secundam verò probationem respondetur, intelligibilitatem, & repræsentationẽ speciei directæ esse quidem perfectiorem, & actualiorem quoad intelligibilitatem, & actualitatem de materiali & per accidens importatam ab intelligibilitate, & actualitate formali, non verò in intelligibilitate, & actualitate formali: quia in hac sunt æquales: & propterea omnes istæ species reflexæ, veluti consumentes, & adæquantes repræsentationem actiuam speciei directæ, possunt deseruire ad eius quidditatiuam, & comprehẽsiuam cognitionem, vt dictum est.

Tertiæ.

92 Ad tertiam autem probationem dicendum est, sufficere, quod omnes illæ species reflexæ habeant eandem rationem formalem *quæ* in *esse* rei repræsentatam, & quod hæc sit eadem in *esse* rei cum natura illa, quæ est in specie directa, & quod modi intelligibiles, & rationes *sub quibus* specierum reflexarum sint in eodem gradu immaterialitatis: ac tandem, quod licèt sint minùs perfecti perfectione de materiali, nihilominus omnes illi repræsentent modum illum intelligibilem de materiali altiorẽ, qui est in specie directa. Hęc autem quoad præsens inueniuntur. Quoniam ratio, quæ in *esse* rei, seu natura, quæ sub modo essendi intelligibili est in specie directa, nulla est alia, præter naturam entis iam dictam: & hæc etiam repræsentatur per quamlibet ex speciebus reflexis. Et deinde modus intelligibilis speciei directæ est tanta actualitas in illo modo essendi intelligibili, vt dicat repræsentationem eiusdem naturæ cum tanta vniuersalitate, quòd prædicta species repræsentet simul eandem naturam, vt contractam ad omnia inferiora iam dicta: & hic modus etiam est intelligibiliter in speciebus reflexis, tamquam obiectum repræsentatum *vt quod*, & vt habet (vt sic dicamus) potius rationem rei repræsentatę, quam modi repræsentandi. Quamuis prędictus modus, habens rationem obiecti repræsentati *vt quod*, non repræsentetur per modum intelligibilem specierum reflexarũ ita eleuatum & actualem, eleuatione & actualitate de materiali importata ab ipso, bene tamen per modum ita eleuatum & actualem quoad gradum immaterialitatis, sicut in simili contingit facta collatione inter speciem directam repræsentantem supremum Angelum, quæ est in intellectu alterius inferioris, & inter prædictam essentiam. Nam licet in specie illa repræsentetur essentia Angeli superioris quoad illum excessum, quo exceditur alius, adhuc quoad modum intelli-

intelligibilem iam dictum: nihilominus non repræſentatur per ſpeciem intelligibilem exiſtentem in Angelo inferiori per modum quemdam intelligibilem ita actualem de materiali, ac eſt prædictus Angelus ſuperior, & eius intelligibilitas de materiali conſiderata: & hoc non obſtante, ſpecies iſta poteſt deſeruire ad cognitionem quidditatiuam, & comprehenſiuam Angeli ſuperioris, propter conuenientiam in gradu immaterialitatis, & actualitatis. Quamuis in hoc ſit ſua diſparitas inter ſpeciem repræſentatiuam ſupremi Angeli, & ſpecies reflexas: quod illa repræſentat adæquate Angelum quoad omnia ſua: at ſingulæ ex his ſpecibus non repræſentant modum illum intelligibilem, vt in particulari & diſtincte extẽditur ad omnia illa inferiora entis, ſed vt in generali extenditur ad omnia, ad quæ ſecundum ſuam actualitatem habet proportionem. Et ita, quatenus in particulari habet extendi ad hæc inferiora, repræſentatur per vnam ſpeciem, & vt extenditur ad alia, per alteram, & ſic deinceps, vſquedum exhauriatur tota repræſentatio ſpeciei directæ.

Replica 93 Nec obeſt, ſi vrgeas primo, quod ſi medijs his ſpeciebus reflexis, & adunatis poteſt dari cognitio quidditatiua, & comprehenſiua ſpeciei directæ, exiſtentis in Angelo ſupremo, oportebit, prædictam cognitionem eſſe vnicam, & ſimplicem: alioqui non eſſet comprehenſiua, vt communiter docẽt Theologi. Ergo etiam verbum per illam productum erit vnicum & ſimplex: ac proinde erit ita vniuerſale in repræſentando, ſicut ſpecies illa directa exiſtens in Angelo ſupremo. Et ita incidetur in id, quod vitari intenditur, ſcilicet, dari in Angelo inferiori ſpeciem, ſiue repræſentationem ita vniuerſalem, ac in ſuperiori. Imò incidetur in maius inconueniens: quia cum repræſentatio verbi ſit actualior, quam ſpeciei impreſſæ, magis inconuenit, dari verbum in Angelo inferiori ita vniuerſale, ſicut verbum, & ſpecies impreſſa exiſtens in ſuperiori, quam dari in illo ſpeciem impreſſam ita vniuerſalem.

Soluitur 94 Reſpondetur enim concedendo, dandum eſſe prædictum verbum vnicum & ſimplex productum per omnes illas ſpecies reflexas adunatas: negamus tamen, illud eſſe ita viuerſale in repræſentando, ſicut prædicta ſpecies directa exiſtens in Angelo ſuperiori.

Ratio duplex ſolutionis. Cuius duplex poteſt reddi ratio. Quoniã vniuerſalitas verbi, aut ſpeciei intelligibilis in creaturis ſumitur ex eo, quod obiectum directum, & per ſe primò repræſentatum eſt natura aliqua vniuerſalis actu contracta, & diffuſa per ſua inferiora, vel omnia, vel plura ex illis: at verbum prædictum non repræſentat per modum obiecti directi, & primarij, niſi aliquid atomum, & in individuo tale, nempe, ſpeciem directam exiſtentem in Angelo ſupremo, quæ dicit rationem atomam & individuam; quamuis ſit repræſentatio actiua naturæ entis, vt ſub *eſſe* entitatiuo eſt diffuſum in inferiora iam dicta. Et ita verbum illud ad ſummum indirecte repræſentat prædictam naturam in *eſſe* entitatiuo, ex eo quod eſt obiectum ſui obiecti, nempe ſpeciei directæ.

Secunda vero ratio eſt illa, quam iam tetigimus, ſcilicet, per verbum illud non repræſentari quidditatiue obiectum ſpeciei directæ, ſecus tamen per ſpeciem directam. Et ita prædictum obiectum, vt quidditatiue repræſentabile, ſeu in *eſſe* quidditatiui formaliter, eſt extra repræſentationem prædicti verbi, cum tamen contineatur intra repræſentationem illius ſpeciei directæ: atque adeo iſta habebit formaliter longe latius obiectum, quam verbum.

95 Quibus etiam poteſt addi alia ratio hoc ipſum confirmans, nempe, verbum (quippe medium inter ſpeciem intelligibilem, & obiectum extrinſecum) dicere habitudinem ad ſpeciem intelligibilem, media qua producitur, & ad obiectum extrinſecum. Vnde ſi reſpexerit vnicam & indiuiſibilem ſpeciem vniuerſalem, tamquam principium ſui, & ſimul obiectum extrinſecum ita vniuerſale, ſicut eſt prædicta ſpecies, habet ex omni capite eſſe vniuerſale in repræſentando, & ſub actualitate debita modo repræſentandi vniuerſali. Si autem dixerit habitudinem ad plures ſpecies non ita vniuerſales, ſicut eſt obiectum extrinſecum, tunc reſpiciet prædictas ſpecies per modum principij vniuerſalis inuoluti cum imperfectionibus, & cum particularitate, vel minori vniuerſalitate earundem: & ideo ex hoc capite deficiet in vniuerſalitate quoad modum repræſentandi: & quoad hoc caput non erit ita vniuerſale, ſicut verbum repræſentans idem obiectum extrinſecum, & productum per vnicam ſpeciem ſic vniuerſalem, ſicut prædictum obiectum. Cæterum ſpecies intelligibilis ſolum commenſuratur cum ſuo obiecto extrinſeco, & directo, vt de ſe conſtat.

Poſſuntque iſta explicari ex eo, quòd contingeret in verbo beatorum, ſi illud per viſionem beatificam produceret. Nam hoc, licet repræſentaret quidditatiuè Deum, deficeret tamen ab immaterialitate Dei, quia non fit per intellectum ſe habentem per modum potentiæ actiuæ ſimplicis & totalis, ſed per intellectum eleuatum, & coaleſcentem ex lumine gloriæ, & intellectu creato: & ideo non eſſet ita vniuerſale in repræſentando, ſicut Elucidatur

cut

cut esset verbum, si fieret per intellectum simplicem. Ita ergo (proportione seruata) verbum, de quo loquimur deficiet ab vniuersalitate in repræsentando, tum ex parte obiecti indirecte repræsentati, tum etiam ex capite iam dicto. Licet non esset omnimoda paritas quoad hoc inter illa verba beatifica, & verbum, de quo loquimur, vt intuenti patebit.

Alia replica.

96 Nec etiam obstat, si vrgeas secundò, videri falsum id, quod in solutione huius argumenti sæpe diximus, scilicet, per has species reflexas non repræsentari quidditatiue naturam repræsentatam per speciem directam in *esse* entitatiuo consideratam. Nam cum species directa sit actiua, & quidditatiua repræsentatio illius, videtur impossibile, hanc speciem directam, & eius repræsentationem actiuam quidditatiue repræsentari, non repræsentata quidditatiue prædicta natura. Siquidem per illam speciem repræsentatur, talem naturam habere hæc, & illa prædicata quidditatiua, & consistentia in suis peculiaribus rationibus quidditatiuis. Ergo, &c.

Satisfit.

Respondetur, negando antecedens. Et ad probationem statim adiunctam dicendum est, quod sicut iuxta probabilem multorum Thomistarum, & aliorum sententiam, visio beatifica est quidditatiua visio Dei prout est in se: & nihilominus ex hoc, quod per scientiam infusam possit prædicta visio quidditatiuè cognosci, imò & comprehendi, non inde colligitur, per talem cognitionem reflexam cognosci quidditatiue diuinam essentiam prout est in se: quia illa cognitio tantum est cognitio cognitionis quidditatiuæ Dei, & Deus non intrat per modũ obiecti directi, & immediati, sed vt est obiectum obiecti talis cognitionis reflexæ. Et similiter dato iuxta aliquorum Thomistarum sententiam verbo beatifico producto per visionem beatam, & cognito quidditatiue, imo & comprehensiue per scientiam infusam, vt plures Thomistæ volunt, non idcirco propter eandem rationem colligitur, cognitionem illam verbi, elicitam per scientiam infusam, esse cognitionem quidditatiuam Dei prout est in se ipso. Sic ergo quo ad præsens, proportione seruata, philosophandum est.

Et ratio videtur eadem in exemplis propositis, & in re, de qua loquimur. Quoniam nec species intelligibilis deseruiens ad cognitionem visionis beatificæ, vt obiecti cogniti *vt quod*, est propria species Dei, prout est in se: & similiter nec species intelligibilis verbi beatifici: nec tandem species reflexa repræsentans speciem illam directam existentem in supremo Angelo est (vt iam tetigimus) propria species naturæ repræsentatę per speciem reflexam, in *esse* entitatiuo sumptæ, sed solum est propria species speciei directæ: & ideo in his omnibus solum cognoscitur quidditatiue id, cuius datur propria species. Vnde, licet in cognitione, qua cognoscitur visio beatifica vt obiectum *quod*, Deus sit obiectum prædicti obiecti secundum sua prædicata aliàs quidditatiua, non tamen vt quidditatiua, & quidditatiue cognoscibilia, sed secundum ista, quoad *an est* sumpta, quatenus habent esse obiectum, & terminus prædicti obiecti: ita vt hoc sit ratio formalizans ipsa, non verò propria & formalissima ratio eorum secundum se sumpta. Quod quidem cum proportione de obiecto in *esse* entitatiuo repræsentato per speciem illam directam dicendum est.

Posterior replica.

97 Nec tandem obest, si iterùm vrgeas, quòd eadem ratione in cognitione directa posset quiuis Angelus vti simul omnibus suis speciebus directis, & cognoscere, imo & comprehendere vnica cognitione totum illud: hoc autem videtur esse nimia extensio virtutis intellectiuæ cuiusuis Angeli: ergo, &c.

Diluitur.

Respondetur, posse probabiliter concedi sequelam, quando ille vsus est in ordine ad cognoscendum aliquod vnum obiectum *vt quod*, & peculiare: quia in eo euentu non datur vsus specierum plurium per modum plurium, sed per modum vnius. Vnde plures ex discipulis D. Thomæ sentiunt, beatitudinem naturalem Angeli non consistere in ea cognitione, qua Angelus per suam præcise subsistantiam se, & Deum vt finem naturalem cognoscit, sed in alia cognitione eleuatiori qua ex cognitione sui, & omnium effectuum naturalium Deum attingit: ac proinde in cognitione, in qua vtitur omnibus suis speciebus ad se & omnes effectus naturales simul cognoscendos, vt inde perfectius attingat Deum, vt auctorem & finem naturalem. Et rationem reddunt. Quia beatitudo naturalis Angeli debet consistere in illa vnica cogitatione naturali, quæ fuerit omnium perfectissima inter cognitiones naturales, possibiles haberi naturaliter ab eodem Angelo: sicut beatitudo supernaturalis sita est in nobilissima secundum speciem cognitione supernaturali Dei, quæ est supernaturaliter possibilis eidem Angelo. Constat autem, cognitionem illam Dei naturalem, quæ fieret per vsum prædictarum specierum, fore perfectiorem quacumque alia cognitione naturali terminata ad Deum, & hanc esse Angelo naturaliter possibilem, quippe cum in ea non detur vsus plurium specierum per modum plurium, sed per modum vnius. Cæterum de hoc alibi commodiùs agetur.

§. IX.

§. IX. *Solutio ſecunda eiuſdem argumenti.*

Secunda euaſio tertij argumenti

98 SEcundo reſpondetur ad idem tertium, & principale argumentum, negando etiam antecedens. Et ad probationem eligenda eſt prior pars illius dilemmatis, nempe, hanc comprehenſionem fieri non per multiplicem ſpeciem reflexam, quarum quælibet adunetur cum alia in ordine ad cognitionem ſpeciei directæ, ſed per vnicam dum taxat, & ſimplicem ſpeciem reflexam. Nec hinc fit (vt ita probatio contra hoc ibidem adducta corruat) ſpeciem exiſtentem in Angelo inferiori, ad huc reflexam, poſſe eſſe ita vniuerſalem, ſicut illa ſpecies vniuerſaliſſima, & directa, reperta in Angelo ſupremo. Nam (vt conſtat ex duplici illa ratione, quam in præcedenti ſolutione adduximus ad probandum, verbum productum per plures illas ſpecies reflexas non eſſe ita vniuerſale, ſicut ſpecies directa vniuerſaliſſima exiſtens in ſupremo Angelo) debet idem dici de hac ſpecie ſimplici, & reflexa, quam in hac ſecunda ſolutione ponimus in ordine ad prædictam comprehenſionem.

Obiectio. *D. Thom.*

99 Nec obſtat, ſi tam contra hanc, quam contra priorem ſolutionem obijcias, non eſſe conſonas doctrinæ D. Thomæ quæſt. 16. de Malo art. 8. vbi ſic ait: *Vnuſquiſque intellectus aliter ſe habet ad ſpecies intelligibiles ſuperioris intellectus, & aliter ad ſpecies intelligibiles intellectus inferioris. Nam ſpecies intelligibiles ſuperioris intellectus ſunt vniuerſaliores: & ideò non poſſunt comprehendi per ſpecies intelligiles inferioris intellectus. Et ideò inferior intellectus non poteſt eas perfectè cognoſcere: poteſt autem perfectè cognoſcere eas, quæ ſunt in inferiori intellectu, tamquam magis particulares, & ſecundùm ſuas vniuerſaliores ſpecies poteſt de eis iudicare.* Ergo in ſententia D. Thomæ ſpecies Angeli ſuperioris nequeunt comprehendi per ſpecies Angeli inferioris, etiam ſi omnes illæ ſint in eodem gradu immaterialitatis: & conſequenter in ſententia S. Doctoris non poterit comprehendi Angelus ſuperior ab inferiori; quantumuis vterque eundem immaterialitatis gradum participet.

Reſpondetur.

Reſpondetur, D. Thomam in iſto loco non loqui de ſpeciebus Angeli ſuperioris, & inferioris, vt patet ex contextu, ſed de ſpeciebus intellectus hominis, collatis cum ſpeciebus intellectus Angeli, necnon de intellectu humano & Angelico, non vero de ipſis intellectibus Angelicis inter ſe, & cum ſpeciebus vniuerſalioribus, aut minus vniuerſalibus, quas habent, comparatis. At certum eſt, quod ſpecies illæ intellectus Angelici, & humani nequaquam in eodem gradu immaterialitatis conueniunt. Et ſic, cum D. Thomas dicit, quod ſuperiores ſpecies nequeunt comprehendi per inferiores, quia illæ ſunt vniuerſaliores, intelligendus eſt, non de quacumque maiori vniuerſalitate, ſed de illa dumtaxat, quæ competit ratione ſuperioris & altioris gradus immaterialitatis. Ex quo (vt patet) nihil contra aliquam ex prædictis ſolutionibus ſequitur.

§. X. *Poſterior, & probabilior ſolutio eiuſdem argumenti.*

Vltima ſolutio eiuſdé argumenti

100 CÆterum, licèt ea, quæ pro vtraque ſolutione nuper adducta diximus, ſint ſatis probabiliter adhuc in via D. Thomæ aſſerta; nihilominus magis conſonè ad mentem D. Thomæ videtur tertio eidem argumento reſpondendum, quod reuera Angelus inferior non comprehendit ſpecies vniuerſaliores, exiſtentes in Angelo ſuperiori: quamuis non ob id (vt iam dicimus) colligendum ſit, Angelum inferiorem non comprehendere ſuperiorem.

Ratio ſolutionis.

Ratio autem huius ſolutionis quoad priorem partem non aliunde melius, quam ex teſtimonio nuper allato poteſt deduci. Nam etſi probabiliter poſsit exponi iuxta dicta; attamen ſinceriùs, & meliùs intelligitur, ſi verba eius, vt iacent, intelligantur. Nam licèt ex illis Angelicus Doctor ſolum colligat, Dæmones poſſe cognoſcere internas hominum cogitationes, quantum eſt ex parte ſpecierum, quibus homo vtitur, quia iſtæ ſunt minus vniuerſales: nihilominus Sanctus Doctor ad hoc deducendum præmiſsit doctrinam illam generalem, nempe, quod vnuſquiſque intellectus aliter ſe habet ad ſpecies intellectus ſuperioris, & aliter ad ſpecies intellectus inferioris: & quod iſtas poteſt comprehendere, ſecus vero illas, hoc ipſo quod ſint vniuerſaliores.

Expenſio eius.

Vbi etiam expendendum eſt, quòd ſi verba Angelici Præceptoris formaliter (vt debent) intelligantur, tunc deprehendetur, illum loqui de intellectibus Angelicis, non vero de aliquo alio intellectu. Nam loquitur de intellectu medio inter intellectum ſuperiorem, & inferiorem, vt ex verbis initio eiuſdem teſtimonij adductis liquet. Quod quidem ſolum competit intellectui Angelico, non vero alijs intellectibus, qui ſuperſunt, ſcilicet diuino, & humano, quique habent rationem extremorũ reſpectu intelle-

intellectus medij, nimirum Angelici. Et ideò, dum S. Doctor de hoc intellectu medio negat, comprehendere species vniuersaliores intellectus perfectioris, vtique id negat de intellectu Angelico inferiori, collato cum speciebus intellectus perfectioris.

Alia ratio. 101 Ratio vero secundæ partis huius solutionis, nimirum, hinc non sequi, Angelum inferiorem non comprehendere superiorem, potest reddi ex eo, quod licet species vniuersalior existens in Angelo superiori, & intellectus inferioris conueniant in eodem gradu immaterialitatis (ex quo iuxta dicta videbatur dicendum, Angelum inferiorem comprehendere prædictam speciem) nihilominus conuenientia ista licet requiratur ad comprehensionem, non tamen sufficit, nisi addantur tres conditiones, quarum posterior non reperitur in cognitione, qua Angelus inferior cognoscit speciem illam supremam, & vniuersaliorem, bene tamen dum attingit essentiam ipsius Angeli superioris. Conditiones autem illæ tres, quæ debent supponi, sunt istæ. Prima quidem, quod illa conuenientia sit in gradu immaterialitatis, vt fundante cognoscibilitatem, & intellectualitatem, non vero appetibilitatem & appetitum. Ex cuius conditionis defectu, licet voluntas Angeli sit in eodem gradu immaterialitatis cum suo intellectu, & obiecto cognoscibili per eum; nihilominus non solum non comprehendit, verum nec cognoscit illud: quia in ratione cognoscibilis est extra obiectum adæquatum illius, non obstante conuenientia prædicta in gradu immaterialitatis.

Secunda vero, quòd gradus ille immaterialitatis, in quo datur prædicta conuenientia, sit talis conditionis, vt cum hoc, quod est fundare intellectualitatem, & cognoscibilitatem, habeat ex hoc capite fundare intellectualitatem ita amplam, vt quicquid in ratione cognoscibilis pertinuerit ad illum gradum immaterialitatis naturalis, contineatur sub obiecto proportionato cuiusuis potentiæ cognoscitiuæ pertinentis ad illum gradum, saltem tamquam obiectum quidditatiue cognoscibile. Ex defectu cuius, licet omnes sensus exteriores pertineant ad eundem gradum immaterialitatis naturalis vna cum obiecto sensibili externo; non tamen ob id quilibet sensus exterior potest comprehendere, imò nec cognoscere quodcunque sensibile externum, vt patet in visu collato cum sono: quia iste gradus immaterialitatis non est ita amplus & perfectus, vt quæuis potentia cognoscitiua spectans ad eum debeat ambire, tamquam suum obiectum, omne illud, quod fuerit in prædicto gradu, sed eius obiectum potest esse minus amplum, quàm prædictus gradus.

102 Tertia tandem, quod illa cognitio conueniens in gradu immaterialitatis cum obiecto sit vnica & simplex, & elicita per vnicam & simplicem speciem. Et quidem quoad cognitionem ipsam, constat ex communi sententia Theologorum. Et propterea, licèt pluribus cognitionibus cognoscantur cuncta, quæ sunt in aliquo obiecto, ita vt per vnam cognitionem attingatur, verbi gratia, aliqua illius perfectio, & per aliam altera, &c. non tamen idcirco ex congerie illa cognitionum habebitur cognitio comprehensiua. Quoad speciem vero intelligibilem hoc ipsum quoad præsens liquet. Quoniam vnicum dumtaxat & simplex cognoscibile (quale est id, de quo loquimur) per vnicam dumtaxat speciem indiuisibilem petit reddi intelligibile, atque adeò per illam cognosci. Maxime, quia si obiectum sit productiuum suæ speciei comprehensiuæ illius, tunc, sicut ab obiecto simplici non diffunditur nisi species simplex, sic hæc, & non alia composita ad eius comprehensionem exigitur. Si autem obiectum non sit diffusiuum propriæ speciei, tunc postulat, quod species producta à Deo in ordine ad hanc comprehensionem, fit ad instar illius, quam prædictum obiectum immitteret, si esset intentionaliter diffusiuum sui: vel quod si hoc (quod ex se sufficit ad comprehensionem) fieri nequeat propter maiorem vniuersalitatem intellectus intelligentis, tunc producatur species vniuersalior continens illud obiectum, & simul alia, quorum species à prædicto obiecto fundi non poterant: & ita semper saluatur, quod species deseruiens illi comprehensioni sit vnica & simplex, quamuis in posteriori euentu sit simplicior.

Quare, cum hæc posterior conditio desit intellectui Angeli inferioris quoad cognitionem speciei vniuersalioris existentis in intellectu superioris, non vero quoad cognitionem essentiæ eiusdem Angeli superioris, inde est, vt possit comprehendere istam, in ordine ad quam habet, vltra conuenientiam in gradu immaterialitatis, prædictas tres conditiones, non vero illam, respectu cuius deest illi posterior.

Eluci datur ex testimonio D. Th. 103 Possuntque hæc quoad istam vltimam conditionem explicari, & confirmari ex testimonio illo D. Thomæ quæst. 16. de Malo, vbi aperte denotat, non dari in Angelo inferiori comprehensionem respectu specierum Angeli superioris: ex eo quod istæ

iſtæ ſunt vniuerſaliores. Si autem comprehenſioni nõobſtaret, quod fieret adæquatio inter cognitionem Angeli inferioris, & ſpecies vniuerſaliores Angeli ſuperioris medijs pluribus ſpeciebus repertis in intellectu inferioris inter ſe adunatis, non eſſet cur negaſſet prædictam comprehenſionem: ſiquidem ſi hæc adæquatio ſufficeret, eſſet quidem quoad preſens omnimoda: quatenus ſpecies Angeli ſuperioris non eſſet vniuerſalior in repræſentando, quam prædictæ ſpecies ſic adunatę: & ita ratio vniuerſalitatis nihil obſtaret ad cõprehenſionem: ac proinde tota ratio ad eam obſtans debet eſſe ex eo, quod prædicta comprehenſio obiecti, de quo loquimur, debet fieri mediavnica ſpecie adæquãte totam cognoſcibilitatem eiuſdem obiecti.

Obiectio prima.

104 Nec obeſt, ſi contra hanc poſteriorem ſolutionem obijcias primo, non cohærere cum teſtimonijs illis D. Thomæ pro aſſertione allatis, in quibus aſſerebatur, intellectum Angeli inferioris, quippè perfectum intra ordinem naturæ, comprehendere totum ens naturale. Nam etiam ſpecies vniuerſalior ſuperioris Angeli continetur intra iſtum ordinem: & per conſequens videtur comprehendenda ab Angelo inferiori.

Fit obuiam obiectioni.

Reſpondetur enim, Sanctum D. loqui de ente naturali, non qualicumque, ſed prout diſtincto ab ente ordinis intelligibilis, & dicit ens naturale, vt eſt ſub modo eſſendi entitatiuo: quia reſpectu huius concurrunt vniuerſaliter tres conditiones nuper numeratæ; non verò reſpectu illius.

Secunda obiectio.

105 Nec etiam obeſt, ſi obijcias ſecundo, non cohærere prædictam ſolutionem cum illis, quæ pro ſecunda ratione noſtræ aſſertionis diximus, ſcilicet, tunc comprehendi aliquod obiectum, quando cognoſcitur de eo, quicquid in illo formaliter, vel eminenter continetur. Conſtat autem, per multiplicem cognitionem, multiplicemque ſpeciem poſſe hæc omnia attingi: ergo, &c.

Reſponſio

Reſpondetur ex dictis, ſemper ſubintelligi, tam in hoc, quam in alijs, quæ diximus, neceſsitatem poſterioris conditionis ex tribus enumeratis: quia obiectum (ſaltem ſi fuerit ſimplex, quid enim de compoſito, & præcipue de illo, quod in *eſſe* rei non eſt per ſe vnum, dicendum ſit, non eſt huius loci) ſemper exigit, quatenus cognoſcibile, & clauſibile perfectè intra cognitionem, quod claudatur intra vnam ſimplicem cognitionem, & intra vnicam ſimplicem ſpeciem: alioqui illa incluſio & adæquatio eſſet ſatis imperfecta, & non talis, qualis per ſe petitur ab obiecto cognoſcibili: quamuis nihil obſit ad hanc perfectam incluſionem per ſe petitam, quod deſint aliæ conditiones, non quidem ex illis tribus, quas nos enumerauimus, ſed ex eis, quas aduerſarij petunt, vt ex dictis conſtat, & ex iam dicendis amplius patebit.

Tertia obiectio.

106 Nec etiam refert, ſi obijcias tertio, non ſtare comprehenſionem eſſentiæ Angelicæ ſine comprehenſione accidentium ſibi debitorum, qualia ſunt ſpecies intelligibiles: ergo ſi ſpecies vniuerſaliores exiſtentes in ſupremo Angelo non ſunt comprehenſibiles ab inferiori, nec etiam eſſentia eiuſdem Angeli.

Diluitur

Reſpondetur, antecedens eſſe verum de accidentibus debitis per modum propriarum paſsionum, ac proinde fluentibus ab eſſentia per naturalem emanationem; ſecùs vero de illis, quæ forinſecùs adueniunt, & infunduntur, licet quodammodo præcedat debitum infundendi illa, vt in præſenti quoad ſpecies intelligibiles contingit, & conſtat ex illis, quæ præcedenti diſputatione diximus. Et ratio eſt ea, quàm ſæpius tetigimus, nempe, prædictas ſpecies ſolum deberi prædicto intellectui, tamquam puræ potentiæ (modo ibidem explicato) in genere intelligibili, ac ſolum confuſe, imperfectè, & per modum potentiæ receptiuæ illas continenti: & ideò ſat eſt ad comprehenſionem prædicti intellectus, & eſſentiæ, à qua dimanat, quod cognoſcantur imperfectè, & confuſè, ac ſecundum rationem generalem ſpecierum debitarum.

Quarta obiectio.

107 Nec præterea refert, ſi obijcias quartò, tum quod hinc etiam fieret, prædictam ſpeciem directam non cognoſci, adhuc quidditatiue, ab Angelis inferioribus per ſpecies reflexas, ſiquidem medijs illis non eſſet connaturaliter in intellectibus eorum: tum etiam, quod non videntur iſta habere debitam cohærentiam cum illis, quæ ſupra diximus, ſcilicet, quod quando aliqua natura completa habet diuerſos modos eſſendi, tunc ſub quouis illorum eſt connaturaliter omnino. Nam hinc ſequitur ſpeciem directam, quæ poteſt eſſe ſub diuerſis illis modis eſſendi intelligibilibus, eſſe omnino ibidem connaturaliter, ac proinde medijs illis poterit comprehendi.

Occurritur

Reſpondetur enim ad primam ex impugnationibus contentis in hac obiectione, ſatis conſtare ex dictis in priori ſolutione huius argumenti num. 92 quomodo ſpecies illa directa queat quidditatiue cognoſci per ſpecies reflexas. Ad ſecundam vero reſpondetur, quod ea, quæ diximus, intelliguntur de modis eſſendi per ſe petitis

petitis, siue in genere rei, siue in genere intelligibili intelligibilitatate de materiali, excedente quodammodo intelligibilitatem de formali, siue in genere intelligibili intelligibilitate de formali. Cæterum ab obiecto illo simplici, nempe à prædicta specie directa, non petitur in aliquo ex illis generibus multiplicatio specierum reflexarum, & modorum illius adunatè concurrentium ad cognitionem illius: & ideò prædicta species directa, considerata in modum rei, & obiecti *quod* proportionati, non est omnino connaturaliter sub illis.

Quinta obiectio.

108 Nec tandem obstat si obijcias quintò, non esse cur dicamus, hanc cognitionem speciei directæ, & vniuersalioris debere fieri per plures species reflexas, & non per vnicam & simplicissimam: & per consequens nulla ex tribus conditionibus enumeratis quoad præsens deerit, quominus prædicta species directa comprehendatur. Antecedens probatur. Quia si propter aliquid non esset admittenda species hæc reflexa, & simplex, maxime, ne detur in intellectu Angeli inferioris species simplex ita vniuersalis, sicut species reperta in intellectu Angeli superioris. Constat autem ex dictis pro priori solutione huius argumenti, speciem istam reflexam non fore ita vniuersalem, sicut est species illa Angeli superioris. Ergo, &c.

Enodatur.

Respondetur, negando antecedens. Et ad probationem concedenda est maior, sed neganda minor iuxta hunc modum dicendi. Nam etsi species, per quam cognoscitur aliquid dicens ordinem ad aliud vtcumque, idest, præcise vt ad obiectum, non debeat esse quidditatiua respectu eiusdem obiecti, vt contingit in specie, per quam comprehenditur visio beatifica, quæ quidem species non est quidditatiua respectu Dei, qui est obiectum obiecti illius cognitionis, nempe visionis beatificæ cognitæ vt obiectum *quod* per scientiam infusam: & similiter licet prædicta species non sit ita vniuersalis, sicut obiectum adæquatum visionis beatificæ: attamen, quando obiectum directum alicuius speciei dicit ordinem ad aliud obiectum per modum repræsentationis formalis illius, seu quando obiectum illius speciei est aliqua alia species repræsentans aliquod obiectum, tunc difficile capitur, quomodo species illa prior non sit quidditatiua respectu vtriusque obiecti & ita vniuersalis, sicut vtrumque: quia eo ipso est eadem natura in *esse* intelligibili in prædicta specie, & in vtroque obiecto, & idem debet apparere in istis, & in illa.

Quare, cùm species directa, & vniuersalior, existens in Angelo superiori, repræsetent actiuè suum obiectum, ac proinde in *esse* repræsentatiuo totum illud sit intra ipsam: oportet, vt etiam sit intra speciem reflexam, ad hoc vt hæc sit repræsentatio quidditatiua speciei directæ. Et ita difficulter capitur, quomodo stet, speciem reflexam esse propriam, & quidditatiuam respectu speciei directæ, & non habere hoc ipsum respectu obiecti eiusdem speciei directæ, aut non esse ita vniuersalem sicut illa. Quare credimus, quod iuxta hunc modum dicendi negandum est, verbum beatificum (dato quod produceretur per visionem beatam) posse comprehendi, aut quidditatiuè cognosci per scientiam infusam, sed ad comprehensiuam, aut quidditatiuam illius cognitionem desiderari talem modum cognitionis, qui sit simul visiuus quidditatiue, aut comprehensiuè diuinæ essentiæ.

DVBIVM IIII.

Vtrùm Angelus per suam essentiam, tamquam per speciem intelligibilem, cognoscat Deum? an vero per speciem superadditam repræsentantem ipsum quidditatiuè vel abstractiuè?

POST quam cum Angelico Præceptore explicuimus, quomodo se habeat Angelus ira cognitionem sui, & aliorum Angelorum, statim pulsat animum inquirere, quomodo per suam cognitionem naturalem Deum cognoscat. Et ita ad hoc explicandum, tam hoc, quam sequens dubium excitare placuit. Quia verò in titulo huius dubij duo includuntur, vt intuenti patebit: idcirco duplici assertione difficultas illius expedietur.

(?)

§. I. Prior

§. I. *Prior assertio iuxta doctrinam D. Thomæ.*

Prima conclusio.

109 DICENDVM ergo est primo, Angelum non cognoscere Deum cognitione naturali perspeciem superadditam repræsentantem illum quidditatiuè, licet abstractiuè. Assertio hæc aperte deducitur ex illis, quæ ex Angelico Præceptore in 1. tom. tract. 2. disput. 2. à dubio 4. vsque ad 9. latè diximus: & eam cõmuniter tuentur discipuli D. Thomę, & plures alij contra Scotum loco statim referendo.

Fundamentalis ratio.

Ratio autem fundamentalis illius desumitur ex ibidem dictis, potestque ad hanc formam reduci. Nam species repræsentans quidditatiuè Deum, prout est in se, seu non ad modum alicuius rei creatæ, debet conuenire cum Deo in eodem gradu immaterialitatis, vt ibidem latè ostendimus: at repugnat, aliquam speciem creatam habere eundem immaterialitatis gradum cum Deo: alioqui esset creata vt supponitur: & non esset creata, sed ipsa creatrix essentia: siquidem esset actus purus: in qua puritate & actualitate consistit gradus immaterialitatis Dei. Ergo, &c.

Confirm. 1.

Confirmatur. Quoniam illa species repręsentans quidditatiuè (abstractiue tamen) Deum, esset simul repræsentans & non repræsentans per repræsentationem præcisè abstractiuam: ac proinde in illa aperte implicatio inuoluitur: ergo, &c. Antecedens probatur. Quoniam esset præcisè abstractiua, vt supponitur. Et non esset abstractiua: quoniam hoc ipso, quod repræsentaret Deum quidditatiuè, ac per consequens haberet conuenientiam cum illo in gradu immaterialitatis, deberet repræsentare illum intuitiuè, ideſt, vt existentem, & vt præsentem, quia hoc spectat ad quidditatem Dei: & non repræsentaretur ipse, prout est in se, nisi ibidem eluceret eius essentia, & illius attributa.

Secundo.

Confirmatur secundo. Quoniam essentia infinita simpliciter nequit repræsentari per speciem finitam, si repræsentetur prout est in se, & non ad modum alicuius rei creatæ: alioqui illa repræsentatio obiecti infiniti simpliciter, & prout est in se, esset improportionata, & superexcedens respectu illius speciei: ergo essentia diuina, quippe infinita simpliciter, nequibit per speciem creatam, & finitam quidditatiue repræsentari.

Obiectio.

110 Nec obest, si ad hanc vltimam confirmationem occurras (ad primam enim, & ad rationem præcipuam licet plures possint adhiberi euasiones: quia tamen omnes illę sunt locis citatis pręclusæ, idcirco quoad illas in præsenti silendum) quod licet species finita in *esse* entis non habeat in hoc genere proportionem cum ente infinito, bene tamen si consideretur in ratione speciei, & obiecti repræsentati. Sicut licet intellectus creatus non habeat illam proportionem priorem cum diuina essentia, bene tamen in ratione potentiæ intellectiuæ, & obiecti intelligibilis: & propterea potest videre Deum, prout est in se.

Soluitur.

Non itaque hoc obstat. Nam proportio in ratione speciei, & obiecti repræsentati quidditatiue, debet fundari in proportione illa priori in *esse* entis, ideſt, in conuenientia in natura, secus autem proportio in ratione potentiæ cognoscitiuæ, & obiecti cogniti, adhuc quidditatiuè: ergo licet hæc posterior proportio sit possibilis, secus vero illa prior. Probatur antecedens. Quoniam species repræsentatiua quidditatiuè alicuius obiecti per se primo per illam repræsentati, debet esse eiusdem naturæ cũ illo sub modo essendi intelligibili, vt pluribus ostendimus in tom. 1. tr. 2. disput. 2. num. 132. & tract. 3. disput. 2. dub. 1. per totum: cum tamen proportio, quæ est inter potentiam cognoscitiuam, & eius obiectum cognoscibile hoc non exigat, vt de se constat. Ergo, &c.

Confirmatur.

111 Confirmatur. Quia proportio in ratione speciei quidditatiuæ, & obiecti repræsentati per illam, v.g. Dei, vt est in se, est proportio alicuius repræsentatiui simplicis, & totalis, & non coalescentis ex duplici quasi parte, nempè, ex repræsentatione, & eleuatione prædictæ repræsentationis in ordine ad repræsentandum Deum prout est in se: è contrà vero proportio potentiæ cognoscitiuæ in ratione talis in ordine ad cognoscendum quidditatiue dumtaxat Deum. Ergo prior illa proportio dicet conuenientiam in gradu immaterialitatis cum Deo, secus vero hæc posterior, quæ non est per modum potentiæ simplicis & totalis, sed per modum potentiæ eleuatæ: ac proinde hęc posterior erit possibilis, secus vero illa prior.

Posterior consequentia ex priori patet. Prior vero ex antecedenti. Quoniam tam potentia cognoscitiua simplex, quam species omnino simplex, debent conuenire in eodem gradu immaterialitatis cum obiecto. Antecedens autem quoad posteriorem partem non indiget probatione. Quoad priorem vero etiam constat. Quoniam si species eleuari posset ad repræsentandum aliquid quidditatiue, tantum esset per hoc, quod tribueretur illi, quod sit eiusdem naturæ cum ipso in *esse* intelligibili: quia nisi hoc habeat,

non repræsentabit illud prout est in se, sed ad modum alterius obiecti, cum quo habet, conuenientiam in natura. At species non potest sic eleuari: quoniam quod eleuatur ad aliquid, quod ex se sit influxiuum in actum vitalem, vt in præsenti contingit, non potest in illud præcise ratione eleuationis, sed etiam ratione sui, tamquam ex ratione radicali & remota, ita vt ratio agendi quasi coalescat ex his duobus. Constat autem, speciem habentem eandem naturam cum obiecto posse ex hac præcisa ratione illud quidditatiue repræsentare: & ita illa, quæ dicitur eleuatio superaddita, non esset eleuatio speciei carens ratione speciei intelligibilis, sed esset species quædam simplex & totalis representatiua Dei, non coalescens ex duplici quasi parte, nempe, ex representatione, & eleuatione prædictæ representationis. Vnde, quia intellectus eleuatur per lumen gloriæ, quod ex se est influxiuum in actum vitalem visionis beatificæ: idcirco est eleuatio intellectus, & non intellectus ipse: & intellectus per lumen prædictum, vt per rationem agendi proximam, & per suam substantiam, vt per rationem agendi remotam & radicalem, habet influere in illam visionem.

Replica. 112 Ex quo fit, manere solutam obiectionem, quæ contra hanc confirmationem fieri posset, scilicet, nihil obesse, quod in specie finita representetur aliquid infinitum, vt patet in specie Angelica, representante naturam animalis cum speciebus infinitis, quæ sub illa esse possunt.

Occurritur Ex dictis igitur constat, hanc obiectionem manere solutam. Quoniam id, quod per se primo per prædictam speciem representatur, tantum est natura finita & limitata animalis. Et ita, quantumuis representarentur infinitæ species, representatio illarum esset finita: quia terminaretur ad illas, vt clausas infra naturam finitam animalis. Cæterum obiectum per se primo illius speciei, quam in hac assertione negamus, est simpliciter infinitum, nempe diuina essentia, prout est in se.

Corrobora tio assertionis. 113 Vnde hinc potest maior assertionis confirmatio, maiorque elucidatio eorum, quæ circa secundam confirmationem hucusque diximus, deduci: Quoniam potest dari species representatiua infinitarum specierum sub natura animalis: quia obiectum per se primum, ratione cuius representantur, est ex se finitum, & certis limitibus generis, & differentiæ clausum. Econtrà vero, idcirco sub genere (vt sit dicamus) entis, tamquam sub obiecto per se primo, non possunt per vnicam speciem creatam representari plures & plures species, aut quasi species in infinitum, quarum vna excedat aliam in perfectione essentiali, & ista alteram, sicque in infinitum: quoniam genus, aut quasi genus entis non est de se finitum, aut certis limitibus clausum: & propterea D. Thomas 2. contra Gentes capit. 98. hinc probat, non posse per vnicam speciem totum quasi genus entis representari. Ergo potiori ratione nulla species creata poterit representare diuinam essentiam, quippe infinitam infinitate per essentiam, tamquam obiectum primarium, siue quidditatiue representabile. D. Thom.

Nec poterit quoad hoc deseruire illud, quo nos supra vsi sumus ad explicandum, quommodo vna species finita possit representare infinitas species animalis, quarum vna excedat aliam in perfectione essentiali: quia nimirum species illa intelligibilis esset superioris ordinis, & hoc sufficeret ad illud intentum. Non igitur hoc potest quoad præsens deseruire, vt ex se constat. Siquidem species, aut quasi species multiplicabiles sub ente possunt esse tantæ perfectionis, vt nulla sit species intelligibilis creata, quæ comparetur per modum formæ eminentis & superioris ordinis respectu illarum, & hoc potissimè est verum respectu speciei representatiuæ Dei prout in se, quæ (vt ex terminis ipsis patet) est superioris ordinis & rationis respectu cuiuslibet speciei intelligibilis creatæ.

§. II. *Assertio posterior iuxta Angelici Præceptoris mentem.*

Vltima assertio. 114 DICENDVM est secundò Angelum per suam essentiam, tamquam per speciem intelligibilem, cognoscere Deum cognitione naturali. Ita D. Thomas in hac quæst. artic. 3. vbi sic ait. *Quæ enim imago Dei est in ipsa natura Angeli impressa per suam essentiam, Angelus Deum cognoscit in quantum est similitudo Dei, &c* Idem docet in 2. distinct. 23. quæst. 2. artic. 1. & quæst. 8. de Veritate artic. 3. his verbis: *Naturalis igitur facultas cuiuslibet intellectus determinatur ad aliquam formam creatam intelligibilem; aliter tamen in homine, & in Angelo: quia in homine ad formam intelligibilem à sensu abstractam, cùm omnis eius cognitio à sensu oriatur: in Angelo autem ad formam intelligibilem, non à sensu abstractam, vel acceptam: sed præcipuè ad formam, quæ est essentia sua. Et ideò cognitio Dei, ad quam Angelus naturaliter pervenire potest, est, vt cognoscat ipsum per substantiam Angeli videntis.*

Et

Et ideò dicitur in lib. de Cauſis, quòd intelligentia intelligit, quod eſt ſupra ſe, per modum ſubſtantiæ ſuæ: quia in quantum creata eſt à Deo, ſubſtantia ſua eſt ſimilitudo quædam ſubſtantiæ, vel eſſentiæ diuinæ. Angelicum Præceptorem ſequuntur communiter eius diſcipuli Capreolus in 2. diſt. 3. quæſt. 2. Hiſpalenſ. ibidem Caiet. in præſenti, Ferrara 2. contra Gent. cap. 98. Bañez, Nazar. Rip. & Zumel ad hunc art. Eandem tenent Valentia quæſt. 7. de Cognitione Angelorum punct. 3. Granado tract. 4. num. 18. Auguſtin. Nimphuſ. 12. Metaph. diſput. 10. cap. 3. & alij.

Capreol. *Hiſpalēſ.* *Caiet.* *Ferrara.* *Bañez.* *Nazar.* *Ripa.* *Zumel.* *Valent.* *Granado* *Auguſt.* *Nimphus*

Ratio autem fundamentalis deſumitur ex D. Thoma in præſenti, quam ad hanc formam reducit Bañez vbi ſupra concluſione 3. Eſſentia Angeli eſt quædam ſimilitudo, & imago Dei (& ita Ezechielis 28. dicitur, *Signaculum ſimilitudinis*) & propterea eſt forma actu intelligibilis, intimè vnita intellectui Angelico in ratione ſpeciei intelligibilis, vt ſupra oſtenſum eſt: ergo poterit eſſe principium & ratio cognoſcendi ipſum Deum.

Ratio fundamẽtalis. *Ezech. 28*

Confirmatio.

Confirmatur ratione, quam idem Sanctus Doctor inſinuat. Quoniam eſſentia Angeli eſt inter effectus creatos valde ſimilis Deo, quippe quæ eſt talis conditionis, vt pertineat ad gradum perfectiſsimum creatum per modum habentis illum cõplete, ac proinde valde Deo vicina, & ipſi coniuncta: ergo per ipſam, tamquam per ſpeciem intelligibilem, poterit Deus ipſe naturali cognitione attingi. Patet conſequentia. Nam per effectum alicuius cauſæ ipſi ſatis ſimilem poteſt, tamquam per ſpeciem intelligibilem, deueniri in cognitionem prædictæ cauſę, quãdo talis effectus eſt excellens, vt in præſenti contingit.

Obiectio.

115 Vnde nihil obeſt, ſi ad hanc rationem occurras, potius ex ea deducendum eſſe, eſſentiam Angeli non concurrere ad cognitionem Dei per modum ſpeciei intelligibilis. Quia concurrere ad cognitionem per modum effectus, quantumuis ſimilis ſimilitudine Analogica (quæ ſola in præſenti poteſt habere locum) eſt modus concurrendi oppoſitus illi, quo influit ſpecies intelligibilis. Quoniam quod influit per modum effectus, habet concurrere per modum obiecti cogniti: ſpecies verò intelligibilis per modum principij incogniti.

Satis fit.

Non igitur hoc obeſt. Quoniam etſi id, quod eſt effectus imperfectus, & non excellens, ac per conſequens non eſt ſatis ſimilis Deo, nequeat habere reſpectu cognitionis terminatæ ad Deum rationem effectus, ſimul & ſpeciei intelligibilis, ac proinde rationem obiecti cogniti, & principij cognitionis per modum formæ intelligibilis, & ſecundum vnam ex his conſiderationibus influere per modum principij non cogniti *vt quod*, & ſecundum aliam per modum termini & obiecti cogniti *vt quod*, ſecus tamen, quando talis effectus eſt excellens, & ratione huius excellentiæ habet tantam actualitatem, & immaterialitatem, ac ſimilitudinem cum Deo, vt poſsit vniri per ſe ipſum per modum formæ intelligibilis cum proprio intellectu, vt in præſenti contingit.

Explicatur exemplo.

Poteſtque hoc explicari exemplo diuinæ eſſentiæ, quæ quia eſt forma eminentiſsima, & cauſa perfectiſsima omnium creaturarum, ideò poteſt vniri cum ſuo intellectu per modum ſpeciei intelligibilis ad cognitionem ſuorum effectuum, & in hac cognitione duplex munus ſubire, ſcilicet, rationem ſpeciei intelligibilis, & principij cognoſcendi; necnon obiecti, & termini prius cogniti. Et ita licet ratione effectus, & ſpeciei intelligibilis, & concurſus ſecundùm vtramque rationem in ordine ad cognitionem ſint effectus quodammodo oppoſiti reſpectu effectuum imperfectorum, & non habentium actualitatem iam dictam, ſecùs vero reſpectu effectuum excellentium, in quibus eſt prædicta actualitas. Quod idem cum proportione de cauſis imperfectis collatis cum ſuis effectibus dicendum eſt.

Obiectio.

116 Ex quo etiam manet ſoluta obiectio, quæ contra hanc rationem fieri poſſet, ſcilicet, eam inniti in ſimilitudine ſatis perfecta intra latitudinem analogicæ ſimilitudinis, quæ eſt inter Deum, & Angelum: at hæc quoad præſens parum, vel nihil conducit: quia ratione ſimilitudinis quantumuis perfectæ, intra latitudinem tamen ſimilitudinis analogicæ non poſſet deuenire in cognitionem Dei quoad ſibi propria: quia tantum eſt ſimilitudo quoad prædicata communia. Ex dictis igitur conſtat, hoc nihil obeſſe. Quoniam in ratione facta innitimur in ſimilitudine illa perfectiori Angeli ad Deum: vt inde deducatur, poſſe vniri per modum ſpeciei intelligibilis cum proprio intellectu in ordine ad prædictam cognitionem: & hoc quoad præſens ſufficit. Accedit, quod hoc ipſo, quod Angelus ſit effectus modo dicto ſimilior Deo, habet in illo potiori ratione ſplendere virtus ſuæ cauſæ, atque adeò ducere in perfectiorem cognitionem modo inſinuato eiuſdem cauſæ.

Solutio.

(?)

§. III. *Oppoſita ſententia, cum ſuis fundamentis, & reſponſionibus ad illa.*

Contraria ſententia.

117 OPPOSITAM tamen noſtræ priori aſſertioni ſententiam, ſcilicet, Angelum cognoſcere Deum cognitione naturali per quandam ſpeciem ſuperadditam, quę repræſentet Deum, prout eſt in ſe quidditatiue (abſtractiuè tamen) ac proinde contrariam etiam ſententiam ſecundæ aſſertioni, ſcilicet, Angelum non cognoſcere Deum per ſuam eſſentiam, tamquam per ſpeciem intelligibilem, tuentur Scotus in 2. diſt. 3. quæſt. 9. §. *ad quæſtionem.* Marſil. in 2. quæſt. 7. art. 1. in 2. part. concluſ. 8. Rada controuerſ. 8. ſuæ 2. part. Quibus quoad poſsibilitatem ſpeciei repræſentantis Deum quidditatiuè & abſtractiue, per diuinam tamen potentiam, ſubſcribit Molina artic. 3. huius quæſt. concluſione 1.

Scotus. Marſil. Rada. Molina.

Fundamentum primũ.

Probatur primò. Quoniam homo in ſtatu innocentiæ habuit cognitionem aliquomodo diſtinctam de Deo auctore, & fine naturali: ergo Angelus habuit illam ſimpliciter diſtinctam: ac proinde cognitionem Dei prout eſt in ſe: ergo per ſpeciem repræſentantem ipſum quidditatiuè, licèt abſtractiue. Antecedens probatur. Quoniam homo in ſtatu innocentiæ debuit habere cognitionem perfectiorem Dei, quam in pura natura: ergo cum in iſta ſit talis cognitio imperfecta & confuſa, oportebit, vt in illo innocentiæ ſtatu perfectiori ſit aliquomodo diſtincta, habeatque aliquid maioris claritatis & diſtinctionis, minuentis confuſionem in cognoſcendo Deum, quæ eſt in ſtatu puræ naturæ. Ex quo prima conſequentia probatur. Quia Angelus debet habere perfectiorem, & diſtinctiorem cognitionem, quam homo in ſtatu innocentiæ: & cũ iſte exceſſus ſit magnus, ſicut eſt exceſſus in natura, oportet, vt ſit exceſſus elevãs ſuam cognitionem ad altiorem ordinem: atque adeò extrahit illam à latitudine cognitionis confuſæ, conſtituitque eandem in ratione cognitionis ſimpliciter diſtinctæ, & per conſequens quidditatiuæ. Ex quo etiam ſecunda conſequentia videtur perſpicua. Quia cognitio ita diſtincta, & quidditatiua, ſiue Dei prout eſt in ſe, non poteſt haberi, niſi per ſpeciem intelligibilem iam dictam.

Confirm. 1.

118 Confirmatur. Quoniam poſsibile eſt, produci à Deo hanc ſpeciem deſeruientem ad cognitionẽ naturalẽ Dei prout eſt in ſe, quę ſit præcisè abſtractiua: ergo de facto eſt infuſa mentibus Angelicis. Conſequentia patet. Quia ſi ſemel eſt poſsibilis, non poteſt eſſe connaturalis alicui intellectui, præterquam Angelico, quippe omnium intellectuum naturalium eleuatiſsimo. Si autem intellectui Angelico eſt connaturalis, non eſt cur de facto non ſit illi infuſa. Antecedens autem probatur. Quoniam prædicta ſpecies tantum deſeruiret ad cognitionem quidditatiuam Dei, vt eſt auctor naturalis; & non ad qualemcumque cognitionem, ſed præcisè abſtractiuam, ita vt non poſſet deſeruire ad intuitiuam: ſpecies autem iſta non poteſt eſſe infinita, & in creata, ſed hoc ad ſummum reſeruatur ſpeciei repræſentanti quidditatiue Deum, vt eſt etiam auctor ſupernaturalis, & ſimul habenti repræſentare intuitiue: imo & hæc ſpecies (vt vult Scotus) non eſt impoſsibile, quod ſit creata, quamuis per illam non cognoſcatur Deus cognitione naturali, ſed ſupernaturali.

Confirmatur ſecundo. Quoniam Paulus (vt conſtat ex illis, quæ ipſe tradit 2. ad Corinth. 12.) poſt raptum recordabatur diuinæ eſſentiæ, & eorum, quæ viderat: quod fieri nequibat, niſi per ſpeciem ex viſione relictam in memoria, & repręſentantem ea omnia diſtinctè, & abſtractiuè. Ergo potiori ratione dicendum eſt, Angelum habere ſpeciem repręſentantem Deum, vt auctorem, & finem naturalem, quidditatiue, licet abſtractiuè. Patet conſequentia. Quia id videtur exigere excellentia intellectus Angelici ſupra intellectum humanum.

Confirm. 2. *Ad Corinthios* 12.

119 Reſpondetur, concedendo antecedens: ſed negando vtramque conſequentiam. Quoniam exceſſus ille, quo Angelus in ſua cognitione excedit eam notitiam, quam homo habuit in ſtatu innocentiæ de Deo, non eſt tantus, vt extrahat prędictam cognitionem ab ordine naturali, & transferat illam ad ſupernaturalem, imo vſque ad viſionem intuitiuam Dei; quamuis intra genus cognitionis naturalis ſit cognitio Angelica quodammodo ſuperioris ordinis collata cum cognitione illa hominis in ſtatu innocentiæ. Cæterum ad hoc vt cognitio, quam Angelus habet de Deo, eſſet ita diſtincta & clara, vt in hoc argumento depingitur, deſiderabatur, vt eſſet cognitio ſupernaturalis: imo hoc ipſo quod eſſet ita diſtincta, vt eſſet cognitio quidditatiua Dei, prout eſt in ſe, ſeu non ad modum alterius obiecti prius cogniti, petebatur, vt eſſet etiam intuitiua: ac proinde non diſtingueretur à viſione clara & intuitiua Dei, vt in hoc eodem dubio explicuimus. Vnde exceſſus ille Angelicæ cognitionis ſupra cognitionem hominis in ſtatu innocentiæ eſt citra cognitionem quidditatiuam Dei, & habentem tantam claritatem

Occurritur argumento

tatem & diſtinctionem in modo cognoſcendi, vt attingat Deum quidditatiue, & prout eſt in ſe, adhuc abſtractiue: & ita diſtinctio, quæ eſt in vtraque, prout diſtinctio opponitur confuſioni, tantum conſiſtit in hoc, quod tam cognitio hominis in ſtatu innocentiæ reſpectu Dei, quam cognitio Angelica reſpectu eiuſdem, attingit ex creaturis non ſolum prędicata aliqua communia Dei, vt contingit in cognitione valde confuſa, vt quod Deus ſit ens, ſubſtantia, aut intellectualis; ſed etiam prædicata propria ipſius, in quibus diſtinguitur à creaturis, quæque ad rationem primæ cauſæ ex parte effectus creati deſiderantur, vt quod ſit ens per eſſentiam, infinitum, æternum, immutabile, &c. ſemper tamen (vt diximus) hæc non cognoſcuntur per aliquam ex prædictis cognitionibus quidditatiuo modo, & prout in ſe ſunt; ſed ex creaturis, & ad modum earum: quamuis intra hunc modum cognoſcendi diſtincte, inuolutum tamen prædictis imperfectionibus, Angelus cognoſcat perfectiùs Deum, perfectione ſe tenente ex parte cognitionis: quia attingit illam per ſpeciem, & medium immaterialius, & cognitione actualiori & immaterialiori.

120 Ad primam confirmationem patet ex dictis, negandum eſſe antecedens. Quia illa ſpecies non poſſet eſſe creata, propter conuenientiam quam peteret in gradu immaterialitatis cum Deo, necnon & propter conuenientiam vniuocam cum ipſo in eadem natura ſub *eſſe* intelligibili, vt iam explicuimus. Nec, dato quod non repugnaret prædicta ſpecies creata repræſentans Deum quidditatiuè, & abſtractiue, poſſet deſeruire ad cognitionem naturalem ab Angelo elicitam proprijs viribus; ſed ad ſummum poſſet deſeruire ad cognitionem ſupernaturalem, ad quam eius intellectus eleuatus per lumen ſupernaturale poſſet pertingere. Et ratio eſt. Quoniam intellectus, qui poteſt proprijs viribus pertingere ad cognoſcendum aliquod obiectum quidditatiuè, atque adeo per modum potentię ſimplicis, & totalis terminari ſic ad illud, debet conuenire in gradu immaterialitatis cum prædicto obiecto, vt in 1. tomo tract. 2. diſput. 3. num. 4. latius diximus. Quare, cum hæc conuenientia in gradu immaterialitatis cum Deo nequeat concedi intellectui Angelico, vt deſe conſtat: inde eſt, vt nec poſsit vti prædicta ſpecie in ordine ad cognitionem naturalem Dei, reſpectu cuius cognitionis influit eius intellectus, non vt eleuatus, ſed proprijs viribus, & per modum potentiæ ſimplicis & totalis. Ad probationem vero eiuſdem antecedentis dicendum eſt, prædictam ſpeciem, ſi ſolum repræſentaret Deum quidditatiue, & abſtractiuè, & non intuitiue, ac proinde per illam nequiret Deus intuitiuè videri, fore, & non fore creatam. Fore quidem, vt ſupponitur: non fore autem creatam, propter rationes in prima aſſertione factas. Vnde, hoc ipſo quod detur ſpecies quidditatiua Dei, non poteſt eſſe quidditatiua, & abſtractiua, ſed debet eſſe ſimul quidditatiua, & intuitiua: & per conſequens non poteſt deſeruire ad cognitionem puræ intellectualem, & Dei, vt formaliter reduplicatiuè eſt auctor naturalis.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur cum Caietan. artic. 3. huius quæſt. §. *ad obiectiones*, Paulum non fuiſſe recordatum eſſentiæ diuinæ, ſed aliarum rerum, quas in ea aliàs viderat: & ideo non fuit neceſſarium, in eo remanere ſpeciem prædictæ eſſentiæ, ſed prædictarum rerum. Quomodo autem, & qua ratione potuerunt in Paulo videnti diuinam eſſentiam formari prædictæ ſpecies, explicatur à D. Thom. ſupra quæſt. 12. artic. 9. in ſolutione ad 2.

121 Secundo probari poteſt prædicta ſententia. Quoniam Angelus eadem ratione eſſet ſimilitudo Dei, dato per impoſsibile, quod ab alio non produceretur, ac eſt modo, dum producitur: at tunc non poſſet per modum formæ intelligibilis deſeruire ad cognitionem Dei quoad propria illius: ergo nec nunc: & ex conſequenti debet ſuperaddi illi ad hanc cognitionem ſpecies illa, de qua in præcedenti argumento ſermonem fecimus. Maior videtur certa. Quia adhuc tunc haberet eandem eſſentiam, & ratione ſuæ eſſentiæ conuenit ei prædicta ſimilitudo. Minor autem probatur. Quia in eo euentu non magis eſſet ſimilis, ac repræſentaret Deum, quam alios Angelos: imo minus Deo, quam iſtis eſſet ſimilis. Quia cum iſtis maiorem, & vniuocam conuenientiam, cum Deo vero minorem, & analogam tantummodo haberet. Ergo cum ratione conuenientiæ, & ſimilitudinis, quam eſſentia vnius Angeli habet cum alijs Angelis, non poſsit vniri per modum ſpeciei intelligibilis cum ſuo intellectu ad cognoſcendum illos quoad propria ipſorum, ſed ſolum quoad rationes communes, multo minus poterit hoc habere reſpectu Dei.

Reſpondetur, concedendo maiorem, loquendo de pura & præciſa ſimilitudine, & de repræſentatione, quæ fit præcisè ratione ſimilitudinis. & deinde concedatur etiam minor. Sed negetur vtraque conſequentia. Quia nunc Angelus ideo vnitur cum

Diluitur 3ª Caietan.

D. Thom.

Secundum fundamẽtũ

Enodatio primæ confirmationis.

Enodatur.

cum ſuo intellectu ad cognoſcendum Deum quoad prædicta propria ipſius, quia eſt ſimilitudo, & quia eſt ſimilitudo deducta à Deo, ſeu effectus illius. Hoc autem habet ſpeciale ſimilitudo alicuius, quatenus eſt effectus illius, quod & ſi per modum ſimilitudinis non deducat in cognitionem ſui ſimilis, niſi iuxta tantitatem (vt ſic dicamus) & modum ſimilitudinis, ac proinde ſi hæc ſimilitudo ſit tantum in prædicatis communibus, tunc ſolum ex vi huius ſimilitudinis hæc prædicata communia cognoſcantur: attamen quatenus effectus eſt vel a ſuo ſimili, vel ab aliquo alio, deuenitur etiam per illam in cognitionem prædicatorum, quæ ſunt propria ſuæ cauſæ, quæque ex parte prędictę ſimilitudinis, & effectus in ſua cauſa deſiderantur. Quare, quia (vt iam tetigimus) adhoc vt Deus producat in Angelo ſuam ſimilitudinem, ſcilicet ſuam eſſentiam Angelicam, petuntur in Deo illa prædicata, quæ ſunt propria primæ cauſæ, ſcilicet, eſſe ens per eſſentiam, infinitum, &c. idcirco eſſentia Angeli poterit vniri cum ſuo intellectu ad cognoſcendum de Deo hæc propria ipſius Dei, & non ſolum communia vtrique: cum tamen nequeat vniri per modum ſpeciei intelligibilis cum ſuo intellectu ad cognoſcendum prædicata propria aliorum Angelorum, ſed ea dumtaxat, quæ ſunt ſibi, & alijs Angelis communia.

Vltima. 122 Vltimo probatur eadem ſententia. Quoniam cognitio naturalis, qua Angelus cognoſcit Deum, eſt eiuſdem ſpeciei in omnibus, & ſingulis Angelis: ergo debet fieri, non per eſſentiã vniuſcuiuſq; Angeli, ſed per propriam ſpeciem Dei ipſum per ſe primo repręſentantem: ac proinde per ſpeciem repræſentantem illum, vt eſt in ſe, & non ad modum aliarum rerum. Hæc vltima conſequentia ex priori aperte patet. Quoniam id, quod per ſe primo repræſentatur per aliquã ſpeciem, ſicut habet repręſentari per ſe primo, & ratione ſui, & non ratione alterius, ita ad modum ſui, & non ad modum alterius repræſentatur. Prima autem conſequentia ex antecedenti patet. Quoniam ſi illa cognitio fieret per propriasęſſentias Angelicas, tamquam per ſpecies, eſſet ſpecificè diſtincta in quouis Angelo: ſicut & ipſæ ſpecies tribuentes ſpecificationem prædictis cognitionibus, eſſent inter ſe ſpecifice diſtinctæ. Antecedens autem probatur. Quia illa cognitio eſt cognitio beatificans Angelos beatitudine naturali: & hæc eſt eiuſdem ſpeciei in omnibus illis: tum, quia beatitudo ſupernaturalis non diſtinguitur ſpecie, vt inuenitur in eiſdem: tum etiam, quia terminatur ad idem obiectum formale, ſcilicet Deum, vt auctorem, & finem naturalem: tum denique, quia fit medio habitu ſapientiæ, qui eſt eiuſdem ſpeciei in omnibus, ſicut & ſapientia ſupernaturalis eorundem non habet diſtingui ſpecie in illis.

Reſpondetur, negando antecedens. Et ad probationem tranſeat prior pars antecedentis, & negetur ſecunda. Ad cuius priorẽ probationem dicendum eſt, eſſe diſparem rationem. Quia beatitudo ſupernaturalis Angelorum habet idem obiectum formale & primarium, fitque per idem lumen gloriæ ſecundum ſpeciem, & per eandem formam intelligibilem, nempe eſſentiã diuinam, ſecus autem beatitudo naturalis vniuſcuiuſque Angeli, ſi ſemel conſiſtit in prędicta cognitione. Nam hęc (iuxta id quod ad primam partem antecedentis diximus) perſe primo terminatur ad propriam eſſentiam Angelicam, & deinde ad Deum. Ex quo ad ſecũdam probationem ſecundę partis eiuſdem antecedentis ſatis conſtat. Siquidem ſpecificatio non debet deſumi niſi ex obiecto primario. Vnde etiã addi poteſt, quod Deus ipſe, vt eſt prima cauſa, & finis naturalis, attingitur diuerſimode per quamcumque ex his cognitionibus. Quia quæuis terminatur ad illum, vt eſt attingibilis per diſtinctum medium, nempe, per diuerſam eſſentiam Angelicam, & per cognitionem habentem modum actualitatis, & immaterialitatis ipſius eſſentiæ. Et idẽ aſſerendum eſt quoad ſapientiam, & alios habitus naturales repertos in Angelis, qui adhuc ſi diſtinguantur ab intellectu Angelico, ſunt etiam inter ſe diſtincti ſpecie, ſicut eſſentię & intellectus, in quibus ſunt. Ex quo & ex nuper dictis ad tertiam probationem ſatis liquet. Enodatur.

DVBIVM V.

Vtrùm eſſentia Angeli concurrat ad intellectionem naturalem Dei non ſolum vt ſpecies intelligibilis & ratio cognoſcendi incognita; verum etiam vt obiectum, & ratio cognoſcendi cognita?

123  EMEL explicato modo concurrendi per modum ſpeciei intelligibilis, quo eſſentia Angeli influit in cognitionem naturalem, quam habet de Deo, & ex conſequenti quomodo

modo influat per modum rationis cognoſcendi non cognitę *vt quod*, ſtatim ſe offert ex profeſſo diſcutiendum id, quod iam tetigimus, ſcilicet, an ſola iſta ratione concurrat; an vero vltra iſtam habeat aliam, per quam influat ſimul, per modum obiecti & termini, ac ſubinde per modum rationis cognoſcendi ſimul cognitæ. Et licet hoc aliqualiter dubio præcedenti tetigerimus; quia tamen non prætergrediendo terminos tituli eiuſdem non potuit ibidem, vt par erat, explicari: id circo ad hoc præſtandum præſens dubium inſtituimus.

§. I. *Iuxta Angelici Doctoris mentem dubij nodus diſſoluitur.*

Concluſio. 124 DICENDVM ergo eſt, eſſentiam Angeli concurrere, tum per modum ſpeciei, tum etiam per modum termini, & obiecti cogniti, & per conſequens per modum rationis cognoſcendi cognitę, ad cognitionem naturalem Dei quoad propria prædicata illius ex eadem eſſentia Angelica cognoſcibilia. Aſſertio hæc, quoad hoc quod eſt, eſſentiam Angeli concurrere per modum ſpeciei intelligibilis, conſtat ex dictis dubio præcedenti ex Angelico Doctore. Quoad illud D. Thom. vero quod in hoc dubio peculiariter diſcutiendum ſupereſt, ſcilicet, debere etiam concurrere per modum obiecti & termini, ac ſubinde per modum rationis cognoſcendi cognitæ, ſatis deducitur ex eodem D. Thoma in hac quæſt. artic. 3 in fine illius, vbi ſic ait. *Vnde magis iſta cognitio* (ſcilicet ea, quam Angelus per ſuam eſſentiã habet de Deo) *tenet ſe cum ſpeculari: quia, & ipſa natura Angelica eſt quoddam ſpeculum, diuinam ſimilitudinem repræſentans.* In quibus verbis ſatis aperte docet, cognitionem naturalem, qua Angelus per ſuam eſſentiam Deum cognoſcit, eſſe ad inſtar illius, qua inſpiciuntur res in ſpeculo. Et ideo, ſicut paulo ſuperiùs docuerat, inſpici res in ſpeculo, quatenus earum imagines in eo reſultantes habent videri: ſic nunc ſentit, quod Deus attingatur ab Angelo, in quantum ab eodem Angelo videtur propria eſſentia, tamquam ſimilitudo & imago Dei reſultans in prædicto Angelo vt in ſpeculo: ita vt vtrobique prædicta imago ſit cognita *vt quod*, & per conſequens ratio cognoſcendi cognita.

Quod etiam in corpore eiuſdem articuli explicat idem Sanctus Doctor dum inquit, notitiã illam, qua ab Angelo per ſuam eſſentiam Deus attingitur, eſſe mediam inter cognitionem ſpecularem, per quam inſpiciuntur res in ſpeculo, vt in aliquo obiecto cognito, & inter illam, qua videntur per ſui ſpeciem. Si autem eſſentia Angeli non influeret per modum obiecti & termini cogniti, ſed præcisè per modum ſpeciei & rationis cognoſcendi incognitę, non protuliſſet Sanctus Doctor, prædictam cognitionem eſſe mediam inter illas duas ſed eſſet omnino ſimilis vni ex illis extremis, ſcilicet cognitioni, qua cognoſcimus rem per propriam ſpeciem.

125. Poteſtque magis explicari, quo modo hæc ſit mens Sancti Doctoris, explicando obiter exemplum, quo id art. prædicto, & in alijs ſolet vti, vt declaret modũ, quo vnum obiectum cognoſcitur in alio cognito, vt conſtat ex his, quę adducit ſuprà quæſt. 12. art. 9. in argumento *ſed contra*, & quæſt. 14. art. 5. Nam (vt bene aduertit Iunior quidam ſatis Doctus) licet in hoc exemplo contineantur aliqua, quæ non omnibus probantur iuxta veram philoſophiam, non eſt propterea Sanctus Doctor aliqua nota dignus: quia non loquitur ex propria ſententia (hoc enim ad adducendum aliquid in exemplum non eſt neceſſe) ſed ex ſententia vulgi: & ea ſuppoſita, vtitur exemplo hoc, vt valde accommodato ad explicandum difficultates, quæ circa hanc rem ſolent occurrere. Et ita hoc loco ad declarandũ, qua ratione Deus cognoſcatur in eſſentia Angeli prius cognita, ſupponit, reſultare in ſuperficie ſpeculi imaginem quandam obiecti coextenſam in ipſo ſpeculo, quæ videtur per propriam ſpeciem: & in ea ita viſa, quia eſt ſimilitudo obiecti, videtur ipſum obiectũ. Sic igitur Deus imprimit Angelo ſuã ſimilitudinem, quæ eſt ipſa eſſentia Angeli, reſultans in ipſo tamquam in ſpeculo: & hæc cognoſcitur per propriam ſpeciem, nempè, per ſeipſam, ſeu eſſentiam Angelicam: & in ea prius viſa quia eſt ſimilitudo Dei, cognoſcitur ipſe Deus. Vnde hoc modo explicat Canus Angelicum Doctorem lib. 2. de locis cap. 14. §. *Nam quod ſuſpicantur*: & adducit hoc ad explicandum conſuetudinem Sacræ Scripturæ ſumendi exemplum ex rebus, non vt re ipſa ſunt vera, ſed prout noſtris oculis apparent, & vulgus de eis loqui ſolet: vt ita ſe noſtræ ruditati attemperet. Ex quo etiam reddi poteſt ratio, cur Angelicus Præceptor hoc ipſum quoad præſens fecerit. *Canus.*

Vnde aſſertionem Sancti Doctoris, & noſtram tuentur Bañez artic. 3. huius quæſt. in probatione 3. concluſionis. Zumel, & Valentia ad eundem artic. Hiſpalenſis in 2. diſt. 3. q. 2. notabili 6. & alij plures ex probatioribus Thomiſtis, qui ſcripta ſua prælo non mandarunt. Et in hoc ſenſu explicat Bañez loco nuper citato Ferrariam, & aliquos alios Thomiſtas, qui videntur oppoſitum ſentire. *Bañez. Zumel. Valentia. Hiſpalen.*

Ratio

Fundamentalis ratio.

126 Ratio autem fundamentalis huius assertionis desumitur ex D. Thoma locis citatis tã in hoc, quam in præcedenti dubio, & potest sub hac forma proponi. Quoniam essentia diuina nequit esse obiectum per se primo repræsentatum per essentiam Angeli, vt vnitam cum suo obiecto per modum formæ intelligibilis in ordine ad cognitionem naturalem Dei; sed solum obiectum secundarium, & mediatum: ergo essentia Angeli non solum concurret per modum speciei intelligibilis, & ratio cognoscendi incognita, sed etiam per modum obiecti prius cogniti, & per consequens per modum rationis cognoscendi cognitæ. Consequentia videtur perspicua. Quoniam obiectum secundarium, & mediatum non attingitur, nisi mediante cognitione obiecti primarij, & immediati: alioqui non attingeretur tamquam obiectum secundarium, & mediatum. Antecedens autem probatur. Tum, quia prædicta essentia Angelica, vt habet rationem formæ intelligiblis, per se primo repræsentat se ipsam, atque adeo omnino immediate. Constat autem, non posse dari duo obiecta primaria, & immediata respectu eiusdem speciei. Tum etiam. Quia species repræsentans aliquid, vt obiectum per se primo immediatum, conuenit cum eo in gradu immaterialitatis, vt in ductiue in alijs speciebus constat: at certum est, essentiam Angeli non posse conuenire cum Deo in gradu immaterialitatis. Tum denique. Quia species, & obiectum per se primo, ac immediatum illius sunt eiusdem naturæ atomæ in *esse* intelligibili, vt in 1. tom. locis cit. latius diximus, & nostri Complut. in libr. de Anima disput. 18. num. 40. docent, & inductione facta in alijs speciebus liquet. Certum est autem, essentiã Angeli non posse habere hanc conuenientiam cum Deo.

N. Compl.

Solutio.

127 Nec obest, si occurras, quod licèt essentia Angeli tãtum repræsentet Deum per modum obiecti secundarij, & mediati; non tamen inde fit, prædictam essentiam debere necessario concurrere ad cognitionem Dei per modũ obiecti prius cogniti *vt quod*, seu per modum rationis cognoscendi cognitæ, sed satis esse quod possit secundariò influere in prædictam cognitionem Dei, & quod ratio, sub qua attingitur Deus, sit ipsa essentia Angelica. Constat autem, rationem *sub qua* non debere necessario esse cognitam *vt quod*, ac proindè non debere influere per modum rationis cognoscendi cognitæ. Potestque hoc explicari exemplo charitatis terminatæ per se primo ad Deum, & secundario ad proximum: & tamen non est necesse, Deum vt prius dilectum *vt quod* esse rationẽ diligendi proximum, quoties proximus ipse diligitur, sed satis est, quod hoc possit fic cõtingere, hocque congruat naturæ charitatis, & quòd diuina bonitas sit ratio, sub qua diligitur proximus: ac proinde non erit necesse, vt Deus sit ratio diligendi proximum per modum rationis diligendi prius dilectæ.

Illustratur exemplo.

Non itaque hoc refert. Nam (quicquid sit de exemplo charitatis, de quo alibi) tamen quoad præsens est speciali ratio, propter quam Deus nequit esse cognitus per essentiam Angelicam, tamquam per formam intelligibilem, nisi simul sit cognitus per ipsam, tamquam per rationẽ cognoscendi cognitam. Quoniam ratione illius nequit esse obiectum cognitum cognitione quidditatiua, & prout est in se ipso: quia (vt sæpè diximus) cognitio quidditatiua est adeò perfecta, vt nequeat elici nisi per propriam speciem directe & immediate repræsentantem illud obiectum: ergo debet esse cognita per essentiam Angelicam, tamquam per formã intelligibilem, ad modum alterius, ideſt essentiæ eiusdem Angeli: ergo oportet, vt præcognoscatur ipsa essentia Angeli, ad modum cuius debet cognosci: quandoquidem nequit cognosci aliquid ad modum alterius, non cognito eo, ad modum cuius cognoscitur. Et propterea nos, dum concipimus Angelum, nõ prouteſt in se ipso, sed ad modum rei materialis, non possumus cognoscere illum, nisi per speciem eiusdem rei materialis, & præcognoscendo prius eamdem rem materialem, tamquam rationẽ cognoscẽdi cognitã.

Reijcitur.

Conclusio.

128 Confirmatur primo. Quoniam essentia Angeli deseruit ad cognitionem Dei per modum effectus eiusdem Dei: quia deseruit ad illam per modum imaginis participatæ à Deo. Constat autem, effectum concurrere ad cognitionem causæ per modum rationis cognoscendi cognitæ.

Confirmatur secundo. Quoniam essentia Angeli influit in prædictam cognitionem per modum creaturæ: ergo per modum rationis cognoscendi cognitæ. Patet consequentia. Quia minorem proportionem habet creatura in ordine ad hoc, quod ducat in cognitionem creatoris, quam res materiales in ordine ad cognitionem rerum spiritualiũ: sed propter improportionem repertam inter res materiales, & spirituales, nempe Angelos, non possumus cognoscere per speciem rerum materialium illos, nisi prius cognitis eisdem rebus materialibus: ergo nec etiam per speciem creaturæ, scilicet substantiæ Angelicæ, poterit cognosci creator, nisi eadem substantia Angelica prius cognita.

Confirm. 2.

Confirmatur tandem. Quoniam essentia diuina influit in cognitionem creaturarum, non solùm per modum formæ intelligibilis, sed etiam per modum rationis cognoscendi cognitæ, & non aliter: quia continet

Confirmatur vltimo.

illas

illas per modum cauſæ: & cauſa non niſi vt cognita, & penetrata eſt ratio cognoſcendi effectus. Ergo è contrà eſſentia Angeli, quia per modum effectus repræſentat Deum, ita erit ratio cognoſcendi ipſum, vt ſimul debeat eſſe ratio cognoſcendi cognita. Patet conſequentia. Quia etiam effectus non niſi vt penetratus, atque adeò non niſi vt prius ordine rationis cognitus, eſt ratio cognoſcendi cauſam.

§. II. *Contraria ſententia, fundamenta illius, & reſponſiones ad ea.*

129 OPPOSITAM tamen ſententiam, nempe, eſſentiam Angeli concurrere ad cognitionem Dei præciſè per modum formæ intelligibilis, non vero ſimul per modum rationis cognoſcendi cognitę, tuetur Nazarius ad artic. 3. huius q. & pro ea ſolet referri Caietanus, & Ferrara: quamuis Bañez (vt ſupra tetigimus) explicet vtriuſque ſententiam iuxta ea, quæ à nobis dicta ſunt. Et probatur primo teſtimonio D. Thomæ, quod dub præcedenti pro aſſertione noſtra retulimus. Nam Sanctus Doctor artic. 3. huius q. ſic inquit: *Quia enim imago Dei eſt in ipſa naturâ Angeli impreſſa, per ſuam eſſentiam Angelus Deum cognoſcit, in quantum eſt ſimilitudo Dei.* In quibus verbis ſatis conſtat, tribuere eſſentiæ Angelicæ, quod ſe habeat per modum formæ intelligibilis reſpectu cognitionis Dei: quia modus ſpeciei intelligibilis non eſt aliud quàm illud, quod his verbis exprimitur. Cumque paulo ſuperius diſtinxerit Angelicus Præceptor hanc ſimilitudinem à ſimilitudine relucente in alio, vt obiecto cognito: plane ſit, quod ſecundum mentem Angelici Doctoris ſolum tribuatur eſſentiæ Angelicæ, quod exerceat munus ſpeciei intelligibilis reſpectu prędictæ cognitionis, non vero munus ſimilitudinis, quę ſit ratio cognoſcendi cognita.

Oppoſita ſententia. *Nazarius* *Caietanus* *Ferrara.* *Bañez.* *Primũ fundamentum.* *D. Thom.*

Confirmatur primo. Quia D. Thomas peculiariter tribuit Angelo, quod ſecundum ſuam eſſentiam ſit ratio cognoſcendi Deum: ergo ſolum tribuit vnicuique eſſentiæ Angelicę, quòd ſit ratio cognoſcendi illum incognita, ideſt, per modum ſpeciei intelligibilis: quia hoc tantummodò eſt peculiare cuiuis eſſentiæ Angelicæ reſpectu proprij intellectus, non eſſe rationem cognoſcendi cognitam: quia eſſe rationem cognoſcendi Deum cognitam, eſt commune cuiuis alteri creaturæ. *Confirm. 1.*

Confirmatur ſecundò. Nam idcircò eſſentia Angeli concurrit ad ſui cognitionem, præciſè vt ratio cognoſcendi incognita, ſeu præciſè per modum formæ intelligibilis, quia continet intelligibiliter ſe ipſam: at ſic continet Deum: alioquin non poſſet eſſe forma intelligibilis reſpectu cognitionis illius: ergo, &c. *Confirm. 2.* *Diluitur fundamentum*

130 Reſpondetur, Angelicum Doctorem non explicuiſſe adæquatè ſuam mentem in verbis illis primo loco in hoc argumento adductis, ſed in illis, & ſimul in aliis, quæ nos attulimus pro aſſertione huius dubij: vt ita denotaret, quomodo eſſentia Angeli vtroque modo concurrat ad prædictam cognitionem, ſcilicet, per modum rationis cognoſcendi incognitæ, quatenus nimirum præciſè gerit munus ſpeciei intelligibilis, & ſimul quatenus habet eſſe rationem cognoſcendi cognitam, quatenus exercet munus termini & obiecti. Vnde, cum paulo ante illam diſtinxit à ſimilitudine relucente in alio obiecto cognito, non eſt, quia ſenſerit, prædictam eſſentiam Angelicam non influere per modum rationis cognoſcendi cognitæ, ſed quia non eſt omninò ſimilis huic ſimilitudini relucenti in alio, vt in obiecto cognito, ſed habet aliquid de illa, & aliquid de ſimilitudine deſumpta immediatè ex obiecto, qualis eſt ſimilitudo per quam immediatè videtur verbi gratia à viſu aliquod obiectum. Et propterea Sanctus Doctor immediatè ante illa verba ſic ait: *cognitio autẽ, qua Angelus per ſua naturalia cognoſcit Deum, media eſt inter has duas.* Et continuò incipit explicare, quid habeat de vtraque: & primò de ſecunda in verbis illis primo loco in hoc argumento propoſitis; & in conſequentibus quid de priori, nempe ſpeculari: & tandem in fine articuli ait, eam magis declinare ad ſpecularem, quia fit per ſimilitudinem cognoſcendi cognitam, vt iam expluimus, licèt aliquo modo diſtinguatur ab illa: quia fit per ſimilitudinem immediatè deſumptam ab obiecto, quod non contingit in cognitione ſpeculari, de qua ibi ſermonem facit, de qua quę cognitio, de qua loquimur, aliquid participat.

Ad primam confirmationem reſpondetur, Sanctum Doctorem ideò peculiariter aſſerere in Angelis, quòd vnuſquiſque cognoſcit Deum per ſua naturalia, ſiue per ſuam eſſentiam, quia licèt eſſentiæ aliorum Angelorum poſsint deſeruire vnicuique Angelo per modum obiecti cogniti in ordine ad notitiam Dei, vt auctoris, & finis naturalis, non tamen ita vt ſimul ſint vnicuique ſpecies intelligibiles, & obiectũ cognitum: cùm tamen propria ſubſtantia & eſſentia exerceat vtrũque munus reſpectu proprij intellectus. *Ad primam cõfirmationem.*

Ad ſecundam confirmationem dicendum *Ad ſecũd.*

dum est, posse facilè reddi rationem disparitatis ex eo, quòd essentia Angeli vnitur cum proprio intellectu in ordine ad sui cognitionem per modum speciei intelligibilis propriæ, & quidditatiuæ illius, respicientisque ipsum per modum obiecti primarij: & ideò potest immediatè concurrere ad hanc cognitionem per modum principij cogniti, seu præcisè per modum speciei intelligibilis. Cæterùm respectu Dei vnitur per modum formæ intelligibilis, non propriæ illius, sed repræsentantis ipsum deficienter, & ad modum Angeli, cuius per se primò est illa species; & propterea essentia Angeli debet influere, tam per modum speciei intelligibilis, quàm per modum obiecti cogniti.

Secundum fundamẽtũ.

131 Secundò probatur eadem sententia. Nam essentia Angeli est principium, & species respectu cognitionis, qua cognoscit Deum per prædictam essentiam: ergo est ratio cognoscendi incognita. Antecedens constat ex suprà dictis. Consequentia verò probatur. Nam species deseruiens ad cognitionem, quippe principium illius debet antecedere ad illam: & ita necesse est, vt sit ratio cognoscendi incognita; ac proinde non potest subsequi ad eandem cognitionem: quod tamen necessarium erat, vt esset ratio cognoscendi cognita, vt ex terminis ipsis patet.

Respondetur ex dictis, hinc ad summum haberi, essentiam Angeli, vt præcisè exercet munus speciei intelligibilis, esse rationem & principium cognoscendi incognitum, non verò absolutè hoc habere: quia secundùm diuersa sui munia simul est terminus & obiectum primarium illius cognitionis, vt terminatè ad Deum: & ita debet priùs cognosci, quàm Deus ipse attingatur.

Solaitur.

QVAESTIO LVII. DE ANgelorum cognitione respectu rerum materialium.

PROOEMIVM.

DEINDE quæritur de his materialibus, quæ ab Angelis cognoscuntur. Et circa hoc quæruntur quinque. Primo, vtrum Angeli cognoscant naturas rerum materialium. Secundo, vtrum cognoscant singularia. Tertio, vtrum cognoscant futura. Quatto, vtrum cognoscant cogitationes cordium. Quinto, vtrum cognoscant mysteria gratiæ.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Angeli cognoscant res materiales?

Infrá q. 89. ar. 3. Et 2. con. c. 97. & ver. q. 8. art. 8. & q. 10. ar. 4. cor. & q. 20. ar. 4. cor

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd Angeli non cognoscant res materiales. Intellectum enim est perfectio intelligentis. Res autem materiales non possunt esse perfectiones Angelorum, cum sint infra ipsos. Ergo Angeli non cognoscunt res materiales.

¶ 2. Prætereà. Visio intellectualis est eorum, quæ sunt in anima per sui essentiam, vt dicitur in

; Elicitur ex August 12. sup. Gene. ad litteram c.25.tom.3.

in * Gloss. 2. ad Cor. 12. Sed res materiales non possunt esse in anima hominis,vel in mente Angeli per suas essentias.Ergo non possunt intellectuali visione cognosci, sed solùm imaginaria, qua apprehenduntur similitudines corporum:& sensibili, quæ est de ipsis corporibus.In Angelis autem non est visio imaginaria, & sensibilis,sed solùm intellectualis. Ergo Angeli materialia cognoscere non possunt.

¶ 3. Præterea. Res materiales non sunt intelligibiles in actu; sed sunt cognoscibiles apprehensione sensus, & imaginationis, quæ nō sunt in Angelis.Ergo Angeli materialia non cognoscunt.

SED contra. Quicquid potest inferior virtus, potest virtus superior. Sed intellectus hominis,qui est ordine naturæ infra intellectum Angeli, potest cognoscere res materiales. Ergo multo fortiùs intellectus Angeli.

RESPONDEO dicendū, quod talis est ordo in rebus,quod superiora in entibus sunt perfectiora inferioribus:& quod in inferioribus continetur deficienter, & partialiter, & multipliciter, in superioribus continetur eminenter,& per quamdam totalitatem, & simplicitatem.Et ideo in Deo, sicut in summo rerum vertice, omnia super substantialiter præexistunt,secundùm ipsum suum simplex esse,vt Dionys. dicit in * lib de Diu.no. Angeli autem inter cætetas creaturas sunt Deo propinquiores,& similiores. Vnde,& plura participant ex bonitate diuina,& perfectiùs,vt Dionys. dicit * 4. c. cæ. hierar. Sic igitur omnia materialia in ipsis Angelis præexistunt: simpliciùs quidem, & immaterialiùs, quàm in ipsis rebus:multipliciùs autem, & imperfectius,quā in Deo. Omne autem,quod est in aliquo, est in eo per modum eius,in quo est. Angeli autem secundùm suam naturam sunt intellectuales. Et ideo, sicut Deus per suam essentiam materialia cognoscit, ita Angeli ea cognoscūt per hoc, quod sunt in eis per suas intelligibiles species.

Ad primum ergo dicendum, quod intellectum est perfectio intelligentis secundum speciem intelligibilem,quā habet in intellectu. Et sic species intelligibiles, quę sūt in intellectu Angeli,sunt perfectiones, & actus intellectus Angelici.

Ad secundum dicendū, quod sensus non apprehendit essentias rerum, sed exteriora accidentia tantùm:similiter neque imaginatio,sed apprehendit solas similitudines corporum: intellectus autē solus apprehendit essentias rerū. Vnde in * 3. de Anima dicitur, quod obiectū intellectus est quod quid est,circa quod no errat,sicut neque sensus circa proprium sensibile.Sic ergo essentiæ rerum materialium sunt in intellectu hominis, vel Angeli,vt intellectum est in intelligente, & non secundùm esse suum reale. Quædam vero sunt,quæ sunt in intellectu,vel in anima secundùm vtrūque esse.Et vtrorūque est visio intellectualis.

Lib. 3. de Anima tex. 36.tom.2.

Ad tertium dicendum,quod si Angelus acciperet cognitionem rerum materialiū ab ipsis rebus materialibus,oporteret,quòd faceret

Cap. 1. declinando ad finem præcipué & c. 5. paulò ante medium.

† Cap 4 cęlh erar. ante med.

ceret eas intelligibiles actu, abſtrahendo eas: non autẽ accepit cognitionem earum à rebus materialibus: ſed per ſpecies actu intelligibiles rerum ſibi cõnaturales, rerum materialium notitiã habet, ſicut intellectus noſter ſecundùm ſpecies, quas intelligibiles facit abſtrahendo.

Concluſio.

Angeli cognoſcunt res materiales per hoc, quod ſunt in eis per ſuas intelligibiles ſpecies.

ARTICVLVS II.

Virùm Angelus cognoſcat ſingularia?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quôd Angelus ſingularia non cognoſcat. Dicit enim Philoſophus in † 1. Poſt. quòd ſenſus eſt ſingularium: ratio verò vel intellectus vniuerſalium. In Angelis autem non eſt vis cognoſcitiua, niſi intellectiua, vt ex ſuperioribus patet. † Ergo ſingularia non cognoſcunt.

2. Diſt. 3. q. 3 ar. 3 Et 1. c. 6 c. 98 & ver. q. 8 ar. 11. & q. 10 ar. 5. & opuſc. 15. c. 13 & 15.

† Textu. 43. tom. 1.

† Q. 54 ar. 5

¶ 2. Præterea. Omnis cognitio eſt per aſsimilationem aliquam cognoſcentis ad cognitum. Sed non videtur, quòd poſsit eſſe aliqua aſsimilatio Angeli ad ſingulare, in quantũ eſt ſingulare: cùm Angelus ſit immaterialis, vt ſupra * dictum eſt; ſingularitatis verô principium ſit materia. Ergo Angelus non poteſt cognoſcere ſingularia.

* Q. 50 art. 2.

¶ 3. Prætereà. Si Angelus ſcit ſingularia, aut per ſpecies ſingulares, aut per ſpecies vniuerſales. Non per ſingulares: quia ſic oporteret, quôd haberet ſpecies infinitas. Nec per vniuerſales: quia vniuerſale non eſt ſufficiens principium cognoſcendi ſingulare, in quantum eſt ſingulare: cùm in vniuerſali ſingularia non cognoſcantur, niſi in potentia. Ergo Angelus nõ cognoſcit ſingularia.

Sed contra. Nullus poteſt cuſtodire, quod non cognoſcit. Sed Angeli cuſtodiunt homines ſingulares, ſecundùm illud Pſal. 90. Angelis ſuis mandauit de te, &c. Ergo Angeli cognoſcunt ſingularia.

RESPONDEO dicendum, quôd quidam totaliter ſubtraxerunt Angelis ſingularium cognitionem. Sed hoc primũ quidem derogat Catholicæ fidei, quæ ponit, hæc inferiora adminiſtrari per Angelos, ſecundũ illud Hęb. 1. Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus. Si autẽ ſingularium notitiam non haberent, nullam prouidentiam habere poſſent de his, quæ in hoc mundo aguntur, cùm actus ſingularium ſint. Et hoc eſt contra illud, quod dicitur Eccleſ. 5. Ne dicas, coram Angelo non eſt prouidentia. Secundò etiã derogat Philoſophiæ documentis, ſecundùm quæ ponuntur Angeli motores cæleſtium orbium, & quôd eos moueant ſecundùm intellectum, & voluntatem. Et ideò alij dixerunt, quòd Angelus habet quidem cognitionem ſingularium: ſed in cauſis vniuerſalibus, ad quas reducuntur particulares omnes effectus, ſicut ſi Aſtrologus iudicet de aliqua eclipſi futura per diſpoſitiones cæleſtium mo-

motuum.Sed hæc poſitio prædicta inconuenientia non euadit: quia ſic cognoſcere ſingulare in cauſis vniuerſalibus,non eſt cognoſcere ipſum, vt eſt ſingulare, hoc eſt,vt hic & nũc. Aſtrologus enim cognoſcens eclipſim futuram per computationem cæleſtium motuum, ſcit eam in vniuerſali, & non prout eſt hic & nũc,niſi per ſenſum accipiat. Adminiſtratio autem, & prouidentia, & motus ſunt ſingularium, prout ſunt hic & nunc.Et ideò aliter dicendum eſt, quòd ſicut homo cognoſcit diuerſis viribꝰ cognitiuis omnia rerum genera: intellectu quidem vniuerſalia,& immaterialia; ſenſu autem ſingularia, & corporalia:ita Angelus per vnam intellectiuam virtutem vtraque cognoſcit.Hoc enim rerum ordo habet,quôd quantô aliquid eſt ſuperius, tãtò habeat virtutem magis vnitam, & ad plura ſe extendentem: ſicut in ipſo homine patet,quôd ſenſus communis,qui eſt ſuperior, quàm ſenſus proprius,licet ſit vnica potentia, omnia cognoſcit, quæq; ſenſibus exterioribus cognoſcuntur, & quædam alia, quæ nullus ſenſus exterior cognoſcit,ſcilicet differentiam albi,& dulcis.Et ſimile etiam eſt in alijs conſiderare.Vnde,cùm Angelus naturæ ordine ſit ſupra hominem,inconueniens eſt dicere,quôd homo quacumq; ſua potentia cognoſcat aliquid, quod Angelus per vnã vim ſuam cognoſcitiuã, ſcilicet intellectũ, non cognoſcat. Vnde Ariſt. pro incõuenienti habet,vt litem, quã noſcimus,Deus ignoret,vt patet in* 1. de Anima, & in 3. Metaphyſ.Modus autem, quo intellectus Angeli ſingularia cognoſcit, ex hoc conſiderari poteſt,quòd ſicut à Deo efluunt res, vt ſubſiſtãt in proprijs naturis:ita etiã vt ſint in cognitione Angelica.Manifeſtum eſt autem,quôd a Deo efluit in rebus nõ ſolùm illud, quod ad naturam vniuerſalem pertinet, ſed etiam ea,quæ ſunt indiuidua tionis principia. Eſt enim cauſa totius ſubſtantiæ rei,& quantum ad materiam,& quantum ad formam.Et ſecundùm quôd cauſat, ſic & cognoſcit:quia ſcientia eius eſt cauſa rei,vt ſuprà oſtẽſum eſt.

* Sicut igitur Deus per eſſentiam ſuam,per quam omnia cauſat,eſt ſimilitudo omnium, & per eam omnia cognoſcit, non ſolùm quãtum ad naturas vniuerſales, ſed etiam quantum ad ſingularitatẽ: ita Angeli per ſpecies a Deo inditas res cognoſcunt, non ſolùm quantum ad naturam vniuerſalem,ſed etiam ſecundùm earum ſingularitatem, in quantum ſunt quædam repræſentationes multiplicatæ illius vnicæ & ſimplicis eſſentiæ. Q.14.art.8.

Ad primũ ergõ dicendũ, quod Philoſophus loquitur de intellectu noſtro, qui non intelligit res niſi abſtrahendo; & per ipſam abſtractionem à materialibus conditionibus id,quod abſtrahit,fit vniuerſale.Hic autem modus intelligendi non conuenit Angelis, vt ſuprà* dictum eſt:& ideô non eſt eadem ratio. Q.54.ar.4. & q.55.ar.2.

Ad ſecundum dicendũ, quod ſecundùm ſuam naturam Angeli non aſſimilantur rebus materialibus: ſicut aſſimilatur aliquid alicui ſecundùm conuenien

1. De Anima tr. 80. to. 2. lib. 3. Metaphyſ. tex. 15. com. 3.

riam in genere, vel in ſpecie, aut in accidente, ſed ſicut ſuperius habet ſimilitudinem cum inferiori, vt ſol cum igne. Et per hunc etiã modum in Deo eſt ſimilitudo omnium, & quantum ad formam, & quantum ad materiam: in quantum in ipſo præexiſtit, vt in cauſa, quicquid in rebus inuenitur. Et eadem ratione ſpecies intellectus Angeli, quæ ſunt quædam deriuatæ ſimilitudines à diuina eſſentia, ſunt ſimilitudines rerũ, non ſolùm quantum ad formam, ſed etiam quantũ ad materiam.

Ad tertium dicendum, quòd Angeli cognoſcũt ſingularia per formas vniuerſales, quæ tamen ſunt ſimilitudines rerum, & quantum ad principia vniuerſalia, & quãtum ad indiuiduationis principia. Quomodo autem per eandem ſpeciem poſſunt multa cog- Q. 55. ar. 3. noſci, iam ſupra * dictum eſt.

Prima concluſio.

Derogat fidei Catholicæ ſubtrahere Angelis diſtinctam cognitionem ſingularium.

Secunda concluſio.

Angeli per ſpecies à Deo inditas cognoſcunt res, non ſolùm quantum ad naturam vniuerſalem, ſed etiam quantum ad earum ſingularitatem.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Angeli cognoſcant futura?

Infra q. 86. ar. 4. & 22. q. 95. ar. 1. & 1 diſt. 38. ar. 5 & 2. diſtin. 7. q. 2. art. 2. & 1. con. c. 67. & lib. 3 c. 154. & veri. q. 8. ar. 12. & ma. q. 16 ar. 7. & opuſc 3 ca. 135. & 136.

AD tertium ſic procedi-tur. Videtur, quòd Angeli cognoſcant futura. Angeli enim potentiores ſunt in cognoſcendo, quàm homines. Sed homines aliqui cognoſcunt futura multa. Ergo multò fortiùs Angeli.

¶ 2. Præterea. Præſens, & futurum ſunt differentiæ temporis. Sed intellectus Angeli eſt ſupra tempus: parificatur enim intelligentia æternitati, id eſt æuo, vt dicitur in † lib. de cauſis. Ergo quantum ad intellectum Angeli non differunt præteritũ, & futurum; ſed indifferenter cognoſcit vtrumque. † Propoſ. 22. circa finem.

¶ 3. Præterea. Angelus non cognoſcit per ſpecies acceptas à rebus, ſed per ſpecies innatas vniuerſales. Sed ſpecies vniuerſales æqualiter ſe habent ad præteritum, & futurum: ergo videtur, quod Angeli indifferenter cognoſcant præterita, & præſentia, & futura.

¶ 4. Præterea. Sicut aliquid dicitur diſtans ſecundùm tempus, ita ſecundùm locum. Sed Angeli cognoſcunt diſtantia ſecundùm locum. Ergo etiam cognoſcunt diſtantia ſecundùm tẽpus futurũ.

SED contra. Id, quod eſt proprium ſignum diuinitatis, non conuenit Angelis. Sed cognoſcere futura eſt proprium ſignum diuinitatis, ſecundùm illud Iſai. 12. Annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quòd Dij eſtis vos. Ergo Angeli non cognoſcunt futura.

RESPONDEO dicendũ, quôd futurum dupliciter poteſt cognoſci. Vno modo, in cauſa ſua: & ſic futura, quæ ex neceſſitate ex cauſis ſuis proueniunt, per certam ſcientiam cognoſcuntur, vt ſolem oriri cras. Quæ verô ex

ſuis

ſuis cauſis proueniunt vt in pluribus, cognoſcuntur non per certitudinem, ſed per coniecturam: ſicut medicus præcognoſcit ſanitatem infirmi. Et iſte modus cognoſcendi futura adeſt Angelis: & tantô magis, quàm nobis, quanto magis rerum cauſas, & vniuerſalius, & perfectiùs cognoſcunt: ſicut medici, qui acutiùs vident cauſas, meliùs de futuro ſtatu ægritudinis prognoſticantur. Quæ vero proueniunt ex cauſis ſuis vt in paucioribus, penitus ſunt ignota, ſicut caſualia & fortuita. Alio modo cognoſcuntur futura in ſe ipſis: & ſic ſolius Dei eſt futura cognoſcere; non ſolùm quæ ex neceſsitate proueniunt, vel vt in pluribus, ſed etiam caſualia & fortuita: quia Deus videt omnia in ſua æternitate, quæ cum ſit ſimplex, toti tempori adeſt, & ipſum concludit. Et ideò vnus Dei intuitus fertur in omnia, quę aguntur per totum tempus, ſicut in præſentia, & videt omnia, vt in ſe ipſis ſunt, ſicut ſuprà dictum eſt, * cùm de Dei ſcientia ageretur. Angelicus autem intellectus, & quilibet intellectus creatus deficit ab æternitate diuina. Vnde non poteſt ab aliquo intellectu creato cognoſci futurũ, vt eſt in ſuo eſſe.

Q. 14. ar. 7 & 9.

Ad primum ergo dicendum, quôd homines non cognoſcunt futura, niſi in cauſis ſuis, vel Deo reuelante. Et ſic Angeli multô ſubtiliùs futura cognoſcunt.

Ad ſecundum dicẽdum, quòd licèt intellectus Angeli ſit ſupra tempus, quo menſurantur corporales motus: eſt tamen in intellectu Angeli tẽpus ſecundũ ſucceſſionem intelligibilium conceptionum, ſecundùm quòd dicit Aug. * 8. ſuper Geneſ. ad litt. quòd Deus mouet ſpiritualem creaturam per tempus. Et ita, cùm ſit ſucceſsio in intellectu Angeli, non omnia, quæ aguntur per totum tempus, ſunt ei præſentia.

Lib. 8 c. 20. 22. 23. to. 3

Ad tertium dicendum, quod licèt ſpecies, quæ ſunt in intellectu Angeli, quantum eſt de ſe, æqualiter ſe habeant ad præſentia, præterita, & futura; tamen præſentia, præterita, & futura non æqualiter ſe habent ad rationes. Quia ea, quæ præſentia ſunt, habent naturam, per quam aſſimilantur ſpeciebus, quæ ſunt in mente Angeli, & ſic per eas cognoſci poſſunt. Sed quæ futura ſunt, nondum habent naturam, per quam illis aſſimilentur. Vnde per eas cognoſci non poſſunt.

Ad quartum dicendum, quôd diſtantia ſecundùm locum ſunt in rerum natura, & participant aliquam ſpeciem, cuius ſimilitudo eſt in Angelo: quòd non eſt verum de futuris, vt dictum * eſt: & ideo non eſt ſimile.

In corp. art.

Prima concluſio.

Futura, quæ ex ſuis cauſis neceſſariò proueniunt, certò & infallibiliter cognoſcuntur ab Angelo in ipſis cauſis.

Secunda concluſio.

Futura, quæ vt in plurimum ſolent euenire ex ſuis cauſis, cognoſcuntur non per certitudinem, ſed per coniecturam.

Tertia concluſio.

Futura, quæ proueniunt à ſuis cauſis vt in paucioribus, qualia ſunt caſualia & fortuita, ſunt Angelis penitùs ignota.

Quarta concluſio.

Cognoſcere futura in ſe ipſis, eſt proprium ſolius Dei.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Angeli cognoſcant cogitationes cordium?

1. Cont. c. 68. & lib. 3. c. 154. prin. & verit. q. 8. ar. 13. & Mal. q. 16. ar. 8.

AD quartum ſic procedi tur. Videtur, quòd Angeli cognoſcant cogitationes cordium. Dicit enim Gregor. in Moralibus ſuper illud Iob. 28. Non æquabitur ei aurum, vel vitrum: quòd tunc, ſcilicet in beatitudine reſurgentium, vnus erit perſpicabilis alteri, ſicut ipſe ſibi cùm vniuscuiuſque intellectus attenditur, ſimul conſcientia ponetratur. Sed reſurgentes erunt ſimiles Angelis, ſicut habetur Mat. 22. c. ergo vnus Angelus poteſt videre id, quod eſt in conſcientia alterius.

¶ 2. Præterea. Sicut ſe habent figuræ ad corpora, ita ſe habent ſpecies intelligibiles ad intellectum. Sed viſo corpore, videtur eius figura. Ergo viſa ſubſtantia intellectuali: videtur ſpecies intelligibilis, quæ eſt in ipſa. Ergo cũ Angelus videat alium Angelum, & etiam animam, videtur, quòd poſsit videre cogitationem vtriuſque.

¶ 3. Præterea. Ea quæ ſunt in intellectu noſtro, ſunt ſimiliora Angelo, quã ea, quæ ſunt in phantaſia: cũ hæc ſint intellecta in actu, illa verò in potentia tantùm. Sed ea, quæ ſunt in phantaſia, poſſunt cognoſci ab Angelo, ſicut corporalia, cùm phantaſia ſit virtus corporis. Ergo videtur, quòd Angelus poſsit cognoſcere cogitationes intellectus.

SED contra eſt, quod proprium Dei non conuenit Angelis. Sed cognoſcere cogitationes cordium eſt proprium Dei, ſecundum illud Ierem. 17. Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile: & quis cognoſcet illud? Ego dominus ſcrutans, &c. Ergo Angeli nõ cognoſcunt ſecreta cordium.

RESPONDEO dicendũ, quod cogitatio cordis dupliciter poteſt cognoſci. Vno modo in ſuo effectu: et ſic nõ ſolùm ab Angelis, ſed etiam ab homine cognoſci poteſt: & tantò ſubtilius, quanto effectus huiuſmodi fuerit magis occultꝰ. Cognoſcitur enim cogitatio interdum non ſolùm per actum exteriorem, ſed etiam per immutationem vultus. Et etiam medici aliquas affectiones animæ per pulſum cognoſcere poſſunt: & multo magis Angeli, vel etiam Dæmones, quanto ſubtiliùs huiuſmodi immutationes occultas corporales perpendunt. Vnde Aug. dicit in * lib. de diuinatione Dæmonum, quod aliquãdo hominum diſpoſitiones non ſolùm voce prolatas, verùm etiã cogitatione conceptas, cum ſigna quædam in corpore exprimũtur ex animo, tota facilitate perdiſcunt. Quamuis in lib. * Retractationum hoc, dicat, non eſſe aſſerendum quomodo fiat. Alio modo poſſunt cognoſci cogitationes, prout ſunt in intellectu; & affectiones, prout ſunt in voluntate: & ſic ſolus Deus cogitationes

* Lib. de diuinatione Dæmonum c. 5 poſt med. tom. 3.

* Lib. 2 retrc c. 30. tom. 1

cordium

cordium, & affectiones voluntatum cognoſcere poteſt. Cuius ratio eſt. Quia voluntas rationalis creaturæ ſoli Deo ſubiacet, & ipſe ſolus in eam operari poteſt, qui eſt principale eius obiectum, vt vltimus finis: & hoc magis infrà patebit. † Et ideo ea, quæ ex voluntate ſola dependent, vel quæ in voluntate ſola ſunt, ſoli Deo ſunt nota. Manifeſtum eſt autem, quod ex ſola voluntate dependet, quod aliquis actu aliqua conſideret: quia cũ aliquis habet habitũ ſciẽtiæ, vel ſpecies intelligibiles in eo exiſtẽtes, vtitur eis, cũ vult. Et ideo dicit Apoſtolus 1. Cor. 2. quod quæ ſũt hominis, nemo nouit, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt.

Q. 63. ar. 1. & q. 105. ar. 5.

Ad primum ergo dicendum, quod cogitatio vnius hominis nõ cognoſcitur ab alio, propter duplex impedimentũ, ſcilicet, propter groſsitiem corporis, & propter voluntatem claudentem ſua ſecreta. Primum autem obſtaculum tolletur in reſurrectione, nec eſt in Angelis, ſed ſecundum impedimentum manebit poſt reſurrectionem, & eſt modo in Angelis. Et tamen qualitatem mentis, quantum ad quantitatem gratię, & gloriæ repræſentabit claritas corporis: & ſic vnus mentem alterius videre poterit.

Ad ſecundum dicendũ, quod etſi vnus Angelus ſpecies intelligibiles alterius videat per hoc, quod modus intelligibilium ſpecierum ſecundùm maiorem, & minorem vniuerſalitatem proportionatur nobilitati ſubſtantiarum: non tamen ſequitur, quod vnus cognoſcat, quomodo alius illis intelligibilibus ſpeciebus vtitur actualiter conſiderando.

Ad tertium dicendum, quod appetitus brutalis non eſt Dominus ſui actus, ſed ſequitur impreſſionẽ alterius cauſæ corporalis, vel ſpiritualis. Quia igitur Angeli cognoſcunt res corporales, & diſpoſitiones earum, poſſunt per hæc cognoſcere, quod eſt in appetitu, & in apprehenſione phantaſtica brutorum animalium & etiã hominum, ſecundum quod in eis quandoque appetitus ſenſitiuus procedit in actum, ſequens aliquam impreſsionem corporalẽ, ſicut in brutis ſemper eſt. Non tamen oportet, quòd Angeli cognoſcant motum appetitus ſenſitiui, & apprehenſionem phantaſticam hominis, ſecundùm quod mouetur à voluntate, & ratione: quia etiam inferior pars animæ participat aliqualiter rationem, ſicut obediens imperanti, vt dicitur in * 1. Ethic. Nec tamen ſequitur, quod ſi Angelus cognoſcit, quod eſt in appetitu ſenſitiuo, vel phantaſia hominis, quod cognoſcat id, quod eſt in cogitatione, vel voluntate: quia intellectus, & voluntas non ſubiacent appetitui ſenſitiuo, & phantaſiæ, ſed poteſt eis diuerſimodè vti.

* Lib. 1 Ethic. c. vlt. tom. 5.

Prima concluſio.

Angeli naturaliter cognoſcunt cogitationes cordis per ſuos effectus.

Secunda concluſio.

Solus Deus poteſt cognoſcere cogitationes, prout ſunt in intellectu, & affectiones, prout ſunt in voluntate.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Angeli cognoſcant myſteria gratiæ?

Infrà q. 64. ar. 1. ad. 4 & q. 106 ar. 4 ad. 2. & Epheſ 3. lect. 3. fin.

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod Angeli myſteria gratiæ cognoſcant. Quia inter omnia myſteria, excellentius eſt myſterium incarnationis Chriſti. Sed hoc Angeli cognouerunt. à principio. Dicit enim Aug. * 5. ſuper Geneſ. ad lit. quod ſic fuit hoc myſterium abſconditum à ſęculis in Deo, vt tamen innoteſceret principibus, & poteſtatibus in cæleſtibus. Et dicit Apoſtolus 1. ad Timot. 3. quod apparuit Angelis illud magnum ſacramẽtum pietatis. Ergo Angeli myſteria gratiæ cognoſcunt.

Lib. 5 ſuper Geneſ. c. 19. circa med. tom. 3.

¶ 2. Prætereà. Rationes omnium myſteriorũ gratiæ, in diuina ſapientia continentur. Sed Angeli vident ipſam Dei ſapiẽtiam, quæ eſt eius eſſentia. Ergo Angeli myſteria gratiæ cognoſcunt.

¶ 3. Prætereà. Prophetæ per Angelos inſtruũtur, vt patet per Dionyſ. 4. cap. Angelicæ Hierar. Sed prophetæ myſteria gratiæ cognouerũt: dicitur enim Amos. 3. Non faciet Dominus Verbum niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas. Ergo Angeli myſteria gratiæ cognoſcunt.

SED contra eſt, quod nullus diſcit illud, quod cognoſcit. Sed Angeli, etiam ſupremi, quęrunt de diuinis myſterijs gratiæ, & ea diſcunt. Dicitur enim 7. * cap. cæleſt. Hierar, quod Sacra Scriptura inducit quaſdam cęleſtes eſſentias ad ipſum Ieſum quæſtionem facientes, & ad diſcentes ſciẽtiam diuinæ eius operationis pro nobis, & Ieſum eas ſine medio docẽtem, vt patet Iſa. 63. vbi quærentibus Angelis. Quis eſt iſte, qui venit de Edom? reſpondit Ieſus: Ego qui loquor iuſtitiam. Ergo Angeli non cognoſcunt myſteria gratiæ.

Cap 7. poſt medium.

RESPONDEO dicendũ, quod in Angelis eſt cognitio duplex. Vna quidem naturalis, ſecundum quam cognoſcunt res, tum per eſſentiam ſuam, tũ etiam per ſpecies innatas: & hac cognitione myſteria gratiæ Angeli cognoſcere nõ poſſunt: hæc enim myſteria ex pura Dei voluntate dependent. Si enim vnus Angelus non poteſt cognoſcere cogitationes alterius ex voluntate eius dependentes, multo minùs poteſt cognoſcere ea, quæ ex ſola Dei voluntate dependent. Et ſic argumentatur Apoſtolus 1. Cor. 2. Quæ ſunt hominis, nemo nouit, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt: ita & quæ ſunt Dei, nemo nouit, niſi Spiritus Dei. Eſt autem & alia Angelorum cognitio, quæ eos beatos facit, quia vident verbum, & res in verbo. Et hac quidem viſione cognoſcunt myſteria gratiæ; non quidem omnia, nec æqualiter omnes, ſed ſecundùm quod Deus voluerit eis reuelare: ſecundùm illud Apoſto. 1. Cor. 2. Nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum. Ita tamen, quod ſuperiores Angeli perſpicaciùs diuinam ſapiẽtiam contem-

contemplantes, plura myſteria & altiora in ipſa Dei viſione cognoſcunt, quæ inferioribus manifeſtant, eos illuminando. Et horum etiam myſteriorum quędam à principio ſuæ creationis cognouerunt, quædam vero poſtmodum, ſecundùm quòd eorum officijs congruit, † edocentur.

2 Diſt. 11 q. 2. art. 4. & opuſc. 1 c. 26 & Ephes 3. lect. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod de myſterio Incarnationis Chriſti dupliciter contingit loqui. Vno modo in generali: & ſic omnibus reuelatum eſt à principio ſuæ beatitudinis. Cuius ratio eſt. Quia hoc eſt quoddam generale principium, ad quod omnia eorum officia ordinantur. Omnes enim ſunt adminiſtratorij ſpiritus, vt dicitur Hæb. 1. in miniſterium miſsi propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis: quod quidem fit per Incarnationis myſterium. Vnde oportet, de hoc myſterio omnes a principio communiter edoceri. Alio modo poſſumus loqui de myſterio Incarnationis quantum ad ſpeciales conditiones: & ſic non omnes Angeli à principio de omnibus ſunt edocti: imo quidam, etiam ſuperiores, Angeli poſtmodũ didicerunt, vt patet per authoritatem Dionyſ. * inductam.

† Argum. ſed contra.

Ad ſecundum dicẽdum, quod licèt Angeli beati diuinam ſapiẽtiam contemplentur; non tamen eam comprehendunt. Et ideo non oportet, quod cognoſcant, quicquid in ea latet.

Ad tertium dicendum, quod quicquid Prophetæ cognouerunt de myſterio gratiæ per reuelationem diuinam, multo excellentius eſt Angelis reuelatum. Et licèt Prophetis ea, quæ Deus factu rus erat circa ſalutẽ humani generis, in generali reuelauerit: quædã tamẽ ſpicialia Apoſtoli circa hoc cognouerunt, quæ Prophetæ non cognouerunt, ſecundùm illud Epheſ. 3. Poteſtis legentes intellige re prudentiam meam in myſterio Chriſti, quod alijs generationibus non eſt agnitum, ſicut reuelatum eſt Sanctis Apoſtolis eius. Inter ipſos etiã Prophetas poſteriores cognouerũt, quod priores nõ cognouerũt, ſecũdũ illud Pſal. 118 Super ſenes intellexi. Et Gregor. * dicit, quod per ſucceſsiones temporum creuit diuinæ cognitionis augmentum.

* Homil. 16. in Ezech. à med. illius.

Prima concluſio.

Cognitione naturali Angeli non poſſunt cognoſcere myſteria gratiæ.

Secunda concluſio.

Cognitione ſupernaturali, & in Verbo Angeli cognoſcunt myſteria gratiæ, inæqualiter tamen, iuxta maiorem, vel minorem perfectionem luminis, quo illuſtrantur.

Tertia concluſio.

Angeli à principio ſuæ creationis cognoſcunt aliqua myſteria gratiæ, aliqua verò cognouerunt poſteà ſucceſſu temporis.

Quarta concluſio.

Omnes Angeli à principio ſuæ creationis cognouerunt myſterium Incarnationis, in communi tamen, & in generali; non verò perfectè quantum ad ſpeciales circunſtantias.

DIS-

DISPVTATIO VII.

De cognitione Angelorum reſpectu rerum materialium.

POSTQVAM cum Angelico Præceptore diſput. præcedenti egimus de cognitione, quam habet Angelus de rebus immaterialibus: meritò in hac diſput. de cognitione Angelica in ordine ad res materiales ſermonem inſtituimus. Nam ſicut ſermo prioris illius cognitionis, quippe perfectioris ex parte obiecti, debuit præcedere: ita nunc diſcuſsio poſterioris cognitionis terminatæ ad ignobilius obiectum debebat ſubſequi, vt ita vnicuique ſua propria ſedes iuxta ſuam dignitatem tribuatur.

DVBIVM I.

An Angeli cognoſcant res materiales?

CVM præſens diſputatio comprehendat cognitionem rerum materialium, tam earum, quæ ſunt in hoc ordine indirectè, & per accidens, quam directè, & perſe: idcircò à cognitione rerum per ſe directè materialium exordium in communi ſumimus.

§. I. *Vera, & Catholica ſententia, & ratio D. Thomæ pro ea.*

Catholica ſententia.

1 DIcendum ergo eſt, Angelos cognoſcere res materiales. In hac aſſertione conueniunt omnes interpretes D. Thomæ, & communiter Theologi, tamquam in re certa ſecundùm fidem, vt conſtabit ex teſtimonijs dub. ſequenti adducendis. Eam etiam tradunt Dionyſ. cap. 7. de diuin nomin. Aug. lib. 2. de Geneſ. ad lit. cap. 8. & lib. 3. cap. 25 D. Thomas ar. 1. huius quæſt. & 2. contra Gent. cap. 99. de Veritate q. 8. art. 8. & q. 10. art. 9. & alij Patres, de quibus loco citato.

Dionyſ. Auguſt. D. Thom.

Ratio fundamentalis.

Ratio autem fundamentalis huius aſſertionis deſumitur ex D. Thoma art. 1. huius q. poteſtque ſub hac forma proponi. Nam talis eſt ordo in rebus, quòd ſuperiora in entibus ſunt perfectiora inferioribus: & quod in inferioribus continetur deficienter, partialiter, ac multipliciter, in ſuperioribus præhabetur eminenter, & per quamdam totalitatem, ac ſimplicitatem, non qualitercumque, ſed itavt ibi ſint ad modum earundem rerum ſuperiorum: ſed Angeli ſunt ſubſtantiæ ſuperiores reſpectu omnium materialium. ergo ſunt perfectiores illis: & omnia illa, & quicquid eſt in ipſis deficienter, & partialiter, ac multipliciter, eſt in eiſdem Angelis eminenter, & per quamdam totalitatem, ac ſimplicitatem, & non vtcumque, ſed ad modum eorumdem Angelorum, ſcilicet intellectuali, & intelligibili modo, nempe, per ſuas ſpecies intelligibiles, ſicut & ipſi Angeli ſecundùm ſuam naturam pertinent ad ordinem intellectualem, & intelligibilem: ac proinde Angeli per prædictas ſpecies omnia materialia cognoſcent.

Confirmatio.

2 Confirmatur, & explicatur ratione eiuſdē Sancti Doctoris. Nam ex eo, quòd Deus eſt ſupremum ens, ideò in illo, ſicut in ſummo rerum vertice, omnia ſuperſubſtantialiter præexiſtunt ſecundùm ipſum ſuum ſimplex eſſe, vt Dionyſ. dicit in lib. de Diui. nomin. & propterea per ſuam eſſentiam omnia materialia cognoſcit. Sed Angeli inter cæteras creaturas ſunt Deo propinquiores, & ſimiliores: vnde & plura participant ex bonitate diuina perfectiùs, vt Dionyſ. dicit c. 4. cæleſt. Hierar. Ergo omnia materialia præexiſtunt in ipſis Angelis, ſimpliciùs quidē, & immaterialiùs, & ad modum eorundem Angelorum, ſcilicet, medijs ſpeciebus intelligibilibus: ac ſubinde, ſicut Deus per ſuam eſſentiam materialia cognoſcit: ita Angeli ea cognoſcunt per hoc, quòd ſunt in eis per ſuas intelligibiles ſpecies. Quam rationem propoſuit D. Thomas 2. contr. Gent. c. 99. his verbis: *Cùm ſpecies rerū diſtinguantur ſicut ſpecies numerorum, vt ſuprà habitum eſt: oportet, quòd in ſpecie ſuperiori conti-*

D. Thom.

continentur aliqualiter, quod eſt in inferiori, ſicut maior numerus continet minorem. Cùm igitur ſubſtantiæ ſeparatæ ſint ſupra ſubſtantias corporales: oportet, quod ea, quæ ſunt in ſubſtantijs corporalibus per modum materialem, ſint in ſubſtantijs ſeparatis per modum intelligibilem. Quod enim eſt in aliquo, eſt in eo per modum eius, in quo eſt.

§. II. *Obiectiones contra rationem Angelici Præceptoris, & reſponſiones ad illas.*

Obiectio prima contra rationē D. Thom.

3 PLura tamen ſunt, quæ rationem hanc D. Thomæ, & eius confirmationem videntur ineffi cacitatis arguere. Primum eſt. Quòd ſolius Dei videtur eſſe proprium ratione ſuæ ſummæ eminentiæ, & perfectionis, vt eminenter, vnitè, & perfectiſsimè contineat, quicquid eſt in inferioribus alijs rebus, non verò id conuenire queit alteri, præter Deum. Nam cùm quæuis alia res conſtet genere, & differentia, & ſuis limitibus eſſentialibus claudatur, ita limitatur ad ſuam propriam perfectionem eſſentialem, vt non contingat perfectiones eſſentiales aliarum rerum quoad propria earumdem. Et

D. Thom. propterea ex D. Thoma ſuprà quæſt. 55. dicebamus, Angelum, quantumuis ſuperiorem, non poſſe per ſuam eſſentiam cognoſcere alios Angelos, aut res materiales quoad prædicata propria eorundem: ex eo quòd conſtet genere, & differentia, proprijſque limitibus, quibus coarctatur, nec cōtineat perfectiones eſſentiales aliorum, quoad propria eorundem.

Secunda. Secundum eſt. Quòd alioqui Angelus poſſet efficienter cauſare id, quod cauſant res inferiores, quippe qui eminenter: & vnite continet earum perfectiones: ſicut propter hanc rationē Deus præſtat efficienter id, quod cauſę inferiores ſe ipſis pręſtare poſſūt.

Tertia. Tertium. Quòd plures ſunt proprietates in rebus inferioribus, quæ nequeūt contineri in ſuperioribus. Et ita, licèt homo ſit quid ſuperius, & nobilius cunctis alijs ſpecie bus contentis ſub animali, non tamen idcircò continet eminenti modo prædictas proprietates: ac proinde falſum erit, quòd ea, quę in inferioribus ſunt diſperſa, debent vnitè, & eminenti modo contineri in naturis ſuperioribus & eminentioribus.

Solutio prima. 4 Plures ſolent his obiectionibus adhiberi ſolutiones, & omnes eo tendunt, vt explicent illam maximam contentam in ratione D. Thomæ, ſcilicet, *quòd ea, quæ ſunt deficienter, & ſparſe in naturis inferioribus, præhabentur vnitè, & eminenter in ſuperioribus.* Prima ergo ſolutio eſt, prædictam maximam ſolùm eſſe intelligendam de prædicatis communibus, hoc autem ſatis eſt ad hoc, vt Angelus cognoſcat res materiales: ſiquidem hoc conuenit potentijs cognoſcitiuis inferioribus, vt prędicatum commune illis.

Reiicitur. Cæterùm hæc ſolutio non placet omninò. Quia vel intelligitur de prædicatis communibus præciſè reſpectu creaturarum inferiorum? Et hoc non: quia generare ſibi ſimile, habere *eſſe* materiale, & pati ab agente corporeo vt à cauſa principali, ſunt prædicata communia naturis inferioribus Angelo; cum tamen hæc illi non conueniant. Vel intelligitur de prædicatis communibus tam naturis inferioribus, quàm ſuperiori, & nobiliori? Et hoc non. Tū quia iſta, hoc ipſo quòd ſint cōmunia tā naturis inferioribus, quā ſuperiori, nō dicetur ex vi cōcōtinētiæ illorum in natura ſuperiori, quòd prædicta natura cōtineat propria inferiorū: ſi quidē prędicata prædicta nō ſunt propria eorū, ſed cōmunia ipſis, & naturæ ſuperiori. Tū etiam. Quia prædicta prędicata communia poſſunt conſiderari, vel vt ſunt totum quoddam actuale, vel vt dicunt rationem totius potentialis, continentis inferiora quoad propria eorundem: ergo niſi natura ſuperior extendat ſe ad continendum prædicta prædicata, vt ſunt tota quędam potentialia, continentia inferiora quoad propria illorum, non dicetur (ſtando in hac ſolutione) quòd ea, quæ ſunt ſparſa in inferioribus, continentur vnitè, & eminenti modo in natura ſuperiori. Patet conſequentia. Quia prædicata iſta, conſiderata vt totum actuale, vnitè continentur etiam in natura inferiori.

Secunda ſolutio Caietani. 5 Secunda ſolutio eſt Caietani aſſerentis, illam maximam debere intelligi cum hac limitatione, nimirum, quantum poſsibile fuerit naturæ illi ſuperiori, inſpecta conditione ipſius. Vnde, quia Deo, qui eſt ſupremum ens, eſt poſsibile, imò & neceſſarium, quòd contineat eminentiſsimo modo cunctas perfectiones rerum inferiorum, tam in *eſſe* entitatiuo, quàm intelligibili, idcircò vtroque modo illas continet. Quia verò naturæ creatæ, etiam ſuperiori, repugnat in vtroque ordine, aut in *eſſe* intelligibili præcisè ratione ſuæ eſſentiæ continere naturas, & perfectiones inferiorum (vt in prima obiectione dicebatur) inde eſt, vt non ſic illas contineat. Quia autem poſsibile eſt ipſi, quando eſt natura ſupremi gradus, continere inferiora in *eſſe* intelligibili per ſpecies ſuperadditas, ideò ſic illas habet continere: & hoc ſatis eſt ad intentum D. Thomæ. Quia hoc ipſo natura iſta ſuperior continebit inferiores, nempe materiales, quantum ſufficit ad hoc, vt illas cognoſcat.

Obiectio. 6 Nec obeſt, ſi cum aliquibus contra Caietanū vrgeas, quòd ſi hæc eſſet mens D. Thomæ & ſenſus ſuę materiæ, reſtaret illi proban-

probandum, quòd continere sic intelligibiliter naturas inferiores medijs speciebus, est vnum ex prædicatis posſibilibus conuenire Angelo, non vero ex impoſsibilibus. Sicut continere illas in *esse* entitatiuo, aut in *esse* intelligibili præcisè ratione suæ essentiæ, est vnum de prædicatis impoſsibilibus.

Responsio. Non igitur hoc vrget. Quoniam satis id constabat ex alijs, quæ Sanctus Doctor præcedentibus quæstionibus dixerat, peculiariter quęst. 50. vbi ex eo probauerat, dandos esse Angelos in rerum natura, quia ad pulchritudinem vniuersi, & perfectionem eius spectat, dari creaturas purè intellectuales, & ad supremum gradum pertinentes. Nam hinc non difficulter colligitur, prædictis creaturis Angelicis esse posſibile continere naturas inferiores in *esse* intelligibili, & medijs speciebus superadditis: quia cùm iste gradus sit omnium perfectiſsimus inter creatos, attingit quodammodò, licèt deficienter gradum diuinæ intellectualitatis, quæ est vertex omnium intellectualitatũ: & ita habet aliquid de illa, nimirum, quòd etsi non contineat inferiora in *esse* entitatiuo, aut intelligibili ratione suæ essentiæ, & proprietatum illius, sicut in Deo cernitur, continet tamen illa aliquo modo, & in *esse* intelligibili, scilicet, medijs prędictis speciebus.

Adde, quòd (vt statim adijciemus) in quæst. 14. S. Doctor ostenderat proprium esse subſtantię intellectualis, præcipuè completæ, fieri omnia medijs speciebus intelligibilibus.

Tertia solutio, per quã fit satis alijs obiectionibus. 7 Tertia solutio est, duo esse prædicatorum genera: alia disparatè se habentia, & ex æquo proprium genus dirridentia, qualia sunt, esse album, & nigrum, aut esse corruptibile, & incorruptibile: & de his non intelligitur maxima D. Thomæ. Alia verò sunt prædicata inter se ordinata, quorum vnum præsupponit aliud, saltem cùm est inuolutum cum aliquibus imperfectionibus, quæque tunc sic comparantur, vt habeant se communiter, ideſt, vt vnum sit prædicatum commune respectu alterius: quo pacto quatuor illi gradus, nempe essendi, viuendi, & intelligendi comparantur. Et de his prædicatis intelligitur maxima D. Thomę. Vnde, quia proprium est gradus sentiendi percipere materialia: idcircò anima nostra rationalis illa magis vnitè, & eminentiori ratione cognoscit. Quia verò Angelus dicit eundem gradum magis separatum ab imperfectionibus: propterea eminentiori, & vnita magis ratione, & secludendo plures imperfectiones, debet habere ea, quæ sunt gradus essendi, & viuendi communiter sumpti, necnon & illa, quæ sunt propria gradus sentiendi secluſis imperfectionibus, eminenti, & vnitomodo illa præhabendo, scilicet, percipere materialia adhuc eminentiùs, quam anima nostra rationalis. Vnde Deus (quantum est ob hanc generalem rationem naturæ superioris) non est opus, vt alia ratione contineat naturas inferiores, quamuis ratione suæ peculiaris superioritatis, & summę eminentiæ primi omninò entis, peculiari, & eminentiori ratione illas contineat. Per quæ iuxta hanc solutionem satis patet, tum ad primam obiectionem, tum etiam ad secundam, & tertiam. Quia ad summum solùm conuincunt intentum de prioribus illis prædicatis, & rationibus, non verò de his posterioribus.

Vltima solutio. 8 Posterior solutio, per quam solutio Caietani magis elucidatur, est, maximam illam Angelici Præceptoris intelligi de natura superiori, non qualicumque superioritate, sed tanta, vt pertingat ad hoc, vt sit immaterialis, & spiritualis simpliciter. Nam hæc, hoc ipso quòd talis, debet esse omnia alia inferiora, & continere formas illorum eminentiori quadam ratione: quia debet cõtinere omnia illa perfectiùs, & magis vnito modo in *esse* intelligibili. Cuius rationem satis latè tradidimus in 1. tom. tr. 3. disp. 2. dub. 1. & 2. vbi multis ostendimus, species intelligibiles habere eaſdem naturas, quas habent sua obiecta: & subſtantiam ita superiorem, vt sit immaterialis, & spiritualis simpliciter, posse fieri omnia, imò debere esse omnia medijs prædictis speciebus. Et ideò natura superior, qualis est Angelica, quippe simpliciter spiritualis, poterit sic continere eminenti modo naturas inferiores.

Angel. Doctor. Quam doctrinam mirè explicat Angelicus Doctor quæst. 2. de Verit. art. 2. his verbis: *Sciendum igitur, quod res aliqua inuenitur perfecta dupliciter. Vno modo, secundùm perfectionem sui esse, quod ei competit secundùm propriam speciem. Sed quia esse specificum vnius rei est distinctum ab esse specifico alterius rei: ideò in qualibet re creata huiusmodi perfectioni habitæ in vnaquaque re tantum deest de perfectione simpliciter, quantum perfectiùs in alijs speciebus inuenitur. vt sic cuiuslibet rei perfectio in se considerata sit imperfecta, veluti pars totius perfectionis vniuersi, quæ consurgit ex singularum rerum perfectionibus inuicem congregatis. Vnde, vt huic imperfectioni aliquod remedium esset, inuenitur alius modus perfectionis in rebus creatis, secũdùm quòd perfectio, quæ est propria vnius rei, in altera inuenitur. Et hoc est perfectio cognoscentis, in quantum est cognoscens.*

Corroboratur testimonijs D. Thomæ.

Cuius rationem reddit Sanctus Doctor ibidem

ibidem in hunc modum: *Quia ſecundùm hoc à cognoſcente aliquid cognoſcitur, quòd ipſum cognitum aliquomodo eſt apud cognoſcentem. Et ideò in 3. de anima dicitur, anima eſſe quodammodò omnia, quia nata eſt omnia cognoſcere. Et ſecundùm hunc modum poſsibile eſt, vt in vna re totius vniuerſi perfectio exiſtat.* Et paulò infrà ſubdit: *Perfectio autem vnius rei in altera eſſe non poteſt ſecundùm determinatum eſſe, quod habebat in re illa: & ideò ad hoc quòd nata ſit eſſe in re altera, oportet eam conſiderare abſque his, quæ nata ſunt eam determinare. Et quia formæ, & perfectiones rerum per materiam determinantur, inde eſt, quòd ſecundùm hoc eſt aliqua res cognoſcibilis, ſecundùm quòd à materia ſeparatur. Vnde oportet, quòd etiam id, in quo ſuſcipitur talis rei perfectio, ſit immateriale. Si enim eſſet materiale, perfectio recepta eſſet in eo ſecundùm aliquod eſſe determinatum: & ita non eſſet in eo, ſecundùm quod eſt cognoſcibilis, ſcilicet, prout exiſtens perfectio vnius eſt nata eſſe in altero.*

9 Ex quo etiam colligit, quo modo quoad hoc errauerunt aliqui ex antiquis: & eorum errorem ſic refert, dicens: *Et ideò errauerunt antiqui Philoſophi, qui poſuerunt ſimile ſimili cognoſci: volentes ſecundùm hoc, quòd anima, quæ cognoſcit omnia, ex omnibus naturaliter conſtitueretur, vt terra terram cognoſceret, aqua aquam, & ſic de alijs. Putauerunt enim, quòd perfectio rei cognitæ in cognoſcente habeat eſſe determinatum, ſecundùm quòd habet eſſe determinatum in propria natura: non autem ita recipitur forma rei cognitæ in cognoſcente. Vnde & Commentator dicit in 3. de anima, quòd non eſt idem modus receptionis, quo forma recipiuntur in intellectu poſsibili, & in materia prima: quia oportet in intellectu cognoſcente recipi aliquid immaterialiter. Et ideò videmus, quòd ſecundùm ordinem immaterialitatis in rebus, ſecundùm hoc in eis natura cognitionis inuenitur. Plantæ enim, & alia, quæ infra plantas ſunt, nihil immaterialiter poſſunt recipere. Et ideò omni cognitione priuantur, vt patet 2. de anima. Sensus autem recipit ſpecies ſine materia, ſed tamen cum conditionibus materialibus. Intellectus autem etiam à conditionibus materialibus ſpecies depuratas recipit: ſimiliter eſt etiam ordo in cognoſcibilibus &c.* Cùm ergo Angeli ſint purè ſpirituales, debent eſſe ſuperiores, & perfectiores rebus materialibus ſecundum gradum immaterialitatis, ſeu ſpiritualitatis ſimpliciter: & ideò cõtinẽt formas materiales, immaterialiter tamen, medijs ſpeciebus intelligibilibus proportionatis: & per conſequens queuntres materiales intelligere, quòd erat intentum D. Thomæ. Per quæ ad tres obiectiones propoſitas contra hanc D. Thomæ rationem ſatis conſtat.

10 Vnde non obeſt, ſi vrgeas, quòd propria ratio continendi medijs ſpeciebus intelligibilibus alias res, non eſt ſuperioritas in natura: ergo malè aſsignauimus hoc pro radice, & ratione continendi res materiales in ordine intelligibili. Antecedens probatur. Quoniam inferior continet intelligibiliter media ſpecie intelligibili Angelum ſuperiorem: cùm tamen tam in immaterialitate, quàm in alijs ſit naturæ, & rationis inferioris. *Replica.*

Ex dictis igitur patet, hoc non vrgere. Quoniam aliud eſt, an ſuperioritas in natura purè ſpirituali ſit ratio continendi alia intelligibiliter, & medijs ſpeciebus intelligibilibus eminenti, & vnito modo, ac ſuper excedenti reſpectu modi eſſendi rei contentæ: aliud verò, an ſit adæquata continendi vt cumque intelligibiliter alia. Ex quibus primum illud eſt verum: ſecundum verò falſum. Et ita ex ſuperioritate naturæ Angelicæ ſupra res materiales, non vtcumque intulimus cum Angelico Præceptore, Angelum debere intelligibiliter medijs ſpeciebus continere res materiales, ſed hanc continentiam debere eſſe eminentem, & excedentem ipſas: ita vt quæ in eis ſunt ſparſa, vnito, & eleuatiori modo ſint in Angelis. *reſpõdetur*

Cæterùm cum hoc non pugnat, quòd poſsit conuenire ſubſtantiæ purè ſpirituali, præcisè quia ſpiritualis eſt, continere intelligibiliter rem aliam ſuperioris retionis, & ſpeciei: quia continet illam modo non ita perfecto (iuxta ea tamen, quæ diſputat. præcedenti dub. 3. diximus) ſed modo imperfectiori, imperfectione ſaltem ide materiali; & per accidens in collatione ad illum, quo Angelus ſuperior eſt in ſe ipſo, aut inferiora in ſuperioribus. Et propterea Angelicus Præceptor multis in locis, & precipuè 2.2 quæſt. 23. articul. 6. ad ſecundum inquit, quòd ea, quæ ſunt infra animam, perfectiori modo ſunt in anima, quàm in ſe ipſis: ex eo quòd habent minus puritatis in ſe, quàm in illa, quippe quæ in ſe ipſis ſunt materialia, & materialiter, in anima verò modo ſpirituali, & puriori. Ea verò, quæ ſunt ſupra animam, perfectiori modo ſunt in ſe ipſis, quàm in illa. Nam in ſe ipſis ſunt puriſsima, abſque materia, in anima verò amittunt aliquid de hac puritate: nam intelliguntur non purè immaterialiter: ſed per ordinem ad rem materialem, vbi admiſcetur aliqua materialitas. *Angelicus Præceptor*

Et ita D. Auguſtin. tom. 9. tract. 1. in Ioannem in principio explicat hoc modo illud 1. Cor. 2. dum Paulus loquens de diuinis myſterijs, ait, quòd nec in cor hominis aſcenderunt *D. Aug. 1. Cor. 2.*

cenderunt. Ibi enim S. Doctor expendit verbum illud, *ascenderunt*: ex eo quòd res materiales ascendunt ad animam; mysteria verò diuina, quæ sunt maximè spiritualia, non ascendunt ad cor, sed descendunt: quoniam amittunt aliquid de sua puritate: cor verò ascendit intelligendo huiusmodi mysteria. Vnde fit, non esse inconueniens, vt perfectio, quæ est in natura superiori, & inferiori, sit imperfectiori modo in inferiori medijs speciebus intelligibilibus modo alibi dicto consideratis.

DVBIVM II.

Vtrùm Angelus cognoscat materialia singularia?

QVIA Dubio præcedenti solùm explicuimus cum Angelico Doctore, res materiales, quia materiales sunt, non subterfugere rationem obiecti cognoscibilis ab Angelo: restat nunc declarare cum eodem Sancto Doctore art. 2. huius q. an eædemmet vnà cum sua singularitate sint cognoscibiles ab Angelis?

§. I. *Expeditio dubij ex mente D. Thomæ & aliorum Patrum.*

Conclusio

11 DIcendum ergo est, Angelum cognoscere singularia materialia. Hæc assertio, si intelligatur de cognitione aliquorum singularium, siue naturalium, siue supernaturalium, est de fide, secundùm illud ad Heb. 1. *Omnes sùt administratorij spiritus.* Et Psal. 90. *Angelis suis mandauit de te: vt custodiant te* &c. Et Ecclesiastes 5. *Ne dicas: Coram Angelo non est prouidentia.* In quibus, & in alijs multis locis cõtinetur, Angelos habere administrationem, custodiam, & prouidentiam de singularibus, quæ intrinsecè includunt illorum cognitionem. Eadem veritas constat ex omnibus illis locis, in quibus dicitur, Angelos loqui cum hominibus, vt in lib. Tobiæ: iudicare causas hominum, vt Prouerbiorum 23. *Ne attingas paruulorum terminos &c. Propinquus enim illorum fortis est: & ipse iudicabit contra te causam illorum. Propinquus*, idest, *Angelus*, vt exponit D. Hier°. & disputare de rebus materialibus, vt patet ex epist. Iudæ, vbi refertur, Michaelem disputasse cum Diabolo super Moysis corpore, ne eius sepulchrum manifestum esset hominibus. Iudicium enim (teste D. Thoma 2. 2. quæst. 67. articul. 2.) intrinsecè petit cognitionem in singulari obiecti iudicati: sicut etiam locutio, & disputatio rei singularis notitiam illius includunt.

Ad Hab. 1. Psal. 90. Eccles. 5. *D. Hier. Epist. Iudæ Apost.* *D. Thom.*

Consentiunt Patrum testimonia. D. Chrisostom. Homil. 5. operis imperfecti in Matthæum, explicans illa Verba. *Et ostendit ei omnia Regna mundi Diabolus* (ait) *princeps aeris constitutus, totam terram non solùm sciebat, sed etiam videbat: & ideò poterat Christo singula loca certissimè digito demonstrare.* D. Bernard. Homil. 3. super *Missus est*, dicit, Angelos scire omnia, quæ homines assequuntur. D. Augustin. to. 8. in illud Psal. 146. *Et sapientiæ eius non est numerus: Quicquid finitum* (ait) *mundus iste complectitur, etiamsi non homini, tamen est Deo, parùm dico Deo. Angelis numeratum est.* Maximus Monachus Centuria. 3. de charitate capitul. 34. inquit *Angeli esse, nihil prorsùs etiam particularium ignorare*, & refertur in thesauro cathol. lib. 4. articul. 1. Et Diuus Thomas in præsenti: *Dicendum* (inquit) *quòd quidam totaliter subtraxerunt Angelis singularium cognitionem. Sed hoc primò quidem derogat Catholicæ fidei, quæ ponit, hæc inferiora administrari per Angelos, secundùm illud Hebreor. primo. Omnes sunt administratorij spiritus. Si autem singularium notitiam non haberent, nullam prouidentiam habere possent de his, quæ in hoc mundo aguntur: cùm actus singularium sint.* Et in 2. dist. 3. quæst. 2. art. 3. *Dicendum*, ait, *quòd præter illam positionem, quæ ponit, Angelos singularium cognitionem non habere, quæ hæretica est, & veritati sacræ scripturæ contraria* &c. Eandem assertionem docet 2. contra Centes capitul. 100. & de Veritate quæst. 8. artic. 11. & opusc. 15. cap. 13. & 15. In ipsaque modo dicto intellecta, tamquam in re certa secundùm fidem, conueniũt vnanimiter omnes Theologi.

Chrisost. *D. Aug.* *Maximus Monach.* *D. Thom.*

Ratio fundamentalis

12 Ratio autem fundamentalis huius assertionis desumitur ex Diuo Thoma locis citatis, & præcipuè articul. 2. huius quæstionis, quæ potest ad hanc formam redigi, quæ aliquomodo reducitur ad eam, quam dubio præcedenti expendimus. Quoniam quod possunt potentiæ inferiores, possunt superiores, & non vtcumque, sed eminentiori, & magis vnito modo: sed in homine sensus internus cognoscit singularia directè, intellectus verò cognoscit vniuersalia directè, & singularia indirectè: ergo intellectus Angelicus, qui est potentia superior cognoscit eleuatiori

modo

modo vtrumque: ita vt per vnam & eandem virtutem intellectiuam vnitè, & eminentiori modo iſta attingat. Maior videtur perſpicua, vt conſtat exemplo ſenſus communis qui, quoniam eſt potentia cognoſcitiua perfectior ſenſibus externis, idcircò, quod iſti ſparſim & diuiſim cognoſcunt, ſcilicet ſenſibilia externa, ille vnitè, & ſimul attingit. *Angelicus Præceptor* Quam rationem propoſuit Angelicus Præceptor 2. contra Gentes cap. 100. ſub his verbis: *Quod poteſt inferior virtus, poteſt & ſuperior, ſed eminentius. Vnde virtus inferior operatur per multa, vbi virtus ſuperior per vnum tantum operatur. Virtus enim, quantò eſt ſuperior, tantò magis colligitur, & vnitur: è contrario verò virtus inferior diuiditur, & multiplicatur. Vnde videmus, quòd diuerſa genera ſenſibilium, quæ quinque ſenſus exteriores percipiunt, vna vis ſenſus communis apprehendit. Anima autem humana eſt inferior ordine naturæ, quàm ſubſtantiæ ſeparatæ: ipſa autem cognoſcitiua eſt vniuerſalium, & ſingularium per duo principia, ſcilicet, per ſenſum, & intellectum. Subſtantia igitur ſeparata, quæ eſt altior, cognoſcit vtrumque altiori modo per vnum principium, ſcilicet intellectum.*

Obiectio 13 Nec obſtat, ſi contra rationem hanc obijcias, falſam eſſe maiorem propoſitionem illius vniuerſaliter intellectam. Siquidem intellectus eſt potentia ſuperior voluntate, vt noſtri Complut. in lib. de Anima diſputat. vltima num. 28. docent: & nihilominùs intellectus non poteſt id, quod voluntas, nempe, velle, & eligere. Et ſimiliter potentiæ vegetatiuæ ſunt inferiores potentijs ſenſitiuis: & nihilominùs iſtæ non poſſunt quod illæ, nimirum, nutrire, aut generare ſibi ſimile. Et tandem noſter intellectus eſt ſuperior ſenſibus, & non propterea poteſt omninò directè percipere ſingularia, quæ ab eiſdem ſenſibus percipiuntur. *N. Compl.*

Enodatio Reſpondetur enim, maximam illam Angelici Præceptoris contentam in maiori propoſitione huius ratienis, debere intelligi, non quidem ita vt potentia, quæ eſt ſuperior obiecti dignitate, poſsit quicquid inferior, vt patet in intellectu, & voluntate; ſed quòd potentia, quæ fuerit ſuperior obiecti vniuerſalitate, ita vt obiectum inferioris claudatur ſub obiecto ſuperioris, poteſt eleuatiori modo exequi ea, quæ potentia inferior. Et propterea hinc colligimus, diuinam potentiam poſſe, quicquid inferiores potentiæ: quia eius obiectum eſt *poſsibile*, in omni ſuo ambitu: & hoc claudit obiecta peculiaria aliarum potentiarum. Quare, cùm obiecta potentiarum cognoſcitiuarum inferiorum, nempe ſenſus, & intellectus humani, claudantur ſub obiecto intellectus Angelici, quippe qui tendit tamquam ad obiectum proportionatum ad omne intelligibile naturale: inde eſt, vt quicquid poſſunt prædictæ potentiæ quoad cognitionem naturæ vniuerſalis, & ſingularitatis, poſsit intellectus Angelicus magis vnitè, & eleuatè, quamuis nec intellectus ratione exceſſus ſupra voluntatem, nec potentiæ ſenſitiuæ ratione maioris perfectionis ſupra vegetatiuas poſsint id, quod potentiæ inferiores, nempe voluntas, aut potentiæ vegetatiuæ poſſunt: quia nec obiectum voluntatis, nempe volibile, clauditur ſub obiecto intellectus, tamquam minus vniuerſale ſub vniuerſaliori; nec obiectum potentiarum vegetatiuarum ſub obiecto ſenſuum.

Explicatio Poteſtque hoc magis explicari, ſi dicatur, maximam illam Diui Thomæ debere intelligi, non de quauis ſuperioritate, ſed tali, vt ſit ſecundùm eandem habitudinem, & proportionem: ita vt ſi potentiæ inferiores ſint præcisè productiuæ, tunc omne id, quod poſſunt virtutes inferiores productiuæ, poſsit etiam virtus productiua ſuperior: & ſi potentiæ inferiores habuerint ſedem inter cognoſcitiuas, tunc virtus cognoſcitiua ſuperior poſsit omne illud: ac tandem, ſi potentia inferior connumeretur inter appetitiuas, etiam ſuperior queat extendi ad omne id, quod ipſa, imò & eminentiori, & vniuerſaliori modo: vt patet exemplo adducto à Diuo Thoma ſenſuum externorum, & ſenſus communis, qui comparantur per modum potentiæ ſuperioris, & inferioris ſecundùm eandem habitudinem & proportionem potentiæ cognoſcitiuæ: & propterea ſenſus communis extenditur ad cognoſcendum, quicquid ſenſus externi, & non vtcumque, ſed magis eleuato modo. Sicut propter oppoſitam rationē, licèt intellectus noſter ſit perfectior potentia generatiua, aut voluntate, non idcircò poteſt, quicquid iſtæ potentiæ: quia non eſt ſuperior ſecundùm eādem habitudinem & proportionem. Per quæ ſatis ad primam, & ſecundam inſtantiam conſtat.

14 Ad tertiam verò reſpondetur cum Caietano in præſenti; & cum Ferrara 2. contra Gentes capitul. 100. quòd intellectus humanus poteſt cognoſcere ſingulare directè, prout eſt in ſtatu ſeparationis, & adhuc pro hoc ſtatu (licet indirectè attingat illud) attamen cognoſcit ipſum altiori modo, quā ſenſus: nam ſenſus cognoſcit accidentia, & non penetrat vſque ad eſſentiam. Quod ſi ſingulare cognoſcitur directè à ſenſu, hæc eſt imperfectio ſenſus propter eius materialitatem, quæ non debet reperiri in intellectu: nam quicquid eſt in virtute inferiori, ſolàm debet eſſe in ſuperiori demptis imperfectionibus, vt dictum eſt. Vnde *Caietanus Ferrara*

attentis

attentis omnibus, perfectiùs est cognoscere singularia indirectè, sicut intellectus illa cognoscit, quàm cognoscere ipsa directè, sicut sensus illa attingit. Adde, quòd intellectus; adhuc pro hoc statu, per species, quas ipse post cognitionem indirectam singularium format, potest adhuc directè illa attingere, vt
N. Compl. nostri Complut, in lib. de Anima disp. 21. n. 109. docent. Constat autem, esse quid nobilius attingere his duobus modis singulare, quàm cognoscere illud præcisè directè, & inuolutè cum illis imperfectionibus, cum quibus sensus illud percipit.

§. II. *Oppositasententia, argumenta pro ea, & enodationes eorum.*

Contraria sententia. 15 CONtraria tamen sententia solet adscribi Commentatori 12.
Comment. Met. textu 51. qui non solùm Angelo, verum etiam Deo videtur cognitionem singulariũ
D. Thom. negasse. Alij etiam (vt refert D. Thomas in præsenti ar. 2. & in 2. d. 3. q. 1. ar. 3.) asserebãt, quòd Angeli non cognoscunt singularia immediatè in se, sed in suis causis vniuersalibus, & quasi in cõfuso, sicut eclipsis futura cognoscitur ab astrologis.

Primum argumentum. Potestque probari primò. Nam intellectus humanus non cognoscit singularia materialia saltem directè: quoniam virtus intellectiua humana est immaterialis; singulare verò materiale est concretum materiæ: sed virtus intellectiua Angeli est purior, & immaterialior, vt de se patet: ergo non potest cognoscere singulare materiale saltem directè.

Soluitur Respondetur, non ideò intellectum hũmanum pro hoc statu non posse cognoscere singulare materiale saltem directe, quia spiritualis est, sed quia cognoscit per speciem abstractam ab ipsis rebus, & ab ipsis singularibus, qua ratione talis species non potest repræsentare singulare: quod non competit Angelis, qui non cognoscunt per species à rebus abstractas, sed à Deo inditas, & respicientes (ex eo quòd sunt participationes speciei intelligibilis, quæ est in mente diuina) non solum principia speciei, sed etiam principia
D. Thom. indiuiduantia. Quam solutionem tradit & mirè explicat D. Thom. 2. contra Gentes capit. 100. ratione 3. his verbis: *Species rerum intelligibiles contrario ordine perueniunt ad intellectum nostrum, & intellectum substantiæ separatæ. Ad intellectum enim nostrum perueniunt per viam resolutionis, scilicet, per abstractionem â conditionibus materialibus indiuiduantibus: vnde per eas singularia â nobis cognosci non possunt. Ad intellectum autem substantiæ separatæ perueniunt species intelligibiles, quasi per viam compositionis: habet enim species intelligibiles ex assimilatione sui ad primam intelligibilem speciem intellectus diuini: quæ quidem non est à rebus abstracta, sed rerum factiua. Est autem factiua non solùm formæ, sed materiæ, quæ est indiuiduationis principium. Species igitur intellectus substantiæ separatæ totam rem respiciunt, & non solùm principia speciei, sed etiam principia indiuiduantia. Non est igitur singularium cognitio subtrahenda substantijs separatis: licèt intellectus noster singularia cognoscere non possit.* Eandem solutionem, adhuc vberiùs, explicat idem Sanctus Doctor quodlib. 7. ar. 3. in corpore.

Secundũ argumentum 16 Arguitur secundò pro hac sententia; Nam res materiales, siue in communi, siue in particulari sumptæ, non sunt obiectum proportionatum intellectus Angelici: ergo non potest viribus proprijs eas distinctè, & perfectè cognoscere. Consequentia patet. Quia potentia non attingit viribus proprijs perfectè, & distinctè id, quod non est intra eius obiectum proportionatum, vt inductiuè patet in alijs potentijs. Antecedens autem probatur. Quia res materiales, siue in communi, siue in particulari acceptæ, non sunt modificationes substantiarum purè spiritualium, conuenientium cum intellectu Angelico in gradu immaterialitatis, nec ipsæ habent in prædicto gradu conuenientiam cũ illo.

Occurritur ex nostris Complut. Huic argumento occurrunt nostri Complutenses in lib. de Anima disputat. 17. num. 35. dicentes, quòd res materiales, tam in cõmuni, quàm in singulari sumptæ, licèt non possint esse modificationes substantiarum separatarum, sunt tamen obiectum proportionatum respectu intellectus Angelici, non quidem per se primum (proprium enim substantiarum separatarum est, vt per se primò terminentur ad res spirituales, vt docet Diuus Thomas suprà quæst. 54. articul 4.) *D. Thom.* sed per se secundum: quatenus rationes substantiarum separatarum redduntur obiecta proportionata, secundaria tamen, respectu intellectuum Angelorum. Cur autem, & quo modo fiat, quia non erat illius loci, non exponunt, sed in hunc remittunt videndum. Quod sic optimè explicari potest. Quia eo ipso, quòd intellectus Angelicus per se primò terminetur ad substantias spirituales, est tantæ perfectionis, intellectualitatis, & immaterialitatis, quòd postulet, vt sibi ab instanti suæ creationis infundãtur à Deo species quæ repræsentent illi res materiales, tam in communi, quàm in particulari sumptas, quæ attinguntur per se primò à virtutibus cognoscitiuis inferioris immaterialitatis, & perfectionis: & per consequens hinc etiam fit, quòd res materiales, tam in communi, quàm in particulari acceptæ, licèt

non

non poſsint eſſe modificationes ſubſtantiarũ ſeparatarum: nihilominùs ratione earum ſunt obiecta proportionata intellectus Angelici, licèt ſecundaria: quia deficiunt ab immaterialitate illius.

DVBIVM III.

Vtrùm Angelus per eandem ſpeciem cognoſcat naturam communem, & illius indiuidua? Vbi etiam, an ſimul omnia illorum accidentia?

STABILITA iam extenſione virtutis cognoſcitiuæ Angelicæ reſpectu ſingularium materialium, & eorum naturæ ſpecificę: reſtat examinandus modus, quo hæc extenſio fit, an nimirum fiat per vnicam dumtaxat ſpeciem repræſentantem ſimul naturam ſpecificam & etiã ſingularitatem? an verò per multiplicem ſpeciem, ita vt per vnam attingat naturam communem, & per aliam cognoſcat ſingularitatem.

§. *I. Enodatio dubij ex mente D. Thomæ.*

Aſſertio 17 DIcendum ergo eſt, Angelũ per eandem ſpeciem, per quã cognoſcit naturã ſpecificam, v.g. humanam, cognoſcere etiam indiuidua illius. Ita D. Th. in hoc ar. 2. in corpore, & in ſolutione ad tertium, ſic inquiens: *Dicendum, quòd Angeli* D. Thom. *cognoſcunt ſingularia per formas vniuerſales, quæ tamen ſunt ſimilitudines rerum, & quantum ad principia vniuerſalia, & quantum ad indiuiduationis principia.* Et 2. cont. Gentes cap. 100. ratione prima. *Quia verò*, inquit, *ſimilitudines rerum in intellectu ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt vniuerſaliores, quàm in intellectu noſtro, & efficaciores ad hoc, quòd per eas aliquid cognoſcatur per ſimilitudines rerum materialium, ſubſtantiæ ſeparatæ non ſolum cog-* Capreolus *noſcunt res materiales ſecundùm rationem ge-* Ferrara *neris, vel ſpeciei, ſicut intellectus noſter, ſed et-* Caietanus *iam ſecundùm indiuidua.* Idem docet de Ve- Bañez rit. q. 8. art. 11. quodlib. 7. ar. 3. ad 1. & alibi Zumel ſæpè. Sanctum Doctorem ſequuntur commu- Nazarius niter eius diſcipuli Capreol. in 2. diſt. 3. q. 2. Ripa art. 3. ad primum argum. contra 8. concluſio nem, Ferrar. 2. cont. Gent. capit. 100. Caiet. Bañez, Zumel, Nazar. & Ripa in præſenti. Eandem tuentur Marſil. in 2. Sent. quæſt. 2. Ægidius. Rom. tr. de cognitione Angelorum quæſt. 9. Argent. in 2. diſt. 3. Suar. lib. 2. de Angelis capit. 6. num. 22. Valent. quæſt. 8. de cognitione Angelorum punct. 2. & alij. *Marſilius* *Ægidius Roman.* *Argẽtina* *Suarez* *Valentia*

Ratio fundamentalis 18 Ratio autem fundamentalis huius aſſertionis deſumitur ex D. Thoma locis citatis, poteſtque ad hanc formam redigi. Quoniam ſpecies Angelicæ, quippe eleuatæ, & ſuperioris rationis, non accipiuntur à rebus, ſed ſunt participationes immediatæ diuinorum exemplarium, diuinæque eſſentiæ, vt habet rationem ſpeciei intelligibilis: ſed diuina exemplaria, & eſſentia Dei, vt eſt ſpecies intelligibilis, non repræſentant præcisè naturam ſpecificam ſine ſingularitate, ſed ſimul vtrumque. Ergo ſpecies Angelicæ inde exemplatæ, indeque participatæ, non repræſentabunt ſolam naturam ſpecificam, ſed ad rationes indiuiduales illius etiam extendentur: ac proinde Angelus per illas vtrumque cognoſcet. Patet conſequentia. Quoniam effectus debet, quantum fieri poſsit, aſsimilari ſuæ cauſæ.

Confirmatio prima. Confirmatur primo ratione D. Thomæ locis citatis, & 2. contra Gent. quam dubijs præcedentibus proſecuti ſumus, nempe, quòd ea, quæ in inferioribus naturis ſunt diſperſa, debent in ſuperiori eſſe collecta & vnita: ſed anima noſtra per plures virtutes & potentias, & interuenientibus diuerſis ſpeciebus attingit naturam vniuerſalem, & ſingularia: nam per intellectum, & per ſpeciem vniuerſalem naturæ cognoſcit illam, per ſenſum verò media ſpecie ſingulari attingit indiuiduum quoad eius ſingularitatem: ergo Angelus, quippe naturæ ſuperioris, per vnicam dumtaxat potentiam, vnicamque ſpeciem omnia iſta attinget.

Secunda Confirmatur ſecundò ratione eiuſdem S. Doctoris loco ſcitato ex 2. contra Gentes ex diſcrimine, quod intercedit inter ſpecies intellectus noſtri, & Angelici. Nam illæ deſumuntur â rebus: & ideò quando ab eis præcisè deſumuntur, tantùm poſſunt repræſentare naturam communem: tum, quia fiunt per abſtractionem à phantaſmatibus, atque adeò à ſingularitate: Tum etiam, quia eo ipſo (vt ex Diuo Thoma 2. contra Gentes capit. 100. in dub. præcedenti dicebamus) fiunt per viã reſolutionis, ideſt tollendo ab eis aliquid ex his, quæ ſunt in illis, ſcilicet ſingularitatem: tum deinde, quia res materiales agunt per ſuam formam; non verò ratione materiæ ſingularis, aut conditionum ſingularium materialium: Vnde ſicut intellectus quodammodò eſt in materia, & quodammodò nõ eſt in illa, vt alibi ſæpè dixim⁹: ita ratio agẽdi ſpeciei in eodẽ intellectu debet eſſe quodammodò

dò in materia, quatenus dicit naturam materialem, & quodammodò non esse in illa, quatenus non est ratio agendi per conditiones singulares, & materiales, sed ab illis aliquo modo præscindit: & ita species illa solùm repræsentat prædictam formam, & naturam communem. Cæterùm species Angelicæ, quia sunt immediatè desumptæ ex essentia diuina, vt habet rationem exemplaris, & speciei intelligibilis, & ratio participationis ex parte diuinæ essentiæ se tenens est actualior, vniuersalior, & extensior; idcircò effectus inde productus, scilicet species intelligibilis Angelica, participatur sub maiori actualitate, vniuersalitate, & extensione: & ita vnica dumtaxat species Angelica potest, tam naturam vniuersalem, quàm indiuiduationem eius repræsentare.

§. II. *Euasiones ad rationem D. Thomæ cum præclusionibus earum.*

Solutio rationis D. Thom.

19 VNde nihil obest, sed potiùs ex dictis manet impugnatum id, quòd potest ad hæc responderi, scilicet, istam perfectionem repræsentandi simul per eandem speciem naturam, & singularitatem, posse quidem inueniri in essentia diuina, non tamen in specie creata, etiam si sit infusa: quia quoad hoc par videtur ratio in acquisita, ac in infusa. Nam licèt ista non producatur ab obiecto, sed immediatè à Deo; fit tamen dependenter ab obiecto vt à causa specificante, ac proinde vt à causa, cui debet commensurari, non minùs quàm species acquisita: & ideò debet habere similem commensurationem cum suo obiecto, sicut species spiritualis abstracta à rebus, quæ solum repræsentat naturam communem, non verò conditiones indiuiduantes.

Elidetur

Ex dictis igitur constat, hoc nihil referre. Tum, quia iam ostendimus disp. præcedenti, intellectum Angelicum esse longè vniuersaliorem, & actualiorem, quàm intellectum humanum: ac proinde eius species esse vniuersaliores, & magis se extendentes, quàm species hominis: & propterea extendi ad repræsentandas naturas specificas cum suis conditionibus indiuidualibus. Tum etiam. Quia alioqui non posset saluari superioritas intellectus Angelici, & suarum specierum supra inferioritatem intellectus nostri, vt ex prima cõfirmatione liquet. Vnde Sanctus Doctor 2. contra Gent. cap. 100. hoc discrimen explicans, & supponens, singularia materialia fieri intelligibilia per species spirituales, atque adeò factas per abstractionem à phantasmatibus, respectu cuiusmodi agendi sola natura, non verò singularitas est agendi ratio, sic inquit: *Cùm enim species rerum in intellectu existentes oporteat esse immateriales, non poterunt, secundùm quòd sunt in intellectu nostro, esse principium cognoscendi singularia, quæ per materiam indiuiduantur: eò quòd species intellectus nostri in tantum sunt contractæ virtutis, quòd vna ducit solùm in cognitionem vnius. Vnde, sicut similitudo naturæ generis non potest ducere in cognitionem generis, & differentiæ, vt per eam species cognoscatur: ita similitudo naturæ speciei non potest ducere in cognitionem principiorum speciei, & indiuiduantium, quæ sunt principia materialia, vt per eam indiuiduũ in sua singularitate cognoscatur. Similitudo verò intellectus substantiæ separatæ, cùm sit vniuersalis virtutis, vna & immaterialis existens, potest ducere in cognitionem principiorum speciei, & indiuiduantiũ, quæ sunt principia materialia: ita quòd per eam substantia separata non solùm materiã generis, & speciei, sed etiã indiuidui cognoscere possit per suum intellectum: nec sequitur, quòd forma, per quã cognoscit, sit materialis, vel quòd sint infinitæ secundùm numerum indiuiduorum.*

Illustratur

Nec id, quod in fauorẽ huius solutionis adductũ est, si prodest. Quia (vt iã diximus, & statim magis explicabimus) prędictę species nõ solũ fiunt immediatè à Deo, sed sunt exẽplatę ab essẽtia diuina, & ad instar repręsẽtationis illius: & ideò possũt habere similẽ repręsentationẽ. Nec obest quòd prædicta species specificaretur ab obiecto. Quia cũ hac specificatione posset cohærere repręsentatio naturę specificæ, & conditionum indiuidualium illius: vel quia, quod perse primo repræsentaretur, esset natura specifica, & conditiones indiuiduales solùm secundariò; vel quia omnia ista possent repræsentari sub vna ratione *sub qua*, vt quæst. 55. explicuimus. Adde, esse satis probabile, prædictam speciem infusam non specificari ab obiecto, sed reduci in diuinam essentiam, cuius est participatio, & ex ordine ad illam specificari, vt loco citato latiùs exposuimus.

Alia euasio

20 Et similiter nihil obest, si rationi præcipuæ aliter occuras, addens, quòd potiùs ex ea videtur sequi, Angelum non cognoscere per vnam & eandem speciem naturam communem, & eius conditiones indiuiduales. Quia, vt docet D. Thom. de Verit. q. 7. ar. 8. ad 2. Deus per diuersas ideas cognoscit diuersa singularia: & in ipso idea naturæ communis est distincta ab idea singularitatis: & ita potiori ratione species intelligibilis Angeli repræsentans naturam specificam, & conditiones indiuiduantes, non erit omninò eadẽ, sed distincta.

D. Thom.

Impugnatur.

Non igitur hoc obstat. Nam etsi demus, ideam naturæ communis v. g. hominis vt sic, esse distinctam ratione ab idea singularis, si prædictæ ideæ considerentur, quatenus (vt sic dicamus) respiciunt hæc obiecta, vt ratione distincta in *esse* obiecti cognoscibilis: nihilominùs quatenus respiciuntur in ratione producibilis, attinguntur per vnam & eandem

eandem ideam, ſicut eadem productione habent produci. Cæterum ſpecies intelligibiles Angelicæ aſsimilantur diuinis ideis, vt habent rationem exemplarium, ideſt, vt reſpiciunt naturam, & ſingularitatem per modũ producibilium: & propterea vnica dumtaxat ſpecies intelligibilis Angeli poteſt repræſentare naturam communem cum ſuis conditionibus ſingularibus, & in hoc aſsimilari prædictis exemplaribus diuinis: quia hoc ſatis conſonat actualitati, & vniuerſalitati intellectus Angelici, vt explicatum eſt. Vnde D. Thom. quæſt. 8. iam cit. de Verit. art. 11. inquit: *Rationes ideales in Deo exiſtentes ſunt effectiuæ rerum, non ſolùm quantum ad formam, ſed etiam quantum ad materiam: & ideò ſimilitudines ſunt rerum quantum ad vtrumque. Et propter hoc cognoſcitur res à Deo, non ſolùm in vniuerſali natura ex parte formæ; ſed etiam in ſua ſingularitate ex parte materiæ. Sicut autem ab intellectu diuino effluunt res naturales ſecundùm formam, & materiam ad eſſendum ex vtroque: ita effluunt formæ intellectus Angelici ad cognoſcendum vtrumque: & ideò per formas innatas cognoſcunt res in ſua ſingularitate, & vniuerſalitate, in quantum ſunt ſimiles formis factiuis, ſcilicet ideis in mente diuina exiſtentibus, quamuis ipſæ non ſint rerum factiuæ.* D. Thom.

Quod etiam eleganter explicuit quod lib. 7. art. 3. his verbis. *Per formam autem, quæ eſt cauſa rei, hoc modo cognoſcitur res, ſecundùm quòd forma illa eſt cauſa eius. Et quia artifex homo per formam artis non producit materiam, ſed materia præſuppoſita inducit formam artis, forma artis, quæ eſt in mẽte artificis, non eſt ſimilitudo artificiati niſi quoad formam tantùm: vnde per eam non cognoſcit artificiatum in particulari, niſi formam artificiati per ſenſum accipiat. Artifex autem increatus, ſcilicet Deus, non ſolùm producit formam, ſed etiam materiam: vnde rationes ideales in mente ipſius exiſtentes, non ſolùm ſunt efficaces ad cognitionem vniuerſalium, ſed etiam ad ſingularia cognoſcenda à Deo. Sicut autem illæ rationes ideales effluunt in res producendas in eſſe ſuo naturali, in quo particulariter vnumquodque ſubſiſtit in forma, & materia: ita procedunt in mentes Angelicas, vt ſint in eis principium cognoſcendi res ſecundum ſuum totum eſſe, in quo ſubſiſtunt: & ſic per ſpecies infuſas ſibi ab arte diuina Angeli non ſolùm vniuerſalia, ſed etiam particularia cognoſcunt, ſicut & Deus.*

Poteſtq; hoc magis explicari ex eo, quòd ſpecies infuſæ Angelorũ nõ ſolùm ſunt participationes diuinarum idearũ, & exemplarium, verùm etiam diuinæ eſſentiæ, vt habet rationem ſpeciei intelligibilis, vt loco nuper citato diximus. Quare, cùm certum ſit, eſſentiam diuinam, vt habet rationem ſpeciei intelligibilis, repræſentare per modum ſimpliciſſimæ ſpeciei intelligibilis naturam ſpecificam cum ſuis conditionibus ſingularibus, & hoc non excedat immaterialitatem & actualitatẽ intellectus Angelici, vt quæſt. 57. latiùs diximus: conſequẽs eſt, vt prædicta ſpecies Angelica poſsit, & debeat naturã cũ ſuis cõditionib⁹ ſingularib⁹ repreſentare.

21 Nec etiam obſtat, ſi vrgeas, quòd ſi hæc ratio probaret intentum, conuinceret vtique, per eandem ſpeciem infuſam Angeli repræſentari omnia ſingularia materialia, quæ poſsibiliter continentur ſub eadem natura ſpecifica, ſiquidem prædicta natura æqualiter ſe habet ad omnia illa, & non poteſt aſsignari ratio, propter quam hæc, & non illa, vel aliqua, & non omnia poſsint repræſentari: hoc autem videtur impoſsibile. Tum, quia eadem ratione poſſet Angelus omnia illa ſimul cognoſcere: quod tamen videtur repugnare: ex eo quòd ad cognitionem ſimultaneam infinitorum quoad ſuas proprias rationes requiritur infinita attentio, quæ ab Angelo præſtari nequit. Tum etiam. Quia illa ſpecies, ſaltem vt eſt participatio diuinarum idearum, non poteſt ampliùs ſe extendere, quàm ideæ vt factiuæ: & in Deo dantur plures ideæ factiuæ plurium ſingularium. Replica.

Non itaque hoc vrget. Quoniam nullum eſt inconueniens tribuere Angelo prædictam ſpeciem repræſentantem naturã ſpecificam cum omnibus indiuiduis poſsibilibus, contentis tamen in virtute cauſarum naturalium pertinentium ad hoc vniuerſum, etiam ſi ſint infinita. Quia omnia iſta repræſentantur per eſſentiam diuinam vnà cum natura ſpecifica, quatenus prædicta eſſentia gerit vicem ſpeciei intelligibilis, & ſatis cõgruit actualitati, & vniuerſalitati intellectus Angelici hoc in ſuis ſpeciebus à diuina eſſentia participare, vt ex dictis liquet. Vnde D. Thom. art. 2. huius quæſt. in ſolut. ad 3. & in 2. diſt. 3. quæſt. 2. art. 3. ad 3. hoc ipſum fatetur, reddens eius rationem his verbis: *Dicẽdũ, quod ſicut ex prædictis patet, quãtò aliquis Angelus eſt ſuperior, tãtò plura vna ſpecie cognoſcere poteſt. Nullus tamẽ eſt, in quo oporteat ſecũdùm numerũ indiuiduorũ ſpecies multiplicari: quia per vnã ſpeciẽ omnia indiuidua illius ſpeciei cognoſcit: & illa ſpecies efficitur propria ratio huius, vel illius ſecundùm reſpectum ad hoc, vel ad illud per modum, quo idea in intellectu diuino multiplicãtur.* Quod quidem docuit S. Doctor quodlib. 7 art. 3. infine corporis, vbi ſic habet: *Hoc tamẽ obſeruato, quòd, in infimis Angelis ſunt formæ adhuc vniuerſales, in tantum, quòd per vnam formam poſſunt cognoſcere omnia indiuidua vnius ſpecies, ita quòd illa ſpecies ſit propria vniuſcuiuſq; particularium ſecũdùm diuerſos reſpe-* Solutio. D. Thom.

respectus eius ad particularia: sicut essentia diuina efficitur propria similitudo singulorum secundùm diuersos respectus. Sed intellectus humanus, qui est vltimus in ordine substantiarũ intellectualium, habet formas in tantum particulatas, quòd non potest per vnam speciem, nisi vnum quid cognoscere: & ideò similitudo speciei existẽs in intellectu humano, non sufficit ad cognoscenda plura singularia: & propter hoc intellectui adiuncti sunt sensus, quibus singularia accipiat.

Et ratio huius videtur posse amplius reddi ex dictis. Quia (vt ex D. Thoma disp. 5. n. 105. dicebamus) quiuis Angelus habet modum talem essendi, talemque vniuersalitatem in suo modo intelligendi, vt non habeat speciem repræsentantem vnicam duntaxat naturam inferiorem, sed plures. Constat autem, minorem vniuersalitatẽ requiri ad hoc, vt species repræsentet omnia indiuidua iam dicta eiusdem atomæ naturæ vnà cum illa, quàm ad hoc vt repræsentet plures species, & naturas atomas. Et ideò species intelligibilis, quà has repræsentat, debet esse superior ad illam, quæ vnam duntaxat naturam cum omnibus suis indiuiduis iam dictis repræsentauerit: ac proinde repræsentabit omnia, quæ prædicta species intelligibilis; & insuper aliam naturam specificam similiter singularizatam: siquidem quæ sunt dispersa in inferioribus, debent vnitè præesse in superioribus.

Enucleatio præcedẽtis rationis.

Adde (& explicabitur magis ratio præcedens.) Quòd cùm prædictę species sint exẽpleatę à diuinis exemplaribus, vt sunt factiuæ rerum, & istæ eo ipso se extendant ad naturam, & singularitatem: & deinde non sit maior ratio, quare species Angelicæ potius participent illas ideas, vt sunt factiuæ plurium singularium (quod quidem ad earum vniuersalitatem supra species alias inferiores, tum sensuum, tum intellectus humani, de quibus nostri Compl. in lib. de anima d. & n. ci. agũt, desideratur) quàm omnium illius naturæ atomæ iam dictorum: siquidem ad id non requiritur maior virtus intensiua, sed extensiua: & non est maior ratio cur sicut ad plura, ita ad omnia illa non extendatur: inde est, vt sint participationes earum, vt sunt factiuæ omnium illorum indiuiduorum illius naturæ. Vnde hoc ipsum tuentur Capreol. in eadem d. q. 2. articul. 3. ad 10. cont. 8. conclusionem Caietan. & Nazar. ad artic. 2. huius quæstionis, & probabiliorem censent Bañez, & Zumel ibidem.

N. Compl.

Capreol.
Caietanus
Nazarius
Bañez
Zumel

Occurritur primæ probationi obiectionis.

23 Vnde ad formam obiectionis concedatur sequela: sed negetur minor. Et ad primam probationem in contrarium dicendum est, hinc non fieri, requiri infinitam attentionem ad omnia ista indiuidua simul cognoscenda, sed sufficere finitam: sicut neque in ipsa specie requiritur vis repræsentatiua infinita simpliciter, sed secũdùm quid, & ratio est. Nam sicut in natura illa repræsentata non desideratur infinita perfectio, vt contineat sub se infinita indiuidua; sic neque in specie illam repręsentãte, nec in cognitione ad omnia illa terminata, Et propterea videmus, naturam Angeli Gabrielis, vt dicit vnicam dumtaxat singularitatem adæquãtem in perfectione omnia singularia naturæ humanæ, excedentemque illam, non idcircò esse infinitã simpliciter, sed secundùm quid.

Ad secundam verò probationem dicendum est, speciem illam, ad huc vt est participatio diuinarum idearum, posse extendi ad omnia illa singularia: ita tamẽ, vt penes diuersos respectus ad illa sint in ea assignandæ plures rationes per nostrum intellectum distinctæ, vt in diuinis ideis contingit: quæ rationes sunt distinctæ, & formaliter realiter est vnica simplicissima, vt ex D. Thoma nuper dicebamus. Quamuis prædicta species, vt præcisè est participatio essentiæ diuinæ, vt est species intelligibilis, non dicat hanc pluralitatem respectuum, sed eademmet omnino respiciat naturam illam atomam, & eius indiuidua, quæ sit altioris & eminentioris ordinis, vt in simili q. 55. explicuimus.

Satis fit secundæ.

Diximus, per prædictam speciem repręsentari naturam cum omnibus indiuiduis possibilibus, contentis tamen in virtute causarum naturalium pertinentium ad hoc vniuersum, non verò quòd absolutè repræsentet omnia indiuidua possibilia. Vt hæc omninò cohæreant cum illis, quæ quæst. 55. diximus, scilicet, Angelis solùm esse infusas species rerum naturalium pertinentium ad hoc vniuersum, quales sunt naturæ specificæ rerum in eo existentium, vel indiuidua, aut naturæ specificæ contentæ in virtute causarum naturalium: quia omnia ista habent esse vel in se, vel in suis causis: & semel suppositа hac cõtinentia in suis causis, possunt per modum quidditatis & essentiæ cognosci per prædictas species; licèt non cognoscantur actu per eam causæ illorum productiuæ, vt infrà in hoc dubio dicetur.

Obiectio.

24 Nec propterea obstat, si obijcias, quòd si hæc ita sunt, ac proinde ratio D. Thomę probet per eandem speciem cognosci ab Angelo tam naturam specificam, quàm omnia eius indiuidua possibilia, non esset cur non diceretur idem quoad omnia accidentia, quæ eisdem singularibus materialibus insunt: siquidem hæc omnia per essentiam diuinam, vt habentem rationem speciei intelligibilis, repræsentantur, non minùs ac prædicta singularia. Hoc autem videtur falsum. Tum, quia cum prædicta species sit in se vniformis quoad suam repræsentationem, nequibit tantam varietatem accidentium,

tium, quæ adſunt, & abſunt, repræſentare. Maximè, quia hæc accidentia multoties ſunt contradictoria, vel inuoluunt contradictionem, vt cum aliquod ſingulare in aliquo tempore eſt mortuum, & in alio viuit, tunc enim repræſentaretur ſimul viuum, & non viuum: quod quidem prædictæ vniformitati ſatis contradicere videtur. Tum etiam. Quia iam illa ſpecies repræſentaret ſubſtantiam, & accidentia: & per conſequens in *eſſe* intelligibili eſſet ſimul ſubſtantia, & accidens. Tum denique. Quia iam ſuperfluerēt ſpecies propriæ accidentium: quas tamen eſſe in Angelo, dubitari nequit.

Diluitur. Reſpondetur enim, quòd etſi aliqui viri docti negent ſequelam, & paritatem ex eo quòd eſt maior connexio inter naturam ſpecificam, & ſua ſingularia, quæ ſunt eiuſdem lineæ cum illa, & cum quorum ſingulis conſtituit vnum per ſe: nihilominùs melius videtur dicendum, ſi concedatur ſequela cum D. Thoma quodlib. 7. art. 3. in ſolut. ad 1. vbi ſic ait: *Reſtat ergo, vt Angelus cognoſcat ſingularia per ſpecies cōcreatas. Sicut autem per vnam ſpeciem concreatam poteſt cognoſcere diuerſa indiuidua: ita etiam multò amplius poteſt per vnam cognoſcere, quicquid eſt in vno indiuiduo, vt non oporteat eum aliam ſpeciem habere: non qua cognoſcit colorem, & odorem vnius pomi, ſed ſimul cognoſcendo hoc pomum, cognoſcit, quicquid eſt in pomo illo, & eſſentialiter, & accidentaliter.* Quod etiam docuit quæſt. 8. de Verit. art. 11. ad 6. his verbis: *Intellectus Angeli per ſpeciem, quam apud ſe habet, cognoſcit ſingulare, non ſolum in ſua ſubſtantia, ſed etiam ſecundùm omnia accidentia eius.*

D. Thom

25 Et ratio huius reddi poteſt, tum ex dictis, tum etiam ex alio capite ex illis, quæ ſtatim ſubiungit Ang. Præcept. quodlib. citato his verbis: *Effectus autem non eſt in cauſa ſua, vt in ea poſſit cognoſci, niſi ſit cauſa determinata ad effectum illum: ſicut patet in cauſis neceſſarijs, quibus cognitis cognoſcuntur effectus earum. Sed cauſa contingens non determinatur ad effectum ſuum, niſi quando actu producit ipſum: vnde in cauſa contingente non eſt effectus eius, vt in ea poſſit cognoſci, niſi quando iam actu productus eſt. Et ideò Angelus, per ſpecies concreatas cognoſcens cauſas vniuerſales omnium ſingularium contingentium, non cognoſcit naturali cognitione effectus earum, antequam ſint in actu, ſed ſtatim cùm actu ſunt.* In quibus verbis expreſsè aſſerit, per ſpeciem repræſentantem cauſas alicuius effectus, etiam ſi ſit contingens, poſſe cognoſci prædictos effectus contingentes & accidentales, dum inſunt: ac proinde etiam per ſpeciem repræſentantem aliquam naturam atomam, & eius indiuidua, poterunt cuncta accidentia, quæ ei inſunt, dum habuerint in eſſe, cognoſci: quia eo ipſo per illam repræſentatur prędicta natura, ad modum quo habet repręſentari per diuinas ideas, nempe, repræſentando tam principia formalia, quàm materialia. Cumque omnia accidentia prædictorum indiuiduorum proueniant ex prædictis principijs, ſiue neceſſariò, ſiue contingenter, & ſiue à principio actiuo, aut quaſi actiuo per naturalem dimanationem, ſiue tāquam à principio paſsiuo per potentiam naturalem (loquimur enim de accidentibus naturalibus) inde eſt, vt iuxta Angelicum Præceptorem cuncta hæc accidentia repræſententur per ſpeciem Angelicam, dum actu inhærent, imò & potiori ratione dum poſsibiliter, & modo inſinuato inſunt, propter rationem paulò antè traditam.

Angel. Præcept.

Ad primam obiectionis probationē reſpōdetur.

26 Nec obſunt tria illa, quæ in contrarium in hac obiectione adducta ſunt. Non quidem primum. Quia hæc repræſentatio variorum euentuum non eſt cum varietate in re præſentando ex parte ſpeciei ſetenente, ſed ex parte obiectorum: & ita repræſentat illa quoad eorum quidditates ſemper ex parte ſua, ſed non ſecundùm exiſtentiam in eodem tempore, ſed diuerſo, quando in diuerſis temporibus exiſtunt. (Vtrùm autem prædicta exiſtentia, & duratio in accidentibus, quę ſunt futura contingentia, repræſententur ſemper per ſpeciem, non ſolùm per modum quidditatum, ſed per modum exiſtentiæ, & durationis ibi exercitæ, conſtabit ex his, quæ in ſolutione ad fundamentum Scoti in hoc eodem dubio dicemus). Adde, quòd quando ſpecies eſt exceſsiua & eminens, non eſt cotra eius rationem, vt ſimul, & vniformiter contingat, & repræſentet rationes oppoſitas, partiales, & inadæquatas: ex eo quòd habet repræſentare obiectum eminentiùs continēs illa, vt in eſſentia diuina propter ſui eminentiam contingit. Et tamen propter hoc, neque in prædicta eſſentia, neque in illa ſpecie creata exceſsiua & eminenti licet colligere, quòd aliqua ex illis habeat in ſe naturam duarum contradictoriarum. Nam licèt illæ rationes in ſe conſideratæ, & prout in ſe exiſtunt ſint contradictoriæ: nihilominùs, vt comparantur ad quamlibet ex illis ſpeciebus, non habent inter ſe contradictionem, ſed ſunt rationes inadæquatæ & partiales.

Ad ſecundā

27 Nec etiam ſecundum. Quoniam ſpecies non eſt eiuſdem naturæ in *eſſe* intelligibili, niſi cum obiecto primario; non verò cū obiectis ſecundarijs, qualia ſunt prædicta accidentia, vt conſtat ex illis, quæ diſp. 5. num. 129. diximus. Adde, probabile eſſe (vt in tomo 1. diſp. 2. num. 135. aſſeruimus) quòd etſi loquendo de ente, & natura ſubſtantiali in *eſſe* entitatiuo, nequeat vnum & idem ens eſſe ſimul ſubſtantia, & accidens; ſecùs tamen loquendo de *eſſe* intentionali, quod res habet in

bet in speciebus intelligibilibus, & intentionalibus, vt ibidem explicuimus. Quod quidem potest amplius elucidari ex duplici capite. Primum quidem. Quia non petitur tanta vnitas in obiecto à parte rei, sicut ei conuenit in intellectu: & propterea color v. g. vt sic habet vnitatem realem in intellectu media specie, cùm tamen prædicta vnitas nõ conueniat ei à parte rei absque distinctione & diuisione. Secundum caput est. Quòd perfectio vniuersi non exigit, quòd vna substantia in *esse* entitatiuo sit formaliter plura individua substantialia secundùm sibi propria, aut quòd sit formaliter substantia, & accidens: quia res sunt per se primò conditæ non ad repræsentandum, sed ad essendum, si in *esse* entitatiuo considerentur: & ordo essendi in *esse* entitatiuo petit hanc distinctionem & diuisionem vnius ab alio. Cęterùm benè potest spectare ad perfectionem illius, quod per se primò institutum est ad repræsentandum, quòd repræsentet naturam cum suis individuis, & accidentibus, & quòd contineat illa actu, & formaliter in *esse* intentionali, & repræsentatiuo, propter vniuersalitatem, & actualitatem intellectus, cui deseruiunt, vt in speciebus Angelicis propter hanc rationem, & iuxta hunc dicendi modum cõtingit. Circa quod videri potest Ferrara 2. cont. Gent. cap. 98. circa 3. rationem, & Caiet. art. 2. huius quæstionis.

Ferrarà. Caiet.

Ad tertiam

28 Nec tandem obest tertium, & vltimum ex suprà adductis. Tum, quia probabile est, non esse in Angelis alias species accidentium præter illas, quæ repræsentant naturam specificam cum suis individuis, & accidentibus, vt innuere videtur D. Thomas loco nuper citato ex quodlib. 7. art. 3. & tenet Nazar. in præsenti. Tum etiam. Quia est etiam probabile, vt docuit Bañez art. 2. huius quæst. quòd accidentia communia, v. g. albedo, & nigredo, possunt dupliciter considerari. Primò, secundùm se, & secundùm propriam quidditatem absolutè: secundò, quatenus sunt modi & affectiones huius, vel illius substantiæ. Si primo modo considerẽtur, possunt cognosci per alias species, præterquam per illas, per quas cognoscũtur substantiæ, quarum sunt modi, vel affectiones: at secundo modo consideratæ attinguntur per easdẽ species, per quas cognoscitur substantia, respectu cuius habent rationem modi, vel affectionis. Vnde iuxta hunc dicendi modum, prædicta accidentia secundùm se considerata possunt cognosci ab Angelis, saltem inferioribus, per species proprias, idest abstractas ab speciebus substantiæ.

D. Thom. Nazar. Bañez.

§. III. *Opposita sententia, fundamentum illius, vnà cum solutione eiusdem.*

29 OPpositam tamen sententiam tuetur Scotus in 2. dist. 3. q. vltima & dist. 9. quæst. 2. & alij eius sequaces. Quia tamen fundamẽta illius ferè omnia soluta sunt ex his, quæ quæst. 55. diximus, idcircò quoad præsens vnicum tantummodo adducemus, quamuis etiam hoc partim sit enodatum ex ibidem dictis. Probatur igitur prędicta sententia. Quoniam in rebus v. g. materialibus reperitur natura cum suis singularitatibus, existentia, & duratio singularium vt hìc, & nunc, necnõ specialis conditio earum, secundùm quam terminãt notitiam intuitiuam: sed omnia ista nequeunt repræsentari per speciem naturæ communis: ergo oportet superaddere nouas species, per quas prædicta repræsententur.

Contraria sententia. *Scot.*

Vnicum fundamentum

Minor quoad omnes partes virtute in ea inclusas probatur discurrendo per singulas. Et in primis quoad primam, nempe, quoad singularitates, ac proinde quoad singularia. Quia cùm hæc singularia possint esse infinita, vt patet in cogitationibus Dæmonum, & beatorum, oportebit, vel dari species numero infinitas, quarum quælibet sit finita, vel vnicam speciem infinitam, ac proinde infinitæ perfectionis: siquidem per species finitas, numero finito multiplicabiles, non possunt repræsentari individua infinita secundùm multitudinem: & ita negatis infinitis his speciebus secundùm multitudinem, debet concedi vnica, eaque infinita repræsentans illa, quæ proinde infinitam habeat perfectionem.

Suadetur minor quoad primam partem.

Quoad secundam verò partem, nimirum, per speciem infusam naturæ communis non posse repræsentari existentiam, & durationem rei, vt hìc & nunc, probatur. Quia inde planè fieret, speciem illam repræsentare futura contingentia, hæcque posse naturaliter cognosci ab Angelo. Quoniam eo ipso repræsentabitur existentia illorum pro tempore futuro, in quo erunt: & cùm simul repræsentaretur duratio presens, in qua tale futurum non existit, sed habet rationem futuri, oportebit, repræsentari futurum illud cõtingens vt tale: quippe quod tantùm dicit, quòd pro tempore præsenti non existat, & pro tempore futuro verificetur de eo, quòd habeat actu propriam existentiam, propriãque durationem.

Quoad secundam.

Quoad tertiam verò partem, nimirum, quoad conditionem illam terminandi cognitionem intuitiuam, suadetur; tum ex præcedenti probatione. Quoniam hæc conditio tantùm est existentia, & præsentia illius secundùm

Quoad tertiam.

cundùm propriam durationem: & ita ſi hæc non repræſentantur per ſpecies, nec poterit prædicta conditio repræſentari. Tum etiam. Nam ſpecies infusæ naturæ communis non mutantur per mutationem, & præſentialitatẽ nouã obiecti: quia ſicut ſunt debitæ Angelo, & ſpectant ad integram conſtitutionem eius in *eſſe* intellectuali: ita menſurantur per æuũ immutabile, ſicut & ipſa ſubſtantia Angelica. Ergo neceſſe eſt, vt repræſentet obiectum, ſiue fuerit præſens, ſiue abſens: ergo talis ſpecies nequibit ad intuitiuam deſeruire notitiam. Patet conſequentia. Quia ſicut cognitio hæc terminatur ad obiectum, vt præſens: ita petit ſpeciem repræſentantem ipſum ſecundùm hanc rationem.

Solutio argumenti quoad 1. p. minoris.

30 Ad hoc argumentum reſpondetur, concedendo moiorem, ſed negando minorem in ſenſu tamen, quem ſtatim aperiemus. Et ad probationem illius pro prima parte in ea virtualiter incluſa, ſcilicet, quoad repræſentationem ſingularium, conſtat ex dictis, tum in hoc dubio, tũ etiam & maximè diſp. 5. num. 149.

Prior quorundã ſolutio quoad alias duas partes.

Ad probationem verò pro ſecunda parte eius minoris, necnon & pro tertia reſpondent aliqui, adhuc ex diſcipulis D. Thomæ, quòd loquendo de ſingularibus contingentibus (qualia ſunt omnia indiuidua corruptibilia, quippe quæ aliquo modo pendent ſaltem à voluntate Angelica potente impedire productionem illorum per applicationem cauſarum impedientium) tunc dicendum eſt, quòd per ſpeciem Angeli infuſam, & congenitam ipſi, nec repræſentatur actu ſubſtantia ipſius ſingularis vt talis, aliàs tamen contingentis, ac proinde potiori ratione nec duratio illius pro tempore futuro, quouſque prędictum futurum amittat rationem futuri, & habeat in ſe ipſo exiſtentiam. Et hoc ſibi perſuadent, tum ex eo quòd videtur eſſe ſententia D. Thomæ art. 3. huius quæſt. in ſolutione ad 2. vbi inquit, prædicta futura non repræſentari actu per ſpeciem Angeli, nec ab eo cognoſci, quia non habent actu naturam, per quam illi aſſimilentur: cùm tamen cognitio, & repræſentatio ſpeciei debeat eſſe per aſſimilationem.

D. Thom.

Tum etiã. Quia futura iſta non ſunt partes vniuerſi, quouſque actu exiſtant, & ſint in ſe ipſis: ſiquidem non poſſunt eſſe partes illius, niſi quia ſunt in ſe, vel in ſuis cauſis naturalibus pertinentibus ad vniuerſum: & cùm non poſsint habere determinatè eſſe in ſuis cauſis, quippe aliquo modo veluti indifferentibus in ſenſu ſuper dicto ad vtrumlibet, nempe, vt aliquo modo pendent à voluntate Angelicą potenti impedire cauſas illorum: oportet, vt habeant eſſe in ſe ipſis, ad hoc vt ſint actu partes vniuerſi, ac proinde ad hoc quòd actu repræſententur per ſpecies illas, uæ ſolùm extenduntur ad repræſentandum actu ea, quæ actu pertinẽt ad ordinem vniuerſi.

Tum deinde, propter probationem illam in fundamento Scoti incluſam, nempe, quòd alioqui Angelus cognoſceret per vires naturæ futura contingentia: ſiquidem hæc repræſentarentur actu quoad omnia prædicta per ſpeciem Angelicam, & eius cognitio poteſt ſe naturaliter extendere, quò repræſentatio ſuæ ſpeciei.

Tũ denique. Quia prædicta ſingularia, & futura, quandiu talia ſunt, nec poſſunt repræſentari in ſe ipſis, ſiquidem in ſe nihil ſunt: nec etiam vt habent *eſſe* in ſuis cauſis: ſiquidẽ in eis tantùm continentur, non vt determinatæ ad productionem illius, ſed vt modo dicto veluti indifferentes: ac proinde ibidem nõ habent *eſſe* determinatè, ſed *eſſe*, vel non *eſſe*.

Hinc tamen (addunt prædicti Doctores) non colligitur, eſſe neceſſarias nouas ſpecies ad cognitionem horum omnium, quãdo extiterint in ſe ipſis, ſed tunc per eaſdem ſpecies infuſas repræſentari ſingularia, & futura iſta deſinentia in ratione futurorum. Nam quòd non repræſentarentur actu ante eorum exiſtentiam proueniebat, non ex defectu ſpecierum, ſed prædictorum obiectorum, quæ non habebant actu naturam, per quam illis ſpeciebus aſſimilarentur, & per conſequens neque erant actu partes vniuerſi.

Cui dicendi modo fauet ex parte Caiet. art. 2. huius quæſt. quatenus inquit quòd etſi per ſpeciem infuſam ſemper repræſentetur de illis ſingularibus tam natura, quàm ſingularitas, & exiſtentia illius, nec non & alia accidentia communia, non tamen duratio coniunctionis prædictorum cum ipſo ſingulari: quia non repræſentantur iſta, vt conueniunt illi in certo illo & determinato tempore, in quo illa habebit: & rationem reddit Caietanus. Quia prędicta duratio non debet eſſe repræſentata, ſed tantùm conditio repræſentãdi. Explicatque hoc, & ſimul quomodo hoc non obſtante, abſque mutatione ſpeciei, aut additione alicuius poſsint per illam ſpeciem cognoſci prædicta ſingularia quoad omnia ſua, quando extiterint, exemplo ſpeciei viſibilis cum oculo congenitæ: quæ quidem, quando eſſet obiectum viſibile præſens, repræſentaret illud actu, & actu videretur præſens hìc & nunc; licèt per illam ſpeciem non repræſentaretur duratio: quia exercitium huius tantùm eſt conditio repræſentandi actu; non tamen res repræſentata.

Caiet.

Melius reſpõdetur ex Ferrara, & Bañez.

32 Cæterùm meliùs videtur reſponderi ad vtramque probationem cum Ferrara 2. cont. Gent. cap. 160. & cum Bañez art. 2. huius quæſt. per ſpecies infuſas repræſentantes naturam communem ſingularium materialium, & corruptibilium, repræſentari etiam indi-

indiuidua, necnon eorum accidẽtia, & etiam exiſtentiam, & durationem, vt rem repræſentatam. Addimus tamen, hoc ita intelligendũ eſſe, vt antequam omnia iſta contenta in virtute cauſarum naturalium habeant actu exiſtere in ſe ipſis, non repræſententur actu vt exiſtentia, & durantia in actu exercito; ſed in actu ſignato, ideſt, non repræſententur niſi per modum quidditatis, & abſtrahendo ab exercitio illorũ hîc & nunc: quia cuncta hęc, & adhuc exercitiũ eorum habent ſuas quidditates: & ideò poſſunt repræſentari per modum quidditatis præcisè, non verò per modum quidditatis, vt exercitæ hîc & nunc: ſiue queũt repræſentari per modum poſsibilium, licèt non per modum exiſtentium in actu exercito.

Et ratio huius repræſentationis videtur aperta ex modo dictis. Tum, quia etſi omnia iſta, antequam in exercitio exiſtant, non habeãt naturam in actu exercito, per quam aſſimilentur ſpeciei, habent tamen naturam, & ſuas rationes formales per modum quidditatum: & ita ſecundùm eas poſſunt aſsimilari ſpeciei, quamuis non aſsimilentur ei ſecundùm exercitium prædictarum rationum formalium, quia illud non habent. Tum etiam. Quia hoc ipſo, quòd contineantur in virtute cauſarum naturalium iam dictarum per modum poſsibilium, habent ibidem *eſſe*, & pertinent ad ordinem vniuerſi: & ita, quatenus habent in illis actu eſſentiam poſsibilem, poſſunt repræſentari per modum poſsibiliũ, ſiue per modum quidditatis abſtrahentis ab exercitio: & ſimiliter ſuppoſita hac continẽtia, tamquam fundamento, queunt cognoſci ſecundùm ſuas quidditates, non cognitis actu cauſis naturalibus, in quarũ virtute continentur. Tum deinde. Quoniam ſæpè Angelus inducit ad hæc futura patranda ab aliqua cauſa ſecunda: ad quod tamen non induceret, niſi prædicta futura per modum quidditatum cognoſceret, ac proinde niſi ſpecies Angelica, & infuſa hoc illi repræſentaret. Tum denique. Quia nos multoties prædicta futura per modum quidditatum percipimus: & ita non eſt cur cognitionem iſtam Angelico intellectui excellentiori denegemus.

Replica. 33 Nec hinc ſequitur (vt benè notarũt Doctores relati priorem modum dicendi ſequentes) quòd ſpecies infuſæ, dum poſteà repræſentant actu omnia iſta, vt actu exercita, habeant mutari, aut quod ſuperaddatur eis aliqua repræſentatio actualis eorum, & ex parte eiuſdem ſpeciei ſe tenens per accretionem alicuius nouæ perfectionis intrinſecæ in ipſa. Quoniam ſpecies infuſa, quantum eſt ex ſe, actu repræſentabat prædicta obiecta vt exercita: quia tamen hoc fieri nequit abſolutè in exercitio reſpectu prædictorum obiectorum in actu exercito, niſi poſito ex parte obiecti illo exercitio, idcircò nõ dabatur abſolutè prædicta repræſentatio actualis, licèt ſemper detur, quantum eſt ex parte ſpeciei: quia in repræſentatione actuali, abſolutè & ſimpliciter ſumpta, neceſſariò debet inuolui tamquam conditio, & connotatum ipſum exercitium obiecti: quia niſi actu detur, nõ poteſt repræſentari vt exercitium. Attamen ad actualem repræſentationem, quantum eſt ex parte ſpeciei, non requiritur tale exercitium obiecti, ſed quòd penes ſpeciem, & eius actualitatem in repræſentando non ſtet, quin actu repræſentetur, ſed ſolùm id contingat propter defectum ipſius exercitij, & obiecti vt actu exerciti. Vnde D. Thom. quodlib. 7. art. 3. in ſolut. ad 2. ſic inquit: *Dicendũ, quòd quando aliquid incipit eſſe præſens, Angelus de nouo cognoſcit illud non facta aliqua innouatione in ipſo Angelo, ſed in re cognoſcibili, in qua eſt aliquid, quod prius non fuit, quod ſine ea cognita non cognoſcitur.* Et quæſt. 16. de Malo art. 7. in ſolut. ad 13. his verbis: *Dicẽdum, quòd hoc, quòd Dæmon non cognoſcit id, quod eſt futurum, non prouenit ex eo, quòd intellectus ſuus ſit in potentia, ſed ex eo quòd ſingulare futurum nondum participat formam ſpeciei, cuius ſimilitudo actu præexiſtit in intellectu Dæmonis.* D. Thom.

Poteſtque hoc explicari exemplo relationis paternitatis actu terminatæ ad vnicum dumtaxat filium, quæ tamen poſteà extenditur ad alios denuò genitos. Quòd autem anteà non extenderetur actu, non ſtabat penes ipſam relationem, ſed quia nondum erant geniti alij filij. Et ita hoc ipſo, quòd generẽtur, ſtatim ipſa abſque additione alicuius intrinſeci terminatur, & extenditur ad illos. Illuſtratur exempl.

Replica. 34 Vndè non obeſt, ſi vrgeas, quòd licèt hoc poſsit reperiri in rebus relatiuis, non tamen in abſolutis, qualis eſt ſpecies infuſa, & eius repræſentatio. Nam vt res abſolutæ, habeant denuò aliquam denominationem intrinſecam, quam abſolutè & ſimpliciter anteà non habebant, oportet, vt intrinſecè mutentur, addaturque illis ſaltem aliquis modus intrinſecus: quia hoc ipſo, quòd abſolutæ ſunt, non habent nouam denominationem intrinſecam ex ſola poſitione termini extrinſeci, ſicut relatiuæ.

Soluitur. Reſpondetur enim, quòd ſaltem in rebus abſolutis emrnentibus (qualis eſt ſpecies infuſa Angelica, quippe quæ habet excellẽtem repræſentandi modũ, & eſt participatio modi excellentis in repræſentando, quem habet diuina eſſentia) poteſt contingere, vt abſolutè, & ſimpliciter habeant denuò aliquam denominationem intrinſecam, quam anteà nõ habebant, quamuis nihil denuò in ſe ipſis recipiant: ex eo quòd ad illam denominationem intrinſecam requiritur id, quod ex parte illarum ſe tenet, quodque ſemper inuariabiliter

Enodatio.

liter ibidem eſt in *eſſe* entis, & inſuper aliquid aliud extrinſecum per modum conditionis; & niſi hoc detur, non poteſt dari talis denominatio abſolutè & ſimpliciter. Vnde videmus, quòd eſſentia diuina, vt habet rationẽ ſpeciei intelligibilis, & præſupponitur ordine rationis ad determinationes voluntatis Dei circa productionem creaturarum, non repræſentat eas vt exiſtentes, nec vt futuras: & tamen, abſque eo quòd intelligatur illi aliquid ſuperaddi, repræſentat eaſdem res, vt futuras poſt prædictam determinationem, imò etiam vt exiſtentes: quia eo ipſo habent exiſtentiam proportionatam, ſaltem in æternitate. Et ſimiliter actus intellectus, & voluntatis diuinæ, per quos fiunt creaturæ, habent, quantum eſt ex ſe, actualitatem ad hoc, vt ſint actuales productiones rerum futurarum: & penes ipſos non ſtat, quin denominent Deum actu creantem: ſed hoc prouenit ex eo, quòd requiritur externa productio paſſiua creaturæ, & creatio ipſa, quæ non ſemper dantur.

Ex dictis ſoluitur argu. principale quoad 2. & 3. minoris probat.

35 Vnde iuxta hunc modum dicendi, ad probationem ſecundæ partis illius minoris contentæ in fundamento Scoti, dicendũ eſt, per illam ſpeciem repræſentari ibidem enumerata per modum quidditatis, & abſtrahendo ab exercitio, non tamen vt actu exercita. Et ideò non poſſe Angelum ſcire, an illud, quod dicitur futurum, ſit habiturũ exiſtentiam, nec ne, vt ſtatim magis explicabitur. Ad probationem verò priorem pro tertia parte eiuſdem minoris patet ex dictis, quo modo per illam ſpeciem infuſam poſſit Angelus intuitiuè cognoſcere illud, quòd erat futurum, quando poſteà fit præſens: ſiquidem ſpecies, quæ anteà repræſentabat illud per modum quidditatis, poſteà aduenientе exercitio habet abſque ſui mutatione repræſentare illud, vt exiſtens, & vt præſens ſecundùm exiſtentiam hîc, & nunc.

Ad probationem vero poſteriorem dicendum eſt, ſpeciem repręſentare aliquod obiectum eodem modo ex parte ſua, ſiue ſit abſens, ſiue præſens, poſſe contingere dupliciter. Primo ex limitatione, quia non eſt tanta eius perfectio, & actualitas, vt extendat ſe abſque additione nouæ perfectionis ad repræſentandum illud vt præſens, quando fuerit præſens; ſed abſtrahat ab hac actuali repræſentatione, ſeu (vt melius dicamus) non pertingit ad illam, ſed præcise repræſentat rem, quæ alias aliquando eſt præſens: quia præcise repræſentat rem ſecundum ſe, & per modum quidditatis, & ſimiliter accidentia illius. Secundo poteſt contingere ex eminentia in modo repræſentandi: quia nimirum repræſentat rem abſentem, ſeu per modum quidditatis præcise, dum eſt abſens, & deinde, cum eſt præſens, repræſentat etiam abſque aliqua additione ipſam vt præſentem, & exercitam: & propterea dicitur repræſentare rem, vt abſtrahentem ab abſentia, & præſentia, modo tamen eleuato & eminenti. Etſi ergo ſpecies repræſentantes priori modo rem abſentem, & abſtrahendo in ſenſu explicato à præſentialitate, & abſentia, non ſufficiant ad notitiam intuitiuam, niſi eis aliquid addatur ex parte earum ſe tenens; ſecus vero ſpecies poſteriores, vt de ſe conſtat.

Ad illud autem, quod in eadem probatione innuitur, ſcilicet, repræſentationem ſpecierum infuſarum menſurari per æuum, conſtat ex his quæ in 1. tomo tracta. 3. diſputat. 8. num. 104. diximus, vbi explicuimus, quomodo repræſentatio actualis futurorum contingentium, non quidem vt ſe tenet ex parte ſpeciei præcise, ſed abſolutè, & ſimpliciter, vt inuoluit connotatum ad id requiſitum, non menſuretur æuo; ſed illa denominatio intrinſeca ſic ſumpta mẽſuretur alia mẽſura inferiori, & Angelica.

Reijciuntur ſupradicta ab Auctoribus prioris ſolutionis.

36 Nec ea, quæ pro ſe adducunt auctores ſectantes priorem dicendi modum, intentum conuincunt. Non quidem primum ex D. Thoma deſumptum. Quoniam (vt ex dictis patet) ſolum voluit Angelicus Præceptor excludere, quod Angeli cognoſcant prædicta futura, vt exercita, non vero quod non attingãt ipſa, eorumque exiſtentiam, & durationem per modum quidditatũ, & abſtrahendo à prædicto exercitio. Siquidẽ hoc ipſo, quod ſupponatur ea contineri in virtute cauſarum naturalium iam dictarũ, ſeu pertinentium ad hoc vniuerſum, habent actu (modo alibi dicto) omnia iſta per modum quidditatum, & abſtrahendo ab actuali exercitio, licet non habeant illa in actu exercito hic & nunc: & propterea habent, vnde aſſimilentur actu per modum quidditatum, prędictæ ſpeciei.

Nec etiam ſecundum. Quoniam (vt iam diximus) prædicta futura modo dicto ſumpta, pertinent ad ordinem vniuerſi, hoc ipſo quod in virtute cauſarum naturalium iam dictarum contineantur: & ita poſſunt per modum quidditatum repræſentari; etiã ſi non ſint in ſeipſis: quia ad hoc ſatis eſt illud prius.

Nec deinde tertium. Quoniam ex hoc, quod ſpecies repræſentet omnia iſta per modum quidditatis, antequam ſint in ſe ipſis, ſolum ſequitur, cognoſci poſſe ab Angelo eodem modo, ſcilicet per modũ quidditatis. Hinc tamen non fit, ſciri per hoc ab Angelo, an re ipſa, & in exercitio habitura ſint pro tempore futuro exiſten-

tiam exercitam, vel non, sed solum cognosci omnia ista per modum possibilium, abstrahendo ab exercitio earundem.

37 Nec etiam quartum. Quoniam (vt ex dictis constat) licet ea, quæ cognoscuntur per modum quidditatis, possint cognosci, vt habent *esse* in suis causis, non tamen est necesse, vt præcisè hoc modo cognoscantur & repræsententur; sed hoc supposito tamquam fundamento, possunt repræsentari per modum quidditatum, licet simul repræsententur per illam speciem infusam secundum *esse* quod habent in sua causa, quoties vnum individuũ ab alio procedit. Et ita tunc in prædicta specie erit duplex (inter alia) munus inadæquatum repræsentandi ista futura, ante quam sint: scilicet, repræsentandi ipsa secundum *esse*, quod habent in causa: & deinde abstrahendo ab *esse*, quod habent in illa, & ab *esse*, quod pro tempore futuro habebunt aliàs in se, quod quidem est repræsentari præcise per modum quidditatis. Nam prædicta species repræsentat naturam cum individuis iam dictis, & suis accidentibus, repræsentando dependentiam, quam habent inter se quo ad processionem vnius ab alio: & simul naturam, & singularitatem, quæ aliàs procedit & causatur ab altero individuo eiusdem speciei. Si autem vnum individuum non procedat ab alio, sed omnia ab aliqua causa vniuersali, aut eminentiori pertinente ad ordinem vniuersi, tunc etiam per speciem istius possunt omnia cognosci, & repræsentari: & semel supposita hac continentia, queunt etiam per propriam speciem suæ naturæ, & per modum quidditatis repræsentari, repræsentando simul prædictam dependentiam earum ab illa causa eminentiori.

DVBIVM IIII

Vtrùm Angelus per vires suæ naturæ certò cognoscat futura contingentia, & libera?

Expositioti tuli.

38 CONSVLTO In titulo additæ sunt tres illæ particulæ. Prima quidem, *per vires suæ naturæ.* Quia in præsenti non dubitamus, an supernaturaliter possint illa scire: siquidem hoc concedendum est prophetis, & non est cur Angelis denegetur. Secunda est, ly *certo.* Quia loquimur de cognitione omnino certa & infallibili, non vero de coniecturali, quæ ex aliquibus indicijs probabilibus potest haberi. Tertia est, *futura contingentia, & libera.* Quia dubium hoc non procedit de futuris omnino necessarijs: nam ista satis constat, debere esse certò nota Angelis per vires suæ naturæ: sed de futuris contingentibus, & aliquo modo pendentibus à voluntate libera humana, vel Angelica, vel tamquam ab applicante, vel tamquã ab impediente, qualiter vniuersæ res corporeæ corruptibiles, & defectibiles ab Angelo pendent.

§. I. *Communis, & vera sententia D. Thomæ, & Patrum.*

39 DIcendum ergo est, Angelum nõ posse per vires suæ naturæ certò cognoscere futura contingentia, & libera. Assertio hæc aperte continetur in illo Isaiæ 41. vbi huiusmodi cognitio tribuitur soli Deo, tamquam ipsi propria: *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos.* In quibus verbis, vltra id quod ipsa expresse denotant (quod satis est ad præsens intentum) expendendum est, quod (vt volunt viri doctissimi) verbum hebræum, quod habetur loco illius particulæ *ventura*, potius significat iam iam venientia & instãtia, & quæ iam veluti à tergo instant & veniunt. Vt significet scriptura, quòd futurum, quod iam velut præsens est, & instat, non potest sciri, nec prædici ab aliqua creatura: & ita quantumcumque minimum habeat futuri, prædici nõ potest ab idolo. Ideoque Deus per Prophetam irridet idolum, ex eo quod non habeat minimum diuinitatis signum, nẽ pe, prædicere futurum, quod est veniens quasi de præsenti, & valdè parùm distat. Et cap. 42. sequenti Deus ab euentu eorum, quæ prædixerat, suam diuinitatẽ confirmat, inquiens: *Gloriam meam alteri non dabo &c. Quæ prima fuerunt, ecce venerunt: noua quoque ego annuntio &c.* Et cap. 46. *Nec est similis mei: annuntians ab exordio nouissimum, & ab initio, quæ nec dum facta sunt.* Idem etiam habetur Sap. 8. vbi cognitio futurorum attribuitur diuinæ sapientiæ, tamquam signum illius, his verbis: *Signa, & monstra scit, antequã fiant.*

Assertio

Quæ dentur ex Sacra Scriptura.

Isaiæ 42.

Isaiæ 46.

Sapiẽt. 8.

Quod etiam colligitur ex eo, quòd potissimum testimonium fidei est, quòd Prophetæ diuina luce illustrati prædixerunt mysteria nostræ fidei futura: hincque colligitur, ea esse diuina, quia solius Dei est præuidere futura. Vnde D. Paul. ad Roman. 1. vtitur hoc argumẽto dicens: *Segregatus in Euangelium Dei.* Quòd verò sit Dei, probat ex eo, quod statim subdit, scilicet, *Quod ante promiserat*

Ad Ro. 1.

per

per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de filio ſuo.

Vnde huiuſmodi futurorum prognoſtication, & illa pars aſtrologiæ iudiciariæ, quæ circa ea prognoſticanda verſatur, eſt vana, ſuperſtitioſa, & damnata in Sacra Scriptura, & Concilijs. Propterea enim Iſai. 47. dicitur ad populum Hebræum, qui conſulebat aſtrologos iudiciarios: *Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum: ſtent, & ſaluent te augures cœli* (vbi 70. legunt, *Aſtrologi cœli*) *qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annũtiarent ventura tibi.* Et cap. 44. *Ego ſum dominus &c. Irrita faciens ſigna diuinorum, & ariolos in furorem vertens. Conuertens ſapientes retrorſum: & ſcientiam eorum ſtultam faciens.* Et actorum 19. dicitur de ijs qui prædicatione D. Pauli conuerſi fuerant ad fidem: *Multi autem ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus.* Libri autem illi agebãt de prognoſticatione effectuum humanorum, teſte Auguſtino in Pſalm. 61. Damnata eſt etiam huiuſmodi prognoſticatio in Concilio Bracharenſi I. c. 9. & in Toletano I. in aſſertione fidei contra Priſcilianiſtas.

Iſaiæ 47. & 44.

Actor. 19

Auguſt.

Cõcilium Bracharẽ ſe I.

Cõcilium Tolet I.

40 Eandem etiam aſſertionem aperte tuentur Patres, vt Baſil. lib. de Spiritu San & o cap. 16. ad medium: *Ego* (inquit) *Gabrielem nan alio modo arbitror præ icere futura, quàm præſentia ſpiritus: eo quod verum de numero variorum donorum eſt prophetia.* Chryſoſt. Homil. 18. ſuper cap. 1. Ioann. *Certa futurorum prædictio immortalis Dei ſolius opus eſt.* Auguſtin. lib. 4. de Trinit. cap. 17. *Quibus* (ſcilicet Angelis) *ea Deus per verbum, ſapientiamque ſuam indicat, vbi & futura, & præterita ſtant,* Damaſcenus lib. 2. fidei ortho doxæ, loquens de futuris contingentibus ca. 29. inquit, quòd ſoli Deo cognita ſunt. Iſidorus in lib. de ſummo bono cap. 10. *Quæ futura ſunt,* ait, *Angelis à Deo reuelantur: quia niſi reuelatione diuina cognoſcere non poſſunt ea.* Hieron. ſuper Ieremiam cap. 28. ſuper illa verba: *Et abiit Ieremias Propheta in viam ſuã.* vbi adnotat, quòd cùm pſeudopropheta Hananias tulit catenam de collo Ieremiæ Prophetæ & confregit eam, nihil locutus eſt, ſed tacuit. Et adhibet Hieron. rationem dicens: *Vt ſcriptura demoſtraret, nequaquam prophetas ſuo arbitrio loqui, ſed de voluntate Dei: maximè de futuris, quorum ſolius Dei loqui eſt.* Et ſuper Danielem cap. 2. agens de ſomnio Nabuchodonoſor, & de reſponſione ariolorum, & magorum, ſic inquit: *Confitentur magi, confitentur arioli, & omnis ſcientia ſæcularis litteraturæ, præſcientiam futurorum non eſſe hominum, ſed Dei.* Idem docet ſuper cap. 6. Eccleſiaſtes, ſuper illa verba capitis 8. *Afflictio quippe hominis multa ſuperemum: quia neſcit, quod futurum eſt.* Vbiſic ait: *Nemo eſt conſcius futurorum.*

Ex ſanctis PP.

Chryſoſt.

Auguſt.

Damaſc.

Iſidorus.

Hieron.

D. Thom. 2. 2. q 95. art. 1. his verbis: *Quædam verò cauſæ ſunt, quæ ſi ſecundùm ſe conſiderentur, ſe habent ad vtrumlibet: quòd præcipuè videtur de potentijs rationalibus, quæ ſe habent ad oppoſita ſecundùm Philo. & tales effectus, vel etiam ſi qui effectus, vt in pauciori bus caſu accidunt, ex naturalibus cauſis per conſiderationem cauſarum prænoſci non poſſunt: quia eorum cauſæ non habent inclinationem determinatam ad huiuſmodi effectus. Et ideò effectus huiuſmodi prænoſci non poſſunt, niſi in ſe ipſis conſiderentur. Homines autem in ſe ipſis huiuſmodi effectus conſiderare poſſunt, ſolùm dum ſunt præſentes: ſicut cùm homo videt Sortem currere, & ambulare. Sed conſiderare huiuſmodi in ſe ipſis, antequam fiant, eſt Dei proprium, qui ſolus in ſua æternitate videt ea, quæ futura ſunt, quaſi præſentia, vt in primo habitum eſt. Vnde dicitur Iſai. 41. Annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos. Si quis ergo huiuſmodi futura prænuntiare, aut prænoſcere quocũque modo præſumpſerit, niſi Deo reuelante, manifeſtè vſurpat ſibi, quod Dei eſt.* Idem tradit ſuprà quæſt. 14. art. 13. & infrà quæſt. 86. art. 4. q. 16 de Dæmonibus art. 7. & quæſt. vnica de Spiritualibus creaturis art. 5. ad 7. & quæſt. de Anima art. 20. ad 4. & quæſt. 8. de Verit. art. 12. & in 1. diſt. 38. art. 5. & in 2. diſt. 7. quæſt. 2. art. 2. & lib 1. contra Gentes capit. 67, & lib. 3. cap. 154. & alibi ſæpè. Vnde hãc eandem aſſertionem tuentur communiter Theologi: & ideò ſuperuacaneum eſt ſingulos recenſere.

D. Thomas

§. II. *Ratio D. Thomæ pro aſſertione, eaſio duplex ad illam, vnà cum præclu ſione vtriuſque.*

41 RAtio autem fundamentalis huius aſſertionis adducitur à D. Thoma in præſenti, poteſtque ad hãc formã redigi. Quoniam futurum contingens, de quo loquimur, ſolùm poteſt certò cognoſci quoad ſuam exiſtentiam exercitam, quam habitùrum eſt pro tempore futuro, vel in ſe ipſo, vel in ſuis cauſis: at ab Angelo per ſua naturalia nec in ſe ipſo, nec in ſuis cauſis poteſt certò cognoſci: ergo per ſua naturalia non habebit certam cognitionem illius. Maior conſtat. Quia vt prædictum futurum cognoſcatur, vt certè habiturum exiſtentiam pro tẽpore futuro, oportet, vt detur re ipſa aliqua determinatio, ratione cuius ſit determinatum ad exiſtendũ pro prædicto tẽpore: & hæc determinatio ſolùm poteſt ei conuenire vel in ſe ipſo, quatenus *omne, quod eſt, ex ſuppoſitione quòd eſt, neceſſe eſt eſſe,* vel ratione ſuarũ cauſarũ, ex eo quòd ſint determinatæ ad productionẽ illius pro prædicto tẽpore: ac proinde eius exiſtentia, vt pro tẽpore futuro exercita,

Ratio fundamentalis

solùm potest certò cognosci vel in se ipso, vel in suis causis.

Minor autem quoad primam partem, nempe, quòd in se ipso nequeat cognosci, probatur. Quoniam ad hoc desiderabatur, vt prædictum futurum esset physicè præsens secundùm existentiam exercitam, & in se ipso respectu intellectus Angelici, & eius intellectionis: hoc autem fieri nequit, nisi duratio intellectus, & intellectionis Angelicæ virtualiter se extendat, ita vt physicè, seu realiter ambiat & concludat intra se durationem, & existentiam aliàs futuras, quæque pro tempore futuro exercebuntur. Sicut propter hanc rationem cognitio Dei attingit futura in se ipsis, quia respectu illius non sunt futura, sed existentia: ex eo quòd eius cognitio mensuratur æternitate, quæ virtualiter ita extenditur, vt ambiat & concludat intra se illud futurum, eiusque durationem, ac proinde sit illi realiter, & physicè præsens. Ergo cum intellectus, & intellectio Angeli, vt mensurata sua propria duratione, deficiant ab æternitate, & per consequens non habeant vim ambiendi & concludendi intra se tempus futurum, ita vt sint illi actu, & physicè præsentia, inde est, vt nequeant certò terminari ad futura in se ipsis.

Quoad secundam verò partem, nempe, quòd non possit certò ab Angelo cognosci in causis, eadem minor suadetur. Quoniam in causis indeterminatis, & indifferentibus ad *fore* & non *fore* seu ad *esse* & non *esse* alicuius effectus, non potest certò *fore*, aut *esse* eiusdem effectus deprehendi, sed solùm indifferentia, & indeterminatio ad *esse*, vel non *esse* illius: ergo cùm futurum contingens (de quo in præsenti) non habeat, antequam sit in se ipso, determinationem in suis causis, sed potiùs ipsæ sint indeterminatæ ad eius productionem: quia vel continetur in causis liberis, vel in causis necessarijs, dependentibus tamen à liberis: inde est, vt in prædictis causis, & secundùm *esse*, quod habet in illis nequeat certò cognosci, vt habiturum in actu exercito existentiam pro tempore futuro.

Euasio. *Vazquez.*

42 Nec obest, si occurras primò ex Vazquez in præsenti disput. 208. cap 2. (cui hæc ratio displicet, quique sentit, non posse assertionem istam ratione naturali firma, & à priori, sed solùm testimonijs scripturæ, vel Patrũ efficaciter suaderi) quòd præter illos duos modos relatos in antecedenti, potest assignari alius, quo cognoscantur futura libera, scilicet, attingendo illa in determinatione obiectiua, quam habent ad alteram partem: sicuti ratione huius obiectiuæ determinationis cognoscuntur à Deo, & significantur per propositiones habentes determinatam veritatem, aut falsitatem. Et similiter ad probationem secundæ partis antecedentis respondebis, quòd licèt causæ in se ipsis sint realiter indeterminatæ: attamen futurum est, vt ad alterã partem determinẽtur: & ideò iam antecedenter ad illam determinationem exercitam adest determinatio obiectiua earundem causarum respectu alterius partis contradictionis: ac proinde vna ex his contradictorijs enuntiationibus, *Hæc causa est determinanda*: *Hæc causa non est determinanda*, habet iam determinatam veritatem, & altera determinatam falsitatem: quandoquidem de ratione contradictoriarum est, quòd altera sit determinatè vera, & altera determinate falsa: & per consequens in prædicta determinatione obiectiua causarum poterunt attingi.

Verùm hæc etiam solutio facilè euanescit ex his, quæ 1. tom. tract. 3. disput 7. à num. 96. vsque ad. 122. diximus, vbi ex Aristot. & D. Thoma, & efficacissimis rationibus ostendimus, futura contingentia in signo antecedenti ad determinationem causarum (præsertim diuinam, scilicet ad decreta libera Dei) non habere determinatam, & infallibilem futuritionem, aut determinatam, & infallibilem non futuritionem: atque adeò neque habere determinatam veritatem obiectiuam in ratione futurorum, vt possint certò cognosci: nec propositiones de eisdem formatas esse in illo signo determinatè veras, aut determinatè falsas: ac tandem nec dari determinationem illam obiectiuam causarum ante prædicta decreta: & à n. 112. vsque ad 150. pluribus obiectionibus oppositæ sententiæ satis fecimus. Videantur ergo, quæ ibi dicta sunt, ne eadem repetamus, præsertim quæ à num. 129. vsque ad 135. diximus, vbi id, quod in fauorem huius solutionis adducitur, duplici via fusè dissoluimus. Explo ditur

43 Adde, quòd adhuc gratis permisso, non tamen admisso, dari prædictam determinationem obiectiuam futurorum in se ipsis, nec non & obiectiuam determinationem causarum, ex eo quod sit vera altera pars contradictionis, verbi gratia, quòd causæ illæ determinandæ sunt pro tempore futuro: nihilominùs non idcircò prædictum futurum per vires naturæ certò cognoscetur ab Angelo. Quoniam species infusæ illorum nequaquam repræsentabunt prædictum futurum, vt actu, & in exercitio habens in se ipso existentiam pro tempore futuro, ex eo quòd præcisè detur illa determinatio obiectiua; sed (vt sic dicamus) spectabitur ad hoc, vt prædictum futurum habeat in se in actu exercito existentiam, ad hoc vt repræsentetur cum eadem existentia exercita: sicut etiam non repræsentabitur illa determinatio obiectiua causarum vsque dum detur realis physica, & exercita determinatio illarum. Et ratio videtur Aliter refutatur.

tur aperta ex illis, quæ q. 55. diximus. Quoniam ſpecies Angelicæ tantùm repræſentant ea, quæ pertinent actu ad ordinem vniuerſi: conſtat autem, futura non pertinere ad hunc ordinem actu propter determinationem iſtam obiectiuam, ſed propter determinationem, ſiue eſſe exercitum, quòd habent in ſe, vel in ſuis cauſis ſecundùm eſſe exercitum conſideratis: quandoquidem ordo eſſendi præcisè in eſſe obiectiuo, determinatioque in illo eſt quodammodò diſtinctus ab ordine eſſendi phyſico, & reali, & exercito: & vniuerſum hoc, & ordo illius attenditur ſecundùm ordinem eſſendi realiter, & phyſicè, ac proinde exerciti, vel in ſe, vel in ſuis cauſis. Et propterea ordo eſſendi vniuerſi, vt pertinet ad ordinem obiectiuum, non explicat ordinem illius in ſe, ſed hunc ſupponit, & hoc ſuppoſito exprimit alium ordinem, nempe, ordinem terminandi certam cognitionẽ, fundatum tamen in ordine eſſendi phyſico reali, ac proinde exercito, vel in ſe, vel in ſuis cauſis.

Confirmatio prima. 44 Poteſtque hæc ratio confirmari primò, & explicari ex eo, quòd futurum contingens, per modum quidditatis præcisè conſideratum, non ſpectat ad ordinem vniuerſi ſecundùm eſſe obiectiuum, quod dicit, niſi quatenus fundatur in aliquo *eſſe* phyſico reali, & exercito, quod habeat in ſe, vel in ſuis cauſis, quatenus nimirum continetur poſsibiliter in virtute cauſarum naturalium, & hoc ſuppoſito pro fundamento, poteſt repræſentari per modum quidditatis per ſpecies Angelicas repræſentantes, tum prædictum futurum, tum cauſam, in virtute cuius continetur, aut dependentiam ab illa: quamuis neceſſe non ſit, vt Angelus attendens ad futurum actu cognoſcat determinationem cauſæ, vel cauſarum, ſed quòd talis determinatio, & *eſſe*, quòd habet in cauſa, ſit intra obiectum proportionatum ſpecierum infuſarum, quas habet, ab illisque modo dicto repræſentetur. Ergo cùm determinatio obiectiua, quam Vazquez addit, non præſupponat determinationem exercitam, aut *eſſe* exercitum futuri in ſe, vel in ſuis cauſis, non pertinebit præcisè per hoc ad ordinem vniuerſi; nec repræſentabitur per prædictas ſpecies, vſque dum detur illa altera determinatio exercita, vel in ſe, vel in ſuis cauſis.

Secunda Secundò poteſt eadem ratio elucidari, & confirmari ex eo, quòd futurum contingens collatum cum omnibus ſuis cauſis, ſcilicet, tam cum cauſis ſecundis, quàm cum prima, habet *eſſe* determinatum, non quidem ex vi cauſarum ſecundarum præcisè, ſed ex vi cauſæ primæ, & ratione liberi decreti, quo ipſum prædiffiniunt, & hoc ſuppoſito tamquam fundamento, habent futura determinationem obiectiuam ad eſſendum: & cauſæ ſecundæ productiuæ illorum ea ſimiliter gaudent, quia futurum eſt, vt determinentur à prima: ac tandem propoſitiones iſta annuntiantes ſunt determinatæ, & certæ veritatis. At hoc non obſtante, prædicta futura non repræſentantur per ſpecies Angelicas propter hanc determinationem obiectiuam, nec ab Angelo præuidentur, vt communiter docent Theologi, & cum eis ipſe Vazquez. Ergo potiori ratione gratis data, ſed non conceſſa determinatione illa obiectiua futurorum, fundata præcisè in hoc, quòd ex duabus propoſitionibus contradictorijs vna illarum debet eſſe determinatè vera, & altera determinatè falſa, non ob id ſpecies Angelicæ repræſentabunt prædicta futura, vt actu, & in exercitio habebunt exiſtentiam pro tempore futuro. *Vazquez*

45 Patet conſequentia ex paritate rationis. Tum, quia ſi prior illa determinatio obiectiua proueniens ex diuinis decretis non eſt ſatis ad hoc, vt præcisè ratione ſui conſtituat futurum intra ordinem vniuerſi, ſitque ſufficiens ratio ex parte obiecti, propter quam actu repræſentetur, vt habiturum determinatam exiſtentiam in tempore futuro: non eſt cur hoc tribuatur determinationi illi obiectiuæ præcisè fundatæ in hoc, quod ex duabus propoſitionibus contradictorijs altera illarum debet eſſe determinatè vera, & altera determinatè falſa.

Tum etiam. Quia ratio, propter quam determinatio obiectiua futurorum contingentium fundata in decretis liberis Dei, quæ ab æterno fuerunt, non conſtituit illa ſi cum præciſione ſumatur, intra ordinem vniuerſi, nec eſt ſufficiens ad hoc, vt per ſpecies Angelicas repræſententur, vt actu, & in exercitio habitura exiſtentiam, ea eſt. Tum, quia prædicta decreta ſecundùm ſe ſumpta, in quibus hæc determinatio fundatur, non ſpectant ad ordinem vniuerſi. Tum etiam. Quia non fundantur in aliqua cauſa ad illum ſpectante; ſed fundantur in cauſa, quæ eſt ſupra totum ordinem vniuerſi, & in primo illius principio, ſcilicet Deo.

Tum denique. Quia prædicta decreta, in quibus determnatio futurorum contingentium habet *eſſe* determinatum, non repræſentantur per ſpeciem Angelicam ſecundùm ſe, vel vt duratione præcedunt eadem fuiura; ſed ad ſummum quando in executione apparet effectus illorum in cauſis ſecundis, nempe, prædeterminatio phyſica & creata, qua prædeterminantur cauſæ ſecundæ ad productionem futurorum contingentium priùs natura, quàm illa producant. [At id, in quo fũdatur veritas illa obiectiua à Vazquez tradita

tradita, habet suo modo ista: quia nec pertinet actu ad ordinem vniuersi (siquidem præcisè hoc, quod est vnam ex duabus propositionibus contradictorijs esse determinatè veram, aut falsam, nec est quid pertinens actu ad ordinem vniuersi, nec ratio pertinendi, vt constat in similibus propositionibus, quæ possent formari de futuris, præcisè per hoc, quòd sint à Deo prædiffinita) nec prædicta determinatio, scilicet, quòd vna ex illis propositionibus v.g. affirmatiua sit determinatè vera, fundatur in aliqua causa pertinente ad ordinem vniuersi, sed ad summum posteà fundabitur, & continebitur, quando extiterit id, quod futurum est: siquidem ista determinatio præcisè fundatur in illa suppositione communi, nempe, quòd *omne, quod est, quando est, necesse est esse*. Nec tandem prædicta suppositio, aut determinatio fundans determinatè illam veritatem, repræsentatur vt actu exercita per speciem Angelicam, alioqui Angelus naturaliter cognosceret illa futura, sed solùm quando fuerit, tunc in actu exercito repræsentabitur. Ergo &c.

46 Vnde necesse non fuit, Angelicum Præceptorem in sua ratione meminisse huius determinationis obiectiuæ: quia iam illã suprà q. 14. reiecerat. Et adhuc gratis permissa, sed non admissa, satis cõstabat ex illis, quæ quæst. 55. dixerat, quomodo non esset satis ad hoc, vt ex vi illius pertinerent futura ad ordinem vniuersi, aut per species repræsentarentur.

Obiectio Vazquez.

Ex quo etiam fit nihil obesse, si ex eodem Vazquez addas, non rectè reddi pro radice attingendi futura contingentia in se ipsis, quòd duratio cognitionis sit ita virtualiter extensa, vt physicè, & realiter pertingat vsque ad durationem, & existentiam, quam pro tempore futuro habebit futurum contingens. Quoniam tam in creatis, quàm indiuinis repugnat hæc virtualis extensio: & propterea adhuc diuina cognitio non cognoscit futura in se ipsis propter hanc virtualem extensionem æternitatis, ac proinde nec per hoc, quòd prædicta futura sint semper physicè, & realiter præsentia eidem æternitati, vt se monstrasse in hac 1. p. disput. 64. capit. 3. idem Vazquez fatetur. Ex dictis igitur constat, hoc nihil obesse. Quoniam longè efficaciùs monstrauit oppositum Angelicus Præceptor in hac 1. p. q. 10. & q. 14. ar. 13. & nos pro exiguis viribus curauimus id defendere & elucidare to. 1. tr. 3. disp. 8. à n. 35. vsque ad num. 124 Et propterea à quo ad hoc in præsenti silemus.

Diluitur

§. III. *Alia enodatio rationis D. Thomæ & subuersio illius.*

Aliud effugium ad rationem D. Thomæ.

47 NEc etiam obstat, si aliter occurras, quòd ex ratione D. Thomæ ad summum sequitur, non posse omnia futura præuideri ab Angelis, secùs tamen aliqua. Quoniam quod duratio Angelica deficiat ab æternitate, solùm conuincit, non habere omne id, quod habet æternitas, scilicet ambire, & concludere intra se omne tempus, non verò quòd non habeat ambire & concludere aliquod certum & determinatum tempus. Tum, quia sicut æuum Angelicum, licèt deficiat ab æternitate, nihilominùs participat ab illa, non quidem quòd careat principio, & fine, sicut ipsa, sed quòd saltem careat fine: ita etiam poterit participare, quòd ambiat aliqua tempora, licèt non omnia. Tum etiã. Quia ex hoc, quòd potentia operatiua in creaturis deficiat à diuina potentia, solùm sequitur, quòd non possit in omne id, inquod potest potentia Dei, non verò quòd non possit in aliqua.

Tum denique. Quia hoc ipso, quòd duratio Angelica, nempè æuum, participet â diuina æternitate, quòd sit duratio indiuisibilis, tota simul, & carens fine, debet etiam participare, non quidem quòd coexistat futuris, quæ ante illud habuerunt existentiam, benè tamen futuris, quæ post productionem eiusdem æui sunt futura, & pro tempore futuro existent. Quoniam eo ipso æuum habet durationem virtualiter extensam vsque ad infinitum tempus à parte pòst, siquidem per totum illud absque additione nouæ durationis potest durare, estque insuper duratio indiuisibilis tota simul. Ergo non est cur non possit extendi ad ambiendum, & concludendum intra se simul omnia illa futura: siquidem habet simul, & indiuisibiliter æquiualere toti illi tempori, & æternitas non alia ratione concludit in se omnia tempora, cunctaque futura, nisi quia æquiualet omni tempori per modum durationis indiuisibilis, quæ tota simul existit.

Confirmatur. Quoniam non solum æuum, sed etiam instans temporis discreti Angelici, quamuis deficiat à diuina æternitate, potest coexistere vni, vel duabus horis: vt puta, si Angelus vellet coexistenter ad totum hoc tempus in aliqua intellectione durare. Ergo prædictum instans, prædictaque cognitio illo mensurata poterit esse actu præsens indiuisibiliter, & simul omnibus futuris, quæ in illis duabus horis existerent.

Confirmatur.

48 Non itaque hoc obstat. Quoniam solutio hæc satis manet impugnata ex his, quæ in 1. tom. tractat. 3. disp. 8. à num. 66. diximus, vbi ostendimus, futura contingentia non esse in se ipsis præsentia respectu æui: & assignauimus discrimen inter æternitatem, & æuum in hoc, quòd æternitas non solùm est mensura perfectior, quàm

Euertitur solutio.

quàm cæteræ omnes, ſed etiam eſt menſura ſuperior, cõtinens intra ſuum ambitum omnes alias menſuras, ſicut concauũ vltimi cœli, quieſt locus communis, continet omnia illa loca particularia: ac proinde omnia, quæ in inferioribus menſuris continentur, videlicet in tempore, & æuo, continentur etiam in æternitate, tamquam in menſura illorum ſuperexcedente. At verò æuum, licèt ſit menſura excellentior, quàm omnia tempora, non tamen eſt ſuperior ad illa, continẽs ea intra ſuum abitum; quantumuis ſit duratio indiuiſibilis in ſua æternitate, & longè diuturnior, quàm omnia tempora.

Ex quo ſequitur, quòd æternitas coexiſtat omnibus rebus, ac temporibus, vt vera menſura illorum ſuperexcedens & ſuperior, continens ea omnia intra ſuum ambitum, ita vt coexiſtat illis, non ſolùm quando exiſtunt quoad nos, ſed etiam antequam ſic exiſtant: æuum autem tantùm dicatur coexiſtere rebus temporalibus, quando exiſtunt quoad nos, & non anteà: quia non exiſtunt in ipſo æuo, vt in menſura ſuperiori, ſed potiùs æuũ, & tempus habent ſe vt duæ menſuræ diſparatæ. Videantur ea, quæ loco citato diximus, vbi rem hanc ſatis dilucidauimus.

Confirm 1. 49 Poteſtque hoc ipſum confirmari ex ibidem dictis. Tum quidem exemplo modi, quantum eſt ex ſe indiuiſibilis, quo anima eſt in corpore: qui licèt ſit perfectior modo vnionis, quo forma lapidis informat materiam eiuſdem lapidis, non tamen informatio, ſeu modus vnionis animæ menſurat informationem formæ lapidis. Et ſimiliter exemplo modi exiſtendi, quem habet Chriſtus in Sacramento, qui eſt perfectior modo exiſtendi quantitatis; nec tamen continet, aut menſurat illum: & locus Romæ eſt maior loco alicuius oppiduli; & nihilominùs iſte non continetur, aut menſuratur ab illo: & ita omnia iſta ſe habent vt res diſparatæ, non verò conferuntur per modum continentis, & rei contentæ. Tum etiam ex eo, quòd æuum eſt menſura non omninò immutabilis, ſed admittens potentialitatem, & ordinem ad ſucceſsionem: & ita poteſt modo mutabili coexiſtere, ſeu noua ei relatio præſentialitatis ipſi intrinſecè inhærens aduenire: ac proinde non valet res ſucceſsiuas trahere ad ſe immutabili modo, ita vt eas ſemper & immutabiliter menſuret, ſemperque & immutabiliter ad illas extendatur. At vero æternitas eſt menſura per modum actus puriſsimi, infiniti, & immutabilis: & ideo eius menſuratio debet eſſe actualiſsima, & immutabili modo facta: & propterea ſemper & ab æterno menſurat, quicquid ab ea menſurandum eſt: ac ſubinde trahit ad ſe immutabili modo, quæ aliàs mutabilia ſunt: ſicut intellectus diuinus continet immaterialiter, intelligibiliter, & immutabiliter ea, quæ alias ſunt mutabilia, & materialia.

50 Quæ omnia denuò confirmari poſſunt ex eo, quod negari non poteſt, quin æuum deficiat à diuina æternitate: hoc autem ipſo, quòd deficiat ab illa, non ſolùm non poteſt eſſe realiter, & phyſicè præſens omnibus futuris; verùm neque aliquibus, aut alicui; ſed hoc ipſo, quòd eſſet præſens alicui, poſſet eodem modo eſſe præſens omnibus: & ita eſſet, & non eſſet deficiens à diuina æternitate. Et ratio videtur aperta. Quoniam ad hoc vt æuum eſſet phyſicè præſens alicui durationi futuræ, deſiderabatur, quòd contineret illam, & eius perfectionem quoad propria illius: ſicut ad hoc, quod æternitas illam ambiat, & intra ſe concludat, oportet, vt præhabeat perfectionem illius quoad propria eiuſdem: & ſimiliter ad hoc, quòd aliquis locus communis contineat particularem, & illum ambiat, neceſsè eſt, vt contineat totam eius extenſionem, & eam continendo, illum intra ſe concludat. At hoc ipſo, quòd æuum Angeli contineret durationem aliquam futuram, præhabendo eius perfectionem quoad propria illius, carebit genere, & differentia intra lineam durationis: ſiquidem genus, & differentia ita coarctant & limitant ea, quæ ſunt ſub eadem ratione communi, vt determinent illa ad hoc, vt vnumquodque habeat ſuam perfectionem; non tamen vnum contineat propriam perfectionem alterius, aut atomam differentiam eius, ſiue illa, quæ ex eadem differentia proueniunt. Ergo prædictum æuum eo ipſo erit infinitum in ratione durationis: ac proinde vel nulli, vel omnibus futuris poterit coexiſtere. Confirm. 2.

51 Confirmatur. Nam ex eo quòd aliquid ſecundùm ſuam eſſentiam contineat eſſentiam alterius quoad omnia, quæ in illo ſunt, optimè colligitur, eſſentiam illam non eſſe aliam, præter quàm diuinam: quia proprium eſt ſolius Dei continere omnia, quæ ſunt in aliquo alio à ſe diſtincto: ex eo quod ſolus ipſe caret limitibus eſſentialibus. Ergo eadem ratione, hoc ipſo quòd aliqua duratio contineat aliam quoad omnia, quæ ſunt illius, v.g. aliquod tempus futurum, optimè colligetur, durationem illam non eſſe aliam, præter durationem diuinam: quia ſola ipſa caret limitibus intra lineam durationis. Confirm. 3.

Confirmatur amplius. Quoniam eſſentia Angeli, quæ menſuratur per æuum, non continet totam eſſentiam, & perfectionem futuri contingentis quoad omnia, quæ ſunt propria illius, vt ex ſe conſtat: ergo nec dura- Confirm. 4.

tio, qua menſuratur, continebit durationem menſurantem prædictum futurum. Patet cõſequentia. Quoniam cum menſura, & res menſurata ſint eiuſdem ordinis, & perfectio, quam vna dicit intra ſuam lineam proportionetur perfectioni, quam altera dicit intra ſuam, oportet, vt ſi duratio continet aliam durationem, etiam eſſentia menſurata per illam contineat rem, quæ menſuratur per durationem contentam: & quod ſi hæc continentia non datur, nec etiam detur continentia vnius durationis reſpectu alterius: vt patet in eſſentia diuina, & eius æternitate, quæ ideò in ratione durationis continet alias durationes, quia diuina eſſentia, & eius *eſſe* mẽſuratum per illam durationem continet *eſſe* omnium aliarum rerum.

52 Nec obſtant illa, quæ in fauorem huius ſolutionis adducta ſunt. Non quidem primum. Quoniam neganda eſt paritas. Nam carere fine in durando, non arguit infinitatẽ; bene tamen coexiſtere alicui dumtaxat futuro, vt oſtenſum eſt: & ita hæc vnica coexiſtẽtia habet ſe ad inſtar vnius dumtaxat operationis omnipotentiæ diuinæ, ſcilicet, creationis alicuius tantummodo creaturæ, quæ non minorem virtutem exigeret, quam creatio quarumlibet rerum. Nam ſicut quæuis creatio dicit continentiam totius entitatis, quæ creatur: ita etiam coexiſtentia phyſica alicuius durationis reſpectu alterius durationis futuræ, extendenſque ſe ad iſtam, dicit in illa priori continentiam huius poſterioris quoad omnia, quæ ſunt propria illius.

Ex quo etiam conſtat, nihil obeſſe ſecundum. Siquidem quod aliqua potentia creata poſsit aliquid, quod diuina, v. g. producere vtcunque calorem, non arguit infinitatem. Nec tandem tertium. Quoniam (vt ex dictis conſtat) licèt æuum ſit duratio carens fine, & tota ſimul, ac proinde indiuiſibilis; nihilominus non ob id continet alias durationes, & perfectiones illarum quoad propria earũdem: & ita non eſt phyſicè prẽſens illis, antequam ſint, ſed comparantur tanquam duæ menſuræ diſparatę, quarum vna eſt excellentior altera: ſicut duo loca particularia diſparatè ſe habentia, quorum vnus eſſet extenſior altero.

Et ratio eſt. Tum, quia ad hoc vt vnum ſit alteri phyſicè præſens, tãquam aliquid contentum in ſua duratione, oportet, vt ſit in eadem ſerie, & (vt ſic dicamus) in eadem via, & ſucceſsione, ad hoc vt duratio illa excellentior poſsit ſe veluti extendere, & pertingere vſque ad durationem pro tempore futuro, quam ſucceſſu temporis habebit in ſe ipſa res illa, reſpectu cuius datur hæc coexiſtentia. Sicut ſi aliquis locus minoris extenſionis non ſit in eadem via, & ſucceſsione collatus cum alio loco intenſiori, non poterit iſte ad illum pertingere, & illum intra ſe continere. At æuum, & duratio illa pro tempore futuro, in qua ſucceſſu temporis verificabitur de re futura, quod exiſtit, non ſunt in eadem via, ſerie, & ſucceſsione, vt ſtatim magis explicabitur. Ergo, &c. Tum etiam. Quia ſicut nihil poteſt cognoſci per propriã cognitionem, niſi per propriam, & adæquatam ſpeciem, vel per ſpeciem propriam per eminentiam: ita nihil poteſt coexiſtere alteri, niſi vel in propria duratione, qualem non habet futurum, dum nõ exiſtit in ſe, & in propria duratione; vel in duratione ſuperexcedenti, quæ ſit propria per eminentiam & excellentiam: quod ſolum cõuenit diuinæ ęternitati, quæ ſola eſt duratio propria per eminentiam, quia ſola cõtinet perfectiones proprias cuiuſlibet durationis.

53 Nec obeſt ſi vrgeas, eſſe diſparem ra- Replica.
tionem inter exemplum duorũ locorum particularium ex vna parte, & æuum Angelicũ, & aliquam durationem noſtri temporis futuram ex alia. Quoniam ſingulis ex his locis particularibus poteſt correſpondere peculiaris diſtantia, & via, per quam protrahantur: ac proinde poteſt vnus vna via, & per vnam diſtantiam, alius vero per aliam protrahi: & ita non eſt mirum, quod ſint loca diſparatè ſe habentia, quorum neuter contineat alterum, ſicut locus communis continet loca particularia. Cæterùm æuum, quatenus habet durationem excellentem, & carentem fine, non poteſt aliò ſe extendere, niſi verſus futuram durationem noſtri temporis: & ideò non poteſt non eius extenſio virtualis vſque ad illud pertingere, hoc ipſo quod prædictũ æuum in rerum natura ponatur. Sicut hoc ipſo, quod aliqua loca ſint in eadẽ via, & ſucceſsione, oportet, vt nobilior, & extenſior ex illis, extendens ſe per totam illam viam pertingat ad locum minorem, qui eſſet in eadem via, & ſucceſsione, illumque contineat.

Reſpondetur enim, exemplum duorum lo- Soluitur.
corum particularium diſparate ſe habentium non adduci quoad omnia, quæ in eo contingunt, ſed tantum quoad hoc, quod eſt prædicta loca diſparate ſe habere, licèt hoc ex diuerſis capitibus, & diuerſo modo in eis, & in præſenti accidat. Nam in prædictis locis id cõtingit ex eo quod diuerſis vijs, diuerſiſque ſucceſsionibus protenduntur, cùm tamen æuum ita ſit formaliter indiuiſibile, vt non habeat protendi, adhuc virtualiter, continereque etiam virtualiter aliquam extenſionem durationis; ſed ſit intra hanc lineam tam formaliter, quam virtualiter indiuiſibile; & ſolum habeat eſſe talis conditionis, vt ſit ei debitus concurſus Dei, quo in illa ſua indiuiſibilitate iam dicta conſeruetur.

Vnde (vt iſta cum illis, quæ modo dicebamus, cohæreant) ea præciſa ratione æuum, & dura-

& duratio futura noſtri temporis dicuntur diſparatè ſe habere, quia duratio æui eſt excellentior, & hæc excellentia non eſt tanta, vt habeat ſimul virtualem extenſionem intra lineam durationis, contineatque virtualiter, & eminenti modo durationes inferiores, ſed dicit durationem meliorem ipſis, non tamen præhabentem illa. Sicut etiam æuum, & duratio futura noſtri temporis dicuntur non eſſe in eadem via, ſerie, & ſucceſsione, ſed in diuerſa: quia diuidendo durationem in diuerſas (vt ſic dicamus) vias, & ſucceſsiones, ex eo quod quæuis duratio creata admittit aliquam ſucceſsionẽ, modo à noſtris Cõplut. in lib. phyſic. diſp. 21. num. 20. & deinceps explicato, tunc illa via, & ſucceſsio, quę competit æuo, eſt diuerſæ rationis ac illa, quæ competit tempori, v. g. noſtro: quia æuum, licet non admittat ſucceſsionem quoad *eſſe*, admittit tamen ſucceſsionem quoad operationes prouenientes ab eſſentia, quam menſurat: & hic modus ſucceſsionis (vt ſic dicamus) dimidiatæ non reperitur in alijs durationibus inferioribus. Et tandem, licèt æuum coexiſtat ſucceſsiuè futuris, non quidem quandiu futura ſunt, ſed poſteà dum præſentia fuerint; nihilominus dicitur eius duratio diſparatè ſe habere ad durationem temporis futuri: quia non protẽditur ad pertingendum, & continendum durationem futuram, ſed ſolum, dum illa extiterit coexiſtit ei. Quoniam per hoc, quod diſparate hæ duę durationes ſe habeant, ſolum ſignificatur, quod vna non continet aliam, licet aliqua ex illis ſit nobilior altera, & quod vna conſtituitur per quamdam differentiam atomam durationis, quæ proinde ſe habet ad conſtitutionem ſpecificam illius, ac ſi alia, & eius atoma differentia non eſſet.

N. Compl.

Illuſtratur.

54 Ex quo etiam poteſt aliter diſſolui hæc eadem tertia probatio de æuo, in fauorem ſolutionis, quam impugnamus, adducta, ſeu magis elucidari id, quod modo ad eandẽ probationem dicebamus. Nam aliud eſt, an æuum non habeat aliquam ſucceſsionẽ quoad ſuum *eſſe*: aliud verò quoad exiſtentiam cũ alijs rebus ſucceſsiuè habentibus ſuum *eſſe*. Etſi ergo primum illud ſit verum, ſecus vero hoc poſterius. Quia hoc ipſo, quod deficiat ab æternitate, non poteſt ex vtroque capite carere ſucceſsione. Quia ad hoc, vt quoad prædictam coexiſtentiam non haberet ſucceſsionem, oportebat, eã eſſe virtualiter extenſam, & continere actu inferiores durationes, & earum perfectiones, vt dictum eſt: ac proinde habere actu infinitatem intra lineã durationis. Quare, cum ad hoc quod coexiſtat, & ſit phyſicè præſens rebus futuris quoad nos, requiratur, vt careret ſucceſsione, nõ ſolum ſecundum ſuum *eſſe*, ſed etiam quoad exiſtentiam cum prædictis, futuris inde eſt, vt non poſsit eſſe illis phyſicè præſens eo proportionali modo, quo æternitas habet præſentiam ad illa, & ipſa ſunt eidem æternitati coexiſtentia. Vnde æuum cõparatur ad alias res ſucceſſu temporis deuenientes eo proportionali modo, quo arbor ita radicata in terra, vt ſecundum communem naturæ curſum debeat eſſe per aliquod longum tempus ibidem fixa: nam hęc non tangit diuerſas partes aeris ipſam circundantis, & fluentes, ac refluentes per contactum ſimultaneum, & coexiſtentiam itidem ſimultaneam ad illas in eadem diſtantia, ſed tantum per ſucceſsiuam, quamuis prædicta arbor ſemper ibidem maneat fixa.

Enodatur cõfirmatio.

55 Per quæ etiam ad confirmationem patet. Nam idem, quod de æuo diximus, debet proportione ſeruata ad inſtans Angelicum applicari, non obſtante: quod pro voluntate Angelica poſsit per duas, vel tres horas noſtri temporis durare, ſi Angelus velit ſuam intellectionem per correſpondentiam ad prædictum tempus continuare. Cęterum, licet quoad hoc proportionalis ſit ratio; nihilominus potiori ratione cogimur ad id quoad præſens affirmandum de inſtanti Angelico, quam de æuo. Nam gratis permiſſo, non tamen admiſſo, æuum poſſe coexiſtere futuris, non inde ſequeretur, Angelum poſſe cognoſcere futura contingentia in ſe ipſis: quia ad hoc deſiderabatur, vt æuum eſſet mẽſura cognitionis prędictorum futurorum. Ex eo quod, vt aliqua cognitio extendat ſe ad futura, intuendo ea in ſe ipſis, oportet, vt ſit phyſicè præſens eiſdem futuris ſecundum durationem illam, a qua talis cognitio menſuratur: at cum cognitio prædictorum futurorum menſuretur inſtanti temporis diſcreti, ſi huic inſtanti eſſent futura phyſicè præſentia, non eſſet cur per prædictam cognitionẽ non cognoſcerentur in ſe ipſis: & ita optime deductum eſt à D. Thoma, quod nulli intellectui creato ſunt hæc futura per vires naturæ nota. Quia duratio creata, per quam menſuratur cognitio cuiuſuis creaturæ per vires naturæ habitæ, non habet illis coexiſtere, quãdiu quoad nos futura ſunt, ſicut id habet duratio menſurans cognitionem Dei, nempe æternitas.

Alia eiuſdẽ ſolutio.

Vnde perſiſtendo in hypotheſi illa nuper permiſſa de coexiſtentia æui reſpectu futurorum, poteſt aliter reſponderi cum Iuniori quodam ex diſcipulis D. Thomæ, diſtinguẽdo antecedens: & ſi intelligatur de inſtanti, quo menſuratur cognitio terminata ad obiectum futurũ, de quo diſputatur, an poſsit ab Angelo cognoſci, negandum eſt: quia ſicut cognitio illius nequit inciperetoto illo tempore antecedenti ad præſentialitatem futuri in ſe ipſo, reſpectu cuius durationis ipſummet futurum gaudet futuri ratione, ita nec dura-

tio

tio eandem cognitionem mensurans, sed veluti expectare debeat futuri præsentialitatẽ, seu finem futuritionis, quam habet. Si vero intelligatur de instanti mensurante cognitionem terminatam ad obiectum præsens, concedi poterit. Sed ex hoc nihil contra nos infertur: quia cum innuitur, sufficere præsentiã futuri in mensura, qua mensuratur cognitio alicuius intellectus, vt ab illo attingatur futurum in se ipso, debet intelligi de mensura, quæ adæquate, & absolute respondeat cognitioni eiusdem intellectus respectu quorumcumque obiectorum, sicut æternitas correspondet nostro modo intelligendi diuinæ notitiæ, non vero de mensura, quæ determinate habeat correspondentiam cum aliqua cognitione peculiari eiusdẽ intellectus, vt in præsenti cõtingit: quia instans temporis discreti correspondet tantum cognitioni terminatæ ad obiectum præsens,

Corroborati solutionis.

56 Et explicari potest amplius hæc solutio ex discrimine, quod intercedit inter diuinam, & Angelicam cognitionem. Nam mensura diuinæ notitiæ est idem cum illa, qua mensuratur prius ipsa essentia Dei, quæ nihil est aliud, quam æternitas. Vnde, cum æternitas ambiat simul & semel omnem durationem, fit inde, vt ita se extendat virtualiter vt coexistat cuiuis alteri durationi, ac proinde iam inueniat diuina cognitio in altero posteriori, aut quasi posteriori aduenienti ipsum futurum existens in se ipso, saltem respectu durationis æternitatis, & ideo non mirum, quod ad illud vt præsens in se ipso queat terminari. Cæterum cognitio Angelica non mensuratur eadem mensura, qua essentia eiusdem Angeli, sed hæc æuo, illa vero instanti temporis discreti, vel tempore ipso discreto metitur. Vnde non inuenit futurum iam coexistens, vel in propria duratione, aut respectu alicuius alterius durationis eminentioris, & superioris, quæ etiam sit mensura eiusdẽ cognitionis, sed potius prius est ipsa cognitio, quam mensura, & duratio, quæ eandem metitur: & in illo priori solum potest terminari tamquam ad præsentia ad ea, quæ sunt in se ipsis existentia: & consequenter illius duratio solum potest per simultaneam correspondẽtiam correspondere his, quæ sunt in se ipsis præsentia: quia mensura sequitur naturam eius, cuius est mensura, & ei adæquatur.

§. IIII. *Duæ aliæ euasiones ad rationem D. Thomæ vnà cum impugnationibus earum.*

Solutio rationis Diui Thomæ & obiectio.

57 NEc præterea obest, si aliter ad rationem præcipuam D. Thomę respondeas, & simul obijcias, quod si aliquid probaret, conuinceret vtique, non solum non posse Angelum per vires naturæ cognoscere futura contingentia, verum nec etiam per vires gratiæ, & supernaturaliter. Quia nec posset illa cognoscere, prout sunt in suis causis, quippè quæ in illis non habent *esse* determinatum, sed indeterminationem ad *esse*, & non *esse*: nec in se ipsis, cum non possit à Deo produci species aliqua infusa repręsentans ea, antequam sint, prout in tempore futuro sunt habitura existentiam exercitam: ex eo quod prędicta species, & eius duratio virtualiter se extendat, & sit physicè præsens eisdem futuris pro tẽpore, pro quo de eis verificabitur, quod existunt: quia hoc proprium est solius æternitatis, quippe quæ (vt nuper dicebamus) dicit infinitatem.

Nec potest dici, posse supernaturaliter esse nota hæc futura Angelis, ex eo quod licet in causis secundis habeant *esse* indeterminatum, secus tamen in prima: & ita cognoscente Angelo hanc determinationem primæ causæ, poterit certo cognoscere futura, quæ in illa habent *esse* determinatum. Non igitur hoc potest dici. Quoniam de hac determinatione potest fieri idem argumentum, nempe, quod vel cognoscitur in se ipsa? Et hoc non: quoniam sic per solam visionem beatam potest attingi. Vel in sua causa, aut quasi causa scilicet, in diuina voluntate præeunte nostro modo intelligendi suas determinationes liberas? Et hoc non: tum propter rationem modo factam, nimirum, diuinam voluntatem non posse noscii in se ipsa, nisi per visionem beatam. Tum etiam, quia voluntas Dei, vt præit suas determinationes liberas, non habet aliquam determinationem ad eas. Ergo &c. Cæterum hæc non multum vrgent. Quoniam licet daremus, non posse Angelum ad hunc supernaturaliter cognoscere futura contingentia per species repræsentantes illa quid ditatiuè, & prout sunt in seipsis, ita vt prædictæ species coexistant eisdem futuris eo proportionali modo, quo æternitas habet illis coexistere: & similiter licet diuinum decretũ non posset in se videri, nisi per visionem beatificam, nihilominùs supereſt alius modus, quo Angelus certo cognoscat prædicta futura, nempe, si ei reuelentur reuelatione (vt aiunt) extra verbum: tunc enim, si cognoscatur euidenter ab illis exteriori illa reuelatio Dei, & sciatur, illam esse à Deo, potest Angelus per euidentem consequentiam deducere, illud futurum habiturum esse pro tempore futuro existentiam, & in prædicta reuelatione exteriori, vt in testimonio Dei loquentis illa cognoscere, vt cõtingit in Prophetis prędicentibus aliqua futura, & habentibus euidentiam quoad *an est* de diuina reuelatione. Vtrum autem possit diuinitus dari species aliqua infusa, & supernaturalis ordinis, quæ mensuretur æternitate participata, sicut visio beatifica per illam mensuratur, & an prædicta

Impugnatur.

ta species possit coexistere futuris cõtingentibus, & quomodo ad hoc nõ requiratur infinitas in ea intra lineã durationis, hoc ipso quod non conueniat illi hæc duratio nisi per participationem à diuina æternitate, non est huius loci, sed propriam sedem in 3. part. quæst. 10. habet.

Alia euasio & obiectio. 58 Nec tandem refert, si postremo loco rationi præcipuæ ex D. Thom. adductæ respondeas, & simul vrgeas, quod siquid conuinceret, suaderet etiam, præterita non posse certo ab Angelis cognosci. Quia nec in se ipsis, quippe quæ iam in se non sunt: nec in suis causis, siquidem in illis iam non habent *esse*, licet habuerint illud. At cognitio præteritorum non videtur deneganda Angelo: siquidem notitia multorum ex illis intellectui humano non denegatur, vt experientia ipsa testatur.

Euertitur. Bañez. Non igitur hoc obest. Quoniã ad illud satis bene occurrit Bañez art. 3. huius quæst. vbi inquit, quod quatuor modis se potest habere res præterita ad Angeli intellectum. Primo ita vt cognita fuerit ab ipso tẽpore præterito, quando res existebat. Secundo, quod non fuerit ab illo cognita, propter non aduertentiam ipsius Angeli: nec enim necesse est, quod ad omnia singularia quæ existunt, aduertat. Tertio, ita vt illud singulare præteritum relinquat aliquem effectum sui in sua causa. Quarto denique, ita vt nihil post se reliquerit. Hinc ergo respondetur, quod Angelus potest cognoscere rem præteritam, quę *esse* habuit primo modo. Quoniam species Angelica iam semel fuit determinata in actu secundo ad cognitionem illius rei singularis, quæ actualiter terminauit cognitionem Angeli: & ita ex vi huius determinationis poterit postea illa species repræsentare Angelo eandem rationem: & hæc cognitio dicetur abstractiua, præsupponens intuitiuam eiusdem rei: ac proinde est quasi rememoratiua cognitio, non enim propriè in Angelo ponitur memoria. Si autem Angelus non cognouit rem præteritam pro tempore, quo extitit, & tamen res illa reliquit post se aliquod vestigium sui in effectu, vel in aliqua determinatione causæ, poterit Angelus cognoscere rem illam præteritam, & cognoscet de facto, quotiescunque vsus fuerit specie repræsentante modo dicto quidditatem, sub qua continebatur res præterita. Quoniam species Angelica adiuncto lumine efficacissimo ipsius Angeli potens est ad cognitionem cuiuslibet rei, cuius reperitur in rerum natura aliqua determinatio in effectu, vel in causa. At vero illud præteritum, quod post se nullum reliquit vestigium, non potest cognosci postea ab Angelo, si quando extitit in rerum natura, non fuit cognitum: quia illud præteritum ita se habet ad speciem Angeli, ac si nunquam fuisset.

Replica. 59 Nec obest si vrgeas, non cohærere hæc cum illis, quæ suprà quæst. 55. diximus, scilicet, quod sicut potentia essentialis suprem orum corporum in ordine ad suas formas substantiales expletur à Deo in instanti creationis illorum: ita potentia essentialis suprem arum substantiarum spiritualium, quam habent secundùm suum intellectum in ordine ad formas intelligibiles, habet etiam expleri à Deo in instanti creationis earundem substantiarum. Ergo sicut decursu temporis suprema corpora, quia suprema sunt, non possunt aliquid acquirere pertinens ad ordinem formarum substantialium, quod vel sit forma substantialis, vel aliqua illius pars, aut determinatio substantialis eiusdem formæ: ita neque intellectus Angelicus poterit aliquid denuò acquirere pertinens ad ordinem specierum intelligibilium, quod vel sit species, vel aliquid speciei, & ræpræsentationis eiusdem, vel aliqua determinatio ipsius in eodẽ ordine repræsentatiuo.

Respõdetur Respondetur enim, hanc determinationẽ speciei, quæ semel repræsentauit aliquid præsens, quod transijt in præteritum, quodque, dum erat præsens, fuit cognitum, non perseuerare in actu exercito, ex eo quod in *esse* entis habeat aliquam realitatem, vel modum denuò in ea productum, sed quia hæc est eminentia, & excellentia speciei infusæ Angelicæ repræsentantis naturas materiales, & earum indiuidua, quod sicut non repræsentat actu, in exercitio, absolutè, & simpliciter loquendo singularia, vsque dum actu existant, & participent actu naturam specificam per prius repræsentatam, & tamen per hoc, quod omnino in actu exercito illa postea repræsentet, non ei accrescit aliqua perfectio, aut nouus modus in *esse* entis: ita durat hæc repræsentatio quoad indiuidua præterita, quæ actu naturam illam participauerint, si tamẽ semel species illa intelligibilis ad cognitionem talium indiuiduorum deseruierit: & hoc propter magnam (vt dicebamus) vniuersalitatem, & excellentiam prædictarum specierum. Vnde, sicut species nostræ deseruientes ad cognitionem alicuius obiecti singularis, eo cognito manent peculiariter determinatę in ordine ad illud per determinationem nouam in *esse* entis causatam, & relictam ex illa cognitione: ita species infusæ propter sui excellentiam habent in exercitio, absolute, & simpliciter hanc determinationem, saltem postquam deseruierunt cognitioni rei, quæ semel stetit, non quidem per additionem noui modi intrinseci, sed quia ipsæ, quantum est ex se, hoc præhabebant, & solum deerat illa cõditio: & ita ea posita potest absque aliquo alio adesse prædicta determinatio, & per cõsequens perseuerare repræsentatio illa.

§. V.

§. V. *Oppositus error cum suis fundamentis, & responsionibus ad illa.*

Contrarius error.

60 OPpositum tamen errorem, nimirum, Angelum, vel hominem posse lumine naturali cognoscere certo futura fortuita, & libera, tenuerunt Auizena 6. Met. c. 1. Cicer. 2. de Diuin. & ex antiquis Astrologis Ptolemæus, Albumazar, & Abemgazel. Quos sequuntur ex neotericis Tutinus, Ioannes Stalius, & alij: qui ex astrorum dispositione quoscumque effectus contingentes, & liberos putant posse prognosticari, & de eorum prognostication dari veram scientiam, quæ sit pars naturalis astrologiæ.

Auizena. *Cicer.* *Ptolom.* *Album.* *Abēgaz.* *Tutin.* *Stalius.*

Argumētū primum.

Potestque hæc sententia probari primo. Nam facultatem naturalem animæ nostræ non superat, quod certo sciat futura contingentia: ergo potiori ratione id Angelis, quippe habentibus perfectiorem intellectum, debet concedi. Consequentia est perspicua. Et antecedens asseritur à D. Augustin. super Genes. ad lit. libr. 12. capit. 13. tom. 3. vbi inquit, quod animæ humanæ, secundùm quod à sensibilibus corporis abstrahitur, competit futura præuidere. Necnon à Gregor. libr. 4. Dialog. capit. 26. vbi asserit, quod ipsa aliquando animarum vis sua subtilitate aliqua futura præuidet. Et ad confirmandum refert id, quod Romæ cuidam Aduocato cōtigit, qui morti vicinus præcognouit, quod esset apud sanctum Xystum sepelliēdus: cum tamē hoc esset quoddam futurum liberum, & casuale.

D. Aug. *Gregor.*

Confirm 1. *D. Thom.*

61 Confirmatur ex D. Thom. 1. part. quæst. 86. artic. 4. ad 2. & 22. quæst. 272. artic. 1. in solutione ad 1. & ex Caietan. ibidem, adducentibus prædicta testimonia, & simul dicentibus, hanc futuri prænotionem ortum ducere ex eo, quod ab anima percipiuntur subtiles motus in imaginatione hominis ex impressione naturalium causarum relicti, & intellectus possibilis illustratus lumine intellectus agentis excitatur ad cognoscenda futura, quæ in signo illo repræsentantur. Quare, cum Angelis queant esse notæ istæ impressiones causarum naturalium, non erit cur ex vi illorum nequeant cognoscere futura illa casualia, & libera.

Secunda.

Confirmatur secundo. Nam aliquando causæ cœlestes solent talem influxum immittere, vt inde causentur somnia, ex quibus deueniatur in cognitionem futurorum liberorum, & casualium: at omnis ista causalitas est nota Angelo: ergo & prædicta futura. Maior probatur ex eo, quòd cōtigit in somnis pincernæ, & pistoris, explicatis à Ioseph. Genes. 40. quod ex naturali, & cœlesti causa prouenisse, testatur Caiet. 22. q. 95. art. 6. *Genes. 40.* *Caiet.*

Tertia.

Confirmatur tertiò. Nam sæpè homines in sui ortu habent influentias siderum, quæ tunc dominantur, fœlices, & similiter in inceptione alicuius operis: at ex huiusmodi influentijs possunt illis esse nota futura fortuita, & libera, vt constat ex arte iudiciaria: & similiter ex lineis, quas natura manibus hominum impressit, vt patet ex illo Iob. 37. *In manu omnium hominum signat, vt noverint singuli opera sua.* *Iob 37.*

Occurritur argumento & primæ cōfirmationi. *D. Thom.*

62 Respondetur ex D. Thom. 22. quæst. 172. art. 1. & 1. part. quæst. 86. art. 4. animæ humanæ, adhuc morti vicinæ, non conuenire naturalem facultatem ad præcognoscenda futura: & similiter nec dum est alienata à sensibus, pollere vicerta ad somniandā futura libera. Et ita, si aliquod horum præcognoscit, aut somniat, vel hoc habet ex Dei reuelatione, vel si duxerit ortum à causis naturalibus, id tantum eueniet in his, ad quæ cœlestis influentia, vel per se directe, vel indirecte habet inclinare. Et adhuc respectu huius non est ei concedenda certa cognitio, sed coniecturalis dumtaxat ex experimento, quod ei relictū est ex similibus effectibus, & impressionibus cœlestibus: ad quæ percipienda est magis idonea, dum homo est morti vicinus: nam sicut tunc minus percipit de sensibilibus externis, ita magis vacat ad hoc, vt possit percipere impressiones, & motus cœlestes, eorumque significationes.

Per quæ constat, tum ad ea, quæ ex Augustino, & Greg. adducta sunt. Vnde id quod Greg. de Aduocato illo narrat, potius est cōfirmatio eorum, quæ diximus. Nam cœlum, dum prædictus Aduocatus moriebatur, influebat maximam pluuiam, & hāc impressionem cœlestem causauit cœlum in imaginatione illius Aduocati, quando erat magis idoneus ad eam percipiendam: & ita coniecturaliter deduxit, quod portitores funeris nō possent vltra sanctum Xystum progredi cum cadauere: & consequenter ibi esset sepelliēdum. Tum etiam ad primam confirmationem ex D. Thoma, & Caiet. desumptam.

Ad secundā cōfirmationē dicendum est, quod ex somnijs illis, si non erant à Deo causata, non deducebatur certum indicium futuritionis illorum euentuum, sed tantum ex illis cœlestibus influentijs deducebatur inclinatio Pharaonis in odium pistoris, & dilectionem pincernæ: quia hæc in eius appetitu ex impressione cœlesti excitabantur. Cæterum cum his stat, quod futurus euētus certò prædictus fuerit à Ioseph. Quia Deus ei illum reuelauit, vt docuit D. Thomas super Gen. cap. 40. *D. Thom.*

Ad secundā cōfirmationem.

63 Ad

Ad tertiam 63 Ad tertiam confirmationem reſpondetur, ex diſpoſitione ſtellarum, & fœlici, aut infelici cœlorum influentia poſſe colligi diſpoſitionem corporis alicuius fœlicem, non tamen inferentem effectum infallibilem, liberè tamen futurum, ſed innuentem inclinationem aliquam ad illam, maximè in eis, quę ſpectant ad animam, in quam cœlum non habet influere, niſi valde indirectè, & per accidens, ratione diſpoſitionis corporis, cui anima dominatur. Vnde dictum eſt: *Vir ſapiens dominabitur aſtris*: ex eo quòd multoties homines operantur contra proprias inclinationes, & cœleſtes influxus. Et propterea non parum inuehitur Iſai. cap. 47. contra petentes ab huiuſmodi ſignis rationes futurorum. Et Ierem. 10. dicitur: *A ſignis cœli nolite metuere*. Per quod etiam conſtat ad id, quod de lineis manuum adducitur (ſi tamen verum eſt, eas non à caſu ex diſpoſitione materiæ, & complicatione manuum infantuli in vtero materno formari) tunc enim ſolum computandæ erunt inter effectus cauſarum naturalium, inſinuãtes diuerſam complexionem, & inclinationem naturalem, non vero aliquid, per quod futura libera certò cognoſcantur.

Iſaiæ 47. Ierem. 10.

Ad teſtimonium vero, quod in huius confirmationem ex illo Iob 37. adducitur, reſpondetur ex D. Thoma ibidem, per manum denotari rationem, & virtutem operandi: & ita eis ſignificari, Deum oſtendere vnicuique, quomodo congrue pro diuerſis temporibus ſua opera poſſet diſtribuere, hyemali nimirum, vel verno tempore, quia tempus ſerenitatis accommodatum eſt aliquibus operibus, & tempus pluuiæ alijs.

D. Thom.

Argumenti ſecundum: 64 Secundo probatur eadem ſententia. Quoniam Angeli cognoſcunt totum ordinẽ cœlorum: at in illis deſcripta ſunt omnia futura etiam libera. Ergo, &c. Minor probatur ex illo Geneſ. 1. *Fiant luminaria, &c. Et ſint in ſigna*. In quibus verbis vult Orig. (vt teſtatur Euſebius lib. 6. de præparatione Euangelica cap. 9. & Xyſtus Senenſ. lib. 5. Bibliothecæ ſanctæ annotatione 15.) denotari, in cœlis eſſe deſcripta omnia futura, etiam libera, & caſualia, ſine vlla tamen coactione. Et in lib. qui dicitur, *Narratio Ioſeph*, qui (vt docet Xyſtus Senẽſ. loco relato) fuit olim apud multos catholicos in magna veneratione habitus, inducitur Iacob Patriarcha ad filios ſuos ſic loquens: *Legite in tabulis cœli, quæcumque euentura ſunt vobis, & filijs veſtris, &c.* In quo etiam ſenſu explicatur ab aliquibus illud Iſai. 34. & Apocalypſis. 6. *Cœlum receſſit ſicut liber inuolutus*. Nã ſicut in hoc nihil queit legi, hoc ipſo quod inuolutus ſit: ita dum in die iudicij motus cœli ceſſauerit, nequibit aliquod futurum præuideri, ſicut antea ex cœlorum influentijs præuidebatur.

Geneſ. 1. Origen. Euſeb. Xyſtus Senenſis. Iſaiæ 34. Apoc. 6.

Reſpondetur, negando minorem. Et ad probationem dicendum eſt, illam explicationem Origenis non eſſe admittendam. Videatur Xyſtus Senẽſ. vbi ſupra, eandem ex D. Auguſt. & Angelico Præcept. & alijs impugnans. Locus vero adductus ex Geneſi ſolum ſuadet, tribuendum eſſe ſtellis, quod ſint ſigna effectuum naturalium: non vero effectuum, & futurorum liberorum. Ad illud autem de libro, quod dicitur, *Narratio Ioſeph*, dicendum eſt, eſſe apochryphum, vt tradit Diuus Athanaſius in ſua ſynopſi.

Reſponſio. *Xyſtus Senenſis.* *Athanaſ.*

Tertium. 65 Tertio probatur. Nam Dæmones ſæpè futura libera prædicunt: at hoc nõ præſtant niſi per ſuam facultatem naturalem, quippè qui donis ſupernaturalibus ſunt deſtituti: ergo id etiam bonis Angelis erit concedendum. Maior probatur ex D. Auguſt. tom. 3. lib. de Diuinatione Dæmonum cap. 6. & 7. & refertur in iure canonico 26. quęſt. 4. cap. *quodam loco*, vbi D. Aguſt. refert de quodam Dæmone, quòd prænũtiauerit ſubuerſionem idolorum, & aliquorum templorum, quæ futura erat tempore Chriſti Domini.

D. Aug.

Reſponſum præbetur. Reſpondetur, quòd etſi Dæmones aliqua futura prædicant; nihil tamen inde contra nos. Quia vel non habent per vires naturæ, niſi tantum coniecturalem eorum cognitionem ex aliquibus ſignis tunc occurrentibus, vt puta, quia cognoſcunt naturales inclinationes hominum, & quod iſti regulariter has inclinationes ſequuntur: & ita non ſemper dicunt verum infallibiliter, nec illis debemus adhibere fidem: quia his intendunt adducere homines ad ſuam familiaritatem. Vel ſi certò hæc præuideant, tunc hoc eis competit ex duplici ratione. Prima quidem, quia aliquando aſsiſtunt diuinis reuelationibus; licet iſtæ nihil ſupernaturale in eis ponant, ſed ſat ſit diuina reuelatio extrinſeca, & veluti aſsiſtens illis. Et ita Iob ca. 1. dicitur, quod Satan aſsiſtebat inter filios Dei: & tunc hæc reuelatio non fit immediatè ab ipſo Deo, ſed mediante alio Angelo. Secunda ratio eſt. Quoniam ipſi multoties dicunt, quod facturi ſunt ipſimet ex diuina permiſſione: vt ſi prædicant ruinam domus poſtea futuram per miniſterium illorum, Deo ita permittente.

Vltimum. 66 Vltimo probatur prædictus error. Quoniam quiuis Angelus comprehendit proprias ſpecies intelligibiles: ergo etiam cognoſcet futura contingentia. Antecedens eſt notum. Conſequentia etiam videtur perſpicua. Quoniam ſpecies illæ tantum repræſentant ea, quæ habent, vel habitura ſunt exiſtentiam, aut illam habuerunt: ex eo quod tantum repræſentant illa, quæ in aliqua differentia tẽporis ſunt partes vniuerſi. Ergo

ex vi comprehensionis prædictæ speciei, & repræsentationis illius sciet omnia, quæ repræsentat: ac proinde & futura contingentia, quæ connumerantur inter obiecta repræsentata per prædictam speciem.

Nec obest si occurras, futura non repręsentari actu & in exercitio, absolutè & simpliciter loquendo, nisi actu & in exercitio existant. Nam contra hoc est. Tum, quod saltem species intelligibilis repræsentat actu, quantum est ex se, futura contingentia: ergo hoc ipso, quod Angelus cognoscat, prædictã speciẽ, quantũ est ex se, habere hanc repræsentationem, cognoscet futura contingentia: quia nisi pro tempore futuro habitura essent existentiam, non esset prædicta species, quantum est ex se, actualis repræsentatio eorum. Tum etiam. Quia licet requiratur existentia exercita futurorum, ad hoc vt actu repręsententur in ordine ad cognitionem intuitiuam; non tamen in ordine ad abstractiuam, quæ ex se abstrahit ab existentia exercita: ergo species illa repræsentabit abstractiuè futura ista: & ex consequenti Angelus eam comprehendendo, pertinget etiam ad cognitionem futurorum.

Enodatio. Respondetur, admittendo solutionem traditam. Et ad primam impugnationem dicendum est, speciem illam, quantum est ex se, repræsentare actu tam futura, quam possibilia, quæ prehabentur in virtute causarum naturalium spectantium ad hoc vniuersum: & ideo non posse certò sciri, an prędicta futura sint habitura existentiam: quia siuè illam pro tempote futuro habuerint, siue non, eodem modo repræsentantur actu, quantum est ex parte speciei.

Ad secundam vero probationem respondetur ex supra dictis, speciem repræsentare futura per modum quidditatis sumpta, & in ordine ad cognitionem abstractiuam. Inde tamen (vt dub. præcedenti dicebamus) nequit colligi, posse sciri ab Angelo, an prædictum futurum sit suo tempore existens, nec ne, vt probatum est.

(ẽ)

DVBIVM V,

Vtrùm cogitationes cordis hominis, aut alicuius Angeli sint, aut possint certò esse notæ alteri Angelo viribus suæ naturæ relicto, antequam ad illum dirigantur, eidemque manifestentur?

67 NON loquimur de cogitationibus cordis, prout sufficienter splendent in aliquo effectu ad extrà: sic enim planum est, posse à quocumque Angelo cognosci: sed de eisdem, prout non manifestantur aliquo effectu, aut signo externo sufficienti. Nomine autem cogitationum cordis intelliguntur præcipuè actus liberi voluntatis, necnon & actus intellectus, vt procedunt ex libera applicatione voluntatis: & tandem ijdem actus intellectus, vt per modum dirigentis sunt causa actualis respectu actuum liberorum. Vnde Angelicus Præceptor in hoc artic. vt explicaret, quomodo cogitationes cordis, prout non manifestantur sufficienter in aliquo effectu externo, nequeant ab altero Angelo cognosci, adducit verba illa 1. ad Corinth. 2. *Quæ sunt hominis, nemo nouit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est.* Constat autem, verba ista non esse intelligenda nisi de illis, quæ sunt homini propria, vt est dominus suarum actionum, & operatur liberè, atque adeò per intellectum & voluntatem: & per consequens præcipue de actibus eiusdem intellectus, & volũtatis nuper recensitis, quia isti sunt qui præcipue progrediũtur ab homine, vt homo est, & sunt propij illius, vt est dominus suarum actionum. Ex quo etiam fit, quod minus principaliter, & quasi secũdario significentur nomine cogitationum cordis quinis alij actus imperati, siue sint actus intellectus, siue aliarum potentiarum imperio voluntatis subditarum, quę non egẽt necessario ad sui exercitiũ imperio & motione libera volũtatis: nã isti, vt participant ab affectionibus liberis ordinationem in fines particulares

Sensus tituli.

Ang. Doctor.

1. *Ad Corinth.* 2.

res per ſe intentos, pertinent etiam ad cogitationes cordis.

Poteſtque reddi ratio horum ex proprietate illius vocis, *cogitationes cordis*. Nam etſi in Scriptura aliquando per illam denotentur actus intellectus, & aliquando actus voluntatis: nihilominus frequentius ſolent ſignificare tam actus intellectus, quam voluntatis iam dicti, ſumpta metaphora ex proprietate illius vicis *Cor*. Nam ſicut *Cor* ſignificat principium & radicem vitæ naturalis: ita etiã intellectus, & voluntas, vt ſunt cauſę actuũ liberorũ, ſunt primus fons & radix totius vitæ moralis & bonæ: & ideo *Cor* in Scriptura ſignificat hoc principium totale: & nomine cogitationum eiuſdem cordis denotantur actus iam recenſiti procedentes à prędicto principio totali. Nam etſi prædicti actus non ſint ſolus intellectus, ſed etiam voluntatis: nihilominus, quia actus intellectus habent ſe per modum dirigentium, idcirco cenſentur excellentiores: ac proinde ab eis ſumitur denominatio. Vnde actor 8. dicitur: *Si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*. Conſtat autem, in his verbis tam actus intellectus, quam voluntatis includi: alioqui cogitatio illa, vel voluntio nõ eſſet quid indigẽs remiſsione. Cũque hoc, quod eſt procedere à prædicto corde, præcipuè cõpetat actibus intellectus, & voluntatis, & minus præcipue, ac ſecundariò aliis actibus imperatis nuper recẽſitis: inde eſt, vt illi præcipuè, iſti vero minus præcipue, & modo dicto poſsint ſub nomine cogitationis cordis intelligi.

Actorũ 8.

§. I. *Ex mente Sacræ Scripturæ, & Patrum difficultas dubij expeditur.*

Aſſertio

68 DICENDVM ergo eſt, cogitationes cordis hominis, aut alicuius Angeli non eſſe, aut poſſe eſſe certo notas alteri Angelo viribus ſuæ naturæ relicto, antequam ad illum dirigantur, eidemque manifeſtentur. Aſſertio hæc videtur contineri in verbis illis Ierem. cap. 17. à D. Thoma artic. 4. huius quæſt. adductis, nempe, *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes*. In quibus verbis aliqua debent expendi. Primum eſt, quod aſſignatur tanquam proprium Dei; & vt peculiaris excellentia eius, quod ſit ſcrutans corda, & probans renes. Vnde D. Hieron. prædicta verba ſic interpretatur: *Melius autem eſt, vt ſimpliciter accipiamus, quod nullus cogitationum ſecreta cognoſcat, niſi ſolus Deus*. Secundum eſt, ratio aſſignata à Propheta, propter quam ſolus Deus eſt ſcrutator cordium, v. g. humanorum: nam hæc continetur in illis primis verbis, *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile*. Vbi non reddit pro ratione, quod Deus deneget concurſum debitum creaturis intellectualibus potentibus ex ſe illud ſcrutari, ſed quia illud ex ſua natura habet, quod inſcrutabile ſit: ac proinde quia ex vi ſua habeat aliquid, vnde inueſtigari non poſsit. Quemadmodum illud dicitur proprie loquendo inintelligibile, aut impoſsibile, quod ex ſe, & ex vi ſua nequit intelligi, aut fieri. Et propterea, ſi Deus deneget concurſum ad aliquid patrandum, & cognoſcendum, ſi tamen ex ſe cognoſcibile, aut factibile fuerit ab aliqua virtute cognoſcitiua, aut operatiua, non dicetur proprie, abſolutè & ſimpliciter loquendo, inintelligibile, aut impoſsibile.

Ieremiæ 17.

D. Thom.

Fulcitur teſtimonio Sacræ Scripturæ.

Hierony.

Conſonantque iſta cum translatione 70 Interpret. quæ ſic habet: *Profundum eſt cor ſuper omnia, & homo eſt: quis cognoſcet illud? Ego Dominus, &c.* Si namque cor ſuper omnia profundum eſt, erit vtique ſecundum ſuam naturam inſcrutabile: & propterea ſolus Deus illud ſcrutari poterit, non vero aliquis alius erit alieni cordis ſcrutator.

Auguſtinus

Quam Scripturæ phraſim imitatus eſt Auguſt. in Pſalm 41. ſuper illa verba, *Abyſſus abyſſum inuocat*, vbi ſic ait: *Abyſſus enim eſt profunditas quædam impenetrabilis, incomprehenſibilis, & maximè ſolet dici in aquarum multitudine: ibi enim altitudo, ibi profunditas, quæ penetrari vſque ad fundum non poteſt, &c. Quæ ergo abyſſus, quæ inuocat abyſſum? ſi profunditas eſt abyſſus, putamus non cor hominis abyſſus eſt? Quid enim eſt profundius hoc abyſſo? Loqui homines poſſunt, videri poſſunt per operationem membrorum, audiri in ſermone: ſed cuius cogitatio penetratur? cuius cor inſpicitur? Quid intus gerat, quid intus poſsit quid intus agat, quid intus diſponat, quid intus velit, quid intus nolit, quis comprehendet? Puto non abſurdè intelligi abyſſum hominem*. In quibus verbis manifeſte reducit Auguſtinus incognoſcibilitatem cogitationum noſtrarum, non ad denegationem concurſus debiti intellectui creato, ſed ad ipſam naturam cordis humani, vbi eſt quædam profunditas impenetrabilis, & incomprehenſibilis. Et propterea hoc ipſum intendens Pſalmiſta dixit, quod *abyſſus abyſſum inuocat*, ideſt, quod abyſſus cogitationum hominum, & Angelorum abyſſum aliam, nempe Deum, qui eſt abyſſus ſapientię, & intelligentiæ, inuocat, vt penetrari, aut cognoſci poſsit.

69 Ex quo ſatis conſtat, quomodo maneat euerſa ſententia, & explicatio Scoti; nimirum, non ideo tribui Deo eſſe ſcrutatorem cordium, quia ſolus pie habeat virtutem & facultatem ad hanc ſcrutationẽ, ſed

Ex dictis euertitur ſẽtẽtia & expoſitio Scoti.

quia alij intellectui præter illius, in quo sunt prædictæ cogitationes, denegatur à Deo concursus debitus, ad hoc vt actu cognoscat cogitationes cordis. Ex dictis igitur satis liquet huius euasionis euersio. Quoniam alioquin ratio, propter quam denegatur Angelo cognitio cogitationum cordis alieni, non esset profunditas & inscrutabilitas illius, sed denegatio actualis concursus ad illas cognoscendas: & ita prædictum cor non esset inscrutabile, & super omnia profundũ secundum se sumptum: cuius oppositum ex Ieremia, & August. vidimus.

Eadem etiam assertio videtur expressa in alijs Scripturæ testimonijs, in quibus aliquando dicitur, esse proprium solius Dei cognoscere huiusmodi cogitationes, vt 2. Paral. 6. *Tum enim solus nosti corda filiorum hominum.* Et similiter Deus specialiter appellatur scrutator cordis, vt 1. Paral. 28. Sap. 1. & actor. 1. & præterea in Euangelio tanquam signum diuinitatis Christi adijcitur, quod hominũ cognouerit cogitationes, vt Matthæi. 9. & 12. Mar. 2. Lucæ 24. Et tandem Paulus 1. ad Corinth. 2. tanquam apertum Deitatis indicium reuelationem cogitationum cordis proponit.

2. *Paralipomenon* 6. 1. *Paralipo* 28. *Sapiẽtiæ* 1. *Actor.* 1. *Matth.* 9. *&* 12. *Marci* 2. *Lucæ* 24. 1. *Ad corinthios* 2.

70 Nec obest id quod respondet Durandus, solum dici esse proprium Dei, quod cognoscat cogitationes cordis plene, idest tam præsentes, quam præteritas, & futuras. Cum hoc tamen stare, quod Angeli cognoscant cogitationes cordis presentes, non verò futuras. Nam contra hoc est. Tum, quod in aliquib⁹ ex his testimonijs fit sermo de cogitationibus præsentibus. Vnde in locis citatis ex Euangelio dicitur, Christum vidisse præsentes hominum cogitationes. Tum etiam. Quia in prædictis testimonijs absolutè fit sermo de cogitationibus cordis. Tum denique. Quia Patres sic explicant loca Scripturæ: & ex eo, quod Christus intueretur præsentes hominum cogitationes, colligunt eius diuinitatẽ.

Solutio Durandi.

Impugnatur.

Nec etiam refert explicatio Henrici asserentis, per hæc testimonia non significari, cogitationes cordis secundum suam substantiam esse innotas Angelo, sed solum quoad aliquem peculiarem, modum, nimirũ, quoad relationem, & ordinationem actus, siue intellect⁹, siue volũtatis infinẽ particularẽ, quã ipse *intẽtione voluntatis* appellat: & sic soli Deo esse notas cũ hac plenitudine, scilicet, secũdũ substantiã, & modũ prædictum. Nam contra hoc est, quod nulla poterit reddi ratio, propter quam illa directio actus voluntatis in finem sit occulta, potius quam substãtia actus liberi eliciti à voluntate. Maxime, quia in actibus non imperatis à voluntate, sed elicitis, non est distincta talis directio à substantia actus.

Euasio Henrici.

Refutatur.

Et similiter nihil obest interpretatio Herbei, nempe, quod dum dicitur, solum Deum scrutari corda, & cogitationes illius, solum intelligitur de scrutatione, & cogitatione, qua cognoscatur quãta sit intensio taliũ cogitationũ. Nã contra hoc etiam obest, non esse assignabilem rationem, propter quã intensio cogitationum sit magis occulta, quã substantia illarum. Maximè, quia nequit videri in Angelo substantia, & entitas alicuius actus, quin simul inspiciatur cum aliquo gradu intensionis: & quoad hoc eadem videtur esse ratio de quocunque gradu, & alijs.

Reijcitur interpretatio Herbei.

71 Ex quo etiam constat, nihil referre expositionem aliam quorumdam, quos citat Durandus, nimirum, sensum prædictorum testimoniorum tantũ esse, quod in cogitationibus cordis est aliquid occultum, quod scitur à solo Deo, quamuis substantia illarum cogitationum certò attingatur ab Angelis: & occultum hoc esse modum ipsarum cogitationum, nimirum, quod sint affirmatiuæ, aut negatiuæ, ideſt, quod si fuerint actus intellectus, sint assensus, vel dissensus: si vero fuerint actus voluntatis, sint per modum complacentiæ, aut displicentię. Sicut etiam alij relati à Gregorio dixerunt, occultum istud non esse aliud, quam terminationem ad obiectum secundum particularem & indiuiduam eius rationem. Ex dictis igitur hoc satis impugnatur. Quoniam hæc terminatio non est distincta à substantia, & entitate actuum: & ideò si hæc est nota Angelo, etiam & illa. Maxime, quia (vt nuper dicebamus) non poterit reddi debita ratio, propter quam illa terminatio sit magis occulta, quam substantia eiusdem actus.

Occurritur expositioni aliorum.

Adde pro maiori impugnatione harum trium interpretationum id, quòd paulo ante tetigimus, in his testimonijs non agi de cogitationibus cordium quantum ad hanc, vel illam conditionem non spectantem ad earum substantiam, sed absolute fieri sermonem de eis, quatenus cogitationes cordiũ, & potissime quoad id, quod pertinet ad earundem specificationem: quia in hoc præcipuè illarum consistit entitas, & ideò Patres sic explicant ista testimonia.

Roboratur impugnatio

72 Nec tandem obstat responsio Scoti, de qua nuper mentionem fecimus, scilicet, sensum horum testimoniorum tantum esse, quod cogitationes cordis sunt innotæ cuiuis creaturæ præter illam, cuius cogitationes sunt: hoc tamen non prouenire ex eo, quod Angelicus intellectus non habeat virtutem naturalem ad id; sed ex denegatione debiti concursus præstandi à Deo.

Responsio Scoti.

Non itaque hoc obstat, propter illa, quæ in expensione prioris testimonij adduximus, quę possũt sic magis elucidari. Quoniã in his testimonijs attribuitur vt peculiaris excellen-

Euertitur.

lentiæ Deo præ alijs, quæ ipſi ſolét attribui, quod ſit ſcrutator cordium: at ſi hoc præciſe haberet, ex eo quod eſſet in illo vis ad illa ſcrutanda non impedita, aut impedibilis ab alijs cauſis, non tribueretur ei peculiaris excellentia quoad hoc, quã quoad cætera alia, quę ipſi poſsibilia ſunt: ſiquidem in nulla ſua operatione poteſt ab alijs cauſis eius efficacitas fruſtrari. Imo hinc fieret, cum eadem proprietate, cum eademque ſpecialitate poſſe de eo dici, quod ſit calefactor, aut frigefactor: cum tamen teſtimonia adducta aliquid aliud peculiare indicent, cum de illo dicunt, quod ſolus ipſe ſit cordium ſcrutator.

Confirmatur. Poteſtque hoc confirmari, tum ex eo, quod Scriptura eodem modo tribuit Deo, quod ſit cognitor futurorum contingentiũ, & cogitationum cordis: conſtat autem quod ad illa nullus intellectus creatus eſt perſe ſufficiens. Tum etiam, quia alioqui Patres deducentes ex teſtimonijs Euangelij, in quibus aſſeritur, quod Chriſtus Dominus internas hominis cogitationes cognouit, illum vere Deum eſſe, non rectè id collegiſſent. Quia poſſet huic argumento facile occurri aſſerendo, ex eo ſolum inferri, Chriſtum Dominum eſſe Angelum, cui Deus in illis euentibus nõ denegauit ſuum generalem concurſum ad cognoſcendas cogitationes cordis.

Accedit, quod hæc interpretatio non eſt ita conſona rationi Theologicæ ex prædictis teſtimonijs deſumptę. Quia nullum genus entiũ priuatur ita vniuerſaliter, & quoad omnia ſua indiuidua operationibus ſibi connaturalibus. Tũ, quia id videtur docere Auguſt. lib. 7. de Ciuit. c. 30. vbi ita inquit: *Sic Deus adminiſtrat cõcta, quæ creauit, vt etiam ipſa proprios exercere, & agere motus ſinat.* Et lib. 5. contra Iul. cap. 14. *Nec Deus* (inquit) *ita naturas creat, vt leges auferat, quas dedit motibus cuiuſque naturæ.* Tum etiam. Quia alioqui fruſtra Deus contuliſſet inclinationem, & virtutem ad talem operationem. Ergo cum omne Angelorum genus careat, iuxta teſtimonia adducta, cognitione cogitationum cordis, & omne illud ſit priuatum quoad omnia ſua indiuidua hoc concurſu, ſignum erit, illum non eſſe ei debitum: ac proinde nec Angelum habere virtutem & facultatem naturalem ad prædictam cognitionem.

Auguſt.

Duplex euaſio Gabrielis. 73 Vnde parui momenti videtur eſſe duplex illa ſolutio, quam adhibet Gabriel in 2. dict. 9. q. 2. art. 2. & in Cano. lect. 31. litt. L. Prima, non eſſe vniuerſaliter verum, ac proinde non eſſe contra prædicta teſtimonia, quod omnibus Angelis negetur hic concurſus: ſiquidem ſæpè conceditur Angelis bonis. Secunda, non eſſe inconueniens, nec derogari his teſtimonijs, quod alicui generi entium denegetur concurſus ad aliquam operationem, quando ad id adeſt ſpecialis ratio: ſicut Dæmonibus negatur liber & expeditus vſus virtutis actiuæ ad extra, quæ ipſis eſt naturalis, ne nobis noceant: & Angelis beatis, quod habeant actũ triſtitiæ, reſpectu cuius meſt eis naturalis vis. Et hæc ſpecialis ratio etiam procedit in Dæmonibus quoad præſens attinet, ne ſemel cognito ab illis ſtatu conſcientię noſtræ, nimis ab eiſdem infeſtemur, & tentemur. Vnde addit Gabriel, Auguſtinum in teſtimonijs relatis ſolum velle, Deum ita influere in actiones cauſarum ſecundarum, vt non tollat, quin ipſæ exerceant eaſdem operationes accommodate ad proprias naturas.

Ex dictis itaque liquet, vtramque ex his ſolutionibus eſſe parui momenti. Prima quidem. Quoniam teſtimonia allata, & Patres illa explicantes ita vniuerſaliter loquuntur, vt denotent, nullam creaturam poſſe per vires naturæ cogitationes cordium attingere. Secunda vero. Quoniam numquam datur ſufficiens ratio, propter quam totum aliquod genus entium ita vniuerſaliter à principio, & ex ſua prima productione orbitur concurſu generali deſiderato ad ſuas operationes connaturales. Vnde hoc ipſo, quod Auguſtinus dixerit, Deum ſinere cauſas ſecundas exercere ſuas operationes connaturales, ibidem etiam inuoluit, quod non deneget toti illi generi creaturarum debitum concurſum: alioqui non ſineret, eas elicere prædictas operationes connaturales. Nec obeſt id, quod de Dæmonibus priuatis vſu expedito ſuæ potentiæ executiuæ adducitur. Quia nec hoc contingit reſpectu totius generis Angelorum, nec à principio ſuę conditionis, ſed poſt peccatum, & non ſine maxima & vrgenti cauſa, nempe, id exigente ordine vniuerſi, ne ſubito plura ab eis repentè deſtruantur. Sicut etiam illud de triſtitia impedita in Angelis bonis non obeſt: tum, quia (vt in precedenti exemplo dicebamus) non id contingit reſpectu totius generis Angelorum, ſed beatorum dumtaxat: & in eis, non ab initio ſuæ conditionis, ſed poſt quam fuerunt in ſtatu beatifico, & ibidem per abſtractionem mali, quod ſit cauſa triſtitiæ.

Earũ euerſio. 74 Adde, nullius eſſe roboris ratio cõuenię tię quoad præſens, adductę, propter quã impediuntur Angeli à cognitione cogitationũ cordis. Tum, quia hæc ad ſummum procedit in Angelis malis, non vero in bonis. Tum deinde, quia ſufficeret ad intentũ, adhuc in malis, quod impedirentur ab vſu ſuę potentię executiuæ, & hoc poſito impedimento, nihil referret quod haberent ſpeculatiuam cognitionẽ cogitationum cordis noſtri. Tum denique, quia non poteſt dici impediri ab huiuſmodi cognitione in pœnã ſui peccati, licet precisè per hoc, quod haberent illam cognitionem ſpeculatiuam, nõ idcirco nimis eſſent nobis infeſti, nimiſque nos tentarent. Nam ſicut

in pœnam prædicti peccati non sunt priuati cognitione aliarum rerum: ita non est cur dicatur, fuisse peculiariter priuatos hac notitia cogitationum cordis.

Vnde assertionem hanc tuentur Patres, ex testimonijs istis probãtes diuinitatẽ Christi Domini, vt Chrisost. hom. 30. super Math. Chrysost. Greg. lib. 28. Moral. Cyrill. lib. 2. super Ioan. Gregor. cap. 19. & lib. 3. cap. 3. lib. 4. cap. 5. Hiero- Cyrillus. nym. Matth. 1. 9. *Sciens Iesus cogitationes illorum*, Ambr. Rom. 8. & 1. Corinth. 2. & in Hieron. oratione de obitu Theodosij Imperat. & Lu- Ambros. cæ 5. & ibidẽ Beda, & Theophilactus. Chry- Beda. sost. homil. 23. in Ioannem. Damascen. lib. Theophil. 2. de fide orthodoxa cap. 4. Athanas. lib. de Chrysost. quæstionibus Sacræ Scripturę, Origen. super Damasc. 1. Iob. in illâ verba: *Circuiui terram, & Athanas. perambulaui eam*, August. lib. de Eccles. dast. Origenes. Dogmat. cap. 21. Quos omnes refert Bañez Augustin. art. 4. huius quæst. simul docens, omnes istos Bañez. Patres apertissime tenere, quod non solum futuras cogitationes cognoscere sit propriũ Dei, sed etiam præsentes. Et tandem hoc ipsum tuetur D. Thom. loco citato vbi sic inquit: *Solus Deus cogitationes cordium, & affectiones voluntatum cognoscere potest.* Et in 2. dist. 8. q. 1. art. 5. ad 5. de Verit. q. 8. art. 13. de Malo q. 16. art. 8. & 1. ad Corinth. cap. 2. lectione 2. & communiter eius discipuli, & fere omnes alij Theologi. D. Thom.

§. II. *Ratio assertionis ex D. Thoma desumpta.*

Ratio fundamentalis. D. Thom.

75 RAtionem autem fundamentalem huius assertionis adduxit D. Thom. art. 4. huius quæst. his breuibus, compendiosis tamen verbis: *Voluntas rationalis creaturæ soli Deo subiacet, & ipse solus in eam operari potest, qui est principale eius obiectum, vt vltimus finis: & hoc magis infrà patebit. Et ideò, ea, quæ ex voluntate sola dependent, vel quæ in voluntate sola sunt, soli Deo sunt nota. Manifestum est autem quòd ex sola voluntate dependet, quòd aliquis actu aliqua consideret: quia cùm aliquis habet habitum scientiæ, vel species intelligibiles in eo existentes, vtitur eis cùm vult. Et ideò dixit Apost. 1. Corinth. 2. quòd quæ sunt hominis, nemo nouit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est.*

Explicatur ratio ista, eam ad hanc formam reducendo. Quoniam cogitationes cordis ab eo solum cognoscuntur secluſa manifestatione, & directione alterius ad ipsum, à quo fiunt: at actus liberi voluntatis, necnon & intellectus, qui sunt causa illorum, & cadunt sub electione voluntatis, solum fiunt ab intellectu, & voluntate elicientis, aut causantis illos, & à solo Deo, cui soli, & non alteri causæ vniuersali intellectus, & voluntas subijciuntur: ergo soli Deo, & creaturę elicienti, aut causanti illos erunt absque peculiari manifestatione, & reuelatione noti.

Elucidatur testimonio D. Thomę.

Quam rationem deduxit Angelicus Præceptor ex loco citato 1. ad Corinth. 2. lect. 2. his verbis: *Nec Angelus bonus, nec malus est, quæ in corde hominis latent, scire potest, nisi in quantum per aliquos effectus manifestantur. Cuius ratio accipi potest ex ipso verbo Apostoli, qui dicit, ea ratione spiritum hominis cognoscere, quæ in corde hominis latent, quia in ipso homine est. Angelus autem nec bonus, nec malus illabitur menti humanæ, vt in ipso corde hominis sit, & intrinsecus operetur; sed hoc solius Dei proprium est. Vnde solus Deus est cõscius secretorum cordis hominis, secundùm illud Iob. 16. Ecce in cælo testis meus, & in excelsis conscius meus.*

Obiectio contra rationem D. Thom. Suarez. Vazquez.

76 Cæterum hæc ratio D. Thomæ non videtur aliquibus efficax, inter quos est Suarez lib. 2. de Angelis cap. 23. Vazquez in præsenti disp. 209. cap. 10. vbi sic inquit: *Mea quidem in hac re sententia est, nihil ratione Philosophica, & à priori efficaciter posse probari.* Et cum ante adduxisset hanc rationem D. Thomæ, subdit, quod nulla ex rationibus allatis sufficienter ostendit, secretum cordis vnius Angeli, aut hominis ab alio non posse cognosci. Idemque docet Durandus. Vnde ex illo sic obijcit Suarez contra prædictam rationem. Quia effectus proprij solius Dei, quique ab alio fieri non possunt, postquam facti sunt, naturaliter cognoscuntur ab Angelo, vt patet de substantia animæ, vel Angeli, vel cæli, item de potentijs, habitibus, & speciebus inditis vni Angele à solo Deo, quæ omnia alij Angeli cognoscunt: & similiter actio propria Dei eo modo, quo est extra ipsum, potest naturaliter cognosci ab Angelo, vt creatio ipsa, prout est in creatura: denique etiã in his actibus liberis est aliquid per modum qualitatis, & termini: ergo cognosce tur ab Angelo: & consequenter etiam cognoscetur actio intrinseca, per quam fit: quia non est magis occulta, quam terminus. Durand.

Confirmatio præcedentis obiectionis.

Secundo contra eandem rationem, & peculiariter contra id, quod Angelicus Præceptor ex cap. 1. ad Corinth. 2. lect. 2. citata addidit, potest obijci, & confirmari magis præcedens obiectio. Quoniam cognitio non fit per hoc, quod cognoscẽs agat in rem cognitam; sed per hoc, quod habeat illius similitudinem intentionalem: ergo quod Angelus non agat in cor hominis, aut in intellectũ, & voluntatem alterius Angeli, non est ratio propria, vnde desumẽdum sit, non posse cognoscere cogitationes humanas, aut actus intellectus, & voluntatis alterius Angeli.

Animaduersio prima pro ratione D. Thom.

77 Cæterum si ratio Angelici Præceptoris expendatur, est sane optima, & valde fundamentalis, & ex proprijs principijs rei de qua agitur, procedens. Vt autem eius vis aperiatur, duo prænotanda sunt. Primum est,

eſt,quod Deus ita eſt principium vniuerſi,vt non ſit pars illius,ſed extra totum illud,& vt conſtituens ordinem altiorem toto vniuerſo,& ordine illius. Et ratio eſt perſpicua. Quoniam vniuerſum,& totus ordo illius eſt ens per participationem:Deus autem ens per eſſentiam. Conſtat autem, ens per eſſentiam eſſe extra totum genus entium per participationem,& conſtituere alium ordinem excellentiorem & eminentiorem.

Secunda. D. Thom.

Secundum eſt,ſic Deum totum conſtituiſſe vniuerſum(vt teſtatur D. Thom. infra q.103.art.2. & 6.) vt ad adaptauerit cauſas vniuerſales,ad hoc vt mouerent particulares ad ſuas operationes,in hoc q, cõſiſtere peculiarem concatenationem,& ordinem, quem habent in hoc vniuerſo cauſæ particulares ad vniuerſales,& èconträ, ac proinde & ad totum vniuerſum. Quare,ſi aliqua cauſa particularis fuerit talis conditionis,taliſque eminentiæ,vt in ſua operatione non habuerit dependentiam ab aliqua ex cauſis vniuerſalibus totius vniuerſi,ſed à ſolo Deo, manifeſtum erit, quod ex hoc capite talis operatio erit extra totum ordinem vniuerſi, illumque ſubterfugiet, & inſuper illum ſupergredietur:ſiquidem ex vi ſua habet non procedere ab aliqua cauſa vniuerſali totius vniuerſi, ſed ſolum à cauſa particulari,& a cauſa prima,quæ eſt extra,& ſupra totum ordinẽ vniuerſi:ac proinde,ſicut prædicta actio procedens à cauſa particulari,habet ordinem, non quidem cum alijs cauſis, ſed cum ſola prima exiſtente extra,& ſuper vniuerſum,ſic ipſa ex hoc capite participabit,quod ſit extra,& ſupra totum ordinem vniuerſi.

Explicatur ratio D. Thom.

78 Hinc ergo non obſcure apparebit vis rationis D. Thomæ,& quomodo principium illud,quòd aſſumit,ſcilicet,cogitationes cordis ſoli Deo eſſe ſubiectas, à ſoloque Deo,& à cauſa particulari fieri, ſit aptiſſimum ad probandum intentum,nimirum,ſoli cauſæ particulari illas elicienti,& Deo eſſe abſque indigentia ſpecialis reuelationes notas,non vero Angelis, ſiue bonis, ſiue malis. Nam ex his, quę ſupra q.55.præcedenti dixerat Sanctus Doctor, ſatis conſtabat, Angelis tantum eſſe nota illa,quæ ad ordinem vniuerſi ſpectant:quod quidem ex eodem S. Doctore ibidem nos oſtendimus: & ex principio,quod in hoc art. adducit,ſcilicet,cogitationes cordis ſoli Deo eſſe ſubiectas,non vero alicui cauſæ vniuerſali, plane deducitur, vt ex ſecundo notabili liquet, eas non pertinere ad ordinẽ vniuerſi, ſed ad aliũ altiorẽ & eminẽtiorem: & ita non erũt notæ alteri Angelo, ſeclusa peculiari reuelatione ad illum.

Obiectio prima.

79 Nec obeſt,ſi contra rationem hanc Angelici Præceptoris ſic intellectam obijcias primo,quod ſi hęc ratio eſſet efficax,ſuaderet vtique,cogitationes cordis non poſſe eſſe notas alicui Angelo,etiamſi ad eum dirigerentur ab habente illas:hoc autem eſt contra communem Theologorum ſententiam: ergo, &c. Sequela probatur. Quoniam per hanc directionem non tollitur ab eis, quod ſolum pendeant à voluntate eliciente illas, & à ſolo Deo:atque adeo per prædictam ordinationẽ non tribuitur eis,quod ſint partes vniuerſi: & ideo cogitatio illa cordis manebit ita occulta,ſicut antea.

Reſpondetur.

Reſpondetur enim, negando ſequelam. Et ad probationem concedendum eſt, per hanc ordinationẽm non conſtitui illam cogitationem cordis intra ordinem vniuerſi, vt partem illius. Nam ſi ſemel cõſtitueretur per illam intra ordinem vniuerſi, nõ eſſet cur potius cognoſceretur ab Angelo,ad quem ordinatur,& maneret occulta reſpectu alterius, ad quem non dirigitur: ſiquidem quiuis Angelus poteſt naturaliter cognoſcere omnia illa,quæ continentur intra ordinem vniuerſi,vt partes illius. Cæterum per hoc,quod media iſta ordinatione non conſtituatur illa cogitatio cordis intra ordinem vniuerſi,non ſequitur,non poſſe naturaliter cognoſci ab Angelo,ad quem dirigitur. Quia Angelus ex duplici capite poteſt ſe naturaliter extendere ad aliquid intelligendum: vel quia illud pertinet ad ordinem vniuerſi; vel quia eſt, tum quid ſpectans ad eundem Angelum, potius quam ad alios,ad quos id non eſt quid peculiari ratione pertinens,tum etiam quid contentum intra ordinem naturalem, prout diſtinguitur à ſupernaturali:& ita quãuis Deus crearet vnicum dumtaxat Angelum,non ordinando actu illum ad aliquod vniuerſum, tunc Angelus ſe ipſum intelligeret,& ea, quæ ſunt ei propria,quia omnia iſta pertinent ad illum. Quare, cum cogitatio cordis alterius Angeli, directa ad aliquem alium Angelum ab habente illam,pertineat eo ipſo ad prædictum Angelum:inde eſt,vt poſsit illam virtute ſui intellectus intelligere:quia(vt ſupponimus) illa cogitatio eſt in ratione obiecti ordinis naturalis,vt diſtincti à ſupernaturali.

Illuſtratur ſolutio.

80 Adde primò,quod etſi ad hoc vt aliquis Angelus cognoſcat aliquod obiectum à ſe diſtinctum,& ab his,quæ ad illum intrinſecè pertinent,abſque reuelatione,deſiderare tur,illud pertinere ad ordinem vniuerſi; non tamen ad hoc vt media reuelatione ipſum cognoſcat,vt patet de his, quæ poſſunt Angelo reuelari à Deo. Cæterum prædicta cogitatio cordis cognoſcitur ab altero Angelo media reuelatione & manifeſtatione eius, qui illam habet.

Elucidatur vlterius.

Adde ſecundo,quod media prædicta directione,qua vnus Angelus ordinat cogitationem ſui cordis ad alterum, habet talis cogitatio quodammodo pertinere ad ordinem vniuerſi, quia ordinatur ad aliam compar-

tem eiusdem vniuersi, scilicet ad alterum Angelum. Nec inde fit, eo ipso cognosci à quouis alio Angelo. Quia licet id, quod pertinet ad ordinem vniuersi, præcise quia existit, sit notum cuiuis Angelo, quia non magis est existens respectu huius, quam illius Angeli: attamen quod spectat ad ordinem vniuersi, non præcise quia existit, sed quia libere ordinatur ad illum ab altero Angelo, non cognoscitur nisi ab eo, ad quem dirigitur: ex eo quod tunc non intrat ordinem vniuersi absolute & simpliciter, ac omnino perfecte, sed secundum quid, nempe in ordine ad alterum Angelum, ad quem dirigitur.

Secunda obiectio.

81 Nec etiam obest, si secundo obijcias, sequi ex ratione D. Thomæ sic explicata, tum quod vnus Angelus non cognoscat actus necessarios intellectus, & voluntatis alterius, quales sunt prima intellectio, primaque volitio vniuscuiusque, ad quam peculiariter applicãtur ab auctore naturæ, ad quamque per modum naturę concurrunt: tum etiã, quod motus primi mobilis, qui fit solũ ab Angelo mouẽte, & à Deo, esset ignotus alijs Angelis. Vtrumque autẽ videtur falsum, vt communiter docent Theologi. Ergo, &c. Sequela quoad priorem partem videtur perspicua. Quia prædicti actus necessarij fiunt à solo Angelo, & à Deo: ergo si propter hanc rationẽ actus liberi non constituuntur intra ordinem vniuersi, nec nognoscuntur nisi media manifestatione, & ordinatione facta ab habente illos, idem dicendum erit quoad præsens. Ex quo etiam quoad secundam partem eadem sequela patet. Quoniam prædictus motus primi orbis solum procedit ab Angelo mouente, & à Deo.

Dilu̇itur.

Respondetur enim, negando sequelam quoad vtramque illius partem. Quoad primam quidem. Quoniam prædicti actus habent se ad instar proprietatum respectu Angeli, quatenus sunt necessario connexi cum Angelo, & illi debiti: & ideò ex hoc capite habent, vnde absolutè & simpliciter pertineant ad ordinem vniuersi. Sed de hoc iterum statim redibit sermo, vbi id magis explicabitur. Quoad secundam vero partem. Quoniam motus ille per accidẽs nectitur cum solo Angelo, & Deo, peraccidensque procedit à solo ipso, & à Deo: quia est talis naturæ, vt posset ab altera causa vniuersaliori, si Deus vellet, procedere, ita vt per hoc non fieret contra peculiarem naturam illius motus. Cętera cogitationes cordis per se petunt procedere à sola voluntate creata, & à Deo.

Adde, quod prædictus motus habet necessariam connexionem cum cælo, quandiu durauerit totus hic ordo vniuersi: & ideo nõ mirum, quod habeat vnde pertineat ad ordinem vniuersi, etiamsi detur fieri à solo Angelo, & Deo.

Adde secundo, prædictum motum habere ex alio capite rationem sufficientem pertinendi ad ordinem vniuersi, ex eo quod esset causa aliorum motuum: & ideo esset concatenatus cum illis, tamquam causa vniuersalis illorum, & effectuum ab eis procedentium.

Tertia obiectio.

82 Nec etiam refert, si obijcias tertio, sequi ex hac ratione, cogitationem cordis peccaminosam vnius Angeli esse notam alteri, etiamsi non dirigatur ad illum. Sequela patet. Quoniam prædicta cogitatio non esset superioris ordinis & rationis: quippe quæ, quatenus peccaminosa, solũ esset à voluntate creata, non vero à Deo: & ita non haberet vnde pertineret ad alium ordinem eminentiorem, & supra vniuersum.

Satisfit.

Respondetur, negando sequelam. Quia satis est, vt quoad substantiam actus, & materiale peccati procedat illa operatio à voluntate creata, & à Deo, ad hoc vt secundum istam rationẽ pertineat ad aliũ ordinẽ altiorem, sitque obiectum occultum, vsque dum adsit reuelatio, & manifestatio illius facta ab eliciente prædictam operationem.

Ex dictis occurritur primæ obiectioni Suarez & Durandi.

83 Ex quibus etiam patet solutio ad primam obiectionem, quam ex Suarez, & Durando contra rationem D. Thom. num. 76. adduximus. Nam in primis quoad actionem creatiuam patet ex alibi dictis, non esse formaliter transeuntem. Deinde quoad alia est aperta disparitas inter ea, quæ in hac obiectione referuntur, procedentia à solo Deo ex vna parte, & inter actiones liberas pendentes à sola voluntate creata, & à Deo ex alia. Quoniam illa, licet producantur à solo Deo, producuntur tamen cum debito ordine ad vniuersum: attamen cogitationes cordis, hoc ipso quod à sola voluntate creata, & à Deo producantur, & maneant præcise intus in ipso corde, non producuntur cum ordine ad vniuersum: & ita illa possunt esse partes eiusdem vniuersi, & cuiuis Angelo naturaliter nota; secus vero cogitationes cordis.

Corroboratur testimonio D. Th.

Explicatur hoc ex D. Thoma quodlib. 6. art. 19. vbi sic ait: *Totum vniuersum est vnum vnitate ordinis, vt patet per Philosophum 12. Met. Hac autem vnitas ordinis attenditur, secundùm quòd quædam ordine reguntur corporalia per spiritualia, & inferiora corpora per superiora, vt August. dicit in 3. de Trinit. Vnde si cælum empyreum non influeret in corpora inferiora, empyreum non contineretur sub vnitate vniuersi.*

84 Hoc supposito, possumus loqui de rebus contentis in hac obiectione vel in actu primo, siue vt sunt principium habituale operandi, vel quoad suas operationes, seu vt sunt principium actuale illarum. Si ergo primo modo considerentur, planum est, omnia illa habere eum ordinem, quem ex Angelico Doctore

Doctore retulimus. Nam de ſubſtantijs corporeis, & à Deo creatis id perſpicuum eſt. De Angelis vero id conſtat ex verbis adductis ex Sancto Doctore. Et ſimiliter de anima noſtra, & rationibus agendi, quas in ſe habet, quales ſunt ſuæ potentiæ, & ſpecies intelligibiles. Nam anima rationalis ſecundum ſuam ſubſtantiam, adhuc vt rationalis, eſt principium aliquarum operationum, vt longo tempore flendi, ridendi, &c. quæ dicunt ordinem ad vniuerſum, pendentque à cauſis vniuerſalibus: & ſimiliter eius potentiæ ſecundum ſuã ſubſtantiam conſideratæ, necnon ſpecies intelligibiles ſunt etiam rationes influendi in prædictas operationes: & ita omnia iſta fuerunt creata à Deo cum prædicto ordine ad vniuerſum: quia ad hoc non erant neceſſarium, vt ſecundum omnes earum operationes pertinerent ad illum, ſed ſatis erat, quod ſecundum aliquas denotantes propriam illorum entitatem ad illud ſpectarent: quoniam eo ipſo ſecundum totam ſuam entitatem dicunt per modum rationum agendi in actu primo ordinem ad vniuerſum.

85 Cæterum, ſi loquamur de rebus iſtis, prout ſunt actualia principia ſuarum operationum, ſiue de operationibus illarum, vt ab illis actu prodeuntibus, tunc non attenditur ad hoc, vt ſic ſumptæ pertineant ad ordinem vniuerſi, ad quod habeant poſſe reſpectu aliarum operationum, ſed præciſe ad id, quo actu cauſant, ſiue ad illas, vt ſint actuale principium harum operationum, & non aliarum. Vnde, ſi ſecundum illas operationes non habuerint ordinem ad vniuerſum præfixum à Deo, non erunt partes eiuſdẽ vniuerſi, vt actu cauſantes illas. Cumque hic ordo attendatur penes hoc, quod operatio elicita à cauſa particulari dependeat etiam à cauſis vniuerſalibus vniuerſi, & non à ſolo Deo: inde eſt, vt operationes liberæ, quę, hoc ipſo quod tales, fiunt à ſolo Deo, & à cauſa particulari, habeant ex vi huius, non ſolum produci à prędicta cauſa, & à ſolo Deo, ſed quod procedendo ſic ab illis, procedant deſtitutæ ab ordine ad vniuerſum. & conſequenter non vt partes eiuſdem vniuerſi. Et ita in prædictis operationibus optime arguit Angelicus Præceptor, ex eo quod procedant à ſolo Deo, quod non procedant vt partes vniuerſi, nec vt notæ alijs Angelis, ſecus vero in cæteris rebus, de quibus in hac obiectione fit ſermo. *Angelic. Præcept.*

Quamuis cum hoc ſtet, vt aliunde, & per accidens poſsint prædictæ cogitationes, & operationes liberæ eſſe quodammodo partes vniuerſi, ſi habeant alium ordinem ad illud, nempe, vel ordinem directionis, qua dirigantur ab habente illas ad alterum Angelũ, ratione cuius (vt nuper tetigimus) probabiliter dici poteſt, eas pertinere aliquomodo ad vniuerſum, vel quia nectuntur neceſſario cũ voluntate creata: nam iſta conſtituta intra ordinẽ vniuerſi, trahit ad ſe, & ad idem vniuerſum illa, quæ cum ipſa neceſſario nectuntur: vel tandem, quia aliquo ſigno externo ſufficienter manifeſtentur, vt puta, ſi homo cordatus longo tempore recte loquatur, aut ſcribat: quia hoc ſine actu libero voluntatis fieri nequit.

86 Nec obſtat ſi vrgeas, quod ſi ſemel Angeli ratione cauſalitatis, quam habẽt in hoc vniuerſo, pertinẽt ad illud, fiet inde, vt etiam actus liber voluntatis humanæ, quo eligitur locutio craſtina, ſit hodie notus cuiuis Angelo, hodieque contineatur actu intra vniuerſum, vt pars illius: quia habet ordinem cauſæ reſpectu effectus, & operationis pendentis etiam à cauſis vniuerſalibus, ac proinde haberet etiam rationem cauſæ exiſtentis intra ordinem vniuerſi: hoc autem communiter reijcitur à Theologis: ergo, &c. **Replica.**

Reſpondetur, negando ſequelam. Tum, quia ſicut futurum non dicitur adhuc in ſua cauſa pertinere actu ad ordinem vniuerſi, niſi cauſa illa ſit determinata ad productionem eiuſdem futuri pro duratione, pro qua exiſtet, & niſi vſque ad prędictam durationem perſiſtat illius determinatio, habeatque firmam huius perſiſtentiæ radicem: ita nec cauſa pertinet ad vniuerſum ratione iſtius cõtinẽtię, niſi habeat hãc determinationẽ modo dicto durantem, & firmam radicem huius perſiſtentiæ. Conſtat autem, actum electionis, qui hodie habetur à voluntate humana reſpectu lectionis craſtinæ, poſſe pro libito eiuſdem voluntatis durare, vel non durare; nec habere aliquam determinationem, firmamque radicem in volente, ratione cuius ipſa ſit determinata ad perſiſtendum in illo. Tum etiã, quod hic ordo anticipatus non eſt ordo, quẽ Deus fixit in vniuerſo reſpectu actuum voluntatis, qui ſunt cauſa effectuum pendẽtium ab alijs cauſis vniuerſalibus: quia eſt omnino per accidens ad lectionem craſtinam, quod hodie fiat electio illius: nam etiam ſi eſſet op ſitus actus, eſſet lectio craſtina, dummodo debito tempore variaretur actus ille voluntatis, & eligeretur prædicta lectio: ſecus tamen dicendum eſt de ipſa potentia volitiua, quæ hoc ipſo quod per modum potentiæ, ſiue (vt ſic dicamus) per modum habitus ſit cauſa, ſatis eſt ille anticipatus ordo, ratione cuius poteſt eſſe cauſa operationum habentium ordinem ad vniuerſum: quia hic ordo conſenſus eſt potentiæ operatiuæ, & cauſæ præciſe per modum habitus ſumptæ. **Solutio.**

Ex quibus etiam ad ſecundam obiectionem n. 76. allatam reſpõdetur, quod etſi cognitio non fiat formaliter loquendo per hoc, quod cognoſcens agat in rem cognitam, ſed ratione aſsimilationis per ſpecies: attamen quoad præſens ratione materię, de qua fit ſermo, **Fit obuiam ſecũ ę obiectioni.**

mo, nempe cogitationum cordis, quæ non reuelantur à Deo, vel ab habente illas, nequit intellectus alicuius non producentis illas attingere præcisè per vires suæ naturæ easdem cogitationes: quia eo ipso per species, quas habent aliæ creaturæ intellectuales, non repræsentabuntur prædictæ cogitationes, vt explicatum est, sed solum per species existentes in his, à quibus fiunt: quia sicut ab eisdem producuntur, ita eosdem latere nequeunt.

§. III. *Corollarium notatu dignum.*

Corollariũ. 87 EX dictis colligitur primo, alias rationes à D. Th. adductas alijs locis reduci ad istã huius art. 4 quam elucidauimus, & secundum ea, quę diximus, esse intelligendas. Nam in primis illa, quam Sanctus Doctor in 2. dist. 8. q. 1. ar. 5. ad 7. adducit, assignat pro radice, propter quam cogitationes liberæ sunt occultæ, libertatem voluntatis, qua scilicet voluntas est libera, & domina sui actus. Cur autem hęc libertas, hocque dominium sit causa occultationis prædictarum cogitationum, habetur ex dictis in prima ratione ex art. 4. huius q. desumpta.

Confirmatur. *D. Thom.* Potestque cõfirmari, & explicari, quomodo actus liber, hoc ipso quod talis, sit quantum est ex se occultus respectu aliorum, à quibus non procedit, ratione quadam, & coniectura morali, quam etiam D. Thomas insinuat in hoc art. Quoniam recta, & completa institutio naturæ intellectualis exigit, vt cogitationes cordis liberæ sint ex se & ex sua natura occultæ alijs, quam eis, à quibus fiunt. Tum, quia apud homines, tribuitur imprudentię eas indiscretè reuelare: quod quidem satis indicat, spectare ad rectam, & completam constitutionem prædictæ naturę, quod sint occultæ, quandiu non reuelantur. Tum etiam, quia secundum rectam rationem iudicamus, esse melius consultum naturæ, si sint secundum se occultę, & alijs pro nostra libertate manifestabiles. Tum denique, quia non posset vnusquisque sibi quoad plura sufficienter prouidere, si suæ cogitationes liberæ essent cuiuis notæ.

Obiectio Durandi. Vnde nihil obest id, quod contra rationem hanc obijcit Durandus, scilicet, libertatem tollere coactionem, & determinationem ad vnum ei oppositam, non vero manifestationem. Non igitur hoc obest. Quoniam sicut libertas in actionibus eximit illas, quantum est ex vi huius capitis, idest nisi manifestentur, ab hoc quod sint intra ordinem vniuersi: ita reddit illas ex natura sua occultas omni alteri, præter quam illi, ad quem ex natura sua pertinent, à quoque causantur.

Resp̃onsio. Alia obiectio. 88 Nec etiam obstat, si obijcias, quod si libertas est tota ratio occultationis, fiet inde, vt licet actus intellectus, vt cadit sub electione voluntatis, id est, quoad illam dumtaxat ordinationem, quæ illi ex electione libera conuenit, sit ignotus, secus tamen secundum suam entitatem, & substantiam.

Confirmatur. Quoniam ideo actus, & operationes membrorum sunt secundum se notæ cuiuis Angelo, quia secũdum suam substantiam sunt actus appetitus sensitiui, aut membrorum, & solum procedunt à voluntate libera quoad imperium, & ordinationem ad finem intentum ab eadem voluntate: ergo idem dicendum erit de actibus intellectus. Confirmatur.

Respondetur enim, negando sequelam. Nam actus intellectus, qui deliberate fiunt, proceduntetiam, tanquam à mouente quoad exercitium, à voluntate libera, & non ab aliquo alio, secus vero actus appetitus sensitiui, aut membrorum. Et ita nequeunt, adhuc secundum substantiam, esse naturaliter noti: quia nequeunt sic esse perspicui, nisi etiam sit perspicua causa, à qua mouetur intellectus quoad exercitium. Enodatio obiectionis.

Adde, prædictos actus intellectus non pendere nisi à solo Deo, intellectu, & voluntate creata: nec habere necessariam connexionem cum aliquo per se pertinente ad ordinem vniuersi, nec tandem ab aliquo reuelantur, vt supponimus: & ideo non est vnde sint partes vniuersi, adhuc dum sunt: secus vero actus appetitus sensitiui secundum substantiã, qui secundum illam pendent à causis vniuersalibus, & ideo possunt cognosci secundum substantiam à quocunque Angelo, non vero quoad ordinationem, nisi sint tales, vt nequeant fieri attentis omnibus nisi à voluntate imperentur. Sicut etiam actus membrorum sunt adhuc quoad ordinationem noti, si fiant tali modo ad extra, vt prærequirãt actum, & electionem voluntatis.

89 Vnde iuxta hanc rationem D. Thomæ potest etiam responderi ad obiectionem illam, quam ex Suarez, & Durando adduximus. Nam omnia, quæ in prima obiectione enumerantur, semel facta, habent *esse* naturale, non vero liberum: ac proinde non sunt ordinis eleuati, & ex se occulti, qualis est cogitatio libera, vt ostensum est.

Alia ratio D. Thomæ pro assertione. Secundo infertur, etiam esse reducendam ad rationem iam explicatam alteram, quam D. Thom. de Verit. q. 8. art. 13. adducit ad idem intentum, scilicet, quod Angelus naturaliter cognoscit per formas sibi inditas, quæ sunt similitudines rerum in natura existentium: motus autem voluntatis non habet dependentiam ad aliquam causam naturalem, sed solum ad causam diuinam, quæ in voluntate sola imprimere potest. Vnde motus voluntatis, & cordis cogitatio non potest cognosci in aliquibus similitudinibus rerum naturalium, sed solum in ipsa essentia diuina,

quæ

quæ in voluntate imprimit. Ex dictis igitur infertur, quomodo ratio iſta ſit reducenda ad illam, quam explicuimus. Quoniam quod ſimilitudines exiſtentes in intellectu Angelico, nempe ſpecies inditæ illius, non repræſentent cogitationes cordis, quamdiu non reuelantur, & dirigantur ab habente illas, dicitur prouenire ex eo, quod prędictæ cogitationes non habent dependentiam ad aliquam cauſam naturalem, ſed ſolum ad cauſam diuinam. Conſtat autem ex dictis, quod hæc dependentia à ſola cauſa diuina idcirco tollit, quod per ſpecies inditas non repræſententur cogitationes cordis, quia aufert, quod prædictæ cogitationes non pertineant ad ordinem vniuerſi: & ſpecies inditæ Angelorum ea ſolum repręſentant, quæ ad ordinem vniuerſi pertinuerint: & ita ſolum Deo intuenti ſuam eſſentiam, vt eſt cauſa earumdem cogitationum, erunt naturaliter notæ, non vero alteri præter ipſum, & creaturam intellectualem, à qua producuntur.

Obiectio prima contra eam.

90 Vnde non obeſt, ſi contra rationem hanc obijcias, non cohærere inter ſe, quod dependentia, quam habent actus voluntatis à ſola voluntate Dei ſit in cauſa, vt non pertineant ad ordinem vniuerſi, nec repręſententur per ſpecies à principio conditionis Angeli eis inditas, & quod facta manifeſtatione ab habente illos, & non aliter, repræſententur per prædictas ſpecies exiſtentes in alijs intellectibus Angelicis. Et ratio eſt. Quoniam vel hæc dependentia debet tollere, quod nulla ratione repræſententur per ſpecies inditas, ſed ſolum per ſpecies denuo productas facta prædicta manifeſtatione, vel ſi ſemel repræſentantur per ſpecies inditas ſuppoſita manifeſtatione, inde etiam erit, quod illa non ſuppoſita repræſentętur per eas: ac proinde quod ſola exiſtentia prædictarum cogitationum adid deduceretur. Siquidem hæc eſt propria natura ſpecierum inditarum Angelis à principio ſuæ conditionis, quod ea, quæ poſtea repræſentant omnino in actu ſecundo, & in exercitio, repræſentabant prius habitualiter, & in actu primo, ſiue (vt melius loquamur) actu quantum eſt de ſe, & ſolummodo deeſt exercitium omnimodum in ratione repræſentandi, quia deeſt exiſtentia obiecti.

Confirm. 1.

Confirmatur primò. Nam futura contingentia hoc ipſo quod repręſententur, quantũ eſt de ſe, per ſpecies inditas, debent repræſentari omnino actu & in exercitio, ſi ponatur eorum exiſtentia: & ipſamet, quę antea non ſpectabant ad ordinem vniuerſi, dum non exiſtebant, ſtatim poſita exiſtentia abſque aliquo alio repræſentantur, & fiunt partes vniuerſi. Ergo hoc ipſo, quod cogitationes cordis repræſententur per ſpecies in actu primo (vt ſic dicamus) habebunt repræſentari in actu ſecundo, & in exercitio omnino, ſi ſemel exiſtant. Et ita, ſi quòd pendeant à ſola voluntate Dei nõ eſt in cauſa, vt tollatur ab ſpeciebus repræſentatio in actu primo, ſiquidem facta manifeſtatione dicitur, repręſentari ab illis prædictas cogitationes in actu ſecundo, & hoc non poſſent habere, ſi in actu primo eas non repræſentarent ſecundum ſe ſumptæ: nec erit in cauſa, vt petatur reuelatio & manifeſtatio, ſed ſatis erit quod actu exiſtant.

Confirm. 2

Confirmatur ſecũdo. Quia quod pendeãt à ſola cauſa diuina, non tollit ab eis, quod dũ exiſtunt, habeant determinationem ad eſſendum: bene tamen quod antequam exiſtant, nec in ſe, nec in cauſis ſecundis habeant illam. Ergo ſolum tollet, quod antequam exiſtant, non pertineant ad vniuerſum, nec ſint cognoſcibiles in ſe ipſis, ſecus vero dum exiſtunt: quia tunc habent certam cognoſcibilitatem. Et ita, ſicut futura contingentia, quia habent eſſe certum & determinatum in ſe ipſis, ſunt partes vniuerſi, dum ſunt, & ſunt nota cuiuis Angelo: ita & prædictæ cogitationes.

Occurritur obiectioni.

91 Reſpõdetur, negãdo antecedens. Et ad probationẽ negari et ã debet antecedẽs. Nec eſt verũ id, quod ſtatim in ea ſubiungitur, ſcilicet, hãc eſſe naturã ſpecierũ inditarũ, quod id, quod poſtea repræſentatur per illas omnino in actu exercito, repræſentetur prius per eaſdẽ (vt ſic dicamus) quaſi in actu primo: ita vt deſinat illa repræſentatio eſſe in actu ſecũdo, & omnino in actu exercito pręciſe ex defectu exiſtentię obiecti: ac proinde hac poſita, debeat eſſe illa repræſẽtatio omnino exercita. Quoniam hoc non eſt verũ reſpectu obiectorũ ex ſe occultorũ, ſeu non pertinentiũ ad ordinẽ vniuerſi. Nã in iſtis, vltra cõditionẽ exiſtentiæ exercitę, ex parte obiecti deſideratur alia cõditio nempe manifeſtatio & reuelatio. Vnde D. Th. q. 9. de Verit. ar. 4. inſolutione ad 11. ſic inquit: *Ad 11 dicẽdũ quòd vnus Angelus cogitationem alterius cognoſcit per ſpeciẽ innatã, per quã aliũ Angelũ cognoſcit: quia per eandẽ cognoſcit omne, quod cognoſcit in alio Angelo. Vnde quãm citò Angelus ſe ordinat ad aliũ Angelũ ſecundũ actum alicuius formæ, ille Angelus cognoſcit eius cogitationẽ: & hoc quidẽ dependet ex voluntate Angeli: ſed cognoſcibilitas naturæ Angelicæ non dependet ex voluntate Angeli. Et ideò non requiritur locutio in Angelis ad cognoſcendum naturã, ſed ad cognoſcẽdã cogitationẽ tantùm.*

D. Th. in.

Ad primam confirmatio nem.

Ad primam confirmationem reſpondetur ex dictis, eſſe diſparem rationem. Nam futura contingentia diſtincta à cogitationibus liberis, hoc ipſo quod exiſtant, debent repræſentari omnino in exercitio per ſpecies innatas: quia ea dumtaxat ratione non erat illa repræſentatio, quia non habebant actu formam, per quã aſſimilarentur actu ſpeciebus, vt D. Th. ar. 3. huius q. docet: & ideo, hoc ipſo quod illa actu habeant, quod quidem fit

per

per hoc, quod actu existant, adest illa repræsentatio omnino in actu exercito: vnde, hoc ipso quod existant, habent etiam pertinere ad ordinem vniuersi. Cæterum cogitationes cordis non ea dumtaxat ratione desinebant repræsentari omnino in actu exercito per species innatas alterius Angeli; quia erant præcisè futuræ, & non habebant existentiam; sed quia adhuc cum existentia non sunt partes vniuersi, nec pertinent ad intellectum alterius Angeli, nisi dirigantur ad illum ab habente illas, siue nisi adsit peculiaris reuelatio earumdem, vt ex D. Thom. nuper vidimus.

Ad secundã Ad secundam confirmationem concedatur antecedens, & negetur consequentia. Et ad probationem dicendum est, esse disparem rationem, vt ex dictis liquet. Quoniam futura contingentia, de quibus loquimur, dum sunt, habent determinationem ad essendum pertinentem ad ordinem vniuersi: quia ipsa habent suum *esse* dependenter à sua causa particulari, & à causis vniuersalibus contentis intra prædictum vniuersum; secus vero cogitationes liberæ, adhuc dum existunt, vt expli catum est.

Secunda obiectio. 92 Nec etiam obstat si secundo contra eamdem rationem obijcias, quod si independentia iam dicta actuum liberorũ est in causa ad hoc, vt prædicti actus sint ex se occulti, & improportionati respectu alterius Angeli, etiam debet esse in causa, ne maneant proportionati, hoc ipso quod dirigantur ad alium, & reuelentur illi: quia prędicta dependentia à sola causa diuina, dicit quid intrinsecum in illis, ordinatio autem, vel reuelatio nihil intrinsecum in eisdem ponit: ac proinde manebunt ita intrinsecè improportionati, sicut antea.

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam prędicta reuelatio etiam est actus liber, habens illam dependentiam à sola causa prima: ergo non minus erit improportionata, & occulta, quã actus aliàs reuelatus: ac proinde hęc non poterit conducere ad hoc, vt actus prior occultus, & improportionatus manifestetur, & fiat proportionatus.

Diluitur. 93 Respondetur enim ex dictis, quod adhuc dato, directionem illam, & manifestationem prioris actus nihil ponere intrinsecum in illo, nihilominus non inde fiet, prædictum actum manere occultum, & improportionatum. Quia illa dependentia à sola causa prima, propriaque natura actus liberi reddit illum improportionatum, connotando quod desit hæc conditio ex parte obiecti, nempe manifestatio, & reuelatio eiusdem cogitationis. Et ita hoc ipso, quod ex parte obiecti hæc conditio exerceatur, non manebit in ratione obiecti improportionati, quamuis nihil intrinsecum addatur actui reuelato. Et ratio est. Nam cum dependentia illa à sola causa prima non tollat dependentiam à causa particulari, & quod ipsa habeat plenum dominium supra suos actus, nec tollit, quominus queat illos saltem manifestare, ad alterumque eosdem dirigere, vt per hanc directionem pertineant quodammodo ad illum, ad quem diriguntur.

Ad confirmationem respondetur, esse disparem rationem. Nam licet tam actus reuelans, quam reuelatus sint liberi, & habeant dependentiam à sola causa prima; nihilominus est diuersa illorum natura. Nam posterior est ex se occultus, quia non dicit ordinationem ad alterum secundum se, & ideo secundum se manet in ratione obiecti proportionati: at vero prior est ipsa actualis reuelatio & manifestatio alterius actus: & ideò manifestando istũ, manifestat (saltem ex cõsequenti) se ipsum: & sic est obiectum proportionatum respectu intellectus Angelici, ad quem fit hęc ordinatio. **Ad confirm.**

Adde, probabile esse, quod cum Angelus reuelat suum actum alteri Angelo, non prius elicit vnum actum liberum non ordinatum ad alium Angelum, & postea elicit aliũ, quo priorem actum ordinet, sed cum sit dominus actuum suæ voluntatis, cum elicit illos, prodeunt ab ipso cum modo quodam intrinseco ordinationis ad illum Angelum: & ideo prædictus actus, licet non ex præciso capite libertatis, bene tamen propter liberam illam ordinationem, & eidem intrinsecam, elicitur proportionatus in ratione obiecti respectu illius Angeli, ad quem dirigitur.

94 Vnde hinc manet soluta alia obiectio, nimirum, quod si hęc dependentia à sola causa prima reddit actus liberos improportionatos in ratione obiecti; quod tunc facta ordinatione, & reuelatione eorumdem, non poterit Angelus illos cognoscere, nisi ex parte intellectus addatur illi aliqua noua efficacia, & maior virtus. Quia obiectum de se improportionatum, etsi posset cognosci facta reuelatione illius, prærequirit tamen, addi nouam efficaciam, nouamque virtutem in intellectu, ad hoc vt possit illud percipere, vt patet in obiectis supernaturalibus. **Obiectio**

Respondetur enim, id esse verum ad summum in his obiectis, quæ immutata manentia quoad suam intrinsecam entitatem, non possunt transire de obiectis improportionatis ad proportionata respectu cognitionis per se primo ad illa terminatæ; secus vero de illis obiectis, quæ immutata permanentia possunt per extrinsecam positionem alicuius conditionis transferri de obiectis improportionatis ad proportionata, ex eo quod tantum erant improportionata cõnotando defectũ prędictę cõditionis, vt in præsenti cõtingit. **Respons.**

§. IIII. *Aliud corollarium animadueršione dignum.*

Ratio alia proaſſertione. 95 EX quo tandem fit tertio, ad hãc eandem priorem rationem huius dubij reducendam eſſe alteram, quam D. Thom. quæſt. 16. de Malo art. 8. aſsignat ad præſens intentum, nimirum, quod voluntatis motus dependet ex ſummo ordine rerum, qui eſt ſummum bonum: id autem, quod cadit ſub ordine ſuperioris cauſæ, non poteſt cognoſcere inferior cauſa, ſed ſolum ſuperior cauſa mouens, & ille, qui mouetur. Confirmatque hoc ipſum Angelicus Præceptor optimo exemplo. Nam ſi aliquis ciuis ſit ſub Præpoſito, tamquam ſub inferiori cauſa; & ſub Rege tamquam ſub ſuprema, nõ poterit Præpoſitus cognoſcere circa ciuẽ, ſi quid immediatè Rex circa ipſum ordinauit, ſed hoc ſcit ſolum Rex, & ciuis, qui mouetur ſecundum ordinem Regis. Vnde, cum voluntas interius non poſsit ab alio niſi a Deo moueri, cuius ordini ſupremo, & ſummum bonum dicenti ſubeſt motus eiuſdem voluntatis, & perconſequens voluntariæ cogitationes immediate ſubſunt, non poterunt cognoſci niſi a ſolo Deo, & ab habente illas.

D. Thom.

Ex dictis igitur liquet, rationem iſtam reduci ad illam priorem. Quandoquidem motus voluntatis pendere ex ſupremo rerum ordine, qui eſt ſumum bonum, tantum dicit, quod re ipſa pendeant ita à voluntate, vt ſolum habeant pendere à Deo. Vnde, licet in hac ratione addatur, quod hæc depẽdentia ſit à Deo, non ſolum tamquam à cauſa efficienti, ſed etiam tamquam à finali, imo etiam tamquam ab obiecto efficaciter illam mouente; & ſubiciente (quia totum hoc includitur in hoc, quod voluntas in ſuis motibus dependeat ex ſummo ordine rerũ, qui eſt ſummum bonum, & propterea ſtatim addidit Sanctus Doctor: *Voluntas enim non eſt alicuius boni particularis, vt proprij obiecti: ſed boni vniuerſalis, cuius radix eſt ſũmũ bonũ*. Et inde ſic ſtatim infert: *Id autem, quod cadit ſub ordine ſuperioris cauſæ, non poteſt cognoſcere inferior cauſa: ſed ſolùm ſuperior cauſa mouens, & ille, qui mouetur*, non tamen propter hoc fit, prædictam rationem non eſſe reducendam ad eam, quam ex eodem Sancto Doctore art. 4. huius q. adduximus. Quoniam totum hoc in ea virtualiter continebatur, vt ex ſe, & ſtatim dicendis magis patebit.

D. Thom.

Obiectiõ tra eã Hiſpalenſis. 96. Nec obeſt, ſi contra rationem hanc obijcias ex Hiſpalẽſi in 2. diſt. 8. quæſt. 1. art. 3. quod multa ſunt, quæ dependent ex ſũmo ordine rerum, hoc eſt, ex ſola diuina prouidentia ſine cauſis medijs; quæ tamen ab intellectu Angelico naturali cognitione noſcuntur: ſicut cæli, ſtellæ, & partes principales vniuerſi: item & miracula, ſicut ſtatio ſolis tempore Ioſue, & retroceſsio tempore Ezechiæ, eclipſis contingens tempore Paſſionis Chriſti, quæ poſita in actu menti Angelicæ nota fuerunt. Vnde, licet Angeli naturali cognitione ordinem ſupremum, & diuinam prouidentiam cognoſcere non poſſint, cognoſcere tamen poſſũt res ab hoc ſupremo ordine prouiſas, poſtquam ſunt actu poſitæ in *eſſe*: atque ita videtur dicendum idem de cogitationibus cordium.

Reſpondentur. Reſpondetur enim ex dictis, eſſe diſparem rationem. Nam omnia illa ſemel facta, pertinent eo ipſo ad ordinem vniuerſi: nec ingrediuntur ſummum rerum ordinem eo ſpeciali modo, quo voluntas in ſuis actibus liberis, ratione cuius non ſpectant ad ordinem vniuerſi ex hoc præciſo capite, quod iſti in *eſſe* ſint actu producti.

Secunda obiectio. 97 Nec etiam obſtat, ſi contra eandem rationem ſecundo obijcias, quod voluntas non ſemper in ſuis actibus liberis ingreditur ſummum rerum ordinem tantummodo, ſed dependet ab alijs cauſis huius vniuerſi, ſiquidem aliquando habet pro obiecto, a quo dependet, aliquid creatum, & ſpectans ad ordinem vniuerſi.

Enodatur. Reſpondetur enim, voluntantem habentem in ſuo actu libero pro obiecto aliquid creatum ita conferri cum illo, vt non habeat ex ſe virtutem ad hoc, vt efficaciter ſubijciat & trahat poſt ſe voluntatẽ, ſed id ſoli Deo, qui eſt principale eius obiectum, conuenire. Vnde, quod actu, & cum effectu (vt ſic dicamus) moueat illud obiectum, prouenit ſolum, vel ex electione liberæ voluntatis, & ex Deo, vel ſaltẽ ex Deo, vt explicat D. Thom. infra quæſt. 105. articul. 4, ſic inquiens: *Dicendum, quod ſicut intellectus, vt dictum eſt, mouetur ab obiecto, & ab eo, qui dedit virtutem intelligendi: ita voluntas mouetur ab obiecto, quod eſt bonum, & ab eo, qui creat virtutem volendi. Poteſt autem voluntas moueri ſicut ab obiecto à quocumque bono, non autem ſufficienter, & efficaciter, niſi à Deo.*

D. Thom

Et rationem reddit Sanctus Doctor his verbis: *Non enim ſufficienter aliquid poteſt mouere aliquod mobile niſi virtus actiua mouentis excedat, vel ſaltem adæquet virtutem paſsiuam mobilis. Virtus autem paſsiua voluntatis ſe extendit ad bonum in vniuerſali. Eſt enim eius obiectum bonum vniuerſale, ſicut & intellectus obiectum eſt ens vniuerſale. Quodlibet autem bonum creatum eſt quoddam particulare bonum. Solus autem*

Deus eſt bonum vniuerſale: vnde ipſe ſolus implet voluntatem, & ſufficienter eam mouet vt obiectum. Similiter autem & virtus volendi à ſolo Deo cauſatur.

Replica. Nec etiam refert ſi vrgeas, quod Deus per modum obiecti non habet mouere ſufficienter, & efficaciter voluntatem creatam, niſi ſit clare viſus: at ſecundum iſtam rationem non eſt obiectum volitionis liberæ, ſed potius neceſſariæ: Ergo ex hoc, quod ſolus Deus ſit obiectum ſufficienter & efficaciter ſubijciens voluntatem, non debet colligi, quod actus liberi dicant prædictam aptitudinem ad ſolum Deum tamquam ad obiectum, & quod hinc habent eſſe ſoli Deo, & voluntati creatæ eos elicienti notos.

Solutio. Reſpondetur, concedendo maiorem, & minorem, intellectam de volitione præciſe terminata ad Deum ſecundum ſe. Sed neganda erit conſequentia. Quoniam hoc ipſo, quod Deus clare viſus ſubijciat per modum obiecti omnino voluntatem creatam, tanquam obiectum principale illius, ibidem inuoluitur, quod obiectum eiuſdem voluntatis ſit ratio vniuerſaliſſimi boni: ac per conſequens quod nulli obiecto creato, præterquã Deo, poteſt eſſe ſufficienter, & efficaciter ſubiecta. Et ita hinc etiam fit, quod quando mouetur ab aliquo obiecto, non habente vniuerſaliſſimam rationem boni, vt contingit in actibus liberis, proueniat hoc aliunde, nempè, ex electione libera eiuſdem voluntatis, & ex Deo vt ex cauſa efficienti vniuerſaliſſima: atque adeo cogitatio illa, & actus liber non habebunt ſufficientem dependentiam ab obiecto creato, per quam conſtituantur intra ordinem vniuerſi.

Vltima obiectio. 98 Vltimo contra eandem rationem obijcies, quod ſi quid probaret, ſuaderet etiã, habitus exiſtentes in voluntate hominis, aut vnius Angeli eſſe naturaliter ignotos alteri: hoc autem non videtur admittendum, vt docet D. Thom. queſt. 16. de Malo art. 8. ergo, &c. Maior probatur. Quoniam etiam iſti habitus ingrediuntur ſummum ordinem, qui eſt ſummum bonum.

Nec ſatis erit ſi dixeris, quod licet ex hoc capite prędicti habitus ſint naturaliter ignoti Angelo, nihilominus ex alio capite poſſunt eſſe noti: quia producuntur cum ſpeciali aliquo ordine ad alias partes vniuerſi: ex eo quod poſſunt eſſe ratio eliciendi aliquas operationes dicentes ordinem ad vniuerſum. Nam contra hoc eſt, quod prædicti habitus producuntur, & acquiruntur libere. Vnde, ſicut actus intellectus, qui fiunt liberè, ſunt ex omni capite ignoti alteri Angelo quia nõ habent aliud mouens quoad exercitium præter voluntatem liberam pendentem à ſolo Deo: ita etiam habitus erunt ex omni capite ignoti, quia non habent aliud principium, à quo producantur, præter quam à voluntate libera mota à ſolo Deo.

Occurritur Reſpondetur, admittendo ſolutionem modo traditam. Et ad probationem in contrarium dicendum eſt, non eſſe eandem rationem de habitibus, & de actibus ſiue intellectus, ſiue voluntatis liberè elicitis. Nam habitus ſunt qualitates naturales, nec pendent à ſola libera voluntate, ſaltem in ſui permanentia, & *eſſe*, ſicut actus prædicti. Nec inconuenit, cauſam illorum, videlicet actus liberos, eſſe incognitam. Nam etiam actus externi dependentes à voluntate ſunt naturaliter noti Angelis ſecundum ſuam ſubſtantiam: cum tamen actus liberi voluntatis, à quibus habent dependentiam, ſint illis occulti & ignoti: quia non habent neceſſariam dependentiam ab illis, ſicut nec habitus, ſaltem in ſui permanentia.

Adde, quod licet actus liberi, à quibus fiunt prædicti habitus, habeant ſecundum ſe eſſe liberos ratione dependentiæ, quæ in eis eſt à cauſa omnino libera; nihilominus quatenus ſunt cauſa habitus, non ſunt liberi, ideſt, non concurrunt in illa cauſalitate ſicut cauſa libera; ſed potius ſicut cauſa naturalis, & naturaliter operans. Et propterea recte cohæret, habitus cognoſci ab Angelis, quia ſunt effectus naturales, & nihilominus cauſam illorum, videlicet actus, non cognoſci, quia ſunt affectus liberi.

§. V. *Oppoſita ſententia, cum ſuis fundamentis, & ſolutionibus.*

Contraria Sententia Scotus. 99 OPpoſitam tamen ſententiam, nempe, cogitationes cordis non eſſe cognitas Angelis, quia ex ſe ſint occultæ, ſed quia à Deo negatur eis concurſus debitus ad illas cognoſcendas, tuetur Scotus in 2. diſtin. 9. quæſt. 1. & 2. §. *ad argumenta 2. quæſtionis* in ſolutione prima, & clarius in 4. diſtin. 10. queſt. 8. ad 3. & alij, quorum ſententia ſolet explicari exemplo ignis, qui in fornace Babylonis non combuſſit tres illos pueros, non quidem ex defectu virtutis, ſed quia Deus concurſum debitum denegauit. Et licet omnia fere argumenta, quæ pro hac ſententia adduci poſſunt, maneant ſoluta ex dictis in elucidatione rationis D. Thomæ, nihilominus maioris perſpicuitatis gratia aliqua adducemus.

Argumẽti primum. Probatur ergo primo prædicta ſententia. Quoniam cogitationes liberæ ſunt ex ſe obiectum proportionatum reſpectu Angeli elicientis illas: ergo eadem ratione erunt ex ſe proportionatæ reſpectu cuiuſuis alterius Angeli: ac proinde, quod illas non cognoſcat, non proueniet ex defectu virtutis & facultatis, ſed ex denegatione prædicti concur-

concurſus. Hęc ſecunda conſequentia cum antecedenti videtur perſpicua. Prima vero probatur. Tum, quia prædictæ cogitationes ſunt in eodem gradu immaterialitatis cum quouis Angelo: ergo ſunt proportionatæ in ratione obiecti cum illo. Tum etiam, quia per hoc, quod prędictæ cogitationes ſint liberę, non prætergrediuntur ordinem naturalem, prout ordo naturalis diſtinguitur a ſupernaturali: conſtat autem, totum ordinem naturalem eſſe proportionatum in ratione obiecti reſpectu facultatis naturalis Angelicę.

Confirmatur. Confirmatur. Quia ſaltem videtur, prædictas cogitationes debere eſſe naturaliter notas Angelis ſuperioribus illis, qui eas eliciũt. Nam cum Angeli elicientes eaſdem cognoſcant illas: & vis cognoſcitiua ſuperior poſſit id, quod inferior: cõſequens erit, vt Angeli ſuperiores habentes vim cognoſcitiuam ſuperiorem, illas cognoſcant.

Reſpõdetur 100 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam primam, ac proinde & ſecundam. Et ad primam probationem dicendum eſt, quod etſi conuenientia in gradu immaterialitatis inter obiectum, & potentiam deſideretur ad hoc, vt obiectũ ſit proportionatum; nõ tamen id ſufficit, ſed requiritur inſuper, quod tale obiectum pertineat ad ordinem vniuerſi, non tamen ad aliũ ordinem altiorem, vt in actibus liberis, de quibus loquimur, contingit modo explicato.

Ad ſecundam vero probationem reſpondetur, quod cum dicitur, intellectum Angelicum habere, quantum eſt de ſe, proportionem & facultatem ſufficientem ad cognoſcẽdum omne ens naturale, prout diſtinguitur à ſupernaturali, intelligitur cum hac limitatione, nempe, dummodo illud ens habeat modum eſſendi naturalem, ideſt cum determinatione ad vnum, ſecus vero ſi fuerit liberum, habens conditiones iam dictas. Nam hoc ex natura ſua eſt occultum (vt iam explicuimus) reſpectu aliorum, licet non reſpectu elicientis illum: & propterea habet etiam cognoſcibilitatem naturalem, prout cognoſcibilitas naturalis diſtinguitur à ſupernaturali: nam ad hanc cognoſcibilitatem naturalem ſufficit, quod ſit naturaliter cognoſcibile ab aliqua naturali facultate.

Ad confirmationem. Ad confirmationem reſpondetur, illud axioma eſſe verum, quando cætera ſunt paria, quod in pręſenti non contingit. Nam illa cogitatio libera reſpectu potentiæ inferioris cognoſcitiuę habet, quod ab illa fuerit cauſata, ad eandemque pertineat: quod tamen non reperitur reſpectu Angeli ſuperioris reſpectu illorum actuum liberorum, quos dicimus eſſe ei naturaliter ignotos.

Secundum fundamentum. 101 Secundo probatur prædicta ſententia. Quoniam cogitationes cordis dicunt qualitatem quamdam naturalem, non minus quam aliæ res naturales: quia quantum ad ſuas entitates abſolutas ſunt eiuſdem rationis, ſiue fiant libero, ſiue neceſſario modo, ſicut in alijs rebus naturalibus contingeret: ergo ſaltẽ ſecũdũ ſuas entitates abſolutas non minus erunt naturaliter notæ, quam aliæ res naturales. Patet conſequentia. Quia ſi propter aliquam rationem non eſſent naturaliter notæ quoad ſuas entitates abſolutas, ſicut alia, id eſſet, quia quoad illas non haberent eſſe eiuſdem rationis, ſiuè liberè, ſiue neceſſario fierent. Sicut ideo actus appetitus ſenſitiui ſunt naturaliter noti quoad ſuam ſubſtantiam cuiuis Angelo, quia ſubſtantia eorum eſt eadem, ſiue fiant media voluntate libera, ſiue non.

Cõfirmatio Confirmatur. Nam idem actus ſecundum ſubſtantiam poteſt tranſire de neceſſario in liberum, vel ècontrà, ex defectu abſentiæ, vel præſentię conſiderationis, & aduertentiæ: ergo ſecundum ſuam ſubſtantiam non eſt per ſe occultus: ac proinde ad minus ſecundum illam poterit eſſe naturaliter notus cuicumque Angelo.

Occurritur ſecundo eſ ſua confirmatione. 102 Reſpondetur cum Nazario artic. 4. huius quæſt. controuerſ. vnica in ſolutione ad argumenta Vazquez contra primam concluſionem, quod in actibus voluntatis, imo & in actibus intellectus, vt cadunt ſub electione eiuſdem voluntatis, eſt aliquid intrinſecum ratio libertatis actualis, & dependentiæ omnino liberæ. Et licet daretur, poſſe manere quoad ſubſtantiam variatis his modis intrinſecis libertatis, & neceſſitatis, non tamen inde fieret, prædictam ſubſtantiam, cum ſit libere, eſſe naturaliter notam cuiuis Angelo. Quoniam dum prædicta ſubſtantia ſic ſit, tunc non ſolum quoad modum, ſed etiam quoad eandem ſubſtãtiã actus ille elicitur totus liber, atque adeo totus manet occultus. Et ideo non eſt eadem ratio de his actibus quoad ſuam ſubſtantiam & entitatem abſolutam, & de alijs rebus ordinis naturalis: imo nec idem dicendum eſt de illis, ac de actibus appetitus ſenſitiui. Nam licet iſti per ordinem ad voluntatem habeant aliquo modo eſſe liberi, & ex hoc capite, & quantum ad iſtud imperium poſſint eſſe occulti: attamen per comparationem ad appetitum ſenſitiuum, qui eſt cauſa ſufficiens exercitij illorum, non fiunt libere; ſed, vt ab illo proficiſcuntur, pertinent ad ordinem vniuerſi propter dependentiam, quam habent ad alias cauſas eiuſdem vniuerſi. Cæterum cogitationes cordis, de quibus loquimur, non habent aliam cauſam applicantem præter voluntatem liberam: & ideò prædictæ cogitationes non pertinent ad ordinem vniuerſi.

Adde, quod adhuc dato, prædictos actus quoad suam substantiam esse eiusdem speciei comparatione, seu in ordine ad voluntatem; non tamē ideo essent eiusdem speciei omnibus modis. Stat enim optimè, quod aliqui actus sint eiusdem speciei in ordine ad potētiam, & tamen differāt specie aliunde: vt patet in actu scientifico, & in actu fidei naturalis, qui quidem in ordine ad intellectum sunt eiusdem speciei, & tamen alias differunt specie ex diuerso modo procedendi: ita etiam actus voluntatis, hoc ipso quod sit liber, differt à naturali, vt quid eleuatum supra illum, quia totus ipse habet diuersum modum tendendi, totusque ipse dependet libere à volūtate, & secundum hanc rationem constituit obiectum improportionatum, & de se occultum. Per quæ ad confirmationem satis patet.

Tertium. 103 Tertio probatur ista sententia. Quoniam actus liberi pertinent ad ordinem vniuersi huius: ergo, quantum est ex se, erunt naturaliter noti cuius Angelo. Consequentia patet ex sæpè dictis. Antecedens autem probatur. Quia prædicti actus sunt fines naturales potentiarum pertinentium ad ordinem huius vniuersi; non videtur autem posse stare, quod aliqua potentia pertineat ad ordinem vniuersi, & quod eius proprius actus, qui est proprius illius finis, non pertineat ad eundem ordinem vniuersi.

Diluitur. Respondetur, negando antecedens, intellectum de actibus liberis, qui ex omni capite manent intra elicientem illos, & non diriguntur ab eo ad alteram creaturam intellectualem, aut non manifestantur sufficienter aliquo signo externo. Et ad probationem dicendum est, minorem illius esse veram, quādo cætera sunt paria, secus tamen, quando sunt imparia, vt in præsenti contingit. Nam intellectus, & voluntas habent modum essendi naturalem, at vero actus liberi modum essendi liberum, & ita pendendi à voluntate creata, quandiu omnino manent intra elicientem illos, quòd solum pendeant simul à voluntate diuina, quæ est supra totum vniuersum, nec habeant aliquem alium ordinem ad ipsum vniuersum: cum tamen intellectus, & voluntas (modo tamen in hoc dubio explicato) illū habeāt. Potestque hoc explicari exemplo eiusdem voluntatis, quæ habet pro fine naturali Deum, vt lumine naturæ cognitum: & tamen non ob id Deus est intra ordinem vniuersi, sicut ipsa: quia non sunt cætera paria, sed Deus, vt est finis illius, dicit rationem eleuatam supra totum ordinem vniuersi, quam tamen non dicit ipsa volūtas.

Replica. 104 Nec obest si vrgeas, esse disparem rationem inter Deum, vt finem naturalem, & inter actus liberos, vt sunt suo modo fines suarum potentiarum. Quòd Deus est finis extrinsecus, & ideo non habet suam perfectionem ab eo, cuius est finis: & sic queit esse superioris ordinis. Cæterum operationes sunt fines intrinseci potentiarum, habentque suam perfectionem ab eis: & ideo nequeunt esse superioris ordinis, quàm potentiæ, à quibus causantur.

Respondetur enim, bene posse cohærere, quod operationes liberæ habeant suam perfectionem à suis potentijs, & quod nihilominus sint quodammodo superioris ordinis, quam illæ: quatenus per hoc significatur, eas esse talis conditionis, vt modo dicto non pertineant ad ordinem vniuersi, sed sint quodammodo supra illum. Quoniam ad hoc nō est necesse, vt habeant aliquid simpliciter altius quam suæ potentiæ, nec aliquid, quod adhuc secundum quid sit nobilius, ita vt hoc non communicetur eis à prædictis potentijs; sed satis est, illud non haberi eodem modo in illis, ac in actibus: quatenus in actibus est libertas formalis, & in potentijs solum radicalis, aut virtualis, siuè causalis. & ita in potentijs libertas radicalis, aut causalis est coniuncta cum concatenatione ad alias partes vniuersi, vt explicatum est, secus vero in actibus liberis, de quibus in præsenti fit sermo. Et ideo, quia ex his capitibus desumitur hæc superioritas in actibus liberis, potest stare, vt sint quodammodo superioris ordinis suis potentijs, licet suam perfectionem habeant causatam ab illis. Solutio

105 Quarto probatur prædicta sententia. Quoniam alias Angeli superiores egerēt reuelatione inferiorum, ad hoc vt possint cognoscere actus liberos eorum: hoc autem dici nequit: ergo, &c. Probatur minor. Quia alioqui Angelus inferior illuminaret, & doceret superiorem. Nam manifestare alicui suas cogitationes, & reuelare veritates, etiam contingentes, & liberas illi ignotas, est docere, & illuminare illum: siquidem cognitio cuiusuis veritatis est quædam illuminatio intellectus: hoc autem pugnat cum ordine hierarchico, & cū D. Thoma infrà q. 107. art. 2. Quartum.

Respondetur ex D. Thom. loco nuper cit. & 22. q. 281. art. 4. ad 2. (vbi etiam Caiet. eisdem locis) & de Verit. q. 9. art. 5. ad 6. negando minorē. Et ad probationem dicēdum est, quod illuminare (vt vtamur terminis Caietani) est manifestare veritatē, vt veritas est: loqui vero, vel reuelatio cogitationis, solum est manifestare veritatem, vt volitam, vel vt cognitam. Vnde illuminare, & docere habēt se ad locutionem, sicut superius, & inferius: nam quicūque illuminat, vel docet aliquem, loquitur illi, non autem è conuerso: quia plus exigitur ad docendum, vel illuminandum, quam ad loquendum. Cæterum de hoc infrà q. 107. sermo redibit, & ex ibidem dicendis magis explicabitur. *D. Thom.* Soluitur. *D. Thom. Caietan.*

106 Tan-

Vltimum. 196 Tandem probatur eadem ſententia. Quia ſi propter aliquam rationem actus liberi haberent hoc peculiare, nimirum, eſſe ex ſe obiectum improportionatum reſpectu alterius creaturę intellectualis, maxime, quia ratione ſuæ libertatis pertinent ad alium altiorem ordinem: hoc autem eſt falſum: ergo &c. Minor probatur. Quia actus neceſſarius voluntatis, & intellectus eſt ex ſe eleuatior, quam actus, qui libere fiunt ab his potentijs: & propterea viſio, & amor beatificus creaturarum intellectualium eſt excellentioris rationis quouis alio actu libero prædictarum potentiarum.

Satisfit. Reſpondetur, negando minorem. Et ad probationem dicendum eſt, quod actus liberi creati, ſiue ſint, ſiue non ſint ſimpliciter nobiliores in *eſſe* actuum, quam actus neceſſarij; ſemper tamen (ſaltem ſecundum quid) ſunt nobiliores illis, quatenus cum pleno dominio, & omnino libere fiunt, & ſecundum iſtam rationem conſtituunt obiectum improportionatum reſpectu alterius intellectus: quia ex natura ſua (vt n. 87. dicebamus) ſunt occulti, & quia ſecundum iſtam rationem non habent pertinere ad ordinem vniuerſi, ſed eſſe quodammodo ſupra illum.

DVBIVM VI

Vtrùm Angelus per vires ſuæ naturæ cognoſcat myſteria gratiæ?

AD Hoc dubium non aliter reſpondendum eſt, quam vtreſpondet D. Thom. ar. 5. huius q. cuius concluſiones, dum omnes eius articulos propoſuimus, ibidem ſummatim poſt eundem ar. 5 poſuimus. Cæterum examen earum latius à nobis tradendũ eſt 2. 2. in trac. de fide vt in trac. præcedenti q. 32. in annotationibus ad ar. 1. id quoad Trinitatis myſterium polliciti ſumus.

QAESTIO LVIII. DE MODO cognitionis Angelicæ in ſeptem articulos diuiſa.

PROOEMIVM.

POST hæc conſiderandum eſt de modo Angelicæ cognitionis. Et circa hoc quæruntur ſeptem. Primò, vtrum intellectus Angeli quandoque ſit in potentia, quando que in actu. Secundò, vtrum Angelus poſsit ſimul intelligere multa. Tertiò, vtrum intelligat diſcurrẽdo. Quartò, vtrum intelligat componendo, & diuidendo. Quintô, vtrum in intellectu Angeli poſsit eſſe falſitas. Sextò, vtrum cognitio, Angeli poſsit dici matutina & veſpertina. Septimo, vtrum ſit eadem cognitio matutina & veſpertina, vel diuerſæ.

ARTICVLVS I.

Vtrùm intellectus Angeli quandoque ſit in potentia, quandoque in actu?

AD primum ſic proceditur. Videtur, quòd intellectus Angeli quandoque ſit in potentia. Motus enim eſt actus exiſtentis in potentia, vt dicitur * 3. Phyſi. Sed mentes Angelicæ intelligendo mouentur, vt dicit Dionyſ. 4 c. de diui nomi. Ergo mentes Angelicæ quandoque ſunt in potentia.

2.2. q 50. ar 5. cor. Et 2. cont. c. 95. & 96 col 3. Et ve. i. q 8. ar. 5. Et ma. q. 10. art. 5. cor. Et 6. cor le. 4.

† Tex 6. to. 3.

¶ 2. Præterea. Cùm deſideriũ ſit rei non habitæ, poſsibilis tamen haberi, quicumque deſiderat aliquid intelligere, eſt in potentia ad illud. Sed 1. Petri 1. dicitur. In quem deſiderant Angeli proſpicere. Ergo intellectus Angeli quandoque eſt in potentia.

¶ 3. Præterea. In lib. de cauſis * dicitur, quòd intelligentia intelligit ſecundùm modum ſuæ ſubſtantiæ. Sed ſubſtantia Angeli habet aliquid de potentia permiſtum. Ergo quandoque intelligit in potentia.

† Propoſit. 8 circ. prin. habetur inter opera Ariſt. to. 3.

SED contra eſt, quod Auguſ. dicit * 2. ſuper Gen. ad lit. quòd Angeli, ex quo creati ſunt, in ipſa Verbi æternitate, ſancta & pia cõtemplatione perfruuntur. Sed intellectus contemplans non eſt in potentia, ſed in actu. Ergo intellectus Angeli nõ eſt in potẽtia.

† lib 2 ſuper Gen. ad li. c 8 á med. tom. 3.

RESPONDEO dicendũ, quôd ſicut Philoſophus dicit in * 3 de Anima, & in * 8. Phyſ. intellectus dupliciter eſt in potentia. Vno modo, ſicut ante addiſcere, vel inuenire, ideſt, antequam habeat habitum ſciẽtiæ. Alio modo dicitur eſſe in potentia: ſicut cũ iá habet habitũ ſcientiæ, ſed non cõſiderat. Primo igitur modo, intellectus Angeli numquam eſt in potentia reſpectu eorũ, ad quæ eius cognitio naturalis ſe extendere poteſt. Sicut enim corpora ſuperiora, ſcilicet cæleſtia, non habẽt potentiam ad eſſe, quæ non ſit cõpleta per actum: ita cæleſtes intellectus, ſcilicet Angeli, non habent aliquam intelligibilem potentiã, quæ non ſit totaliter cõpleta per ſpecies intelligibiles connaturales eis; ſed quantum ad ea, quę eis diuinitus reuelantur, nihil prohibet, intellectus eorum eſſe in potẽtia: quia ſic etiã corpora cæleſtia ſunt in potentia quandoque, vt illuminarentur à ſole. Secundo verõ modo intellectus Angeli poteſt eſſe in potẽtia ad ea, quæ cognoſcit naturali cognitione. Non enim omnia, quæ naturali cognitione cognoſcit, ſemper actu conſiderat; ſed ad cognitionẽ Verbi, & eorum, quæ in Verbo videt, nũquam hoc modo eſt in potentia, quia ſemper actu intuetur Verbũ, & ea, quæ in Verbo videt: in hac enim viſione eorũ beatitudo conſiſtit. Beatitudo autem non conſiſtit in habitu, ſed in actu, vt dicit Philoſophus in * 1. Ethico. cap. 8.

† Lib Ethic c. 8. tom. 3.

Ad primum ergo dicendum, quòd motus ibi non ſumitur ſecundùm quod eſt actus imperfecti, ideſt, exiſtẽtis in potentia: ſed ſecundum quod eſt actus perfecti, ideſt, exiſtentis in actu. Sic enim intelli-

intelligere,&ſentire dicuntur motus,vt dicitur in 3.de Anima. *

† Tex. 28. to 2. Ad ſecundum dicendum, quod deſiderium illud Angelorum nō excludit rem deſideratam, ſed eius faſtidium. Vel dicuntur deſiderare Dei viſionem quantum ad nouas reuelationes, quas prō opportunitate negotiorum à Deo recipiunt.

Ad tertium dicendum, quod in ſubſtantia Angeli non eſt aliqua potentia denudata ab actu. Et ſimiliter nec intellectus Angeli ſic eſt in potētia, quod ſit abſq; actu,

Prima concluſio.

Angeli reſpectu illorum, ad quæ eorum cognitio naturalis ſe extendere poteſt, numquam ſunt in potentia ad actum primum; bene tamen reſpectu eorum, quæ eis diuinitus reuelantur.

Secunda concluſio.

Angeli ſecundum cognitionem naturalem ſunt in potentia ad actum ſecundum.

Tertia concluſio.

Reſpectu eorum, quæ cognoſcuntur in Verbo, numquam Angeli ſunt in potentia.

ARTICVLVS II.

Virùm Angelus ſimul poſsit multa intelligere?

Infra q. 85. ar. 4. Et 2. diſtin. 3 q. 3. ar. 4 Et 3. diſtinct. 14. ar. 2 q. 4. Et 1. cont ca. 55. & ver. q. 8. artic. 14. & quol. 7. q. 1. art 2.

† Cap. 4. in declaratione 33. loci tomo 1.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod Angelus non poſsit ſimul multa intelligere. Dicit enim Philoſophus † 2. Topic. quod contingit multa ſcire, ſed vnum tantum intelligere.

¶ 2. Præterea. Nihil intelligitur, niſi ſecundùm quod intellectus formatur per ſpeciem intelligibilem, ſicus corpus formatur per figuram. Sed vnum corpus non poteſt formari diuerſis figuris. Ergo vnus intellectus non poteſt ſimul intelligere diuerſa intelligibilia.

¶ 3 Præterea. Intelligere eſt motus quidam. Nullus autē motus terminatur ad diuerſos termi nos. Ergo non contingit ſimul multa intelligere.

SED contra eſt, quod dicit Auguſt. * 4. ſuper Gen. ad lit. Potentia ſpiritualis mentis Angelicæ cuncta, quæ voluerit, facillimè ſimul comprehendit.

† Lib. 4 ſuper Gen. ad lit. c. 32. in prin. c. 29. to 3.

RESPONDEO dicendū, quod ſicut ad vnitatem motus requiritur vnitas termini, ita ad vnitatem operationis requiritur vnitas obiecti. Contingit autem, aliqua accipi vt plura, & vt vnum, ſicut partes alicuius continui. Si enim vnaquæque per ſe accipiatur, plures ſunt: vnde & non vna operatione, nec ſimul accipiuntur per ſenſum, & intellectū. Alio modo accipiuntur, ſecundū quod ſunt vnum in toto: & ſic ſimul vna operatione cognoſcūtur, tam per ſenſum, quā per intellectum, dū totū cōtinuū conſideratur, vt dicitur in 3. de Anima. Et ſic etiā intellectus noſter ſimul intelligit ſubiectum, & prædicatum, prout ſunt partes vnius propoſitionis, & duo comparata, ſecūdùm quod conueniunt in vna comparatione. Ex quo patet, quod multa, ſecundùm quod ſunt diſtincta, non poſſunt ſimul intelligi: ſed ſecundùm quod vniuntur in vno intelligibili, ſic ſimul intelliguntur.

Vnumquodque autem est intelligibile in actu, secundùm quòd eius similitudo est in intellectu. Quæcumque igitur per vnã speciem intelligibilem cognosci possunt, cognoscuntur vt vnum intelligibile, & ideò simul cognoscũtur. Quæ verò per diuersas species intelligibiles cognoscuntur, vt diuersa intelligibilia capiuntur. Angeli igitur ea cognitione, qua cognoscunt res per verbum, omnia cognoscunt vna intelligibili specie, quæ est essentia diuina: & ideò quãtum ad talem cognitionem omnia simul cognoscunt: sicut & in patria non erunt volubiles nostræ cognitiones ab alijs in alia euntes, atque redeuntes; sed omnem scientiam nostrã simul vno conspectu videbimus, vt Augustꝰ. dicit in † 15. de Trinit. cap. 16. Ea verò cognitione, qua cognoscunt res per species innatas, omnia illa simul possunt intelligere, quæ vna specie cognoscuntur, non autem illa, quę diuersis.

† Lib. 15. de Trin ca. 16. circa fin. to. 3.

Ad primum ergo dicendum, quòd intelligere multa, vt vnũ, est quodammodò vnum intelligere.

Ad secundum dicẽdum, quòd intellectus formatur per intelligibilem speciem, quam apud se habet. Et ideò sic potest vna specie intelligibili multa simul intelligibilia intueri, sicut vnum corpus per vnam figuram potest simul multis corporibus assimilari.

Ad tertium dicendum, sicut ad primum.

Conclusio.

Angelus non potest plura, vt plura, simul intelligere, benè tamen plura per modum vnius idest, qua vnica specie repræsententur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Angelus cognoscat discurrendo?

AD tertium sic procedi- 3. con cap. 44. & 61. Et ver q 8. art. 15. & q 24. art. 3.
tur. Videtur, quòd Angelus cognoscat discurrendo. Discursus enim intellectus attenditur secundùm hoc, quòd vnum per aliud cognoscitur. Sed Angeli cognoscunt vnum per aliud: cognoscunt enim creaturas per Verbum. Ergo intellectus Angeli cognoscit discurrendo.

¶ 2. Præterea. Quicquid potest virtus inferior, potest & virtus superior. Sed intellectus humanus potest syllogizare, & in effectibus causas cognoscere, secundùm quæ discursus attenditur. Ergo intellectus Angeli, qui superior est ordine naturæ, multò magis hoc potest.

¶ 3 Præterea. Isidorus dicit, * quòd Dæmones per experientiã multa cognoscunt. Sed experimẽtalis cognitio est discursiua. Ex multis enim memorijs fit vnum experimentum: & ex multis experimentis fit vnum vniuersale, vt dicitur in * fine Posteriorum, & in principio Met. Ergo cognitio Angelorum est discursiua.

† Lib. 1. de summo bono c. 12. post medium.

† Lib 2 post tex. vlt. circa med.

† Lib 1. Met. c. 1. paulo á prin. t 3

SED cõtra est, quòd Dionys. dicit. 7. cap. de diuinis nominibus, quôd Angeli non congregant diuinam cognitionem a sermonibus diffusis, nec ab aliquo communi ad ista specialia simul aguntur.

† C. 7. inter prin. & medium.

RES-

RESPONDEO dicendũ, quôd ſicut ſæpiùs* dictũ eſt, Angeli illum gradum tenent in ſubſtantijs ſpiritualibus, quem corpora cæleſtia in ſubſtãtijs corporeis: nam & cæleſtes mẽtes à Dionyſ. ‡ dicuntur. Eſt autẽ hæc differentia inter cæleſtia, & terrena corpora, quòd corpora terrena per mutationem, & motum adipiſcuntur ſuam vltimam perfectionem; corpora verò cæleſtia ſtatim ex ipſa ſua natura ſuam vltimã perfectionem habent. Sic igitur & inferiores intellectus, ſcilicet hominum, per quemdam motum, & diſcurſum intellectualis operationis perfectionem in cognitione veritatis adipiſcuntur: dum ſcilicet ex vno cognito in aliud cognitũ procedunt. Si autem ſtatim in ipſa cognitione principij noti inſpicerent quaſi notas omnes concluſiones conſequentes, in eis diſcurſus locum non haberet. Et hoc eſt in Angelis, quia ſtatim in illis quæ primò naturaliter cognoſcunt, inſpiciunt omnia quæcumque in eis cognoſci poſſunt: & ideò dicuntur intellectuales, quia etiam apud nos ea, quæ ſtatim naturaliter apprehenduntur, intelligi dicuntur. Vnde intellectus, dicitur habitus primorum principiorum. Animæ verò humanæ, quæ veritatis notitiã per quemdam diſcurſum acquirunt, rationales vocantur. Quod quidem cõtingit ex debilitate intellectualis luminis in eis. Si enim haberẽt plenitudinem intellectualis luminis, ſicut Angeli, ſtatim in primo aſpectu principiorũ totã virtutẽ eorũ cõprehẽderẽt, intuẽdo quicquid ex eis ſyllogizari poſſet.

Ad primum ergo dicendum, quòd diſcurſus quemdam motũ nominat. Omnis autem motus eſt de vno priori in aliud poſterius. Vnde diſcurſiua cognitio attenditur, ſecundũ quôd ex aliquo prius noto deuenitur in cognitionem alterius poſterius noti, quod priùs erat ignotum. Si autẽ vno inſpecto, ſimul aliud inſpiciatur, ſicut in ſpeculo inſpicitur ſimul imago rei, & res, non eſt propter hoc cognitio diſcurſiua. Et hoc modo cognoſcunt Angeli res in Verbo.

Ad ſecundum dicẽdum, quòd Angeli ſyllogizare poſſunt, tamquam ſyllogiſmum cognoſcentes: & in cauſis effectus vident, & in effectibus cauſas; non tamen ita quòd cognitionem veritatis ignotæ acquirant ſyllogizando ex cauſis in cauſata, & ex cauſatis in cauſas.

Ad tertium dicendum, quòd experientia in Angelis, & Dæmonibus dicitur ſecundùm quamdam ſimilitudinem: prout ſcilicet cognoſcunt ſenſibilia præſentia, tamen abſque omni diſcurſu.

Concluſio eſt negatiua.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Angeli intelligant componendo, & diuidendo?

AD quartum ſic procedi- ‡ Diſt. 3. q. 1. ar. 2. cor. Et ma. q. 16 ar. 6. 19.
tur. Videtur, quòd Angeli intelligant componendo, & diuidendo. Vbi enim eſt multitudo intellectuum, ibi eſt compoſitio intellectuum,

* Art. 1. huius q. & q. 55 art. 2.

† De diuin. nomi cap. 7 & 9. & c. 12. Cæleſt. hierarch.

† Tex 21. & 22. tom. 2. lectuum, vt dicitur * 3. de Anima. Sed in intellectu Angeli eſt multitudo intellectuum, cùm per diuerſas ſpecies diuerſa intelligat, & non omnia ſimul. Ergo in intellectu Angeli eſt compoſitio, & diuiſio.

¶ 2. Prætereà. Plus diſtat negatio ab affirmatione, quàm quæ cumque duæ naturæ oppoſitæ: quia prima diſtinctio eſt per affirmationem, & negationem. Sed aliquas naturas diſtantes Angelus non cognoſcit per vnum, ſed per diuerſas ſpecies, vt ex dictis * patet. Ergo oportet, quòd affirmationem, & negationem cognoſcat per diuerſa. Et ita videtur, quòd Angelus intelligat componendo, & diuidendo.

† Art. 2. huius quæſt.

¶ 3. Prætereà. Loquutio eſt ſignum intellectus. Sed Angeli hominibus loquentes proferunt affirmatiuas, & negatiuas enuntiationes (quæ ſunt ſigna compoſitionis, & diuiſionis in intellectu) vt ex multis locis Sacræ Scripturæ apparet. Ergo videtur, quòd Angelus intelligat componendo, & diuidendo.

SED contra eſt, quod Dionyſ. dicit. † 7. cap. de diui. nom. quòd virtus intellectualis Angelorum reſplendet perſpicaci diuinorum intellectuum ſimplicitate. Sed ſimplex intelligentia eſt ſine compoſitione, & diuiſione, vt dicitur in * 3. de Anima. Ergo Angelus intelligit ſine compoſitione, & diuiſione.

† Cap 7. inter prin. & med.

† Lib. 3. de Anima tex. 21. & 22. to. 2.

RESPONDEO dicendum, quôd ſicut in intellectu ratiocinante comparatur concluſio ad principium: ita in intellectu componente, & diuidente comparatur prædicatũ ad ſubiectũ. Si enim intellectus noſter ſtatim in ipſo principio videret concluſionis virtutem, numquam intelligeret diſcurrendo, vel ratiocinando. Similiter ſi intellectus ſtatim in apprehenſione quidditatis ſubiecti haberet notitiam de omnibus, quæ poſſunt attribui ſubiecto, vel remoueri ab eo, numquam intelligeret componendo, & diuidendo, ſed ſolùm intelligendo quodquid eſt. Sic igitur patet, quôd ex eodem prouenit, quòd intellectus noſter intelligit diſcurrendo, & componendo, & diuidendo, ex hoc ſcilicet, quòd non ſtatim in prima apprehenſione alicuius primi apprehenſi poteſt inſpicere, quicquid in eo virtute continetur: quod contingit ex debilitate luminis intellectualis in nobis, ſicut dictum * eſt. Vnde cùm in Angelo ſit lumen intellectuale perfectum, cùm ſit ſpeculum purum, & clariſsimum, vt dicit Dionyſ. * 4. cap. de diui. nomin. relinquitur, quod Angelus, ſicut non intelligit ratiocinando, ita non intelligit componendo, & diuidendo. Nihilominùs tamen compoſitionem, & diuiſionem enuntiationum intelligit, ſicut & ratiocinationem ſyllogiſmorum. Intelligit enim compoſita ſimpliciter, & mobilia immobiliter, & materialia immaterialiter.

† Art. præc.

† Ca. 4. par. 4 parum ante med.

Ad primum ergo dicendum, quòd non qualiſcumque multitudo intellectuum compoſitionem cauſat; ſed multitudo illorum intellectuum, quorum vnum attribuitur alteri, vel remouetur ab altero. Angelus autem intel-

intelligẽdo quidditatem alicuius rei, ſimul intelligit, quicquid ei attribui poteſt, vel remoueri ab ea. Vnde intelligendo quod quid eſt, intelligit quicquid nos intelligere poſſumus & componendo, & diuidendo, per vnum ſuum ſimplex intellectum.

Ad ſecundũ dicendum, quòd diuerſæ quidditates rerum minus differunt quantum ad rationem exiſtendi, quam affirmatio, & negatio: tamen quantum ad rationem cognoſcendi affirmatio, & negatio magis conueniunt: quia ſtatim per hoc, quòd cognoſcitur veritas affirmationis, cognoſcitur falſitas negationis oppoſitæ.

Ad tertium dicendum, quôd hoc quòd Angeli loquuntur enuntiationes affirmatiuas, & negatiuas, manifeſtat: quòd Angeli cognoſcunt compoſitionem, & diuiſionem, nõ autem quòd cognoſcant componendo, & diuidendo, ſed ſimpliciter cognoſcendo quod quid eſt.

Concluſio.

Angeli non intelligunt componendo, & diuidendo.

ARTICVLVS V.

Vtrùm in intellectu Angeli poſsit eſſe falſitas?

2. Diſt. 11. q 2. ar. 5 ad 5. & ver. q. 8. ar. 14. & 6. & mal. q. 16 ar 5 cor.

AD quintum ſic proceditur. Videtur quôd in intellectu Angeli poſsit eſſe falſitas. Proteruitas enim ad falſitatem pertinet. Sed in Dæmonibus eſt phantaſia proterua, vt dicit Dionyſ. * 4. cap. de diuin. nomin. Ergo videtur, quòd in Angelorum intellectu poſsit eſſe falſitas. † Cap. 4. part. 4 paruma med.

¶ 2. Præterea. Neſcientia eſt cauſa falſæ æſtimationis. Sed, in Angelis poteſt eſſe neſcientia vt Dionyſ. dicit * 6. cap. Eccleſ. Hierar. Ergo videtur, quòd in eis poſsit eſſe falſitas. † Cap 7. par. 3. a medio & c. 6. declinando ad finem.

¶ 3. Præterea. Omne, quod cadit à veritate ſapientiæ, & habet rationem deprauatam, habet falſitatem, vel errorem in ſuo intellectu. Sed hoc Dionyſ. dicit de Dæmonibus 7. * cap. de diui. nomin. Ergo videtur, quôd in intellectu Angelorum poſsit eſſe falſitas. † Cap. 7. ante med.

SED contra. Philoſophus dicit * 3. de Anima, quòd intellectus ſemper verus eſt. Auguſt. etiam dicit in lib. * 33. quæſt. quòd nihil intelligitur, niſi verum. Sed Angeli non cognoſcunt aliquid, niſi intelligendo. Ergo in Angeli cognitione non poteſt eſſe deceptio, & falſitas. † Lib 3. de Anima tex. 26. & 51. to 2. † Q. 54. & 32. tom. 4.

RESPONDEO dicendum, quòd huius quæſtionis veritas aliquatenus ex præmiſſa dependet. Dictum eſt * enim, quôd Angelus non intelligit componendo, & diuidendo, ſed intelligendo quod quid eſt. Intellectus autem circa quod quid eſt ſemper verus eſt, ſicut & ſenſus circa proprium obiectum, vt dicitur in * 3. de Anima. Sed per accidens in nobis accidit deceptio, & falſitas intelligendo quodquid eſt, ſcilicet, ſecundùm rationem alicuius compoſitionis: vel cum diffinitio, † Ar. præc. † Tex. 26. tom. 2.

finitionem vnius rei accipimus vt diffinitionem alterius; cum partes diffinitionis ſibi non cohærent. Sicut ſi accipiatur pro diffinitione alicuius rei animal quadrupes volatile: nullum enim animal tale eſt. Et hoc quidem accidit in compoſitis, quorum diffinitio ex diuerſis ſumitur, quorum vnum eſt materiale ad aliud. Sed intelligendo quidditates ſimplices, vt dicitur in * 9. Metaphyſ. non eſt falſitas: quia vel totaliter non attinguntur, & nihil intelligimus de eis; vel cognoſcuntur vt ſunt. Sic igitur per ſe non poteſt eſſe falſitas, aut error, aut deceptio in intellectu alicuius Angeli, ſed per accidens contingit: alio tamen modo, quàm in nobis. Nam componendo, & diuidendo quandoque ad intellectum quidditatis peruenimus, ſicut cum diuidendo, & demonſtrando diffinitionem inueſtigamus. Quod quidē in Angelis non contingit: ſed per quodquid eſt rei cognoſcunt omnes enuntiationes ad illam rem pertinentes. Manifeſtum eſt autē, quôd quidditas rei poteſt eſſe principium cognoſcendi reſpectu eorum, quæ naturaliter conueniunt rei, vel ab ea remouentur: non autem eorum, quæ à ſupernaturali Dei ordinatione dependent. Angeli igitur boni, habentes rectam voluntatem, per cognitionem quidditatis rei non iudicant de his, quæ ſupernaturaliter ad rem pertinent, niſi ſalua ordinatione diuina: vnde in eis non poteſt eſſe falſitas, aut error. Dæmones verò per voluntatem peruerſam ſubducentes intellectum à diuina ſapientia, abſolutè interdum de rebus iudicant ſecundū naturalem conditionē, & in his, quæ naturaliter ad rem pertinēt, non decipiuntur: ſed decipi poſſunt quantum ad ea, quæ ſupernaturalia ſunt. Sicut ſi conſiderans hominē mortuum, iudicet eum nō reſurrecturum: & ſi videns hominem Chriſtum, iudicet eum non eſſe Deum.

* Lib. 9 Metaph. text. 12, tom. 3.

Et per hoc patet reſponſio ad ea, quæ vtrinque obijciuntur. Nam proteruitas Dæmonum eſt, ſecundùm quòd non ſubduntur diuinæ ſapientiæ. Neſcientia autem eſt in Angelis, non reſpectu naturalium cognoſcibilium, ſed ſupernaturalium. Patet etiā, quòd intellectus eius quodquid eſt, ſemper eſt verus, niſi per accidens, ſecundum quod indebitè ordinatur ad aliquam compoſitionem, vel diuiſionem.

Prima concluſio.

Per ſe non poteſt eſſe falſitas, ignorantia, vel error in intellectu Angelico, benè tamen per accidens, ſed aliter quàm in nobis.

Secunda concluſio.

In Angelis beatis, nec etiam per accidens reperitur falſitas: reperitur tamen in Dæmonibus circa ſupernaturalia.

ARTICVLS VI.

Vtrùm in Angelis ſit cognitio matutina, & veſpertina?

AD Sextum ſic proceditur. Videtur, quòd in Angelis nō ſit veſpertina, nec matutina cogni-

2. Diſt. 12. art. 3 cor. & veri. q. 8 ar. 16. & 17. & opuſ. 3 ca. 224 & Eph. 3 lec. 3 col. 3 & Heb. 4 lec. 3 col. 1. fin.

cognitio. Veſpere enim, & manè admiſtionem tenebrarū habent. Sed in cognitione Angeli non eſt aliqua tenebroſitas: cùm non ſit ibi error, vel falſitas. Ergo cognitio Angeli non debet dici matutina, vel veſpertina.

¶ 2 Prætereâ. Inter veſpere, & manè cadit nox, & inter manè, & veſpere cadit meridies. Si igitur in Angelis cadit cognitio matutina, & veſpertina, pari ratione videtur, quòd in eis debeat eſſe meridiana, & nocturna cognitio.

¶ 3 Prætereà cognitio diſtinguitur ſecūdum differentiam cognitorum. Vnde in 3. de anima dicit Philoſophus, quod ſciētiæ ſecantur, quemadmodum & res. Triplex autem eſt eſſe rerum ſcilicet in verbo, in propria natura, & in intelligentia Angelica, vt Auguſt. dicit* 2. ſuper Gene. ad lit. Ergo ſi ponatur cognitio matutina in Angelis, & veſpertina propter eſſe rerum in Verbo, & in propria natura, debet etiam in eis poni tertia cognitio, propter eſſe rerū in intelligētia Angelica.

¶Lib. 3. de Anima tex. 38. tom. 3.

†Lib. 2. ſuper Gen. c. 8. per totū, tom. 3.

SED cōtra eſt, quod Auguſt.* 4. ſuper Gene. ad lit. & 11. de Ciuit. Dei diſtinguit cognitionem Angelorum per matutinam, & veſpertinam.

†Lib 4. ſuper Gen. c. 22. & 31. & 11. de Ciuit Dei ca. 29. & ca. 7. à medio vſque ad finē

RESPONDEO dicendum, quôd hoc, quod dicitur de cognitione matutina, & veſpertina in Angelis, introductum eſt ab Auguſtino* qui ſex dies, in quibus Deus legitur feciſſe cuncta, Gene. 1. intelligi vult, non hos vſitatos dies, qui Solis circuitu peraguntur, cùm Sol. 4. die factus legatur; ſed vnum diem, ſcilicet cognitionem Angelicam ſex rerum generibus repræſentatam. Sicut autē in die conſueto, manè eſt principium diei, veſpere autem terminus: ita cognitio ipſius primordialis eſſe rerum dicitur cognitio matutina: & hæc eſt, ſecundùm quôd res ſunt in verbo. Cognitio autem ipſius eſſe rei creatæ, ſecūdùm quòd in propria natura cōſiſtit dicitur cognitio veſpertina. Nam eſſe rerum fluit à verbo, ſicut à quodam primordiali principio: & hic effluxus terminatur ad eſſe rerum, quod in propria natura habēt.

¶Lib. 4. ſuper Gen. c. 22 & li. 5. c. 4 to. 3. & li. 11. de Ciui. Dei c. 9. to. 5.

Ad primum ergo dicendum, quôd veſpere, & manè non accipiuntur in cognitione Angelica ſecundùm ſimilitudinem ad admiſtionem tenebrarum, ſed ſecūdùm ſimilitudinem principij, & termini. Vel dicendū, quòd nihil prohibet, vt dicit Aug.* 4. ſuper Gene. ad lit. aliquid in comparatione ad vnum dici lux, & in cōparatione ad aliud dici tenebra: ſicut vita fidelium, & iuſtorum in comparatione ad impios dicitur lux, ſecundùm illud Ephe. 6. Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino: quæ tamen vita fidelium in comparatione ad vitam gloriæ, tenebroſa dicitur, ſecundum illud 2. Petri 1. Habetis propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco. Sic igitur cognitio Angeli, qua cognoſcit res in propria natura, dicitur eſt per comparationem ad ignorātiā, vel errorē: ſed obſcura eſt per cōparationē ad viſionē Verbi.

†Lib. 4. ſuper Gen. c. 23. circa princ. to 3.

Ad ſecundum dicendū, quod matutina, & veſpertina cognitio

Ad Secundum dicendũ, quod matutina, & vespertina cognitio ad diem pertinet, id est, ad Angelos illuminatos, qui sunt distincti à tenebris, idest à malis Angelis. Angeli autem boni cognoscentes creaturam, nõ in ea figuntur, quod esset tenebrescere, & noctẽ fieri; sed hoc ipsum referunt ad laudem Dei, in quo sicut in principio omnia cognoscunt. Et ideô post vesperam nõ ponitur nox, sed manè: ita quòd manè sit finis præcedentis diei, & principium sequentis, in quantum Angeli cognitionem præcedentis operis ad laudem Dei referunt. Meridies autem sub nomine diei comprehenditur, quasi medium inter duo extrema. Vel potest meridies referri ad cognitionẽ ipsius Dei, quæ non habet principium, nec finem.

Ad tertium dicendum, quod etiam ipsi Angeli creaturæ sunt. Vnde esse rerum in intelligentia Angelica comprehenditur sub vespertina cognitione, sicut & esse rerum in propria natura.

Conclusio est affirmatiua.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm vna sit cognitio matutina, & vespertina?

Locis suprà art 6 inductis.

AD Septimum sic proceditur. Videtur, quôd vna sit cognitio vespertina, & matutina. Dicitur enim Genes. 1. Factum est vespere, & manè dies vnus. Sed per diem intelligitur cognitio Angelica, vt Augustinus dicit. Ergo vna & eadem est cognitio in Angelis matutina, & vespertina. †Locis citatis in arric. præced in princ. cor.

¶ 2. Præterea Impossibile est, vnam potentiam simul duas operationes habere. Sed Angeli semper sunt in actu cognitionis matutinæ: quia semper vident Deum, & res in Deo, secundùm illud Matthæi 18. capite. Angeli eorum semper vident faciem Patris mei &c. Ergo si cognitio vespertina esset alia à matutina, nullo modo Angelus posset esse in actu cognitionis vespertinæ.

¶ 3. Præterea Apostolus dicit 1. Corin. 13. Cùm venerit, quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Sed si cognitio vespertina sit aliud à matutina, comparatur ad ipsam sicut imperfectum ad perfectum. Ergo non poterit simul vespertina cognitio esse cum matutina.

In contrarium est, quod dicit Augustinus * 4. super Genes. ad lit. quòd multùm interest inter cognitionem rei cuiuscumque in verbo Dei, & cognitionem eius in natura eius: vt illud meritô pertineat ad diẽ, hoc ad vesperam. †Lib 4. super Gene. c 23. in princ. tom. 3.

RESPONDEO Dicendum, quòd sicut dictum est, * cognitio vespertina dicitur, qua Angeli cognoscunt res in propria natura. Quod non potest ita intelligi, quasi ex propria rerum natura cognitionem accipiant, vt hæc propositio *in* indicet habitudinem principij: quia non †Ar. præc.

acci-

accipiunt Angeli cognitionem
1Q.55.a.3. à rebus, vt ſupra habitū* eſt. Relinquitur igitur, quod hoc dicit, quod in propria natura accipiatur ſecundùm rationem cogniti, ſecundùm quod ſubeſt cognitioni: vt ſcilicet cognitio veſpertina in Angelis dicatur, ſecundùm quòd cognoſcunt eſſe rerum, quod habent res in propria natura. Quod quidem per duplex medium cognoſcunt, ſcilicet, per ſpecies innatas, & per rationes rerum in Verbo exiſtentes. Non enim videndo Verbum, cognoſcunt ſolum illud eſſe rerum, quod habent in Verbo, ſed illud eſſe, quod habēt in propria natura: ſicut Deus per hoc, quôd videt ſe, cognoſcit eſſe rerum, quod habet in propria natura. Si ergo dicatur cognitio veſpertina, ſecundùm quôd cognoſcunt eſſe rerum, quod habent in propria natura videndo Verbum, ſic vna & eadem ſecundùm eſſentiam eſt cognitio veſpertina, & matutina, differens ſolùm ſecundùm cognita. Si verò cognitio veſpertina dicatur, ſecundùm quòd Angeli cognoſcunt eſſe rerum, quod habent in propria natura per formas innatas, ſic alia eſt cognitio veſpertina, & matutina. Et ita videtur intellige re Auguſt. cùm vnam ponat imperfectam reſpectu alterius.

Ad primum ergo dicendum quòd ſicut numerus ſex dierum
†Locis citatis in princ. art. præced. ſecundùm intellectum Auguſt.* accipitur ſecundùm ſex genera rerum, quæ cognoſcuntur ab Angelis: ita vnitas diei accipitur ſecundū vnitatem rei cognitæ: quę tamē diuerſis cognitionibus cognoſci poteſt.

Ad ſecundum dicendū, quòd duæ operationes poſſunt ſimul eſſe vnius potentiæ, quarum vna ad aliam refertur, vt patet, cùm voluntas ſimul vult & finem, & ea, quæ ſunt ad finem, & intellectus ſimul intelligit principia, & concluſiones per principia, quādo iam ſcientiā acquiſiuit. Cognitio autem veſpertina in Angelis refertur ad matutinam, vt Auguſtin.* dicit. Vnde nihil prohibet, vtrumque ſimul eſſe in Angelis.
*Lib. 4 ſuper Gen. c. 23. tom. 8.

Ad tertium dicendum, quòd veniente perfecto, euacuatur imperfectum, quod ſcilicet ei opponitur: ſicut fides, quæ eſt eorū, quę non videtur, euacuatur viſione veniente. Sed imperfectio veſpertinæ cognitionis non opponitur perfectioni matutinæ. Quod enim cognoſcatur aliquid in ſeipſo, non eſt oppoſitū ei, quôd cognoſcatur in ſua cauſa. Nec iterū, quod aliquid cognoſcatur per duo media, quorum vnum eſt perfectius, & aliud imperfectius, aliquid repugnās habet: ſicut ad eādem concluſionem habere poſſumus, & medium demonſtratiuū, & dialecticum: & ſimiliter eadē res poteſt ſciri ab Angelo per verbum increatum, & per ſpeciem innatam.

Prima concluſio.

Si cognitio veſpertina ſumatur pro cognitione, qua in Verbo videntur res ſecundùm proprias naturas, eadem eſt cognitio matutina, & veſpertina.

Secunda concluſio.

Si cognitio veſpertina ſumatur pro cognitione rerum per proprias ſpecies, ſic alia eſt cognitio matutina, & alia veſpertina.

DISPVTATIO VIII.

De modo cognitionis Angelicæ.

POSTQVAM Angelicus Præceptor explicuit præcedentibus quæstionibus ea, ad quæ intellectus Angeli potest se extendere, statim in hac quæst. de modo, quo cognoscit illa, sermonem instituit: & ideo ad hoc explicandum præsentem disputationem sub eodem titulo, sub quo D. Thom. hanc quæstionem proposuit excitamus.

DVBIVM I

Vtrum Angelus possit simul plura intelligere?

D. Thom. QVAMVIS D. Thomas primo loco in hac quæst. inquirat, an Angelus sit quandoque in actu, & quandoque in potentia? nos tamen consulto hac difficultate prætermissa, inquirimus in hoc primo dubio id, quod Sanctus Doctor in ar. 2. huius quæst. quærit. Nam quoad primum articulu huius quæst. spectat, nempe, vtrum Angelus sit quandoque in potentia, quandoque vero in actu? ibi tum discussimus quæst. 55. ex eo quod ibi etiam de hoc agit D. Thomas, partim vero id discutiemus infrà quæst. 63. articul. 1. Nam circa illum solum duo poterant scisciari, scilicet an intellectus Angeli sit quandoque in actu, quandoque vero in potentia quoad actum primum; scilicet quoad species? & de hoc late cum D. Thoma q. 55. diximus. Aliud vero, an quoad actus secundos debeat se per esse in actu, an vero possit aliquando esse in potentia? & de hoc loco relato agemus.

§. 1. *Iuxta Angelici Doctoris mentem difficultas dubij expeditur.*

Conclusio 2 DIcendum ergo est, Angelum posse simul multa intelligere per modum vnius, seu vt ordinata ad vnum & eadem intelligibile, non vero per modum plurium, id est, vt non habent ordinem inter se ad aliquod vnum intelligibile. Hæc est D. Thomæ articul. 2. huius q. his verbis: *Contingit autem, aliqua accipi vt plura, & vt vnum; sicut partes alicuius continui. Si enim vnaquæque per se accipiatur, plura sunt. Vnde & non vna operatione, nec simul accipiuntur per sensum, & intellectum. Alio modo accipiuntur secundum quòd sunt vnum in toto. Et sic simul vna operatione coonoscuntur, tam per sensum, quàm per intellectum, dum totum continuum consideratur, vt dicitur in 3. de anima. Et sic etiam intellectus noster simul intelligit subiectum, & prædicatum, prout sunt partes vnius propositionis, & duo comparata secundùm quòd conueniunt in vnica comparatione. Ex quo patet, quòd multa secundùm quòd sunt distincta, non possunt simul intelligi, sed secundùm quòd vniuntur in vno intelligibili, sic simul intelliguntur.* D. Thom.

Idem etiam docuit S. D. q. 8. de Verit. ar. 14. vbi sic inquit: *Secundum tamen quòd aliquid est vnum quodãmodo, & alio modo multa, sicut continuum est vnum in actu, & multa in potentia. Et in huiusmodi, si intellectus, vel sensus feratur, vt est vnum simul videtur. Si autem vt est multa, quod est considerare vnãquamque partem secundùm se, non sic potest totum simul videri. Et sic etiam intellectus, quãdo considerat propositionem, considerat multa, vt vnum: & ideo in quantum sunt vnũ, simul intelliguntur, dum intelligitur vna propositio, quæ ex eis constat: sed in quantum sunt multa, non possunt simul intelligi, vt scilicet intellectus simul conuertat se ad rationes singulorum secundùm se intuendas. Vnde Philosophus dicit in 6 met. Dico autem simul, & separatim intelligere affirmationem, & negationem, quasi non deinde, sed vnum, quid sit. Non enim simul intelliguntur, in quantum habent ordinem distinctionis ad inuicem, sed in quantum vniuntur in vna propositione.* Quod etiam docuit Angelicus Præceptor infra q. 85. art. 4. & in 2. dist. 3. q. 2. ar. 4. & in 3. dist. 14. quæst. 1. articul. 2. quæst. uncula 3. & 1. contra Gentes cap. 55. & quodlib. 7. artic. 2. Vnde Sanctum Doctorem sequitur Caiet. in præsenti & supra q. 12. articul. 10. in fine Capreol. in 2 dist. 3. quæst. 2. & Hispal. ibidem q. 2. articul. 4. in solutione ad secundum contra 2. conclu

Angelic. Præceptor

Hispalens

Caietanus

Capreolus

Ferrara. Nazar. concluſionem, Ferrara 1. contra Gentes capitul. 55. & capitul. vltimo, Nazarius articul. 2. huius quæſtionis controu. vnica, & alij plures.

Ratio fundamentalis

3 Ratio autem fundamentalis huius aſſertionis deſumitur ex D. Thoma locis citatis & præcipuè art. 2. huius q. quæ poteſt ſub hac forma proponi. Quoniam Angelus vna operatione non poteſt ſimul plura intelligere, vt plura ſunt, bene tamen vt ſunt vnum, ſeu vt ordinantur ad vnum & idem intelligibile: ſed non poteſt habere ſimul niſi vnicam dumtaxat operationem: ergo poterit ſimul cognoſcere plura, vt vnum, ſiue vt ordinantur ad vnum intelligibile, non vero plura, vt plura. Maior quoad priorem partem, ſcilicet quod non poſsit intelligere vna operatione plura, vt plura, videtur perſpicua ex principio illo, quod in præſenti adducit S. Doctor, ſcilicet, quod ſicut ad vnitatem motus requiritur vnitas termini, & ideo nequit ſtare vnitas illius ſine vnitate iſtius: ita ad vnitatem operationis requiritur vnitas obiecti: & propterea, hoc ipſo quod dentur plura obiecta, vt plura, nequeunt vna operatione ſaltem creata attingi. Quoad ſecundã vero partem eadem maior etiam liquet. Quoniam plura, vt ordinata ad vnum, ſolum ſunt de materiali plura, & de formali vnum: ideo que non ſunt plura per modum plurium, ſed per modum vnius. Conſtat autem, quod id, quod eſt formaliter vnum, poteſt vnica operatione ſimul attingi. Et tandem eadem maior quoad vtramque partem ſatis conſtat ex exemplo adducto à D. Thoma, nempe viſus, qui eadem viſione poteſt ferri ad partes continui, vt ſunt vnum in toto, non vero vt vnaquæque earum perſe conſideratur, & ſecundum quod omnes illæ ſunt multæ.

Minor autem probatur. Quoniam Angelus non poteſt ſimul vti pluribus ſpeciebus, ſed vna dumtaxat ſpecie: ergo ſimul ſolum poterit intelligere vnica tantummodo intellectione. Nam vnitas principij refundit vnitatem in operatione: & ita hoc ipſo, quod principium operandi ſit vnum, oportet, vt hæc vnitas ſplendeat in operatione, ac proinde ipſa etiam ſit tantum vnica.

§. II. *Solutio ad rationem D. Thomæ, & illius impugnationes.*

Enaſio Molinæ ad rationem D. Thomæ.

4 Nec obeſt, ſi occurras cum Molina, falſum eſſe, Angelum nõ poſſe ſimul vti pluribus ſpeciebus, aut plures intellectiones ſimul elicere, vt conſtat in intellectione beata, & propriæ eſſentiæ, nec non aliarum rerum naturalium, quas ſimul & de facto Angeli boni habent, & non vtcunque, ſed vtendo diuerſis ſpeciebus, nimirum, diuina eſſentia, & ſubſtantia Angelica, & alijs ſpeciebus inditis, & tandem non ordinando obiecta harum intellectionum ad aliquod vnum intelligibile. Poteſtque iuuari hæc ſolutio tum ex Valentia, Vazquez & Molina, exemplo viſus, & auditus, qui ſimul vtuntur diuerſis ſpeciebus, & eliciunt diuerſas viſiones, & auditiones: vt cum quis ſimul videt arbores interſe diſtantes & plura alia; & ſimiliter dum quis audiendo vocem alterius ſibi loquentis, audit etiam ſonum cymbalorum, aut aliquid huiuſmodi: cum tamen nec illa viſibilia ordinentur tunc ad aliquod vnum viſibile, nec illi ſoni ad aliquem alium ſonũ. & ſimiliter ſenſus communis vtitur ſimul diuerſis ſpeciebus, & elicit plures operationes; ſentiendo ſimul ſenſibilia aliorum ſenſuum externorum non habentium inter ſe ordinẽ. Tum etiam exemplo intellectus Angelici, qui vtitur ſimul omnibus ſuis ſpeciebus inditis, vt infra quæſt. 63. artic. 1. fatebimur: cum tamen prædictæ ſpecies ſint inter ſe diſparatæ, & repræſentent obiecta etiam diſparate ſe habentia, ac proinde debet ferri ſimul in illa per diuerſas intellectiones. Tum denique ex Suarez loco infra referendo ibi num. 26. Quia eſto Angelus intelligat per vnicam dumtaxat ſpeciem, non eſt neceſſarium, vt per vnicam tantummodo operationem intelligat. Quia etſi habeat plures intellectiones mediante illa ſpecie: omnes tamen illæ ſunt inadæquatæ reſpectu prædictæ ſpeciei. Conſtat autem, non deſtruere vnitatem principij operandi, quod ab illo prodeant ſimul plures operationes inadæquatæ, non habentes inter ſe contrarietatem, quamuis tales operationes non ordinentur ad aliquod vnum obiectum *quod*.

Valentia Vazquez Molina

Eliditur

5 Non igitur hæc obſtant, nec vim rationis Diui Thomæ infringunt, ſi recte, & iuxta mentem Angelici Doctoris intelligatur. Nam iuxta illius mentem ratio facta ſolum procedit de intellectionibus eiuſdem generis, & ordinis, & ſimiliter de ſpeciebus, quæ ſint etiã eiuſdẽ ordinis. Vnde hinc ſolutio illa ſic impugnatur. Quoniam repugnat, aliquid moueri ſecundum eãdem partem ſimul pluribus motibus eiuſdem generis & ordinis. ergo etiam repugnabit, Angelum moueri ſimul pluribus motibus, aut quaſi motibus multarum intellectionum eiuſdem generis & ordinis: ergo cum vnico motu intellectionis nequeat plura, vt plura, intelligere, bene tamen plura, vt vnum: conſequens erit, vt Angelus ſolum poſſet intelligere plura per modum vnius, non vero per modum plurium. Vtraque conſequentia videtur perſpicua. Antecedens autem declaratur, & probatur ſic. Quia quod idem ſecundum eandem partem nequeat moueri ſimul prædictis motibus, non ſolum eſt verum in motibus contrarijs, vt de ſe patet. aut de motibus ab eadem numero forma proueuientibus, vt de ſe etiã liquet, ſed etiã de moti-

de motibus alijs, qui fiunt ſecundum eandem partem, & ſecundum formas diuerſas conuenientes tamen in eodem genere proximo & ordine. Nam licet ſecundum vnam partem, vt ſecundum brachium, poſsit homo moueri deorſum, & ſecundum aliam, nempe pedē ſurſum: at ſecundum eandem partem id, impoſsibile eſt, loquendo de motu per ſe (de quo in præſenti.) Et rurſus, quamuis ſecundū formas diuerſi generis poſsit pluribus motibus ſimul moueri, vt ſecundum quantitatem augeri, ſecundum colorem alterari, & ſecundum locum moueri localiter, nihilominus ſecundum formas eiuſdem generis & ordinis id non poteſt: & propterea nequit ſimul dealbari, aut denigrari ſecundum eandem partē. Ergo ſimiliter quoad præſens in motibus, aut quaſi motibus intelligendi, qui ſint eiuſdem generis & ordinis, dicendum eſt, non poſſe Angelum ſimul pluribus ex illis moueri. Quæ impugnatio deſumpta eſt ex D. Thoma quodlibeto 7. ar. 2. vbi loquens de formis, & ſpeciebus intelligibilibus eiuſdem generis & ordinis, ſic inquit: *Nec poteſt dici, quòd intellectus informetur perfectè ſimul pluribus ſpeciebus intelligibilibus, ſicut vnum corpus ſimul informatur figura, & colore: quia figura, & color non ſunt formæ vnius generis, nec in eodem ordine accipiuntur: quia non ordinantur ad perficiendum in eſſe vnius rationis, ſed omnes formæ intelligibiles, in quantum huiuſmodi, ſunt vnius generis, & in eodem ordine ſe habent ad intellectum in quantum perficiunt intellectum in hoc, quod eſt eſſe intellectum in actu. Vnde plures ſpecies intelligibiles ſe habent ſicut figura plures, vel plures colores, qui ſimul in actu in eodem eſſe non poſſunt ſecundùm idem.*

D. Thom.

Confirm. 1.

6 Confirmatur, & explicatur 1. Quoniam prædictæ intellectiones non ſolum ſunt actus eiuſdem generis & ordinis, ſed etiam comparantur per modum vltimæ actualitatis, ſeu vltimi termini reſpectu intellectus, & ſpeciei intelligibilis, a quibus procedunt: ergo nequeunt ſimul procedere ab illis, hoc ipſo quod diuerſæ ſint. Patet conſequentia. Quia fieri nequit, vt vna & eadem potentia, vnaque & eadem forma ſit terminata pluribus actualitatibus vltimis, pluribuſque vltimis terminis. Sicut repugnat, quod eadem linea verſus eandem partem ſit terminata pluribus punctis; vel quod idem corpus ſit figuratum ex eadem parte pluribus & diuerſis figuris: quia figura eſt terminus quantitatis. Et ita generaliter loquendo, quælibet potentia terminata actualitate vltima, ita expletur per illam, vt licet ea abiecta poſsit recipere aliam: non tamen ſimul cum præexiſtenti. Sicut materia prima non poteſt recipere aliam formam ſimul manente priori, quia prædictæ formæ ſunt vltimi termini: ideoque prima actuat totam potentiam illius pro tempore, pro quo durat: alioqui per illam eſſet, & non eſſet vltimo terminata, vltimoque actuata. Sic ergo quoad præſens proportione ſeruata philoſophandum eſt.

Secunda.

Confirmatur, & explicatur ſecundò ex diſcrimine, quod intercedit inter formas, & actualitates eiuſdem generis, & ordinis, & illas, quæ ſunt diuerſi ordinis. Nam formæ diuerſi ordinis poſſunt ita inter ſe comparari, vt vna ſit ratio alterius, vnaque determinet potentiam ad alteram, & eam ſibi ſubordinet: & propterea non comparantur per modum actus, & actus vltimi: & ita non mirum, quod ſint ſimul. Maximè, quia iuxta probabilem illum modum dicendi, quem in hoc dubio ex Ferrarienſi adducemus, non reſpiciunt eandem potentiam ſub eadem prorſus ratione formali, & propterea ipſa potentia ordine quodam per illas actuatur: atque adeò ita vt actuetur per vnam dependenter ab alia determinante ad illam priorem. Cæterum formæ, & actualitates eiuſdem generis, & ordinis eo modo comparantur cum potentia: & ita, ſi vna eſt vltima, etiam altera id ipſum habet: vnaque non determinat ad aliam, nec eam ſubordinat ſibi. Et propterea, hoc ipſo quod potentia actuaretur per vtramque, actuaretur ſimul per duas actualitates vltimas, quippe quæ ſunt eiuſdem rationis, & ordinis: & non eſt maior ratio, propter quam vna ſit actualitas vltima, & non altera: & propter eandem rationem per quamlibet expletur tota potentialitas potentiæ pro tempore, pro quo durat. Quare, cum oſtenſum ſit, intellectiones, de quibus loquimur, eſſe formas, & actualitates vltimas eiuſdem generis & ordinis, ac proinde inter ſe non ſubordinatas: cōſequens eſt, quòd iſtæ non poſſunt ſimul, hoc ipſo quòd diuerſæ ſint, eſſe vt tales ſimul in eodem intellectu.

7 Quæ omnia optimè explicuit, & teſtimonio D. Thomæ elucidauit Hiſpalenſ. in 2 diſt. 3. quæſt. 1. artic. 4. in ſolut. ad 2. contra nonam concluſionem, vbi ſic ait: Vna, & eadem potentia ſimul, & ſemel vno actu, non pluribus eiuſdem rationis perficitur, & terminatur. Et ratio eſt. Quia ſi actus ſunt eiuſdem rationis habent æqualem proportionem ad potentiam, quam reſpiciunt: & ita vno actu actuante, & determinante potentiam, nihil potentiæ remanet, quod per alium actum perficiendum, & actuandum relinquatur: quemadmodum materia actuata per formam nihil potentiæ habet, quod perfici, & actuari poſsit per aliam formam eiuſdem rationis. Vnde Sanctus Thomas 1. p. q. 85. art. 4. in corpore loquens de formis eiuſdē generis & ordinis: *Impoſsibile eſt* (inquit) *idem ſubiectum perfici ſimul pluribus formis vnius generis, & diuerſarum ſpecierū, ſicut impoſsi-*

Hiſpalēſ.

S. Thom.

impoſsibile eſt, quòd idem corpus ſecundùm idem ſimul coloretur diuerſis coloribus, vel figuretur diuerſis figuris. Omnes autem ſpecies intelligibiles ſunt vnius generis, quia ſunt perfectiones vnius intellectiuæ potentiæ: licèt res, quarum ſunt ſpecies, ſint diuerſorum generũ. Impoſsibile eſt ergo, quòd idem intellectus ſimul perficiatur diuerſis ſpeciebus intelligibilibus ad intelligendum diuerſa in actu. Hucuſque Hiſpalenſis.

Alia euerſio ſolutionis Molinæ

8 Tandem contra eandem ſolutionem adhiberi poteſt alia impugnatio deſumpta ex D. Thoma. Quoniam ſi intellectus haberet ſimul plures intellectiones, vt plures, intelligeret vtique per ſe primo quodlibet ex illis obiectis ſimul, quatenus non ſunt vnum ſed plura: ergo etiam fieret ſimul illa plura: quandoquidem intellectus intelligendo fit vnum in *eſſe* intelligibili cum obiecto per ſe primo intellecto. Hoc autem dici nequit. Nam ſicut vna & eadem res nequit in *eſſe* naturali fieri v.g. homo, & lapis: ita nec in *eſſe* intelligibili, ſed ad ſummum in hoc ordine poteſt fieri vnum cum pluribus, vt habentibus rationem vnius.

Corroboratur teſtimonio D. Th.

Quam impugnationem adduxit Angelicus Præceptor quodlib. 7. art. 2. his verbis: *Intellectus ſecundùm actum eſt omninò, ideſt perfectè, res intellecta, vt dicitur in 3. de anima &c. Vnde intellectum ſimul plura actu intelligere primò, idem eſt ac ſi res vna ſimul eſſet plura. In rebus enim materialibus videmus quod vna res numero non poteſt eſſe ſimul plura in actu, ſed plura in potentia, vel ſecundùm diſpoſitionem poteſt eſſe vnum & idem. Idem enim aer eſt ſimul potentia aqua, & ignis: & poſſunt etiam ſimul diſpoſitiones ad vtrumque quantum ad aliquid ineſſe eidem, ſicut ſi aer ex vna parte calefieret, & ex alia inſpiſſaretur: ſed quòd aer ſimul actu ſit ignis, & aqua, eſt impoſsibile: & ſimiliter etiam quòd aliquid ſit ſimul actu lapis, & ferrum, quæ non videntur contraria, ſed diſparata. Intellectus autẽ ex ipſa ratione ſuæ potentiæ eſt ſimul potentia omnia intelligibilia &c. Et ſimiliter in intellectu in habitu ſunt ſimilitudines intelligibiliũ, vt diſpoſitiones: ſed quando ſunt actu intellectæ, ſunt in eo vt formæ perficientes, & tunc intellectus fit omnino res intellecta &c. Vnde patet, quòd ſicut vna res materialis non poteſt eſſe ſimul plura actu: ita vnus intellectus non poteſt ſimul plura intelligere primò. Et hoc eſt, quod Algazen dicit, quòd ſicut vnum corpus non poteſt ſimul figurari pluribus figuris, ita vnus intellectus non poteſt ſimul plura intelligere.*

Vlterius roboratur ratione.

Confirmatur, & explicatur ratione deſumpta ex eodem D. Thoma loco nuper citato in principio corporis. Quoniam per hoc, quod aliquis intelligat ſimul plura ſecundario, & ex conſequenti, non ſequitur, debere fieri plura in actu, & ſimul ſed ſolum debere fieri in actu id, quod primo intelligit, nempe illud vnum, ad quod habent ordinem prædicta plura, & hoc nullum eſt inconueniens: at ſi intelligãtur plura per modum plurium, tunc quodlibet intelligitur per ſe primo: & ita intellectus deberet fieri in actu, & ſimul illa plura, vt plura.

9 Nec id, quod in fauorem huius ſolutionis, quam impugnamus, adductum eſt de intellectione beata, & propriæ eſſentiæ, nec non de cognitione aliarum rerum naturaliũ, quæ ſimul ſunt in Angelis beatis, vna cum tribus ſpeciebus ad id ſimul deſeruientibus, obſtat. Quoniam prædictæ intellectiones, & ſpecies intelligibiles, quibus fiunt, non ſunt inter ſe ſubordinatæ: & quatenus concatenãtur per hanc ſubordinationem: non cenſentur plura vt plura, ſed plura, vt vnũ. Vnde Angelicus Præceptor hoc ipſũ explicans, & exẽplificans in cognitione, qua Angelus ſe intelligit per ſuam ſubſtantiam, & in illa, qua intelligit aliquid aliud per ſpecies inditas, ſic in quæſt. 8. de Veritate artic. 14. ad 6. inquit: *Mens Angeli intelligit ſe per eſſentiam ſuam, qua ſemper informatur: mens autem noſtra forte intelligit quodammodò per intentionẽ. Nec tamen cùm mens Angeli quodammodo ſe intelligit, & aliquid aliud, intelligit ſimul multa niſi vnum. Quod ſic patet. Si enim aliqua duo ita ſe habeant, quòd vnum ſit ratio intelligendi aliud, vnum eorum erit quaſi formale, & aliud quaſi materiale: & ſic illa duo ſunt vnum intelligibile, cùm ex forma, & materia vnum conſtituatur. Vnde intellectus quando intelligit aliquid per alterum, intelligit vnũ tantum intelligibile, ſicut patet in viſu: Lumẽ enim eſt quo videtur color: vnde ſe habet ad colorem quaſi formale: & ſic color, & lumen ſũt vnum tantum viſibile, & ſimul à viſu videtur. Eſſentia autem Angeli eſt ei ratio cognoſcendi omne, quod cognoſcit, quamuis non perfectè, propter quod formis ſuperadditis indiget. Cognoſcit enim omnia per modum ſubſtantiæ ſuæ, vt dicitur in lib. de cauſis, & ſecundùm propriam virtutem, & naturam, vt dicit Diony. 7. capit. de diuinis nominibus. Vnde cùm intelligit ſe, & illa, non intelligit ſimul multa, niſi vt vnum.*

Angelic. Præcept.

10 Idem etiam explicuit S. Doctor loco citato ex q. de Verit. in ſolutione ad 11. Nam cum ſibi ſic obiiciſſet *Plus diſtat eſſentia diuina à formis creatis, quàm vna forma creata ab alia. Sed Angelus ſimul intelligit per eſſentiam diuinam, & per formam creatam: cùm enim ſemper res in Verbo videat, niſi ſemel poſſet per ſpecies innatas res cognoſcere numquam res per ſpecies innatas intelligeret: Ergo multò fortiùs poteſt ſimul per formas concreatas intelligere:* & ſic poteſt multa intelligere ſimul Sic reſpondet: *Ad 11. dicendum, quòd*

quod essentia diuina est ratio omnium formarum concreatarum Angelo, cùm ex ea velut exemplatæ deriuentur: non autem vna forma est ratio alterius: & ideò non est simile.

Amplius illustratur

Consonatque hoc cum ipsis naturis harum specierum, & intellectionum. Nam essentia diuina, qua elicitur visio beata, est forma eminentissima, continens quicquid aliæ formæ intelligibiles: & ideo illas sibi, & intellectiones elicitas ab eisdem subordinat, potestque esse ratio determinans ad vsum aliarum specierum, & ad cognoscenda obiecta per illas repræsentata. Et deinde substantia Angeli, vt habet rationem speciei intelligibilis, est ratio proprio intellectui Angelico ad intelligendum se ipsam, & ex intellectione sui fit in actu ad hoc, vt possit vti quauis alia specie indita: & quoad vsum illius speciei, nempe suæ essentiæ, motus fuit à Deo, vt ab auctore naturæ, speciali motione & applicatione, vt hinc se posset mouere pro libertate voluntatis ad vtendum qualibet specie indita. Et tandem eadem essentia aliquo modo (licet imperfecto) est species superexcellens, comparata ad species inditas, & à Deo superadditas: quatenus confuse repræsentat quicquid alia species: ex eo quod repræsentat se ipsam, vt petentem omnes illas sibi infundi à Deo: ac proinde eodem modo repræsentat easdem, necnon & obiecta illarum. Et ita prædicta essentia potest esse ratio determinans aliquo modo intellectum ad vtendum alijs speciebus inditis: & per cõsequens istæ illi subordinabuntur.

Ferrara.

Adde, probabile satis esse id, quod docet Ferrara 1. contr. Gent. cap. 51. & cap. vltimo, quod istæ species, de quibus loquimur respiciunt distinctas formaliter potentias: & ideò non mirum, quod possit Angelus simul vti illis, simulque esse secundum quamlibet ex his potentijs vltimo actuatus per illas. Quia etsi vnica & eadem formaliter potentia nequeat simul pluribus vltimis actualitatibus actuari, bene tamen plures formaliter distinctæ.

Dilucidatur vlterius

Potestque hoc explicari ex eo, quod licet intellectus sit vnica tantum virtus, & potentia secundum rem, habet tamen rationem multarum potentiarum, iuxta diuersitatem actuum, quibus perficitur. Vnde, cum possit perfici & actuari actu supernaturali, & substantiali, qualis est essentia diuina, & actu substantiali ordinis naturalis, qualis est essentia Angelica, & actu accidentali, & naturali, scilicet speciebus naturalibus inditis: inde est, vt iuxta diuersitatem horum actuum, & diuersũ modũ perficiendi intellectum, debẽt esse diuersæ saltem virtualiter, vel formaliter potentiæ ad illos. Et propterea intellectus Angelicus secundum has varias rationes potentiæ potest simul habere diuersas intellectiones. Nec id negauit D. Thomas; sed solum de intellectionibus, quæ comparantur ad intellectum secundum eandem rationem potentiæ.

Replica.

11 Nec obest si vrgeas, non cohærere ista cum illis, quæ in primo tomo tract. 3. disput. 2 à num. 74. diximus, scilicet, speciem intelligibilem, quæ sit accidens, & repræsentet naturam, v.g. Angeli Michaelis, & ipsam essentiam Michaelis, vt habentem rationem speciei intelligibilis respectu sui, esse eandem formalissimè speciem, nec distingui adhuc numero in ratione speciei: ergo ex eo quod vna sit substantia, & alia accidens, non arguetur diuersitas formalis in Angelo in ordine ad illas: ergo nec in ordine ad species inditas, & essentiam eiusdem Angeli, vt habet rationem speciei.

Solutio.

Respõdetur enim, posse illa cum istis probabiliter cohærere, si dicatur, antecedens esse verum de prædicta specie in ordine ad obiectum, quia vtraque dicit eandem naturam, & sub eadem immaterialitate ex parte obiecti: secus in ordine ad potentiam, quia quoad hanc multum attenditur ad modum essendi substantialem, vel accidentalem.

Alia replica.

12 Nec etiam obest, si iterum vrgeas, hos actus esse inadequatos, nõ vero adæquatos: & ita non arguere distinctionem, adhuc formalem, potentiarum. Nam ad hoc dicendum est, esse inadæquatos respectu totius illius potentiæ intellectiuæ secundum rem, nõ tamen vt virtualiter distinctæ: tum, ne essentia diuina recipiatur in potentia naturali, vt talis: tum ne detur, eandem formaliter potentiam, aut eaidem formales potentias sub eadem ratione formali consideratas actuari simul duabus vltimis actualitatibus. Quæ tamen actuatio non sequitur, si istæ species sint in distinctis formaliter potentijs, vel in vna sub diuersa formaliter ratione, quatenus non nisi vt actuata per vnam, potest actuari per aliam: ac proinde formaliter loquendo, tãtum est ibidem vnica dumtaxat vltima actualitas, quando illæ species reducuntur ad actum perfectum.

Soluitur.

Elucidatur solutio.

Potestque hoc magis explicari. Tum, quia species, qua Angelus se ipsum intelligit, per se videtur petere in ordine ad potentiam intellectiuam, quod actuet per modum substantiæ: ex eo quod non est dabilis species intelligibilis, quę sit accidens, per quam reddatur intelligibilis substantia Angeli respectu proprij intellectus, iuxta illa, quæ in 1. tom. tract. 2. disp. 2. num. 100. diximus. Et ita videtur petere distinctam formaliter potentiam, ac petunt species, quæ possunt esse accidẽs secundum *esse* entitatiuum quod afferunt: quia *esse* entitatiuum peculiari ratione respicit potentiam, vt actus illius. Tum etiam, quia essentia diuina, etiam vt habet rationem

tionem ſpeciei intelligibilis, affert per ſe *eſſe entitatiuum* ſubſtantiale: & loquendo, non quidem de potentia remota & radicali intellectus creati, cui vnitur, ſed de proxima, exigit potentiam ſupernaturalem, id eſt eundem intellectum, vt elenatum lumine gloriæ.

Ad primam inſtantiam reſpõdetur. *D. Thom.*

15 Nec tria illa num. 4. adducta ad iuuandam ſolutionem rationis D. Thomæ in fauorem aduerſariorum, obſtant. Non quidem primum de ſenſibus externis, & ſenſu communi. Nam ad hoc optime reſpondet D. Thom. quodlib. 7. art. 2. ad 1. his verbis: *Dicendum, quod ſimiliter dicendum eſt de potẽtia ſenſitiua, id eſt quod non poteſt plura ſimul ſentire, ſed ex conſequenti, in quantum plura accipiuntur vt vnum: ſicut plura ſenſibilia vniuntur in vna differentia, & plura ſenſibilia, quæ ſunt partes, vniuntur in vno toto. Vnde quando ſentitur totum, ſentiuntur ſimul plures partes ex conſequenti: & tunc intentio ſenſus non fertur ad aliquam partium principaliter, ſed ad totum: quia ſi ad aliquam partium ferretur, vt ad ſenſibile principale, non ſimul ſentirentur alia. Et iterùm ſenſus communis, quamuis ſit vna potentia ſecundum eſſentiam, tamen aliquo modo multiplicatur ſecundùm eſſe, in quantum coniungitur diuerſis ſenſibus propriis, ſicut vnum centrum coniungitur pluribus lineis. Vnde immutationes omnium ſenſibilium ſimul terminantur ad ſenſum communem: ſicut motus, qui eſſet per omnes lineas poſſet ſimul terminari ad centrũ. Sed intellectus non multiplicatur modo prædicto in plures potentias. Et ideò non eſt ſimile.*

Adde primo (& explicabitur magis hoc ipſum quoad ſenſus externos) quod ad hoc vt viſus terminetur ad plura, vt vnum, non eſt neceſſe, plura illa componere vnum per ſe, ſed ſatis eſt, ea eſſe ſic quoad ſitum diſpoſita, vt vnum quodãmodo efficiant, poſſintque vno (vt ſic dicamus) ictu tangi, & videri: vt patet in faſciculo florum &c.

Adde 2. quod in ſenſibus, propter extẽſionẽ organi, & potentiæ v. g. viſiuæ, poſſũt ſimul dari plures viſiones in diuerſis partib⁹

Adde tertio, quod dato, aliquando contingere aliqua audiri, aut videri, vt plura, & non vt vnum, & nihilominus à nobis iudicari quod videntur ſimul, tunc corrigendum eſt illud iudicium rationibus factis, & iudicandum, occaſionem huius deceptionis eſſe breuiſſimam & imperceptibilem moram, quæ inter vnam, & aliam viſionem, aut auditionem intercedit.

Ad ſecundã inſtantiam.

14 Nec obeſt etiam ſecundum de intellectu Angelico vtente ſimul omnibus ſuis ſpeciebus. Tum, quia hic vſus poteſt ordinari ad vnum aliquod obiectum omnino ſingulare perfectius cognoſcendum, vt contingit, quando ad perfectiorem cognitionem Dei auctoris naturalis vtitur Angelus ſimul prædictis ſpeciebus, vt multi ſatis probabiliter volunt: & propterea beatitudinem naturalem Angeli, dicũt, in hac cognitione, quippe è omnium excellentiori, conſiſtere. Tum etiam, quia prædictus vſus poteſt ordinari ad aliquod aliud vnum, ſcilicet ad cognoſcẽdum, quæ, & quanta ſit collectio intelligibilium naturalium, ad quæ intellectus Angelicus naturaliter, & quoties voluerit, ſe extendere poteſt: & ita omnia illa comparantur, vt quodammodo vnica numero collectio: & ad illã ſic attingendam ſatis eſt vnica dumtaxat intellectio. Quare, licet dato, quod tangi omnia intelligibilia ab Angelis ſub eadem præciſè ratione *ſub qua* generica non ſufficiat ad hoc, vt intelligãt plura per modum vnius: nihilominus, ſaltem quoties obiectum *quod* per ſe primò intellectum fuerit quodammodo aliquod vnum numero, ad quod plura ordinentur, ſemper intelliguntur illa per modũ vnius. Vnde D. Thom. quod lib. 7. art. 2. in ſolut. ad ſecundum cum ſibi ſic obpoſuiſſet: *Plura intelligibilia poſſunt ſimul cognoſci, in quantum ſunt vnum. Sed omnia intelligibilia ſunt vnum, in quantum ſunt intelligibilia. Ergo omnia intelligibilia poſſunt ſimul cognoſci.* Sic reſpondet: *Dicendum quòd cognoſcibilia, quæ ſimul cognoſcuntur, oportet, quod accipiãtur vt cognoſcibile vnum numero. Omnia autem intelligibilia, in quantum huiuſmodi, ſunt vnum genere, non numero. Et ideò ratio non ſequitur.* D. Thom.

Et ſimiliter in quæſt. 8. de Verit. art. 14. ad idem argumentum, quod in ordine eſt ibidem decimũ, inquit, quod dummodo omnia illa intelligibilia intelligantur, vt faciunt vnum intelligibile, ita vt ipſa intelligibilitas intelligatur vt forma reddens omnia illa intelligibilia, atque adeo dummodo intelligantur, vt faciunt prædictam collectionem, poterunt prædicta intelligibilia ſimul attingi: & ideo ſic inquit: *Dicendum quòd ſicut omnia ſunt intelligibilia: ita ſimul intelliguntur, in quantum ſunt intelligibilia, & hoc eſt dum ipſa intelligibilitas intelligitur.* Quæ omnia fient adhuc magis manifeſta ex illis, quæ infra quæſt. 63. art. 1. diſput. 9. num. 57. dicemus, nempe, hanc cognitionem omnium intelligibilium ſaltem confuſam, eſſe ſatis accõmodatam & congruentem ad hoc, vt Angelus poſſit pro ſua libertate mouere ſe ad cognitionem perfectiorẽ huius, vel illius obiecti.

Replica.

15 Nec obeſt ſi vrgeas, quod Angelus, v. g. inferior nequiret vti vna ſpecie repræſentante omnia illa intelligibilia: ergo nec pluribus à Deo infuſis ad omnia illa ſimul cognoſcenda: quandoquidem omnes iſtæ ſpecies æquiualerent illi vnicæ.

Solutio.

Reſpondetur enim, negando conſequentiam. Quia illa vnica ſpecies eſſet altioris ordinis,

ordinis, ſecus vero omnes adhuc ſimul ſumptæ: quia non ſunt ſuperioris ordinis per hoc, quod ſic vniantur, ſed ſicut quælibet eſt attemperata virtuti Angelicæ, ſic omnes in ordine ad prædictam cognitionem.

Ad tertiam inſtantiam.

Et tandem nec tertium, quod ad prædictam ſolutionem iuuandam adducebatur, obeſt. Quoniã quod aliqua intellectio ſit inadæquata actiuitati intellectus, aut alicuius ſpeciei, ſolum probat, poſſe loco illius dari aliam intellectionem; aut ad ſummum (de quo infra) poſſe intellectum habere illam, & alias intellectiones, ordinatas tamẽ ad vnum: quod quidem non poſſet contingere, ſi prædicta intellectio eſſet adæquata: quia tunc in nullo euentu poſſet aliam præter ipſam elicere. Non tamen ſuadet, quod poſsit ſimul dari talis intellectio vna cum alia intellectione non habẽte prædictum ordinem. Quoniam quantumuis illæ intellectiones eſſent inadæquatæ, quatenus quælibet illarum poſſet deperdi, & loco illius alia dari: attamen (vt iam diximus) quæuis pro tempore, pro quo durat, explet potẽtialitatem intellectus, ſicut de materia prima, & forma ſubſtantiali dicebamus: quia quæuis eſt vltimus terminus, vltimaque actualitas pro eo tempore, pro quo habet durare. Vtrum autem poſsint in Angelo dari duæ intellectiones eiuſdem ordinis, ſimul tendẽtes ad vnum, & vnam quodammodo conſtituentes ex infrà dicendis patebit.

§. III. *Corollaria notatu digna ex dictis deducuntur.*

Duplex obiectio Scoti.

16 EX quibus omnibus fit primo, manere ſolutam duplicem obiectionem Scoti in 1. diſt. 2. q. 1. in 3. part. illius diſtinctionis in reſpõſione ad tertium argumentum, vbi arguens cõtra probationem illam à nobis ex D. Thom. adductam, ſcilicet, quod ſicut vnum corpus non poteſt ſimul diuerſis figuris figurari, ita nec intellectus pluribus intellectionibus, vt pluribus, actuari, reprehendit Algazem, auctorem huius ſimilitudinis, dicitque, illam nihil valere propter duo. Primo. Quia in intellectionibus tollitur id, quod ibi poſſet eſſe ratio impoſsibilitatis: quia rationes oppoſitorum nõ ſunt oppoſitæ in intellectu, vt patet in 9. Met. cùm tamen figuræ illæ habeant inter ſe aliquam oppoſitionem. Secundo. Quia ſpecies intelligibiles non ſunt figuræ, ſed formæ ſimplices, ſecundum Commentatorem 6. Met.

Ad primã reſpõdetur. Caiet. D. Thom.

Ex dictis igitur conſtat, hæc manere ſoluta. Nam ad primum dicendum eſt, quod (vt bene notauit Caietanus cum D. Thom. 1. 2. q. 54. art. 1. ad vltimum) ratio ſimilitudinis conſiſtit in hoc, quod eſt terminare. Sicut enim figura eſt terminatio corporis, ſic ſpecies intelligibilis, non in habitu, ſed in actu, eſt terminatio intellectus, vt ex ſupra dictis patet. Et propterea, ſicut impoſsibile eſt, idem corpus ſimul pluribus terminis terminari: ita intellectum pluribus ſpeciebus in actu, vel vnica cum pluribus intellectionibus, vt pluribus. Vnde ad obiectionem primam dicitur, quod peccat ſecundum non cauſam, vt cauſam. Non enim cauſa impoſsibilitatis figurarum eſt oppoſitio proprie dicta: cum inter figuras non ſit contrarietas. Congruitque hoc cum his, quæ D. Thom. quodlib. 7. ſæpius cit. art. 2. in ſolut. ad quartum his verbis tradit: *Nõ ſolùm prohibetur res aliqua eſſe plura contraria actu ſimul, ſed etiam plura eſſe diſparata, vt patet ex dictis. Vnde quãuis formæ intelligibiles in intellectu non ſint contrariæ; nihilominùs tamen intellectus prohibetur ſimul plura intelligere.* D. Thom.

Ad ſecundã

Ad ſecundam autem dicitur, quod ſpecies intelligibiles in actu non ſunt vt figuræ quoad multa, puta extenſionem, diuiſionem, &c. Sunt tamen vt figuræ quoad hanc conditionem, ſcilicet, terminare id, cuius ſunt: & hoc ſtat cum ſimplicitate formæ: imo ex ſua ſimplicitate addunt, quod termini ſint in tam excellenti *eſſe*, quale eſt *eſſe* intellectiuum.

Effugiũ P. Suarez.

17 Fit ſecundo, relinqui impugnatam aliam ſolutionem à Suarez loco infrà numerõ 21. referendo adductam, ſcilicet, exemplum allatum de figuris eſſe valde extrinſecum, & quaſi metaphoricum. Vnde poſſet negari conſequentia ſine alia ratione differentiæ, ſolum quia nulla eſt connexio inter antecedens, & conſequens. Ex dictis igitur liquet, relinqui hoc impugnatum: ſiquidem paritatẽ ſufficiẽtem quoad hoc ex D. Thoma adduximus, vt intuenti patebit.

Præiudicatur.

Obiectio Vazquez.

18 Fit tertio, manere etiam ſolutam aliam obiectionem, quæ ex Vazquez diſp. 220. cap. 3. adduci poteſt. Nam ibi ait, falſum eſſe præcipuum fundamentum, in quo innitimur, nempe, plures eiuſdem generis, & ordinis qualitates non poſſe eſſe ſimul in eodem ſubiecto, ſiquidem conſtat, plures qualitates naturales eiuſdem generis poſſe eſſe ſimul, quando contraria non ſunt. Et ſimiliter nullus negat, in eadem facultate intelligẽte eſſe plures ſpecies intelligibiles impreſſas, per quas conſtituitur intellectus in actu primo, quæ tamen ſunt ſub eodem genere.

Euaneſcit.

Ex dictis igitur liquet, obiectionem hãc manere ſolutam. Quia ſaltem plures qualitates, aut ſpecies intelligibiles in actu perfecto, vt v. g. ſpecies ſub actu intelligendi, non poſſunt ſimul dari; imo nec vna ſpecies terminata ſimiliter pluribus intellectionibus, vt pluribus, & ſimul in intellectu inuentis, vt explicatũeſt. Vnde Angelicus Doctor quod-

Angel. Doct.

libeto

libeto citato opponens sibi hãc eandem obiectionem, sic illi occurrit in solutione ad tertium: *Dicendum, quòd iam patet ex prædictis, quòd non eodem modo se habet intellectus in habitu ad intelligibilia in habitu, quæ sunt in ipso vt dispositiones, & intellectus in actu ad intelligibilia in actu, quæ sunt in ipso vt vltimæ perfectiones.* Et propter eadem rationem reddens causam, propter quam plures species sensibiles possunt esse in medio simul, etiam si considerentur vt plures, & nihilominus plures species intelligibiles, vt tales, non possunt actu esse simul in intellectu, ita vt per illas plura, vt plura, simul intelligantur actu, sic ait in solut. ad 5. *Dicendum, quòd species sensibiles, quæ sunt in medio deferẽte, sunt ibi per modum dispositionis, & non per modum vltimæ perfectionis, quia sunt ibi sicut in quodam fluxu: & ideò non est simile* Et similiter explicãs hoc adhuc magis quæst. 8. de Verit. art. 14. in corpore, sic inquit: *Hæ igitur formæ in subiecto tripliciter esse dicuntur. Vno modo in potentia tantùm: & sic sunt simul: quia vna potentia est contrariorum, & diuersarum formarum vnius generis. Alio modo, secũdùm quòd sunt in actu imperfecto, vt cùm sunt in fieri: & sic etiã simul esse possunt, vt patet, cùm aliquis dealbatur: tunc enim toto dealbationis tempore albedo ineſt vt in fieri, nigredo verò vt in corrumpi. Tertio modo vt in actu perfecto, vt cùm iam albedo est in termino de albationis: & sic impossibile est, duas formas vnius generis esse simul in eodem subiecto: oporteret enim, eandem potentiam ad diuersos actus terminari, quod est impossibile, sicut & vnam lineam ex vna parte terminari ad diuersa puncta*: Consonatque valde hæc cum Philosopho 2. Topic cap. 4. vbi inquit: *Contingit intelligere vnum, scire verò plura.* Quæ verba sic explicat D. Thomas quæst. 8. de Verit. art. 14. ad 7. *Dicẽdum, quòd scientia nominat habitum, intelligere verò actum. Forma autem possunt esse simul plures in intellectu vt in habitu, non autem vt in actu perfecto, vt ex prædictis patet. Et ideò contingit simul multa scire, non simul multa intelligere.*

Philosoph. *D. Thom.*

Replica Durandi. 19 Nec obest, si vrgeas cum Durando relato à Caiet. suprà quæst 12. art. 10. & cum Suarez loco citato, quod species intelligibiles sunt in actu perfecto per hoc præcisè, quod actuent intellectum in actu (vt sic dicamus) secundo in genere causę formalis, non vero per hoc, quod actualiter eliciant intellectionem, seu sint sub actu secundo eiusdem intellectionis: quia hoc spectat ad genus causæ efficientis, & eius actualitas perfecta debet esse in genere causę formalis.

Durand. *Caiet.* *Suarez.*

Soluitur. Respondetur enim ex dictis in 1. tomo tr. 2. disp. 2. num. 105. & tr. 4. disp. 1. num. 21. quod *intelligere* est existentia ordinis intelligibilis, cuius ibidem rationem reddidimus: & ita, vsque dum species intelligibiles terminentur per intellectionem, non sunt in ordine intelligibili in actu perfecto: quia intra hunc ordinem, & per existentiam prædicti ordinis non existunt. Et licet ante hanc existentiam existant per aliam ordinis entitatiui & naturalis: quia tamen ista data est eis veluti de materiali & per accidens, quia per se primo desernit ad tribuendam existentiam illis, quæ de materiali in speciebus reperiuntur, & omnia ista habent quodammodo ordinari ad existentiam ordinis intelligibilis: idcircò species sub isto *esse* non censentur esse in actu perfecto simpliciter, sed solum secundum quid, vt optime Nazarius in præsenti notauit: & ideo habent esse per modum dispositionum, & permanere in habitu, non in actu vltimo, & perfecto.

Nazar.

20 Fit quarto manere etiam solutam aliam obiectionem, quæ contra dicta in elucidatione rationis D. Thomæ adducit Zumel, scilicet, ex illis ad summum sequi, non posse esse simul in intellectu vnicam speciem terminatam pluribus intellectionibus, vt pluribus, aut plures species terminatas simul prædictis intellectionibus, si singulæ ex illis fierent tota intensione, & attentione intellectus, secùs si non ita attendatur ad vnamquãque, sed attentio, quæ esset adhibenda, v. g. vni, diuidatur, & cuilibet vna dumtaxat pars illius attentionis, & alia alteri adhibeatur: nam tunc species illæ erunt sub actu quodam imperfecto, non verò perfecto, & ita non repugnabit esse simul.

Obiectio Zumel.

Ex dictis igitur constat, obiectionem hãc manere solutam. Quia quod intellectio sit actus perfectus, non attenditur ex hoc, quod adhibeatur ad illam totus conatus intellectus, vel non, sed sufficit, esse vltimam actualitatem ordinis intelligibilis, vt explicatum est. Adde, quod ideo calidum, & frigidum, v. g. possunt esse simul quodammodo in actu secundo imperfecto, nempe, quando vnum est in *expelli*, & aliud in *fieri*: quia per se primo tantum est ibidem *fieri*, v. g. calidi, & secundario reperitur in eodem subiecto frigidum in *expelli*. Cæterum quando plura, vt plura, simul intelliguntur, vtrumque per se primo habet intelligi, & intellectus habet fieri plura, vt plura, in actu secundo: quod quidem, vt ex D. Thoma dicebamus, repugnat.

Enodatur.

§. IIII. *Opposita sententia, argumenta pro illa, vna cum suis responsionibus.*

21 COntrariam tamen sententiam, nimirum, Angelum posse simul intelligere plura per modum plurium, tuentur Molina ad art. 2. huius q. disp. 1. vbi post-

Opposita sententia. *Molina.*

quam

quam retulit oppositam sententiam D. Thomæ, sic inquit. *Contraria sententia semper mihi visa est probabilior, nempe, non solùm Angelum, sed & nos posse simul cognoscere multa per modum multorum.* Vazquez disp. 220. c. 2. Suar. lib. 2. de Angelis cap. 37. referens Maiorem, Sotum, & Valentiam. Et tandem plures alij. Et licet fundamenta huius sententiæ facile dissoluantur ex his, quę in elucidatione rationis D. Thomæ diximus, & principaliora ex illis ibidem adducta, & soluta sint: nihilominus aliqua modò adducemus, vt Thomistica veritas magis splendeat.

Vazquez. *Suarez.* *Maior.* *Sotus.* *Valent.*

Primũ fundamentum.

Probatur ergo primo. Quoniam si Angelus intelligens plura, deberet illa intelligere per modum vnius, & non per modum plurium, id proueniret ex eo, quod in specie intelligibili repræsentarentur etiam per modũ vnius: at hæc ratio est nulla: ergo, &c. Maior videtur patere. Quia iuxta modum speciei quæ est principium intellectionis, debet esse modus eiusdem intellectionis. Minor autem probatur. Quoniam species repræsentat simul multa, licet per modum vnius: & tamen non est necesse, vt intellectio attendat ad illa multa, sed potest ad vnum dumtaxat attendere, relicta multitudine: ergo eadem ratione poterit attendere ad illa multa, non attendendo ad rationem ordinis, quem habent ad aliquid vnum: quod est attendere ad multa per modum multorum.

Cõfirmatur

Confirmatur. Quoniam alioqui eadem ratione non posset Angelus per plures realiter intellectiones, ordinatas tamen ad vnũ intelligibile, intelligere simul plura ad illud ordinata: hoc autem videtur falsum: ergo, &c. Sequela probatur. Quia in specie intelligibili infusa solum repræsentantur illa per vnicam dumtaxat repræsentationem. Minor autem etiam constat. Quia quod est vnitum in speciebus, non est inconueniens, quod sit sparsum, & multiplicatum in actibus: sicut id, quod est vnitum, & immultiplicatum in potentia intellectiua, non inconuenit, esse sparsum & multiplicatum in intellectionibus: quia potentiæ, & principia agendi possunt esse vniuersaliora suis actionibus. Ergo, &c.

Satisfit.

22 Respondetur, quod transeat maior, & negetur minor. Et ad probationem, concessa vtraque præmissa, neganda est consequẽtia. Quia in præmissis nulla est repugnantia, vt ex se constat, & ideo cum illa species subdatur quoad vsum libertati volũtatis in his, quæ non repugnant: inde est vt possit voluntas Angelica applicare suum intellectum ad hoc, vt ex pluribus repræsentatis in eadem specie non attendat, nisi ad vnicum dumtaxat ex illis. Cæterum in consequenti reperitur repugnantia iam explicata, & ideo nõ est par ratio.

Obiectio.

Nec obest si obijcias, quod in alijs speciebus, vt in essentia diuina respectu intellectus beatifici, & in essentia Angeli respectu proprij intellectus, non potest dari hic vsus specierum, sed necessario debet simul intelligi ab Angelo, quicquid per illas repræsentatur: ergo idem etiam cõtingit in alijs speciebus inditis.

Solutio.

Respondetur enim, negando consequentiam. Et ratio disparitatis est. Quòd essentia diuina, quippe species eminentissima, & non subordinata intellectui beato, habet etiam non esse subordinatam voluntati eiusdem beati, sed potius vtramque potentiam sibi subordinat: & propterea visio beata fit omnino iuxta modum diuinæ essentiæ: & per talem visionem intelligitur simul, quicquid ipsa simul respectu prædicti intellectus lumine gloriæ perfusi repræsentat. Essentia vero Angeli, vt est principium cognitionis sui, habet hoc omnino necessario, ideſt, necessitate tã quoad specificationem, quam quoad exercitium: & ad hanc cognitionem omnino necessario mouetur à Deo peculiariter, vt ab auctore naturæ, vt infrà quæst. 63. art. 1. dicemus: & ideo non subditur quoad vsum libertati voluntatis, secus vero alię species inditæ: & propterea non est par ratio in his, & in illis speciebus.

Ad cõfirmationem duplex alioqui solutio.

Ad confirmationem, Vazquez disp. 221. cap. 3. in fine adhuc tenens, posse Angelum plura, vt plura, simul intelligere, inquit, non posse simul, & per eandem speciem cognoscere illa, vt plura, ex parte obiectorum, & actuum, ideſt, per plures actus re ipsa distinctos: ex eo quod vnitas intellectionis ex vnitate principij sumi debet: quod etiam docet Zumel in hac quæst. art. 2. in sua quęst. 3. cõcluſ. 2. Et Suarez loco cit. num. 31. inquit, esse valde probabile, & sibi placuisse, cum iuuenis tractatum de Angelis publicè doceret. Subdit tamen, oppositum sibi probabilius nunc videri: ex eo quod si ponamus Angelũ considerantem tantum per illam speciem equum, ille potest velle considerare leonem, non relicta consideratione de equo, vt per se notum videtur: ergo eliciet nouum conceptum leonis, & simul habebit vtrumque.

Vazquez. *Zumel.* *Suarez.*

Verior eligitur.

23 Cæterum ex his duobus modis dicendi, ille prior magis placet: quatenus non admittit, Angelum intelligẽtem per vnicam speciem infusam nõ habere simul plures actus intellectus. Addimus tamen, cum Nauarrete tom. 3. in 1. part. controu. 70. §. 2. & 6. quod siue Angelus intelligat per vnam dumtaxat speciem infusam simplicẽ ei superadditam, siue per plures ex prædictis speciebus infusis, ordinatis tamen ad modum vnius, & tendentibus ad cognitionẽ plurium per modum etiam vnius, non eliciat simul plures intellectiones realiter inter se distinctas, etiam

Nauar.

si di-

ſi dicantur eſſe ad inuicem ordinatas, ſed vnam dumtaxat ſimplicem, per quam plura illa per modum vnius attingat. Cuius ratio reddi poteſt ex illis, quæ dub. 3. huius diſp. ex D. Thoma dicemus, ſcilicet, Angelum nõ cognoſcere componendo, aut diuidendo: quia hoc pugnat cum excellenti modo, quẽ in cognoſcendo habet Si autem vtens vnica ſpecie repræſentante v.g. quidditat em homi nis, & accidentia illius, tunc per vnã cognitio nem poſſet cognoſcere quidditatem, & per aliam accidentia, tribuendo ea ipſi homini, non eſſet cur non poſſet cognoſcere compo nendo: ſicut ſi cognoſceret de eodem homine ſuam quidditatem per ſpeciem prædicti hominis, & per aliam cognitionem, necnon per ſpeciem leonis coniunctam cum ſpecie hominis attingeret, illum non eſſe leonem, non eſſet cur non valeret cognoſcere diuidendo.

Nec id, quod pro ſe Suarez adducit, cõ uincit intentum. Nam cum Angelus habet cognitionem alicuius obiecti repræſentati per aliquam ſpeciem infuſam, & vult ea retenta notitia cognoſcere aliud obiectum, quod repræſentetur per eandem ſpeciem, tunc hoc non fit per hoc, quod illa prior notitia eadem prorſus maneat, & habeatur ſimul alia realiter diſtincta, ſed per hoc quod illa priori deperdita, elicit aliam altiorem & eminentiorem, per quam vtrumque obiectum ſimul attingatur.

Replica Nec obeſt ſi vrgeas, quod iuxta dicta in hoc eodem dubio, poteſt Angelus per plures ſpecies, v.g. per ſuam eſſentiam, & per ſpecies inditas cognoſcere per multiplicem cognitionem, ſubordinatam tamen, abſque eo quod inde ſequatur, illum poſſe intelligere componendo, aut diuidendo Ergo pari ratione poterit per duplicem ſpeciem infuſam & per duas itidem cognitiones eis correſpõdentes intelligere plura, abſque eo quod inde ſequatur, eum poſſe intelligere componendo, aut diuidendo.

Soluitur Reſpondetur enim, eſſe diſparem rationem. Quia dum vtitur eſſentia ſua, vt ſpecie intelligibili, & ſimul ſpecie infuſa ſuper addita, non poteſt vti illa priori niſi comprehenſiue: & ideò media illa nequit intelligere componendo. Siquidem ad hanc compoſitionem requiritur vſus inadæquatus vtriuſque ſpeciei, & cognitionum illis correſpondentium: quod tamen in vſu ſpecierum infuſarum è contrà poteſt accidere.

Secundũ fũdamentum 24 Secundo probatur prædicta ſententia. Quoniam Angelus mouens cælum intelligit illud, & eius motum, ſiquidem mouet prædictum cælum per intellectum, & voluntatem: & nihilominus non ob id deſinit, quando ſibi placuerit, cognoſcere plures alias res naturales: ergo tunc cognoſceret plura per modum plurium: quandoquidem omnia illa in ordine adſui cognitionem non videntur in intellectu Angeli habere aliquem ordinem, nec neceſſe eſt ſub illo cognoſci.

Cõfirmatio Confirmatur. Tum, quia etiam Angeli cuſtodes ſunt in continua, vel fere continua cognitione eorum, quos cuſtodiunt: & nihilominus poſſunt ſimul intelligere plura alia naturalia non habentia ordinem ad homines à ſe cuſtoditos. Tum etiam, quia Dæmones ſunt in perpetua cognitione ſuorum crutiatuum: & tamen ſimul poſſunt intelligere alias res naturales, licet non habeant ordinem ad prædictos cruciatus, vel è contra. Tum denique, quia idem eſt intelligere plura, vt plura, ac intelligere illa per plures ſpecies: & tamen nos ſemper vtimur pluribus ſpeciebus, ergo potiori ratione id poterunt Angeli.

Reſpõdetur ex Bañez 25 Reſpondetur ex Bañez in præſenti in fine dubij, quod excitat contra ſecundam concluſionem articul 2. huius quæſtionis, & cum alijs ex Iunioribus Thomiſtis, cognitionem illam, qua Angelus cognoſcit cœlum, vt ã ſe mobile, fieri per ſpeciem inditam cœli: cæterum, quia cœlum, & eius motus quodammodo pertinent ad Angelum mouentem, ideò eius cognitio ordinatur ad perfectam Angeli cognitionem, & pro eodem computatur cum illa, elicitur-que ſimul per ſpeciem eiuſdem Angeli, ſcilicet per eſſentiam illius. Et propterea adhuc ſectando modum dicendi Ferrarienſis ſupra adductum, habet, vt in eadem formaliter potentia cum cognitione, qua cognoſcitur eſſentia Angeli recipiatur. Ex quo etiam fit, vt illa cognitio cœli, vt moti ab Angelo collata cum alijs cognitionibus aliarum rerum naturalium, conferatur cum eis, vt quodammodo vnum quid cum cognitione eſſentiæ Angelicæ. Et ita, ſicut iſta cognitio poteſt cohærere cum alijs cognitionibus elicitis medijs ſpeciebus infuſis: ſic & prædicta illa cognitio non ponens formaliter in numero cum cognitione eſſentiæ Angelicæ.

Ad confirmationem Per quod etiam patet, tum ad illud de Angelis Cuſtodibus: ad quod eodem modo ſicut ad præcedens reſpondendum eſt. Ad illud autem de Dæmonibus dicendum eſt, eos per propriam eſſentiam, tamquam per ſpeciem intelligibilem, cognocere proprios cruciatus: quoniam iſti ſunt accidentia, quæ inſunt in propria eorũ ſubſtãtia. Conſtat autem ex ſupradictis, accidentia ſimilia inhærentia in ſubſtantia cognoſci per ſpeciem ipſius ſubſtantiæ. Vnde non

nitum, quod simul possit cognoscere alias res naturales propter illa, quæ in hoc eodem dubio diximus.

Ad vltimam vero impugnationem in confirmationem huius argumenti adductam de intellectu nostro vtente diuersis speciebus, dicendum est, id esse verum, non de speciebus formaliter, sed solum materialiter diuersis: quia vtimur illis, vt habent rationem vnius, vt cum intelligimus componendo, aut diuidendo.

DVBIVM II.

Vtrum Angelus intelligat discurrendo?

VT Cuncta, quæ in hoc dubio dicenda sunt, clarius percipiantur, oportebit primò titulum declarare.

§ *I. Explicatio tituli.*

Explicatio Tituli.

26 PRO Tituli intelligentia notandum est, quod in eo nõ loquimur de discursu improprio, qui solet appellari secundum successionem, quique in plurium intellectionum naturaliter distinctarum successione cõsistit: hunc enim supponimus cum D. Thoma q. 8. de Verit. art. 4. ad 14. in Angelis reperiri, cum non omnia per species repræsentata simul intelligant. Sed solum titulus procedit de discursu proprie dicto, quem D. Thomas supra q. 14. ar. 7. discursum secundum causalitatem appellat, quique duas conditiones necessario, & indispensabiliter exigit.

D. Thom.

Prima cõditio ad rationem discursus.

Quarum prima est, quod detur pluralitas; & distinctio realis cognitionum. Quam conditionem assignat Angelicus Doctor in 1. cõtra Gentes cap. 57. dum inquit: *Omnis ratiocinans alia consideratione intuetur principia, & alia conclusionem: non enim oporteret consideratis principijs ad conclusionem procedere si ex hoc ipso quod principia considerantur, cõclusiones etiam considerantur.* Et id ipsum expressit q. 8. de Verit. articulo 15. dicens: *Tunc dicitur aliquid ex aliquo cognosci, quando nõ est idem motus in vtrumque, sed primo mouetur intellectus in vnum, & ex hoc mouetur in aliud. Vnde hic est quidam discursus; sicut patet in demonstrationibus. Primo enim intellectus fertur in principia tantùm, & secundariò fertur per principia in conclusiones.*

27 Secunda conditio indispensabiliter ad discursum proprium requisita est, quod intercedat realis causalitas prioris intellectionis ad posteriorem ex ea dependentem. Quam conditionem statuit Philosophus 1. Poster. capite 2. & D. Thom. in allegato capite 57. 1. contra Gentes, cuius verba sũt: *In omni scientia discursiua oportet aliquid esse causatum: nam principia sunt quodammodò causa efficiens conclusionis. Vnde & demonstratio dicitur syllogismus faciens scire.* Secunda cõditio.

Ex quibus deducitur, quod discurrere est ex vno prius cognito (saltem prioritate naturæ, etsi non semper prioritate durationis) deuenire in cognitionem alterius posterius noti, ac proinde alterius, quod prius saltem prædicta prioritate erat ignotum. Propter defectum primæ conditionis, videns plura in speculo non dicitur discurrere: quia omnia vnica visione cognoscit. Propter defectũ secundæ, cognoscens primò hominem, & secundò lapidem, non dicitur similiter discurrere: quia vna cognitio nõ est causa alterius.

Explicatur

Potestque magis explicari natura discursus propriè dicti, & simul suaderi, quomodo ad minus prædictæ duæ conditiones ad illum desiderentur, ex similitudine & analogia ad motum naturalem. Tunc enim proprie corpus mouetur, quando existens sub actu imperfecto tendit ad actum perfectum, ad quem erat in potentia: motus enim est actus entis in potentia. Quando ergo intellectus existens in actu secundum aliquid, est in potentia secundum aliud, & ex eo quod in actu constitutus est, tendit, & mouetur ad acquirendam illam perfectionem, ad quã prius erat in potentia, dicitur discurrere, seu intelligere per discursum: & hoc modo discursus in intellectu humano reperitur. Intellectui enim humano prima principia sunt naturaliter nota per lumẽ naturale: vnde in se ipsis, & immediatè ab illo cognoscuntur sine discursu. Quia tamen in ipsismet principijs non cognoscit omnia, quæ ex illis deriuantur, nec lumen naturale primiorum principiorum ad hoc inclinat, ideò ad habendam cognitionẽ, & acquirendam virtutem aliorum, necesse est, quod ex principijs naturaliter notis procedat, & moueatur per quamdam inquisitionem, & inuentionem ad habendam cognitionem aliorum, ad quam erat in potentia: & iste est discursus proprie, de quo loquimur in præsenti: totaque hæc doctrina habetur ex D. Thom. ar. 7. dicto, & infrà q. 79. art. 8.

Aliorũ cõditio tertia.

28 Scimus tamen, ab aliquibus peti ad discursum proprie dictum aliã conditionẽ, nempe, quod illæ cognitiones ad cuius desideratæ successiuè se habeant in duratione. Ita Capreolus in 2. dist. 13. q. 2. ad argumenta contra

Capreolus

Hiſpalē contra 10. concluſionem Hiſpalenſ. ibidem
Ferrara notabili 6. & fauet Ferrara 1, cont. Gent. ca.
D. Thom 57. necnon & D. Thomas ar. 3. huius q. in ſolutione ad 1. & ſupra q. 14. ar. 7. vbi cum diſtinguat duplicem modum diſcurſus, ſcilicet improprium, quem dicit conſiſtere re in ſucceſsione cogitationum, & propriũ, quẽ inquit contingere, quando vna cogitatio eſt cauſa alterius: ſtatim ſubiungit, ſecundum ſupponere primum, ſcilicet ſucceſsionẽ. Et 1. cont. Gent. cap. 57. docet, ſimultatem intellectionis tollere rationem diſcurſus: & propterea iſtum non reperiri in Deo. Et ſimiliter nos non latet, alios diſtinctione quoad hoc vti deſumpta ex D. Thoma 3. p. q. 11. art. 3. nempe, quod diſcurſus poteſt dupliciter, ſeu in duplici ſtatu conſiderari: primò, quantum ad nouam ſcientiæ acquiſitionem, & cognitionem alicuius veritatis, vt cum ex notis procedit intellectus ad ignota: ſecundo, quãtum ad vſum, ſicut interdum ſcientes ex cauſis concludunt effectus, non vt de nouo addiſcant, ſed volentes vti ſcientia, quam habẽt quaratione D. Thomas ibi docet, ſcientiam infuſam animæ Chriſti eſſe collatiuam, & diſcurſiuam Et ſecundum hoc dicunt, quod licet probabiliter ſuſtineri queat, in diſcurſu quantum ad vſum conſiderato poſſe cognitionem principij, & concluſionis ſimul haberi, quia nulla eſt maior difficultas in cognitione concluſionis, quam in cognitione principij: cæterum in noua ſcientiæ acquiſitione per diſcurſum hoc exiſtimant impoſsibile: & ſic intelligendum eſſe D. Thomam in dicto art. 7. Et rationem reddunt. Tũ, quia intellectus noſter maiori cum difficultate mouetur ad cognoſcendas concluſiones per diſcurſum, quam ad cognoſcenda principia ſibi naturaliter nota: ſed maior difficultas ad motum retardat mobile, ne ita prompte, ac celeriter moueatur ad terminum: ergo non ſimul cognoſcit principia. & acquirit ſcientiam concluſionum. Tum etiam, quia cognitio perfecta alicuius concluſionis per principia prius nota dependet ex proceſſu, ſeu tendentia à principijs ad concluſionem, qui eſt modus inueniendi veritatem, ſeu modus cõpoſitiuus, ſecundum quem adhuc intellectus non plene certificatur de veritate, donec illam reducat, & reſoluat vſque ad principia, conferendo illam cum principijs, quæ eſt via reſolutionis. Conſtat autem, eſſe ſatis difficile, totum hoc fieri in inſtanti. Ergo &c.

Quid dehac conditione ſentiendũ *Bañez.*

Cæterum quia non eſt omnino certum in via D. Thomæ, requiri ſucceſsionem ad diſcurſum, vt docuit Bañez ad artic. 3. huius quæſtionis dub. 1. inſolut. ad 1. & iuxta hæc dicendum eſt, D. Thomam ſolum intendere, in nobis ita regulariter contingere, qui ſucceſsiue ex cognitione principiorum ducimur in cognitionem concluſionis: idcirco, & quia ad remouendum ab Angelis diſcurſum propriè dictum ſat ſunt nobis duæ illæ conditiones priores, ideò ex illis ſolummodo deciſionem huius dubij iuxta Angelici Præceptoris mentem eruere conabimur.

§. II. *Vera Angelici Præceptoris ſententia, & primum eius fundamentum.*

29 DIcendum ergo eſt, Angelum nõ intelligere diſcurrendo. Ita D. Thom. in præſenti art. 3. & de Verit. quæſt. 8. art. 15 *Sicut nos*, inquit, *ſine diſcurſu principia cognoſcimus ſimplici intuitu: ita & Angeli omnia, quæ cognoſcunt. Vnde & intellectuales dicuntur, & habitus principiorum in nobis dicitur intellectus.* Eandem docet 3. cont. Gẽt. cap. 91. & in hac 1. part. quæſt. 79. art. 8. & q. 85. art. 5. & 2. 2. q. 180. art. 6. ad 2. Et 1. 2. q. 89. art. 4. vbi ait: *Dicendum, quòd intellectus Angeli, ſicut in primo dictum eſt, non eſt diſcurſiuus, vt ſcilicet procedat à principijs in concluſiones, ſeorſum vtrumque intelligens, ſicut in nobis contingit. Vnde oportet, quòd quandocũque conſideret concluſiones, conſideret eas prout ſunt in principijs.* Vnde Sanctum Doctorem ſequuntur communiter omnes eius diſcipuli, Capreolus in 2. diſt. 3. q. 2. ad argumẽta contra decimam concluſionem, Hiſpalẽſ. ibidem, Caiet. Bañez, Zumel, Nazar. & Ripa in preſenti, Ferrara 3. cont. Gent. cap. 91. Eandem ſequuntur Durandus in 2. diſt. 3. q. 6. num. 21. & quoad cognitionem naturalem Suar. lib. 2. cap. 33. num. 9. Vazquez in præſenti diſp. 22. cap. 2.

Concluſio. *D. Thom* *Capreol.* *Hiſpalẽſ.* *Caiet.* *Bañez.* *Zumel.* *Nazar.* *Ripa.* *Ferrara.* *Durand.* *Suarez.* *Vazquez.*

30 Ratio autem fundamẽtalis, & prior huius aſſertionis traditur à D. Thoma art. 3. huius q. & poteſt ad hanc formam redigi. Quoniam eum ordinem ſeruant ſubſtantiæ ſeparatæ intellectuales in habendo ſuam perfectionẽ, quem ſuprema corpora in ſua: ſed ſuprema corpora non habent ſuam perfectionem per motum, licet corpora inferiora eam acquirant mediante motu. Ergo ſubſtantiæ ſeparatæ, & intellectuales non habebunt ſuã perfectionem mediante motu intellectuali, ſcilicet diſcurſu, quamuis hoc concedatur aliis ſubſtantijs intellectualibus, & inferioribus, nempe hominibus. Conſequentia videtur legitima. Minor autẽ etiam conſtat. Quia etſi prædicta corpora ſuprema moueantur; non tamen ad acquirendam ſuam perfectionem, ſed vt hac ſuppoſita communicẽt inferioribus ea, quibus indigent.

Primũ fundamentum. *D. Thom.*

Maior vero etiam conſtat. Quoniam prædictæ ſubſtantiæ ſeparatæ, ideſt Angeli, quippe qui ſunt ſeparati ab omni materia, & & habitudine ad illam, ſunt ſupremę ſubſtãtię inter intellectuales, ſicut ſuprema corpora

Dionys. sunt suprema inter substantias corporeas, vt docuit Dionys. relatus à D. Thom. ar. 3. huius q. Et ideo debent tam ista, quam illa eodē proportionalimodo se habere in ordine ad habendum suam perfectionem.

Effugiū Zumeliis. 31 Nec obest, si dicas cum Zumel, rationem hanc D. Thomæ tantum esse congruentiam quamdam. Nam hoc bene impugnat Nauarrete tom. 3. in p. partem controuersia 71. §. 2. vbi & assertionem D. Th. tuetur, & rationem eius sic elucidat. Nam primūm in vnoquoque genere cōtinet ea, quæ in reliquis eiusdem generis dispersè, & imperfectè continentur. Quapropter corpora cœlestia ex sua propria natura statim à principio, & absque aliquo motu debent habere suam perfectionem. Si enim corpora inferiora habent illam per motum, & huius motus sunt causa corpora cœlestia, nequeunt ista habere propriam perfectionem per motum: alioqui præ dicta corpora essent primum in genere corporum. Similiter ergo Angeli sunt primum in genere intellectualis naturę: atque adeo necesse est, quod per modum vnius actualitatis contineant id, quod in hominibus inuenitur secundum rationem potentiæ, & actus, & procedendo ex imperfecto ad perfectum. Vnde, cum discursus dicat istum imperfectum modum procedendi, nequibit inueniri in Angelis: ac proinde non solum erit conforme naturæ Angeli non discurrere, eique congruum, verum etiam erit contra eius naturam prædictus discursus: sicut est contra naturam eius, quod est primum in aliquo genere, procedere ex imperfecto ad perfectum in tali genere.

Contra insurgit Nauarrete.

Aliasolutio 32 Nec etiam obest, si aliter occurras, nempe, quod non obstante, quod Angeli à principio recepissent omnes qualitates necessarias ad operandum, tamquam sibi connaturales; nihilominus adhuc per tales qualitates solum constituti sunt in actu primo, & in potentia ad actualem operationem: ergo sicut procedere de potentia ad actum in hac parte non derogat perfectioni Angeli: ita procedere de potentia ad actum in eodem actu intelligendi, non erit contra perfectionem eiusdem Angeli: ac proinde discursus denotās istum modum procedendi nō derogabit perfectioni Angelicæ.

Euertitur Non igitur hoc obest, propter apertam disparitatem, quæ inter vtrumque intercedit. Nam quod Angeli per qualitates sibi connaturales, nempe, per species superadditas sint ab initio constituti in actu primo, & possint separari ab actu secundo, est conditio generalis, competens cuicumque intellectui creato, hoc ipso quod creatus est: nam eo ipso debet esse partim in actu, & partim in potentia: & ideo hoc non derogat perfectioni Angelicę petitę ab eis ex hoc, quod sint supremi inter substantias intellectuales. Cæterum potentialitas reperta in discursu, & motus ille intellectualis, qui in eo inuenitur, non est imperfectio conueniens substantiæ intellectuali creatæ, quia creata est, sed est imperfectio propria earum substantiarum intellectualium, quæ inter substantias prædictas inferiorem gradum tenent. Sicut moueri motu physico, & corporeo ad acquirendam propriam perfectionem, non est imperfectio corporū, pręcise quia corpora sed quia corpora inferiora: & propterea nō est necesse, vt supremis corporibus competat.

Elucidatur amplius Potestque explicari, quomodo hæc imperfectio, & potentialitas sit propria substantiarum intellectualium, quia inferiores sunt in gradu intellectualitatis, tū ex his, quæ docet D. Th. ar. 3. huius q. nēpe, quod substātię intellectuales inferiores vocātur rationales, superiores vero præcise intellectuales: at illæ ideo sic nūcupātur, vt denotetur, cōuenire eis hāc imperfectionē, ideſt intelligere discurrēdo, seu ratiocinando, quia ratiocinari idē est, ac discurrere, ideſt, ex vna ratione, seu cognitione in rationē aliā deuenire: istæ vero idcirco præcise intellectuales vocantur, quia per *intelligere* præcise sūptū innuitur *intelligere* absque discursu, & per simplicē intuitum, & propterea cognitio principiorū appellatur *intelligentia*, & habitus illorum *intellectus*: quia iste inclinat in prædictam intelligentiā absque discursu, & intelligentia ei correspōdens est per modum simplicis intuitus absque eodem discursu. *D. Thom.*

Tum etiā. Quia ex modo actualitatis vltimæ, quo perficitur aliqua substantia, colligimus, quēnam gradū & sedē inter alias substātias teneat, Quare, cum modus vltimæ actualitatis in serie rerū intellectualiū, quæ fit per discursum, sit actualitas valde potentialis, quippe includens actum potentialē, & vialē, tendentem ad vlteriorē actum ad modum motus. oportet, vt hic modus intelligendi, & hic modus vltimæ actualitatis indicet substantiam intellectualem in inferiori gradu existentem: atque adeò hanc imperfectionem esse propriam substantiarum intellectualiū inferiorum, non vero superiorum: sicut motus corporeus, & physicus non supremis, sed inferioribus corporibus competit.

Aliasolutio 33 Nec etiam refert, si tertio occurras, falsum esse, suprema corpora non habere suam perfectionem per motum. Nam mediante motu locali Solis illuminantur, & per talem lucem perficiuntur: & similiter per motum localem, quo mouentur, habent etiam in se ipsis perfici: quippè quibus conuenit potentia naturalis ad prædictum motum, tamquam ad aliquid in eis receptum ac proinde tamquam ad aliquid, quod pertinet ad eorum perfectionem.

Nam

Nam potentia naturalis reſpectu accidentiũ intrinſecorum ſemper eſt reſpectu accidentium perficientium ipſam.

Reijcitur Non itaque hoc refert. Quoniam ad ſaluandam vim rationis D. Thomæ ſatis eſt, ſuprema corpora non moueri motu alterationis, aut augmentationis: & nihil obeſt quoad præſens, quod moueantur motu locali: quoniam motus iſte eſt ſatis eleuatus, & inter motus corporeos omnium perfectiſsimus, vt ex D. Thoma infra q. 110. dicitur. Et propterea, quia ad diuinam prouidentiam ſpectat vt Dionyſ. relatus ibidem à D. Thoma docet, coniungere fines primorum principijs ſecundorum, inde eſt, vt ſubſtantiæ ſpirituales poſsint moueri hoc motu conuenienti ſupremis corporibus. Cæterum motus alterationis, aut augmentationis ſunt motus ſatis craſſi, & valde concernentes materiam, eiuſque potentialitati non parum ſubditi, & ideo derogant perfectioni ſuperiorum corporum: ſicut propter eandem rationem illuminatio, quæ eſt mutatio per ſe inſtantanea, & perfectiua, & tendens ad qualitatem perfectiſsimã inter corporeas, non petentem, aut concernentem alterationem corruptiuam, non derogat perfectioni eorumdem corporum, etiam ſi per accidens communicetur medio motu locali. Vnde ratio D. Thomæ ſita eſt in hoc, quod ſuprema corpora non habent moueri, niſi ad ſummum motu perfectiſsimo inter corporeos, & valde eleuato ſupra materiam, non vero alijs motibus imperfectis, & valde ſubditis potentialitati materiæ, qualis eſt alteratio corruptiua, & augmentatio: ergo ſupremæ ſubſtantiæ intellectuales nõ debent moueri motu intellectuali, qui eſt per diſcurſum, nam hic eſt omnium imperfectiſſimus, qui intra lineam intellectualem inueniri poteſt; ſed ad ſummum poterunt moueri motu intellectuali communiter dicto, qualis eſt pura, & ſimplex intellectio ſine diſcurſu: ex eo quod prædictæ ſubſtantiæ non ſunt ita perfectæ, vt debeant ſemper eſſe ſub actu ſecundo, ſub quo poſſunt eſſe, ſed partim ſint in actu, partim vero in potentia.

Illuſtratur 34 Adde (& explicabitur magis hoc ipſum.) Quoniam ille motus relegandus eſt à corporibus ſupremis, ex quo colligitur, non eſſe ſemper ſub omni perfectione ad actum primum requiſita, ſub qua poſſunt & debent eſſe, ſeu ex quo ſequitur, potentialitatem ſuæ materiæ non eſſe omnino expletam ab initio ſuæ productionis per propriam formam. Si autem ſuprema corpora eſſent mobilia motu alterationis, aut augmentationis, plane ſequeretur, eorum potentialitatem, quam habent ratione ſuæ materiæ, non eſſe omnino expletam per prædictam formam, vt exſe, & ex his, quæ in nobis contingunt, patet: nõ autem hoc colligitur ex eo, quod motũ locali moueantur, vt ex ſe etiam liquet. Ita ergo ſimiliter propter proportionem ſupremorũ corporum ad ſupremam ſubſtantiam ſolũ ſequitur, relegandum eſſe ab iſtis eum motũ intellectualem, ex quo colligitur, non eſſe earum potentialitatem intellectualem omnino expletam ab initio ſuæ productionis per formas intelligibiles ſpectantes ad actum primum, nempe per ſpecies intelligibiles. Cõſtat autem, ſolum motum intellectualem, qui eſt per diſcurſum, ſeu ſolam ratiocinationem arguere, quod potentia intellectiua non ſit omnino expleta quoad prædictam potentialitatem ab initio ſuę productionis: tum, quia id cernitur ex his, quæ in nobis contingunt: tum etiam, quia vbi eſt diſcurſus, ibi includitur potentia quoad actum intelligendi, quoad hoc quod eſt procedi à notis ad ignota: & ideo non eſt neceſſe, vt cognoſcens ſit ab initio actuatus per formas intelligibiles, per quas ſit quodammodo habitualiter ſciens, ſed ſatis eſt ſi paulatim eas acquirat.

35 Ex quo etiam intelligitur, in quo ſe ſu formantes rationẽ D. Thomæ dixerimus, motum localem cœli tantũ eſſe propter perfectionem horum inferiorũ. Quia non negamus, dum cœlum mouetur, etiam perfici potentiã eius naturalẽ, quam habet ad motum. Cæterum omnia, quę pertinent ad actũ primum illius, integra manebũt ſine illo: cũ tamen collatus cum rebus inferioribus ordinetur prædictus motus ad tribuendũ illis tã ea, quæ pertinent ad actum ſecundum, quã quæ ſpectãt ad actũ primum. Et tandem ſi cælum habet inclinationem ad prædictum motum, eſt, quia naturaliter inclinatur ad perficiendum hæc inferiora, & hoc fit medio prædicto motu: & propterea poſt diẽ iudicij, poſt quem non erit indigentia huius motus, non erit, ſed cœlum ſub quiete manebit.

Euaneſcit ex dictis alia euaſio P. Suarez

Ex quibus etiam fit, non obeſſe, ſi ex Suarez infra referendo dicas, hanc proportionẽ inter Angelos, & corpora cœleſtia nimium probare poſſe, ſi ad vnguẽ eſſet ſeruanda. Nã ex illa ſequeretur, Angelum non diſcurrere, etiam diſcurſu improprio, ſiue ſecundũ ſucceſſionem: quia corpora cœleſtia etiã per hunc modum ſuã perfectionem non acquirũt. Ex dictis igitur conſtat, hoc non obeſſe, vt conſideranti patebit.

§. III. *Poſterius fundamentum aſſertionis ex D. Thoma depromptum.*

Secundum fũdamẽtũ. 36 SEcũdo probatur eadẽ aſſertio ratione D. Thomę in hoc eodẽ articulo, quę poteſt ad hãc formã redigi. Quoniã propriũ eſt Angeli, vt viſis principijs, in eiſdem intueatur concluſiones ſimplici quodã intuitu: ergo naturalis eius modus intelligendi

gendi erit intelligere ſine diſcurſu propriè dicto, de quo in præſenti. Patet conſequentia. Quoniam ideo nos vtimur diſcurſu, quia viſis principijs non ſtatim in ipſis, ſeu ex vi cognitionis eorum intelligimus concluſiones. Si autem eis viſis ſtatim ex vi viſionis eorundē in principijs videremus concluſiones, nullus eſſet locus diſcurſui. Ergo cum hoc in Angelis reperiatur, nulla ratione diſcurrent.

Cõfirmatur

Confirmatur ratione D. Thomæ. Quoniam in nobis ex imperfectione, & debilitate luminis prouenit, vt viſis principijs non intueamur in eis, & ex vi viſionis eorũdem concluſiones in illis contentas: ergo cum Angeli habeant perfectum, & forte lumen intellectuale, è contra ſe res habebit: & ita viſis principijs, in ipſis, & ex vi viſionis illorum abſque noua aliqua cognitione intuebuntur concluſiones: & per conſequens non erit in eis locus diſcurſui propriè ſumpto, de quo in præſenti fit ſermo.

Euaſio Molinæ.

35 Nec obeſt, ſi occurras ex Molina loco ſtatim referendo, hinc ad ſummum cõcludi, Angelum non debere neceſſario vti diſcurſu, non vero per accidens, & ex ſua libertate non poſſe vti illo. Nam etſi viſis principijs, poſſet in eis eodem intuitu videre cõcluſiones, nihilominus poteſt pro ſua libertate videre principia, & ibi ſiſtere, & ſtatim per aliam cognitionem deducere concluſiones in illis principijs contentas. Nam contra hoc eſt, quod Angelus non poteſt immutare pro ſua libertate modum naturalem ſuæ cognitionis: nam hic non eſt ſubditus libertati, ſed cõuenit ei præcisè ex natura ſua: ergo ſi ipſe eſt cognoſcitiuus per ſimplicem intuitum, ratione ſuæ perfectionis, & exceſſus ſupra naturas intellectuales, inferiores, non poterit immutare hunc modum naturalem cognoſcendi, ita vt intelligat per diſcurſum.

Exploditur.

Confirm. 1.

Confirmatur primò. Nam ex eo quod Angelus excedit in gradu immaterialitatis ſubſtantias intellectuales inferiores, idcirco nequit intelligere pro ſua libertate per intellectionē habētem cõditiones gradus inferioris, ſed ſemper debet intelligere eleuatiori modo, atque adeo per ſpecies magis vniuerſales, & immateriales: ergo cũ hoc, quod eſt intelligere per diſcurſum propriè dictũ, ſit modus intelligẽdi omniũ imperfectiſsimus inter lineã intellectualem, conſequens eſt, vt Angelus nequeat hoc modo intelligere: ac proinde quod immutari quoad hoc ſuũ naturalem modũ intelligẽdi nõ eſt ſubditũ ſuę libertati.

Confirm. 2.

38 Confirmatur ſecundo. Quoniam Angelus ſuperior, hoc ipſo quod talis, nequit pro ſua libertate vti ſpeciebus minus immaterialibus, quales ſunt illæ, quæ reperiũtur in Angelo inferiori: ergo multo minus poterit pro ſua libertate vti diſcurſu propriè dicto: ergo ſimiliter nec aliquis Angelus valebit eo vti. Antecedens communiter admittitur à Theologis. Prior vero conſequentia ſequitur ex antecedenti. Quia cognitio per diſcurſum propriè dictum dicit modum cognoſcendi ignobiliorem, & minus immaterialem, quam cognitio per ſimplicem intuitum, quę fit per ſpecies Angeli inferioris: ergo ſi Angelus ſuperior ratione ſuæ excellẽtiæ in modo intelligendi non poteſt per has intelligere, multo minus poterit habere intellectionem cum diſcurſu propriè dicto. Ex quo etiã ſecunda cõſequẽtia liquet. Quia cognitio per diſcurſum valde diſtat in immaterialitate, & actualitate à modo cognoſcendi cuiuſlibet Angeli, qui eſt ſatis actualis, quippe pertinens ad ſupremum gradum immaterialitatis creatum: cum tamen cognitio per diſcurſum propriè dictũ ſit modus cognoſcendi imperfectiſsimus inter omnes intellectuales, ſeu arguens ignobiliorem gradum immaterialitatis inter gradus intellectuales.

Cõfirmatur vltimo.

Confirmatur tandem. Nam ſuprema corpora non poſſent, ad hoc per accidens, habere ſuam perfectionem mediis motibus craſſioribus, & imperfectiſsimis: ergo nec etiam ſupremæ ſubſtantię intellectuales habebunt ſuam perfectionem medio motu intellectuali habente magis de potentia, quã cæteri alij motus, ſcilicet diſcurſu.

Nec id, quod pro ſe affert Molina, obeſt. Quoniam etſi ſit in poteſtate voluntatis Angelicæ non cognoſcere ſimul, & vnico actu omnia, quæ repræſentantur illi per aliquam ſpeciem: ſi tamen velit cognoſcere aliquod principium, & non aliud, debet in quouis ſimul intueri concluſiones in illo cõtentas: vel ſi admittatur, poſſe ſolum intueri principiũ, & ibi ſiſtere, cum tamen poſtea vult intueri concluſionem, nequit id facere deducendo ex illa priori cognitione aliam, ſed hac omiſſa, debet ſimul intuendo principium cognoſcere per illam cognitionem principij conclu ſionem: quoniã hoc exigit naturalis eius modus cognoſcendi.

Solutio Suarez.

39 Nec etiam obſtat, ſi occurras ex Suarez loco infrà referendo nu. 28. quod ex hac ratione D. Thomę ſolum ſequitur, Angelum non poſſe diſcurrere circa naturalia, non vero circa ſupernaturalia: quoniam circa hæc non habet ex ſe lumen perfectum, ſed ad ſummum potentiam obedientialem. Vnde addit, ex prædicta ratione potius ſequi, Angelũ diſcurrere circa ſupernaturalia, quæ non euidenter cognoſcit. Nam Angelus ideo circa naturalia non diſcurrit, quia habet naturale lumen intelligibile perfectum, & huic lumini perfectè ſubijciũtur naturalia. Cũque vbi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio ſit cauſa negationis, & econuerſo: fit inde, vt ſi Angelus ſimplici actu cognoſcit ea, quorum principia, & cauſas perfectè cõprehendit, &

ideò

ideò circa illa non diſcurrit, quod alia, quæ nõ ita perfectè cognoſcit, qualia ſunt ſupernaturalia, nõ ſimplici intuitu, ſed diſcurſu aſſequatur.

Elicitur. Non itaque hoc obſtat. Quoniam etſi Angelus ex ſe non habeat lumen ſufficiés ad attingenda ſupernaturalia, attamen infunditur ei lumen, per quod ſine diſcurſu intelligat. Et ratio eſt. Nam cum ſupernaturalia non deſtruant, ſed potius perficiant naturalem modum intelligendi Angelicum, inde eſt, vt intelligant ſupernaturalia ad modum, quo intelligunt naturalia, ad eundemque modũ per lumen ſupernaturale perficiantur: & ideo, ſicut naturalia per ſimplicem intuitum, ita ſupernaturalia eodem modo, & abſque diſcurſu propriè ſumpto intelligunt.

40 Confirmatur primò. Nã ex eo quod Angeli ſecundum ſuam naturam ſunt in ſupremo intellectualitatis gradu, & propterea ſunt partim in actu, & partim in potentia, & ob eandem rationem circa finem naturalem ſunt in actu, idcircò, quando perficiũtur per gratiam, & dona ſupernaturalia, habent perfici iuxta hunc modum: ita nimirum, vt non ſolum conferatur eis gratia in habitu tantũmodo, ſed ſub actuali amore vltimi finis ſupernaturalis (modo tamẽ, quem infrà quæſt. 63. diſp. 11. n. 7. exponemus). E contra vero, quia nos ſumus in inferiori gradu immaterialitatis, & non partim in actu, & partim in potentia in gradu intellectuali, ſed tantum in potentia, idcirco gratia perficiens animam noſtram accõmodatè ad ſuum modum naturalem, non eſt neceſſe, vt quandiu eſt in nobis, ſit ſemper ſub actu ſecundo amoris ſupernaturalis vltimi finis; nec etiam eſt neceſſe, quod hoc ipſo, quod ſimus eleuati ad ordinem ſupernaturalem, hoc fiat per eleuationẽ intrinſecam, ſed ſufficit extrinſeca ſeu in potentia proxima, vt diſp. citata num. 9. tangemus. Ergo cum Angelus ex vi ſui naturalis modi intelligendi concipiat naturalia ſine diſcurſu, conſequens eſt, vt accommodatè ad hunc modum perficiatur in ſupernaturalibus: atque adeò quod intelligat res ſupernaturales ſine medio diſcurſu.

Confirmatur tandem. Quoniam lumen ſupernaturale de ſe non eſt diſcurſiuum, vt teſ-
D. Thom. tatur D. Thomas 22. q. 9. art. 1. ad 1. ſed hoc habet ex parte ſubiecti, ſcilicet, quãdo eſt in ſubiecto diſcurſiuo: ergo cum intellectus Angelicus ex ſe non ſit diſcurſiuus circa proprium, & connaturale obiectum, inde eſt, vt nec etiam poſsit circa ſupernaturalia diſcurrere.

§. IIII. *Duæ oppoſitæ ſententiæ, cum ſuis fundamentis, & reſponſionibus ad illa.*

41 DVæ tamen oppoſitæ ſententię cõtra aſſertionem noſtram extant, quarum prima docet, Angelos ad huc circa naturalia diſcurrere. Ita Scotus in 2. diſt. 7. quæſt. 1. Gregor. ibidem quęſt. 5. art. 2. OKã q. 16. Gabriel diſt. 4. quæſt. 1. art. 3. concluſ. 8. fauet Molina in præſenti, aſſerens, Angelos ſaltem per accidens diſcurrere. Probatur primo. Nam ad diſcurſum ſufficit diſtinctio cognitionum, quarum vna cauſetur ex altera: ſed huiuſmodi cognitiones reperiuntur in Angelis circa naturalia: ergo circa illa inuenitur in illis diſcurſus. Conſequentia patet. Et Maior conſtat ex his, quæ ſupra num. 26. pro tituli explicatione diximus. Minor vero probatur. Quoniam ex cognitione ſui cognoſcit Deum, & ex cognitione cauſæ naturalis cognoſcit effectus: iſtæ autem cognitiones ſunt diſtinctæ, & diuerſæ: nam vna eſt intuitiua. & altera abſtractiua. Ergo, &c.

Prima ſententia oppoſita. *Scotus.* *Gregor.* *OKam.* *Gabriel.* *Molina.* Argumentum primũ.

Confirmatur primo. Nam Angeli poſſunt habere diuerſas volitiones, quarum vna cauſetur ex alia: ergo etiam poſſunt habere diuerſas intellectiones, quarum vna cauſetur ex alia: ac proinde poterunt diſcurrere. Hęc vltima conſequentia patet ex prima. Et ſecunda videtur ſequi ex antecedenti a paritate rationis. Antecedens autem conſtat. Nam Angeli habent intentionem finis, & electionem mediorum ad conſequendum finem; & ex dilectione ſui neceſſaria diligunt alia libere. Ergo, &c.

Confirmatur.

42 Reſpondetur, negando minorem. Et ad probationem, qua conuincitur Molina in præſenti ad conſtituendum in Angelis diſcurſum, dicendum eſt, optime ſtare, eandem notitiam ſimul eſſe intuitiuam, & abſtractiuam reſpectu diuerſorum obiectorum: vt patet in viſione beata: quæ eſt intuitiua Dei, & creaturarum exiſtentium, & ſimul eſt abſtractiua reſpectu non exiſtentium: & in ſcientia Dei reſpectu ſui, & creaturarũ poſsibilium. Idem ergo contingit in notitijs Angelorum. Vnde eadem notitia naturali, qua Angelus ſuam eſſentiam cognoſcit intuitiuè, cognoſcit Deum vt auctorem naturæ abſtractiuè.

Soluitur.

Ad confirmationem tranſeat antecedens, & negetur conſequentia. Et ratio diſparitatis eſt, quod intellectio fit, ſecundum quod res cognitæ ſunt in cognoſcente: ex imperfectione autem cognoſcentis prouenit, quod intellectus non habeat ſimul omnia intelligibilia naturaliter, ſed ſolum

Ad confirmationem.

quædam, à quibus in alia moueatur. Volitio vero fit è conuerso per hoc, quòd volens tendit ad res ad extra, inter quas quædam sunt secundum se bonæ, & appetibiles, quædam vero per ordinem ad aliud, videlicet ad finẽ. Et ideo non est imperfectio appetentis, quod aliquid appetat naturaliter propter se, scilicet finem, & alia propter finem, vel per actũ electionis causatum ab intentione. Quam solutionem tradit D. Thom. intrà quæst. 60. art. 2. in corpore his verbis: *Hoc tamen differenter se habet ex parte intellectus, & voluntatis. Quia sicut suprà dictum est, cognitio intellectus fit secundùm quòd res cognita sunt in cognoscente. Est autem ex imperfectione intellectualis naturæ in homine, quòd non statim eius intellectus naturaliter habet omnia intelligibilia, sed quædam, à quibus in alia quodãmodò mouetur. Sed actus appetitiuæ virtutis est è conuerso secũdùm ordinẽ appetẽtis ad res. Quarum quædam sunt secundùm se bona, & ideò secũdùm se appetibilia: quædam verò habent rationem bonitatis ex ordine ad aliud, & sunt appetibilia propter aliud. Vnde non est ex imperfectione appetentis, quòd aliquid appetat naturaliter vt finem, & aliquid per electionẽ, vt ordinatur ad finem. Quia igitur natura intellectualis in Angelis perfecta est, inuenitur in eis sola cognitio naturalis, non autem ratiocinatiua; sed inuenitur in eis dilectio, & naturalis, & electiua.*

D. Thom.

Secundum argumentũ

43 Secundo probatur eadem sententia. Nam in Angelis datur virtus bene consiliatiua, quam Philosophi morales vocant *eubulam*. Hæc autem dicit inquisitionem, & discursum. Itẽ in illis est admiratio, iuxta illud Isai. 63. *Quis est iste, qui venit de Edom?* Constat autem, eum, qui est capax admirationis, esse capacem discursus: siquidem tunc admiratio contingit, quando ex cognitione effectus ducimur in cognitionem causæ ignotæ.

Isai. 63.

Diluitur.

Respondetur, quod sicut teste D. Thoma in Deo est consilium quantum ad certitudinem iudicij de rebus faciendis, etiam si in illo non sit discursus, nec inquisitio: ita etiam in Angelis. Nam (vt docuit Angelicus Præceptor suprà q. 22. art. 1. ad primum) discursus, & inquisitio solum requiruntur ratione imperfectionis intellectus.

Angel. Præcept.

Ad illud vero de admiratione dicendum est, admirationem in nobis tria continere, nimirum, cognitionem rei occultæ, comparationem eiusdem cum causa occulta, & desiderium cognoscendi causam. Cæterum in Angelis maxima intellectus perfectione pollentibus reperitur illud prius, non tamen hęc duo posteriora: ex eo quod eadem notitia attingunt effectum, & causam.

Tertium argumentum

44 Tertio probatur prædicta sentẽtia. Nam alioquì non esset in Angelis scientia: hoc autem dici nequit, vt communiter tradunt Theologi: ergo, &c. Sequela probatur. Nam cognitio effectuum in causis, & cõclusionum in principijs non est cognitio scientiæ, sed intellectus, seu habitus primorum principiorum.

Confirmatur. Nam si Angelis eodem actu sunt notæ conclusiones in suis principijs, tunc hoc ipso, quod habeant habitum primorum principiorum, nulla restabit difficultas in ordine ad cognitionem conclusionum: & ita sufficiet in eis habitus primorum, principiorum, & non desiderabitur habitus scientiæ.

Cõfirmatur

Occurritur

Respondetur, concedendo sequelam de scientia, quæ tantum sit scientia, non vero de scientia, quæ formaliter eminenter sit scientia & intelligentia. Nam ea, quæ in inferioribus sunt dispersa, habent in superioribus esse vnita: & ita licet in nobis scientia, & intelligentia realiter distinguãtur, ac proinde intelligentia sic habeat rationem intelligentiæ, vt non simul sit scientia, & è contra, attamen in Angelis ipsa intelligentia, seu intellectus primorum principiorum est formaliter eminenter scientia, ibique sunt hæ duæ rationes solum consideratione nostra distinctæ. Per quod ad probationem eiusdem sequelæ patet. Nam cognitio primorum principiorum præcisè habet rationem intellectus: cognitio autem eorum, & conclusionum in ipsis, est formaliter eminenter intellectus, & scientia. Vtrum autem hæc ratio scientiæ sit danda in Angelis tam per modum habitus, quam per modum actus? alia quæstio est, ex alibi dictis, & Deo dante dicendis decidenda.

Ad confirmationem.

Ad confirmationem patet ex modo dicto, quomodo in Angelis data intelligentia primorum principiorum nulla restat difficultas, aut indeterminatio circa conclusiones: quia idemmet est formaliter eminenter intellectus, seu intelligentia, & scientia: & ità non est necesse superaddi nouum habitum, adhuc datis his habitibus per modum taliũ in intellectu Angelico.

Secũda sententia.

45 Secunda sententia assertioni nostræ oppositа docet, Angelum in his, quæ nõ euidenter nosci, qualia sunt futura contingẽtia, vt talia, cogitationes cordium, & obiecta supernaturalia, discurrere per discursum proprie dictum. Ita Suarez l. br. 2. de Angelis cap. 33. & fauet Vazquez disput. 222. cap. 2. & 3. Probatur primo ex D. Thoma 1. part. q. 79. artic. 8. vbi sic inquit: *Angeli, qui perfectè possident secundùm modum suæ naturæ cognitionem intelligibilis veritatis, non habent necesse procedere de vno ad aliud, sed simpliciter, & absque discursu veritatem rerum apprehendunt.* In quibus verbis videtur hoc limitare Angelicus Doctor ad ea, quæ perfectè cognoscuntur ab Angelo, qualia non sunt futura contingentia, cogi-

Suarez. Vazquez. D. Thom. Primum fũdamentum.

cogitationes cordis, & obiecta ſupernaturalia, coniecturaliter, aut opinatiuè ab ipſo cognita.

Reſpondetur. Reſpondetur ex dictis, ſatis eſſe, quod Angelicus Præceptor dixerit, quod circa naturalia habeat Angelus perfectam cognitionem intelligibilis veritatis, ideſt ſine imperfectione diſcurſus, ad hoc vt eodem modo, nempe ſine diſcurſu, perficiatur in ſupernaturalibus: quia in eis perficitur accommodatè ad ſuam naturam, vt explicatum eſt. Vnde idem Angelicus Doctor quoad hoc in alijs locis ſatis vniuerſaliter loquitur. *D. Thom.* Nam art. 3. huius q. abſolute aſſerit, Angelum intelligere ſine diſcurſu. Et in ſolutione ad tertium argumẽtum in cognitione per experientiam non diſcurrere: & in alijs locis inquit, non eſſe diſcurſiuum: ac tandem in q. 8. de Verit. art. 15. ad ſecundum docet, Angelum non diſcurrere, etiam in ſupernaturalibus: & in ſolutione ad quartum quod cordis abſcondita in motibus corporis intuentur Angeli, ſicut cauſæ videntur in ſimilitudinibus ſuorum effectuũ, abſque omni diſcurſu.

Secundũ fũdamentum. *Suarez.* *D. Thom.* 46 Secundo probatur à Suarez loco citato n. 19. eadem ſententia. Nam circa ſupernaturalia Angelus poteſt cognoſcere aliquid opinando, & per coniecturam: ergo poteſt diſcurrere. Antecedens eſt D. Thomæ quæſt. 16. de Malo art. 6. ad tertium ſecundi ordinis, vbi dicit, Dæmonem in eis, quæ Deus ſupernaturaliter facit in creaturis, interdum deficere falſum opinando. Et Matth. 4. loquens de tentatione Dæmonis, inquit, quod poſtmodum viſis miraculis, ex quadam ſuſpicatione coniecturauit, eum eſſe filium Dei. Conſequentia vero probatur. Quia ibi concurrunt ea, quæ ad diſcurſum neceſſaria ſunt. Nam in primis ibi inueniuntur plures actus: vnus circa obiectum naturaliter, & euidenter notum Angelo, alius circa illa obiecta ſupernaturalia: quia vnus eſt obſcurus, & alius euidens; vnus verus, & alius falſus, vnus neceſſarius, & alius liber. Non enim proprietates adeò diſtinctæ, imò & oppoſitæ poſſunt ſimul eidem actui conuenire: nec in nobis poſſunt maiora indicia diuerſorum actuum cogitari. Poſita vero actuum diſtinctione, cauſalitas vnius ex alio euidens eſt: quia tota ratio aſſentiendi vni obiecto eſt aſſenſus alterius.

Confirm 1 Confirmat hoc ipſum primo idem Suarez. Nam hac ratione dicitur, poſſe Angelum in his vti compoſitione, & diuiſione, quia nõ cognoſcit ſubiectum adeò perfectè, vt in eo cognoſcat prædicatum: ſed ſimile quid contingit in cognitione cauſæ ex ſigno, vel effectu, vel in cognitione rei ex teſtimonio: ergo eadem ratione Angelus diſcurret.

Secunda. Confirmat ſecundo. Quia licet diſcurſus non ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, nihilominus ſuppoſita aliqua imperfectione, nempe, quod cognoſcens non poſſit rem in ſe, vel in alio euidenter, & prout in ſe eſt cognoſcere, eſt magna perfectio, vt ſaltem aliquo modo poſſit talis veritas attingi: ſed Angeli habent illam imperfectionem in prædictis materijs, vt ſupponitur: ergo non eſt contra eorum perfectionem in illis diſcurrere, imo hoc ad eius perfectionem neceſſarium videtur.

Fit obuiam argumento.

47 Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Et ad probationem dicendũ eſt, nõ interuenire ibidem pluralitatem realem actuum. Nam ſicut eadẽ notitia poteſt reſpectu diuerſorum obiectorum eſſe intuitiua, & abſtractiua, maximè quando eſt eminens: ita poteſt eſſe euidens, & obſcura: vt cum in principio lumine naturæ euidenter noto inſpicitur aliqua concluſio non euidenter, ſed coniecturaliter, aut opinatiuè, ex eo quod non apparet nexus neceſſarius, ſed (vt ſic dicamus) coniecturalis inter prædictum principium, & illam concluſionẽ. Et deinde dicimus, quod quoties cognitio Angelica, quales ſunt aliquæ cognitiones Dæmonum, eſt falſa quoad concluſiones cognitas in principijs, toties illa cognitio eorundem principiorum eſt omnino falſa: quia non terminatur ad principia, niſi vt cognita per modum continentium prædictam concluſionem: & ſimiliter quoties cognitio concluſionis eſt libera, toties notitia principiorum, vt in eis videntur concluſiones (ſecundum quam rationem prædicta principia attinguntur) eſt etiam libera.

Ad cõfirmationes. Ad primam confirmationem patebit ex dicendis dubio ſequenti. Ad ſecundam vero dicendum eſt, quod ſicut nos per diſcurſum proprie dictum intelligimus coniecturando: ita etiam Angelus ſine illo ſimplici intuitu queit coniecturare: ex eo quod principium illud, in quo coniecturat, tantum habet (vt ſic dicamus) coniecturalem nexum cum concluſione. Et ideo adhuc dato, Angelum non poſſe virtute propria euidenter cognoſcere illam concluſionem, non eſt neceſſè, ad hoc vt illam imperfectè attingat, recurrere ad diſcurſum propriè dictum.

Vltimũ fundamentum. 48 Vltimo probatur eadem ſententia. Nam Angelus ex cognitione ſupernaturaliũ de obiecto naturali venit in cognitionem naturalem: ergo diſcurrit. Conſequentia patet, Nam iſtæ cognitiones ſunt diſtinctæ: naturale enim, & ſupernaturale non poſſunt identificari. Et antecedens probatur. Nam cognitio naturalis Angelorum perficitur ex cõiunctione ad cognitionem ſupernaturalem, & extenditur ad id, quod aliàs non attingebat, v. g. ex cognitione ſupernaturali Incarnationis perfectius cognoſcit, perſonalitatẽ eſſe infinitam in perſonando.

Enodatur. Reſpondetur, negando antecedens. Et ad proba-

probationē dicēdum est, quod virtus naturalis Angeli ex coniunctione ad supernaturalia perficitur in ordine ad cognoscendam veritatem naturalem. Quod vero illa inferatur ex supernaturali, non cognoscitur per lumen naturæ, nec cognitione naturali, nam hæc solum attingunt virtutem naturalem secūdum se, sed cognoscitur eadem cognitione supernaturali, & modo insinuato, qua cognoscūtur supernaturalia. Bene enim possunt naturalia cognosci cognitione supernaturali secundariò, quatenus aliquo modo cōnectuntur, vel inferuntur ex supernaturalibus, quomodo cognoscuntur creaturæ naturales per visionem beatam.

DVBIVM III.

Vtrùm Angeli intelligant componendo, & diuidendo?

SEMEL Explicato, Angelum non discurrere, statim pulsat animum inquirere, an sicut nō habet discursum, ita nec habeat componere, & diuidere: & propterea à Angelicus Præceptor, postquā inquisiuit, an Angelus intelligat discurrēdo? statim inquirit, an habeat intelligere componendo, & diuidendo?

§. I. *Expeditio dubij ex mente D. Thomæ.*

Assertio. 49 DIcendum ergo est, Angelos non intelligere componendo, aut diuidendo. Ita D.

D. Thom. Thomas in præsenti: *Cùm in Angelo*, inquit, *sit lumen intellectuale perfectum, cùm sit speculum purum, & clarissimum, vt dicit Dionysius 4. cap. de diuinis nom. relinquitur, quòd Angelus, sicut non intelligit ratiocinando, ita non intelligit componendo, & diuidendo, &c.* Idem docet quæst. 16. de Malo art. 6. ad 1. secundi ordinis, & alibi sæpè. Angelicum Præceptorem sequuntur communiter Thomistę, Caiet. in præsenti art. 4. & 5. Bañez, & Zumel dub. 4. Nazarius controuersia vnica, Ripa in notatione ad hunc art. 4. Valent. disp. 4. q. 9. puncto 2. & alij.

Caiet. Bañez. Zumel. Nazar. Ripa. Valent.

Fundamentalis ratio. Ratio autem vnica, & fundamentalis huius assertionis desumitur ex eodem D. Thoma in præsenti, quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam propterea intellectus humanus intelligit componendo, & diuidendo, quia cum sit imperfectus, non potest statim, vt apprehendit aliquam rem, inspicere simul omnia, quæ illi conueniunt: & similiter ratiocinatur, quia intellecto principio non statim videt omnes conclusiones contentas in illo. Sed Angelus, cùm sit speculum purum, & clarissimum, teste D. Dionysio c. 4. de diuinis nominibus, habet lumen intellectuale perfectum: ergo sicut non intelligit ratiocinando, quia intellecto principio, eadem intellectione videt in illo omnes conclusiones; ita etiam non intelliget componendo: nam visa, vel apprehēsa essentia, eadem notitia videt omnia, quæ illi conueniunt. Nec necesse erit plura, aut aliqua alia circa hāc rationem D. Thomæ adijcere, aut solutiones, quas ei aduersarij tradunt, referre: quia omnes illæ satis manent impugnatæ ex illis, quæ dubio præcedenti diximus.

§. II. *Opposita sententia, fundamenta, & responsiones ad illa.*

Contraria sententia. 50 OPpositam tamen sentētiam admittentem in cognitione Angelica compositionem, & diuisionem, in discriminatim tam circa naturalia, quam supernaturalia, tenent Scotus, & alij supra relati. Quibus quoad supernaturalia, & reuelata consentit Vazquez disp. 223. Sicut & quoad ea, quæ Angelus non cognoscit euidenter, iudicat id esse probabile Suarez lib. 2. de Angelis cap. 32. Et tandem Molina admittit, Angelum componere, & diuidere, quādo vtitur simul pluribus speciebus, vel intelligit extrema per plures species: docetque vniuersaliter, quod sicut Angelus discurrit per accidens, quoties nequit per eandem notitiam cognoscere principium, & conclusionem: ita etiam componit, vel diuidit, quoties non potest eadem notitia attingere simul extrema complexionis.

Scot. Vazquez. Suarez. Molina.

Argumēti primum. Probatur primo. Nam Angelus interdū vtitur pluribus speciebus, saltem per modū vnius: ergo intelligit cōponendo. Antecedēs ex his, quæ supra in duobus præcedentibus dubijs diximus, satis constat. Consequentia vero probatur. Tum, quia D. Thomas supra q. 14. art. 14. docet, compositionē oriri ex pluralitate specierum. Tum etiam, quia quādo Angelus vtitur speciebus, etiam si sit per modum vnius, non intelligit vnico tantum conceptu, sed pluribus, iuxta pluralitatem specierum: quia conceptus debet proportionari speciei, à qua producitur: & si vnicus cōceptus posset correspondere pluribus speciebus, nulla esset ratio, quare non dedisset Angelis speciem proportionatam illi cōceptui: ac proinde Angelus intelligit componendo: cum iuxta dicta compositio resultet ex pluralitate conceptuum.

D. Thom.

Satisfit. Respondetur, concesso antecedenti, negando

negando consequentiam. Et ad primam probationem dicendum est, Angelicum Præceptorem loqui ibi de intellectu humano, qui propter luminis imperfectionem non format vnum conceptum ex pluribus speciebus, sed plures componendo, vel diuidendo. Et ad secundam probationem, satis esse, cõceptum proportionari speciei (vt sic dicamus) totali, ita vt non se extendat vltra illã, non vero est necesse, vt si species sunt plures, & adunantur per modum vnius, quod dentur ibidem plures cõceptus: quia obiectum illud repræsentatum per illam speciem totalé, aut quasi totalem potest refundere vnitatem in illum conceptum, quando lumen est perfectum, vt in Angelo cõtingit. Ad illud autem, quod in eadem probatione additur, dicendũ est, quod tunc intellectus vtitur pluribus speciebus per modum vnius, quando cognoscit vnum per ordinem ad aliud: & ad hoc satis est, quod natura prouideret Angelo de pluralitate specierum ordinabiliũ: quod si posset habere conceptum vnicum de illis rebus absolutè, & non vt dicunt prædictum ordinem, tam sui, quam specierum, desideraretur in Angelo altius lumen, quam id, quod ei datum est, quodque solum petit cognoscere illa obiecta secundum prædictum ordinẽ sui, & specierum illa repræsentantium.

Secundum. 51 Secundo probatur eadem sententia. Quoniam Angelus aliquando intelligit extrema diuersorum ordinum, naturalis, & supernaturalis: ergo tunc datur duplex conceptus: & consequenter compositio, aut diuisio. Antecedens patet. Et prima consequentia, ex qua sequitur secũda, probatur. Quia cum conceptus, & res repræsentata sint eiusdem rationis, imo & eadem res in alio modo essendi, non potest stare, quod idem conceptus simul repræsentet rem naturalem, & supernaturalem, aliàs simul esset naturalis, & supernaturalis, quod repugnat. Ergo, &c.

Diluitur. Respondetur, concedendo antecedens, negando tamen consequentiam. Et ad probationem asserendum est, cõceptum, seu speciem expressam esse eiusdem rationis cum obiecto per se primo, repræsentato, non verò cum obiectis secundariò repræsentatis, vt in 1. tom. tract. 3. disp. 2. nu. 131. diximus. Vnde quando simul intelligitur ab Angelo per vnicum conceptum duplex obiectum, aliud quidem naturale, aliud verò supernaturale, tunc, si obiectum supernaturale quidditatiuè attingatur, concipietur per se primo prædictum obiectum, illudque per se primo conceptum repræsentabit, & secundario obiectum naturale, ita quidem, vt ille conceptus fiat per lumen supernaturale: non enim inconuenit, vt per istud lumen attingatur secundario aliquid naturale, & inferioris ordinis, secundum quod quodammodo reducitur ad obiectum supernaturale. Si vero obiectum supernaturale non cognoscatur quidditatiuè, sed (vt sic dicamus) connotatiuè, tunc conceptus ille poterit per se primo repræsentare rem naturalem, & secundario rẽ aliàs supernaturalem: sicut species creaturæ solet sic secundario, & connotatiuè repræsentare creatorem. Quomodo autem, quando conceptus est supernaturalis, possit produci media specie intelligibili, quæ secũdum suam substantiam sit ordinis naturalis, constat ex illis, quæ solent dici circa species nostras naturales concurrentes ad actum fidei supernaturalis.

52 Tertio probatur eadem sententia. Quoniam in intellectu Angelico datur veritas, vel falsitas: ergo etiam compositio, & diuisio. Patet consequentia. Quoniam veritas, vel falsitas non reperiuntur in simplici apprehẽsione, quæ est prima intellectus operatio, sed in secunda, nimirum in compositione, & diuisione. **Tertium.**

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, intellectum de compositione, & diuisione formali, secus vero de virtuali & eminenti, quæ est in Angelo; licet illa prior in eo non inueniatur. Vnde, quamuis demus, in nostra simplici apprehensione non reperiri virtualiter, & eminenti ratione compositionem, & diuisionem, secus in Angelo, propter excellentem modum suæ cognitionis. **Occurritur**

Et hæc sint satis circa totam hanc quæstionem D. Thomæ. Nam licet in ea S. Doctor art. 5. inquirat, an in intellectu Angeli possit esse falsitas, & in sequentibus articulis de cognitione matutina, & vespertina Angelica agat, quia tamen de istis nihil expedit ad notare, ex eo quod satis ex his, quę tradit D. Thomas, cuique erunt nota, & circa ea, quæ in art. 5. traduntur, latius agemus infrà quæst. 63. disp. 10. num. 238. idcircò in explicatione huius quæstionis vltra non progredimur, sed hic silẽdum iudicauimus. **D. Thom.**

(3.)

QVÆ-

QVAESTIO LIX. DE VOluntate Angelorum in quatuor Articulos diuisa.

PROOEMIVM.

CONSEQVENTER Considerandum est de ijs, quæ pertinent ad voluntatem Angelorum. Et primò considerabimus de ipsa voluntate. Secundò de motu eius, qui est amor, siue dilectio.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in Angelis sit volũtas?

† 2. cõ. c 46. Et opus. 3 c. 76.

AD Primũ sic proceditur. Videtur, quôd in Angelis non sit volũtas. Quia, vt dicit Philosophus * in 3 de Anima. Volũtas in ratione est. Sed in Angelis non est ratio, sed aliquid superius ratione. Ergo in Angelis nõ est volũtas, sed aliquid superius volũtate.

† Text. 42. tom. 2.

¶ 2 Præterea. Volũtas sub appetitu cõtinetur, vt patet per Philosophum in 3. de Anima * Sed appetitus est imperfecti: est enim eius, quod nondum habetur. Cùm igitur in Angelis, maximè in beatis, non sit aliqua imperfectio, videtur, quôd non sit in eis volũtas.

† Libr. 3 de Anima tex. 48. & seq. vsque ad 54. tom 2.

¶ 3 Præterea. Philosophus dicit in * 3. de Anima, quod volũtas est mouens motũ, mouetur enim ab appetibili intellecto. Sed Angeli sunt immobiles, cũ sint incorporei. Ergo in Angelis nõ est volũtas.

† Libr. 3. de Anima text. 54. tom. 2.

SED cõtra est, quod Augustinus dicit * 10. libr. de Trinitate, quòd imago Trinitatis inuenitur in mente secundùm memoriam, intelligentiã, & voluntatẽ. Imago autem Dei inuenitur non solùm in mente humana, sed etiam in mente Angelica cùm etiam mẽs Angelica sit capax Dei. Ergo in Angelis est voluntas.

† Lib. 10. c. 11. & 12. to 3

RESPONDEO dicendum, quòd necesse est ponere in Angelis voluntatem.

Ad cuius euidentiam considerãdũ est, quòd cùm omnia procedant ex voluntate diuina, omnia suo modo per appetitum inclinãtur in bonum, sed diuersimodè. Quædam enim inclinantur in bonum per solam naturalem habitudinẽ absque cognitione, sicut plãtæ, & corpora inanimata: & talis inclinatio ad bonum vocatur appetitus naturalis. Quædã verò ad bonũ inclinantur cũ aliqua cognitione: non quidẽ sic, quôd cognoscant ipsam rationẽ boni, sed cognoscũt aliquod bonũ particulare, sicut sensus, qui cognoscit dulce, & album, & aliquid huiusmodi. Inclinatio autem hãc cognitionẽ sequens dicitur appetitus sensitiuus. Quædam verô inclinãtur ad bonum

bonũ cum cognitione, qua cognoſcũt ipſam boni rationẽ, quod eſt propriũ intellectus. Et hæc perfectiſsimè inclinãtur in bonũ: nõ quidẽ ab alio ſolũmodò directa in bonũ, ſicut ea, quæ cognitione carẽt: neq; in bonũ particulariter tãtũ, ſicut ea, in quibus eſt ſola ſenſitiua cognitio: ſed tantũ inclinata in ipſum vniuerſale bonũ. Et hęc inclinatio dicitur volũtas. Vnde, cũ Angeli per intellectũ cognoſcant ipſam vniuerſalem rationem boni, manifeſtum eſt quòd in eis ſit voluntas.

Ad primũ ergo dicendũ, quòd aliter ratio tranſcẽdit ſenſum, & aliter intellectus rationem. Ratio enim tranſcẽdit ſenſum ſecundũ diuerſitatem cognitorũ: nã ſenſus eſt particularium, ratio vero vniuerſaliũ. Et ideo oportet, quod ſit alius appetitus tẽdens in bonum vniuerſale, qui debetur rationi: & alius tendẽs in bonũ particulare, qui debetur ſenſui. Sed intellectus, & ratio differunt quantũ ad modũ cognoſcẽdi quia ſcilicet intellectus cognoſcit ſimplici intuitũ, ratio vero diſcurrendo de vno in aliud: ſed tamen ratio per diſcurſum peruenit ad cognoſcendũ illud, quod intellectus ſine diſcurſu cognoſcit, ſcilicet vniuerſale. Idẽ eſt ergo obiectum, quod appetitiuæ proponitur, & ex parte rationis, & ex parte intellectus. Vnde in Angelis, qui ſunt intellectuales tantùm, non eſt appetitus ſuperior voluntate.

Ad ſecundũ dicendũ, quòd licèt nomẽ appetitiuæ partis ſit ſumptũ ab appetẽdo ea quæ nõ habentur: tamẽ appetitiua pars nõ ſolũ, ad hæc ſe extẽdit, ſed etiã ad multa alia. Sicut & nomẽ lapidis ſũptũ eſt à læſione pedis: cũ tamẽ lapidi nõ hoc ſolũ cõueniat. Similiter iraſcibilis potẽtia denominatur ab ira: cùm tamen in ea ſint plures aliæ paſſiones, vt ſpes, & audacia, & huiuſmodi.

Ad tertiũ dicẽdũ, quòd volũtas dicitur mouẽs motũ, ſecũdũ quod velle eſt motus quidam, & intelligere: cuiuſmodi motum nihil prohibet in Angelis eſſe: quia talis motus eſt actus perfecti, vt dicitur in * 3. de Anima. † Tex. 28. commo. 2.

Concluſio eſt affirmatiua.

ARTICVLVS II.

Vtrũm in Angelis voluntas differat ab intellectu?

AD ſecundũ ſic proceditur. 1. Diſt. 24. q. 1. ar. 2. 3 & verit. q. 22. art 10.
Videtur quod in Angelis nõ differat voluntas ab intellectu, & natura. Angelus enim eſt ſimplicior, quã corpus naturale. Sed corpus naturale per ſuam formã inclinatur in ſuum finẽ, qui eſt eius bonũ. Ergo multo magis Angelus. Forma autẽ Angeli eſt vel natura ipſa, in qua ſubſiſtit, vel ſpecies, quæ eſt in intellectu eius. Ergo Angelus inclinatur in bonũ per naturã ſuã, & per ſpeciẽ intelligibilẽ. Hęc autẽ inclinatio ad bonũ pertinet ad volũtatẽ. Voluntas igitur Angeli nõ eſt aliud, quã ei natura, vel intellectus.

¶ 2. Præterea. Obiectum intellectus eſt verũ, volũtatis autẽ bonum. Bonũ autẽ, & verum nõ differunt realiter, ſed ſecundũ rationẽ tantùm. Ergo voluntas, & intellectus non differunt realiter.

¶ 3. Præterea. Diſtinctio cõmu-

nis,& propriij nõ diuerſificat potẽtias: eadẽ enim potentia viſiua eſt coloris,& albedinis. Sed bonũ, & verũ videtur ſe habere ſicut commune,& proprium: nam verum eſt quoddã bonum, ſcilicet intellectus. Ergo voluntas, cuius obiectũ eſt bonum, nõ differt ab intellectu, cuius obiectum eſt verum.

SED cõtrâ. Voluntas in Angelis eſt bonorũ tantũ; intellectus autẽ eſt bonorum,& malorum: cognoſcunt enim vtrumque. Ergo voluntas in Angelis eſt aliud, quàm eius intellectus.

RESPONDEO dicendũ, quòd volũtas in Angelis eſt quædã virtus, vel potẽtia, quę nec eſt ipſa eorũ natura, nec eorum intellectus. Et quòd nõ ſit eorũ natura, apparet ex hoc, quòd natura, vel eſſentia alicuius rei intra ipſam rẽ cõprehẽditur. Quicquid ergo ſe extẽdit ad id, quod eſt extra rem, nõ eſt rei eſſentia. Vnde videmus in corporibus naturalibus, quôd inclinatio, quæ eſt ad eſſe rei, non eſt per aliquid ſuperadditum eſſentiæ, ſed per materiã, quæ appetit eſſe, antequã habeat, & per formã, quæ tenet rem in eſſe, poſtquã fuerit. Sed inclinatio ad aliquid extrinſecum eſt per aliquid eſſentię ſuperadditum, ſicut inclinatio ad locum eſt per grauitatẽ, vel leuitatẽ. Inclinatio autẽ ad faciendũ ſibi ſimile eſt per qualitates actiuas. Voluntas autẽ habet inclinationẽ in bonum naturaliter. Vnde ibi ſolũ eſt idem eſſentia,& voluntas, vbi totaliter bonũ continetur in eſſentia volẽtis, ſcilicet in Deo, qui nihil vult extra ſe, niſi ratione ſuæ bonitatis: quod de nulla creatura pòteſt dici, cũ bonũ infinitũ ſit extra eſſentiã cuiuslibet cauſati. Vnde nec voluntas Angeli, nec alterius creaturæ poteſt eſſe idem, quod eius eſſentia. Similiter nec poteſt eſſe idẽ, quod intellectꝰ Angeli, vel hominis. Vnde ea ratione ſe extẽdit eius intellectus in id, quod eſt extra ſe, ſecundũ quod illud, quod extra ipſũ eſt per eſſentiã, natũ eſt aliquomodo in eo eſſe: nã cognitio fit per hoc, quòd cognitũ eſt in cognoſcẽte. Volũtas verò ſe extẽdit in id, quod extrà eſt, ſecundũ quòdquadã inclinatione quodãmodo tẽdit in rẽ exteriorẽ. Alterius autẽ virtutis eſt, quod aliquid habeat in ſe, quod eſt extra ſe,& quod ipſum tẽdat in rẽ exteriorem. Et ideo oportet, quod in qualibet creatura ſit aliud intellectus,& volũtas. Non autẽ in Deo, qui habet & ens vniuerſale, & bonum vniuerſale in ſe ipſo. Vnde tam voluntas, quam intellectus eſt eius eſſentia.

Ad primũ ergo dicẽdum, quôd corpus naturale per formã ſubſtãtialẽ inclinatur in eſſe ſuũ: ſed inexterius inclinatur per aliquid additum, vt dictum eſt.

Ad ſecundũ dicendũ, quod potentiæ nõ diuerſificãtur ſecundũ materialẽ diſtinctionẽ obiectorũ, ſed ſecundũ formalẽ diſtinctionẽ, quæ attẽditur ſecundũ rationẽ obiecti. Et ideò diuerſitas ſecundum rationẽ boni, & veri ſufficit ad diuerſitatẽ intellectus,& voluntatis.

Ad tertium dicendum, quòd quia bonũ,& verum cõuertuntur ſecundum rẽ, inde eſt, quòd & bonum ab intellectu intelligitur ſub ratione veri; & verum à voluntate appetitur ſub ratione boni. Sed tamen diuerſitas rationum ad diuerſi-

uerſificandum potentias ſufficit, vt dictum eſt.

In corp. ar. 2 diſtincto a.t. 3. & 4. q. 16.

Concluſio affirmat.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in Angelis ſit liberum arbitrium?

AD tertiũ ſic proceditur. Videtur, quòd in Angelis nõ ſit liberum arbitrium. Actus enim liberi arbitrij eſt eligere. Sed electio nõ poteſt eſſe in Angelis, cùm electio ſit appetitus præconſiliati: cõſilium autẽ eſt inquiſitio quædã, vt dicitur in * 3. Ethic. Angeli autẽ nõ cognoſcunt inquirẽdo: quia hoc pertinet ad diſcurſum rationis. Ergo videtur, quòd in Angelis non ſit liberum arbitrium.

2. Diſt 7. q. 1. ar. 1. ad 1. & 2. con. ca. 47. ſit veri. q 23. art. 1. cor. Et q. 24 ar. 2 & 3. Et mal q. 16 art. 5. cor. Et opuſ. 3. cap 76.

† Lib. 3. c. 3. & lib. 9. c. 9. tom. 5.

¶ 2. Præterea. Liberum arbitrium ſe habet ad vtrũlibet. Sed ex parte intellectus nõ eſt aliquid ſe habens ad vtrumlibet in Angelis: quia intellectus eorum nõ fallitur in naturalibus intelligibilib⁹, vt dictum eſt. Ergo nec ex parte appetitus liberum arbitrium in eis eſſe poteſt.

‖ Q. 58. ar 5

¶ 3. Præterea. Ea, quæ ſunt naturalia in Angelis, cõueniunt eis ſecundùm magis, & minus: quia in ſuperioribus Angelis natura intellectualis eſt perfectior, quam in inferioribus. Liberum autẽ arbitriũ nõ recipit magis, & minùs. Ergo in Angelis non eſt liberum arbitrium.

SED cõtrà. Libertas arbitrij ad dignitatẽ hominis pertinet. Sed Angeli digniores ſunt hominib⁹. Ergo libertas arbitrij, cũ ſit in hominibus, multô magis eſt in Angelis.

RESPONDEO dicendum, quòd quædã ſunt, quæ non agunt ex aliquo arbitrio, ſed qua ſi ab alijs acta, & mota, ſicut ſagitta à ſagittante mouetur ad finẽ. Quædã verò agunt quodã arbitrio, ſed nõ libero, ſicut animalia irrationalia. Quis enim fugit lupum ex quodam iudicio, quo exiſtimat eum ſibi noxium. Sed hoc iudicium nõ eſt ſibi liberum, ſed à natura inditum. Sed ſolum id, quod habet intellectũ, poteſt agere iudicio liberõ, in quantum cognoſcit vniuerſale rationẽ boni: ex qua poteſt iudicare hoc, vel illud eſſe bonum. Vnde vbicumque eſt intellect⁹, eſt liberum arbitrium. Et ſic patet, liberũ arbitriũ eſſe in Angelis etiã excellentius, quã in hominibus, ſicut & intellectum.

Ad primũ ergo dicẽdum, quòd Philoſophus loquitur de electione, ſecundum quòd eſt hominis. Sicut autẽ exiſtimatio hominis in ſpeculatiuis differt ab exiſtimatione Angeli in hoc, quod vna eſt abſque inquiſitione, alia verò per inquiſitionẽ: ita & in operatiuis. Vnde in Angelis eſt electio, nõ tamẽ cũ inquiſitiua deliberatione cõſilij, ſed per ſubitam acceptionem veritatis.

Ad ſecundũ dicẽdum, quòd ſicut dictum * eſt, cognitio fit per hoc, quod cognita ſunt in cognoſcente. Ad imperfectionẽ autẽ alicuius rei pertinet, ſi non ſit in ea id, quod natũ eſt in ea eſſe. Vnde Angelus nõ eſſet perfectus in ſua natura, ſi intellectus eius nõ eſſet determinatus ad omnem veritatem quam naturaliter cognoſcere poteſt. Sed actus appetitiuæ virtutis

† Art. præc. & q. 12. ar. 4

eſt per hoc, quôd affectus inclinatur ad rem exteriorem. Non autem depẽdet perfectio rei ex omni re, ad quam inclinatur, ſed ſolùm ex ſuperiori. Et ideò non pertinet ad imperfectionem Angeli, ſi non habet voluntatem determinatam reſpectu eorum, quæ infrâ ipſum ſunt. Pertineret autem ad imperfectionem eius, ſi indeterminatè ſe haberet ad illud, quod ſupra ipſum eſt.

Ad tertium dicendum, quôd liberum arbitrium nobiliori modo eſt in ſuperioribus Angelis, quã in inferioribus, ſicut & iudicium intellectus. Tamen verum eſt, quòd ipſa libertas, ſecundùm quôd in ea conſideratur quædam remotio coactionis, non ſuſcipit magis, & minùs: quia priuationes, & negationes non remittuntur, nec intenduntur per ſe, ſed ſolùm per ſuam cauſam, vel ſecundùm aliquam affirmationem adiunctam.

Concluſio.

In Angelis verè datur liberũ arbitrium

ARTICVLVS IIII.

Vrùm in Angelis ſit iraſcibilis, & concupiſcibilis?

Veri. q. 24. ar. 10. cor.

AD quartum ſic procedi tur. Videtur, quòd in Angelis ſit iraſcibilis, & concupiſcibilis. Dicit enim Dionyſ. * 4. c. de diuinis nominibus, quòd in Dæmonibus eſt furor irrationabilis, & concupiſcẽtia amẽs. Sed Dæmones eiuſdem naturæ ſunt cũ Angelis: quia peccatum non mutauit in eis naturam. Ergo in Angelis eſt iraſcibilis, & concupiſcibilis.

† Cap. 4. par. 4 parũm à medio.

¶ 2. Præterea. Amor, & gaudiũ in concupiſcibili ſunt: ira verò, ſpes, & timor in iraſcibili. Sed hæc attribuũtur Angelis bonis, & malis in ſcripturis. Ergo in Angelis eſt iraſcibilis, & cõcupiſcibilis.

¶ 3. Præterea. Virtutes quædã dicuntur eſſe in iraſcibili, & cõcupiſcibili: ſicut charitas, & temperantia videntur eſſe in concupiſcibili, ſpes autẽ, & fortitudo in iraſcibili. Sed virtutes hæ ſunt in Angelis. Ergo in Angelis eſt concupiſcibilis, & iraſcibilis.

SED contra eſt, quod Philoſophus dicit in * 3. de Anima, quòd iraſcibilis, & concupiſcibilis ſunt in parte ſenſitiua, quæ nõ eſt in Angelis. Ergo in eis non eſt iraſcibilis, & concupiſcibilis.

† Lib. 3. de Anima tex. 41.

Reſpondeo dicendũ, quòd intellectiuus appetitus non diuiditur per iraſcibilem, & concupiſcibilẽ, ſed ſolũ appetitus ſenſitiuus. Cuius ratio eſt. Quia cùm potẽtię non diſtinguantur ſecundũ diſtinctionẽ materialẽ obiectorum, ſed ſolùm ſecundũ rationẽ formalẽ obiecti, ſi alicui potentię correſpondeat aliquod obiectum ſecundùm rationẽ cõmunem, non erit diſtinctio potentiarum ſecũdùm diuerſitatẽ propriorum, quæ ſub illo cõmuni continentur. Sicut ſi proprium obiectum potẽtiæ viſiuæ eſt color ſecundũ rationem coloris, nõ diſtinguuntur plures potentiæ viſiuæ ſecundũ differentiã albi, & nigri. Sed ſi propriũ obiectũ alicuius potẽtiæ eſſet album, in quantũ album, diſtingueretur potentia viſiua albi à potentia viſiua nigri. Manifeſtum eſt autem ex di-

Ar. 1. huius quæſt. & q. 16 art. 1.

ex dictis, * quôd obiectum appetitus intellectiui, qui voluntas dicitur, eſt bonum ſecũdùm communem boni rationem. Nec poteſt eſſe aliquis appetitus, niſi boni. Vnde in parte intellectiua appetitus non diuiditur ſecundum diſtinctionem aliquorum particularium bonorum, ſicut diuiditur appetitus ſenſitiuus, qui non reſpicit bonum ſecundùm communẽ rationem, ſed quoddam particulare bonum. Vnde cùm in Angelis non ſit niſi appetitus intellectiuus, eorum appetitus non diſtinguitur per iraſcibilem, & concupiſcibilem: ſed remanet indiuiſus, & vocatur voluntas.

Ad primũ ergo dicendũ, quôd furor, & cõcupiſcentia metaphoricè dicũtur eſſe in Dæmonibus: ſicut & ira quãdoque Deo attribuitur propter ſimilitudinẽ effectus.

Ad ſecundũ dicendum, quôd amor, & gaudiũ, ſecundùm quòd ſunt paſsiones, ſunt in concupiſcibili: ſed ſecundùm quòd nominant voluntatis actum, ſic ſunt in intellectiua parte: prout amare eſt velle bonum alicui, & gaudere eſt quieſcere volũtatẽ in aliquo bono habito. Et vniuerſaliter nihil horũ dicitur de Angelis ſecundũ paſsionem, vt Auguſtinus dicit * 9. de Ciuitate Dei.

† Lib. 9. de Vult. Dei c. 5. non procul à fine tomo 5.

Ad tertium dicendum, quòd charitas, ſecundùm quòd eſt virtus, non eſt in concupiſcibili, ſed in voluntate. Nam obiectum concupiſcibilis eſt bonum delectabile ſecũdũ ſenſum. Huiuſmodi autẽ non eſt bonũ diuinum, quod eſt obiectũ charitatis. Et eadẽ ratione dicendũ eſt, quòd ſpes non eſt in iraſcibili: quia obiectum iraſcibilis eſt quoddam arduum, quod eſt ſenſibile, circa quod non eſt ſpes, quæ eſt virtus, ſed circa arduũ diuinum. Temperãtia autem, ſecundùm quòd eſt virtus humana, eſt circa concupiſcentias delectabilium ſenſibilium, quæ pertinent ad vim cõcupiſcibilẽ. Et ſimiliter fortitudo eſt circa audacias, & timores, quæ ſunt in iraſcibili. Et ideô temperantia, ſecundũ quòd eſt virtus humana, eſt in concupiſcibili, & fortitudo in iraſcibili. Sed hoc modo nõ ſunt in Angelis. Nõ enim in eis ſunt paſsiones concupiſcẽtiarũ, vel timoris, & audacię, quas oporteat per temperantiã, & fortitudinem regulari: ſed temperãtia in eis dicitur, ſecundũ quôd moderatè ſuam voluntatẽ exhibent ſecundum regulam diuinæ voluntatis: & fortitudo in eis dicitur, ſecundùm quòd voluntatem diuinã firmiter exequũtur. Quod totum fit per voluntatem, & non per iraſcibilẽ, & cõcupiſcibilem.

Concluſio.

Appetitus Angelorum non diſtinguitur per iraſcibilem, & concupiſcibilem, ſed remanet indiuiſus, & vocatur voluntas.

Animaduerſio circa hos articulos.

CIrca quæſtionẽ iſtã ſolet diſcuti, primò, An in Angelis ſit volũtas? Secũdò. Vtrũ ſit diſtincta ab intellectu? Tertiò. Vtrũ volũtas hominis, & Angeli differãt ſpecie? Quartò. Vtrũ in Angelo ſit liberũ arbitriũ? Cæterũ, quia de primo, & vltimo conſtat ex illis, quæ in 1. tom. tr. 4. diſp. 1. n. 7. diximus: & de ſecundo patet ex eis, quæ N. Compl. in lib. de Anima diſp. 7. n. 20. tradunt ad probandũ, voluntatẽ, & intellectum humanũ realiter inter ſe differre, & quoad hoc par eſt ratio in homine, & in Angelo: & tandẽ de tertio liquet ex illis, quæ de intellectu humano, & Angelico in lib. de Anima diſp. 17. à n. 10. & deinceps prædicti Compl. docẽt, nec nõ ex eis, quæ in 1. tom. tr. 2. diſp. 1. n. 19. tradidimus: idcircò quoad hãc quæſtionẽ nihil nobis ſupereſt dicendũ circa tres priores articulos, ſicut nec circa quartum: quia res in illo contenta eſt ſatis perſpicua. *N. Compl.*

QVAESTIO LX. DE AMORE, & dilectione Angelorum in quinque articulos diuiſa.

PROOEMIVM.

DEINDE conſiderandũ eſt de actu voluntatis, qui eſt amor, ſiue dilectio: nam omnis actus appetitiuæ virtutis ex amore, ſeu dilectione deriuatur. Et circa hoc quæruntur quinque. Primo, vtrum in Angelis ſit dilectio naturalis. Secundo, vtrum in eis ſit dilectio electiua. Tertio, vtrùm Angelus diligat ſe ipſum dilectione naturali, an electiua. Quarto, vtrum vnus Angelus diligat alium dilectione naturali, ſicut ſe ipſum. Quinto, vtrum Angelus naturali dilectione diligat Deum, pluſquam ſe ipſum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in Angelo ſit amor ſeu dilectio naturalis?

1.1.q.26.ar. 2.& 3. iſt. 27 q. 1. art. 2. cor. Et quoli 1.q. 4. art 3.

AD primum ſic procedi-tur. Videtur, quod in Angelis non ſit amor, vel dilectio naturalis. Amor enim naturalis diuiditur contra intellectualem, vt patet per Dionyſium * 4. cap. de diuinis nominibus. Sed amor Angeli eſt intellectualis. Ergo non eſt naturalis.

† Cap. 4.

¶ 2. Prætereà. Ea, quæ amant amore naturali, magis aguntur, quàm agant: nihil enim habet dominium ſuæ naturæ. Sed Angeli non aguntur, ſed agunt: cùm ſint liberi arbitrij, vt oſtenſum * eſt. Ergo in Angelis nõ eſt amor, ſeu dilectio naturalis.

† Q. præced art. 3.

¶ 3. Prætereà. Omnis dilectio aut eſt recta, aut non recta. Dilectio autem recta pertinet ad charitatem; dilectio autem non recta pertinet ad iniquitatem. Neutrũ autem horum pertinet ad naturam: quia charitas eſt ſupra naturam, inquitas autẽ eſt contra naturam. Ergo nulla dilectio naturalis eſt in Angelis.

SED contra eſt, quòd dilectio ſequitur cognitionem: nihil enim amatur, niſi cognitum, vt Auguſtinus dicit de Trinitate. Sed in Angelis eſt cognitio naturalis. Ergo & dilectio naturalis.

Lib. 1. de Trinit. c. 8. & lib. 10 c. 1. & 2. tom.

RESPONDEO dicendum, quòd neceſſe eſt ponere in Angelis dilectionem naturalem.

Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quod ſemper per priùs ſaluatur in poſteriori. Natura autem prior eſt, quàm intellectus

lectus: quia natura cuiuſcumque rei eſt eſſentia eius. Vnde id, quod eſt naturæ, oportet ſaluari etiam in habentibus intellectum. Eſt autem hoc commune omni naturæ, vt habeat aliquam inclinationem, quæ eſt appetitus naturalis, vel amor. Quæ tamen inclinatio diuerſimodè inuenitur in diuerſis naturis, in vnaquaque ſecundum modum eius. Vnde in natura intellectuali inuenitur inclinatio naturalis ſecundùm voluntatem: in natura autem ſenſitiua, ſecundum appetitum ſenſitiuum: in natura verò carente cognitione, ſecundum ſolum ordinem naturæ in aliquid. Vnde, cum Angelus ſit natura intellectualis, oportet, quòd in voluntate eius ſit naturalis dilectio.

Ad Primum ergo dicendum, quòd intellectualis amor diuiditur contra naturalẽ, qui eſt ſolum naturalis, in quantum eſt naturę, quæ non addit ſupra rationem naturæ perfectionem ſenſus, aut intellectus.

Ad ſecundum dicendum, quod omnia, quæ ſunt in toto mundo, aguntur ab aliquo præter primũ agens, quod ita agit, quod nullo modo ab alio agitur. In quo eſt idem natura, & voluntas. Et ideo non eſt inconueniens, ſi Angelus agatur, in quantum inclinatio naturalis eſt ſibi indita ab authore ſuæ naturæ. Non tamen ſic agitur, quòd non agat, cùm habeat liberam voluntatem.

Ad tertium dicendum, quòd ſicut cognitio naturalis ſemper eſt vera, ita dilectio naturalis ſemper eſt recta: cùm amor naturalis nihil aliud ſit, quàm inclinatio naturæ indita ab authore naturæ. Dicere ergo, quòd inclinatio naturæ non ſit recta, eſt derogare authori naturæ. Alia tamen eſt rectitudo naturalis dilectionis, & alia eſt rectitudo charitatis, & virtutis, quia vna rectitudo eſt perfectiua alterius: ſicut etiam alia eſt veritas naturalis cognitionis, & alia eſt veritas cognitionis infuſæ, vel acquiſitæ.

Concluſio.

Neceſſe eſt in Angelo ponere dilectionem naturalem.

Annotationes circa hunc articulum.

rm ane ßio pro intel ligentia titu li articuli.

1 CIrca titulum illius notandum eſt primò, Angelicum Doctorem loqui de actu elicito voluntatis, qui habeat modum naturæ, modumque neceſsitatis. Deinde circa concluſionem articuli animaduertendum eſt, latiùs de ea à nobis inſtituendum eſſe ſermonem infrà q. 63. diſput. 9. n. 58. & deinceps: quia ad ea, quæ ibidem dicentur, hoc deſideratur. Et ideò, quæ circa hæc quoad præſens defuerint, ibidem videri poſſunt.

Ratio D. Thomæ.

Vnde quoad præſens ſolùm elucidabimus aliquantulum rationem, quam D. Thomas in hoc articulo affert, quam ipſe clariùs format quæſt. 22. de Veritate art. 5. his verbis. *In rebus ordinatis oportet, primum modum includi in ſecundo, & in ſecundo inueniri non ſolùm id, quod ſibi competit ſecundùm rationem, propriam ſed quod competit ſecundùm rationem primi ſicut homini conuenit non ſolùm ratione vti, quod ei competit ſecundùm propriam differentiam, quæ eſt rationale, ſed vti ſenſu, vel alimento, quod ei competit ſecundùm genus ſuum, quod eſt animal, vel viuum. Et ſimiliter videmus in ſenſibilibus, quòd cùm ſenſus tactus ſit quaſi fundamentum aliorum ſenſuum in organo vnuſcuiuſque ſenſus non ſolùm inuenitur proprietas illius ſenſus, cuius eſt organum proprium, ſed etiam proprietas tactus: ſicut organum ſenſus viſus non ſolùm ſentit album, & nigrum, in quantum eſt organum viſus, ſed ſentit calidum, & frigidum, & corrumpitur ab eorum excellentijs, ſecundùm quòd eſt organum tactus. Natura autem, & voluntas hoc modo ordinata ſunt, vt ipſa voluntas quædam natura ſit: quia omne, quod in rebus inuenitur, natura quædam dicitur. Et ideò in voluntate oportet inuenire non ſolùm*

id, quod voluntatis est, sed etiam, quod naturæ est. Hoc autem est cuiuslibet naturæ creatæ, vt à Deo sit ordinata in bonum, naturaliter appetens illud. Vnde & voluntati ipsi ineſt naturalis quidam appetitus ſibi conuenientis boni, &c.

Obiectio. 2 Nec refert, ſi contra rationem hanc obijcias, falsò in ea dici, naturam esse priorem voluntate. Nam vel est prior vniuersalitate, vel causalitate? Neutrum horum. Ergo, &c. Minor quoad primam partem, scilicet quòd nõ sit prior vniuersalitate, patet. Quia natura, & voluntas condiuiduntur, vt dicitur 2. Physicorum, & 9. Metaphysicæ. Superius autem, & vniuersalius non condiuiditur contra inferius, & particularius. Quoad secundam verò partem, nempe, etiam naturam non esse priorem causalitate, quàm voluntatem, probatur eadem minor. Nam aliàs non sequeretur intentum D. Thomæ, quòd voluntas habet imbibitam rationem naturæ. Nam habitus primorum principiorum est prior scientia isto modo. & propositio necessaria est prior contingente: & intellectus est prior voluntate. Et tamen nec in scientia reperitur propriè habitus primorum principiorum, vel intelligere sine discursu: nec in propositione, aut causa contingente necessitas, aut immutabilitas: nec in voluntate intellectus, vel trahere res ad se. Ergo, &c.

Soluitur. 3 Respondetur, negando minorẽ quoad vtramque partem. Et ad probationem contra priorem dicendum est, voluntatem in *esse* rei sumptam non diuidi cõtra naturam, quin potiùs identificare sibi naturam: sed solùm diuidi contra illam sumptam formalissimè, vt habet rationem voluntatis, seu libertatis. Nam (vt ex ratione D. Thomæ, & ex terminis ipsis constat) voluntas in *esse* rei non potest non esse quædam natura, sicut etiam necessariò debet habere naturalem inclinationem in bonum sibi conueniens. Et ita secundùm istam rationem debet includere rationẽ naturę, licèt non secundùm omnem considerationem, & rationem formalem in ea inuentam comparetur per modum inferioris respectu illius. Sicut organũ visus in esse rei sumptum necessariò debet claudere ea, quæ sunt organi tactus, quamuis non secundum omnẽ rationem: quia, vt formalissimè exercet rationem organi visus, non habet illud includere.

Ad probationem verò eiusdem minoris pro secunda parte dicendum est, voluntatem propter necessariam, & essentialem subordinationem, quę est inter ipsam, vt natura, & vt libertas est, debere necessariò identificare sibi vtramque rationem. Quia, vt infrà q. 63. disput. 9. n. 57. latiùs dicemus, nequit operari vt libertas, nisi priùs operetur vt natura. Cæterùm illa, quæ in hac probatione referuntur, non petunt hanc identificationem; sed potiùs dicunt rationes in compossibiles, vel secundùm se, vt de intellectu, & voluntate constat, vel saltem in nobis, vt in habitu primorum principiorum, & scientiæ liquet.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Angelis sit dilectio electiua?

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod in Angelis non sit dilectio electiua. Dilectio enim electiua videtur esse amor rationalis: cùm electio sequatur cõsilium, quod in inquisitione consistit, vt dicitur in * 1. Ethic. Sed rationalis amor diuiditur contra intellectualem, qui est proprius Angelorum, vt dicitur * 4. cap. de diuinis nominibus. Ergo in Angelis non est dilectio electiua.

Infra q. 26. ar. 2. cor. & 1. 2 q. 10. ar. 1. cor. & 2. 2. q. 14. ar. 1. cor. & veris. q. 22. art. 6. cor.

† Lib. 1. Ethic. cap. 3. à medio.

† C. p. 4. nõ long. à princip.

¶ 2. Præterea. In Angelis non est, nisi cognitio naturalis, præter cognitionem infusam: quia non discurrunt de principijs ad acquirendum conclusiones: & sic de omnia, quæ naturaliter cognoscere possunt, sic se habent, sicut intellectu ad prima principia, quæ naturaliter cognoscere potest. Sed dilectio sequitur cognitionem, vt dictum * est. Ergo in Angelis, præter dilectionem gratuitam, no est nisi dilectio naturalis. Non ergo electiua.

† Art præc. & q. 19. ar. 1

SED contrà. Naturalibus neque meremur, neque demeremur. Sed Angeli sua dilectione aliqua merentur, vel demerentur, Ergo in eis est aliqua dilectio electiua.

RES-

RESPONDEO Dicendum, quod in Angelis eſt quædam dilectio naturalis, & quædam electiua, & naturalis dilectio in eis eſt principium, electiuæ: quia ſemper id, quod pertinet ad priùs, habet rationē principij. Vnde, cùm natura ſit primum, quod eſt in vnoquoque, oportet, quòd id, quod ad naturā pertinet, ſit principium in quolibet. Et hoc appareat in homine quantum ad intellectum, & quantum ad voluntatem. Intellectus enim cognoſcit principia naturaliter. Et ex hac cognitione cauſatur in homine ſcientia concluſionum, quæ non cognoſcuntur naturaliter ab homine, ſed per inuentionē, vel doctrinam. Similiter in voluntate finis hoc modo ſe habet, ſicut principium in intellectu, vt dicitur in †2. Phyſicor. Vnde voluntas naturaliter tendit in ſuum finem vltimum, omnis enim homo naturaliter vult beatitudinē. Et ex hac naturali voluntate cauſantur omnes aliæ volūtates: cùm quicquid homo vult, velit propter finem. Dilectio igitur boni, quod homo naturaliter vult ſicut finem, eſt dilectio naturalis: dilectio autem ab hoc deriuata, quæ eſt boni, quod diligitur propter finem, eſt dilectio electiua. Hoc tamen differenter ſe habet ex parte intellectus, & voluntatis. Quia, ſicut ſuprà dictum * eſt, cognitio intellectus fit ſecundùm quôd res cognitæ ſunt in cognoſcente. Eſt autem ex imperfectione intellectualis naturæ in homine, quôd non ſtatim eius intellectus naturaliter habet omnia intelligibilia; ſed quædam, à quibus in alia quodammodò mouetur. Sed actus appetitiuę virtutis eſt è conuerſo ſecundùm ordinem appetētis ad res. Quarum quædam ſunt ſecundùm ſe bona, & ideò ſecundùm ſe appetibilia: quædam verò habent rationem bonitatis ex ordine ad aliud, & ſunt appetibilia propter aliud. Vnde non eſt ex imperfectione appetentis, quod aliquid appetat naturaliter vt finē, & aliquid per electionem, vt ordinatur in finē. Quia igitur natura intellectualis in Angelis perfecta eſt, inuenitur in eis ſola cognitio naturalis, non autem ratiocinatiua: ſed inuenitur in eis dilectio, & naturalis, & electiua. Hæc autem dicta ſunt, prætermiſsis his, quæ ſupra naturam ſunt: horum enim natura nō eſt principium ſufficiens. De his autem infrà * dicetur.

† Lib. 2. Phyſic. tex. 89. tom. 2.

Q. præc. ar 2.

Q. 62.

Ad primum ergo dicendum, quòd non omnis dilectio electiua eſt amor rationalis, ſecundùm quôd rationalis amor diuiditur contra intellectualem. Dicitur enim ſic amor rationalis, qui ſequitur cognitionem ratiocinatiuam. Non omnis autem electio conſequitur diſcurſum rationis, vt ſuprà dictum eſt, * cum de libero arbitrio ageretur, ſed ſolum electio hominis. Vnde ratio non ſequitur.

Q. præc. ar 3 ad 2.

Ad ſecundum patet reſponſio ex dictis.

Prima concluſio.

In Angelis datur dilectio electiua.

Secunda concluſio.

Naturalis dilectio eſt principium electiuæ dilectionis.

Aliqua

Aliqua notatu digna circa hunc articulum.

Concluſio. 1 CIrca ſecundam concluſionem huius articuli plura dicemus infrà loco citato, nempe diſput 9. n° 57. Circa primam verò placuit aliqua obijcere, vt inde magis explicata maneat: ſi tamen priùs ratione D. Thomæ ad ſequentem formam redigamus,

Ratio D. Thomæ. nempe, quòd habere vtramque dilectionem, naturalem ſcilicet, & electiuam, nullam ponit imperfectionem in natura intellectuali: ergo non eſt negandum Angelis. Conſequẽtia patet. Et antecedens probat D. Thomas ex diſcrimine, quod intercedit inter cognitionem, & dilectionem. *Quia cognitio intellectus fit ſecundùm quod res cognitæ ſunt in cognoſcente. Eſt autem ex imperfectione intellectualis naturæ in homine, quòd non ſtatim eius intellectus naturaliter habet omnia intelligibilia ſed quædam, à quibus in alia quodammodò mouetur. Sed actus appetitiuæ virtutis eſt è conuerſo ſecundùm ordinem appetentis ad res. Quarum quædam ſunt ſecundùm ſe bona, & ideo ſecundùm ſe appetibilia: quædam verò habent rationem bonitatis ex ordine ad aliud, & ſunt appetibilia propter aliud. Vnde non eſt ex imperfectione appetentis, quod aliquid appetat naturaliter, vt finem, & aliquid per electionem, vt ordinatur in finem.* Et hoc eſt dilectio naturalis, & dilectio electiua.

Cõfirmatur Confirmatur ratione, quam innuit S. Doctor. Nam Angelus, quando media non habent neceſſariam connexionem cum fine naturaliter amato, non eſt determinatus ad diligendum hoc potius ens, quàm illud in ordine ad ſuum finẽ, ſed liberè poteſt præferre, quod maluerit: atqui hæc electio iſtius potiùs, quàm illius, vocatur dilectio electiua: ergo quando media non habent neceſſariam connexionem cum fine naturaliter amato, datur in Angelis dilectio electiua. Diximus, *quando media non habent neceſſariam connexionem cum fine naturaliter amato*: quia ſi illam habeant, etiam illa media neceſſariò amantur. Et ita quia Angelus naturaliter amat ſuam beatitudinem naturalem, & adhãc neceſſariò requiritur viuere, & intelligere, etiam hæc naturaliter amat.

Prima obiectio. 2 Tria tamen ſunt, quæ contra aſſertionem hanc obijci poſſunt. Primò, quòd in Angelis nulla eſt dilectio libera: ergo nulla eſt dilectio electiua. Patet conſequentia ex ratione nuper facta pro ſententia D. Thomæ. Et antecedens probatur. Nam, vt docet idẽ Angelicus Præceptor infrà q. 83. art. 1. indifferentia voluntatis fundatur in indifferentia intellectus: in intellectu autem Angeli nulla eſt indifferentia in ſuis iudicijs, teſte eodem D. Thoma in præſenti art. 2. ac proinde in voluntate; aut dilectione Angelica nulla erit libertas.

Angelicus Præceptor

Secunda Secundò. Voluntas Angeli ſupremi eſt naturaliter determinata ad Angelum inferiorem. Quia licèt Angelus inferior ſecundùm ſe ſit inferior ſuperiori, eſt tamen ſuperior illo, vt referibilis in Deum; & voluntas Angeli determinatur ad ſuperiorem, vt docent D. Thomas, & Caietanus ſuprà q. 59. art. 3. ad 2. ſed etiam quodcumque aliud bonum, vt referibile in Deum, eſt ſuperius Angelo: ergo voluntas Angeli determinatur naturaliter ad illud, & non verſabitur circa ipſum electiuè.

D. Thom. Caietanus

Tertia Tertio. Omnia, quæ ſunt in vniuerſo, ſũt bona, aut mala: ſed omnia, quæ ſunt bona, amat Angelus naturaliter, ita quòd non poteſt odiſſe: & omnia mala ita naturaliter odit, quòd non poteſt diligere: ergo omnis amor Angeli eſt neceſſarius & naturalis, ſaltem quoad ſpecificationem: ergo non dabitur in illo amor electiuus.

Ad primã 3 Ad primam ex his obiectionibus reſpondetur, negando antecedens. Et ad probationem vt reſpondeatur, duo notanda ſunt eum Bañez in præſenti. Primum eſt, quòd in aliqua re duo poſſunt ab intellectu conſiderari: alterum, an ſit vera, vel falſa; alterum, an ſit conueniens, vel repugnans fini intento. Primum pertinet ad intellectum, & iudicium ſpeculatiuum: ſecundum verò ad intellectũ, & iudicium practicum. Secundum, quod notat idem Bañez, eſt, quòd veritas rei eſt determinata, vt non poſſint duo oppoſita eſſe vera ſimul: at conuenientia ad finem non habet ſimilem determinationem, ſed frequenter contingit, quòd vtrumque oppoſitorum ſit conueniens ad eundem finem propter diuerſos reſpectus.

Bañez

Hinc ergo eſt, quòd intellectus ſpeculatiuus Angeli, qui non poteſt, per ſe loquendo, decipi circa veritatem rei ſibi propoſitæ, eò quòd penetrat ſimplici intuitu, quidquid eſt in illa, habet plenam determinationem circa iudicium ſpeculatiuum de veritate, aut falſitate rei: & hæc tantùm vult D. Thomas in præſenti. Intellectus verò practicus eiuſdẽ Angeli non habet omnimodam determinationem circa iudicium practicum de conuenientia rei ad finem: eò quòd ipſa conuenientia non eſt totaliter determinata à parte rei. Et quia voluntas Angelica non dirigitur in ſuis actionibus à iudicio ſpeculatiuo, quod ſit de veritate rei, ſed à iudicio practico de rei conuenientia ad finem: idcircò non habet plenam determinationem ad vnum, ſed libertatem radicatam in indifferentia iudicij practici.

Occurritur ſecundæ & tertiæ obiectioni. 4 Ad ſecundam, & tertiam obiectionẽ reſpondetur, quòd licèt Angelus amet naturaliter omnes res, vt entia, vel bona ſunt, non tamen

tamen est determinatus ad eligendum hoc ens, potiùs quàm illud, vt medium in ordine ad suum finem, loquendo de medijs, quæ non habent necessariam connexionem cum fine naturaliter amato. Et ita liberè potest præferre, quod maluerit ex illis per dilectionem electiuam.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Angelus diligat se ipsum dilectione naturali, & electiua?

1 2 q. 10 ar. 1. cor. Et q. 77 ar. 4. ad 1 & q. 26. ar. 4. & 22. q. 67 ar. 5. ad 1. & q. 126. art. 1. cor. Et 1 con. c. 10. fin.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd Angelus non diligat se ipsum dilectione naturali, & electiua. Dilectio enim naturalis est ipsius finis, sicut dictum † Art. præc. est, dilectio autem electiua eorum, quæ sunt ad finem: sed idem non potest esse finis, & ad finem respectu eiusdem. Ergo non potest esse eiusdem dilectio naturalis, & electiua.

¶ 2. Præterea. Amor est virtus vnitiua, & concretiua, vt Dionysius dicit * 4. c. de diuinis nominibus. Sed vnitio, & concretio est diuersorum in vnum reductorum. Ergo non potest Angelus diligere se ipsum.

† Cap. 4 par 2. & etiam non longè à fin. cap.

¶ 3. Præterea. Dilectio est quidam motus. Sed omnis motus in alterum tendit. Ergo videtur, quôd Angelus non possit amare se ipsum dilectione naturali, nec electiua.

SED contra est, quod Philosophus dicit * 9. Ethic. quòd amicabilia, quæ sunt ad alterum, veniunt ex amicabilibus, quæ sunt ad se ipsum.

† Lib 4. Eth c cap 8. paulò à prin tom. 5.

RESPONDEO dicendũ, quòd cùm amor sit boni, bonum autem sit in substantia, & accidenti, vt patet * 1. Ethic. dupliciter aliquid amatur. Vno modo, vt bonum subsistens, alio modo vt bonum accidentale; siue inhærens. Illud quidem amatur vt bonum subsistens, quod sic amatur, vt ei aliquis velit bonum. Vt bonum verò accidentale, seu inhærens amatur id, quod desideratur alteri: sicut amatur scientia, non vt ipsa sit bona, sed vt habeatur. Et hũc modum amoris quidam nominauerunt concupiscentiam; primũ verò amicitiam. Manifestum est autem quôd in rebus cognitione carentibus, vnumquodque naturaliter appetit consequi id, quod est sibi bonum, sicut ignis locum sursum. Vnde & Angelus, & homo naturaliter appetũt suum bonum, & suam perfectionem. Et hoc est amare se ipsum. Vnde naturaliter tam Angelus, quàm homo diligit sẽ ipsum, in quantum aliquod bonum naturali appetitu sibi desiderat. In quantum verô sibi desiderat aliquod bonum per electionem: in tantum amat se ipsum dilectione electiua.

† Lib. 1. Ethic. c. 6. paulò post prin. tom. 5.

Ad primum ergo dicendum, quòd Angelus, aut homo non diligit se dilectione naturali, & electiua secundùm idem, sed secundùm diuersa, vt dictum * est.

* In corpo & ar. præc.

Ad secundum dicẽdum, quôd sicut plus est esse vnum, quam vniri: ita amor magis est vnus ad se ipsum, quàm ad diuersa, quæ ei vniuntur. Sed ideo Dionysius vsus fuit nomine vnitionis, & concretionis,

tionis, vt oſtenderet deriuationē amoris â ſe in alia, ſicut ab vno deriuatur vnitio.

Ad tertium dicendum, quòd ſicut amor eſt actio manēns in agente, ita eſt motus manēs in amante: non autem tendens in aliquid aliud ex neceſsitate: ſed poteſt reflecti ſuper amantem, vt amet ſe ipſum, ſicut & cognitio reflectitur in cognoſcentem, vt cognoſcat ſe ipſum.

Concluſio eſt affirmatiua.

CIrca concluſionem hanc nihil occurrit dicendum, ſuppoſitis illis, quæ in duobus articulis præcedentibus aſſeruimus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm vnus Angelus naturali dilectione diligat alium, ſicut ſe ipſum?

Virt. q. 2. ar. 7 ad 6. & Ioan. 17. l. 5. 5. lin.

D quartum ſic procedi tur. Videtur, quod vnus Angelus non diligat naturali dilectione alium ſicut ſe ipſum. Dilectio enim ſequitur cognitionem. Sed vnus Angelus nō cognoſcit aliū ſicut ſe ipſum: quia ſe ipſum cognoſcit per ſuam eſſentiam, alium verò per eius ſimilitudinem, vt ſupra dictum † eſt. Ergo videtur, quôd vnus Angelus non diligat alium ſicut ſe ipſum.

† Q. 56. ar. 1 & 2.

¶ 2. Prętereà. Cauſa eſt potior cauſato, & principium eo, quod ex principio deriuatur. Sed dilectio, quæ eſt ad alium, deriuatur ab ea, quæ eſt ad ſe ipſum, ſicut dicit Philoſophus * 9. Ethic. Ergo Angelus non diligit alium ſicut ſe ipſum, ſed ſe ipſum magis.

† Lib. 9. Ethic. c. 8 nō remotè á principio.

¶ 3. Prętereà. Dilectio naturalis eſt alicuius tanquam finis, & nō poteſt remoueri. Sed vnus Angelus non eſt finis alterius: & iterùm hæc dilectio poteſt remori, vt patet in dæmonibus, qui non diligunt bonos Angelos. Ergo vnus Angelus non diligit alium naturali dilectione ſicut ſe ipſum.

SED cōtra eſt, quia illud, quod inuenitur in omnibus etiam ratione carentibus, videtur eſſe naturale. Sed ſicut dicitur Eccleſ. 13. Omne animal diligit ſibi ſimile. Ergo Angelus diligit naturaliter alium ſicut ſe ipſum.

RESPONDEO Dicendum, quòd ſicut dictum * eſt, Angelus, & homo naturaliter ſe ipſum diligit. Illud autem, quod eſt vnum cum aliquo, eſt ipſummet. Vnde vnūquodque diligit id, quod eſt vnum ſibi. Et ſiquidem ſit vnum ſibi vnione naturali, diligit illud dilectione naturali: ſi verò ſit vnū ſecum vnione non naturali, diligit ipſum dilectione non naturali. Sicut homo diligit ciuē ſuum, dilectione politicæ virtutis, conſanguineum autē ſuum, dilectione naturali, in quātum eſt vnum cum eo in principio generationis naturalis. Manifeſtum eſt autem, quod id, quod eſt vnum cum aliquo, genere, vel ſpecie, eſt vnum per naturā: & ideò dilectione naturali quælibet res diligit id, quod eſt ſecum vnum ſecundùm ſpeciem, in quantum diligit ſpeciem ſuam. Et hoc etiā apparet in his, quæ cognitione carent. Nam ignis, naturalem inclinationem habet, vt communicet alteri ſuam formam, quod eſt bonū eius: ſicut

† Art. præc.

natura-

naturaliter inclinatur ad hoc, quôd quærat bonum ſuum, vt eſſe ſurſum. Sic ergo dicendum eſt, quôd vnus Angelus diligit alium naturali dilectione, in quantũ conuenit cũ eo in natura. Sed in quantum cõuenit cum eo in aliquibus alijs, vel etiam in quãtum differt ab eo ſecundùm quædam alia, nõ diligit eum naturali dilectione.

Ad primum ergo dicendum, quòd hoc, quod dico, ſicut ſe ipſum, poteſt vno modo determinare cognitionẽ, ſeu dilectionem ex parte cogniti, & dilecti: & ſic cognoſcit alium ſicut ſe ipſum: quia cognoſcit, aliũ eſſe, ſicut cognoſcit ſe ipſum eſſe. Alio modo poteſt determinare cognitionem, & dilectionem ex parte diligẽtis, & cognoſcentis: & ſic nõ cognoſcit aliud ſicut ſe ipſum. Quia ſe cognoſcit per ſuam eſſentiam; alium autem nõ per eius eſſentiã. Et ſimiliter non diligit alium ſicut ſe ipſum: quia ſe ipſum diligit per ſuã voluntatem; alium autem non diligit per eius voluntatem.

Ad ſecundum dicẽdum, quòd ly ſicut, non deſignat æqualitatẽ, ſed ſimilitudinem. Cùm enim dilectio naturalis ſupervnitatem naturalem fundetur, illud, quod eſt minus vnum cum eo, naturaliter minùs diligit. Vnde naturaliter plus diligit, quod eſt vnũ numero, quam quod eſt vnum ſpecie, vel genere. Sed naturale eſt, quòd ſimilem dilectionem habeat ad aliũ, ſicut ad ſe ipſum, quãtum ad hoc, quòd ſicut ſe ipſum diligit, in quantum vult ſibi bonũ, ita aliũ diligat, in quantũ vult eius bonũ.

Ad tertium dicendum, quôd dilectio naturalis dicitur eſſe ipſius finis; non tamquam cui aliquis velit bonum, ſed tamquam bonum, quod quis vult ſibi, & per conſequens alij in quantum eſt vnum ſibi. Nec iſta dilectio naturalis remoueri poteſt etiã ab Angelis malis, quin dilectionem naturalem habeant ad alios Angelos, in quantum cum eis communicant in natura: ſed odiunt eos, in quãtum diuerſificantur ſecundùm iuſtitiam, & iniuſtitiam.

Concluſio.

Angelus dilectione naturali diligit alium, ſecundùm quòd conuenit ſecum in natura, & non aliter.

Notationes circa hunc articulum.

1 CIrca concluſionem huius articuli animaduertendum eſt, eam eſſe ſatis certam, & rationem D. Thomæ ad eam confirmandam eſſe optimam. Quoniam hoc ipſo, quod Angelus ſit naturaliter determinatus ad amandum ſe ipſum naturali dilectione, debet etiam habere determinationem ad amandũ id, quod eſt vnum cum ipſo, quatenus ſic vnum eſt: atque adeò ad diligendum illud, quatenus cum eo cõuenit in natura Angelica: quia ſic reputantur vt vnum & idem. Vnde propter oppoſitam rationem conſiderato altero Angelo ſecundùm alias rationes; non erit neceſſe, vt dilectione naturali diligatur. **Animaduerſio pro concluſione.**

2 Nec refert, ſi obijcias primò, quòd ſi hæc ratio aliquid probaret, conuinceret vtique, vnum Angelum diligere alium, ſecundùm quòd conuenit in natura, naturali dilectione, quæ ſit neceſſaria, tam quoad ſpecificationem, quàm quoad exercitium: ſiquidẽ ſic diligit ſe ipſum, ac proinde & ea, quæ ſunt vnum cum ipſo. **Obiectio 1.**

Reſpondetur enim, eſſe diſparem rationem. Quoniam Angelus non eſt naturaliter determinatus ad habendam immobiliter conſiderationem alterius Angeli, adhuc ſecundum quòd conuenit cum ipſo, ſicut eſt determinatus ad habendã immobiliter cognitionem ſui, propter ſummam coniunctionem, quam ſecum habet. Et propterea, licèt ſit determinatus ad amandum naturaliter, & neceſſariò quoad ſpecificationem *eſſe* alterius Angeli, vt cum eo conuenit, ac proinde nequeat illum odio habere ſecundùm iſtam rationem: non tamen debet illum amare per dilectionem naturalem neceſſariam, tam **Reſpõdetur**

quoad ſpecificationem, quàm quoad exercitium.

D. Thom. Nec D. Thomas art. 4. huius quæſtionis in ſolutione ad vltimum, oppoſitum ſentit, dum inquit, quòd amor naturalis, quo vnus Angelus alium diligit, non poteſt remoueri etiam à Dæmonibus. In quibus verbis videbatur innuere, quòd talis amor eſt neceſſarius, non ſolùm quoad ſpecificationem, ſed etiam quoad exercitium. Nam Angelicus Præceptor tantùm vult, quod non poteſt remoueri etiam à Dæmonibus inclinatio naturalis, quam habet vnus Angelus ad amorẽ alterius neceſſarium quoad ſpecificationẽ, ita vt non poſsit illum odio habere, quatenus ſecum conuenit in natura.

Secunda obiectio. 3 Nec etiam obeſt, ſi ſecundò obijcias quòd conuenientia in natura vnius Angeli cum alio non eſt ſumma ratio boni: ergo habet aliquem defectum: ac proinde ratione huius defectus poterit vnus Angelus odio habere alterum.

Enodatur. Reſpondetur, quòd ad odio habendum aliquid ſecundùm rectam rationem, non ſufficit habere defectum negatiuum, ſed requiritur habere defectum priuatiuum. Conſtat autem, quòd penes naturalia omnes Angeli habent rectum iudicium, & nullum defectum priuatiuum: & ideò inter eos nullum poteſt eſſe odium.

Tertia. 4 Nec tandẽ obſtat, ſi tertiò obijcias, quod ſi ratio D. Th. ſuaderet intẽtũ, probaret, vnũ Angelum v.g inferiorẽ magis diligere alium ſibi viciniorem, quàm remotiorem, & ſupremum: quia cum illo habet maiorem conuenientiam, quàm cum iſto. Hoc autem videtur eſſe contra rectitudinem Angelicam. Ergo, &c.

Dilauitur. Reſpondetur enim, id eſſe verum de dilectione maiori intenſiuè, non verò maiori obiectiuè. Nam Angelum perfectiorem diligit magis inferior Angelus maioritate obiectiua, id eſt, volendo illi maius, & perfectius bonum, quod habet: & hoc ſatis eſt ad rectitudinem Angelicæ dilectionis.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Angelus naturali dilectione diligat Deum, plus quàm ſe ipſum?

1. 2. q. 109 ar 3. & 2 2 q 26. ar. 3 cor. Et quo 1. ar. 8. cor.

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quòd Angelus naturali dilectione non diligat Deum, plus quàm ſe ipſum. Quia vt dictum * eſt, dilectio naturalis fundatur ſuper vnione naturali. Sed natura diuina maximè diſtat à natura Angeli. Ergo naturali dilectione Angelus minùs diligit Deum, quàm ſe, vel etiam alium Angelum. † Ar. præc.

¶ 2. Præterea. Propter quod vnumquodque, & illud magis. Sed naturali dilectione quilibet diligit alium propter ſe. Vnumquodque enim diligit aliquid, in quantum eſt bonum ſibi. Ergo dilectione naturali Angelus non diligit Deum, plus quàm ſe ipſum.

¶ 3. Præterea. Natura reflectitur in ſe ipſam. Videmus enim quòd omne agens naturaliter agit ad conſeruationem ſui. Non autem reflecteretur in ſe ipſam natura, ſi tenderet in aliud, plus quàm in ſe ipſam. Non ergo naturali dilectione diligit Angelus Deum plus quàm ſe.

¶ 4. Præterea. Hoc videtur eſſe proprium charitatis, vt aliquis Deum plus quàm ſe ipſum diligat. Sed dilectio charitatis nõ eſt naturalis in Angelis, ſed diffunditur in cordibus eorum per Spiritum Sanctum, qui datus eſt eis, vt dicit Auguſtinus * 12. de Ciuitate Dei. Ergo non diligunt Deum Angeli dilectione naturali plus quàm ſe ipſos. † Lib. 12. de Ciuit. Dei c. 9. poſt medium to. 3.

¶ 5. Præterea. Dilectio naturalis ſemper manet manente natura. Sed diligere Deum plus quàm ſe ipſum, non manet in peccante Angelo, vel homine: quia (vt Auguſtinus dicit * 14. de Ciuitate Dei) fecerunt ciuitates duas amores duo: terrenã ſcilicet amor ſui vſque ad Dei contẽptum: cœleſtẽ verò † Lib. 14. de Ciuit. Dei c. vltimo in prin. to. 5.

verò amor Dei vſque ad contemptum ſui. Ergo diligere Deum ſupra ſe ipſum non eſt naturale.

SED contrà. Omnia moralia legis præcepta ſunt de lege naturæ. Sed præceptum de diligendo Deum ſupra ſe ipſum eſt præceptum morale legis. Ergo eſt de lege naturæ. Ergo dilectione naturali Angelus diligit Deum ſupra ſe ipſum.

RESPONDEO Dicendum, quôd quidam dixerunt, quod Angelus naturali dilectione diligit Deum plus quàm ſe, amore concupiſcentiæ: quia ſcilicet plus appetit ſibi bonum diuinum, quàm bonum ſuum. Et quodammodô amore amicitiæ, in quantum ſcilicet Deo vult naturaliter Angelus maius bonum, quàm ſibi: vult enim naturaliter, Deũ eſſe Deũ, ſe autẽ vult habere naturã propriã: ſed ſimpliciter loquẽdo, naturali dilectione plus diligit ſe, quã Deũ: quia intẽſius, & principaliùs naturaliter diligit ſe, quàm Deum. Sed falſitas huius opinionis manifeſtè apparet, ſi quis in rebus naturalibus conſideret, ad quid res naturaliter moueatur. Inclinatio enim naturalis in his, quæ ſunt ſine ratione, demonſtrat inclinationem naturalem in voluntate intellectualis naturæ. Vnumquodque autem in rebus naturalibus, quod ſecundùm naturam hoc ipſum, quod eſt, alterius eſt, principaliùs, & magis inclinatur in id, cuius eſt, quàm in ſeipſum. Et hęc inclinatio naturalis demonſtratur ex his, quę naturaliter aguntur. Quia vnumquodque ſicut agitur naturaliter, ſic aptum natum eſt agi, vt dicitur in * 2. Phyſicorum. Videmus enim, quôd naturaliter pars ſe exponit ad conſeruationem totius corporis. Sicut manus exponitur ictui, abſq; deliberatione, ad conſeruationẽ totius corporis. Et quia ratio imitatur naturam, huiuſmodi imitationem inuenimus in virtutibus politicis. Eſt enim virtuoſi ciuis, vt ſe exponat mortis periculo pro totius Reipublicæ conſeruatione: & ſi homo, eſſet naturalis pars huius ciuitatis, hæc inclinatio eſſet ei naturalis. Quia igitur bonum vniuerſale eſt ipſe Deus, & ſub hoc bono continetur etiam Angelus, & homo, & omnis creatura, quia omnis creatura naturaliter ſecundùm id, quod eſt, Dei eſt: ſequitur, quôd naturali dilectione etiam Angelus, & homo plus, & principaliùs diligat Deũ, quàm ſe ipſum: alioquin, ſi naturaliter plus ſe ipſum diligeret quã Deũ, ſequeretur quôd naturalis dilectio eſſet peruerſa, & quôd non perficeretur per charitatem, ſed deſtrueretur.

Ad primum ergo dicendum, quôd ratio illa procedit in his, quæ ex æquo diuiduntur, quorum vnum non eſt alteri ratio exiſtendi, & bonitatis. In talibus enim, vnumquodque diligit naturaliter magis ſe ipſum, quam alterum, in quantum eſt magis ſibi ipſi vnũ, quàm alteri. Sed in illis, quorum vnum eſt tota ratio exiſtendi, & bonitatis alij, magis diligitur naturaliter tale alterum, † quàm ipſum: ſicut dictum * eſt, quôd vnaquæque pars diligit naturaliter totum plus quam ſe: & quodlibet ſingulare naturaliter diligit plus bonum ſuæ ſpecici, quam

* Lib 2. Phyſic. tex. 78. com. 2.

† In corpo. art.

quàm bonum ſuum ſingulare. Deus autem non ſolùm eſt bonũ vnius ſpeciei, ſed eſt ipſum vniuerſale bonum ſimpliciter. Vnde vnumquodque ſuo modo naturaliter diligit Deum, pluſquam ſe ipſum.

Ad ſecundum dicendũ, quòd cùm dicitur, quôd Deus diligitur ab Angelo, in quantum eſt ei bonus, ſi ly in quantum, dicat finem, ſic falſum eſt: non enim diligit naturaliter Deum propter bonum ſuum, ſed propter ipſum Deum. Si verò dicat rationem amoris ex parte amantis, ſic verum eſt: non enim eſſet in naturâ alicuius, quòd amaret Deũ, niſi ex eo, quod vnumquodque dependet à bono, quod eſt Deus.

Ad tertium dicendum, quôd natura reflectitur in ſe ipſam, nõ ſolùm quantum ad id, quod eſt ei ſingulare: ſed multò magis quantum ad cõmune. Inclinatur enim vnumquodque ad conſeruãdum nõ ſolùm ſuum indiuiduum, ſed etiam ſuam ſpeciẽ. Et multo magis habet naturalem inclinationem vnumquodque in id, quod eſt bonum vniuerſale ſimpliciter.

Ad quartum dicendum, quod Deus, ſecundùm quod eſt vniuerſale bonum, à quo dependet omne bonum naturale, diligitur naturali dilectione ab vno quoque. In quantum vero eſt bonum beatificans naturaliter omnes ſupernaturali beatitudine, ſic diligitur dilectione charitatis.

Ad quintum dicendum, quod cùm in Deo ſit vnum & idem eius ſubſtantia, & bonum commune: omnes, qui vident ipſam Dei eſſentiam, eodem motu dilectionis mouentur in ipſam Dei eſſentiam, prout eſt ab alijs diſtincta, & ſecundùm quod eſt quoddam bonum commune. Et quia, in quantum eſt bonum commune, naturaliter amatur ab omnibus: quicumque videt eum per eſſentiam, impoſsibile eſt, quin diligat ipſum. Sed illi, qui non vident eſſentiam eius, cognoſcunt eum per aliquos particulares effectus, qui interdum eorum voluntati contrariantur. Et ſic hoc modo dicuntur odio habere Deum: cùm tamen in quantum eſt bonum commune omnium, vnumquodque naturaliter diligat plus Deum, quàm ſe ipſum.

Concluſio eſt affirmatiua.

Animaduerſiones circa hunc articulum.

1 CIrca concluſionem huius articuli notandum eſt, eam optimis rationibus probari à D. Thoma, nempe, tum ex eo, quòd pars magis amat bonum totius, quàm ſuum: Deus autem habet rationem boni per modum totius continentis omne bonum, Angelus autem comparatur per modum boni particularis, & partialis: & ita Angelus naturali dilectione diligit Deum, prout eſt bonum vniuerſale per modum totius, plus quàm ſe ipſum. Tum etiam. Quia charitas eſt ordinatiſsima, & perficit naturam Angeli iuxta modum eiuſdem Angeli: charitas autem in eo inclinat in dilectionem Dei, pluſquam in ſe ipſum: quod ſatis indicat, eſſe in Angelo naturalem inclinationem ad dilectionem naturalem Dei, pluſquàm in ſui ipſius. Accedit, quod (vt infrà dif- *D. Thom.*

diſput. 9. num. 53. dicemus) Angelus naturali dilectione diligit ſe ipſum, non quidem vt finem vltimum, ſed vt ordinatum ad alium, tamquam ad finem vltimum, nempe Deum: ac proinde magis diligit Deum, quam ſe ipſum per prædictam dilectionem, iuxta illud, *Propter quod vnumquodque tale, &c.* Ex quo fit, hanc dilectionem Dei eſſe neceſſariam, tam quoad ſpecificationem, quàm quoad exercitium: quia dilectio naturalis, qua Angelus diligit ſe ipſum, eſt hoc modo neceſſaria.

QVAESTIO LXI. DE PRODUCTIONE Angelorum in eſſe naturæ, in quatuor articulos diuiſa.

PROOEMIVM.

POST ea, quæ præmiſſa ſunt de natura Angeli, & cognitione, & voluntate eorum, reſtat conſiderandum de eorum creatione: ſiue vniuerſaliter de eorum exordio. Et hæc conſideratio eſt tripartita.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Angeli habeant cauſam ſui eſſe?

Quoli 3 ar. 6 cor. Et opuſ. 1 c. 35. & opuſ 3 c. 74. & opuſ. 15 c. 3. & 17

AD primum ſic proceditur. Videtur, quòd Angeli non habeant cauſam ſui eſſe. De his enim, quę ſunt à Deo creata, agitur Geneſis 1. Sed nulla mentio fit ibi de Angelis. Ergo Angeli non ſunt creati à Deo.

¶ 2. Præterea. Philoſophus dicit in 8. Metaphyſicæ * quòd ſi aliqua ſubſtantia ſit forma ſine materia, ſtatim per ſe ipſam eſt ens, & vnum, & non habet cauſam, quę faciat eam ens, & vnum. Sed Angeli ſunt formæ immateriales, vt ſupra oſtenſum eſt. Ergo non habent cauſam ſui eſſe. † Q. 50. art. 2.

* Tex. 16. tomo. 3.

¶ 3. Præterea. Omne, quod fit ab aliquo agente, per hoc quod fit, accipit formam ab eo. Sed Angeli cùm ſint formæ, non accipiunt formam ab aliquo agente. Ergo Angeli non habent cauſam agentem.

SED contra eſt, quod dicitur in Pſalm. 148. Laudate eum omnes Angeli eius. Et poſtea ſubdit: Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt.

RESPONDEO dicendum, quod necesse est dicere, & Angelos, & omne id, quod præter Deum est, à Deo factũ esse. Solus enim Deus est suum esse: in omnibus autẽ alijs differt essentia rei, & esse eius, vt ex superioribus patet. * Et ex hoc manifestum est, quòd solus Deus est ens per suam essentiam; omnia verò alia sunt entia per participationem. Omne autem, quod est per participationem, causatur ab eo quod, est per essentiam: sicut omne ignitum causatur ab igne. Vnde necesse est, Angelos à Deo creatos esse.

* Q. 3. art. 4

Ad primum ergo dicendum, quòd Augustinus dicit in 11. de Ciuitate † Dei, quôd Angeli non sunt prætermissi in illa prima rerum creatione: sed significantur nomine cœli, aut etiam lucis. Ideò autem vel prætermissi sunt, vel nominibus rerum corporalium significati, quia Moyses rudi populo loquebatur, qui nondum capere poterat incorpoream naturam. Et si eis fuisset expressum, aliquas res esse super omnem naturam corporeã, fuisset eis occasio idololatriæ, ad quam proni erant, & à qua Moyses eos præcipuè reuocare intendebat.

† Lib. 11. de Ciuit. Dei c. 33. circa finem to. 5.

Ad secundum dicendum, quôd substantiæ, quæ sunt formæ subsistentes, non habent causam aliquam formalem sui esse, & suæ vnitatis, nec causam agentem per transmutationem materiæ de potentia in actum: sed habent causam producentem totam substantiam. Et per hoc patet solutio ad tertium.

Conclusio est affirmatiua.

CONclusio hæc est de fide, vt patet ex illo Ioannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Ioãnis 1.
Vbi vox illa *omnia*, comprehendit vniuersa, quæ sunt, præter Deum. Idem habetur Eccleuastici 18. & ad Romanos 11. & in Symbolo Nicæno: *Credimus Deum creatorem cœli & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium.* Et nominatim de Angelis Psal. 148 *Laudate eum omnes Angeli eius, &c. Quia ipse dixit & facta sunt.* Vbi hęc redditur ratio, propter quam Angeli debeant laudare Deũ, quòd ipse sit eorum conditor. Quo testimonio id probat Athanasius q. 4. ad Antiochũ, & Augustinus lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 9. Item Danielis 3. priùs dicitur: *Benedicite omnia opera Domini Domino*: & posteà in his Dei operibus numerantur etiam Angeli: *Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino.* Et ad Colossenses 1. *In ipso condita sunt vniuersa, in cœlis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Et ita hoc est expressè diffinitum in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refertur in capite *Firmiter De summa Trinitate*, vbi sic dicitur: *Qui* (scilicet Deus) *sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & humanam.* Et tandem hęc eadem assertio constat ex illis, quæ disp. 1. huius tractatus dubio 1. diximus. Ioãnis 1. Eccles. 18 Ad Ro. 11 Symbolũ. Nicænum Psal. 148 Athanas. August. Dan. 3. Ad Col. 1. Concilium Lateran.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Angelus sit productus à Deo ab æterno?

AD secundum sic procedit. Videtur, quòd Angelus sit productus à Deo ab æterno. Deus enim Po. q. 3. art. 18. & 20.

est

eſt cauſa Angeli per ſuum eſſe: non enim agit per aliquid additum ſuæ eſſentiæ. Sed eſſe eius eſt æternum. Ergo ab æterno Angelos produxit.

¶ 2. Prætereâ. Omne, quòd quandoque eſt, & quandoque non eſt, ſubiacet tempori. Sed Angelus eſt ſupra tempus, vt dicitur in libro de Cauſis * ergo Angelus non quandoque eſt, & quandoque non eſt, ſed ſemper.

† Propoſit. 2. in fine. Eſt inter opera Ariſt. tom. 3.

¶ 3. Prætereâ. Auguſtinus * probat incorruptibilitatem animæ per hoc, quòd per intellectum eſt capax veritatis. Sed ſicut veritas eſt incorruptibilis, ita eſt æterna. Ergo natura intellectualis, & animæ, & Angeli non ſolùm eſt incorruptibilis, ſed etiam æterna.

† Ex lib. 13. de Trinit. c. 8 tom 3 & lib. 2. Soliloc. 19.

SED contra eſt, quòd dicitur Prouer. 8. ex perſona ſapientiæ genitæ: Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio. Sed Angeli ſunt facti à Deo, vt oſtenſum eſt. * Ergo Angeli aliquando non fuerunt.

† Art. præc.

RESPONDEO Dicendum, quòd ſolus Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus eſt ab æterno. Hoc enim fides catholica indubitanter tenet: & omne contrarium eſt ſicut hæreticum refutandũ. Sic enim Deus creaturas produxit, quôd eas ex nihilo fecit, id eſt, poſtquãnihil fuerat.

Ad primum ergo dicendum, quòd eſſe Dei eſt ipſum eius velle. Per hoc ergo, quôd Deus produxit Angelos, & alias creaturas per ſuum eſſe, non excluditur, quin eas produxerit per ſuam voluntatem. Voluntas autem Dei nõ de neceſsitate ſe habet ad productionem creaturarum, vt ſuprà dictum eſt. * Et ideo produxit, & quę voluit, & quando voluit.

† Q. 19. art. 3. & 8. & q. 46. art. 1.

Ad ſecundum dicẽdum, quôd Angelus eſt ſupra tempus, quod eſt numerus motus cœli: quia eſt ſupra omnem motum corporalis naturæ. Non tamen eſt ſupra tempus, quod eſt numerus ſucceſſionis eſſe eius poſt non eſſe: & etiam quod eſt numerus ſucceſsionis, quæ eſt in operationibus eius. Vnde Auguſtinus dicit 8. ſuper Geneſi ad litte. * quòd Deus mouet creaturam ſpiritualem per tempus.

† Lib. 8. ſuper Gen c. 20 & 22. & 23. tomo 3.

Ad tertium dicendum, quod Angeli, & animæ intellectiuæ ex hoc ipſo, quod habent naturam, per quam ſunt capaces veritatis, ſunt incorruptibiles. Sed hanc naturam non habuerunt ab æterno: ſed data fuit eis à Deo, quando ipſe voluit. Vnde nõ ſequitur, quod Angeli ſint ab æterno.

Concluſio eſt negatiua.

CIrca quam nihil peculiare occurrit dicendum quoad id, quod defacto contigit: quoad id verò, quod de potentia Dei abſoluta poteſt fieri conſtat ex illis, quæ N. Complutenſes in lib. Phyſicorum diſp. 29. n. 25. docent. *N. Compl*

ARTICVLVS III.

Vtrùm Angeli ſint creati ante mundum corporeum?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quòd Angeli fuerint creati ante

2. Diſt 2. q. 1. ar. 3. & po q. 3 ar. 18. & 19.

ante mundum corporeum. Dicit enim Hieronymus * super epistolam ad Titum: Sex millia nondum nostri temporis complentur annorum. Et quanta tempora, quantasque sæculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, throni, dominationes, cæteriq; ordines Deo seruierunt? Damascenus * etiam dicit in 2. lib. Quidam dicunt, quòd ante omnẽ creationẽ geniti sunt Angeli, vt Theologus dicit Gregorius. Primum quidem excogitauit Angelicas virtutes, & cælestes, & excogitatio opus eius fuit.

* C 1. super illud *Quoniam promissa ille, qui non est mendax, &c.* tom 9.

† Dam lib. 2 ortho Fidei c 3 circa finem Greg Nazianz. in sermone de Natali.

¶ 2. Præterea. Angelica natura est media inter naturam diuinam, & naturam corpoream. Sed natura diuina est ab æterno; natura autem corporea ex tempore. Ergo natura Angelica facta est ante creationem temporis, & post æternitatem.

¶ 3. Præterea. Plus distat natura Angelica â natura corporali, quàm vna natura corporalis ab alia. Sed vna natura corporalis fuit facta ante aliam. Vnde & sex dies productionis rerum in principio Genes. describuntur. Ergo multô magis natura Angelica facta est ante omnem naturam corporalem.

SED contra est, quod dicitur Genes. 1. In principio creauit Deus cœlum, & terram. Non autem hoc esset verum, si aliquid creasset antea. Ergo Angeli non sunt ante naturam corpoream creati.

RESPONDEO dicẽdũ quòd circa hoc inuenitur duplex Sanctorum Doctorum sententia: illa tamen probabilior videtur, quod Angeli simul cum creatura corporea sunt creati. Angeli enim sunt quædam pars vniuersi: non enim constituunt per se vnum vniuersum, sed tam ipsi, quam creatura corporea in constitutionem vnius vniuersi conueniunt. Quod appareret ex ordine vnius creaturæ ad aliam. Ordo enim rerum ad inuicem est bonum vniuersi. Nulla autem pars perfecta est à suo toto separata. Non est igitur probabile, vt Deus, cuius perfecta sunt opera, vt dicitur Deuter. 32. creaturam Angelicam seorsum ante alias creaturas creauerit. Quamuis contrarium non sit reputandum erroneum, præcipuè propter sententiam Gregorij Nazianzeni, cuius tanta est in doctrina Christiana authoritas, vt nullus vnquam eius dictis calumniam inferre præsumpserit, sicut nec Athanasij documentis, vt Hieronymus dicit.

Auguſt. lib. 11 de Ciu. Dei c. 32.

Ad primum ergo dicendum, quòd Hieronymus loquitur secundum sententiam Doctorum Græcorum, qui omnes hoc concorditer sentiunt, quòd Angeli sunt ante mundum corporeum creati.

Ad secundum dicendum, quòd Deus non est aliqua pars vniuersi: sed est supra totum vniuersum, præhabens in se eminentiori modo totam vniuersi perfectionem. Angelus autem est pars vniuersi. Vnde non est eadem ratio.

Ad tertium dicendum, quôd creaturæ corporeæ omnes sunt vnum

vnum in materia: ſed Angeli non conueniunt in materia cum creatura corporea. Vnde creata materia corporalis creaturę, omnia quodammodo ſunt creata: non autem creatis Angelis, eſſet ipſum vniuerſum creatum. Si vero contrarium teneatur: quod dicitur Geneſ. 1. In principio creauit Deus cœlum, & terram, exponendum eſt, in principio, ideſt, in filio, vel in principio temporis, nõ autem in principio, ideſt, ante quod nihil: niſi dicatur, ante quod nihil, in genere corporalium creaturarum.

Concluſio.

Aſſerendum eſt Angelos ſimul fuiſſe creatos cum mundo corporeo. Dicere autem, quod ante illum fuere creati, non eſt reputandum erroneum.

Aliqua animaduerſione digna circa hunc articulum prælibantur.

Concluſio. 1 CIrca priorem partẽ concluſionis huius articuli notandũ eſt, eam eſſe certiſſimam, & omninò tenendam. Nam in primis habetur in Concilio Lateranenſi, cuius verba referuntur in cap. *Firmiter. De ſumma Trinitate, & fide Catholica*, vbi dicitur de Deo: *Qui ſua tamen potentiã virtute ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & humanam.* Et Eccleſiaſtici 18. *Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul.* Idem etiam tenent Auguſtinus 11. de Ciuitate Dei cap. 6. & 9. & lib. 12. cap. 15. Gregorius lib. 32. Moralium cap. 18. & alij Sancti, quos ſequuntur communiter Scholaſtici cum Magiſtro in 2. diſt. 2.

Concilium Lateran.

Eccleſ. 18. Auguſtin. Gregorius

Obiectio. Ad Titum 1. 2 Nec obeſt, ſi obijcias ex Paulo ad Titum 1. vbi ſermonem texens de beatitudine ſupernaturali, ſic inquit: *Quam promiſit, qui non mentitur Deus, ante tempora ſæcularia.* Vel (vt alij Patres dicunt) *ante tempora noſtra.* Vbi Paulus tempori noſtro tribuit nomen *temporis æterni*, ratione longitudinis ſuæ durationis. Nam ſolent in Scriptura ea, quæ per longiſſimam durationem durant, vocari æterna, propter ſimilitudinem, quam habent cum diuina æternitate, longiſſimè, imò infinitè durante. Et ideò lex antiqua inſignitur aliquando nomine *æternæ*. Ex quo fit, quòd dum Paulus inquit, quòd Deus ante tempora ſæcularia promiſit, idem eſt ac ſi diceret, quòd Deus ante tempora noſtra promiſit vitam æternam: ac proinde alicui promiſit: ſiquidem promiſsio nequit fieri, niſi alteri: & conſequenter ante tempora noſtra erant Angeli, quibus eam promiſit.

Reſpondetur enim ex Auguſtino lib. 12. de Ciuitate capit. 16. Deum promiſiſſe vitam æternam in æternitate ſua ab æterno: ex eo quòd ſtatim in illa habuit decretum largiendi eam aliquibus hominibus. Et propterea verbum, *promiſit*, idem valet, quod *ſtatuit, & decreuit.* Cuius rationem acutè reddit Caietanus loco citato ex Paulo. Nam decretum diuinæ voluntatis liberaliſsimæ inſignitur nomine promiſsionis, vt denotetur immobilitas eius, quæ erit tanta, ac ſi Deus id promiſiſſet, & teneretur ex iuſtitia. Et ita Actorum capit. 10. ait Petrus: *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus*: non obſtante, quòd ibidem loquatur Petrus de iuſtificatione gratuita, qua gentes iuſtificatæ ſunt.

Soluſio. D. Aug. Caietanus Actor. 10.

Adde, poſſe ex eodem Auguſtino lib. ad Horoſium contra Priſcillianiſtas cap. 6. aliter reſponderi. Ibi enim S. Doctor ait, quòd tempora, ſæcularia, ſeu æterna vocat Paulus tempus præſens legis Euangelicæ, in qua Chriſtus executus eſt promiſsionem illam, quam in lege veteri fecit.

Auguſt.

3 Nec etiam refert, ſi ex his, quæ pro prima parte aſſertionis D. Thomæ diximus, inferas, eſſe erroneam ſententiam illam, quæ prędictæ primę parti opponitur: ex eo quòd videtur eſſe expreſsè contra teſtimonia allata: cùm tamen Angelicus Doctor dixerit, eam erroneam non eſſe.

Obiectio. Ang. Doctor.

Reſpondetur enim, fatendo, prędictam ſententiam non inuri prædicta nota: quia pro illa referuntur aliqui Sancti ex antiquis, præcipuè ex Græcis, vt Baſilius homilia 1. in Examer. Damaſcenus lib. 2. fidei capit. 3. Gregorius Nazianzenus in oratione 38. de Natali Domini, D. Hieronymus inter Latinos in epiſtolã ad Titum c. 1. cuius verba referuntur in 1. argumento D. Thomæ, & tandem Auguſtinus lib. 11. de Ciuitate c. 9. Nec oppoſitum probant teſtimonia pro prima parte adducta. Non quidem primum. Tum, quia D. Thomas vidit illam decretalem, vt conſtat ex opuſculo 32. quod quidem opuſculũ eſſe Angelici Præceptoris conſtat ex eo, quòd opuſculum iſtud, facta ſufficienti inquiſitione, inter opera eiuſdem S. Doctoris numeratur. Si autẽ oppoſita illa ſententia eſſet

Reſpoſio. Baſilius. Damaſc. Gregor. Nazian. D. Hier. Auguſtin. D. Thom.

in fide

in fide erronea propter prædictam decretalem, tunc S. Doctor, qui eandem decretalem vidit, non liberasset illam à prædicta nota erroris in fide.

Caietan⁹. Tum etiam. Quia (vt optimè notauit Caietanus in præsenti) ad dignoscendum, an aliquid sit diffinitum ab Ecclesia, attendendum est ad errorem, quem intendit Ecclesia damnare, non verò ad ea, quæ incidenter inquit: nam hæc non manent diffinita, nec sentire contra illa, est erroneum in fide. At Concilium Lateranense in illo decreto (vt notauit idem Caietanus) solùm voluit excludere errorem Origenis asserentis, mundum istum visibilem non fuisse per se intentum à Deo, sed per accidens in pœnam Dæmonum, vt esset carcer, in quo punirentur. Vnde Concilium diffinijt, Deum sua virtute diuina voluisse condere per se, & ex primæua intentione vtramque creaturam, Angelicam nempe, & humanam: quamuis incidenter dixerit, quòd simul ab initio temporis vtramque ab initio condiderit. Et ita ex vi huius diffinitionis non est de fide: quòd simul ab initio temporis ambæ sint conditæ.

Idem.

Concilij Trident. Potestque hoc explicari exemplo illius diffinitionis, quæ habetur in Concilio Tridentino sessione de Iustificatione canone 11. vbi intendit excludere errorem Luteri volentis, nos iustificari per gratiam Christi extrinsecam, & ita diffinit expressè oppositum. Incidentur autem inquit, iustificationem nostram esse per qualitatem inhærentem: & propterea ex vi talis diffinitionis solùm habetur de fide, iustificationem esse aliquid nobis intrinsecum, non verò quòd inhæreat, vt accidens, quod incidenter tantùm fuit dictum.

Replica. 4 Nec obest, si ex Cano vrgeas, non esse verosimile, Concilium Lateranense voluisse excludere illum errorem Origenis. Quia iam damnatus fuerat in multis alijs anterioribus Concilijs. Non igitur hoc refert.

Solutio. *Concil. 1. Calcedonense.* Quia sæpè Concilia solent damnare ea, quæ in alijs Concilijs fuere damnata: & ita factum est in Concilio I. Calcedonensi, & in Tridentino, & alijs multis.

Concilij Trident. Et similiter testimonium illud Ecclesiastici non probat, oppositam illam sententiam primæ parti assertionis D. Thomæ esse erroneam in fide. Tum, quia posset responderi, in illo loco solùm fieri sermonem de omnibus rebus creatis corporeis, de quibus Moyses loquitur Genes. 1. Tum etiam. Quia posset etiam occurri asserendo, particulam illam *simul*, non dicere simultatem temporis, sed vniuersalitatem rerum. Et ita particula Græca, quæ ibi ponitur, idem valet, quòd *pariter*: ac proinde sensus est, quòd omnia pariter creata sunt à Deo, id est, tam spiritualia,

Genes. 1.

quàm corporalia iuxta illud Ioannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil.* *Ioannis 1.*

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Angeli sint creati in cœlo empyreo?

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd Angeli non sint creati in cœlo empyreo. Angeli enim sunt substātiæ incorporeæ. Sed substantia incorporea non dependet à corpore secundùm suum esse, & per consequens neque secundu suum fieri. Ergo Angeli non sunt creati in loco corporeo. *Infrà q. 102. ar. 2. 1. & 4. 1. & 2 dist. 6 ar. 3. cor & opuſ. 15. ca. 17 fin.*

¶ 2. Prętereâ. Augustinus dicit 3. super Genes. * ad liter quòd Angeli fuerunt creati in superiori parte aeris. Non ergo in cœlo empyreo. † *Lib. 3. super Genes. c. 10. ante med. to. 3.*

¶ 3. Præterea. Cœlum empyreum dicitur esse cœlum supremum. Si igitur Angeli creati fuissent in cœlo empyreo, non conueniret eis in superius cœlum ascendere. Quod est contra id, quod ex persona Angeli peccātis dicitur Isaiæ 14. Ascendam in cœlum.

SED contra est, quod Strabus dicit super illud, * In principio creauit Deus cœlum, & terram, Cœlum non visibile firmamentum hic appellat, sed empyreum, id est, igneum, vel intellectuale, quod non ab ardore, sed à splendore dicitur: quod statim factum, Angelis est repletum. *Refertur in Gloſſ. ordinaria super hoc verbū, & in com. gen. cap. 1.*

RESPONDEO dicendū, quod

Art. præc. quòd ſicut dictum eſt, * ex creaturis corporalibus, & ſpiritualibus vnum vniuerſum conſtituitur. Vnde ſic creatæ ſunt ſpirituales creaturæ, quod ad creaturam corporalem aliquem ordinẽ habent, & toti creaturæ corporali præſident. Vnde conueniens fuit, quod Angeli in ſupremo corpore crearentur, tamquam toti naturæ corporeæ præſidẽtes, ſiue id dicatur cœlum empyreum, ſiue qualitercumque nominetur. Vnde Iſidorus dicit, quod ſupremum cœlũ eſt cœlum Angelorum, ſuper illud Deuteronomij 8. c. Domini Dei tui eſt cœlum, & cœlũ cœli.

Ad primum ergo dicendum, quod Angeli non ſunt creati in loco corporeo, quaſi dependentes à corpore ſecundùm ſuum eſſe, vel ſecundùm ſuum fieri. Potuiſſet enim Deus Angelos ante totam creaturam corporalem creaſſe, vt multi Sancti Doctores tenẽt. Sed facti ſunt in loco corporeo, ad oſtendẽdum ordinem eorum ad naturam corpoream, & quôd ſua virtute corporea contingunt.

Ad ſecundum dicẽdum, quòd Auguſtinus fortè per ſupremam partẽ aeris intelligit ſupremam partem cœli, cum quo aer quamdam conuenientiam habet, propter ſuam ſubtilitatem, & diaphaneitatẽ. Vel loquitur, non de omnibus Angelis, ſed de illis, qui peccauerunt, qui ſecũdùm quoſdam fuerũt de inferioribus ordinibus. Nihil autẽ prohibet dicere, quod ſuperiores Angeli habentes virtutem eleuatam, & vniuerſalem ſupra omnia corpora, ſint in ſupremo creaturæ corporeæ creati; alij verò habentes virtutes magis particulares, ſint creati in inferioribus corporibus.

Ad tertium dicendum, quod loquitur ibi, non de cœlo aliquo corporeo, ſed de cœlo Sanctæ Trinitatis, in quod Angelus peccans aſcendere voluit, dum voluit aliquo modo Deo æquiparari, vt infrà patebit. * † Q. 63. ar. 3

Concluſio eſt affirmatiua.

CIrca hunc articulum notandũ eſt, quòd ſi quæ eſt difficultas erga ea, quæ in eo continentur cohærenter ad alia, quæ D. Thomas docet, præcipuè poſita eſt in explicanda actione, quam Angeli debent habere erga cœlum empyreum, hoc ipſo quòd in illo, vt in loco, creati ſint: ſiquidem Angelus non eſt in loco, niſi mediante ſua operatione in illo. Cæterùm quia de hoc latiùs ſuprà diſp. 2. n. 91. & deinceps egimus, ideò quoad hoc in præſenti ſilendum. *D. Thom.*

QVAESTIO LXII. DE PERFECtione Angelorum in eſſe gratiæ, & gloriæ, in nouem articulos diuiſa.

PROOEMIVM.

COnſequenter inueſtigandum eſt, quomodo Angeli facti ſunt in eſſe gratiæ, vel gloriæ.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Vtrùm Angeli fuerint in ſua creatione beati?

2. Diſt. 4. ar. 1. Et quoli. 9. q. ar. 3. co.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quòd Angeli fuerint creati beati. Dicitur enim in

† Cap. 59. to mo 3. inter opera Aug.

lib. de Eccleſ dogm. * quòd Angeli, qui in illa, in qua creati ſunt beatitudine, perſeuerant, non natura poſsident bonum, quod habent. Sunt ergo Angeli creati in beatitudine.

¶ 2. Præterea. Natura Angelica eſt nobilior, quàm corporalis. Sed creatura corporalis ſtatim in principio ſuæ creationis fuit creata formata, & perfecta: nec informitas præceſsit in ea formationem tempore, ſed natura tantum, vt Auguſtinus dicit 1.

† Lib. 1. c. 15 p. ſi à prin. tom 3.

ſuper Geneſ. ad litter. * Ergo nec naturam Angelicã creauit Deus informem, & imperfectam. Sed eius formatio, & perfectio eſt per beatitudinem, ſecundùm quòd fruitur Deo. Ergo fuit creata beata.

¶ 3. Præterea. Secundùm Auguſtinũ ſuper Geneſ. ad lit. * ea,

† Lib. 4 ſuper Geneſ. c. 34. & 22. & lib. 5. c. 5.

quæ leguntur facta in operibus ſex dierum, ſimul facta fuerunt. Et ſic oportet quod ſtatim à principio creationis rerum fuerint omnes illi ſex dies. Sed in illis ſex diebus (ſecundum eius expoſitionem) manè fuit cognitio Angelica, ſecundùm, quam cognouerunt verbum, & res in verbo. Ergo ſtatim à principio creationis cognouerunt verbum, & res in verbo. Sed Angeli beati ſunt per hoc, quòd verbum vident. Ergo ſtatim à principio ſuæ creationis Angeli fuerunt beati.

SED contrà. De ratione beatitudinis eſt ſtabilitas, ſiue confirmatio in bono. Sed Angeli non ſtatim, vt creati ſunt, fuerunt confirmati in bono, quod caſus quorundam oſtendit. Non ergo Angeli in ſua creatione fuerunt beati.

RESPONDEO dicendũ, quòd nomine beatitudinis intelligitur vltima perfectio rationalis, ſeu intellectualis naturę: & inde eſt, quòd naturaliter deſideratur, quia vnumquodque naturaliter deſiderat ſuam vltimam perfectionem. Vltima autem perfectio rationalis, ſeu intellectualis naturæ eſt duplex. Vna quidem, quam poſſunt aſſequi virtute ſuæ naturæ: & hęc quodammodô beatitudo, vel fœlicitas dicitur. Vnde & Ariſtoteles * perfectiſsimam hominis contemplationem qua optimum intelligibile, quod eſt Deus, contemplari poteſt in hac vita, dicit eſſe vltimam hominis fœlicitatem. Sed ſuper hanc fœlicitatem eſt alia fœlicitas, quam in futuro expectamus, qua videbimus Deum ſicuti eſt. Quod quidem eſt ſupra cuiuslibet intellectus creati naturam, vt ſuprà oſtenſum eſt. Sic igitur dicendum eſt, quôd quantum ad primam beatitudinem, quam Angelus aſſequi viri

† Lib. 10. Ethic c. 7. & 8. tom. 5.

†† Q. 12. ar. 4 & q. 23. art. 1.

tute

tute ſuæ naturæ potuit, fuit creatus beatus. Quia perfectionem huiuſmodi Angelus non acquirit per aliquem motum diſcurſiuum, ſicut homo: ſed ſtatim ei adeſt, propter ſuæ naturæ dignitatem, vt ſupra dictum eſt.* Sed vltimam beatitudinem, quæ facultatem naturæ excedit, Angeli non ſtatim in principio ſuæ creationis habuerunt: quia hæc beatitudo non eſt aliquid naturæ, ſed naturæ finis: & ideô non ſtatim eã à principio debuerunt habere.

* Q. 58. ar. 3. & 4.

Ad primum ergo dicendum, quod beatitudo ibi acipitur pro illa perfectione naturali, quã Angelus habuit in ſtatu innocentiæ.

Ad ſecundum dicendũ, quod creatura corporalis ſtatim in principio ſuæ creationis habere non potuit perfectionem, ad quam per ſuam operationem perducitur. Vnde ſecundum Auguſtinũ* germinatio plantarum ex terra non ſtatim fuit in primis operibus, in quibus virtus ſola germinatiua plantarum data eſt terræ. Et ſimiliter creatura Angelica in principio ſuæ creationis habuit perfectionem ſuæ naturæ, non autem perfectionem, ad quã per ſuam operationem peruenire debebat.

* Lib. 8. ſuper Geneſ. c. 3. á medio to. 3. & lib. 5. de Geneſ. ad lit. cap. 24.

Ad tertium dicendum, quòd Angelus duplicem habet verbi cognitionem: vnam naturalẽ, & aliam gloriæ. Naturalem quidẽ, qua cognoſcit verbum per eius ſimilitudinem in ſua natura relucentem: cognitionem vero gloriæ, qua cognoſcit verbum per ſuam eſſentiam. Et vtraque cognoſcit Angelus res in Verbo. Sed naturali quidem cognitione imperfectè: cognitione vero gloriæ perfectè. Prima ergo cognitio rerum in verbo affuit Angelo â principio ſuæ creationis: ſecunda vero non, ſed quando facti ſunt beati per conuerſionem ad bonum. Et hæc propriè dicitur cognitio matutina.

Prima concluſio.

Angeli in ſua creatione, & ex vi illius fuere beati beatitudine naturali.

Secunda concluſio.

Angeli in ſua creatione non fuere beati beatitudine ſupernaturali.

Animaduerſiones circa hunc articulum.

Animaduerſio 1.

1 CIrca ſecundam concluſionem nihil peculiare occurrit notandum in præſenti. Quia de illa latiùs agemus infrà q. ſequẽti diſp. 12. n. 57. & 72. Circa primam verò concluſionem animaduertendum eſt primo, quòd iuxta Angelicum Præceptorem in præſenti, beatitudo naturalis non eſt ſimpliciter & abſolutè beatitudo, ſed ſolùm quodammodo, & ſecundùm quid: & propterea non habet rationem vltimi finis ſimpliciter & abſolutè, ſed eſt finis vltimus reſpectu naturæ, & medium, deficiens tamen, reſpectu beatitudinis ſupernaturalis. Et propterea dixit Angelicus Præceptor, quòd beatitudo ſupernaturalis nõ eſt aliquid naturæ, ſed naturæ finis. Quare, ſicut in motu ſubiectum habet aliquid de actu, & eſt veluti in termino, imperfectè tamen & incompletè, & ſimul in via reſpectu vlterioris gradus: ita natura intellectualis reſpectu beatitudinis naturalis eſt quidẽ in termino, imperfectè tamẽ, & incõpletè: quia ſimul habet rationẽ viæ, deficientis tamen reſpectu vlterioris termini ſupernaturalis, quatenus nimirũ exdiuina ordinatione habet ordinari ad illum.

Angelic. Præcept.

2 Secundò animaduertendũ eſt, quòd iuxta D. Thomã in præſenti beatitudo naturalis nihil aliud eſt, quã conſummata perfectio intra ordinẽ tamẽ naturæ, ad quã poteſt peruenire natura intellectualis viribus naturæ. Conſultò autẽ dicitur natura intellectualis. Quia, vt innuit idẽ Angelicus Præceptor in hoc eodẽ articulo, ſolùm illa natura dicitur beata, quæ intellectualis eſt, ſiue rationalis: ex eo quòd ſola illa participat gradũ eſſendi perfectiſsimũ, & conuenit cum Deo in omnibus gradibus eſſendi: nam ipſe, quia hos habet in gradu eminentiſsimo, dicitur per excellentiam beatus.

Secunda D. Thom.

Ratio prima

Hinc ergo vtraque ratio, quã in corpore articuli D. Thomas insinuat, manet elucidata. Prima quidem. Nam etsi Angelo non fuerit debitum, esse in prima sui conditione beatum beatitudine simpliciter, id est, supernaturali, vt ex dictis in 1. tomo tractatu 2. disput. 3. num. 16. constat, imo neque hoc fuerit ei à Deo concessum, vt ex illis, quæ q. sequenti disputatione citata dicemus, patebit: attamen debetur ei beatitudo secundùm quid, id est, naturalis. Quia cùm sit suprema creatura inter omnes, propter maximam sui perfectionem debetur ei consummata perfectio suæ naturæ, & ad ordinem naturalem spectans: & ex consequenti illam ex vi suæ creationis habet.

Secunda ratio.

Secunda verò ratio similiter ex dictis elucidatur, & per eam præcedens magis confirmatur. Quoniam consũmata perfectio naturalis naturæ intellectualis importat imperfectam coniunctionem illius cum suo primo principio, & vltimo fine naturali per intellectum, & voluntatem, modo tamen in tractatu de beatitudine explicando. Constat autẽ, Angelo deberi hanc coniunctionem, propter illa, quæ infrà disput. 39 num. 53. dicemus. Ergo &c.

Obiectio prima

3 Nec obest, si obijcias primo contra rationem D. Thomæ. Nam si Angelus à principio suæ creationis, & ex vi illius habet suã beatitudinem naturalem, quia est creatus à Deo cum omni perfectione debita suæ naturæ, fieret inde, vt etiam homo esset similiter beatus: quippe qui etiã est creatus à Deo cum omnibus perfectionibus suæ naturæ debitis.

Respõdetur

Respondetur enim ex dictis negando sequelam. Nam homo tenet infimum gradum in natura intellectuali, & ideo non debetur ei, quod ex vi creationis habeat beatitudinẽ naturalem: sed satis est, quod habeat (modo alibi dicendo) virtutem ad illam acquirendam.

Secunda

4 Nec etiam obest, si contra prædictã assertionem obijcias secundo, quod ex maiori perfectione naturæ Angelicæ potiùs sequitur, non fuisse beatum beatitudine naturali ex vi suæ creationis. Quia propter eius maiorem perfectionem debetur ipsi modus habendi beatitudinem perfectior. Constat autem, esse quid perfectius habere beatitudinẽ per proprias vires, & à se ipso causatam, quã habere illam, vt datam, & concessam ab alio ex vi suæ productionis, & creationis.

Cõfirmatur

Confirmatur. Quia habere beatitudinẽ ex meritis, perfectius quid est, quàm habere illam, vt gratis & liberaliter concessam ab alio: ergo similiter habere beatitudinem naturalẽ per proprias vires, est modus perfectior habendi illam, quàm vt datam ab alio ex vi doni creationis.

Respondetur enim, quod habere beatitudinem naturalem ex vi creationis permodum beatitudinis debitæ naturæ intellectuali creatæ, perfectius quid est, quàm acquirere illam per proprias vires. Tum, quia eo ipso non oporteret, eam haberi ab Angelo à principio suæ conditionis, posset que acquisitio illa frustrari. Tum etiam. Quia Deo conuenit perfectissimus modus habendi beatitudinem: & tamen habet illam, vt sibi debitam: & propterea Verbo diuino comunicatur beatitudo à Patre, vt quid ei debitum, & ex vi suæ productionis. Quare, cùm modus habẽdi beatitudinem eo sit perfectior, quo magis accedit ad modum illum, quo Deus eam habet: inde est, vt modus, quem pro habenda beatitudine Angelo assignauimus, sit excellentior, & magis consonus excellentiæ, & perfectioni illius.

Enodatio secũdæ obiectionis.

Per quod ad confirmationem etiam patet. Nam etsi habere per meritum beatitudinem, dicat aliquid perfectionis: nihilominùs ad inuolutum est cum defectu maioris perfectionis, scilicet habendi beatitudinem vt debitam, & per modum corollarij suæ naturæ.

Ad confirmationem

5 Nec etiam obstat, si tertio obijcias, Angelos malos non habere beatitudinem naturalem, quippe qui sunt in statu infœlicissimo, & maxima tristitia anguntur: ergo signum est, eos ab initio suæ creationis, & multo minùs ex vi eiusdem creationis non fuisse beatos beatitudine naturali: & per consequẽs nec cæteros alios Angelos. Hæc secunda cõsequentia patet ex priori. Quoniam in prima conditione omnes fuerunt æquales quoad immunitatem à culpa, vna cum æqualitate in gradu immaterialitatis: & ita vel omnes, vel nullus eorum habuit tunc beatitudinem naturalem. Prima verò consequentia ex antecedenti constat. Quoniam de ratione beatitudinis est inamissibilitas: & ita, si Angeli mali eam non habent, adhuc post peccatum, signum est, numquam eandem possedisse.

Tertia obiectio.

Confirmatur primo. Nam beatitudo naturalis est terminus naturæ intellectualis, cuius est beatitudo: & propterea, dum eam habet, est in termino: ergo erit incapax merẽdi, aut demerendi illam: siquidem, quod est in termino, siue extrà viam, est incapax meriti, vel demeriti. Ergo si semel post peccatum Angelus eam non habuit, sed illam demeruit signum erit, non habuisse illam anteà ab initio suæ conditionis.

Confirmatio prima

Confirmatur secundo. Tum, quia si beatitudo naturalis esset amissibilis, non lateret hoc intellectum Angelicum suis viribus relictum: ac proinde esset cum formidine amissionis illius, esset que anxius de eadem amissione: quod quidẽ cum ratione beatitudinis

Secunda

diniſ pugnare videtur. Tum etiam. Quia beatitudo naturalis explet omne deſiderium naturale, ſicut ſupernaturalis omne deſiderium ſupernaturale. At Angelus deſiderio naturali poteſt deſiderare perpetuitatem ſuæ beatitudinis. Ergo hoc deſiderium impletur illi per hanc beatitudinem naturalem.

Occurritur primo tertiæ obiectionis.

6 Reſpõdetur, quòd etſi de ratione beatitudinis, quæ ſimpliciter, & abſolutè eſt talis, ſit inamiſſibilitas: & ideò hæc ſit de ratione beatitudinis ſupernaturalis, quippe quæ ſimpliciter & abſolutè eſt beatitudo: non tamẽ prædicta inamiſſibilitas eſt de ratione beatitudinis ſecundum quid, qualis eſt beatitudo naturalis. Nam ſicut deficit ab illa priori beatitudine: ita poteſt deficere ab hac eius potiſsima conditione.

Ad primã confirmat.

Ad primam confirmationem patet ex modo dictis. Quoniam beatitudo naturalis non eſt terminus ſimpliciter & abſolutè creaturæ intellectualis, ſed ſecundũ quid, & cum addito: & propterea creatura intellectualis, dum illam præcisè habet, non eſt incapax faciendi aliquid, per quod eam amittat.

Ad ſecũdã

Ad ſecundam, confirmationem quoad primam probationem in ea contentam dicendum eſt, non eſſe contra rationem beatitudinis ſecundùm quid, quod cum ea miſcea tur aliquid timoris, & angoris.

Secundo ſit ſatis obiectioni cũ ſuis confirmationibus

7 Secundò reſpondetur ad hanc obiectionem cum ſuis confirmationibus, beatitudinem naturalem poſſe conſiderari dupliciter. Vel in abſtracto, & ſecundùm ſe. Vel vt habet, ex diuina tamen ordinatione, rationem medij, deficientis tamen in ordine ad beatitudinem ſupernaturalem, & communicatur ſubiecto, quod ſimpliciter ſit in via in ordine ad prædictam beatitudinem. Si primo modo conſideretur, tunc, quantum eſt de ſe, habet eſſe inamiſsibilis: ſicut gratia, & charitas, quantum eſt de ſe, & ſecundum ſe ſunt inamiſsibiles. Cæterum conſiderata beatitudine naturali ſecundùm poſteriorem rationem medij, & vt communicata ſubiecto, quod ſimpliciter ſit in ſtatu viatoris, nõ eſt inconueniens, quod ſit amiſsibilis: ſicut gratia, & charitas ſic ſumptæ ſunt ex parte ſubiecti amiſsibiles, ſecùs vero gratia conſũmata, ſeu beatitudo ſupernaturalis. Sicut etiam non eſt inconueniens, quòd cum prædicta beatitudine naturali hoc poſteriori modo conſiderata coharreat, non reddere ſubiectum ſimpliciter in termino, & quod nõ tollat à ſubiecto capacitatem demerendi eandem beatitudinem: alioqui non cõſideraretur per modum medij iam dicti in ordine ad beatitudinem ſupernaturalem, quæ acquiri, vel non acquiri poteſt ab eo, qui ſimpliciter eſt in via. Vnde etiam non inconuenit, quod cum beatitudine naturali ſic conſiderata miſceatur aliquid timoris, & angoris, & ſimiliter quod per eam non expleatur omne deſiderium, adhuc naturale, maximè, quia hoc etiam prouenit ex parte ſubiecti, quod ſimpliciter eſt in via. Quod etiam adhuc magis patebit ex his, quæ ſtatim dicemus. Per quæ ad vtramque confirmationem ſatis conſtat.

Tertio ſit obuiam obiectiõi.

8 Reſpondetur tertio, probabile eſſe, quod etſi ad beatitudinem ſupernaturalem pertineat inamiſsibilitas, & excluſio timoris cuiuſuis, necnon & qualiſcumque mali ſimpliciter, ita vt hoc eidem beatitudini ſit debitum; non tamen ad beatitudinem naturalem. Quia illa, quippe perfecta beatitudo, eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus: & propterea conſiſtit in indiuiſibili. Cæterùm beatitudo naturalis, quippe beatitudo ſecundùm quid, & cum addito, poteſt manere in Dæmonibus, quia non conſiſtit in indiuiſibili, ſed ſicut poteſt deficere à perfecta beatitudine, ita poſſunt intra latitudinem beatitudinis naturalis aſsignari diuerſi gradus excedentes ſe in perfectione. Et ideò, ſicut Angeli in prima conditione fuerunt beati ſecundùm quid, id eſt beatitudine naturali: ita poſt peccatum manſere beati ſecundùm quid, & cum addito, nempe beatitudine naturali, non qualicumque, ſed quæ tantùm dicat perfectam coniunctionem naturæ intellectualis per intellectum, & voluntatem cum ſuo primo principio, & vltimo fine naturali: ita quidem, vt licèt ab eo indirecte ſit ſeparata, non tamen per ſe directè: ex eo quod medio intellectu habent cognitionem ita perfectam ſpeculatiuè, & practicè, vt ſit ratio non peccandi contra eum per ſe directè vt finem naturalem: atque adeo nec poſſunt habere actum voluntatis, quo ab illo per ſe directè moueantur; ſecùs tamen indirectè, ex eo quod prius deficiant tam in intellectu, quàm in voluntate circa illum, vt authorem ſupernaturalem. Sed de his iterùm diſputatione ſequenti ſermo redibit.

Replica

9 Nec etiam obſtat, ſi contra dicta vrgeas, quòd in Dæmonibus omnia naturalia manſere integra: ergo ſi beatitudo naturalis conuenit eis ab initio ſuæ creationis, & ex vi illius, remanſiſſent Dæmones poſt peccatum cum eadem prorſus naturali beatitudine.

Solutio

Reſpondetur enim, antecedens eſſe verũ de his, quæ ſunt purè naturalia, vt intellectus, voluntas, & ſpecies intelligibiles: nõ vero de illis, quæ habent admiſtum aliquid moralitatis. Vnde Dæmones poſt peccatum remanſerunt cum macula in ſua eſſentia, & non habent rectitudinem voluntatis, nec cognitionem practicam perfectam, adhuc naturalem, ſicut ab initio illam habuerunt, &c.

& omnes illi sunt auersi à Deo. & conuersi ad creaturam.

Alia replica

10 Ex quo etiam manet soluta alia obiectio, siue replica, nempe, quòd beatitudo naturalis, licèt afferat secum per modum proprietatis rectitudinem voluntatis, nihilominus non consistit essentialiter in prædicta rectitudine, sed in cognitione: at hæc cognitio manet in Dæmonibus: ergo etiam manebit in illis essentialis beatitudo.

Responsio

Respondetur enim, quòd etsi beatitudo essentialiter non sit sita in rectitudine voluntatis, habet consistere in cognitione non solum speculatiua, sed etiam practica dicente intrinsece ordinem ad rectitudinem voluntatis: & hæc cognitio non remanſit in Dæmonibus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Angelus indiguerit gratia ad hoc, quòd conuerteretur in Deum?

2 dist. 5. q. 2. art. 1.

AD secundum sic procedi tur. Videtur, quòd Angelus non indiguerit gratia ad hoc, quod conuerteretur in Deum. Ad ea enim, quæ naturaliter possumus, gratia non indigemus. Sed naturaliter Angelus cõuertitur in Deũ, quia naturaliter Deum diligit, vt ex

1 Q. 50. a. 6.

suprà dictis patet. Ergo Angelus nõ indiguit auxilio gratiæ ad hoc quòd cõuerteretur in Deum.

¶ 2. Prætereà. Ad ea tantũ videmur indigere auxilio, quæ sunt difficilia. Sed conuerti ad Deum non erat difficile Angelo: cum nihil esset in eo, quod huic conuersioni repugnaret. Ergo Angelus nõ indiguit auxilio gratiæ ad hoc quod conuerteretur in Deum.

¶ 3 Prætereà. Conuerti ad Deũ, est se ad gratiã præparare. Vnde Zacha. 1. dicitur: Cõuertimini ad me, & ego cõuertar ad vos. Sed nos nõ indigemus gratia ad hoc, quod nos ad gratiã præparemus: quia sic esset abire in infinitũ. Ergo nõ indiguit gratia Angelus ad hoc, quod conuerteretur in Deum.

SED contrà. Per conuersionẽ ad Deũ Angelus peruenit ad beatitudinem. Si igitur non indiguisset gratia ad hoc, quòd conuerteretur in Deum, sequeretur, quod non indigeret gratia ad habendã vitam æternam: quod est contra illud Apostoli Romanorum. 6. Gratia Dei, vita æterna.

RESPONDEO dicendum, quôd Angeli indiguerunt gratia ad hoc, quod conuerterentur in Deum prout est obiectum beatitudinis. Sicut enim superiùs dictum est, naturalis motus voluntatis est principium omnium eorum, quæ volumus. Naturalis autem inclinatio voluntatis est ad id, quod est conueniens secundùm naturam. Et ideo, si aliquid sit supra naturam, voluntas in id ferri non potest, nisi ab aliquo alio supernaturali principio adiuta: sicut patet, quod ignis habet naturalem inclinationem ad cale faciendum, & ad generandum ignem, sed generare carnem est supra naturalem virtutem ignis: vnde ignis ad hoc nullam inclinationẽ habet, nisi secundũ quod mouetur vt instrumentum ab anima nutritiua. Ostensum est autem suprà, *, cùm de Dei cognitone ageretur, quod videre Deum per

1. Q. 60. art 2. 12. q. 109. art 6. Et 2. dist. 5. q. 2. art. 1. Et dist. 28. art. 4. Et 4 cõtra G. c. 72.

q. 12 art. 4. & 5.

essentiam

essentiam, in quo vltima beatitudo rationalis creaturę cõsistit, est supra naturã cuius libet intellectus creati. Vnde nulla creatura rationalis potest habere motũ voluntatis ordinatũ ad illam beatitudinẽ, nisi mota à supernaturali agente: & hoc dicimus auxilium gratiæ. Et ideo dicendum est, quod Angelus in illam beatitudinem voluntate conuerti non potuit, nisi per auxilium gratiæ.

Ad primum ergo dicendum, quod Angelus naturaliter diligit Deum, in quantum est principium naturalis esse. Hic autem loquimur de conuersione ad Deum, in quantum est beatificans per suæ essentiæ visionem.

Ad secundum dicendũ, quòd difficile est, quod transcendit potentiam. Sed hoc contingit esse dupliciter. Vno modo, quia transcendit potentiam secundùm suũ naturalem ordinem: & tunc, si ad hoc possit peruenire aliquo auxilio, dicitur difficile: si autem nullo modo, dicitur impossibile: sicut impossibile est hominem volare. Alio modo transcendit aliquid potentiam, non secundum ordinem naturalem potentiæ, sed propter aliquod impedimentum potentiæ adiunctum: sicut ascendere non est contra naturalẽ ordinem potentiæ animæ motiuæ, quia anima quantum est de se, nata est moueri in quamlibet partem; sed impeditur ab hoc propter corporis grauitatem, vnde difficile est homini ascendere. Conuerti autem ad beatiudinem vltimam, homini quidem est difficile: & quia est supra naturam, & quia habet impedimentum ex corruptione corporis, & infectione peccati: sed Angelo est difficile propter hoc solũ, quòd est supernaturale.

Ad tertium dicendum, quod quilibet motus voluntatis in Deũ potest dici conuersio in ipsum. Et ideô triplex est conuersio in Deum. Vna quidem per dilectionem perfectam, quæ est creaturæ iã Deo fruẽtis: & ad hãc cõuersionẽ requiritur gratia consummata. Alia conuersio est, quæ est meritũ beatitudinis: & ad hanc requiritur habitualis gratia, quæ est merendi principium. Tertia conuersio est, per quam aliquis præparat se ad gratiam habendam: & ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei ad se animam conuertentis, secundùm illud Thren. vltimo: Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Vnde patet, quod non est procedere in infinitum.

Conclusio.

Angelus non potuit se conuertere in Deũ, vt est obiectum beatitudinis supernaturalis, nisi adiutus diuina gratia.

CIrca hunc articulum disputari solet de veritate conclusionis D. Thomæ. Cæterum de hoc eadem est ratio de Angelis, ac de hominibus: & quid circa istos dicendũ sit, latiùs in tractatu de Gratia discutiendum est: & ideò quoad Angelos non est necesse, vt quoad præsens immoremur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Angeli ſint creati in gratia.

2.2.q.5.ar.1.cor. Et 2.diſt.3.art.3 & diſt.5.q.2.ar.2.cor. &quoli.9 q.4.ar.3 cor.

AD Tertium ſic proceditur. Videtur, quòd Angeli non ſint creati in gratia. Dicit enim Auguſtinus 2. ſuper Geneſ.ad litter. quòd Angelica natura primô erat informiter creata, & cœlum dicta: poſtmodum verò formata eſt, & lux appellata. Sed hæc formatio eſt per gratiam. Ergo non ſunt creati in gratia.

¶ 2 Præterea. Gratia inclinat creaturam rationalem in Deum. Si igitur Angelus in gratia creatus fuiſſet, nullus Angelus fuiſſet à Deo auerſus.

¶ 3 Præterea. Gratia medium eſt inter naturam, & gloriam. Sed Angeli non fuerũt beati in ſua creatione. Ergo videtur, quod nec etiã creati ſint in gratia; ſed primo in natura tantùm; poſtea autem adepti ſunt gratiam, & vltimo facti ſunt beati.

SED contra eſt, quod Auguſtinus * dicit 12. de Ciuitate Dei: Bonam voluntatem quis fecit in Angelis, niſi ille, qui eos cum ſua voluntate, id eſt cum amore caſto, quo illi adhærẽt, creauit ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam?

† Lib.12.de Ciuit. Dei c.9.á medio tom.3.

RESPONDEO dicendũ, quod quamuis ſuper hoc ſint diuerſæ opiniones, quibuſdam dicentibus, quod creati ſunt Angeli in naturalibus tantùm; alijs vero, quod ſunt creati in gratia: hoc tamen probabilius videtur tenendum, & magis dictis ſanctorum conſonum eſt, quod fuerunt creati in gratia gratum faciente. Sic enim videmus, quod omnia, quæ proceſſu temporis per opus diuinæ prouidentiæ creata à Deo operante ſunt producta, in prima rerum cõditione producta ſunt ſecundùm quaſdam ſeminales rationes, vt Auguſtinus dicit ſuper Geneſ. * ad lit. ſicut arbores, & animalia, & alia huiuſmodi. Manifeſtum eſt autẽ, quod gratia gratum faciens hoc modo comparatur ad beatitudinem, ſicut ratio ſeminalis in natura ad effectum naturalem. Vnde 1. Ioãnis 3. Gratia ſemẽ Dei nominatur. Sicut igitur ſecundũm opinionem Auguſtini ponitur, quod ſtatim in prima creatione corporalis creaturę inditæ ſunt ei ſeminales rationes omnium naturalium effectuum, ita ſtatim à principio ſunt Angeli creati in gratia.

† Lib 8.c 3. to.3.& 5.de Geneſ. ad lit.c.24.

Ad primum ergo dicendum, quod informitas illa Angeli, poteſt intelligi vel per comparationem ad formationem gloriæ, & ſic præceſſit tempore informitas formationem: vel per comparationem ad formationem gratiæ, & ſic non præceſſit ordine temporis, ſed ordine naturæ, ſicut etiam de formatione corporali Auguſtinus * ponit.

† Lib 1.ſuper Geneſ. c.15.to.3.

Ad ſecũdum dicendum, quod omnis forma inclinat ſuum ſubiectum ſecundùm modum naturæ eius. Modus autem naturalis intellectualis naturæ eſt, vt liberè feratur in ea, quę vult. Et ideo inclinatio gratiæ non imponit neceſſi-

ceſsitatem, ſed habens gratiam poteſt non vti, & peccare.

Ad tertium dicendum, quòd quamuis gratia ſit medium inter naturam, & gloriam in ordine naturæ, tamen ordine temporis in natura creata non debuit ſimul eſſe gloria cum natura: quia eſt finis operationis ipſius naturæ per gratiam adiunctæ. Gratia autem non ſe habet vt finis operationis, quia non eſt ex operibus, ſed vt principium benè operandi. Et ideò ſtatim cum natura gratiam dare conueniens fuit.

Concluſio.

Probabilius eſt, & dictis Sanctorũ magis cõ ſonum, quòd ſint creati in gratia.

CIrca concluſionem articuli infrà diſp. 11. n. 7. & deinceps ſermo redibit, dum de impeccabilitate Angeli in primo inſtãti ſuæ creationis egerimus, vbi reddemus rationem, propterquam Angelus fuerit creatus ſub dilectione ſuper omnia Dei authoris ſupernaturalis, atque adeò in gratia. Et licèt ſoleat etiam hìc diſputari, an Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis habuerit gratiam per propriam diſpoſitionem, nihilominùs, quia quoad hoc par eſt ratio de illis, ac de adultis hominibus, & quoad iſtos in tractatu de gratia id diſcutiendum à nobis eſt, ideò diſputationem iſtam in prædictum locum remittendam cenſuimus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Angelus beatus ſuam beatitudinẽ meruerit?

2 diſt. 5. q. 2. art. 2. Et quol. 9. q. 4. art. 3.

AD Quartum ſic proceditur. Videtur, quòd Angelus beatus ſuã beatitudinem nõ meruerit. Meritum enim eſt ex difficultate actus meritorij. Sed nullã difficultatem Angelus habuit ad benè operandum. Ergo bona operatio non fuit ei meritoria.

¶ 2 Prætereà. Naturalibus non meremur. Sed naturale fuit Angelo, quòd conuerteretur ad Deum. Ergo per hoc non meruit beatitudinem.

¶ 3 Prætereà. Si Angelus beatus beatitudinem ſuam meruit, aut ergo antequam eam haberet, aut poſt? Sed non antè: quia (vt multis videtur) antè non habuit gratiam, ſine qua nullum eſt meritum. Nec etiam poſt: quia ſic etiam modò mereretur: quod videtur eſſe falſum, quia ſic minor Angelus merendo, ad ſuperioris Angeli gradum poſſet pertingere, & non eſſent ſtabiles diſtinctiones graduum gratiæ: quod eſt inconueniens. Non ergo Angelus beatus ſuam beatitudinem meruit.

SED contrà. Apocalypſis 21. dicitur, quod menſura Angeli in illa cæleſti Hieruſalẽ eſt menſura hominis. Sed homo ad beatitudinem pertingere non poteſt, niſi per meritum. Ergo neque Angelus.

RESPONDEO dicendũ, quod ſoli Deo beatitudo perfecta eſt naturalis: quia idem eſt ſibi eſſe, & beatum eſſe. Cuiuſlibet autẽ creaturæ eſſe beatum, non eſt natura, ſed vltimus finis. Quælibet autẽ res ad vltimum finem per ſuam operationem pertingit: quæ quidem operatio in finem ducens, vel eſt factiua finis, quando finis non excedit virtutem eius, quod operatur propter finem, ſicut medicatio eſt factiua ſanitatis, vel eſt meritoria finis, quando finis excedit virtutem operantis propter

finem: vnde expectatur finis ex dono alterius. Beatitudo autem vltima excedit & naturam Angelicam, & humanam, vt ex dictis patet.* Vnde relinquitur, quòd tam homo, quàm Angelus ſuam beatitudinem meruerint. Et ſiquidē Angelus in gratia creatus fuit, ſine qua nullum eſt meritum, abſque difficultate dicere poſſumus, quòd ſuam beatitudinem meruerit. Et ſimiliter ſiquis diceret, quod qualitercūq; gratiā habuerit, antequā gloriam. Si vero gratiam non habuit, antequam eſſet beatus, ſic oportet, dicere, quod beatitudinem abſque merito habuit, ſicut nos gratiam: quod tamen eſt contra rationem beatitudinis, quæ habet rationem finis, & eſt præmium virtutis, vt etiam Philoſophus dicit in 1. Ethic.* Vel oportet dicere, quod Angeli merentur beatitudinem per ea, quę iam beati operantur in diuinis miniſterijs, vt alij dixerunt: quod tamē eſt contra rationem meriti. Nam meritum habet rationem viæ ad finem: ei autem, qui iam eſt in termino, non conuenit moueri ad terminum: & ſic nullus meretur, quod iam habet. Vel oportet dicere, quod vnus & idem actus conuerſionis in Deum, in quantum eſt ex libero arbitrio, eſt meritorius; & in quātum pertingit ad finem, eſt fruitio beata. Sed nec hoc etiam videtur eſſe conueniens. Quia liberum arbitrium non eſt ſufficiens cauſa meriti. Vnde actus non poteſt eſſe meritorius, ſecundū quod eſt ex libero arbitrio, niſi in quantum eſt gratia informatus. Non autem ſimul poteſt informari gratia imperfecta, quæ eſt principiū merendi, & gratia perfecta, quæ eſt principium fruendi. Vnde nō videtur eſſe poſsibile, quòd ſimul fruatur, & ſuam fruitionem mereatur. Et ideò meliùs dicendum eſt, quòd gratiam habuit Angelus, antequam eſſet beatus, per quam beatitudinem meruit.

† Art. 1. & 2. huius q. Et q. 12. ar. 4. & 5.

† Libr. 1. Ethic. ca. 9. circa principiū to. 5.

Ad primum ergo dicendum, quòd difficultas benè operandi non eſt in Angelis ex aliqua contrarietate, vel impedimento naturalis virtutis, ſed ex hoc, quòd opus aliquod bonū eſt ſupra virtutem naturæ.

Ad ſecūdum dicendum, quòd conuerſione naturali Angelus nō meruit beatitudinem, ſed conuerſione charitatis, quæ eſt per gratiam.

Ad tertiū patet reſponſio ex dictis. In corpore Articuli.

Prima concluſio affirmat.

Secunda concluſio.

Meritum in Angelo debet antecedere tempore præmium vltimum.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Angelus ſtatim poſt vnum actum meriti beatitudinem habuerit?

AD Quintum ſic proceditur. Videtur, quod Angelus non ſtatim poſt vnum actum meritorium beatitudinem habuerit. Difficilius enim eſt homini benè

benè operari, quàm Angelo. Sed homo non præmiatur ſtatim poſt vnum actum. Ergo neque Angelus.

¶ 2 Præterea. Angelus ſtatim in principio ſuæ creationis, & in inſtanti actum aliquem habere potuit, cùm etiam corpora naturalia in ipſo inſtati ſuæ creationis moueri incipiant. & ſi motus corporis in inſtanti eſſe poſſet, ſicut opera intellectus, & voluntatis, in primò inſtanti ſuæ generationis motum haberent. Si ergo Angelus per vnum motum ſuæ voluntatis beatitudinem meruit, in primo inſtanti ſuæ creationis meruit beatitudinem. Si ergo eorum beatitudo non retardatur, ſtatim in primo inſtanti fuerunt beati.

¶ 3 Præterea. Inter multùm diſtantia oportet eſſe multa media. Sed ſtatus beatitudinis Angelorum multùm diſtat à ſtatu naturę eorum: medium autem inter vtrumque, eſt meritum. Oportuit igitur, quòd per multa media Angelus ad beatitudinem peruenire.

SED contrà. Anima hominis, & Angelus ſimiliter ad beatitudinem ordinantur: vnde ſanctis promittitur æqualitas Angelorum. Sed anima à corpore ſeparata, ſi habeat meritum beatitudinis, ſtatim beatitudinem cõſequitur, niſi aliud ſit impedimentum. Ergo pari ratione & Angelus. Sed ſtatim in primo actu charitatis habuit meritum beatitudinis. Ergo cùm in eo non eſſet aliquod impedimentum, ſtatim ad beatitudinem peruenit per ſolum vnum actum meritorium.

RESPONDEO dicẽdũ, quòd Angelus poſt primum actum charitatis, quo beatitudinẽ meruit, ſtatim beatus fuit. Cuius ratio eſt. Quia gratia perficit naturam ſecundùm modum naturæ, ſicut & omnis perfectio recipitur in perfectibili ſecundùm modum eius. Eſt autem hoc proprium naturæ Angelicæ, quòd naturalem perfectionem non per diſcurſum acquirat; ſed ſtatim per naturã habeat, ſicut ſuprà oſtenſum eſt*. Sicut autem ex ſua natura Angelus habet ordinem ad perfectionem naturalem; ita ex merito habet ordinem ad gloriam: & ita ſtatim poſt meritum in Angelo fuit beatitudo conſecuta. Meritũ autem beatitudinis non ſolùm in Angelo, ſed etiam in homine eſſe poteſt per vnicum actum: quia quolibet actu charitate informato homo beatitudinem meretur. Vnde relinquitur, quòd ſtatim poſt vnum actũ charitate informatum Angelus beatus fuit.

* Art. 1 huius q. 8 & q. 58 art. 3 & 4.

Ad primũ ergo dicendũ, quòd homo ſecundũ ſuam naturam nõ ſtatim natus eſt vltimam perfectionem adipiſci, ſicut Angelus: & ideô homini longior via data eſt ad merendum beatitudinem, quàm Angelo.

Ad ſecundũ dicendum, quòd Angelus eſt ſupra tempus rerum corporalium. Vnde inſtantia diuerſa in his, quæ ad Angelos pertinent, non accipiuntur, niſi ſecundùm ſucceſſionem in ipſorũ actibus. Non autem potuit ſimul ineis eſſe actus meritorius beatitudinis, & actus beatitudinis, qui eſt fruitio: cùm vnus ſit gratiæ imperfectæ, & alius gratiæ cõſummatæ.

Vn-

Vnde relinquitur, quôd oportet diuerſa inſtantia accipi, in quorũ vno meruerit beatitudinem, & in alio fuerit beatus.

Ad tertium dicendum, quôd de natura Angeli eſt, quòd ſtatim ſuam perfectionem conſequatur, ad quam ordinatur. Et ideò non requiritur, niſi vnus actus meritorius: qui ea ratione medium dici poteſt, quia ſecundùm ipſum Angelus ad beatitudinem ordinatur.

Concluſio.

Angelus poſt primum actum charitatis, quo beatitudinem meruit, ſtatim beatus fuit.

CIrca hos duos articulos plura dicemus infrà q. ſequenti, diſp. 12. nu. 29. & 57. Quia ibidem S. Doctor vtramque hanc difficultatem immiſcet.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Angeli ſint conſecuti gratiam, & gloriam ſecundùm quantitatem ſuorum naturalium?

AD Sextum ſic proceditur. Videtur, quôd Angeli non ſint conſecuti gratiam, & gloriã ſecundùm quantitatem ſuorum naturalium. Gratia enim ex mera Dei voluntate datur. Ergo & quãtitas gratiæ dependet ex voluntate Dei, & non ex quantitate naturalium.

¶ 2 Prætereà. Magis propinquum videtur ad gratiam actus humanus, quàm natura: quia actus humanus præparatorius eſt ad gratiam. Sed gratia non eſt ex operibus, vt dicitur Rom. 11. Multò igitur minùs quantitas gratiæ in Angelis eſt ſecundùm quantitatem naturalium.

¶ 3 Prætereà. Homo, & Angelus pariter ordinantur ad beatitudinem, vel gratiam. Sed homini non datur plus de gratia ſecundùm gradum naturalium. Ergo nec Angelo.

SED contra eſt, quòd Magiſter dicit 3. diſt. ſecũdi ſentent.* quôd Angeli, qui natura magis ſubtiles, & ſapiẽtia amplius perſpicaces creati ſunt, hi etiam maioribus gratiæ muneribus prædicti ſunt. * 2 Sent. diſt. 3 par. 2. à medio illius

RESPONDEO dicendũ, quòd rationabile eſt, quod ſecundùm gradum naturalium Angelis data ſint dona gratiarum, & perfectio beatitudinis. Cuius quidem ratio ex duobus accipi poteſt. Primò quidem ex parte ipſius Dei, qui per ordinem ſuæ ſapientię diuerſos gradus in Angelica natura conſtituit. Sicut autem natura Angelica facta eſt à Deo, ad gratiam, & beatitudinem conſequendam: & ita etiam gradus naturæ Angelicæ ad diuerſos gradus gratiæ, & gloriæ ordinari videntur: vt puta, ſi ædificator lapides polit ad conſtruendam domum, ex hoc ipſo, quòd aliquos pulchriùs, & decentiùs aptat, videtur eos ad honoratiorem partem domus ordinare. Sic igitur videtur, quòd Deus Angelos, quos altioris naturæ fecit, ad maiora gratiarum dona, & ampliorem beatitudinem ordinauerit. Secundò apparet idem ex parte

ipſius

ipſius Angeli. Non enim Angelus eſt compoſitus ex diuerſis naturis, vt inclinatio vnius naturæ impetum alterius impediat, aut retardet, ſicut in homine accidit, in quo motus intellectiuæ partis aut retardatur, aut impeditur ex inclinatione partis ſenſitiuæ. Quando autem non eſt aliquid, quod retardet, aut impediat, natura in id ſecũdùm totam ſuam virtutem mouetur. Et ideô rationabile eſt, quod Angeli, qui meliorem naturam habuerunt etiam fortiùs, & efficaciùs ad Deum ſint conuerſi. Hoc autem etiam in hominibus contingit: quia ſecundùm intenſionem conuerſionis in Deum datur maior gratia, & gloria. Vnde videtur, quòd Angeli, qui habuerunt meliora naturalia, habuerunt plus de gratia, & gloria.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut gratia eſt ex mera Dei voluntate, ita etiam & natura Angeli. Et ſicut naturam Dei voluntas ordinauit ad gratiam, ita & gradus naturæ ad gradus gratiæ.

Ad ſecundũ dicendum, quôd actus rationalis creaturæ ſunt ab ipſa; ſed natura eſt immediatè à Deo. Vnde magis videtur, quod gratia detur ſecundùm gradũ naturæ, quam ex operibus.

Ad tertium dicendum, quod diuerſitas naturalium aliter eſt in Angelis, qui differunt ſpecie, & aliter in hominibus, qui differũt ſolo numero. Differentia enim ſecundum ſpeciem eſt propter finem: ſed differentia ſecundum numerum eſt propter materiam. In homine etiam eſt aliquid, quod poteſt impedire, vel retardare motum intellectiuæ naturæ, non autem in Angelis. Vnde non eſt eadem ratio de vtroque.

Concluſio.

Rationabile eſt, quòd ſecundùm gradum naturalium Angelis datæ ſint dona gratiarũ, & perfectio beatitudinis.

Annotationes circa iſtum articulum.

CIrca concluſionem illius notandum eſt, non eſſe ſenſum, aut mentem Angelici Præceptoris, data eſſe Angelis dona ſupernaturalia ſecundùm gradum ſuorum naturalium, tamquam propter diſpoſitionem, ſiue proximam, ſiue remotam: ſiquidem quęuis ex his diſpoſitionibus debet eſſe ſupernaturalis, vt in 1. tomo tractatu 5. diſput. 10. n. 20. diximus. Sed ſolùm, quòd Angelis, qui erant perfectiores in natura, communicata eſt à Deo liberaliter perfectior conuerſio ſupernaturalis in ipſum, ac proinde & perfectior gratia ſanctificans. Et ita pro ſua liberali volũtate produxit Angelos, qui eſſent perfectioris naturæ, & dedit eis perfectiorẽ conuerſionem in ſe ipſum auctorem ſupernaturalem, & conſequenter perfectiorẽ gratiam, & gloriam.

2 Vnde pro maiori intelligentia rationis, ſiue rationum, quibus D. Thomas probat ſuam concluſionem, animaduertendum eſt, quòd etſi natura non habeat rationẽ diſpoſitionis reſpectu donorum ſupernaturalium, nempe gratiæ, & gloriæ; habet tamen rationem medij, deficientis tamen reſpectu illorum, vt in 1. tomo tractatu 5. diſput. 3. n. 27. & deinceps diximus. Nam ſicut Deus, vt eſt obiectum ſupernaturale, eſt finis naturæ: ita etiam gratia, & gloria, quæ ſunt participationes diuinæ naturæ: maximè, quia mediis his donis gratiæ, & gloriæ poſsidendus eſt Deus, vt eſt finis ſupernaturalis. Et ſimiliter eadem natura ſecundùm ſuam potentiam obedientialem habet ſe per modum ſubiecti reſpectu donorum ſupernaturalium, quibus perficitur, & eleuatur. **Animaduerſio pro cõcluſionis luce.**

Hinc ergo elucidatę manent duæ cõgruẽtiæ, quas Angelicus Doctor in præſenti adducit ad ſuadendam ſuam concluſionem. Prima deſumitur ex parte Dei influentis prædicta dona. Nam cùm dona iſta comparentur per modum finis reſpectu naturæ, rationabile viſum eſt, vt collator illorum Deus præparauerit meliorem naturam maiori, & intenſiori gratiæ, & gloriæ: vt contingit in artifice, qui pretioſiores, & pulchriores lapides ad per- *Angel. Doctor.*

ad perfectiorem finem, nempe, ad perfectius ædificium præparat, Secunda verò congruẽtia depromitur ex parte cauſæ materialis, & receptiuæ gratiæ. Siquidem etiam rationabile videtur, vt perfectius ſubiectum præparetur gratiæ perfectiori, & intenſiori, quoties id, inſpectis omnibus, fieri commodè potuerit. Quia natura perfectior, & ſuperior, qualis eſt Angelica, nullum habet impedimentum, quominùs feratur totaliter, & ſecundùm totam ſuam virtutem in obiectum. Et ideò rationabile eſt, quòd Angeli, qui meliorem naturam habuerunt, etiam fortiùs, & efficaciùs ad Deum ſint conuerſi.

Obiectio

3 Nec refert, ſi obijcias primò contra hæc, quòd ſi rationes iſtæ aliquid probarent, ſuaderent etiam, quòd eodem modo fuiſſent data dona gratiæ hominibus ſecundùm gradum ſuorum naturalium: at hoc eſt falſum: ſiquidem hominibus melioris ingenij, & intellectus non ideircò tribuitur (adhuc eo modo, quo Angelis) maior conuerſio in Deum auctorem ſupernaturalem, maioraque dona gratiæ, & gloriæ, vt patet ex illo Matthæi 11. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis* Maior videtur perſpicua. Quia etiam natura humana habet eodem modo rationem mediam dicti, & ſubiecti reſpectu gratiæ, & gloriæ.

Math. 11.

Reſpõdetur

Reſpondetur, quòd perſeuerantibus hominibus in ſtatu innocentiæ, poſſet fortè non improbabiliter aſſeri, gratiam communicandam eſſe illis iuxta quantitatem ſuorum naturalium, eo proportionali modo, quo Angelus: ex eo quòd in illo ſtatu nullũ eſſet impedimentum in natura retardans, quòd ferrentur in Deum. At in ſtatu naturæ corruptæ id non poteſt aſſeri, propter teſtimonium nuper adductum. Vnde ratio diſparitatis inter homines, & Angelos reddi poteſt ex eo, quòd in Angelis diſtinctio, & exceſſus ſpecificus in naturalibus ſunt quid ſpecificum, & formale, ac proinde per ſe intentum: è contrà vero in hominibus ſunt iſta quid numericũ, & materiale, & per conſequens non per ſe intenta. Et ideò non oportuit, vt iuxta quantitatem eorum gratia, & gloria conferretur.

Replica

4 Nec etiam obeſt, ſi vrgeas ſecundò, homines aſſumptos eſſe ad reparandas ruinas Angelorum: ſed Angeli non ſunt æquales in gratia, & gloria, ſed illis tributæ ſunt iuxta quantitatem ſuorum naturalium: ergo ſimiliter hominibus.

Soluitur

Reſpondetur enim, quòd vt verificetur dictum illud commune Sanctorum, ſatis eſt, homines aſſumptos eſſe ad gloriam, ex qua ceciderunt Angeli, licet in hac reparatione nõ ſeruentur ad vnguem omnia, quæ in Angelis inueniebantur. Vnde certum eſt, homines nõ eſſe aſſumptos ad reparandas ruinas Angelorum in eodem gradu: ſiquidem manifeſtum eſt, quòd aliqui homines, vt Chriſtus Domiſius & Beata Virgo, habent perfectiorem gratiam, & gloriam, quàm quiuis Angelus.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm in Angelis beatis remaneat cognitio naturalis?

AD Septimum ſic proceditur. Videtur, quòd in Angelis beatis non remaneat cognitio, & dilectio naturalis, quia, vt dicitur 1. Corinthiorum 13. Cùm venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt. Sed dilectio, & cognitio naturalis eſt imperfecta reſpectu cognitionis, & dilectionis beatæ. Ergo adueniente beatitudine, naturalis cognitio, & dilectio ceſſat.

¶ 2 Præterea. Vbi vnum ſufficit, aliud ſuperfluè exiſtit. Sed ſufficit in Angelis beatis cognitio, & dilectio gloriæ. Superfluum ergo eſſet, quod remaneret in eis cognitio, & dilectio naturalis.

¶ 3 Præterea. Eadem potentia non habet ſimul duos actus, ſicut nec vna linea terminatur ex eadẽ parte ad duo puncta. Sed Angeli beati ſunt ſemper in actu cognitionis, & dilectionis beatæ: fœlicitas enim non eſt ſecundùm habitum, ſed ſed ſecundùm actum, vt dicitur in 1. Ethicorum*. Ergo numquam in Angelis poteſt eſſe cognitio, & dilectio naturalis.

† Lib 1. Ethic. c. 8. t. 5.

SED cõtrà. Quandiu manet natura

tura aliqua, manet operatio eius. Sed beatitudo non tollit naturã, cùm sit perfectio eius. Ergo non tollit naturalem cognitionem, & dilectionem.

RESPONDEO Dicendum, quòd in Angelis beatis remanet cognitio, & dilectio naturalis. Sicut enim se habent principia operationum ad inuicem ita se habent & operationes ipsæ. Manifestum est autem, quod natura ad beatitudinem comparatur, sicut primum ad secundum, quia beatitudo naturæ additur. Semper autem oportet saluari primum in secundo. Vnde oportet, quòd natura saluetur in beatitudine. Et similiter oportet, quòd in actu beatitudinis saluetur act⁹ naturæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd perfectio aduenies tollit imperfectionem sibi oppositam. Imperfectio autem naturæ non opponitur perfectioni beatitudinis, sed substerniturei: sicut imperfectio potentiæ, substernitur perfectioni formæ, & non tollitur potentia per formam, sed tollitur priuatio, quæ opponitur formæ. Et similiteretiam imperfectio cognitionis naturalis nonopponitur perfectioni cognitionis gloriæ: nihil enim prohibet, simul aliquid cognoscere per diuersa media: sicut simul potest aliquid cognosci per medium probabile, & demonstratiuum: & similiter potest Angelus simul Deum cognoscere per essentiam Dei. quod pertinet ad cognitionem gloriæ, & per essentiam propriam, quod pertinet ad cognitionem naturæ,

Ad secundum dicẽdum, quòd ea, quæ sunt beatitudinis, per se sufficiunt: sed ad hoc, quod sint, præexigunt ea, quæ sunt naturæ: quia nulla beatitudo est per se subsistens, nisi beatitudo increata.

Ad tertium dicendum, quod duæ operationes non possunt esse simul vnius potentiæ, nisi vna ad aliam ordinetur, Cognitio autem, & dilectio naturalis ordinantur ad cognitionem, & dilectionem gloriæ. Vnde nihil prohibet, in Angelo esse & cognitionem, & dilectionem naturalem, & cognitionem, & dilectionem gloriæ.

Conclusio.

In Angelis beatis manet tam cognitio, quàm dilectio naturalis.

Animaduersiones circa hunc articulum.

1 CIrca rationem conclusionis D. Thomæ animaduertendum est eam posse ad hanc breuem formam ex Caietano reduci, Quoniam natura remanet in beatitudine: ergo actus naturæ: ergo cognitio, & dilectio naturalis. Antecedens probatur. Quia primum remanet in secundo: natura autem se habet ad beatitudinem. vt primum ad secundum: prima vero consequentia probatur. Quia sicut se habent principia operationum ad inuicem, sic se habent operationes ipsæ. *Caietanus* Ratio. conclusionis.

2 Nec obest, si obijcias primo cognitionem naturalem habere repugnantiam cum beatitudine supernaturali: ergo hac adueniente, destruetur illa. Consequentia patet. Antecedens verò probatur. Quia ideò fides, & beatitudo supernaturalis, scilicet visio beatifica habent inter se repugnantiam, quia comparantur per modum perfecti, & imperfecti, & dum venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod imperfectum fuerit: sed etiam cognitio naturalis, & visio beatifica comparantur in ratione cognitionis hoc modo: ergo &c. Obiect. prima.

Nec obest, si occurras ex Diuo Thoma in præsenti in solutione ad 1. quòd perfectio aduenies destruit imperfectionem sibi oppositam, non tamen non oppositam: sicut forma aduenies destruit priuationem, Solutio D. Thom.

quæ eſt imperfectio ſibi oppoſita; non tamen deſtruit potentialitatem materiæ. Quia licèt hæc dicat imperfectionem, nõ tamen oppoſitam prædictæ formæ; quin potius hæc perficitur per illam. Vnde per beatitudinem ſupernaturalem non expellitur cognitio naturalis, quia non dicit aliquid imperfectum oppoſitum illi, ſecùs verò fides collata cum viſione beata, quæ comparatur veluti per modum priuationis illius: & propterea hæc repugnat viſioni beatæ, & expellitur per illam.

Impugnatio pro aduerſarijs.

Non igitur hoc ſatis erit. Nam ideo fides dicit imperfectionem oppoſitam beatitudini ſupernaturali, quia ſi cum illa ſimul maneret, iam idem obiectum, nempe Deus, eſſet ſimul viſum, & non viſum ab eodem ſubiecto, quod implicat. Sed ſi viſio beatifica vnà cum cognitione naturali maneret, tunc eſſentia diuina eſſet ſimul obiectum viſum, & non viſum ab eodem Angelo Viſum quidem, vt ſupponitur. Non viſum autem, quia per cognitionem illam naturalem nequit Deus videri intuitiuè, ſicut neque per fidem.

Occurritur & vindicatur ſolutio tradita.

3 Reſpondetur admittendo ſolutionem datam. Et ad probationem in contrarium dicendum eſt, aliud eſſe, an cognitio naturalis Angelica ſit talis conditionis, vt per eam non videatur Deus prout eſt in ſe, ac proinde denominet illum non viſum per eandem: aliud vero, an ex parte ſubiecti afferat per modum requiſiti priuationẽ huius quod eſt, prædictum obiectum non eſſe ab eodem ſubiecto viſum. Etſi ergo cognitio naturalis Angelica habeat illud prius, non tamen hoc poſterius. Quoniam ſolùm diſtinguuntur per modum duarum cognitionum euidentium, quarum vna ſit alia perfectior, & euidentior; quas quidem, planum eſt, non eſſe incompoſibiles, quia vna earum non affert ex parte ſubiecti priuationem alterius, ſed ſolùm quod non ſit ita euidens, ſicut altera, quæ eſt perfectior. Cæterùm fides, & viſio beatifica ita inter ſe conferuntur, vt fides afferat ex parte ſubiecti priuationem huius, quod eſt eſſe ſimul viſum idem obiectum ab eodem ſubiecto, ſiue ab eodem intelligente: & ideo viſio beatifica repugnat fidei. & è contrà.

Secunda obiectio.

4 Nec etiam obſtat, ſi ſecundo obijcias, Angelum beatum, toto conatu ferri in Deum clare viſum, ac proinde non remanere in eo aliquid conatus in ordine ad cognitionem naturalem ſimul habendam.

Diluitur

Reſpondetur enim, conatus illos eſſe diuerſi ordinis & rationis. Nam qui adhibetur in viſione beatifica, eſt ſupernaturalis, & diuini ordinis, & qui reperitur in cognitione naturali, eſt ordinis naturalis: Et propterea iſte non habet (vt ſic dicamus) conſumi, aut diminui, ex eo quod ille ſit intenſior. Addeprobabile ſatis eſſe, quod diſtę cognitiones reperiũtur in diuerſis formaliter potẽtijs: & ideo vna non impedit aliam.

ARTICVLVS VIII.

Virùm Angelus beatus peccare poſsit?

AD Octauum ſic proceditur. Videtur, quod Angelus beatus peccare poſsit. Beatitudo enim non tollit naturam, vt dictum eſt. Sed de ratione naturæ creatæ eſt, quod poſſit deficere. Ergo Angelus beatus poteſt peccare. 2. diſt. 7 q. 1 art 1. & ar. 2. cor. & di 23. q. S. ar. 1 a. 1. & ar. 2. ad 2. Et Iob 4 † Art. præc.

¶ 2 Præterea. Poteſtates rationales ſunt ad oppoſita, vt Philoſophus dicit*. Sed voluntas Angeli beati non deſinit eſſe rationalis. Ergo ſe habet ad bonum, & malum. † lib 9. Metaphy. tex. 3. tom. 3.

¶ 3 Præterea. Ad libertatem arbitrij pertinet, quod homo poſſit eligere bonum, & malum. Sed libertas arbitrij non minuitur in Angelis beatis. Ergo poſſunt peccare.

SED contrà eſt, quod Auguſtinus* dicit 11. ſuper Geneſ. ad litterã, quòd illa natura, quæ peccare non poteſt, in ſanctis Angelis eſt. Ergo ſancti Angeli peccare non poſſunt. † lib. 11. ſuper Geneſ. cap. 7. to. 3.

RESPONDEO dicendũ, quod Angeli beati peccare non poſſũt. Cuius ratio eſt. Quia eorũ beatitudo in hoc cõſiſtit, quod per eſſentiã Deũ vident. Eſſentia autẽ Dei eſt ipſa eſſentia bonitatis. Vnde hoc modo ſe habet Angelus videns Deũ ad ipſum, ſicut ſe habet quicũque nõ videns Deũ ad cõmunẽ rationẽ boni. Impoſsibile eſt autẽ, quòd aliquis quicquã velit, vel operetur,

operetur, niſi attendens adbonũ, vel quod velit diuertere à bono, in quantum huiuſmodi. Angelus igitur beatus non poteſt velle vel agere, niſi attendens ad Deũ. ſic autem volens, vel agens, non poteſt peccare. Vnde Angelus beatus nullo modo peccare poteſt.

Ad primum ergo dicendum, quòd bonum creatum in ſe conſideratum deficere poteſt. Sed ex coniunctione perfecta ad bonum increatum, qualis eſt coniunctio beatitudinis adipiſcitur, quòd peccare non poſsit ratione iã dicta.

In corpore art.

Ad ſecũdum dicendum, quôd virtutes rationales ſe habent ad oppoſita in illis, ad quæ non ordinantur naturaliter: ſed quantum ad illa, ad quæ naturaliter ordinãtur, non ſe habent ad oppoſita. Intellectus enim non poteſt non aſſentire principijs naturaliter notis: & ſimiliter voluntas non poteſt non adhærere bono, in quantum eſt bonum: quia in bonum naturaliter ordinatur, ſicut in ſuũ obiectum. Voluntas igitur Angeli ſe habet ad oppoſita, quantum ad multa facienda, vel non facienda: ſed quantum ad ipſum Deum, quem vident eſſe ipſam eſſentiã bonitatis, non ſe habent ad oppoſita, ſed ſecundum ipſum ad omnia diriguntur, quodcumque oppoſitorum eligant, quod ſine peccato eſt.

Ad tertium dicendum, quod liberum arbitrium ſic ſe habet ad eligendum ea, quę ſunt ad finẽ, ſicut ſe habet intellectus ad cõcluſiones. Manifeſtum eſt autem quod ad virtutem intellectus pertinet, vt indiuerſas cõcluſiones procedere poſsit ſecundum principia data. Sed quôd in aliquam cõcluſionem procedat, prætermittendo ordinem principiorũ, hoc eſt ex defectu ipſius. Vnde quôd liberũ arbitriũ diuerſa eligere poſsit ſeruato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionẽ libertatis eius. Sed quod eligat aliquid diuertendo ab ordine finis, quod eſt peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis. Vnde maior libertas arbitrij eſt in Angelis, qui peccare non poſſunt, quàm in nobis, qui peccare poſſumus.

Concluſio eſt negatiua

Animad uerſiones circa hunc articulum.

1 CIrca concluſionem huius articuli animaduertendum eſt, quòd ſolet id, quod in ea continetur, diſputari generaliter de quocumque beato in 1.2. tractatu de Beatitudine: & ideò quoad præſens pauca, licet ſufficientia ad elucidationem rationis D. Thomæ, dicemus. Dein de notandum eſt, rationem Angelici Præceptoris eſſe optimam, & eam poſſe ad hanc formam breuem reduci, nimirum, quòd Angelus beatus videt ipſam eſſentiam bonitatis, prout eſt in ſe, nempe ipſum Deum, qui eſt bonum vniuerſale: ergo ab illa reſilire non poteſt per peccatum. Quia à tanta bonitate clarè viſa neceſſariò veluti rapitur, vt eam diligat ſuper omnia, ac proinde vt eam ita diligat, vt peccare non poſsit.

Ratio D. T.

Confirmatur. Nam ſicut ſe habent Angeli, & homines in via reſpectu boni, & beatitudinis in communi: ita beati reſpectu diuinæ bonitatis. Nam iſta eſt bonitas per eſſentiam, & vniuerſale bonum, ac proinde claudit omne bonum, quemadmodum beatitudo in communi illud ſuo modo includit. Vnde, ſicut homo in via quidquid vult, habet illud velle propter bonum in communi, & nequit exire ab ordine boni in communi: ita Angelus beatus non poteſt reſilire ab ordine diuinæ bonitatis, & perconſequens nec peccare: ſiquidem peccatum conſiſtit in hoc quòd creatura reſiliat ab ordine prædictæ bonitatis.

Confirma.

2 Nec obeſt, ſi contra rationem hanc obijcias,

obijcias, quod viſio bonitatis per eſſentiam non opponitur peccato, quippe quod eſt in voluntate, & viſio in intellectu: cùm tamen oppoſita debeant eſſe circa idem ſubiectum: ergo ex eo, quòd Angelus beatus videat clare diuinam eſſentiam, non colligitur, nõ poſſe peccare.

Reſpõdetur

Reſpondetur enim, concedendo antecedens de oppoſitione formali, ſecùs de virtuali. Nam ad hanc ſatis eſt, quòd aliqua ratio neceſſariò afferat ſecum aliquid, quod formaliter opponatur alteri, vel ſit illius radix: ſicut peccatum opponitur cum Chriſto ratione perſonalitatis diuinæ, quamuis prædictum peccatum ſit in voluntate, quia prædicta perſonalitas eſt radix gratiæ, & charitatis formaliter oppoſitæ cum peccato: & error alicuius concluſionis non ſolùm repugnat ſcientiæ eiuſdem, verùm etiam præmiſſis diſpoſitis ad inferendam ſcientiam. Sic ergo in præſenti, quia ex viſione beatifica tamquam ex radice oritur amor Dei ſuper omnia, ideò illa virtualiter, iſtæ verò formaliter repugnant peccato, & propterea actuale peccatum nequit cum aliquo ex illis cohærere.

Secunda

3 Nec etiam obeſt. ſi ſecundò contra eãdem rationem obijcias quod quantumuis Angelus beatus videat Deum, adhuc eius liberum arbitrium manet in ratione arbitrij creati: ergo in ratione defectibil. s. Quia hæc defectibilitas pertinet ad rationem arbitrij creati facti ex nihilo.

Rnodatur

Reſpondetur enim, hanc defectibilitatem non pertinere ad eſſentiam arbitrij creati, adhuc vt creati, ſed indifferentia quoad diuerſa bona, vt patet in Chriſto Domino. Quamuis cum hoc ſtet, vt prædictum arbitrium, ſi ſecundùm ſe conſideretur, & non cõiunctum cum donis gratiæ ad hunc effectum idoneæ, poſſit peccare, ſecus coniunctum cũ prædictis donis, & ex vitalis coniunctionis.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm Angeli beati in beatitudine poſſint proficere?

AD Nonum ſic procedi tur. Videtur, quod Angeli beati in beatitudine proficere poſſint. Charitas enim eſt principium merendi. Sed in Angelis eſt perfecta charitas. Ergo Angeli beati poſſunt mereri. Creſcente autem merito & præmium beatitudinis creſcit. Ergo Angeli beati in beatitudine proficere poſſunt.

¶ 2 Præterea. Auguſtinus dicit in lib. de Doctrina Chriſtiana, quòd Deus vtitur nobis ad noſtrã vtilitatem, & ad ſuam bonitatem: & ſimiliter Angelis, quibus vtitur in miniſterijs ſpiritualibus, cũ ſint adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſsi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, vt dicitur Hebræorum 1. Non autem hoc eſſet ad eorum vtilitatẽ, ſi per hoc non mererentur, nec in beatitudine proficerent. Relinquitur ergo, quòd Angeli beati, & mereri, & in beatitudine proficere poſſunt.

†Lib. 1. de Doc. Chri. c. 32. in prin. tom. 3.

¶ 3 Præterea. Ad imperfectionem pertinet, quod ille, qui nõ eſt in ſummo, non poſsit proficere. Sed Angeli non ſunt in ſũmo. Si ergo ad maius proficere non poſſunt, videtur, quòd in eis ſit imperfectio, & defectus, quod eſt inconueniens.

SED contra eſt, quôd mereri, & proficere pertinẽt ad ſtatũ viæ, Sed Angeli nõ ſunt viatores, ſed comprehenſores. Ergo Angeli beati non poſſunt mereri, nec in beatitudine proficere.

RESPONDEO dicendum, quòd in vnoquoque motu, motoris intentio fertur in aliquid determinatũ, ad quod mobile perducere intẽdit: intẽtio enim eſt de fine cui repugnat infinitũ. Manifeſtũ eſt autẽ, quôd cum creatura rationalis per ſuã virtutẽ conſequi nõ poſsit ſuã beatitudinẽ, quæ in viſione Dei conſiſtit, vt ex ſuperioribus patet†, indiget, vt ad beatitudinem à Deo moueatur. Oportet igitur, quòd ſit aliquid determinatum ad quòdquę libet

†A. 1. huius quæſt.

libet creatura rationalis dirigatur ſicut in vltimum finem. Et hoc quidem determinatum non poteſt eſſe in diuina viſione quantum ad ipſum, quod videtur, quia ſumma veritas ab omnibus beatis ſecundum diuerſos gradus cõſpicitur, ſed quantum ad modum viſionis præfigitur diuerſimodè terminus ex intentione dirigentis in finem. Non enim poſsibile eſt, quòd ſicut rationalis creatura producitur ad videndum ſummã eſſentiam, ita producatur ad ſummum modum viſionis, qui eſt cõprehenſio: hic enim modus ſoli Deo competere poteſt, vt ex ſuprà dictis patet*. Sed cûm infinita efficacia requiratur ad Deum comprehendendum, creaturæ verò efficacia in videndo non poſsit eſſe, niſi finita, ab infinito autem finitum quodlibet infinitis gradibus diſtet, multis modis contingit creaturam rationalem intelligere Deum, vt clariùs, & minus clarè. Et ſicut beatitudo conſiſtit in ipſa viſione, ita gradus beatitudinis in certo modo viſionis. Sic igitur vnaquæque creatura rationalis à Deo perducitur ad finem beatitudinis, vt etiam ad determinatum gradum beatitudinis perducatur ex prædeſtinatione Dei: vnde conſecuto illo gradu, ad altiorem tranſire non poteſt.

† Q. 12. art. 7 q. 14. a. 3.

Ad primum ergo dicendum, quòd mereri eſt eius, quod mouetur ad finem. Mouetur autem ad finem creatura rationalis, non ſolum patiendo, ſed etiam operando. Et ſiquidem finis ille ſubſit virtuti rationalis creaturæ, operatio illa dicetur acquiſitiua illius finis, ſicut homo meditando acquirit ſcientiam. Si verò finis non ſit in poteſtate eius, ſed ab alio expectetur, operatio erit meritoria finis. Ei autem, quod eſt in vltimo termino, non conuenit moueri, ſed mutatum eſſe. Vnde charitatis imperfectæ, quæ eſt viæ, eſt mereri: charitatis autem perfectæ non eſt mereri, ſed potius præmio frui. Sicut & in habitibus acquiſitis, operatio præcedens habitum, eſt acquiſitiua habitus: quæ verô eſt ex habitu iam acquiſito, eſt operatio iam perfecta cum delectatione. Et ſimiliter actus charitatis perfectæ non habet rationem meriti, ſed magis eſt de perfectione præmij

Ad ſecundum dicendũ, quod aliquid dicitur vtile dupliciter. Vno modo, ſicut quod eſt in via ad finem: & ſic vtile eſt meritum beatitudinis. Alio modo, ſicut pars eſt vtilis ad totum, vt paries ad domum: & hoc modo miniſteria Angelorum ſunt vtilia Angelis beatis, in quantum ſunt quędã pars beatitudinis ipſorum. Diffũdere enim perfectionem habitam in alia, hoc eſt de ratione perfecti in quantum eſt perfectum.

Ad tertiũ dicendũ, quod licèt Angelus beatus non ſit in ſũmo gradu beatitudinis ſimpliciter: eſt tamẽ in vltimo quantũ ad ſe ipſũ ſecundũ prædeſtinationẽ diuinã. Poteſt tamẽ augeri Angelorũ gaudiũ de ſalute eorũ, qui per ipſorũ miniſteriũ ſaluãtur, ſecundũ illud Lucæ 15. Gaudiũ eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiã agẽte: ſed hoc gaudiũ ad pręmiũ accidentale pertinet, quod quidẽ augeri poteſt vſque addiẽ iudicij. Vnde quidam dicũt, quod quãtũ

ad præmium accidentale etiam mereri possunt. Sed melius est, vt dicatur, quod nullo modo aliquis beatus mereri potest, nisi sit simul viator: & cõprehensor: vt Christus, qui solus fuit viator, & comprehensor. prædictũ enim gaudiũ magis acquirũt ex virtute beatitudinis, quàm illud mereantur.

Prima conclusio.

Angeli beati non possunt proficere in beatitudine essentiali, consistente in visione Dei nec in fruitione, & dilectione illi correspondente.

Secunda conclusio.

Prædicti Angeli possunt proficere in beatitudine accidentali, quæ consistit in cognitione extra verbum, & in gaudio de rebus creatis ex illa cognitione secuto.

Animaduersiones circa hunc articulum.

Ratio 1 CIrca conclusionem huius articuli animaduertendum est, eam satis congruenti ratione probari à D. Thoma ex eo, quòd ad beatitudinem supernaturalem, quippe superexcedentem, nequit Angelus ex proprijs viribus se dirigere, sed oportet, vt dirigatur ex instinctu, & intentione Dei: intentio autem semper est ad aliquid certum & determinatum: quodquidem determinatum, quoad præsens, non potest esse diuina visio quantum ad ipsum, quod videtur, quia summa veritas ab omnibus beatis secundùm diuersos gradus conspicitur, sed quãtum ad modum visionis, & determinatũ gradum eiusdem. Ergo consecuto illo gradu, sicut non mouetur à Deo ad altiorem, ita nec vltrà progredi ad altiorem gradum potest: alioqui quoad illum nõ dirigeretur instinctu & intentione Dei.

Obiectio 2 Nec obest, si contra rationem hanc obijcias, quòd viator, adhuc consecuto illo gradu gratiæ præfixo ei à Deo ex prouidentia, & intentione ipsius, nihilominùs potest proficere in gratia, vt habetur in Clementina *Ad nostrum de hæreticis*: ergo licèt beatus consequatur gradum illum gratiæ consummatæ, & gloriæ, ad quem dirigitur, & determinatur ex intentione Dei, poterit in eadem gratia, & gloria proficere. *Clement Adnostrũ*

Diluitur Respondetur enim, negando paritatem. Quia etsi vterque conueniat in hoc, quòd fuerit sibi præfixus à Deo suus gradus, attamen circa beatos peculiari ratione præfixus est prædictus terminus, nempe, stabiliendo regulam, & decretum peculiare, vt illucúsque pertingant, vltra autem progredi nequeant, secùs verò viatoribus: & propterea isti solum in sensu composito, illi verò tam in sensu cõposito quàm in diuiso vltra progredi nequeũt.

Obiectio alia. 3 Nec tandem obstat, si contra primã assertionẽ obijcias, quòd Innocentius III. cap. *Cũ Marthæ, de celebratione missarum* refert opinionẽ asserentiũ, beatos in patria posse proficere: & tamen illam non damnat: in quo videtur sentire, eam esse probabilem. *Inno. III*

Soluitur Respondetur enim, Innocentiũ loqui nõ de præmio essentiali, sed de accidẽtali, quod (vt diximus) crescit in beatis. De quo videatur D. Thomas in additionib⁹ ad 3. p. q. 96. ar. 6.

QVAESTIO LXIII. DE ANGELORUM malitia quoad culpam.

PROOEMIVM.

DEINDE Considerãdum est, quomodo Angeli facti sunt mali. Et primô quantum ad malum culpæ. Secundo, quantum ad malum pœnæ

Postquam Angelicus Præceptor in duabus præcedentibus quæstionibus egit de merito, & beatitudine Angelorum, iam nunc in hac quæstione 63. & sequẽti agit de alijs duobus, quæ præcedentibus opponuntur, quæque in Angelis malis inueniuntur, nempe de malitia, & pœna eorum.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Vtrùm malum culpæ poſsit eſſe in Angelis.

12. q. 89. ar. 4. Et 2. dif. 5. q1. art 1. Et 3 cont. c. 108 109 Et 110. & opus 15. c. 15. & 20.

AD Primum ſic procedi tur. Videtur, quòd malum culpæ in Angelis eſſe non poſsit. Quia malum culpæ non poteſt eſſe niſi in his, quæ ſunt in potentia, vt dicitur in 9. Metaphyſicæ*. Subiectum enim priuationis eſt ens in potentia. Sed Angeli, cũ ſint formæ ſubſiſtentes, non habent eſſe in potentia. Ergo in eis nõ poteſt eſſe malum culpæ.

† Lib. 9. text. 19. tom. 3.

¶ 2. Præterea. Angeli ſunt digniores, quam corpora cœleſtia. Sed in corporibus cœleſtibus nõ poteſt eſſe malum, vt Philoſophi dicunt. Ergo neque in Angelis.

¶ 3. Præterea. Id, quod eſt naturale, ſemper ineſt. Sed naturale eſt Angelis, quod moueantur motu dilectionis in Deum. Ergo ab eis remoueri non poteſt. Sed diligẽdo Deum, non peccant Ergo Angeli peccare non poſſunt.

¶ 4. Præterea. Appetitus non eſt niſi boni, vel apparentis boni. Sed in Angelis non poteſt eſſe apparens bonum, quod nõ ſit verum bonum: quia in eis vel omnino error eſſe non poteſt, vel ſaltem non poteſt præcedere culpam. Ergo Angeli non poſſunt appetere niſi id, quod eſt vere bonum. Sed nullus appetendo id, quod eſt verè bonum peccat. Ergo Angelus appetendo non peccat.

SED contra eſt, quod dicitur Iob 4. In Angelis ſuis reperit prauitatem.

RESPONDEO dicendũ, quod tam Angelus, quam quæcumque creatura rationalis, ſi in ſua natura conſideretur, poteſt peccare. Et cuicumque creaturæ hoc conuenit, vt peccare non poſsit, hoc habet ex dono gratiæ non ex cõditione naturæ. Cuius ratio eſt: quia peccare nihil eſt aliud, quã declinare à rectitudine actus, quã debet habere, ſiue accipiatur peccatum in naturalibus, ſiue in artificialibus, ſiue in moralibus. Solum autem illum actum à rectitudine declinare nõ contingit, cuius regula eſt ipſa virtus agentis ſi enim manus artificis eſſet ipſa regula inciſionis, numquam poſſet artifex, niſi rectè lignum incidere: ſed ſi rectitudo inciſionis ſit ab alia regula, contingit inciſionem eſſe rectam, & non rectam. Diuina autem voluntas ſola eſt regula ſui actus: quia non ad ſuperiorem finem ordinatur. Omnis autem voluntas cuiuſlibet creaturæ rectitudinem in ſuo actu nõ habet, niſi ſecundùm quôd regulatur â voluntate diuina, ad quã pertinet vltimus finis: ſicut quælibet voluntas inferioris debet regulari ſecundum voluntatem ſuperioris: vt voluntas militis ſecundùm voluntatem ducis exercitus. Sic igitur in ſola voluntate diuina peccatum eſſe non poteſt: in qualibet autem voluntate creaturæ poteſt eſſe peccatum, ſecundùm conditionem ſuæ naturæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd in Angelis non eſt potentia adeſſe naturale: eſt tamen in

eis potentia secundùm intellecti uam partem adhoc, quôd conuer tatur in hoc, vel in illud. Et quantum ad hoc potest in eis esse malum.

Ad secundum dicendũ, quòd corpora cœlestia non habent opè rationem, nisi naturalem. Et ideò sicut in natura eorum non potest esse corruptionis malum, ita nec in actione naturali eorum potest esse malum inordinationis. Sed supra actionem naturalem in Angelis est actio liberi arbitrij, secũdum quàm contingit in eis esse malum.

Ad tertium dicendum, quòd naturale est Angelo, quôd conuertatur motu dilectionis in Deũ secundum quòd est principium naturalis esse. Sed quòd conuertatur in ipsum, secundum quod est obiectum beatitudinis supernaturalis, hoc est ex amore gratuito, à quo auerti potuit peccando.

Ad quartum dicendum, quod peccatum mortale in actu liberi arbitrij contingit esse dupliciter. Vno modo ex hoc, quod aliquod malum eligitur: sicut homo peccat eligendo adulterium, quod secundum se est malum. Et tale peccatum semper procedit ex aliqua ignorantia, vel errore. Alioquin, id, quod est malum, non eligeretur vt bonum. Errat quidem adulter in particulari, eligens hanc delectationé inordinati actus quasi aliquod bonum ad nunc agendũ, propter inclinationem passionis aut habitus: etiam si in vniuersali non erret, sed veram de hoc sententiam teneat. Hoc autem modo in Angelo peccatum esse non potuit, quia nec in Angelis sunt passiones, quibus ratio, aut intellectus ligetur, vt ex suprà* dictis patet: nec iterum primum peccatum habitus præcedere potuit ad peccatum inclinans. Alio modo contingit peccare per liberum arbitrium, eligendo aliquid, quod secundum se est bonum, sed non cum ordine debitæ mensuræ, aut regulæ: ita quod defectus inducens peccatum sit solum ex parte electionis, quæ non habet debitum ordinem nisi ex parte rei electæ: sicut si aliquis eligeret orare, non attendens ad ordinem ab ecclesia institutum. Et huiusmodi peccatum nõ præexigit ignorantiam, sed absentiam solum considerationis eorum, quæ considerari debent. Et hoc modo Angelus peccauit conuertendo se per liberum arbitrium ad proprium bonum, absque ordine ad regulam diuinæ voluntatis. * Q. 59. ar. 4.

Conclusio.

Tam Angelus, quàm qualibet creatura est ex se peccabilis: & si aliqua nõ potest peccare, id habet ex dono Dei.

DISPVTATIO IX.

De peccabilitate, & impeccabilitate creaturæ intellectualis,

QVIA Angelicus Præceptor in hac quæstione non solùm agit de peccabilitate, sed etiam quodammodò de impeccabilitate Angelorum, idcircò vtrumque in præsenti disputatione instituta ad explicandum illa, de quibus idem S. Doctor in hac quæstione discutit, coniungimus.

DVBIVM I.

Vtrùm per potentiam Dei absolutam, possit dari creatura aliqua intellectualis, quæ per se, & ex natura sua sit omninò impeccabilis.

Primũ neta bile.

1 PROTITVLI Intelligẽtia notãdũ est primò, consultò in eo non inquiri, an creaturę intellectuales, quę de facto inueniuntur, siue (quod in idem quoad præsens redit) quæ secundùm potentiam Dei ordinariam inueniri queunt, sint per se, & natura sua omninò impeccabiles? quia eas peccare potuisse, habetur in Scriptura: siquidem in ea dicitur, plures ex Angelis peccasse, vt constat ex illo Iob 4. *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem.* Et 2. Petri 2. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, &c.* Et licèt hæc testimonia solùm intelligantur de Angelis malis: nihilominùs quoad omnes suadent intentum quoad peccabilitatem eorundem: tum, quia Scriptura eodem modo loquitur de Angelis bonis, & malis quantum ad naturalem perfectionem: tum etiam, quia inter Angelos, qui erat supremus omnium eorum peccauit, vt testatur D. Thomas in hac quæst. art. 7. vnà cum Gregorio homilia 34. in Euangelia, & ita, si iste in peccatum lapsus est, ac proinde in illud labi potuit, planum est, reliquos Angelos huic inferiores potuisse peccare. Vnde Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum cap. 3. cùm Luciferi casum enarrasset, sic inquit: *Si altissima illa sublimitas cecidit, quis cadere non possit?*

Iob 4. 2. *Petri* 2. *D. Thom.* *D. Greg.* *D. Hier.*

2 Secundò notandum est, quòd nomine creaturæ intellectualis intelligimus illam, quæ habeat perfectum vsum rationis, siue suæ virtutis intellectualis, quo sit ei integrum inter bonum, & malum, & inter agẽda, ac omittenda discernere. Et de hac non vtcumque inquirimus, an sit impeccabilis? Sed an per se, & ex natura sua hoc ei competat? quia prædictam creaturam ex dono diuinæ gratiæ posse reddi impeccabilem, planum est. Et tandem non de qualicumque impeccabilitate per se, & ex natura sua ei conueniente; sed de impeccabilitate omnimoda scisciamur. Cumque peccatum, & peccabilitas dicant auersionem, siue in actu, vel habitu, siue in potentia, à Deo vt vltimo fine; & Deus, vt vltimus finis, quodammodò distinguatur in se ipsum vt authorem, & finem naturalem, & supernaturalem, ac proinde impeccabilitas omnimoda dicat incapacitatem ad vtramque auersionem: ideò ad hoc explicandum in titulo inquisitum est, an prædicta creatura intellectualis sit omninò impeccabilis? Vnde integer sensus tituli est, an per diuinam potentiam sit dabilis aliqua creatura habens perfectum vsum rationis, siue suæ virtutis intellectualis, sufficientem ad discernendum inter bonum, & malum morale, quæ, secluso quouis dono gratiæ, sit talis conditionis, vt nequeat à Deo vt ab vltimo fine tam naturali, quàm supernaturali auerti?

Secundùm notabile.

§ I. Ex

§. I. Ex mente Augustini, D. Thomæ, & aliorum Patrum dubium resoluitur.

Assertio.

3 DIcendum ergo est, non posse, adhuc per diuinam potentiam, dari creaturam intellectualem, quæ per se, & ex natura sua sit omninò impeccabilis; sed hoc solùm posse ei competere ex dono diuinæ gratiæ. Assertio hæc videtur colligi ex illo Pauli 1. ad Timotheum 6. ibi loquens de Deo, inquit: *Qui solus habet immortalitatem.* Quæ verba non solùm de immortalitate opposita morti naturali, aut corruptioni, vel amissioni sui *esse*, sed etiam de illa, quæ aduersatur morti peccati, intelliguntur à Patribus: afferuntque, eam, vt excludentem omnem capacitatem ad peccandum, esse Dei propriam. Et propterea Ambrosius lib. 3. de Fide c. 2. ita concludit: *Ergo corruptelæ, & mortis, etiã si non moriatur, aut peccet, capax tamen est omnis creatura.*

1. Ad Ti. 6

Ambros.

Quam interpretationem tradit etiam Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 12. necnon & Hieronymus epistola 146. ad Damas. vbi de filio prodigo expendens verba Psalmi 142. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*, sic ait: *Non dicit, omnis homo, sed omnis viuens, id est, non Euangelista, non Apostolus, non Propheta, ad maiora conscendendo, non Angeli, non Throni, non dominationes, non potestates, cæteraque virtutes: solus Deus est, in quem peccatum non cadit: cætera, cùm sint liberi arbitrij, in vtramque partem suam possunt flectere voluntatem.* Et posteà ad hoc corroborandum adducit prædictum testimonium Pauli ad Timotheum.

August. Hieron. Damasc. Ps. 142.

Ex Diuina scriptura, & ex sanctis PP. corroboratur.

Idem etiam colligitur ex illo Iob 4. nuper adducto: *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem, quãtò magis, qui habitant domos luteas, &c.* In quibus verbis, vt testatur Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum c. 3. omnem creaturam peccare posse commemorat.

Iob 4. Hier.

4 Eandem etiam assertionem docuit Augustinus lib. 1. de Ciuitate cap. 6 vbi sic ait: *Et inueniet voluntatem malam, non ex eo esse incipere, quia natura est, sed ex eo quòd ex nihilo natura facta est.* Et inde concludit, ideò naturam aliquam posse habere malam voluntatem, quia est ex nihilo facta. Et de Fide ad Petrum cap. 3. loquens de Deo, sic inquit: *Quia summè bonus est, dedit omnibus naturis, quas fecit, vt bonæ sint; non tamen bonæ tantum, quantum creator omnium bonorum, qui non solùm summè bonus, sed etiam summum, & incommutabile bonum est, quia æternum bonum est: nullum habens defectum, cuia non est ex nihilo: nullum habens profectum, quia nullum habens initium. Ideò quippe naturæ â Deo factæ proficere possunt, quia esse cæperunt: ideò deficere, quia ex nihilo factæ sunt.* Et cap. 23. in eodem lib. inquit: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem creaturam naturaliter mutabilem, & â Deo immutabili factam.* Et reddens rationem, propter quam Angeli beati habent stabilitatem in bono, sic inquit: *Sed hoc ipsum, quòd ab illo statu beatitudinis, in quo sunt, mutari in deteriùs nullatenus possunt, non eis naturaliter insitum, sed postquam creati sunt, gratia diuina largitate collatum. Si enim Angeli naturaliter incommutabiles fierent, nunquam de eorum consortio diabolus, & eius Angeli cecidissent.* In quibus verbis etsi expressè loquatur de Angelis à Deo factis, nihilominùs idem innuit de omnibus à Deo factibilibus: quia eadem ratio Augustini in cunctis illis militat, nempe, omnem creaturam esse mutabilem, esseque factam ex nihilo.

Idem etiam tuetur D. Thomas in hoc articulo, vbi sic inquit: *Respondeo dicendum, quòd tam Angelus, quàm quæcumque creatura rationalis, si in sua natura consideretur, potest peccare. Et cuicumque creaturæ hoc conuenit, vt peccare non possit, hoc habet ex dono gratiæ, non ex conditione naturæ.* Et infrà: *Sic igitur in sola voluntate diuina peccatum esse non potest: in qualibet autem voluntate creaturæ potest esse peccatum, secundùm conditionem suæ naturæ.* Et quæst. 24. de Veritate art. 7. his verbis: *Respondeo dicendum, quòd nulla creatura, nec est, nec esse potest, cuius liberum arbitrium sit naturaliter confirmatum in bono, vt hoc ei ex puris naturalibus conueniat, quòd peccare non possit.* Et in 2. dist. 5. quæst. 1. artic. 1. & ibidem ad Annibaldum.

D. Thom.

Idem etiam docuerunt Nyssenus lib. 7. Philosophiæ, qui est de libero arbitrio cap. 3. seu Nemesius lib. de Homine cap. 41. Damascenus, & Nazianzenus relati à D. Thoma quæst. 24. de Veritate art. 7. Gregorius lib. 5. Moralium cap. 28. & plures alij. Et tãdem communiter omnes Scholastici, præter illos, quos pro opposita sententia referemus.

Nyssen. Damasc. Nazianz. D. Thom. Greg.

§. II. Ratio prior assertionis ex D. Thoma desumpta.

5 RAtio autem prior, & fundamentalis huius assertionis desumitur ex D. Thoma, potestque sub hac forma proponi. Quoniam nulla creatura intellectualis, nullaque voluntas creata potest habere omnem rationem boni: siquidem nihil creatum potest esse actus purus, sed

Ratio fundamẽtalis pro assertione

ſed neceſſariò debet miſceri cum potentialitate, ac proinde cum limitatione in ratione bonitatis: ergo nulla creatura intellectualis, nullaque creata voluntas poterit eſſe indefectibilis in rectitudine, ſeu ordinatione omnium ſuarum operationum: & per conſequẽs nequibit, adhuc per diuinam potentiam, dari aliqua creatura intellectualis, aliquaque voluntas creata, quę ſit omninò impeccabilis. Hæc ſecunda conſequentia patet ex prima. Quoniam peccatum, ſiue in rebus naturalibus, ſiue in artificialibus, vel volũtarijs, nihil eſt aliud, quàm defectus, vel inordinatio propriæ actionis, cùm aliquid agitur, non ſecundùm quòd debitum eſt agi, ſiue ſecundùm eã rectitudinem, aut ordinationem, ſecundùm quam debet agi, vt conſtat ex Ariſtotele 2. Phyſicorum textu 27.

Ariſt.

Prima verò conſequentia ex antecedenti conſtat. Quoniam ad hoc, vt natura intellectualis, & voluntas eius ſint indefectibiles in rectitudine omnium ſuarum operationũ, oportet, vt in ſe habeant omnẽ bonitatem. Et ratio eſt. Quia natura intellectualis, & voluntas eius non reſpiciunt particulare, & determinatum bonum, ſed bonum abſolutè, & in omni ſua amplitudine: non ſecùs ac prædicta natura, vt per intellectum operatur, & prædictus intellectus non reſpiciunt verum particulare præcisè, ſed verum abſolutè, & in omni ſuo ambitu: & propterea tam intellectus, quàm voluntas ad ipſum vniuerſale bonorum principium ſe extendunt, ſecùs verò aliæ virtutes cognoſcitiuæ, aut appetitiuæ. Quare, ſicut dum aliquod agens ſecundùm ſuam actionem ordinatur ad bonum aliquod particulare, oportet, ad hoc vt eius actio naturaliter ſit indefectibilis, quòd ratio illius boni naturaliter, & immobiliter ei inſit: ex eo quòd omnis actio procedit ab agente ſub ratione cuiuſdam ſimilitudinis, vt conſtat in corpore naturaliter, & immobiliter calido, quòd quidem, ſi daretur, eo ipſo immutabiliter calefaceret: ita natura rationalis non ad bonum particulare, ſed ad bonum abſolutè, & per multifarias actiones ordinata, nequibit habere prædictas actiones indefectibiliter rectas, ſeu indefectibiles à bono, niſi etiã naturaliter, & immutabiliter habeat omnem rationem boni.

D. Thomæ teſtimonio aſſertio fulcitur.

6 Quam rationem adduxit D. Thomas articulo citato quæſtionis 24. de Veritate his verbis: *Nihil enim eſt aliud peccatum, ſiue in rebus naturalibus, ſiue artificialibus, ſiue voluntarijs dicatur, quàm defectus, vel inordinatio propriæ actionis, cùm aliquid agitur, non ſecundùm quòd debitum eſt agi, vt patet in 2. Phyſicorum. Differt autem in agendo natura rationalis prædita libero arbitrio ab omni alia natura. Alia enim natura ordinatur ad aliquod particulare bonum, & actiones eius ſunt determinatæ reſpectu illius boni, natura verò rationalis ordinatur ad bonum ſimpliciter. Sicut enim verum abſolutè obiectum eſt intellectus: ita & bonum abſolutè voluntatis. Et inde eſt, quòd ad ipſum vniuerſale bonorum principium voluntas ſe extendit, ad quod nullus alius appetitus pertingere poteſt. Et propter hoc creatura rationalis non habet determinatas actiones, ſed ſe habet ſub quadã indifferentia reſpectu materialium actionum. Cùm autem omnis actio ab agente proueniat ſub ratione cuiuſdam ſimilitudinis, ſicut calidum calefacit, oportet, quòd ſi aliquod agens eſt, quod ſecundùm ſuam actionem ordinetur ad bonum aliquod particulare, ad hoc quòd eius actio naturaliter ſit indefectibilis, quòd ratio illius boni naturaliter, & immobiliter ei inſit: ſicut ſi alicui corpori ineſt naturaliter calor immutabilis, immutabiliter calefacit. Vnde & natura rationalis, quæ ordinata eſt ad bonum abſolutè per actiones multifarias, non poteſt habere naturaliter actiones indeficiẽtes à bono, niſi ei naturaliter, & immutabiliter inſit ratio vniuerſalis, & perfecti boni. Quod quidem eſſe non poteſt, niſi natura diuina. Nam Deus ſolus eſt actus purus, nullius potentiæ permiſtionem recipiens. Et per hoc eſt bonitas pura, & abſoluta.*

Confirmatur. Quoniam quæuis creatura eſt permiſta potentialitate, ex eo quòd facta eſt ex nihilo; ſolus verò Deus eſt actus impermiſtus potentialitate, ex eo quòd non eſt factus ex nihilo, ſed ex vi ſuæ eſſentiæ ſemper, & indefectibiliter eſt: ergo quæuis creatura poteſt deficere in ſua operatione, non eliciendo illam ſecundùm eam ordinationem, & bonitatem, ſecundùm quam eſt debitum, quòd eliciatur. ac proinde omnis creatura erit peccabilis peccato (vt ſic dicamus) vel naturæ, ſi talis creatura non fuerit intellectualis, vel etiam peccato pertinente ad ordinem moralem, vel artificialem, ſi fuerit intellectualis; ſoluſque Deus habebit eſſe omninò impeccabilis. Patet conſequentia. Quoniam hoc, quod eſt creaturam eſſe defectibilem in rectitudine, ſiue ordinatione ſuæ operationis, prouenit ex eo, quòd facta eſt ex nihilo, ac proinde ex eius potentialitate. *Cõfirmatur*

Quæ ratio deſumpta eſt ex Damaſceno, Gregorio, Dionyſio relatis à D. Thoma loco nuper citato, quamque ipſe S. Doctor ſub his verbis proponit: *Deus ſolus eſt actus purus, nullius potentiæ permiſtionem recipiens, & per hoc eſt bonitas pura, & abſoluta. Creatura verò qualibet, cùm in natura ſua habeat permiſtionem potentiæ, eſt bonum particulare. Quæ quidem permiſtio potentiæ ei accidit propter hoc, quòd eſt ex nihilo. Et* *Damaſc. Greg. Dion. D. Thom.*

inde

Inde eſt, quòd inter naturas rationales ſolus Deus habeat liberum arbitrium naturaliter impeccabile, & confirmatum in bono; creaturæ verò hoc ineſſe impoſſibile eſt propter hoc, quòd eſt ex nihilo, vt Damaſcenus, & Gregorius Nyſſenus dicunt, & ex hoc eſt particulare bonum, in quo fundatur ratio mali, vt Dionyſius dicit 4. cap. de diuinis nominibus.

§. III. *Duplex ſolutio aduerſariorum, prima ad rationem D. Thomæ, ſecunda ad eius confirmationem, & prima impugnatio prioris ſolutionis.*

Occurrunt aduerſarij ad rationẽ D. Thom.

7 NEc obeſt, ſi tam huic rationi, quam eius confirmationi occurras. Rationi quidem dicendo, quòd eſſe principium indefectibile actionum creatarum indefectibiliter etiam rectarum, ſeu (quod in idem quoad præſens redit) eſſe principium, quod per ſe, & ab intrinſeco habeat, quòd quoties elicit ſuas actiones creatas, toties operetur cum rectitudine, & ordinatione eiſdem debita, non exigit infinitam perfectionem. Tum, quia omnes illæ actiones, quantumuis verſentur circa bonum abſolutè, ſunt finitæ & limitatæ perfectionis: & ideò non requiritur in natura intellectuali eas eliciente, quòd ratio omnis boni ei inſit.

Tum etiam. Quia eadem ratione probaretur, voluntatem noſtram habere omnem rationem boni, licèt non indefectibiliter. Et ratio eſt. Quia licèt multoties deficiat, poſſet tamen non deficere: & adhoc vt poſsit non deficere, & in omni materia benè operari, videtur deſiderari, quòd ratio omnis boni ei inſit: ſicut ad hoc, vt indefectibiliter, & rectè ſemper operetur, oportet, vt ratio omnis boni naturaliter, & indefectibiliter ei inſit: imò ſi voluntas creata haberet omnem rationem boni, ex eo quòd eſt libera ad benè operandum, non poſſet non indefectibiliter illud habere: quia omnis ratio boni nequit aliter, quàm indefectibiliter haberi.

Euaſio ad cõfirmationem.

Etſimiliter non obeſt, ſi confirmationi etiam occurras aſſerendo, non ſufficienter probari ex eo, quòd creatura intellectualis ſit facta ex nihilo, quòd non ſit per ſe, & ex natura ſua impeccabilis. Tum, quia ex hoc, quòd creatura intellectualis ſit facta ex nihilo, ſolum tollitur ab ea id, quod petit infinitam perfectionem per eſſentiam: cùm tamen tanta perfectio non requiratur, vt prædicta creatura ſit talis conditionis, vt quoties eliciat ſuas actiones creatas, & finitas, toties eliciat eas cum rectitudine, & ordinatione creata, ac finita, quæ eis debetur. Tum etiam. Quia in hac confirmatione videtur peti principium. Siquidem idem eſt, creaturam intellectualem eſſe creaturam, & eſſe factam ex nihilo: & ideò idem erit dicere, creaturam intellectualem, quia eſt ex nihilo, non eſſe impeccabilem per ſe, & ex natura ſua, ac aſſerere, illam non eſſe ſic impeccabilem, quia creatura eſt: & ita redditur pro ratione id, de quo eſt tota controuerſia, ſcilicet, an creatura intellectualis, hoc ipſo quòd creatura, debeat per ſe, & ab intrinſeco eſſe peccabilis?

Impugnatio prior cõtra ſolut. rationis D. Thom.

8 Non igitur hæc obſunt. Nam contra ſolutionem ad præcipuam rationem D. Thomæ vrget, quod reuerà in natura rationali tendente indefectibiliter per multifarias operationes ſuæ voluntatis in bonum abſolutè, & ſimpliciter, ſeu in omni ſuo ambitu, non poſſunt non eſſe rationes omnium bonorum. Hoc autem ſic oſtenditur. Primo quidem. Quoniam hoc ipſo, quod natura rationalis indefectibiliter tendat per multifarias operationes ſuæ voluntatis in prædictum bonum, oportet, vt ſint in illa indefectibiliter, & omnino connaturaliter principia indefectibiliter tendentia in prædictum bonum per prædictas operationes indefectibiles à rectitudine, & ordinatione ſibi debita: ergo etiam oportebit, vt in eadem natura rationali ſint, tum principia ordinis naturalis, tum ſupernaturalis indefectibiliter, & omnino cõnaturaliter, tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis ei conuenientia, quibus indefectibiliter, & cum debita rectitudine, & ordinatione tendat in bonum in omni ſuo ambitu, ac proinde tam in bonum naturale, quàm ſupernaturale: ergo etiam oportebit, inueniri in prædicta creatura omnem, & ſummam rationem boni.

Probatio antecedentis.

Antecedens huius impugnationis videtur perſpicuum. Quoniam repugnat, eſſe per ſe, & ab intrinſeco in aliqua natura operationes indefectibiles à rectitudine, & ordinatione ſibi debita, quin dentur in illa principia indefectibilia talium operationum, & indefectibiliter, ac omnino connaturaliter ei conuenientia. Nam ſi prædicta principia non ſint indefectibilia, poterunt vtique deficere in rectitudine, & ordinatione ſuarum operationum: & ſi indefectibiliter, & omnino connaturaliter non competunt illi naturæ, non erit prædicta natura intellectualis per ſe, & ab intrinſeco indefectibilis, ſed ad ſummum ex dono, & gratia Dei conferente illi prædicta principia non omnino ei connaturalia, ſeu non omnino eidem debita.

Explicatur ex D. Tho.

Vnde D. Thomas articulo citato hoc ipſum explicans, ſic inquit: *Ex defectu principiorum actionis cauſatur actionis defectus. Vnde ſi quid eſt, in quo principia actionis neque in ſe*

in ſe deficere poſſunt, neque ab aliquo extrinſeco impediri, impoſsibile eſt, illius actionem deficere: ſicut patet in motibus cœleſtium corporum. Ea vero inactionibus deficere poſsibile eſt, in quibus principia agendi poſſunt deficere, vel impediri: ſicut patet in generabilibus, & corruptibilibus, qua ratione ſua trãſmutabilitatis defectũ in principijs actiuis patiũtur. Vnde & eorũ actiones deficiẽtes proueniũt: propter quod in operationibus naturæ peccatũ frequẽter accidit, ſicut patet in partib⁹ mõſtruoſis.

Quare ob hanc eandem rationem, inter alias, idem Angelicus Præceptor in eodem articulo dixit, quòd omnis actio ab agente prouenit ſecundùm rationem cuiuſdam ſimilitudinis: ac proinde actio indefectibilis à rectitudine, & ordinatione ſibi debita debet prouenire à natura habente principia indefectibilia, & indefectibiliter, ac omninò cõnaturaliter prædictæ naturæ conuenientia: alioqui operatio excederet virtutẽ ſuæ cauſę ſuorumque principiorum.

Prima eõſequentia ſuadetur.

9 Prima verò conſequentia ex antecedenti apertè ſequitur. Quoniam prædicta natura intellectualis, tendens indefectibiliter per multifarias operationes ſuæ voluntatis in bonum abſolutè, ſeu in omni ſuo ambitu, debet tendere tam in bonum naturale, quam in ſupernaturale indefectibiliter, & per conſequens in Deum vt authorem naturalem, & ſupernaturalem: ergo ſi adhoc, vt indefectibiliter in omnia iſta tendat per prędictas operationes ſuæ voluntatis, debent illi indefectibiliter, & omnino connaturaliter conuenire principia indefectibilia, oportebit, vt indefectibiliter, & omninò connaturaliter ei conueniant tam principia naturalia, quàm ſupernaturalia, & quæ tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis influunt: quia omnia iſta principia indefectibilia, & omnino connaturalia requiruntur in ordine ad omnes illas actiones voluntatis, tẽdentes indefectibiliter in bonum abſolutè, ſiue in omni ſuo ambitu.

Et etiam ſecunda.

10 Ex quo etiam ſecunda conſequentia liquet. Quoniam idem eſt, inueniri in prædicta creatura indefectibiliter, & omnino connaturaliter prædicta principia ac inueniri in ea omnem rationem boni. Tum, quia principia ſupernaturalia indefectibiliter, & omnino connaturaliter conuenientia alicui naturæ, exigunt, prædictam naturam habere omnem rationem boni, eſſeque ipſam naturam diuinam: ex eo quod prædicta principia nulli ſubſtantiæ creatæ, aut creabili poſſunt eſſe connaturalia, vt in 1. tomo tractatu 2. diſput. 3. à numer. 16. vſque ad numer. 44. latè proſecuti ſumus: & ideo, vt ex ibidem dictis conſtat, prædicta principia ſupernaturalia, & omnino connaturalia ſubſtantiæ per illam operanti nihil aliud ſunt, quàm ipſemet intellectus diuinus, & virtutes intellectuales propriæ illius, necnon & voluntas diuina, virtutesque affectiuæ ipſius: quæ quidem (vt ex ſe liquet) debent habere in ſe omnem rationem boni.

Tum etiam. Quia idem eſt, inueniri omnino connaturaliter, & indefectibiliter prædicta principia ſupernaturalia in aliqua natura ſubſtantiali, & intellectuali ac illam eſſe ſubſtantiam ſupernaturalem, & intellectualem: quia ſicut principia naturalia, & ordinis intellectualis non poſſunt eſſe omninò connaturalia, niſi ſubſtantiæ naturali, & intellectuali, ita principia ſupernaturalia, & ordinis intellectualis, ac ſupernaturalis nequeunt habere omnimodam connaturalitatem, niſi cum ſubſtantia ſupernaturali intellectuali. Conſtat autem ex dictis loco citato, in idem redire, aliquam naturam ſubſtantialem, & intellectualem eſſe ſupernaturalem, ac habere omnem rationem boni, eſſeque ipſam naturam diuinam. Tum, quia natura ſubſtantialis intellectualis, & ſupernaturalis poteſt ex ſe, & omninò connaturaliter videre Deum, vt eſt in ſe. & ſubſtantia ſic potens illum videre, debet cum eodem conuenire in gradu immaterialitatis: non ſecùs ac ſpecies intelligibilis repræſentans illũ, prout eſt in ſe, petit hanc conuenientiam: ac proinde debet eſſe actus purus, ſicut ipſe Deus, vt ex dictis tractatu, diſputatione, & numeris nuper citatis, & in diſput. 2. eiuſdem tractatus n. 153. liquet.

Tum etiam. Quia prædicta natura ſubſtantialis, & intellectualis, ac diuini ordinis eſſet ipſa gratia per ſe ſubſiſtens, ſeu ipſa radix videndi Deum clare per ſe ſubſiſtens: hęc autem idem eſt, ac diuina natura in omni ſua amplitudine, vt in eadem diſputatione 3. n. 22. fuſiùs explicuimus.

Confirmatur.

Confirmatur. Quoniam id, quod eſt proprium alicuius naturæ, non poteſt per ſe, & ab intrinſeco, ac omninò connaturaliter cõuenire alteri rei, niſi priùs in prædictam naturam conuertatur: ſicut aqua nequit per ſe, & ab intrinſeco, omninoque connaturaliter calefacere, niſi priùs conuertatur in ignem: ſed verſari omninò connaturaliter, & per ſe, ac ab intrinſeco circa Deum, prout eſt in ſe, & vt eſt author ſupernaturalis, per operationes omnino indefectibiles à rectitudine, & operatione ſupernaturali ſibi debita, eſt proprium naturæ, & voluntatis diuinæ, ac proinde habentis in ſe omnem rationem boni. & principia indefectibilia, quæ ſint ipſa bonitas: ergo nequibit hoc competere naturæ creatæ, niſi prius in diuinam naturam, & voluntatẽ, in qua eſt omnis ratio boni, cõuertatur: ergo verum ſemper erit, quòd

ad operandum per se, & ab intrinseco indefectibiliter, ac proinde omninò connaturaliter circa bonum in omni sua amplitudine, ac proinde circa Deum, prout est in se, requiritur, quòd ratio omnis boni sit in natura illa sic operante. Minor probatur. Quoniam sicut est proprium solius Dei versari per se, & ab intrinseco, ac omninò connaturaliter circa se ipsum, prout est in se, intelligendo, & amando sic semetipsum: ita est proprium eius versari sic circa se cum omnimoda rectitudine, & ordinatione debita actibus circa semetipsum versantibus.

D. Thom. Quam confirmationem adduxit D. Thomas articulo nuper citato in 2. argumento *sed contrà*, his verbis: *Proprietas naturæ superioris non potest inferiori naturæ naturaliter conuenire, nisi in superiorem naturam conuertatur: sicut non potest fieri, quod aqua naturaliter sit calida, nisi conuertatur in naturam ignis, vel aeris. Sed habere indefectibilem bonitatem est diuinæ proprietas naturæ. Ergo non potest esse, quòd alicui alij naturæ conueniat naturaliter, nisi in diuinam naturam conuertatur, quod est impossibile.*

§. IIII. *Alia euersio eiusdem solutionis.*

Euertitur amplius cõtrariorũ solutio.

10 Deinde prædicta solutio potest impugnari, supponendo tamẽ priùs, quòd si quę indefectibilitas in rectè operãdo est in voluntate creata, conueniẽs ei per se, & ab intrinseco, debet illi competere non vt libertas, sed vt natura est, & ob naturalem inclinationem, quam ad sic indefectibiliter operandum habet. Et propterea indefectibilitas, quæ ratione donorum gratiæ, nempe confirmationis in bono, competit aliquando prædictæ voluntati, debet conuenire ei non vt libertas, sed vt natura est: quia quatenus sic est confirmata in bono, non potest deficere, sed necessariò debet operari absque defectu rectitudinis, licèt sit libera ad prosequẽdum hoc, vel illud bonum.

Hinc ergo sequens impugnatio deducitur. Quoniam voluntas, vt natura est, & vt habet naturalem inclinationem, non est determinata per se, & ab intrinseco ad prosequendum indefectibiliter, nisi tantummodò bonum propriæ naturæ: ergo si quæ est voluntas, quæ per se, & ab intrinseco habet indefectibiliter operari circa bonum absolutè & simpliciter, prout includit omnem rationem boni, seu prosequi illud per multifarias actiones indefectibiles, signum erit, prædictam voluntatem oriri à natura, in qua sit omnis ratio boni: ac proinde semper erit verum, quòd natura intellectualis per se, & ab intrinseco, ac ex propria ratione tendens per voluntatem in bonum absolutè, & simpliciter in omni sua amplitudine, debet habere in se rationes omnium bonorum.

Antecedens videtur certum. Tum, quia esse appetitum aliquem omninò determinatum per se, & ab intrinseco ad operandum indefectibiliter circa aliquod bonum, dicit summam commensurationem, & coaptationem, ac nexum cum illo. constat autem, voluntatem, quæ est appetitus rationalis, non habere ex se hanc summam commensurationem, & nexum, nisi cum sua natura, & bono illius. Tum etiam. Quia id videmus in cęteris appetitibus naturalibus, qui per se, & ab intrinseco non sunt determinati ad indefectibiliter, adhuc quantum est ex parte sua, operandum, nisi circa bonum propriæ naturæ, & perfectionem illius.

11 Quam impugnationem adduxit etiam Angelicus Doctor in 2. ad Annibaldum dist. 5. quæst. 1. art. 1. his verbis: *In voluntate peccatum accidit, quando non rectè ordinatur ad finem. Voluntas autem, vt quædam natura est, necessariam inclinationem habet in id, quod sibi naturale est, respectu verò aliorum nullam necessitatem habet: ergo illa sola voluntas est omninò impeccabilis, cuius natura est ipsa bonitas summa, quæ est regula voluntatis.* D. Thom.

Confirmatur, & explicatur, supponendo id, quod est per se satis notum, nempe, quòd sicut debet esse ordo inter causas efficientes, & ratione huius secunda agentia debent subordinari agenti principali, & in prædictis causis accidit peccatum, quando secundum agens exit ab ordine principalis agentis, vt cùm tibia deficit propter suam curuitatem ab executione motus, quem virtus appetitiua imperabat, sequitur claudicatio, quę est peccatum (vt sic dicamus) naturale: ita in causis finalibus debet esse ordo: & ideò cùm finis secundarius non continetur sub ordine principalis finis, seu non ordinatur ad finem principalem debito modo, est peccatum voluntatis, cuius obiectum est bonitas, & finis. Confirmatur.

Hinc ergo sequens confirmatio, & explicatio præcedentis confirmationis deducitur. Quoniam quælibet voluntas per se, & ab intrinseco solùm vult naturaliter illud, quod est proprium volentis bonum, scilicet ipsum esse perfectum, ideoque non potest contrarium huius velle: ac proinde solùm circa prędictum bonum potest voluntas esse indefectibilis in sua operatione. Nam sicut non accidit peccatum in natura, quando aliquid producitur secundùm ordinem, & inclinationem naturæ: ita etiam in voluntate non accidit peccatum, quando voluntas vult id, ad quod inclinatur aliter, & cuius oppositum velle non

potest,

poteſt, in quantum huiuſmodi, ideſt, vt per modum naturæ operatur, ſecùs verò in alijs. Ergo in illo ſolo volente non poterit eſſe peccatum, cuius bonum, cuiuſque natura eſt vltimus finis, qui non continetur ſub alterius finis ordine, ſed ſub eius ordine omnes alij fines continentur, cuiuſque natura proinde includit omnem rationem boni, ècontrà verò in alijs volentibus.

Patet conſequentia. Quia prior ille volens, cuius natura eſt omne bonum, & eſſe vltimum finem, ſub cuius ordine debent alij fines cadere, ſicut fertur per modum naturæ, & indefectibiliter in proprium bonum, ita tendit eodem modo, & cum debito ordine in vltimum finem, qui eſt proprium bonum ipſius: ècontrà verò alij volentes, quorũ proprium bonum non eſt idem ac vltimus finis, ſeu non eſt idem ac ſumma, & omnimoda ratio boni. Nam ſicut ſolùm tendunt naturaliter, & per modum naturæ in proprium bonum, ita quatenus ſic operantur, ſolùm ſunt indefectibiles circa ipſum, non verò circa ordinem proprij boni in finem vltimum: & ideò poſſunt deficere, non ordinando proprium bonum in finem vltimum eo modo, quo debent illud ordinare. Maximè, quia ſicut reſpectu horum volentium vltimus finis ſimpliciter talis eorum eſt finis ſuperior, ita ex dono ſuperioris naturæ, cuius talis finis eſt proprium bonum, & non finis ſuperior, poſſunt velle debito modo prædictum finem; non tamen per ſe ab intrinſeco, & ex proprijs poſſunt indefectibiliter operari circa illum, volendo debitè ipſum, & ordinando proprium bonum in illum.

Ex D. Th. præcedens confirmati roboratur.

12 Quàm confirmationem, & expiicationem tradidit Angelicus Præceptor lib. 3. contra Gentes c. 109. elegantibus verbis, & ideo placuit ea in præſenti tranſcribere, quæ ſic ſe habent: *Conſiderandum eſt, quòd ſicut eſt ordo in cauſis agentibus, ita etiam in cauſis finalibus: vt ſcilicet ſecundarius finis à principali dependeat, ſicut ſecundarium agens à principali dependet. Accidit autem peccatum in cauſis agentibus, quando ſecundarium agens exit ab ordine principalis agentis: ſicut cùm tibia deficit propter ſuam curuitatem ab executione motus, quam virtus appetitiua imperabat, ſequitur claudicatio. Sic igitur & in cauſis finalibus, cuius finis ſecundarius non continetur ſub ordine principalis finis, eſt peccatum voluntatis, cuius obiectum eſt bonum, & finis. Qualibet autem voluntas naturaliter vult illud, quod eſt proprium voluntatis bonum, ſcilicet ipſum eſſe perfectum, & non poteſt contrarium huius velle. In illo igitur volente nullum poteſt peccatum voluntatis accidere, cuius bonum eſt vltimus finis, quod non continetur ſub alterius finis ordine, ſed ſub eius ordine omnes alij fines continentur: huiuſmodi autem volens eſt Deus, cuius eſſe eſt ſumma bonitas, quæ eſt vltimus finis. In Deo igitur peccatum voluntatis eſſe non poteſt: in quocumque alio volente, cuius proprium bonum neceſſe eſt ſub ordine alterius boni contineri, poteſt peccatum accidere voluntatis, ſi in ſua natura conſideretur. Licèt enim naturalis inclinatio voluntatis inſit vnicuique volenti ad volendũ, & amandum ſui ipſius perfectionem, ita quòd contrarium huius velle non poſsit: non tamen ſic eſt ei inditum naturaliter, vt ita ordinet ſuam perfectionem in alium finem, quòd ab eo deficere non poſsit: cùm finis ſuperior non ſit ſuæ naturæ propriùs ſed ſuperioris naturæ. Relinquitur igitur ſuo arbitrio, quod propriam perfectionem in ſuperiorem ordinet finem.*

13 Ex quibus omnibus ſatis manent ſolutæ duæ illæ rationes num. 7. adductæ, quibus hæc ſolutio fulciebatur. Prima quidem. Quia iuxta dicta illæ actiones, quæ ſunt talis conditionis, vt hoc ipſo quòd eliciantur ab aliqua voluntate ſecundùm ſe conſiderata in quauis materia ſiue naturali, ſiue ſupernaturali, ſunt indefectibiliter rectæ, & ordinatæ, debent oriri à voluntate infinita, & eſſe infinitæ perfectionis. Et ita ſi voluntas illas ex ſe eliciens dicatur eſſe creata, erunt, & non erunt infinitæ perfectionis. Erunt quidem propter dicta. Non erunt autem: quia ſupponuntur eſſe creatæ, & à voluntate creata elicitæ.

Secunda verò ratio ex dictis etiam manet ſoluta. Quia voluntas noſtra non habet potentiam liberam, & completam ex ſuis viribus ad operandum benè moraliter in omni materia, ſiue naturali, ſiue ſupernaturali. Et quidẽ de ſupernaturali ſatis ex dictis liquet. In materia verò naturali etiam conſtabit ex illis, quæ 1. 2. circa quæſtionem 109. dicemus. Et licèt daremus, poſſe in omni materia naturali ſemper benè operari: non tamen idcircò haberet in ſe, & ex propria natura omnem rationem boni naturalis in ſua plenitudine, ſed tantùm participatiuè, & modo in hoc eodem dubio n. 16. inſinuando, vt ex ratione ibidem tradenda, & proportionabiliter quoad præſens applicanda, patebit.

§. V. *Poſterior euerſio prædictæ ſolutionis, & ſimul euaſionis ab eiſdem aduerſarijs n. 7. traditæ ad confirmationem huius primæ rationis D. Thomæ.*

Euertitur rurſus eadem euaſio.

14 TAndem prædicta ſolutio aduerſariorum poteſt impugnari, ex eo quòd, eſto daremus, non ſequi per locum intrinſecũ, creaturã intellectualẽ omninò indefectibilem in rectitudine ſuarũ operationũ habere in ſe formaliter omnem rationem boni, nihilominùs per locum intrinſecũ debet neceſſa-

necessariò sequi, eam habere in se per se, & ab intrinseco omnia principia indefectibilia cunctarum operationum indefectibiliũ. quæ quidem meritò possunt dici rationes omnium bonorum, idest, rationes cunctarum operationum tendentium in omne bonum: siquidem indefectibilitas per se, & ab intrinseco operationum debet oriri ex indefectibilitate principiorum. Constat autem, prædictam creaturam non posse habere per se, & ab intrinseco omnia principia indefectibilia suarum operationum, scilicet principia super naturalia actionum supernaturalium. Ergo, &c. Minor probatur. Quia prędicta principia nequeunt substantiæ ordinis naturalis, qualis esset prędicta creatura, esse connaturalia, esto daretur, connaturalitatem istam non dicere per locum intrinsecum infinitam perfectionem. Quoniam talia principia essent altioris, & diuini ordinis: & ideò nequirent esse connaturalia substantiæ inferiori, neque ab eius principijs fluere.

Vnde dato, quòd ex hac ratione D. Thomæ non colligeretur (vt reuerà colligitur) infinita perfectio in creatura intellectuali ex se, & ab intrinseco impeccabili tam circa finem naturalem, quàm supernaturalem, nihilominùs ad vim prædictæ rationis satis esset, quòd sicut, dum aliquod agens ordinatur per suam actionem per se, & ab intrinseco indefectibiliter ad aliquod bonum particulare, debet ratio illius boni, ideſt principium indefectibile illius actionis, esse indefectibiliter, & ab intrinseco in eo: ita, vt agens intellectuale ordinatum in omne bonum, tam naturale, quàm supernaturale sit ab intrinseco indefectibile circa illud, debent rationes omnis boni, ideſt principia tendendi in illud, esse in eo indefectibiliter, & ab intrinseco: ac proinde in prædicto agente creato ex se, & ab intrinseco indefectibili circa omne bonum deberent esse hoc modo, & per consequens omninò connaturaliter principia supernaturalia, & diuini ordinis: cum tamen hoc ipso, quòd sint superioris ordinis, implicet (vt nuper dicebamus) esse omninò connaturaliter in substantia ordinis inferioris.

Confutatur euasio tradita cõfirm. D. Thom.

15 Ex quibus omnibus satis constat impugnatio solutionis n. 7. adhibitæ ad confirmationem ex D. Thoma adductam, & quomodo, ad hoc vt voluntas operetur indefectibiliter circa bonum absolutè, & simpliciter, requiratur infinita perfectio, imò & quòd in natura intellectuali sic operante sit omnimoda ratio boni: & per consequens si voluntas aliqua creata sic indefectibiliter operaretur circa prædictum bonum, esset creata, vt supponitur, & simul increata, & diuina, propter rationes factas.

Neque id, quod de petitione principij in solutione huius cõfirmationis obijcitur, obest. Quoniam sicut non petitur principium, quia probetur, hominem esse risibilem, ex eo quòd sit rationalis: licèt hoc, quod est esse rationalem, pertineat ad conceptum hominis; imò propter hanc rationem optimè hinc infertur, illum esse visibilem: ita non committetur vitium petitionis principij, ex eo quòd probetur, omnem creaturam, etiam intellectualem, esse defectibilem, quia est ex nihilo; licèt hoc, quod est esse ex nihilo, seu per se fieri ex nihilo, sit de intrinseca eius ratione: imò hæc veluti proprietas illius, nempe ista defectibilitas, optimè ostẽditur, ex hoc quòd possit fieri ex nihilo, vt ex dictis constat.

§. VI. Obiectio triplex contra eandem D. Thomæ rationem, & enodatio illarum.

Obiectio prima contra rationẽ D. Thom.

16 NEque obest si obijcias primò contra hanc rationem Angelici Præceptoris quòd iuxta illa, quæ in dubio sequẽti dicemus, potest dari creatura intellectualis, quæ per se, & ab intrinseco sit indefectibilis circa bonum naturale absolutè & simpliciter, ita vt per se directè, ac immediatè, circa prædictum bonum, aut circa Deum, vt vltimum finem naturalem, nequeat elicere actum inordinatum: at nõ ob id prædicta creatura continebit omnem rationem boni naturalis, alioqui esset infinitæ perfectionis intra ordinem naturalem: ergo eadem ratione, licèt daretur creatura intellectualis, quæ per se, & ab intrinseco esset indefectibilis circa bonum tam naturale, quàm supernaturale absolutè & simpliciter sumptum, & circa Deum, tam vt finem naturalem, quàm vt supernaturalem, non idcircò esset in ea omnis ratio boni tam naturalis, quàm supernaturalis, vt ex paritate rationis constare videtur.

Enodatio.

Respondetur enim, cõcedendo maiorem, & minorem, si sensus illius sit, quòd nõ ob id in prędicta creatura esset formaliter, aut eminenter omnis ratio boni naturalis: sed negãda est consequentia. Et ratio disparitatis est duplex. Prima quidem. Quòd creatura illa intellectualis indefectibilis circa bonũ naturale absolutè & simpliciter sumptum, ideò esset indefectibilis circa illud, quia ex vi propriæ essentiæ haberet veluti in genere causæ formalis esse determinatam ad hoc, vt esset indefectibilis circa amorem sui rectum, & ordinatum: & propterea etiam deberet se ipsam dirigere in Deum, vt in vltimum finem naturalem, hoc ipso quòd deberet se ipsam rectè sic diligere: & ita satis esset, quòd haberet in se rationem illius boni, quæ modo dicto determinat ad prædictum amorem, & ad directionem sui indefectibilem in Deum, vt vltimum finem naturalem, necnon & ad exequenda media ad hoc necessaria: quia non aliter versatur circa alia bona naturalia,

ralia, nec circa finem vltimum naturalem, niſi ratione determinationis, quam ad ſe ipſam rectè, & indefectibiliter diligendam habet. Secùs autem eſſet, ſi eſſet indefectibilis circa omnia alia bona naturalia, & circa bonũ naturale ſimpliciter & abſolutè, ex eo quòd circa illa per ſe, & ratione eorum, ac omninò immediatè eſſet determinata ad ea indefectibiliter amanda: quia tunc oporteret, habere in ſe formaliter, vel eminenter prædicta bona, & omnem rationem boni naturalis.

Cæterùm ſi prædicta creatura eſſet indefectibilis circa bonum tam naturale, quàm ſupernaturale abſolutè ſumptum, tunc nõ eſſet ſic indefectibilis, quia eſſet ratione propriæ eſſentiæ veluti in genere cauſæ formalis determinata ad rectum, & indefectibilem amorem ſui ordinis naturalis: quia amor iſte non eſt ſufficiens ratio ad dilectionem ſupernaturalem, & ad ordinationem ſui in finem ſupernaturalem: ex eo quòd amor, & finis ſupernaturalis ſunt quid ſuperexcedens reſpectu prædictæ creaturæ, tam vt diligentis ſe, quàm vt dilectæ à ſemetipſa per prædictum amorem ordinis naturalis: & ideò ſolùm poterat prædicta creatura eſſe indefectibilis circa bonum abſolutè, prout ambit etiam bonum, & finem ſupernaturalem, vel quia eſſet immediatè determinata ad prædicta bona, & ad Deum, prout eſt finis ſupernaturalis, & vt eſt in ſe ipſo, ſecundùm quam rationem dicit omnem rationem boni; vel quia ipſa ex ſe, & ab intrinſeco eſſet natura ſubſtantialis ſupernaturalis, quæ ex ſe eſt determinata ad rectum, & indefectibilem amorem ſui ſupernaturalem. Conſtat autem, quodlibet horum dicere omnem rationem boni in creatura indefectibili circa prædictũ amorem. Primum quidem: tum ob modò dicta: tum etiam ob illa, quæ nuper aſſerebamus, nimirum, quòd eſſe aliquam creaturam determinatam per ſe, & ab intrinſeco ad amorem ſupernaturalem alicuius obiecti ſupernaturalis, dicit, talem amorem eſſe omninò connaturalem illi: & hoc denotat in natura, cui talis amor eſt connaturalis, infinitam perfectionem. Secundum verò: quia (vt ex dictis liquet) ratio ſubſtantiæ ſupernaturalis dicit etiam infinitam perfectionem, imò non qualitercumque, ſed per eſſentiam infinitam.

Alia obiectionis enodatio.

17 Ex quo etiam poteſt ſecundò reſponderi ad eandem obiectionem, ſiue magis explicari prior diſparitas modò adducta. Nã ad hoc, vt aliqua creatura ſit indefectibilis circa bonum naturale abſolutè & ſimpliciter ſumptũ, vel circa omne bonũ, tam naturale, quàm ſupernaturale eodem modo acceptum, ſatis eſſet, vel quòd haberet formaliter, vel eminenter aut omne bonum naturale abſolutè & ſimpliciter ſumptum, aut omnem rationem boni tam naturalis, quàm ſupernaturalis abſolutè & ſimpliciter accepti, vt ex ſe patet, vel quòd haberet omnem rationem boni naturalis quodammodò, ideſt, virtualiter, & participatiuè (quod idem eum proportione de indefectibilitate prædictæ creaturæ circa bonum tam naturale, quam ſupernaturale dicimus.) Et ratio eſt. Quoniam habere aliquam naturam virtualiter, & participatiuè prædictum bonum, tantùm eſt, habere talia principia operandi rectè moraliter, vt licèt non ſit omnia illa bona dilecta formaliter, vel eminenter, nihilominùs per ſe, & ab intrinſeco ſit determinata ad indefectibiliter proſequendum omne bonum: quod quidem eſſet ſatis (vt ex ſe liquet) ad indefectibiliter operandum circa prædictum bonum, necnõ ad hoc vt ſaluetur, quòd rationes prædictorum bonorum ſunt in tali creatura: quia principia ex ſe determinata ad talem amorem ſunt rationes quoad id, quòd ad præſens requiritur, talium bonorum, ideſt, rationes indefectibiliter verſandi circa illa.

Cæterùm creatura intellectualis licèt nequeat perſe, & ab intrinſeco formaliter habere, vel eminenter, & plenè in ſe rationes omnium bonorum naturalium; poſſunt tamen prædictæ rationes eſſe in ea virtualiter participatiuè: quia per ſe, & ab intrinſeco poteſt exigere, vt quid ſibi connaturale, principia indefectibilia verſandi circa illa indefectibiliter: ex eo quòd, cùm principia iſta ſint ordinis naturalis, non eſt inconueniens, quòd ſint debita, & omninò connaturalia alicui creaturæ ordinis naturalis. Non tamen poteſt haberé hoc modo rationes omnium bonorum tam naturalium, quàm ſupernaturalium. Quia (vt in hoc dubio dicebamus) principia ſupernaturalia rectè, & indefectibiliter in ordine ſupernaturali operandi nequeunt eſſe omninò connaturalia alicui creaturæ creatę, aut creabili, ſed ſolùm diuinæ naturæ: & ideò rationes omnium bonorum, vel debent eſſe plenè in natura ſic indefectibiliter circa bonum, tam naturale, quàm ſupernaturale operante, vel nullo modo in ea inueniri.

Obiectio ſecunda contra confirmat. D. Th.

18 Nec etiam obeſt, ſi ſecundo obijcias contra confirmationem prædictę rationis D. Thomæ, quòd eſſe creaturam factam ex nihilo, non eſt ſufficiens ratio defectibilitatis illius. Quoniam gratia, charitas, & alia dona ſupernaturalia poſſunt eſſe ex nihilo: & nihilominùs non ſunt principia defectibilia circa bonum ſupernaturale, ſed omnes earum actiones debent eſſe rectæ, & ordinatæ: ergo ſimiliter licèt illa creatura intellectualis eſſet ex nihilo, poſſet eſſe omninò indefectibilis, & impeccabilis.

Confirm. 1. Confirmatur primò. Quoniam ex hoc, quòd creatura ſit ex nihilo, propinquiùs videtur deduci, quòd abeat in nihilum, quàm

quàm quòd deficiat, aut defectibilis sit in rectè operando: sed ex hoc, quòd creatura sit ex nihilo, non sequitur, quòd debet in nihilum verti, sed potest esse stabilis, & indeficiens in suo esse: ergo neque ex hoc, quòd ut ex nihilo, habebitur, eam debere esse defectibilem in suis operationibus.

Confirm. 2. Confirmatur secundò. Quoniam si produci ex nihilo esset sufficiens ratio defectibilitatis in creatura rationali, non posset adhuc per gratiam tolli hæc defectibilitas; sed quæuis creatura, quantumuis gratia, & donis eius perfusa, maneret peccabilis: siquidem manente causa, & radice, debet manere effectus: & ita manente, quòd prædicta creatura sit ex nihilo (quod quidem auferri nequit) manebit eius defectibilitas.

Respondetur. 19 Respondetur, quòd sicut nulli substantiæ creatæ, vel creabili (quippe factæ, aut factibili ex nihilo) potest cõuenire, quòd omninò connaturaliter habeat esse visiua Dei, prout est in se; & nihilominùs hoc potest competere, tamquam principio *quo*, gratiæ consummatæ, & lumini gloriæ, non obstante quòd sint quid creatum, & factibile ex nihilo. ita similiter nulli substantiæ creatæ, vel creabili potest competere, hoc ipso quòd sit factibilis ex nihilo, omnimoda impeccabilitas, quæ sit ei omninò connaturalis, & precisè ex proprijs principijs orta; benè tamen queit hoc competere, vt principijs *quo*, gratiæ sanctificanti, & eius donis: quia idem est, substantiam aliquam esse talis conditionis, vt sit ei omninò connaturalis visio Dei, & quòd talis substantia sit per se, & ab intrinseco impeccabilis. Et similiter idem est, dona gratiæ esse per modum principij *quo* connaturaliter visiua, siue tendentia in Deum, prout est in se, & esse omninò indefectibilia in suis operationibus, ita vt nequeant elicere illas inordinatas.

Et ratio disparitatis inter substantias, & virtutes illi omninò connaturales ex vna parte, & inter gratiam sanctificantem, & eius dona ex alia, est. Quoniam efficacia virtutum accidentalium mensuranda, & regulanda est ex efficacia substantiæ, cui sunt omninò connaturales. Et ita, quia gratia, & dona supernaturalia tantùm sunt connaturalia substantiæ, & naturæ diuinæ, ideoque sunt supernaturalia, & diuinis ordinis, inde est, vt satis sit, quòd substantia, & natura diuina, ad quam reducuntur, vt in principium omninò connaturale earum, & penes quam eorum efficacia mẽsuranda est, non sit facta ex nihilo, sed habeat esse omninò impeccabilem, ad hoc vt gratia, & dona supernaturalia, quæ sunt participationes illius, prout est in se ipsa, sint omninò indefectibilia in suis operationibus. Cæterùm, natura intellectualis, & substantialis debet habere efficaciam in se ipsam reducibilem, ac per se, & ex natura sua ei conuenientem, vt rationi principali agendi, & non reducibili ad aliud, eo modo, quo virtus agendi alicuius substantiæ reducitur in ipsam: & deinde virtutes accidentales agendi propriæ illius debent reduci in ipsam, vt in causam particularem, & mensurari per illam, non verò in Deum, vt in connaturale principium talis virtutis, à quo, tanquam à causa particulari, & connaturali, talis virtus agendi debeat resultare, cum quoque cõparetur eo modo, quo natura, & virtus illi connaturalis confertur, sed solùm reducitur in Deũ, vt in causam primam. Et ideò, hoc ipso quòd prædicta substantia sit facta ex nihilo, non potest esse per se, & ab intrinseco impeccabilis: ac proinde nec virtutes eius, ex eo quòd reducantur in ipsam, possunt hoc habere. Circa hæc tamen videatur Caietanus 22. q. 23. art. 2. ad 3. Sicut etiam, vt sciatur, quomodo dona gratiæ solùm sint connaturalia Deo, videri poterũt, quæ in 1. tomo tractatu 2. disput. 3. n. 16. diximus. *Caietanus*

Ad primam confirmationem respondetur, quòd hoc, quod est creaturam semel productam non abire in nihilum, conuenit ei per influxum primæ causæ perpetuò ipsam conseruantis. Et licèt creaturæ purè intellectuales semel productæ exigant hunc influxum à Deo præstandum, nihilominùs ad hanc exigentiam non requiritur in eis perfectio infinita, vt ex se constat. Cæterùm creatura per se, & ab intrinseco omninò impeccabilis deberet se ipsam indefectibiliter in omni sua operatione mouere in vltimum finem tam naturalem quàm supernaturalem: & ad hoc requiritur virtus, & perfectio infinita, seu quòd in ea reperiatur ratio omnis boni, vt explicatũ est. Quæ solutio desumpta est ex D. Thoma q. 24. de Veritate art. 7. ad 5. vbi cùm proposuisset hoc idem argumentum, sic ad illud respondet: *Dicendum, quod creatura acquirit esse determinatum, & particulare ab alio. Vnde creatura potest habere esse stabile, & immutabile: quamuis in ea non inueniatur naturaliter ratio absoluti, & perfecti boni; sed per actiones suas est ordinabilis ad bonum absolute. & ideò non est simile.* Ad primã confirmationem. *D. Thom.*

Ad secundam sit satis. Ad secundam confirmationem respondetur ex eodem Angelico Doctore q. nuper citata art. 8. ad 4. vbi sic inquit: *Dicendum, quòd ex hoc, quòd liberum arbitrium est ex nihilo, conuenit ei, quòd non sit naturaliter confirmatum in bono, nec hoc ei per gratiam concedi potest, vt in bono naturaliter per gratiam confirmatum sit. Non autem libero arbitrio, secundùm quòd est ex nihilo, conuenit, quòd nullo modo possit confirmari in bono, sicut nec aeri ex natura sua inest, quòd nullo modo possit illuminari; sed quòd non sit naturaliter lucidus actu.*

Neque

Tertia obiectio.

20 Neque etiam refert, ſi tertiò contra eandem rationem obijcias, quòd licèt in creatura intellectuali nequeat reperiri omnis ratio boni; nihilominùs eſt per ſe, & ab intrinſeco determinata ad amandum ſe, & propriũ bonum: ergo cùm prædicta creatura, ſi ſit perfectiſsima, debeat cognoſcere, ſuum maximum bonum ſitum eſſe in hoc, quòd ordinet ſe in omni ſua operatione in Deum, vt in vltimum finem, inde erit, vt ſit omninò determinata ad ſic ſe ordinandum: & per conſequens, quòd ſit omninò indefectibilis.

Diſſoluitur

Reſpondetur, quamuis creaturam intellectualem eſſe per ſe, & ab intrinſeco determinatam ad appetendum ſuam fœlicitatem, ſuumque bonum, & aliquem vltimum finem in vniuerſali, ita vt circa hoc deficere nequeat. Cæterùm in particulari non eſt ſic determinatus motus voluntatis creaturæ ad quærendam fœlicitatem, ſuumque bonum, & vltimum finem in hoc, vel illo, licèt ſit determinata ad volendum proprium eſſe ſecundùm ſe, & in particulari ſumptum. Et ideò, quoties proprium eſſe, propriaque volentis natura eſt eſſe ſummum bonum, & vltimum finem, toties voluntas eſt determinata ad volendum ſemper in particulari ſuam veram fœlicitatem, ſuumque verum, & ſummum bonum, ſuumque itidem verum; & vltimum finem, ſiue rationem finalem. Attamẽ quoties volentis natura nõ eſt eſſe ſummum bonum, & verum vltimum finem, toties prædictus volens ſuę naturæ relictus, poteſt peccare in volendo ſuum verum, & vltimum finem in particulari, ſeu volẽdo pro vltimo fine in particulari ſe ipſum, vel aliquid aliud, cui reuerà non competat in ſpeciali ratio talis finis, ſiue hoc fiat per errorem ſimul ſpeculatiuum, & practicum, ſiue per naturalem inconſiderationem, vt in creaturis perfectionibus, nempe in Angelis, ſaltem in ſuo peccato omninò primo contingere, docet D. Thomas in hoc articulo in ſolutione ad 4. & nos infrà id latiùs explicabimus.

D. Thom.

Quam ſolutionem inſinuauit D. Thomas q. 24. de Veritate art. 7. in ſolutione ad 6. his verbis: *Dicendum, quòd fœlicitatem indeterminatè, & in vniuerſali omnis rationalis mens naturaliter appetit, & circa hoc deficere non poteſt: ſed in particulari non eſt determinatus motus voluntatis creaturæ ad quærendam fœlicitatem in hoc, vel illo: & ſic in appetendo fœlicitatem aliquis peccare poteſt, ſi eam quærat, vbi quærere non debet, ſicut qui quærit in voluptatibus fœlicitatem: & ita eſt reſpectu omnium bonorum. Nam nihil appetitur, niſi ſub ratione boni, vt Dionyſius dicit. Quod ideò eſt, quia naturaliter inęſt menti appetitus boni, ſed non huius, vel illius boni. Vnde in hoc peccatum incidere poteſt.*

§. VII. *Poſterior ratio aſſertionis ex D. Thoma deprompta.*

Vltima aſſertionis ratio.

21 SEcunda ratio aſſertionis traditur à D. Thoma in hoc articulo, & per eam ratio præcedens confirmatur, & elucidatur, poteſtque ſub hac forma proponi. Quoniam illa ſola virtus actiua nequit deficere à rectitudine, & ordinatione debita ſuæ operationi, ſeu non habere operationem inordinatam, quæ eſt regula eiuſdem operationis: ſed inter virtutes volitiuas ſola voluntas diuina eſt regula ſuæ operationis, non verò voluntas aliqua creata: ergo inter virtutes volitiuas ſola voluntas diuina nequibit deficere à rectitudine ſuæ operationis, ſeu non habere operationem inordinatam, ſecùs verò cæteræ aliæ voluntates creatę: & per conſequens ſola voluntas diuina erit impeccabilis per ſe, & ab intrinſeco, non verò aliqua alia voluntas creata.

Hæc ſecunda conſequentia ex priori apertè ſequitur. Quoniam peccatum, ſiue in naturalibus, ſiue in artificialibus, aut in moralibus importat defectum rectitudinis, & ordinationis debitæ actui, vel inordinationem eiuſdem actus. Prima verò conſequentia ex vtraque premiſſa ſatis liquet.

Maior autem etiam eſt perſpicua. Tum, quia ſola voluntas diuina non habet voluntatem ſuperiorem ſibi, per quam debeat regulari, cùm tamen quęlibet voluntas creata habeat ſupra ſe voluntatem aliam ſuperiorem, nempe voluntatem Dei, cui ſubijci, & per quã regulari debet: ſicut volũtas militis, quia habet ſupra ſe voluntatẽ aliam ſuperiorem, nempe Ducis exercitus, ideircò illi ſubijci, & per eam regulari debet. Tum etiam, quia ſola voluntas diuina eſt, quę non ordinatur ad aliquem vltimum finem à ſe ipſa diſtinctũ, ſed ipſa, quippe quæ eſt ſummum bonum, eſt etiam vltimus finis. Cumque vltimus finis ſit regula voluntatis, & operationum ipſius, inde erit, vt ſola voluntas diuina ſit regula ſuarum operationum, non verò aliqua alia voluntas creata, quæ, hoc ipſo quòd creata, nõ habet tationem ſummi boni, nec veri vltimi finis, ſed debet ordinari ad vltimum, & ſupremum finem ab ea diſtinctum, qui ſit ſuprema illius regula.

Maior verò eiuſdem primi ſyllogiſmi probatur, tum exemplo, tum etiam ratione. Exemplo quidem. Nam ſi manus artificis eſſet ipſa regula inciſionis, numquam poſſet artifex niſi rectè lignum incidere: ſed ſi rectitudo inciſionis ſit ab alia regula, vt in artificibus creatis contingit, tunc etiam accidit, prędictam inciſionem eſſe rectam, & non rectã. Ratione verò eadem maior oſtenditur. Nam cùm operatio debeat eſſe iuxta modum virtutis

tutis operatiuæ, oporret, vt hoc ipso quòd virtus operatiua sit regula suæ operationis, quòd prædicta operatio debeat exire consona suæ regulæ, & perconsequens non deficiés à rectitudine, & conformitate cum regula sibi debita, secùs verò si virtus operatiua non sit sua regula: quia operatio solùm debet necessariò procedere iuxta modum, & rationẽ virtutis operatiuæ, à qua exit.

Quæ ratio valdè affinis est, valdeque consona rationi priori, quam ex quæstione citata de Veritate adduximus. Quoniam ex hoc, quòd sola natura, & voluntas diuina habeãt in se omnem rationem boni, optimè sequitur, solam ipsam esse vltimum finem, & regulam suæ operationis, & è contrà, non verò aliam voluntatem creatam: ac proinde solam illam, non verò istam esse impeccabilem. Vn de Angelicus Præceptor in 2. ad Annibaldũ dist. 5. q. 1. art. 1. vtramque rationem in vnũ coniungens ex vna, & altera vnicam conficit his verbis: *In voluntate peccatũ accidit, quãdo non rectè ordinatur ad finem: Voluntas autem, vt quadam natura est, necessariam inclinationem habet in id, quod sibi naturale est: respectu verò aliorum nullam necessitatem habet. Ergo illa sola voluntas est omninò impeccabilis, cuius natura est ipsa bonitas summa, quæ est regula voluntatis. Omnis autem voluntas alia potest præter hanc regulam agere; & ideo in ea potest peccatum accidere, si secũdùm suam naturam consideretur. Bonitas autem prima, quæ est vltimus finis, & regula omnis bonitatis, non est natura voluntatis Angelicæ. Vnde in voluntate Angelica potest esse obliquitas, & peccatum.*

Angel. Præc.

§. VIII. Soluuntur ex dictis aliquæ obiectiones Scoti contra hanc posteriorem. D. Thomæ rationem.

22 VNde suppositis his, quæ ad elucidationem prioris rationis D. Thomæ adduximus, facilè soluuntur ea, quæ ab Scoto, & ab alijs contra hanc posteriorẽ rationem eiusdem Angelici Præceptoris adducuntur. Primum est, maiorem prædictæ rationis, in qua dicitur, solam illam virtutem actiuam, quæ est regula suæ operationis, non posse elicere operationem deficientem à rectitudine, & operatione debita, esse falsam. Quoniam ad hoc, vt virtus operatiua sit indefectibilis in rectitudine suæ operationis, satis est, quòd vel sit regula eiusdem operationis, vel habeat illam congenitam, ideſt, quòd per se, & ab intrinseco sit determinata ad cõformadum se cum regula à se distincta: quod quidem non pugnat cum natura voluntatis creatæ, licèt cum ea pugnet, esse ipsam regulam suæ operationis.

Obiectio prima contra hãc secundam rationem.

Confirmatur. Quoniam contingit multoties, aliquam virtutem operatiuam esse indefectibilem in rectitudine suæ operationis, quæ tamen non est regula eiusdem operationis, sed solùm est determinata ad illam sequẽdam, vt constat in intellectu nostro, qui non potest errare circa prima principia, vt Aristoteles docet 2. Metaphylicæ: & tamen prædictus intellectus non est sua principia, quæ sunt ipsi regula sciendi: siquidem ante omnẽ actum intelligendi est tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, vt idem Aristoteles docet 3. de Anima textu 14. sed solùm est determinatus ad rectam eorum cognitionẽ. Et similiter intellectus Angelicus nequit errare circa verum speculatiuum: & nihilominùs nõ est regula suarum operationũ. Et tãdem voluntas Angeli ratione similis determinationis habet simpliciter, & respectu cuiuscunque finis non posse declinare à rectitudine in suo primo actu, siue in actibus, quos elicit in primo instanti suæ creationis: & nihilominùs adhuc tunc non est regula suarũ operationum, sed habet volũtatem diuinam pro regula earum.

Confirmatur

Aristot.

23 Secundum est, probationem, qua vtitur Angelicus Præceptor ad suadendã minorem huius posterioris rationis, nempe, solam voluntatem diuinam esse regulam suæ operationis, non verò voluntatem creatam, ex eo quòd sola illa non habet superiorem, solaque illa est vltimus finis, non verò voluntas creata, non esse legitimam. Quia alioqui nulla virtus operatiua creata esset regula suæ operationis: cùm tamen hoc manifestè sit falsum in habitibus virtutum acquisitarum, quę sunt regulę suarum operationum: & ideò quoties operationes eorum sunt iuxta naturam prædictorum habituum, toties sunt rectæ: imò prędicti habitus sunt talis cõditionis, vt nullus possit eis malè vti, sed necessariò inclinant in operationem rectam: & illæ operationes sunt inordinatæ, quæ discordant ab eis: quod etiam in alijs potentijs operatiuis naturalibus cernitur. Sequela videtur perspicua. Quoniam nulla est virtus creata, quæ non habeat superiorem, & vltimum finem à se distinctum, nempe Deum.

Obiectio secunda.

24 Ex dictis igitur constat, hæc nihil referre. Vnde ad primum dicendum est, quòd sensus maioris propositionis adductæ in hac ratione D. Thomæ tantùm est, quòd virtus operatiua, quæ non est sua regula, vel non habet illam congenitam, seu non est omninò determinata ad conformandum se cum illa, nõ potest esse indefectibilis in rectitudine suę operationis, vt n. 17. dicebamus. Sic autem intellecta maior propositio est satis perspicua ex ipsis ferè terminis, eamque magis elucidat Caietanus in hoc articulo §. *Adeuidẽ tiam antecedentis*, vbi sic inquit: *Scito, quòd fundatur super hoc, quod actus rectus dicit duo,*

Prima obiectio dilui tur.

Caiet.

duo, actum, & rectitudinem: ac per hoc principia eius ſunt duo, ſcilicet potentia operatiua, & regula. Et propterea ſecundùm coniunctionem potentiæ cum regula, erit coniunctio actus cum rectitudine: ita quòd, ſi coniunctio eſt inſeparabilis, etiam actus neceſſariò erit rectus: & ſi coniunctio illorum principiorum eſt ſeparabilis, actus etiam poterit eſſe non rectus: & ſimiliter, ſi coniunctio eſt ex natura actus, naturaliter erit rectus: & ſi ex dono gratiæ, actus, ſtante dono, erit rectus, & non ex vi naturæ. Et propterea per ſe nota eſt illa propoſitio: Virtus operatiua, quæ eſt ſua regula, non poteſt naturaliter deficere à rectitudine actionis, exponendo ly eſt ſua regula, vt diximus; ſecùs verò quando in prædicto ſenſu non eſt ſua regula.

Deinde quomodo voluntas creata reſpectu omnium operationum quibus verſatur circa bonũ abſolutè & ſimpliciter, ac proinde tam ordinis naturalis, quàm ſupernaturalis, nequeat eſſe ſua regula, neque habere illam congenitam, ſeu eſſe determinata ad illam, conſtat ex dictis pro priori ratione, & ex his, quæ Angelicus Præceptor in hac poſteriori, ratione tradidit, dum dixit, quòd voluntas creata habet, vt ſibi ſuperiorem voluntatem Dei. Quia cùm voluntas diuina, vt eſt voluntas Dei auctoris ſupernaturalis, ſit ſuperior reſpectu voluntatis creatæ, non vtcumque, ſed per modum intendentis finem ſuperexcedentem eius virtutem connaturalem, nec poterit voluntas creata eſſe formaliter, aut identicè prædicta regula, nec eſſe per ſe, & ab intrinſeco determinata ad conformãdum ſe illi: alioqui ſubiectio, & conformitas ſupernaturalis cum voluntate Dei, vt auctoris ſupernaturalis, non eſſet ſuperexcedens reſpectu illius, ſed per ſe, & ab intrinſeco omninò connaturalis, ac debita alicui ſubſtantiæ, aut virtuti naturali creatæ, aut creabili: quod (vt diximus) cõtradictionem inuoluit. Nec valebit habere illam naturaliter, & per ſe, ac ab intrinſeco congenitam: quia regula iſta tantùm poſſet eſſe ſic congenita, quatenus intellectus eſſet ab intrinſeco determinatus ad proponendum voluntati creatæ id, quod eſt conſonum regulæ, nempe voluntati, & volitioni diuinæ in ordine ad finem ſupernaturalem: cùm tamen nullus intellectus ordinis naturalis, quippe inferioris ordinis, poſſit abſque diuina reuelatione, atque adeò abſque dono gratiæ id conſequi. Vnde (quoad præſens) in idem redit, eſſe aliquam voluntatem determinatam ex ſe, & ex natura ſua ad ſequendam prædictam regulam, & intellectũ habere ex ſe determinationem ad proponendum practicè eandem regulam, ac eſſe plenè eandem regulam, eſſeque plenè ipſum vltimum finem, vt explicatum eſt.

Ang. Præceptor.

Et ſimiliter hoc etiam ſatis inſinuauit idẽ D. Thomas, dum in hac poſteriori tatione dixit, ſolam voluntatem diuinam eſſe verũ, & vltimum finem, tam in ordine naturali, quàm ſupernaturali: ac proinde ſolam ipſam eſſe omne bonum vtriuſque ordinis, nonverò aliquam aliam voluntatem creatam. Quoniam hinc ſatis deducitur, nullam voluntatẽ creatam poſſe per ſe, & ab intrinſeco eſſe adhuc determinatam ad eliciendos omnes ſuos actus rectos, & ordinatos in prædictum finẽ, & per conſequens conformes ipſi, vt regulæ eorum: tum propter rationem modò tactam: tum propter illa, quæ nuper in vltima impugnatione ſolutionis aduerſariorum ad primã rationem D. Thomæ dicebamus, nempe, nullam voluntatem eſſe determinatam per ſe, & ab intrinſeco, ac indefectibiliter, niſi ad amorem ſui, & propriæ naturæ ſecundum ſe ſumptæ, à qua oritur, necnon & aliorum, quæ per ſe, & intrinſecè pertinent ad talem naturam. Ex hoc autem ſolùm ſequitur, Angelum eſſe determinatum ad dilectionem Dei, vt vltimi finis naturalis, & directionem eiuſdem naturæ, & operationem connaturalium eius in dictum finem, vt ſuprà dicebamus; non tamen ad directionem in Deum, vt in vltimum finem ſupernaturalem; ſed hoc ſolùm reperitur in voluntate, quæ eſt ſimul voluntas, & ipſe verus, ac vltimus finis ordinis ſupernaturalis, & diuini, vt loco citato explicuimus.

25 Vnde nihil obſtabit, ſi contra ſolutionem huius obiectionis vrgeas, interpretationem datam non videri conſonam verbis eiuſdem S. Doctoris. Quoniam per hoc, quòd aliquid habeat regulam congenitam, ſeu ſit ab intrinſeco determinatum ad illam ſequẽdam, non habetur, quod ſit ſua regula: cum tamen Angelicus Præceptor ſolùm dixerit, ſolam virtutem actiuam, quæ eſt ſua regula, eſſe omninò indefectibilem. **Replica.**

Reſpondetur enim ex dictis, & ex Caietano in præſenti, quod dupliciter poteſt aliqua virtus operatiua eſſe regula ſuæ operationis: vel formaliter, aut identicè, quo pacto voluntas diuina eſt regula ſuarum operationum, vel tantum virtualiter, in quantum ex propria natura facultas operatiua procederet determinata ad conformitatem cum ea, quod eſt virtualiter, aut quaſi virtualiter continere ipſam regulam, non quidem eminenter, ſed participatiue, ſicut in effectu dicitur eſſe virtus ſuæ cauſæ. Et ita ſenſus maioris propoſitionis D. Thomæ iuxta hunc modum explicandi ipſum erit, quod illa ſola potentia operatiua eſt indefectibilis in rectitudine ſuarum operationum, quæ eſt ſua regula formaliter, aut identicè, vel virtualiter, aut quaſi virtualiter. **Solutio.**

Ad confirmationem vero ex pluribus illis inſtantijs coaleſcentem, patet ex dictis, Ad primam quidem de intellectu comparato cum primis principijs, dicendumeſt, quod ſi pri- **Confirmationis enodatio.**

si prima principia sint naturalia, tunc intellectus erit formaliter regula eorum ratione sui luminis naturalis (supposita tamen notitia terminorum) aut saltem erit virtualiter eorum regula, ex eo quòd habet determinationem saltem radicalem ad versandum rectè circa illa. Si verò prædicta principia fuerint supernaturalia, tunc non erit regula eorum formaliter, aut virtualiter, vt ex dictis liquet: & ita potest suæ naturæ relictus errare circa illa.

Ad secundam verò instantiam de intellectu Angelico respondetur etiam ex dictis, quòd adhuc ea admissa, nihil inde cõtra nos: ex eo quòd recta operatio (naturalis tamẽ) intellectus Angelici circa verum speculatiuũ, & naturale non est adeò eleuata, vt tam ipsa, quàm determinatio ad eam non possint esse omninò cõnaturales suo intellectui, atq; adeò intellectus Angelicus erit saltem virtualiter regula prædictarum operationum. Cum tamen operari benè moraliter in omni actu, siue naturali, siue supernaturali, & determinatio ad hoc nequeant per se, & ab intrinseco conuenire voluntati creatæ, vt explicatum est.

Adde, quòd in illis operationibus, in quibus Angelus, vel homo determinati sunt naturaliter ad aliquod bonum speculatiuum, siue practicum (quod quidem semper est bonum aliquod particulare, non verò bonum absolutè, & simpliciter, ac in omni suo ambitu, ne bonum supernaturale, aut supernaturalis determinatio ad illud sint naturaliter congenita, aut naturaliter, & per se ab intrinseco debita alicui naturæ substantiali, aut alicui voluntati creatæ, aut creabili) tunc mouetur per impressionem diuinæ virtutis, & potiùs agitur, & mouetur, quàm (vt sic dicamus) se agat, seque moueat. Virtus autem diuina, per quam mouetur, est sua regula: & ideò in talibus operationibus deficere non potest.

Ad vltimam verò instantiam patebit ex dicendis art. 5. huius quæstionis vbi n. 14. explicabimus, quid quoad eam dicendum sit.

Respondetur ad secundam obiectionem. Caietanus

16 Ex quibus ad secundum respondetur, negando sequelam. Quoniam (vt benè notauit Caietanus in præsenti) D. Thomas non intendit, quòd inter virtutes omnes operatiuas sola virtus operatiua Dei sit regula suæ operationis, sed quòd inter voluntates, ac proinde inter naturas intellectuales, sola diuina voluntas, solaque Dei natura hoc per se, & ab intrinseco habeat, & non vtcumque, sed in omni sua operatione, ac proinde secundùm quòd versatur non circa bonum particulare præcisè, sed circa bonum absolutè, seu in omni suo ambitu. Et propterea etiam voluntas creata, & natura intellectualis creata potest esse regula proxima, siue formaliter, siue virtualiter aliquarum operationum ab ea procedentium, non tamen omnium: ideoque (vt dubio sequenti dicemus) dabilis est voluntas, & natura intellectualis creata, quæ per se, & directè non possit deficere circa bonum particulare, nempe circa bonum præcisè naturale. Et similiter habitus naturales virtutum acquisitarum possunt inclinare ad bonum immobiliter: quoniam ordinant ad bonum particulare, & sunt rationes eiusdem boni particularis.

Ratio autem, ob quam discursus D. Thomæ solùm procedit in voluntatibus, & non vtcumque, sed respectu omnium operationũ ab eisdem procedentium, ita vt nulla possit deficere, ac proinde tantùm procedit de voluntate, vt fertur ad bonum absolutè, & in omni suo ambitu, iterùm, atque iterum addu ctaest à nobis ex eodem S. Doctore, nempe, quia non inconuenit, principia indefectibilia tendentia in bonum particulare naturale, & quæ sunt rationes operationum naturalium, esse omninò connaturalia alicui voluntati, non tamen principia indefectibilia omnium operationum eius, scilicet, tam naturalium, quàm supernaturaliu m, quæque in bonum absolutè & simpliciter, & in Deum, prout est in se, & continentem secundùm hanc ratione omne bonum, tendunt.

Quæ quidem ratio potest explicari, & confirmari ex eodem Caietano in præsenti, & ex his, quæ n. 17. dicebamus. Quoniam loquendo de aliquibus operationibus aliorum agentium naturalium, & de aliquibus operationibus ordinis naturalis voluntatis creatæ, tunc prædictæ operationes ordinantur ad vnũ, mediante quo respiciunt Deum, vt vltimum finem naturalis *esse*: & ideò ad eas regulandas sufficit ratio vnius boni: & cùm sit bonum particulare, & ordinis naturalis, non mirum, quòd sit connaturale alicui creaturæ eiusdem ordinis. Operatio verò in omni suo ambitu voluntatis creatæ potest tendere in omne bonum, ac per hoc ordinatur ad vltimum finem in se ipso, & per consequens vt includit omnem rationem boni. Et ita ad regulandam eam exigitur omnis ratio boni: quam, constat, non posse esse omninò connaturalem alicui creaturæ: quia sic ex vi suæ naturæ haberet omne bonum simpliciter, vt explicatum est. *Caietanus*

§. IX. *Opposita sententia cum suis fundamentis, & eorum solutionibus.*

Contraria sententia.

27 OPpositam tamen sententiam, nempe, posse à Deo produci creaturam intellectualem ordinatam in finem naturalem, & supernaturalem, cui ex natura sua cõueniat absolutè & simpliciter esse impeccabilem,

bilem, hoc eſt, reſpectu vtriuſque finis, tenuerunt OKam in 1. diſt. 44 q. vnica §. *circa primum eſt dubium*, Maior in 2. diſt. 23. q. 2. concluſione 2. quibus fauent Valentia 1. p. diſp. 4. q. 14. puncto 1. §. *Ego de tota*, vbi inquit, ſe non diſcedere ab hac ſententia propter vim rationum, quibus oppoſita probatur, ſed propter authoritatem Sanctorum Patrum aſſerentium, omnem creaturam intellectualem, hoc ipſo quòd talem, poſſe peccare. Necnon & Scotus in 2. diſt. 23. q. vnica §. *Dico igitur*, vbi ad finem inquit, ſe magis propter authoritatem, quàm propter rationem aſſerere oppoſitum. Et tandem hanc ſententiam tuentur Molina, & alij aſſerentes, produci poſſe à Deo creaturam rationalem, cui ſit connaturale videre diuinam eſſentiam, aut habere lumen gloriæ.

OKam. Maior. Valentia. *Scotus.* *Molina.*

Et licèt prædicta ſententia poſſet ſuaderi illis argumentis, quibus probatur, poſſe dari ſubſtantiam intellectualem, cui ſit connaturale videre Deum, & lumen gloriæ, quibuſque vtitur Molina in hac 1. p. q. 12. art. 5. diſput. 2. nihilominùs, quia argumenta iſta adduximus, & diluimus in 1. tomo tractatu 2. diſput. 3. num. 12. & deinceps, idcircò ab eis iterùm adducendis abſtinebimus. Et quamuis alia fundamenta ex alijs capitibus petita ex dictis pro aſſertione facilè ſoluantur: nihilominùs maioris claritatis gratia, & vt veritas opinionis D. Thomæ magis pateat, placuit ea adducere, & expreſsè ſoluere.

Idem.

28 Probatur ergo primò prędicta ſententia. Quia non implicat contradictionem, dari creaturam rationalem, quæ ex parte intellectus habeat ex natura ſua ſufficientem vim, qua diſcernat inter bonum, & malum morale, & ex parte voluntatis indifferentiam circa diuerſa obiecta bona cum determinatione ad bonum morale vt ſic, tam reſpectu finis naturalis, quàm ſupernaturalis: ergo talis creatura erit ex natura ſua impeccabilis reſpectu vtriuſque finis. Patet conſequentia. Quia peccatum conſiſtit in aliqua deuiatione à fine vltimo: quæ tamen nequit competere voluntati ex natura ſua determinatę ad bonum reſpectu vtriuſque finis, & directæ per intellectum habentem prędictam vim.

Primũ fundamentum.

Antecedens autem probatur. Tum, quia omnia iſta ſecundùm gradus finitos & limitatos non important infinitam perfectionem: & ita non eſt cur implicet communicari alicui creaturæ. Tum, quia de facto noſtra voluntas habet determinationem circa bonum in communi, & indifferentiam circa bona particularia: ergo ſimiliter non repugnabit eſſe determinatam reſpectu boni honeſti in communi, vt opponitur malo morali, & remanere cum indifferentia circa particularia bona honeſta: ac proinde nec repugnabit ex parte intellectus creati, quòd hoc modo proponat per ſe, & ex natura ſua prædictum bonum. Tum deinde, quia indefferentia ad bonum, & malum morale non eſt de intrinſeco conceptu voluntatis liberę ſumptę in cõmuni, quia aliàs etiam eſſet de eſſentia voluntatis diuinæ: nec in particulari acceptæ, ideſt, voluntatis liberæ, quatenus creatæ, quia ad libertatem huius ſufficit indifferentia ad diuerſa bona moralia; quanuis non habeat illam circa bonum, & malum morale vt ſic, ſed debeat eſſe determinata ad bonum morale.

Tum denique. Quia ſenſus eſt de facto determinatus ad proponendum appetitui ſuum obiectum ſub rationibus boni, aut mali ſenſibilis, quæ ipſum reddunt conueniens, aut diſconueniens in ordine ad naturam ſenſitiuam: ergo ſimiliter non implicabit, fieri aliquem intellectum, qui ſit ex natura ſua determinatus ad proponendum volũtati ſuum obiectum præciſè ſub rationibus boni, aut mali moralis, quæ ipſum reddunt conueniẽs, aut diſconueniens in ordine ad naturam rationalem: ergo ſicut ob illam rationem appetitus ſenſitiuus eſt ex natura ſua determinatus ad amplectendum bonum ſenſibile, & ad reſpuendum malũ ei oppoſitum: ita ob prædictam rationem appetitus rationalis correſpondens prædicto intellectui, erit ex natura ſua determinatus ad amplectendum bonum morale vt ſic, & reſpuendum malum vt ſic ei oppoſitum.

Confirmatur. Quoniam virtus reddens creaturam intellectualem impeccabilem nõ debet eſſe infinita ſimpliciter: ergo non erit, cur nequeat creari à Deo aliqua creatura tantæ perfectionis, vt per ſe, & ab intrinſeco habeat prædictam virtutem. Conſequentia eſt legitima. Antecedens autem probatur. Tum, quia in beatis eſt virtus quædam, ratione cuius ſunt impeccabiles, quæ tamen non eſt infinita ſimpliciter, vt ex ſe conſtat. Tum etiam. Quia anima Chriſti ex coniunctione ad Verbum diuinum habet impeccabilitatem: & nihilominus hæc coniunctio non dicit in ea infinitam perfectionem.

Confirmatur.

29 Reſpondetur ex dictis, negando antecedens quoad vtramque partem. Et ad primam probationem dicendum eſt, implicare contradictionem, creaturam intellectualem habere prædictam determinationem ad bonum honeſtum per ſe, & ex natura ſua ſecũdùm gradus finitos & limitatos, ſed hoc debere ei conuenire in tota ſua amplitudine, quia (vt conſtat ex rationibus D. Thomæ) id arguit infinitam perfectionem, & omnem rationem boni.

Diſſoluitur fundamẽtũ.

Ad ſecundam probationem patet etiã ex dictis, concedendum eſſe antecedens, & negandam conſequentiam. Quia habere determinationem ad bonum in communi

ſub

sub ratione proprij commodi, potest esse connaturale substantiæ intellectuali creatæ, & eius voluntati; secùs verò determinatio ad bonum honestum in communi in ordine ad finem supernaturalem, vt explicatum est.

Ad tertiam verò probationem respondetur, quòd (vt constat ex ijs, quæ asseruimus) licet differentia ad bonum, & malum morale non sit de essentia libertatis creatæ, nihilominùs ad eam saltem consequitur, quòd suę naturæ relicta habeat prædictam indifferentiam, sitque peccabilis. E propterea Angelicus Præceptor quæst. 24. de de Veritate artic. 7. ad 4. sic inquit: *Dicendum, quòd quamuis posse peccare non sit pars libertatis arbitrij, consequitur tamen libertatem in natura creata.* *Ang. Doctor.*

Ad vltimam verò probationem dicendum est, esse disparem rationem. Quoniam bonum sensibile non ordinatur in finem supernaturalem, sicut bonum honestum in præsenti habet ordinari: & ideò potest in sensu esse ex natura sua sufficiens vis ad proponendum bonum sensibile, sicut in hac probatione dicitur, ac tandem esse in appetitu sensitiuo sufficiens determinatio ad prosequendum prædictum bonum, & respuendum malum ei oppositum, secùs verò in natura creata intellectuali, & voluntate, ac intellectu eius respectu boni honesti ordinati in finem supernaturalem, respectu cuius nec habet ex se sufficientem vim in intellectu ad discernendum inter prædictum bonum, & malum morale, nec determinationem ad proponendum tantummodò id, quod est bonum, neque est in voluntate determinatio sufficiens ad illud amplectendum, & ad oppositum malum respuendum.

Ad confirmationem respondetur ex dictis, quòd adhuc dato, virtutem reddentem creaturam omninò impeccabilem, esse finitam & limitatam; nihilominùs nequit esse omninò connaturalis alicui substantiæ creatæ, & per consequens nec conuenire ei per se, & ab intrinseco, ac ex proprijs principijs: quia talis virtus reddens creaturam omninò impeccabilem, ideſt, etiam circa vltimum finem supernaturalem, esset ordinis supernaturalis, & diuini: & ideò non posset esse omninò connaturalis prædictæ creaturæ, neque ex eius principijs fluere: vt constat in gratia, & lumine gloriæ, quæ licèt sint formę finitæ, prout sunt in creaturis, nihilominùs quia sunt ordinis supernaturalis, & diuini, nequeunt esse omninò connaturales alicui substantiæ creatæ, vel creabili, aut ex eius principijs fluere, sed quælibet creatura hæc habens debet ex dono Dei prędicta dona accipere. *Ad confirmationem Resp. primo*

Secundò respondetur, impeccabilitatem omnimodam ex natura rei, & ex proprijs principijs conuenientem, tam in ordine ad finem naturalem, quàm supernaturalem dicere virtutem, & perfectionem infinitam: quia (vt ex dictis constat) importat, quòd id, quod sic est impeccabile, habeat in se omnem rationē boni, sit actus purus, & vltimus finis, primaque regula suarum operationum, cùm tamen impeccabilitas ex dono Dei, & per gratiam conueniens non dicat prædictam infinitatem. Et propterea anima Christi Domini, & beati possunt ex dono gratiæ reddi omninò impeccabiles. *Resp. secundo*

30 Secundò probatur eadem sententia. Quoniam natura spiritualis est nobilior, quàm corporalis: sed alicui naturæ corporali conuenit, quòd in ea nulla motus inordinatio esse possit, scilicet naturæ cœlestis corporis: ergo multò melius poterit esse aliqua natura spiritualis, quæ sit capax liberi arbitrij, qualis est natura intellectualis, in cuius motibus, seu operationibus naturaliter nulla inordinatio esse queat. *Secundum fundamentum.*

Confirmatur. Quoniam animalia bruta sunt impeccabilia, & immobiliter se habent ad bonum: ergo potiori ratione id poterit habere natura intellectualis. Patet consequētia. Quia prædicta impeccabilitas, & immobilitas ad bonum dicit perfectionem: & ita, si hæc perfectio esset in brutis, & deesset naturę intellectuali, tunc maior perfectio esset in illis, quàm in ista, quod videtur inconueniens. *Cōfirmatio*

31 Respondetur ex D. Thoma quæst. citata de Veritate art. 7. ad 1. his verbis: *Dicendum, quòd creaturæ corporales, vt dictum est, sunt ordinatæ ad aliquod particulare bonum per determinatas actiones: & ideò ad hoc, quod ab earum actionibus error, & peccatum naturaliter absit, sufficit, quod sint per suam naturam stabilitæ in aliquo bono particulari: quod non sufficit in naturis spiritualibus ordinatis ad bonum absolutè, vt dictum est.* *Eludatur D. Thom.*

Adde, quòd si hoc argumentum aliquid probaret, suaderet etiam, dandam esse de facto substantiam intellectualem, & creatam omninò impeccabilem ex natura sua, sicut datur substantia corporea, scilicet natura corporis cœlestis, omninò indefectibilis in suis motibus: quod tamen, vt constat, est apertè falsum.

Per quod etiam ad confirmationem patet. Nam animalia bruta ordinantur etiam ad bonum particulare ex diuina motione, & impressione, ex qua habent, quòd ratio illius boni particularis eis insit naturaliter, & immobiliter, & ita deficere nō possunt in talibus actionib⁹: creatura verò rationalis, vel intellectualis ordinata ad finē supernaturalē (de qua in præsenti) ordinatur (vt ex D. Thoma dicebamus) ad bonum: Deus autem *Ad confirmationem.*

nequit

nequit facere rationem omnis boni ineſſe creaturæ naturaliter, & immobiliter: & per conſequens prædicta creatura erit, ſi ſibi relinquatur, peccabilis.

Et licèt hinc ſequatur, animalia bruta habere nonnihil maioris perfectionis ſecundùm quid talis, neceſſariò tamen inuolutæ cum imperfectionibus, non tamen habere maiorem perfectionem ſimpliciter talem, vel ſimpliciter maiorem, ſed potiùs inde infertur, ea eſſe magis coarctata, & limitata, quàm creaturas intellectuales diuinam quodammodò attingentes infinitatem, & perfectionem.

Auguſt. 32 Quod quidem optimè explicuit Auguſtinus 12. de Ciuitate c. 1. his verbis: *Neque ideò cætera in hac creatura vniuerſitate meliora ſunt, quia miſera eſſe non poſſunt. Neque enim cætera membra corporis noſtri, ideò dicendum eſt, oculis eſſe meliora, quia cæca eſſe non poſſunt. Sicut autem melior eſt natura ſentiens, etãi cùm dolet, quã lapis, qui dolere nullo modo poteſt: ita rationalis natura præſtantior eſt, etiam miſera, quàm illa, quæ rationalis, vel ſenſus eſt expers, & ideò in eam non cadit miſeria.*

Illuſtratur ratione. Poteſtque hoc ipſum elucidari ſequenti ratione. Quia creatura, quæ eſt peccabilis, quæque poteſt habere miſeriam, eſt talis conditionis, vt ſicut poteſt auerti ab vltimo fine ſupernaturali, eumque deperdere, ita etiam habet capacitatem ad hoc, vt illum poſſideat per viſionem claram eiuſdem. Conſtat autem, quòd habere hanc capacitatem, eſt maxima quædam perfectio, dicens quodammodò infinitatem aliquam.

DVBIVM II.

Vtrùm ſit dabilis per diuinam potentiam aliqua ſubſtantia intellectualis creata, quæ præciſè circa finem naturalem ſit ex propria natura, per ſe primò, directè, & immediatè impeccabilis?

POſtquam explicuimus, non eſſe dabilem ſubſtantiam intellectualem creatam, quæ circa vtrumque finem, nempe naturalem, & ſupernaturalem, ſit ex natura ſua omninò impeccabilis, reſtat, vt explicemus, an ſit dabilis aliqua ſubſtantia creata, & intellectualis per diuinam potentiam, quæ per ſe, & ab intrinſeco ſit impeccabilis præciſè circa finem naturalem?

§. I. *Explicatio tituli.*

Adimaduerſio prolucę tituli. 33 VT autem intelligatur, cur in titulo addiderimus particulas illas *per ſe primò, directè, & immediatè*, notandum eſt, dupliciter poſſe aliquam creaturam eſſe peccabilem circa finem naturalem: vel per ſe primò, directè, & immediatè, vel mediatè, indirectè, & ex conſequenti. Primo modo creatura intellectualis eſt peccabilis, cùm poteſt velle immediatè, & directe, ac per ſe primò aliquid contrarium bono naturæ, & Deo, vt fini naturali, vt cùm poteſt velle mendacium, aut furtum, vel aliquid huiuſmodi. Secundo verò modo creatura intellectualis dicitur peccabilis, quando etſi hoc modo non poſsit velle aliquid contrarium bono naturæ, & Deo vltimo eius fini naturali, nihilominùs poteſt primò, immediatè, & directè peccare contra finem ſupernaturalem, & deinde mediatè, & ex conſequenti, atque adeò indirectè delinquere contra finem naturalem, ſeu contra Deum, vt eſt finis naturalis.

Explicatio tituli. Hinc ergo intelligitur, cur in titulo addiderimus particulas illas, *per ſe primò, directè, & immediatè*. Quoniam ſuppoſitis illis, quæ dubio præcedenti diximus, nempe, non poſſe dari ſubſtantiam creatam intellectualem, quæ per ſe, & ab intrinſeco ſit omninò impeccabilis, tam circa finem naturalem, quàm ſupernaturalem, ſolùm remanet difficultas, an dabilis ſit per diuinam potentiam prędicta ſubſtantia, quæ per ſe primò, directè, & immediatè ſit ab intrinſeco impeccabilis præciſè circa finem naturalem? Quoniam, quòd talis ſubſtantia deberet eſſe indirectè, mediatè & ex conſequenti peccabilis contra hunc finem, benè, & facilè deducitur ex eo, quòd per ſe, & ab intrinſeco non eſſet impeccabilis circa finem ſupernaturalem.

Et ratio eſt. Tum, quia in aliquibus præceptis ſupernaturalibus habet inuolui, vel ſupponi intrinſecè aliquid, quod regulatur per dictamen rationis naturalis. Nam ad præceptum ſupernaturale de dolore itidem ſupernaturali de offenſis cõtra Deum commiſſis, ſupponitur intrinſecè hoc dictamen, ſcilicet, dolendum eſſe de malis: quodquidem eſt dictamẽ rationis naturalis: quando quidem, vt docet D. Thomas 3. p. q. 87. art. 7. dolere de malis vt ſic eſt de iure naturæ, licèt dolore de illis dolore ſupernaturali non ſit de iure naturę. Et ſimiliter in præcepto prohiben- *D. Thom.*

te irrogationem iniuriæ Sacramento Eucharistiæ, involuitur naturale præceptum de non irroganda iniuria auctori naturæ, qui per fidem cognoscitur esse ibi, hoc ipso quòd dicatur per illam, esse ibidem auctorem gratiæ, qui est idem cum auctore naturę. Vnde conculcans Eucharistiam est sacrilegus, non solùm contra supernaturale, sed etiam contra naturale præceptum. Et eodem pacto Simonia commissa circa venditionem sacramentorum, est violatio non solùm supernaturalis, sed etiam naturalis præcepti dicentis Sancta sanctè debere tractari, & supernaturalia non esse vendenda. Et ita cùm quæuis creatura intellectualis per se, & ab intrinseco sit peccabilis, si suæ naturæ relinquatur, contra omnia, & singula præcepta supernaturalia: inde erit, vt etiam sit peccabilis indirectè, mediatè, & consequenter circa prædicta præcepta naturalia, & naturalem finem. Tum etiam. Quia hoc ipso, quòd prædicta creatura peccaret contra finem supernaturalem, posset violare alia præcepta naturalia secundariò, consequenter, & concomitanter, ac proinde indirectè: siquidem hic modus violandi connumeratur inter indirectos. Et ita Dæmones, qui (vt dubio sequenti dicemus) sunt ex se impeccabiles contra finem naturalem per se, & directè, attamen supposito peccato contra finem supernaturalem, peccant secundariò, & consequenter, atque adeò indirectè contra finem naturalem, mentiendo, consulendo homicidia, &c.

Animaduersio secunda.

34 Secundò notandum est, dubium hoc aliis verbis ab aliis excitari, nimirum, an possit dari aliqua substantia intellectualis, & creata, non ordinata in finem supernaturalem, quæ per se, & ab intrinseco habeat esse impeccabilis contra finem naturalem? vel an possit dari aliqua creatura, quæ ex natura sua sit impeccabilis circa finē naturalē seorsim sumptū? Cæterūm vterque inquirendi modus in idem, vel ferè in idem redit cum eo, qui in titulo huius dubij adductus est. Primus, quidē: quatenus prędicta substātia, secundū quod consideratur, vt nō ordinata in finē supernaturalem, seu in sensu composito huius non ordinationis, non potest peccare circa finem supernaturalem. Et ita, si quæ peccata potest committere, tantùm erunt contra finem naturalem, & non vtcumque, sed quæ per se primò, directè & immediatè circa illum versentur. Et similiter secundus in idem etiam ob eandem rationem coincidit: quatenus substantia, quæ solùm posset peccare circa finem naturalem seorsim sumptum, & per consequens non peccando nec perprius, nec simul circa finem supernaturalem, solùm posset delinquere peccatis per se primò, directè, & immediatè versantibus circa prædictum finem naturalem.

§. II. *Verior. D. Thomæ sententia.*

35 Dicēdum ergo est, posse dari per diuinam potentiam creaturam substantialem intellectualem, quæ respectu solius finis naturalis ab intrinseco habeat esse per se primò, directè, & immediatè impeccabilis: ac proinde non repugnare, dari per diuinam potentiam substantiam creatam nō ordinatam in finem supernaturalem, quæ in sensu composito huius status sit per se, & ab intrinseco impeccabilis circa finem naturalem. Assertio hęc apertè sequitur ex testimonijs D. Thomæ, quæ dubio sequenti pro assertione nostra adducemus ad ostendendum, quomodo iuxta mentem S. Doctoris Angeli defacto producti habeant ab intrinseco esse hoc modo impeccabiles, quem sequuntur Caietanus in præsenti §. *circa consequentiam*, Capreolus in 2 dist. 22. quæst. 1. art. 3. ad argumenta Durandi, Ferrara 2. contra Gentes cap. 109. §. *aduertendum tamen*, pro quo Petrus de Ledesma de Perfectione Dei quæst. 6. art. 7. in subarticulo 2. inquit, stare maiorem partem Thomistarum, idque ipse probabile reputat. Et tandem hanc eandem assertionem tuentur Durandus in 2 dist. 5. q. 1. n. 16. & dist. 23 q. 1. n. 7. & 8. Bañez, & Nazarius in hoc articulo: quamuis hi duo posteriores Doctores addant, id esse intelligendum de impeccabilitate circa præcepta iuris nataralis, non verò iuris positiui.

Assertio. *Caietanus. Capreolus. Ferrara. Petrus de Ledesma.* *Durandus. Bañez. Nazarius.*

Ratio fundamentalis ex D. Th. desumpta.

36 Ratio autem fundamentalis huius assertionis desumitur ex D. Thoma locis dubio sequenti referendis, eamque quodammodò insinuat q. 24. de Veritate artic. 8. potestque sub hac forma proponi. Quoniam ad prædictam impeccabilitatem duæ determinationes requiruntur, & sufficiunt. Prima quidem ex parte intellectus se tenens, per quam sit determinatus ad considerationem practicam naturalis finis, & (saltem quando necessitas vrget) quorumlibet agibilium per se primò, directè, & immediatè versantium circa eundem finem, quæ sit sufficiens ad hoc, vt moueat tunc voluntatem in ordine ad prosecutionem omnium mediorum eidem fini conformium, & ad illum necessariorum. Secunda verò ex parte voluntatis, quæ si sit is ad determinandum ipsam ad actualem dilectionem vltimi finis naturalis super omnia, sitque sufficiens, & efficax ad excludendas quascumque offensas per se primò, directè, & immediatè versantes contra illum, idest, non mediante alio fine, nempe supernaturali, siue illæ sint graues, siue leues. At non inuoluit contradictionem, fieri à Deo prædictam creaturam intellectualem, per se, & ab intrinseco habentem has duas determinationes: ergo nec implicabit, produci ab illo

eandem

eandem creaturam, quæ ab intrinseco habeat esse per se primò, directè, & immediatè impeccabilem circa finem naturalem.

Consequentia videtur perspicua. Minor autem probatur. Nam si istæ determinationes essent ordinis supernaturalis, & diuini, nequirent conuenire alicui substantiæ creatæ, aut creabili per se, & ab intrinseco, ex eo quòd implicaret, esse illi connaturales; non tamen hoc ipso, quòd sint ordinis naturalis, vt reuerà sunt: quia eo ipso possunt esse connaturales alicui substantiæ creatæ, aut creabili, imò necessariò hoc debent habere: siquidem quæuis virtus permanens, & ordinis naturalis, qualis essent prædictæ determinationes, quippe solùm respicientes finem naturalem, necessariò est connaturalis alicui substantiæ creatæ, aut creabili: alioqui esset ordinis supernaturalis, & diuini, cuius proprium est, vt virtus huius ordinis sit ita superexcedens, vt nequeat alicui substantiæ creatæ, aut creabili esse connaturalis.

Maior autem probatur. Quoniam stantibus his duabus determinationibus, nequibit intellectus ab actuali, & formali præsentatione practica finis, aut voluntas ab actuali dilectione eiusdem finis naturalis desistere, & per consequens intellectus manebit determinatus ad præsentationem practicam omnium agibilium, quoties oportuerit: & voluntas habebit esse determinatam ad omnia media requisita ad conseruationem amoris prædicti finis, qualia sunt vitationes omnium peccatorum mortalium, & venialium quæ per se primò, immediatè, & directè sunt contra eundem finem: sicut beati (proportione tamen seruata) habent ex dono gratiæ esse omninò impeccabiles, quia ex dono illius habent vtramque determinationem, nempe ex parte intellectus, & ex parte voluntatis.

Confirmatur. Confirmatur argumento vltimo dubio præcedenti adducto pro contraria sententia, quod etsi illam non suadeat, videtur tamen assertionem hanc, & rationem præcedentem sufficienter confirmare, si ad hanc formam reducatur. Quoniam inter corpora datur aliquod corpus ita perfectum, quale est corpus cœleste, vt sit omninò indefectibile in suis operationibus naturalibus: ergo inter substantias spirituales erit (saltem per diuinam potentiam) dabilis aliqua ita perfecta, vt saltem per se primò, immediatè, & directè sit indefectibilis, non quidem in actionibus supernaturalis, & diuini ordinis, sed naturalibus, & versantibus circa finem naturalem. Patet consequentia. Tum, quia quod reperitur in rebus inferioris ordinis, debet nobiliori modo inueniri in rebus ordinis superioris, saltem quando pertinguntad magnam intra prædictum ordinem perfectionem. Tum etiam, quia si corpus eleuatum inter alia corpora habet ratione huius eleuationis, & maioris perfectionis supra illa, esse indefectibile in suis operationibus naturalibus, non erit cur substantia spiritualis, saltem valdè eleuata inter alias substantias itidem spirituales, non habeat ratione huius eleuationis esse indefectibilis in suis operationibus ordinis naturalis.

§. III. *Obiectio triplex contra præcedentem rationem, & earum enodatio.*

37 QVÆ ratio rectè expensa videtur ita efficax, vt ex eius expensione facilè corruant aliquæ obiectiones, quæ contra eam fieri possunt. Prima quidem. Quòd arguit infinitam perfectionem, esse semper in actuali consideratione, & in actuali dilectione Dei super omnia, vt est finis naturalis. Quoniam quæuis virtus finita, & naturalis habet ratione suæ potentialitatis posse separari ab actualitate actus secundi. Nam sicut ipsa est potentialis respectu prædicti actus: ita potest manere in potentia respectu illius. Obiectio prima contra factam rationem.

Confirmatur ex D. Thoma 1. 2. q. 10. art. 1. ad 2. vbi sic inquit: *Dicendum, quòd in rebus naturalibus id, quod est naturale quasi consequens formam tantùm, semper actu inest: sicut calidum igni. Quod autem est naturale sicut consequens materiam, non semper actu inest, sed quandoque secundùm potentiam tantùm. Nam forma est actus, materia verò potentia. Motus autem est actus existentis in potentia: & ideò illa, quæ pertinent ad motum, vel quæ sequuntur motum in rebus naturalibus, non semper insunt: sicut ignis non semper mouetur sursum, sed quando est extra locum suum. Et similiter non oportet, quod voluntas, quæ de potentia in actum reducitur, dum aliquid vult, semper actu velit, sed solùm quando est in aliqua dispositione determinata. Voluntas autem Dei, quæ est actus purus, semper est in actu volendi.* In quibus verbis solùm videtur D. Thomas tribuere voluntati diuinæ quòd semper, & incessanter sit in actu secundo, non verò voluntati creatæ. Confirmatio. D. Thom.

38 Respondetur, quòd etsi esse semper, & incessanter in actu secundo intelligendi, & volendi, ita vt intelligens, & volens sit sua intellectio, & volitio, arguat infinitatem; non tamen esse semper sub his actibus secundis realiter distinctis ab intelligente, & volente: sicut in alijs rebus non arguit infinitatem, quòd sint semper, & incessanter sub actu secundo realiter distincto, vt patet in animalibus, quæ secundùm cor continuò & incessanter mouentur, & in sole, qui semper, & incessanter Diluitur obiectio.

ceſſanter illuminat, necnon & in Angelis, quorum intellectus, & voluntas ſunt ſemper in actuali conſideratione & dilectione ſui.

Et confirmatio. Ad confirmationem reſpondetur, Sanctum Thomam ſolùm velle, non eſſe neceſſarium ſemper, & vniuerſaliter, quòd aliquis motus inſit inceſſanter, ex eo quòd eſt naturalis; non tamen negare, quin aliquando propter magnam perfectionem mobilis, aut aliunde poſsit hoc contingere: maximè, quãdo motus non eſt actus imperfecti, ſed actus perfecti, quales ſunt intellectio, & volitio, vt conſtat ex illis, quæ noſtri Complutenſes in libris Phyſicorum diſput. 16. num. 13. & in libris de Anima diſput. 21. num. 8. docent. Et ita diſcrimen inter voluntatem diuinam, & creatã conſiſtit in hoc, quòd illa non poteſt habere nouum actum, ſaltem quoad entitatem ſumptum; voluntas verò creata ob rationẽ generalem creatę voluntatis poteſt habere plures, & diuerſos motus, ac volitiones, & ab eis deſiſtere, licèt ſint illi connaturales. Cæterùm cum hoc ſtat, vt aliqua creata voluntas, quatenus eſt natura, habeat ob ſpecialem ſuam rationem eſſe ſemper ſub aliquo peculiari ex ſuis actibus, propter peculiarem determinationem, & maiorem connexionem, quam cum illo habet.

Complut.

Secunda obiectio. Ex Vazq. 3º Secunda obiectio deſumitur ex Gabriele Vazquez in præſenti diſput. 28. c. 1. Quoniam non videtur poſſe aliquam creaturam, quantumuis eleuatam, habere hanc duplicem determinationem ex parte intellectus, & voluntatis. Nam in primis intellectus deberet moueri ad cognoſcendum ſemper, & inceſſanter, modo dicto, vltimum finem naturalem à voluntate: quia cùm ipſe non habeat ex ſua natura eſſe determinatum ad prædictam conſiderationem, alioqui ex propria natura non ſubderetur voluntati quoad exercitium, neque etiam id habeat ab aliqua diſpoſitione ſuperaddita, ſicut intellectus beatificus eam participat à lumine gloriæ: ſiquidem non poteſt explicari, quę ſit iſta diſpoſitio ordinis naturalis: oportet moueri à voluntate ad prædictum exercitium. At voluntas huius creaturæ nequit ex natura ſua habere determinationem ad exercitium dilectionis Dei finis naturalis: quandoquidem in prædicto exercitio poteſt apparere aliqua ratio mali, ex eo quòd tale exercitium eſt bonum finitum & limitatum. Ergo neque intellectus huius creaturæ erit determinatus ad actualem cognitionem practicam Dei finis naturalis, & multò minùs ad cognitionem practicam omnium agibilium in ordine ad eundem finem.

Confirm. 1. Confirmatur primò. Quia Deus ſolummodò clarè viſus, prout eſt in ſe, determinat, ſiue neceſsitat ad ſui dilectionem ſuper omnia. Et ſimiliter ſolum lumen gloriæ habet determinare, ſeu neceſsitare ad cognitionẽ practicam ſemper, & neceſſariò inhærentem, quęque inferat practicam dilectionem. Sed creatura, de qualoquimur, quantumuis eſſet eleuata non pertingeret per ſe, & ex natura ſua ad prædictã viſionem claram Dei, neque ad hoc, vt per ſe, & ab intrinſeco haberet lumen gloriæ: ergo neque ad hoc, vt eſſet determinata ad cognitionem, & amorem, de quibus in hac ratione D. Thomæ fit ſermo.

Confirm. 2. Confirmatur ſecundò ex eodem Vazquez. Quoniam ad hoc, vt prædictæ determinationes redderent hanc creaturam impeccabilem, non ſufficeret, quòd eſſet determinata ad qualitercumque conſiderandum actu finem naturalem, & omnia agibilia circa ipſum, ſed requiritur determinatio ad talem conſiderationem boni honeſti alicientis voluntatem ad virtutem, & cognitionem ſupplicij infligendi propter vitium, deterrentis ab illo, quæque eſſet efficacior, & attentior, quàm conſideratio boni vtilis, vel delectabilis inuitantis ad peccatum, & difficilis, ac moleſti retardantis à proſecutione virtutis. At non videtur poſsibile, quòd intellectus creatus non videns clarè prædictum finem naturalem, habeat ex natura ſua determinationem ad conſiderationem ita perfectam eorum, quæ poſſunt mouere ad dilectionem naturalem Dei vltimi finis, & proſecutionem virtutis: ergo, &c.

Solutio obiectionis. 4º Reſpondetur, ſatis conſtare ex dictis ad probandam minorem huius rationis D. Thomæ, quòd prædictę creaturæ ratione ſuę magnæ perfectionis poteſt conuenire, quòd eius intellectus ſit per ſe, & ab intrinſeco determinatus ad actualem illam conſiderationem practicam, de qua in prædicta ratione fit ſermo: & ſimiliter quomodo eadem determinatio ad dilectionem Dei finis naturalis ſuper omnia debeat ex ſe, & ab intrinſeco conuenire eidem creaturæ. Nec verum eſt, in hoc exercitio dilectionis Dei ſuper omnia poſſe apparere reſpectu prædictæ creaturæ aliquam rationem mali difficilis, aut moleſti, vel impeditiui alicuius maioris boni, niſi tantùm eius boni, quod conſiſtit in experientia propriæ libertatis ad deſiſtendum ab exercitio ſui actus, quæ quidem experientia non haberet rationem boni in voluntate, de qua fit ſermo: ſiquidem ſupponitur ex dictis, eam non habere libertatem ad deſiſtendum ab huiuſmodi exercitio, ſed per ſe, & ab intrinſeco eſſe determinatam ad illud.

Ad primam confirmat. prior ſolutio. Ex quo ad primam confirmationem reſpondetur primò, quòd non eſt neceſſaria clara viſio Dei authoris naturalis ad diligendum ipſum ſemper & inceſſanter ſuper omnia

omnia, per amorem naturalem, quando in tali dilectione non apparet aliqua ratio mali difficilis, vel moleſti, aut impeditiui maioris alterius boni, vt in preſenti contingeret.

Poſterior enodatio.

Secundò reſpondetur, ſiue magis explicatur præcedens ſolutio, dicendo, quòd ad habendum ſemper, & neceſſariò prædictum amorem Dei ſuper omnia, ſatis eſt cognitio Dei authoris naturalis ita perfecta, vt ſit ſatis ad beatificandum habentem illam, beatitudine intra ordinem naturæ: quia ſummum bonum beatificans intra aliquem ordinem, & actu poſſeſſum vt beatificans, ſicque propoſitum voluntati, habet etiam ex natura ſua neceſsitare eam ad illius amorem. Quare, cùm in præſenti detur prædicta cognitio, non mirum dari neceſsitatem ad amorem iam dictum.

Ad ſecundã confirmat.

Ad ſecundam verò confirmationem reſpondetur ex dictis, voluntatem huius creaturę fore determinatam ratione dilectionis ſuper omnia Dei vt finis naturalis, ad cogitandum attentiùs, & efficaciùs (modo tamen alibi explicando) rationes inuitantes ad profecutionem virtutis, & deterrentes à peccato, quàm eas, quæ traherent ad prædictum peccatum, & retraherent à proſecutione virtutis.

Tertia obiectio,

41 Tertia obiectio eſt. Quoniam ſi ratio D. Thomæ aliquid probaret, perſuaderet vtique, hanc determinationem ad dilectionẽ Dei finis naturalis cõuenientẽ prædictę creaturę fore inſeparabilẽ ab illa, quippè quę illi inceſſanter, & per modũ naturę cõueniret. Maximè, quia prædicta determinatio, hoc ipſo quòd eſſet ordinis naturalis, deberet eſſe propria alicuius ſubſtantiæ creatæ, aut creabilis, & connaturalis illi, vt in hac ratione dicebamus. At determinatio ad hunc amorem, & amor ipſe nequeunt per ſe, & ab intrinſeco inſeparabiliter conuenire prædictæ ſubſtantię: ergo, &c.

Minor probatur. Quoniam quæuis ſubſtantia intellectualis creata, aut creabilis ſuæ naturæ relicta, eſt peccabilis directè circa Deum vltimum finem ſupernaturalem, & indirectè circa ipſum, vt eſt vltimus finis naturalis: at ea ſic peccante, nequit manere determinatio ad diligendum Deum auctorem naturæ ſuper omnia, aut amor iſte ſuper omnia: alioqui maneret auerſa à Deo vltimo fine ſupernaturali, & conuerſa ad eundem, vt eſt vltimus finis naturalis: & per conſequens haberet duos vltimos fines: imò & diligeret Deum ſuper omnia, & ratione huius dilectionis eſſet impeccabilis: quia perſiſtente prædicta dilectione, nequit auerti à Deo, & non diligeret ipſum ſuper omnia, adhuc vt eſt finis naturalis: liquidem amor iſte eſt incompoſibilis cum tranſgreſsione adhuc indirecta præceptorum naturalium.

42 Reſpondetur, concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem autem vt occurramus, ſupponendum eſt, quòd ſi prædicta creatura non erat ordinata actu in Deum finem ſupernaturalem, tunc, ex ſuppoſitione huius ſtatus, & in ſenſu compoſito illius non ordinationis, ſatis eſſet ad dilectionem Dei ſuper omnia authoris naturalis abſolutè ſumptam, quòd ex vi prædictę dilectionis efficaciter excluderentur omnia peccata tam grauia, quàm leuia directè pugnantia contra Deum finem naturalem: quia reſpectu huius creaturæ, & in ſenſu compoſito ſuæ non ordinationis in finem ſupernaturalem ſic ſe habent præcepta naturalia, quæ ſolùm indirectè, & mediãte violatione directa præceptorũ ſupernaturaliũ poſſunt ab illa violari, ac ſi nõ eſſent: & ideò nequiret peccare adhuc indirecte contra Deum authorem naturalem, haberetque dilectionem ſuper omnia propriam illius ſtatus abſolutè & ſimpliciter dictam. Si verò prædicta creatura poſteà, aut ſimul dum producitur, ordinaretur in Deum finem ſupernaturalem, tunc determinatio, quam ex natura ſua haberet ad dilectionem ſuper omnia Dei finis naturalis, non ſe minùs, aut amplius extenderet, quàm in priori ſtatu: non tamen tunc eſſet ſub denominatione dilectionis Dei ſuper omnia, vt eſt finis naturalis abſolutè & ſimpliciter dictę: quia tũc obiectum dilectionis ſuper omnia abſolutè & ſimpliciter dictæ, & illa, ſuper quæ Deus eſſet diligendus, amplius ſe extenderent ratione ſtatus, quàm anteà: ſiquidem in eo euentu dilectio Dei ſuper omnia abſolutè & ſimpliciter dicta exigeret, quòd præponeretur Deus tam illis bonis, quæ ex ſe inuitant ad tranſgreſſionem præceptorum naturalium directam, quàm indirectam, ſecùs verò, quandiu prædicta creatura remaneret ſub ſtatu non ordinationis. Et ideò in priori illo ſtatu non ordinationis ipſius in Deum finem ſupernaturalem, conuerteret creaturam illam in Deum, vt in vltimum finem ſimpliciter talem, licèt naturalẽ ipſius, ſecùs verò in poſteriori ſtatu.

Notabile proprie ſolutionis.

Vnde ad formam prædictæ obiectionis concedenda eſt maior, & neganda minor. Et ad probationem admittatur maior intellecta de peccabilitate proxima prędictæ creaturæ, ſi ſit eleuata in Deum finem ſupernaturalem, & de peccabilitate ſolùm modò remota, non verò proxima, ſi non ſit ordinata, & non conſideretur in ſenſu (vt ſic dicamus) compoſito, ſed in ſenſu diuiſo ſtatus non ordinationis eiuſdem in finem ſupernaturalem. Et deinde diſtinguenda eſt minor, & neganda de perſiſtentia determinationis ad diligendum Deum finem naturalem ſuper omnia, & dilectionis huius quoad ſuam entitatem præcisè conſideratarum, & concedenda de perſiſtentia earum tam quoad rem, quàm quoad

Ex prædicto notabili fit obuiam obiectioni.

denominationem amoris super omnia absolutè & simpliciter dictam quia ratione noui connotati, siue extensionis obiecti, ad quod in posteriori statu debet extendi dilectio super omnia absolutè & simpliciter dicta definit prior illa dilectio esse super omnia absolutè & simpliciter; licèt anteà ratione minoris extensionis obiecti, ad quod se debebat extendere dilectio super omnia absolutè & simpliciter dicta, erat, & denominabatur dilectio super omnia.

Neque id, quod in eadem probatione adducitur, nempe, quòd alioqui maneret prædicta creatura auersa à Deo fine supernaturali, & conuersa ad Deum finem naturalem obest. Quoniam (quicquid sit, de quo alibi, an qui peccat contra Deum finem supernaturalem, debeat necessariò auerti ab illo, vt fine vltimo naturali) dicendum est pro nunc, quòd ex vi illius dilectionis Dei authoris naturalis, quæ quoad entitatem maneret eadem, non conuertitur creatura intellectualis conuersione in Deum finem naturalem, vt in vltimum finem simpliciter in illo statu, in quo intelligitur eleuata ad Deum finem supernaturalem: quia ad istam conuersionem simpliciter factam per prædictam dilectionem requiritur vltra eam aliquid per modum conditionis, nempe, talem creaturam non esse eleuatam, atque adeò obiecta, super quæ Deus est diligendus, esse tantùm illa, quæ ex se excitant ad trangressionem directam præceptorum naturalium: & per consequens etiam requiritur, prædicta bona, & præcepta naturalia indirectè violabilia sic se habere respectu huius creaturæ ratione status non eleuationis ad Deum finem supernaturalem, ac si non essent, nec esse possent. Et ideò solùm haberetur, quantum est ex vi peccati contra finem supernaturalem, & huius conuersionis in Deum finem naturalem, quòd illa creatura maneret per peccatum auersa auersione simpliciter à Deo, vt ab vltimo fine supernaturali simpliciter tali; & conuersa per prædictam dilectionem conuersione secundùm quid ad eum, vt in finem naturalem secundùm quid vltimum; licèt non ob id intelligeretur auersa simpliciter, & positiuè à Deo vltimo fine naturali. Vnde falsum etiam est id, quod ibidem additur, nempe, dilectionem hanc esse incompossibilem in quouis statu cum transgressione adhuc indirecta præceptorum naturalium. Et hæc de obiectionibus contra rationem D. Thomæ.

(2)

§. IIII. *Alia obiectiones contra confirmationem rationis Angelici Doctoris, & responsio ad illas.*

43 ET similiter contra confirmationem rationis D. Thomę num. 36. adductam obijci potest ex Suarez lib. 3. de Angelis cap. 7. non benè inferri ex eo, quòd corpora cœlestia sint indefectibilia in suis operationibus, posse dari aliquam substantiam creatam intellectualē quæ sit indefectibilis per se, & ab intrinseco in suis actionibus. Quoniam corpora cœlestia non habent dominium suarum actionum, & ideò ab intrinseco non possunt deficere in illis, sicut posset illa substantia creata, & intellectualis ratione dominij suorum actuum: nam hoc est proprium substantiæ creatæ, & liberæ, quòd, hoc ipso quod libera, habeat, vt sit defectibilis in suis operationibus. Vnde Hieronymus epistola 146. ad Damas. de filio prodigo circa finem sic inquit: *Solus Deus, in quem peccatum non cadit: cætera, cùm sint liberi arbitrij, in vtramque partem possunt suam flectere voluntatem.* Et D. Thomas in hoc articulo in solutione ad 2. sic inquit: *Corpora cœlestia non habent operationem, nisi naturalem. Et ideò sicut in natura eorum non potest esse corruptionis malum, ita neque in actione naturali eorum potest esse malum inordinationis. Sed supra actionem naturalem in Angelis est actio liberi arbitrij, secundùm quam contingit in eis esse malum.* Et in 2. distinct. 23. quæst. 1. art. 1. inquit: *Impossibile fuit, vt seruata libertate arbitrij, alicui creaturæ cōferretur vt secundùm conditionem suæ naturæ peccare non posset.* In quibus verbis radicem peccabilitatis ponit esse libertatem creatam. Quare, cùm prædicta creatura intellectualis esset in ordine naturali libera, secùs verò corpora cœlestia, consequens est, vt licèt illa possint esse indefectibilia in suis operationibus; secùs tamen ista.

Obiectio prima ex Suarez cōtra cōfirm. rationis D. Thom.

Hieron.

D. Thom.

44 Respondetur, quòd etsi ex libertate creaturæ rectè sequatur, eam non posse ab intrinseco esse impeccabilem in omnibus suis operationibus, non tamen non posse esse in illa plures operationes indefectibiles. Et ita ex libertate prædictæ substantiæ intellectualis solùm colligeretur, eam posse deficere directè circa finem supernaturalem, & indirectè circa naturalem, secùs verò, quòd esset defectibilis directè circa naturalem finem, vt probatum est. Et ideò prædicta substantia esset determinata ad prosecutionē boni honesti modo dicto, & ad respuendum in sensu explicato malum, vt eidem bono oppositum, & libera quoad bona particularia secundùm se sumpta, eo (proportionali tamen

Euertitur.

tamen modo) quo voluntas beati est determinata ad bonum.

Nec aliquid aliud voluit Hieronymus, aut Angelicus Præceptor locis citatis. Vnde idem S. Doctor q. 16. de Dæmonibus art. 6. in solutione ad 5. solùm tribuit voluntati, quia voluntas est, seu quia habet libertatem, quòd sit defectibilis ab intrinseco, ac directè circa finem supernaturalem.

Secunda obiectio.

45 Secundò obij i potest ex eodem Suarez contra prędictam confirmationem. Nam quia cœli sunt entia creata facta ex nihilo, etiam deficere possunt modo agentibus naturalibus accommodato: ergo eadem ratione prædicta creatura intellectualis, & libera in ordine naturali posset deficere per se, & directè in ordine naturali, in quo est libera per defectum accommodatũ agentibus liberis, nempe deficiendo, & peccando liberè, & modo dicto in hoc ordine. Consequentia videtur legitima: & antecedens probatur, & explicatur. Quoniam duo motus, siue operationes possunt in cœlis considerari. Quædam, quæ ab ipsis actiuè procedant: & licèt in his non agant ex se cum defectu, qua naturaliter agunt, quantum possunt, & eorum virtus propter incorruptibilitatem non minuitur, nihilominùs ex defectu materiæ, vel cõcursus, & oppositione aliarum causarum interdum deficiunt. Aliæ item sunt operationes, siue motus cœlorum, ad quos ipsi tantùm passiuè se habent, quique propter hanc rationem solùm sunt operationes, & motus in eis recepti: & in his non habent peculiarem determinationem, vt deficere possint, vel non possint; sed iuxta conditionem extrinsecam sui motoris aguntur: & quia in eo motu à diuinę prouidentiæ dispositione principaliter pendent, ideò in illo non dificiunt: ex eo quòd Deus propter bonum vniuersi, ad quod prędicti motus ordinantur, ita eos disposuit, vt non deficerent, nisi tempore, & modo ab ipso diffinito.

Solutio.

Respondetur, quòd (quicquid sit de alijs in hac obiectione adductis) satis est, corpora cœlestia non esse defectibilia in suis operationibus, prout ab illis eliciuntur, licèt, vt habent rationem passionum, siue vt receptæ in passo, non sortiantur effectum ex defectu materiæ, vel aliarum dispositionum ex parte passi desideratarum.

§. V. *Prior sententia opposita, cum suis fundamentis, & responsionibus ad illa.*

Contraria sententia.

46 CONtra nostram tamen, & D. Thomæ sententiam duæ extant aduersæ opiniones. Prima est, nõ posse dari per diuinam potentiam aliquam creaturam intellectualem, quę adhuc per se primò, directè, & immediatè sit ex natura sua impeccabilis circa vltimum finem naturalem. Hanc tuentur Vazquez in præsenti disput. 231. c. 2. Suarez lib. 3. de Angelis c. 7. Arrubal, & Molina in hoc articulo, Granado in presenti: quam etiam probabiliorem reputat Petrus de Ledesma loco suprà citato. Quæ quidem potest probari primò. Quoniam Patres, non facta mentione ordinationis cuiuslibet creaturæ in finem supernaturalem, dicunt, non esse dabilem substantiam creatam intellectualem, quę per se, & ab intrinseco sit impeccabilis: ergo apertè sentiunt, nullam talem substantiam esse per se, & ab intrinseco impeccabilem per se, & directè circa finem naturalem Patet consequentia. Quia secluſa hac ordinatione, solùm hoc modo potest prædicta creatura esse peccabilis.

Vazquez. Suarez. Arrubal. Molina. Granado. Petrus de Ledesma.

Primum fundamentum ex Patribus.

Respondetur, satis esse ad hoc, vt Patres potuerint absolutè dicere, prædictam creaturam, non facta mentione ordinationis actualis in vltimum finem supernaturalem, esse ex natura sua peccabilẽ, quòd ex natura sua habeat posse ordinari in prædictum finem: nam eo ipso nequit absolutè & simpliciter de ea dici, quòd per se, & ab intrinseco sit omninò impeccabilis.

Diluitur.

Nec obest, si vrgeas, quòd illud, quod conuenit alicui naturaliter secundùm ordinem, & cursum naturæ, & in ordine ad finem naturæ, simpliciter & absolutè illi conuenit, quamuis ex diuina prouidentia supernaturali possit ei oppositum conuenire: & propterea Angelus simpliciter est incorruptibilis ex natura sua, quoniam intra ordinem naturæ nullam habet causam suæ corruptionis, licèt supernaturaliter possit desinere esse. Ergo si illa creatura intellectualis esset impeccabilis circa bonum naturę, consequens esset, vt absolutè & simpliciter posset dici impeccabilis: quod tamen contra communem sententiam Sanctorum est.

Replica.

Respondetur, antecedens esse verum, dummodò oppositum nequeat conuenire illi rei secundùm communem cursum alicuius prouidentiæ supernaturalis, sed solùm secundùm extraordinarium, & correspondentem absolutæ potentię Dei in illo ordine prouidentiæ, vt in exemplo allato cernitur. Nam Angelus secundùm communem cursum cuiuslibet prouidentiæ, etiam supernaturalis, est incorruptibilis, seu semel productus, debet perpetuò à Deo conseruari: cæterùm quæuis creatura intellectualis secundùm communem cursum prouidentiæ Dei supernaturalis est peccabilis in ordine ad finem supernaturalem, & est eleuabilis in ordine ad istum finem: & ideò non potest dici absolutè & simpliciter impeccabilis.

Solutio.

47 Secundò probatur eadẽ sententia. Quoniam prædicta creatura intellectualis, quantumuis

Secundum fundamẽtum.

tumuis perfecta sit secundùm omnem gradum, & rationem, nihilominùs est creata, & non actus purus, sed actus admistus potentialitati intra ordinem naturæ: ergo etiam secundùm ordinem ad bonum naturæ est peccabilis & defectibilis: quia peccatum & defectus fundatur in potentialitate, vt dubio præcedenti in confirmatione primæ rationis D. Thomæ num. 6. dicebamus.

Dissoluitur. Respondetur, quòd quamuis prædicta creatura in *esse* naturali habeat admistam potentialitatem, nihilominùs esset potentia naturaliter, & immobiliter coniuncta actui iam dicto dilectionis super omnia Dei, vt finis naturalis, & ideò esset naturaliter impeccabilis, modo explicato, circa prædictum finem. Sicut licèt Angelus, naturaliter loquendo, sit secundùm suam essentiam actualem potentia quædam ad suum *esse* existentiæ, nihilominùs nequit naturaliter illud amittere: quoniam est illi coniunctum naturaliter, & immobiliter. Sed de hoc latiùs dubio præcedenti num. 16.

Vltimũ fundamẽtum. 48 Vltimò probatur eadem sententia. Quoniam si Angelus esset impeccabilis ex sua natura per se primò, & directè circa prædictum finem, fieret inde, ipsum posse viribus eiusdem naturæ cognoscere, dari finem supernaturalem: hoc autem videtur falsum. Quia prædictus finis, sicut est quid superexcedens respectu prædictæ creaturæ intellectualis, ita etiam respectu cognitionis naturalis eiusdem: sequela verò probatur. Tum quia creatura ista cognosceret ex viribus naturæ, se esse peccabilem, hocque esse intraneum omni creaturæ factæ, aut factibili: ergo cùm in prædicto euentu certa esset, se nõ esse peccabilem circa finem naturalem, siquidẽ hoc à nobis asseritur conuenire illi ex propria natura, cognosceret vtique, se esse peccabilem circa finem supernaturalem: ac proinde cognosceret, esse prædictum finem. Tum etiam, quia prædicta creatura cognosceret, ex natura sua se posse deficere à prima regula, siquidem ipsa non est prima regula: ergo cùm per suam cognitionem attingat, se non posse deficere à prima regula naturali, attinget, esse defectibilem à prima regula supernaturali: atque adeò cognoscet, dari prædictam regulam supernaturalem, quæ est idem quod vltimus finis supernaturalis.

Enodatur. Respondetur, quòd (quicquid sit, an ex alijs capitibus possit aliqua creatura intellectualis cognoscere ex viribus naturæ, dari finem supernaturalem, de quo alibi) etsi creatura ista intellectualis non sit peccabilis, nisi in ordine ad finem supernaturalem, nihilominùs ipsa cognoscens per lumen naturæ, se esse impeccabilem in ordine ad finem naturalem, non ideò cognosceret distinctè, & in particulari, se esse peccabilem contra finem supernaturalem: quia per lumen naturæ solùm cognosceret, se esse peccabilem, sub quadam veluti communi ratione: & ita, quomodo in particulari esset peccabilis, nõ attingeret per lumen naturæ. Potestque hoc explicari exemplo Angeli, potentis cognoscere ex viribus naturæ, quòd humanitas Christi Domini existit in rerum natura sine existentia creata: cùm tamen prædictus Angelus non cognoscat per lumen naturæ, quomodo in particulari humanitas illa existat.

§. VI. *Alia sententia opposita, fundamenta, & responsiones ad illa.*

Alia sententia opposita. 49 SEcunda sententia nostrę opposita distinguit de peccatis, & peccabilitate in ordine ad finem naturalem. Nam alia sunt, quæ præcisè sunt contra præcepta purè naturalia, vt præceptum non mentiendi, &c. Alia verò, quę sunt præcepta, positiua, & reducuntur ad naturalia, qualia essent præcepta positiua, quæ pro sua libertate posset Deus prædictæ creaturæ imponere. Quo supposito, sententia hæc conuenit cum præcedenti in hoc, quòd asserit, implicare contradictionem, dari aliquam substantiam intellectualem creatam, quæ per se primò, & directè solùm sit peccabilis circa finem supernaturalem: addit tamen, dabilem esse substantiam intellectualem creatam, quæ sit peccabilis in ordine ad finem naturalem, non quidem per violationem præceptorum, quæ sunt purè de iure naturæ, sed eorum, quæ reducuntur ad ius naturæ, qualia sunt præcepta positiua, quę Deus pro sua libera voluntate posset imponere in ordine ad finem naturalem prædictæ creaturæ. Ita Nazarius, & Bañez in præsenti: idque Petrus de Ledesma reputat probabilius in suo tomo de perfectione Dei in q. & subarticulo suprà citato. *Nazarius Bañez. Ledesma.*

Primum fũdamentum. 50 Probatur duobus argumẽtis. Primum. Quia potest Deus cuilibet creaturæ intellectuali imponere præcepta positiua ad ordinem naturæ pertinentia, quæ naturalem excedant illius creaturæ prudentiam: infinitus enim est diuinæ sapientiæ, & prouidentiæ thesaurus, ex quo potest legum ferendarum supellex immensa procedere. Et ideò, sicut nulla potest effici creatura intellectualis, cuius prudentia diuinæ sapientiæ, ac prouidentiæ sit æqualis, ita neque esse potest creatura intellectualis, cui leges omnes positiuæ ad ordinem naturæ pertinentes à Deo ferri possibiles ita sint proportionatæ, aut sic eius adæquentur prudentię, vt eas naturaliter violare non posset Deus, Ergo, &c.

Secundum. Secundum est. Quia nulla est creatura intellectualis, quæ leges omnes à Deo promulgabiles, & circũstantias omnes agibilium secũdũ eas possit simul apprehẽdere, & cõsiderare: ac proinde necesse est, quãlibet creaturã intel-

intellectualem à Deo producibilem posse suapte natura delinquere contra legem Dei positiuam ordinis naturalis.

Euertitur vtrumque fundamentum.

Respondetur ad vtrumque argumentum, quòd si prædicta præcepta ita comparentur (vt reuerà comparari debent cum creatura ista intellectuali, ad hoc vt actu, & in exercitio inexcusabiliter illam obligent) quòd possit absolutè, & simpliciter illa obseruare, tunc ratione determinationis iam explicatæ, quam prædicta creatura haberet in ordine ad finem naturalem super omnia diligendum, maneret etiã determinata ad illa obseruãda, nec posset, saltem quando occurreret occasio adimplendi ea, non considerare actu omnia illa, quæ ad prædictam adimpletionem sunt necessaria. Nam sicut integrum esset huic creaturæ cognoscenti aliquod principium, cognoscere in illo omnes, & singulas conclusiones in eo contentas: ita etiam semel per voluntatem necessariò attacto, & dilecto super omnia vnico omnium agibilium naturalium principio, nempe Deo sine naturali, ibidem virtualiter attinguntur omnia media necessaria ad illud, qualia essent prædicta præcepta. Et posteà dum occurrerent, nequirant talia præcepta, manente (vt reuerà manere debet) tali dilectione, ab ista creatura violari: sicut de voluntate Christi Domini, & Beatorum, collatis cum quibusuis præceptis, siue naturalibus, siue supernaturalibus à Deo ipsis imponibilibus, dici solet.

Replica.

51 Neque obest, si vrgeas, quòd sicut prædictæ creaturæ tantùm esset connaturalis, & debita dilectio Dei super omnia, vt opponitur violationi directæ præceptorum purè naturalium, non verò vt opponitur violationi indirectæ eorundem præceptorum, neque hoc pugnat cum perfectione eiusdem creaturæ: ita esset eidem debita prædicta dilectio, non vt se extendit ad præcepta positiua ordinis naturalis, sed ad purè naturalia, & hoc propter eminentiam diuinæ prouidentiæ, & præceptorum excedentium prudentiam huius creaturæ, quæ illi (vt nunc dicebamus) imponi possunt.

Responsio.

Respondetur enim ex dictis, negando consequentiam. Et ratio disparitatis est. Quia ad hoc vt esset illi debita dilectio super omnia, vt opponitur violationi indirectæ præceptorum naturalium, requiritur, esse eidem debitam eandem dilectionem, vt opponitur violationi præceptorum supernaturalium: quia non nisi violando ista directè, violantur illa indirectè. Hoc autem superat naturalem facultatem substantiæ creatæ, vt dubio precedenti explicuimus. Cæterùm per hoc, quòd sit illi debita dilectio Dei super omnia, vt opponitur violationi directæ omnium præceptorum, siue purè naturalium, siue positiuorum, & dirigentium ad finem naturalem, solùm ponitur, quòd sit illi connaturalis, & debita dilectio super omnia ordinis naturalis, & quæ, hoc ipso quòd talis, debet esse connaturalis alicui substantiæ creatæ, aut creabili: & ideo non inconuenit, sed potiùs debet dici, eam esse prædictæ creaturæ debitam.

DVBIVM III.

Vtrùm de facto detur aliqua creatura intellectualis, quæ per se primò, directe, & immediatè sit impeccabilis circa finem naturalem præcisè sumptum?

52 SEMEL ostenso, non implicare, dari creaturam intellectualem modo dicto impeccabilem circa finem naturalem, statim se offert inquirẽdum, an creaturæ intellectuales, nempe Angeli, qui de facto sunt à Deo producti, sint tantæ perfectionis, vt habeant ex natura sua istam impeccabilitatem: sic enim, quanta, & qualis sit eorum peccabilitas, aut impeccabilitas satis dignoscetur. Et licèt ab aliquibus solùm proponatur titulus huius dubij sub alia breuiori forma, nempe, an de facto Angeli sint ex natura sua impeccabiles circa finem naturalem solitariè sumptum: nihilominus (vt diximus dubio præcedenti, & in hoc etiam dicemus) vterque inquirendi modus in idem redit.

§. I. *Iuxta Doctoris Angelici mentem dubij resolutio vnà cum prima eius ratione traditur?*

Assertio, & primum fundamentum.

53 DIcendum ergo est, creaturas intellectuales de facto à Deo productas, nempe Angelos, esse per se primò, immediatè, & directè impeccabiles ex natura sua circa finem naturalem præcisè sumptum. Assertio hæc est D. Thomæ in hoc articulo in solutione ad 3. his verbis: *Dicendum, quòd naturale est Angelo, quòd conuertatur motu dilectionis in Deum secundùm quòd est principium naturalis esse. Sed quod conuertatur in ipsum, secundùm quòd est obiectum beatitudinis supernaturalis, hoc est ex amore gratuito, à quo auerti potuit peccando.* Vbi S. Doctor constituit discrimen inter dilectionem Dei versantem

D. Thom.

santem circa illum, vt est finis naturalis, & inter dilectionem ipsius, vt est obiectum beatitudinis, & finis supernaturalis, quòd illa prior est Angelo naturalis, idest debita, quia ly *naturale*, sumitur à D. Thoma, prout opponitur gratuito, seu non debito, vt ex contextu constat, ac proinde nequit ab ea cessare peccando directè cõtra finem naturalem: posterior verò non est ei naturalis, idest debita, sed gratuita: & propterea potest ab ea auerti peccando.

Occurrunt aduersarij.

Nec obest, si occurras ex aduersarijs, D. Thomam solùm velle, esse Angelo naturalẽ & debitam dilectionem Dei, vt est author *esse* naturalis: quia hoc ipso, quòd Angelus necessariò diligat suum *esse*, debet naturali dilectione diligere Deum, vt authorem eiusdẽ *esse*, imò debet magis diligere eum sic sumptum, quàm proprium *esse*: non verò, quòd diligat illum naturali dilectione secũdùm alias considerationes pertinentes ad ordinem naturæ, prout distinctum ab ordine supernaturali. Et ita nec dilexit illum per prædictam dilectionem naturalem, & super omnia, secundùm quòd est rerum omnium suprema ratio, ac proinde vt est gubernator naturæ Angelicæ per leges naturales habentes necessariam connexionem cum fine naturæ, vt sunt præcepta Decalogi; vel per leges positiuas non habentes hanc connexionem cum eodem iure naturæ, versantes tamen circa finem naturalem, quæque ob hanc rationem ad leges naturæ reducuntur.

Refutatur eorum cauſio.

54 Non igitur hoc obest. Quoniam idem Angelicus Præceptor videtur hanc solutionem redarguere, & veluti explicare propriam mentem in quæst. 16. de Malo art. 3. vbi inquit, Angelum esse impeccabilem contra finem naturæ cum præcisione sumptum: ac proinde dilectio super omnia, quam illi tribuit, vt naturalem, & eidem debitam circa Deum, vt est finis naturalis, erit dilectio naturalis eiusdem super omnia, vt est author naturæ, quatenus per hoc intelligitur ipsemet Deus, non solùm vt est principium totius *esse* naturalis Angelici, sed etiam vt est suprema ratio, & gubernator naturæ Angelicæ per prædictas leges naturales. Verba autem

D. Thom.

S. Doctoris sic se habent: *Et quidquid aliud dici potest, quod ad ordinem naturæ pertineat, in hoc eius malum* (nempe diaboli) *consistere non potuit. Vnde relinquitur, quòd peccatum Diaboli non fuerit in aliquo, quod pertinet ad ordinem naturalem, sed secundùm aliquid supernaturale.* Quod etiam docuit idem S. Doctor in eadem quæst. artic. 5. in solutione ad 10. his verbis: *Dicẽdum, quòd liberum arbitrium Diaboli non est naturaliter vertibile quantum ad naturalia sua, sed solùm habet vertibilitatem respectu supernaturalium, ad quæ potest conuerti, vel ab eis auerti.*

Occurrunt iterum.

Nec etiam obest, si tam testimonio D. Thomæ ex artic. 1. huius quæstionis desumpto, quàm alijs duobus nuper adductis occurratur ex aduersarijs, S. Doctorem solùm velle, quòd Angelus non possit peccare præcisè circa finem naturalem per impotentiam moralem, non verò per impotentiam Metaphysicam, siue physicam: quia reuerà potest sic peccare contra prędictum finem: licèt, quia non habet aliquod impedimentum, vel occasionem peccandi, vix intelligi queat, quòd primum peccatum fuerit contra rectitudinem naturæ, & ideò dicitur moraliter impossibile, quòd contra illum peccet. Vnde illa dilectio Dei authoris naturæ Angelo debita, potest tribuere illi moraliter, quòd sit impecabilis contra finem naturalem: quia hoc ipso, quòd habeat Angelus tantam perfectionem, vt sit sibi debita prędicta dilectio, & incessanter in ea persistat, habet etiam tantam actualitatem, vt careat impedimentis, & occasionibus peccandi, atque adeò cum maxima difficultate, & (vt sic dicamus) vix possit à fine naturali præcisè sumpto auerti.

Impugnatur ſolutio.

Non igitur hoc obest. Quoniam Angelicus Præceptor vult constituere discrimen inter Angelũ in ordine ad finem naturalem, & inter ipsummet in ordine ad supernaturalem quoad potentiam, & impotentiã ad peccandũ. Si autem solùm loqueretur de impotentia morali, tunc nullum extaret discrimen in Angelo collato cum his duobus finibus: siquidẽ etiam in ordine supernaturali non habet impedimenta, & occasiones peccandi: ex eo quòd non constat ex appetitu sensitiuo reluctante contra bonum, sicut homo, sed, quatenus ad prædictum illum finem est eleuatus, reperiuntur in ipso omnia principia supernaturalia non minus expedita, ac habet illa in ordine naturali.

Adde, quòd ratio, quam Angelicus Præceptor ibidem tradit, vt probet, Angelũ esse ex natura sua impeccabilem circa finẽ naturalẽ præcisè, quamque statim adijciemus, suadet vtique, Angelũ non solùm per impotentiam moralem, sed etiam physicam, vel Metaphysicã esse impeccabilẽ in ordine ad prædictum finem, vt ex statim dicendis patebit. Vnde S. Doctorẽ sequuntur Capreolus, Ferrara, Caietanus, Durandus locis dubio præcedenti adductis, Bañez, Nazarius ibidẽ, & cũ limitatione in eodẽ dubio dicta. Et hoc ipsum probabile reputat Petr⁹ de Ledesma ibi relat⁹: & tandẽ plures alij ex discipulis D. Th. hoc tuẽtur.

Capreolus
Ferrara.
Caietanus
Durand.
Bañez.
Nazarius
Petrus de Ledesma.

55 Ratio autem fundamentalis, & prior huius assertionis traditur ab eodem Angelico Doctore ar. 3. nuper citato ex q. 16. de Malo, vbi postquam protulit verba nuper relata, nẽpe: *Et quicquid aliud dici potest, quod ad ordinẽ naturæ*

Ratio fundamentalis. *Ang. Doctor.*

naturæ pertineat, in hoc eius (nempe Diaboli) *malum conſiſtere non potuit*: ſtatim reddit huius rationem ſequentibus verbis: *Malum enim nō inuenitur in his, quæ ſunt ſemper actu, ſed ſolum in his, in quibus potentia poteſt ſeparari ab actu, vt dicitur in 9. Metaphyſica. Angeli autem omnes ſic conditi ſunt, vt quicquid pertinet ad naturalem perfectionem eorum ſtatim à principio ſuæ creationis habuerint: tamen erant in potentia ad ſupernaturalia bona, quæ per Dei gratiam conſequi poterant. Vnde relinquitur, quòd peccatum Diaboli non fuerit in aliquo, quod pertinet ad ordinem naturalē, ſed ſecundùm aliquid ſupernaturale.*

Confirmatur, & explicatur. Confirmatur, & explicatur ratio præcedens. Quia malum naturæ, ſeu oppoſitum bono naturæ præciſè ſumpto, nequit eſſe in illis, quę habent naturam ex ſe integram, & perfectam, & ſanā: nā iſta à principio ſuæ productionis debent habere tantam actualitatem, vt non ſint in potentia ad aliqua, à quibus reddantur integra, perfecta, & ſana, ſed debet eſſe ipſis congenita ſua perfectio, integritas, & ſanitas: ac proinde nequeunt habere malū, ſiue peccatū oppoſitū bono naturę cum præciſione ſumpto, quo iſta perfectio, integritas, & ſanitas tollitur: ſed Angeli habent per ſe, & ab intrinſeco naturam integram, perfectam, & ſanam: ergo nequeunt habere malum oppoſitum bono naturæ cum præciſione ſumpto: atque adeò nec peccatum, quod opponatur bono naturæ præciſè accepto, ſiue vltimo fini naturali eodem modo ſumpto.

Confirm. 2. Confirmatur ſecundò. Quoniam ideò homo eſt peccabilis per ſe primò, directè, & immediatè contra finem naturalem, quia in parte intellectiua conſideratur, tam quoad intellectum, quàm quoad voluntatem, per modum purè potentię, quatenus non habet naturaliter congenitas formas intelligibiles, quibus intellectus actuetur, nec bonum apprehenſum, quo voluntas determinetur, & quia (id, quod ex præcedenti ſequitur) non habet naturam integram, & ſanam, ſed infirmam: ſed Angelus habet oppoſitum huius: ergo erit naturaliter impeccabilis circa finem naturalem præciſè ſumptum.

§. II. *Aduerſariorum ſolutio, & tria animaduerſione digna ad eius impugnationem.*

Reſpondent aduerſarij ad rationē D. Thom. 56 Occurrunt aduerſarij huic rationi D. Thomæ, & vtrique confirmationi. Rationi quidem quod ſicut Angelus, non obſtante ſua actualitate, non producitur cum actuali cognitione omnium, quę connaturaliter poteſt cognoſcere, ſed poteſt pro ſua libertate cognoſcere, quod voluerit, & non conſiderare illa, quorum non conſideratio ſibi libuerit: ita non producitur ſub actuali amore & dilectione recta, & inſeparabili eorum, quæ debet velle, ſed poteſt pro libito ſuo defectuoſè, ſeu peccaminoſè velle, quod ſibi placuerit: ac proinde non producitur ſub actualitate oppoſita potentialitati, ſecundùm quam attenditur peccabilitas, nempe, ſub actualitate ex natura ſua inſeparabili prædicti amoris: quod tamen requirebatur ad hoc, vt ratio D. Thomæ innitens in actualitate Angelica eſſet efficax.

Similiter ad confirmationes. Confirmationi verò vtrique occurrunt dicentes, exeis, ſicut etiam ex ratione principali, ſolùm probari, Angelum habere virtutes, ſeu facultates ita perfectas, & integras, cum eaque ſanitate, vt poſsit expeditè, & facillimè non peccare, ſi velit, contrà prædictum finem, ac proinde habere impotentiam moralem ad delinquendum contra ipſum: neq, ampliùs petere integritatē, & ſanitatē naturæ Angelicæ. Sicut ècontrà ex infirmitate naturæ humanæ non colligitur, hominem non poſſe per potentiam phyſicam, aut metaphyſicam vitare peccata contra præcepta naturalia, ſed ſolùm quòd non poſsit ea fugere faciliter, ſecùs tamen cum magna difficultate: atque adeò habere moralem impotentiam ad illa vitanda.

Animaduerſio prima pro impugnatione ſolutionis. 57 Cæterùm hæc ſolutio non infringit vim rationis D. Thomæ, & confirmationum illius. Quod vt melius capiatur, præſupponendum eſt primò, quòd dum D. Thomas inquit, quòd quicquid pertinet ad naturalem perfectionem Angelorum, id ſtatim à principio ſuæ creationis habuerunt, loquitur de illis, quæ pertinēt ad conſtitutionem Angeli in actu primo, ſeu in ratione principij habentis efficacitatem requiſitam ad hoc, vt abſque aliquo alio poſsit facilè, & expedite prorumpere in omnes ſuas operationes naturales, & non vtcumque, ſed mouendo ſe in eas, in quas aptus natus eſt ſe ipſum mouere, prout hoc, quod eſt ſe ipſum mouere, excludit indigentiam peculiaris applicationis Dei, qua illum ſpeciali ratione moueat, & applicet ad eas: atque ad eò loquitur de omni perfectione actuali per modum habitus ad id deſiderata. Et ita idem S. Doctor loquens de hac perfectione, quam debet habere intellectus Angelicus, inquit, eam debere eſſe actualem per modum habitus: & hoc modo ſemper, & inceſſanter habere actualem cognitionem omnium, ad quæ eius intellectus poteſt ſe extendere. Verba autem S. Doctoris ex artic. 6. ad 4. quæſtionis 16. de Malo nuper citata ſic ſe habent: *Dicendum, quòd habere notitiam in actu, dicitur dupliciter. Vno modo, quantum ad actualem conſiderationem* (intelligę ſaltem perfectam) *& ſic non intelligitur, quòd Angelus habeat actualem notitiam omnium, ad quæ ſua naturalis cognitio ſe extendit. Alio modo, quantum ad habitualem notitiam: quia, vt dicitur 2. de Anima, & in 8. Phyſicorum, aliter dicitur aliquis eſſe potentia ſciens antè* *D. Thom.*

ad discere, quando scilicet nondum habet habitum scientiæ, & aliter ante considerare. Et hoc modo Angelus habet actualem notitiã respectu omnium, quæ naturaliter cognoscere potest.

Ex quo etiam fit, quòd ad hoc, vt Angelus sit completè in actu primo, seu in actu habituali respectu cognitionis quarumcumque aliarum rerum naturalium, debet esse in actu secundo, saltem respectu cognitionis sui: quia alioqui non haberet ab intrinseco, vnde sufficienter se moueret, & applicaret ad cognitionem quarumdam rerum, potiùs quàm aliarum: secùs autem si sit in actuali consideratione comprehensiua sui: nam ex hac potest excitari ad vtẽdum speciebus repræsentantibus alias res, & his potiùs speciebus, quàm alijs. De his tamen videantur ea, quæ suprà disputatione 5. num. 12. diximus.

58 Secundò notandum est, quòd ad hoc, vt voluntas Angeli sit etiam completa in actu primo, itavt possit se mouere, & applicare ad volendum, quod sibi placuerit, absque eo quòd indigeat speciali applicatione Dei, seu applicatione distincta ab applicatione generali, qua applicat omnes causas secundas, oportet, vt sit in actu secundo respectu intentionis finis: quia voluntas non nisi ex amore finis tendit, & mouet se ad alia, nempe ad media: nec intelligitur esse completa, & constituta in actu primo respectu mediorum, vsque dum intelligatur sub intentione finis, quæ vna cum voluntate est causa efficiens electionis mediorum, vt docet D. Thomas, & eius discipuli quæstione statim referenda artic. 3. ex eo quòd primum principiũ volendi media est finis volitus: & propterea communiter dicitur ex mente Philosophi, & omnium Philosophorum, ac Theologorum, quòd sic se habet finis in agibilibus, sicut prima principia in speculabilibus. Et ideò ad hoc, vt volũtas Angeli in primo instanti suæ productionis habeat omnem perfectionem naturalem, quę sibi debetur ad hoc, vt sit cõpleta in actu primo respectu omniũ mediorum à se volibilium, oportet, vt à Deo peculiariter moueatur, siue applicetur ad volitionem finis per applicationem specialem, & correspondentem ei, vt est author particularis prædictæ voluntatis, ad quem spectat constituere illam completè in actu primo, & tribuere eidem omnia principia necessaria ad hoc, vt ipsa se moueat, & se mouendo velit media.

Quæ omnia optimè explicuit D. Thomas 1. 2. quæst. 9. artic. 4. his verbis: *Dicendum, quòd secundùm quòd voluntas mouetur ab obiecto, manifestum est, quòd moueri potest ab aliquo exteriori: sed eo modo, quo mouetur quãtum ad exercitium actus, adhuc necesse est ponere, voluntatem ab aliquo principio exteriori moueri: omne enim, quod quandoque est agens in actu, & quandoque in potentia, indiget moueri ab aliquo mouente. Manifestum est autem, quòd voluntas incipit velle aliquid cũ hoc priùs nonvellet. Necesse est ergo, quòd ab aliquo moueatur ad volendũ. Et siquidem, sicut dictum est, ipsa mouet se ipsam, in quantum per hoc, quòd vult finem, reducit se ipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem: hoc autem non potest facere, nisi consilio mediante. Cùm enim aliquis vult sanari, incipit cogitare, quomodo hoc consequi possit: & per talem cogitationem pervenit ad hoc, quòd potest sanari per medicum, & hoc vult. Sed quia non semper sanitatem actu voluit, necesse est, quod inciperet velle sanari ab aliquo mouente. Et siquidem ipsa moueret se ipsam ad volendum, oportuisset, quod mediante consilio hoc ageret ex aliqua voluntate præsuppositа: hoc autem non est procedere in infinitum. Vnde necesse est ponere, quod in primum motum voluntatis volũtas prodeat ex instinctu alicuius exterioris mouentis, vt Aristoteles concludit.*

Cuius optimam rationem ex his verbis D. Thomæ desumptam adducit Caietanus ibidem, potestque explicari, tum exẽplo primorum, & vniuersalissimorum principiorũ, ad quorum assensum nõ se mouet intellectus sed mouetur ab authore naturæ, vt ab agẽte particulari eiusdem naturæ, & propterea nequit esse falsus: ergo eadem ratione voluntas in prima volitione finis, nempe, in prima illius intentione, mouetur eodẽ modo ab authore naturæ, quia (vt dictum est) sic se habet primũ principium respectu intellectus, sicut vltimus finis respectu voluntatis. Tum etiam, quia (vt desumitur ex verbis D. Thomæ nuper relatis) mouere se, est agere ex præcedenti actu applicante ad motum: quia vt aliquid se moueat, necessarium est assignare in eo partem, aut quasi partem per se motã, distinctam à parte, aut quasi parte mouente: sed respectu primæ volitionis, qua mouetur voluntas, nõ potest assignari alius præcedẽs actus applicans ad istum motum, qui & habeat rationem quasi partis mouentis, quiasic procederetur in infinitum, nec aliquid aliud, quod se habeat per modum prædictæ quasi partis mouentis, distinctæ à parte quasi mota vt ex se constat: ergo respectu illius primi actus non se mouet voluntas, sed debet moueri peculiari ratione ab authore naturæ, quatenus ipse speciali applicatione applicat voluntatem ad hoc, vt ipsa eliciat prædictum actum. Sed de his iterùm art. 5. huius quæstionis sermo redibit.

Caietanus

59 Tertio supponendum est, quòd ad hoc vt voluntas Angeli sit modo sibi connaturali, & debito in actu primo completè respectu volitionis mediorum ordinis naturalis, non, sufficit

Animaduersio tertia

ſufficit, quòd ſpecialiter applicetur à Deo ad volendum bonum in communi per modum vltimi finis, ſed requiritur, quòd applicetur ab ipſo per applicationē ſpecialē ad volendū vltimum finem in particulari, nēpe Deū, vt eſt finis naturalis: quod quidē conſtat ex diſcrimine, quod intercedit inter hominē, & Angelum. Nam cognitio hominis ratione potētialitatis eiuſdem hominis, & modi cognoſcendi illius, incipit ab vniuerſalioribus, nēpe à ratione entis, & à ratione boni in communi: & ita eius voluntas, accommodatè ad ſuā naturā, reducitur ad actum ſecundū intentionis finis, ex qua moueatur ad volitionē aliorum, ſi ſpecialiter applicetur à Deo ad intentionē boni, ſeu beatitudinis in cōmuni: quia inde iuxta propriam naturā deſcendit ad volitionē aliorū bonorū particulariū, mouēdo ſe ad illa ex prædicta intentione. At cognitio Angeli, ratione maximæ actualitatis, & perfectionis eiuſdē Angeli, & modi cognoſcendi illius, exigit, quòd per ſe primo tēdat in cognitionē vltimi finis in particulari: & ideò nō moueretur per hāc ſpecialem motionē Dei ad intentionē finis ordinis naturalis accōmodatè ad ſuam naturā, niſi moueretur ex inſtinctu ipſius ad intentionē vltimi finis in particulari, & non ſolùm ad intentionē vltimi finis in communi ſumpti, qualis eſt bonū, ſeu beatitudo in cōmuni: ac proinde debet moueri ex eodem Dei inſtinctu ad intentionem Dei, vt eſt finis vltimus ordinis naturalis: tū, quia iſte eſt vltimus finis in particulari, qui primò proponitur intellectui Angelico: tum etiam, quia quæuis alia intentio alterius vltimi finis in particulari eſſet mala, & hæc reduceretur in Deum, vti in agens particulare ſpecialiter applicans ad illam.

Ex quo etiam fit, prædictā intētionē Dei, vt eſt vltimus finis intra ordinē naturalē, cū præciſione ſumptam, debere eſſe dilectionē eiuſdem Dei talis cōditionis, vt ſit ſuper omnia, modo explicato in præcedenti dubio n. 42. Tum, quia intētio vltimi finis, vt talis, & dilectio illius debet modo ibidem dicto, ſeu modo poſsibili reſpectu intendētis eſſe ſuper omnia. Tum etiā, quia alioqui voluntas Angeli nō eſſet ſufficiēter cōſtituta in actu primo ad volēda omnia media ex vi prędictę intētionis: quia niſi illa dilectio eiuſdē finis ſuper omnia, non ſubordinaret ſibi omnia illa media ex vi prædictæ intentionis: & ideò nequiret eſſe ſufficiens ratio volendi ex amore eiuſdem finis cuncta illa media.

§ III. *Deducitur ex prædictis animaduerſionibus efficax impugnatio ſolutionis aduerſariorum.*

Euertitur ex dictis euaſio cōtrariorū.

60 HInc ergo ſequens impugnatio ſolutionis aduerſariorum, & elucidatio rationis D. Thomæ deducitur. Quoniam peccatum non ſolum difficulter, ſed etiam nec per potentiam phyſicam, vel metaphyſicam poteſt eſſe in his, quæ ſunt ſemper in actu, ſed ſolùm in illis, quæ ſunt in potentia: ſed Angeli ex natura ſua ſemper ſunt in actu oppoſito potentialitati, ſecundum quā poteſt eſſe in eis malum, ſiue peccatum per ſe primò, directè, & immediatè oppoſitum fini naturali præciſè ſumpto: ergo non ſolùm difficulter, ſiue per impotentiam moralem, ſed etiam per impotentiam phyſicam, vel metaphyſicam ſunt Angeli ex natura ſua impeccabiles modo dicto circa finem naturalem præciſè acceptum. Maior videtur perſpicua. Quoniam peccatum affert carentiam rectitudinis debitæ ineſſe, quæ tamen actu nō inſit: & ideò nō inuenitur in his, quæ ſunt ſemper in actu, ſed in his, quæ ſunt in potentia, & quatenus in potentia ſunt.

Maior autem probatur. Quoniam Angeli ex natura ſua habent quòd producantur à Deo cum omnibus requiſitis ex parte actus primi adæquati & completi in ordine adſuas operationes naturales, ad quas modo dicto ſe mouēt, ita vt ſemper, & inſeparabiliter ſint ſub prædicto actu primo, vt ex primo notabili cōſtat. Sed adhoc, quòd Angeli ſint ſic cōpletè cōſtituti ex parte actus primi in ordine ad mouēdū ſe circa prædictas operationes naturales, debēt produci à Deo ſub actū dilectionis ipſius ſuper omnia, vt eſt finis præciſè naturalis: ita vt ſemper, & inceſſāter ſint ſub prædicto actu, vt ex ſecundo, & tertio notabili liquet: ergo ſemper, & neceſſariò ſūt ſub actu oppoſito potētialitati, ſecūdùm quā poteſt eſſe in eis prædictum peccatum, nempe, ſub actu dilectionis Dei ſuper omnia, tollēte potētialitatem, ſecūdum quam prædictum peccatum poteſt reperiri in eiſdem Angelis.

Cōfirmatur

61 Confirmatur primò ex diſcrimine, quod intercedit inter hominem, & Angelum. Nametſi homo debeat reſpectu primæ volitionis, ſiue intētionis moueri à Deo, & ipſe non ſe (in ſenſu tamē n. 57. inſinuato) moueat: nihilominus quia ratione ſuæ potētialitatis non petit tantam actualitatem, vt ſemper, & inceſſanter ſit ſub actu primo cōpleto & adæquato in ordine ad mouendum ſe, idcircò adhuc illa motio, qua ſpecialiter applicatur à Deo ad primam intentionem reſpectu boni in communi, non conuenit illi ſemper, & inceſſanter: imò (vt multi probabiliter volunt, de quo infrà articul. 5. huius quæſtionis) poteſt prædicta motio eſſe applicatio ad actum intentionis liberum quoad exercitium, quanuis ſit neceſſarius quoad ſpecificationem. Ergo propter oppoſitam rationem, & maiorem actualitatem Angeli, de

bebit motio & applicatio illa, qua peculiariter applicatur à Deo ad primã intentionẽ finis vltimi ſibi proportionati, nempe finis in particulari, ſeu ad diligendum Deum ſuper omnia, ſemper, & inceſſanter eſſe.

Quam confirmationem iunuit Angelicus Præceptor quæſt. 8. de Verit. art. 6. dum enumerat tres gradus entium intellectualiũ. Alium quidem, & infimum eorum, quæ poſſunt eſſe in pura potentia, ex eo quòd non ſunt congeniti cum actibus, & formis, quibus conſtituuntur in actu primo, quales ſunt homines. Alium verò, & medium illorum, qui partim ſunt in actu, & partim in potentia: quatenus ſunt in actu reſpectu omnium, quæ requiruntur ex parte actus primi omninò completi, ita vt connaturaliter loquendo nequeãt ſeparari à prædicto actu, benè tamen ab actibus ſecundis, vt purè actus ſecundi ſunt, ideſt qui ita ſunt actus ſecundi, vt non requirantur ex parte actus primi ad hoc, vt ſe moueant in ordine ad omnes illas operationes connaturales, vt in Angelis contingit. Alium tandem, & extremum, nempe ſupremi entis, qui ratione ſuæ eminentiæ non ſolùm debet eſſe in actu ſecundo, ſed etiam eſſe ipſemet actus ſecundus.

Impugn. ſolutio contrariorũ ad cõfirmationẽ rationis traditæ.

Ex quo etiam manet impugnata eadem ſolutio aduerſariorum, quatenus per eam occurrebatur primæ confirmationi rationis D. Thomæ, aſſerendo nimirum, quòd ad integritatem naturæ Angelicæ ſatis eſt, quòd non poſſit per potentiam moralem delinquere contra finem naturalem per ſe primò, & directè, licèt per potentiam phyſicam, aut metaphyſicam queat ſic contra illum peccare. Ex dictis igitur manet prædicta ſolutio impugnata. Quoniam hoc ipſo, quod integritas, & ſanitas naturæ Angelicæ ſit tanta, vt exigat omnimodam integritatem, & complementum in omnibus pertinentibus ad actum primum, & interea exigat eſſe ſemper in actuali dilectione ſuper omnia Dei, vt finis naturalis, debet Angelus ex vi huius integritatis, & ſanitatis non ſolùm habere impotentiam moralem ad peccandum contra prædictum finem perſe primò, & directè, ſed etiam impotentiam phyſicam, aut metaphyſicam.

Cõfirmatur

62 Confirmatur. Quoniam ſi homo per dona otdinis naturalis conſtitueretur in ſtatu naturæ integræ, & ſanæ, tunc in ſenſu compoſito huius ſtatus non poſſet per ſe primò, & directè peccare contra finem naturalem: alioqui poſſet componere prædictũ ſtatũ integritatis, & ſanitatis cum tali peccato, ac proinde eſſet ſimul ſanus, & infirmus. Ergo eo ipſo, quòd Angelus ex vi ſuæ naturæ habeat hunc ſtatum integritatis, & ſanitatis in ordine ad non violanda per ſe primò, & immediatè præcepta ordinantia in finem naturalem, nequibit cum prædicta natura componi, quòd per ſe primò, & directè talia præcepta violet.

Cõfutatur ſolutio ſecũdæ cõfirmationis.

Et tandem hinc etiam colligitur, quomodo per prædictam ſolutionem aduerſariorũ non occurratur ſufficienter ſecundæ confirmationi eiuſdem rationis D. Thomæ. Nam prædicta ſolutio quoad ſecundam confirmationem conſiſtebat in hoc, quòd ſicut homo quia infirmus, non amittit potentiam phyſicã ad ſeruanda prædicta præcepta, ſed ſolũ potentiã moralem: ita etiã Angelus, quia ſanus, non habet impotentiã phyſicã. aut metaphyſicam, ſed ſolùm moralem ad delinquẽdum cõtra ea. Ex dictis igitur hæc ſolutio corruit. Nã adhuc dato (de quo alibi) quòd infirmitas humanæ naturæ, aut nõ ſanitas eiuſdem non ſit tanta, vt tollat potentiã phyſicã, aut metaphyſicam ſeruandi præcepta naturalia, quæ per ſe primò, & abſque coniunctione ad præcepta ſupernaturalia dictantur à ratione naturali: nihilominùs integritas, & ſanitas Angeli, conueniens ei ex natura ſua, debet eſſe tanta, vt auferat potentiam phyſicã, aut metaphyſicam ad ea violanda. Quoniã infirmitas hominis, aut non ſanitas eiuſdem non eſt tanta, vt non relinquat ipſam naturã voluntatis humanæ: hæc autem eſt ſatis ad potentiam phyſicam diſtinctam à potentia morali in ordine ad ſeruandum prædicta præcepta. Cæterùm integritas & ſanitas Angelicæ naturæ debet eſſe tanta, vt ſemper & inceſſanter ſit ab intrinſeco in actu dilectionis Dei ſuper omnia, vt eſt finis naturalis: & ideò debet ab intrinſeco eſſe impeccabilis per impotentiam adhuc phyſicam, vel metaphyſicam contra prædictum finem.

§. IIII. *Poſterior ratio aſſertionis ex D. Thoma deſumpta.*

Secunda ratio fundamentalis.

63 SEcunda aſſertionis ratio, per quam præcedens elucidatur, deſumitur ex varijs teſtimonijs D. Thomæ, nempe in hac 1. p. q. 56, & 58. art. 5. necnon in hac q. art. 1. & quæſt. 16. de Malo articul. 6. quæ poteſt ſub hac forma proponi. Quoniam intellectus Angelicus eſt tantæ perfectionis, & actualitatis, vt nequeat errare per ſe primò, & directè circa aliquod ex agibilibus in ordine ad finem naturalem, aut circa aliquas eorum circunſtantias, quin potiùs ex propria natura habet conſiderare ſemper actu, & ſine errore prædictum finem, & eſſe determinatus ad conſideranda omnia agibilia, & omnes circunſtantias in ordine ad prædictum finem, quoties eorum occaſio occurrerit: ergo Angelus ex propria natura erit per ſe primò, & directè impeccabilis circa huiuſmodi finem. Conſequentia patet. Quia nequit dari peccatum

peccatũ aliquod in volũtate, niſi cũ defectu aliquo in intellectu, aut erroris, aut ignorãtiæ, aut incõſiderationis circa agibilia.

Antecedens autẽ quoad primã partẽ, nẽpe quoad defectum erroris, conſtat, tum ex illis, quæ D. Thomas ar. 5. quæſtionis 58. nuper citato docet, tum etiam ex ijs, quæ idẽ S. Doctor articulo etiam nuper relato ex quæſt. 16. de Malo aſſerit: & ſequitur etiam ex illis, quæ de iutegritate, & ſanitate naturæ Angelicæ dicebamus. Quoniã ad hanc integritatẽ & ſanitatẽ ſpectat, vt nullũ ſit malũ in Angelo contrariũ ſuæ naturæ, ſiue bono proprio illius. Conſtat autẽ, falſitatem eſſe malum contrarium bono intellectus Angeli, & naturæ illius, & deſtruere rectam diſpoſitionem, rectumque modum ſe habendi intellectus, & Angelicæ naturę.

D. Thom.

Quoad ſecundam verò partem idem antecedens probatur. Quoniã Angelus circa finem naturæ non potuit habere aliquã inconſiderationẽ: ex eo quòd per vnicum ſimpliciſsimũ mediũ, quod ſemper & inceſſanter attingit, nempe per eſſentiam ſuam, tãquã per obiectum ſibi connaturaliſsimum, ſemper & inceſſãter cognoſcit finẽ naturæ, & ita, vel totũ illũ ignorauit, quod (vt conſtat) eſt falſum: vel totum prædictum finem aduertit: ac ſubinde ex hac actuali conſideratione manebit determinatus ad conſiderandùm actu omnia agibilia circa finem, quoties occaſio eorum occurrerit.

Effugiũ aduerſariorũ.

64 Reſpondent aliqui ex aduerſarijs, in primis nõ eſſe neceſſariũ, quod Angelus ſẽper ſit in actuali conſideratione ſui, ſed potuerit pro ſua libertate ab illa deſiſtere. Deinde, eſto ſemper eſſet ſub actuali ſui conſideratione, nõ tamẽ ideò deberet aduertere, & actu cõſiderare authorẽ ſiue finẽ naturę, nẽpe Deum, vt eſt naturalis eius finis, aut author. Tandẽ, quãnis daretur, debere ſẽper actu conſiderare de Deo, vt eſt author naturæ Angelicæ, nõ tamẽ idcircò ſẽper eſſet in actuali conſideratione illius, vt eſt ſuprema ratio eiuſdẽ naturæ, & gubernator illius per leges, & præcepta dirigẽtia ipſũ finẽ naturalẽ. Et hæc incõſideratio eſſet ſatis ad hoc, vt cõtra prędicta prędcepta ex defectu debitę cõſiderationis circa illa poſſet delinquere.

præcluditur primũ effugium

Cæterùm hæc ſolutio nõ ſatisfacit. Nõ quidem, quoad primũ, quod in ea continetur, nempe, Angelum non debere eſſe ſemper ac neceſſario in actuali conſideratione ſui. Tum, quia oppoſitum huius conſtat ex dictis in præcedenti ratione n. 55.

Tum etiã. Quia cùm eſſentia Angeli ſit obiectũ valdè proportionatũ, & omniũ cõnaturaliſsimũ reſpectu intellectus Angelici, & prædictus intellectus ſit perfectus, habeatque ſatis actualitatis, oportet, vt determinet illũ per omnimodã determinationẽ ad ſui cognitionẽ: quãdoquidẽ propriũ eſt obiecti aliquo modo cõnaturalis, determinare etiã aliquo modo ad ſui cognitionẽ, ac proinde obiectũ omniũ connaturaliſsimum, ſeu ſummè cõnaturale habebit ſummè, & per omnimodã determinationẽ determinare, ad cognitionẽ ſui, maximè quando intellectus eſt ſatis perfectus, & actualis.

Cõfirmatur

Cõfirmatur. Nam ex eo quòd eſſẽtia diuina eſt obiectũ cõnaturale (modo tamẽ in 1. tom. trac. 2. diſp. 2. n. 190. explicato) reſpectu intellectus creati, vt perfuſi lumine gloriæ, idcircò intellectus iſte ſic ſũptus determinatur à prędicta eſſentia, tãquã ab obiecto cõnaturali, ad inceſſantẽ cognitionẽ eiuſdẽ eſſentiæ: imò intellectus, vt perfuſus eodem lumine eſt etiã determinatus determinatione ſe tenente ex parte ſui, & à ſe in ſuo genere orta ad actualem iſtã conſiderationem. Ergo eadem ratione intellectus Angelicus determinabitur per omnimodã determinationẽ à ſua eſſẽtia, vt ab obiecto cõnaturaliſsimo, ad actualẽ cõſiderationẽ ſui imò ipſe in ſuo genere erit ex parte ſua omnimodè determinatus ad hanc continuam & inceſſantem ſui conſiderationem. Patet cõſequentia. Quoniam maior eſt connaturalitas inter eſſentiam Angeli, & eius intellectũ quàm inter eſſentiam diuinã, & intellectũ creatum, & perfuſum lumine gloriæ: ſiquidẽ intellectus ſic perfuſus tantũ habet participationẽ quãdã diuini intellectus, cum quo eſſentia diuina habet omnimodã cõnaturalitatẽ: at verò intellectus Angeli non ſolũ participatiuè, ſed (vt ſic dicamus) eſt per eſſentiã intellectus proprius naturæ Angelicæ, & eidem omnimodè cõmenſuratus

præcluditur ſecundum

65 Ex quo etiam fit, non ſatisfacere, id quod ſecundo loco in eadem ſolutione dicitur, nẽpe, quòd eſto, eſſet Angelus ſemper, & inceſſanter in actuali cõſideratione ſui, nihilominùs non deberet actu attẽdere ad ſuum authorem, & naturalẽ finem, nempe Deum. Ex dictis igitur cõſtat, hoc eſſe falſum. Nam ſicut eſſentia Angeli, in ratione obiecti quidditatiuè cognoſcibilis, eſt obiectum omnium cõnaturaliſsimum reſpectu ſui intellectus: ita in ratione obiecti comprehenſiuè attingibilis ab eodem intellectu, habet eandem connaturalitatem cum illo: ex eo quòd adhuc ſic ſumptum habet cum eadem eſſentia ſummam cõmenſurationem, & adęquationem. Ergo ſicut ratione huius ſummæ cõnaturalitatis in ratione obiecti quidditatiuè cognoſcibilis, nequit intellectus Angelicus deſiſtere ab actuali, & quidditatiua cognitione eſſẽtiæ eiuſdẽ Angeli, ita ob eandem connaturalitatem cum eo in ratione obiecti comprehenſiuè attingibilis debebit ſemper actu comprehendere illã, Ergo etiã debebit actu cogitare de Deo, vt

authore, & fine talis naturæ, & vteſt ſuprema ratio, ſupremuſque gubernator illius per prædictas leges. Hæc vltima conſequentia patet. Quia Deus, vt attingibilis ſecundùm has rationes, eſt veluti concluſio quædam neceſſariò contenta in eſſentia Angeli, tanquam in principio illius, & ex illo quaſi deducibilis. Conſtat autem, quod qui per ſimplicem intuitum (qualiter Angelus cognoſcit) comprehenſiuè attingit aliquod principium, debet etiam ex vi eiuſdem cognitionis attingere concluſiones in eo neceſſariò contentas, & inde deducibiles.

Cõfirmatur

Confirmatur ex his, quæ nuper dicebamus de eſſenta diuina, & lumine gloriæ, quod propter connaturalitatem iam dictã non ſolum eſt omnimodè determinatum ad quidditatiuam eiuſdem eſſentiæ cognitionem, ſed etiam adhoc, vt ſemper & inceſſanter attingat ipſam tanta intenſione, & claritate, quanta ex natura ſua poteſt circa illam verſari. Ergo pari ratione intellectus Angelicus, potens quidditatiuè, & comprehenſiuè verſari circa eſſentiam eiuſdem Angeli, habebit ratione ſuæ connaturalitatis, quæ inter vtrumque eſt, determinari ad cognoſcendum illam tanta cognitione, quanta ex natura ſua poteſt circa ipſam verſari, nempe cognitione comprehenſiua.

Euaſio aliorum.

66 Secundò reſpondent alij ex aduerſarijs, quòd eſto daretur, Angelum eſſe ſemper in actuali conſideratione ſui, & Dei, vt authoris, & finis naturæ, & vt ſupremi gubernatoris naturæ Angelicæ per prædictas leges: nihilominus non inde haberetur, Angelum eſſe impeccabilem, adhuc per ſe primò: & directè cõtra eaſdẽ leges, & finem naturæ: quoniã adhoc deſiderabatur, vt illa attẽtio, & conſideratio actualis nõ eſſet ſolũ ſpeculatiua, ſed practica, affectiua, & imperatiua actus voluntatis, quo Angelus dirigeret ſe ipſum in Deũ, vt in vltimũ finẽ, amaretque eum amore ordinis naturalis ſuper omnia: cùm tamen non ſit neceſſariũ, prædictã cognitionem, qua Angelus ſemper ſe cognoſcit, habere totã hãc perfectionẽ, & vim practicã, ac imperatiuã prædictæ dilectionis.

Enertatur primò.

Cæterũ hæc ſolutio eſt etiã inſufficiens. Primò quidẽ propter illa, quæ in priori ratione n. 57. dicebamus, nempe, Angelum eſſe ab intrinſeco determinatum ad ordinandũ ſe, & omnia ſua in Deum, vt in vltimum finem naturalem, & ad diligendum ipſum ſic ſumptũ ſuper omnia. Nam hinc manifeſtè fit, cognitionem, qua Angelus ſe ipſum, & Deum, vt vltimum finem per talẽ cognitionem attingit, non ſolùm eſſe ſpeculatiuam, ſed etiam practicam, affectiuã, & imperatiuam prædictæ dilectionis.

Secundo.

Deinde, Nam cùm hæc cognitio, qua Angelus ſe cognoſcit, ſẽper & inceſſanter ſit comprehenſiua illius, erit vtique tãta in ratione cognitionis, quãtus ipſe in ratione obiecti cognoſcibilis, atque adeò quantus ipſe in ratione cognoſcibilis ſpeculatiuè, & practicè. Et ita ſi nequit intellectus Angelicus deſiſtere ab hac cognitione, vt comprehenſiua eſt, nequibit ab illa deſiſtere, vt eſt practica, & affectiua, & impellit ad amorẽ iuxta naturam obiecti intellecti.

Vltimó

Tandem. Nam (vt conſtat ex dictis dubio præcedenti n. 36) dari poteſt per diuinam potentiam aliqua ſubſtantia intellectualis creata, quæ ex natura ſua habeat cõgenitam hanc actualem conſiderationẽ ſui & Dei, vt finis naturæ, tam ſpeculatiuã, quã practicã, & affectiuã: ſed quòd hæc actualis conſideratio ſpeculatiua, & practica cõueniat cuiuis ex Angelis creatis reſpectu ſui & Dei, vt finis naturæ, licèt non cũ tãta immaterialitate, quanta conueniret prædictæ creaturæ, non eſt ſupra naturã cuiuſuis ex illis, ſed potiùs id ſequitur, hoc ipſo quod prædicta conſideratio (cũ maiori tamẽ immaterialitate) ſit naturaliter cõgenita cũ creatura illa intellectuali perfectiori, quam Deus per ſuã abſolutã potentiã poſſet facere: ergo &c.

67 Minor probatur. Quoniã omnes ſubſtantiæ creatę intellectuales, & cõpletæ, quę per diuinã potẽtiã poſſunt fieri, cõueniunt in eodẽ gradu immaterialitatis cũ Angelis de facto productis. Vnde, ſicut ratione huius cõueniẽtiæ, quiuis Angelus eſt tãtus in ratione cognoſcitiui ſecũdũ id, quod ratio cognoſcitiui importat de formali (quanuis nõ quoad id, quod importat de materiali) quãta eſſet creatura illa intellectualis per diuinã potẽtiã producibilis: & propterea quiuis, quãtũ eſt ex parte ſui intellectus, poteſt cõprehẽdere quãcũque ſubſtãtiam intellectualẽ cõtẽtã intra eundẽ gradũ immaterialitatis, licet nõ cũ tãta immaterialitate de materiali importata: ita cuiuis poteſt eſſe naturaliter cõgenita cognitio cõprehẽſiua ſui tã practica, quã ſpeculatiua, licèt talis cognitio nõ ſit tãtæ immaterialitatis de materiali importatæ, quãta cognitio cõprehẽſiua, ſpeculatiua, & practica cõgenita naturaliter alteri creaturæ intellectuali, & perfectiori ex illis, quæ per diuinam potentiam poſſunt fieri.

Roboratur magis

Adde (id, quòd ex præcedẽtib⁹ ſequitur) hãc actualẽ cõſiderationẽ reſpectu finis naturalis, & dilectionẽ eiuſdem ſuper omnia, quę creaturę intellectuali, & perfectiori per diuinã potẽtiã producibili cõueniret, non competere ei ob ſpecialem imaterialitatem, & perfectionem ſuam, vt diſtinctæ ab alijs creaturis intellectualibus completis & perfectis, quales ſunt omnes Angeli, ſed ob puram immaterialitatẽ, & perfectionem,

nem, quæ conueniret ei ex vi gradus immaterialitatis, & actualitatis cõmunis ipſi cum cęteris Angelis. Ergo etiam cæteri Angeli de facto producti habebunt naturaliter congenitam hanc eandem conſiderationem practicam, & dilectionem ſuper omnia, licèt non cum tanta immaterialitate, de materiali tamen importata. Conſequentia videtur perſpicua. Antecedens autem etiam liquet. Quia præcisè ratione immaterialitatis huius gradus deberentur ei, vt naturaraliter cum ipſa congenitæ omnes rationes agendi tenentes ſe ex parte principij completi & integri ad ſe mouendum in ſuas operationes naturales, in ordine ad quas ſe ipſam mouere poteſt. Cõſtat autem ex dictis pro ratione præcedenti, inter prædictas rationes agendi cum prædicta creatura congenitas connumerari dilectionem Dei ſuper omnia, vt finis naturalis, & actualem conſiderationem practicam, & affectiuam eiuſdem finis, necnon & omniũ agibllium circa illum, quoties occaſio alicuius præcepti occurrerit.

§ V. *Aduerſariorum ſententia, fundamentum eorũ, & reſponſio ad illud.*

Oppoſitaſẽ tentia

68 OPpoſitam tamen ſententiam, nempe, Angelos de facto productos eſſe ex natura ſua peccabiles per ſe primò, & directè, & immediate circa finem naturalem, tuentur Authores dubio præcedenti pro oppoſita ſententia adducti. Pro qua etiam refert Suarez loco ibidem citato Scotum, Paludanum, Maloniũ OKam Gabrielem, & alios.

Fundamẽtũ

Licet autem pro hac ſententia poſſent aliqua adduci fundamenta: quia tamen ex dictis facilè diluuntur, idcircò vnicum tantũmodò ex illis adducemus, quanuis etiam hoc quoad aliqua in eo contenta non difficulter ex iam dictis diluatur. Probatur ergo præ-

Suarez

dicta ſententia ex Suarez lib. & c. citatis n. 7. Nam Angeli poſt lapſum peccant quotidie contra præcepta naturalia, ſuadendo hominibus omnia genera peccatorum, & odio ipſos proſequendo: at ſi Angelus eſſet ex natura ſua impeccabilis contra legem naturalem non poſſet ad ſimilia incitare: ergo &c.

Solutio

69 Neque obeſt (inquit Suarez) ſi occurras, aliam eſſe rationem de Angelis poſt lapſum, ſeu de Dæmonibus, aliam de Angelis in pura natura ſpectatis, in quo ſtatu de illis loquimur: in eo enim nulla haberent incentiua, vel motiua ad peccandum contra legẽ naturalem: at verò in ſtatu damnationis habẽt huiuſmodi motiua, & incentiua alterius ordinis, quatenus priuantur ſupernaturalibus bonis, & extraordinario modo affecti ſunt, ratione cuius nunc veluti paſſione vehemẽtiſſima ducuntur, & ſecundùm mentem excæcantur, & errant iudicando ſibi eſſe cõueniẽs quod reuerà non eſt, quibus omnibus in pura natura carerent. Vnde Angeli nequibũt peccare contra rationẽ naturalẽ, niſi ſint in ſtatu præternaturali cõſtituti, in quo hebeãt incitamẽta ſuperioris ordinis, quæ illos ad omnes leges rũpẽdas impellãt, & quaſi cõpellãt.

Impugnat Suarez

Nam contra hoc obijcit idẽ Suarez Quia licèt verum ſit, Angelos in pura natura non habere occaſiones tam graues peccãdi in materia naturali, nihilominùs non inde ſequitur ſine illis occaſionibus non potuiſſe in eadẽ materia peccare, imò oppoſitum videtur fieri valde probabile. Nam inde colligimus, aliquod obiectũ turpe, & contra rationem naturalem eſſe nunc amabile à voluntate Angeli ſub aliqua alia ratione boni, vel conueniẽtis per facultatem eius naturalem, quia taleobiectum ſic propoſitum eſt comprehenſum ſub adæquato obiecto voluntatis Angelicæ: ergo etiam ſine illis extraordinarijs occaſionibus vel motiuis ſtatus damnationis eſſet Angelo ſimpliciter poſsibile velle illud obiectum, & ita peccare cõtra rationẽ naturalẽ. Probatur conſequentia. Quia prædictũ obiectũ adhuc tunc eſſet ſub obiecto adæquato voluntatis Angelicæ: ſiquidẽ ſimilis ratio conueniẽtiæ, aut bonitatis poſſet in tali obiecto eſſe, & cõſiderari, ac proponi voluntati extra illũ ſtatũ.

Alia ſolutio

70 Neque obeſt, ſi aliter occurras, dicẽdo, hinc ſolum haberi, Angelos poſſe peccare, non primò, & per ſe contra legem naturalem, ſed concomitanter, aut conſequenter, ex eo quòd peccant contra legem ſupernaturalem, & inde mouentur ad violandam etiam naturalem, & per conſequens ad violandam eam ex aliquo motiuo dicente ordinem ad ſupernaturalia, vt v. g. ex eo quòd vident ſe priuatos beatitudine ſupernaturali.

Impugnat P. Vazquez

Non itaque hoc obeſt. Nam contra hãc ſolutionem inſurgit in primis Vazquez in præſenti diſput. 231. c. 5. n. 22. Tum, quia ſi Angelus ſuapte natura eſſet impeccabilis contra legẽ naturalẽ, nullo fine, aut incẽtiuo moueri poſſet ad peccandũ contra eandẽ legẽ. Tum etiã, quia Angeli odio habent ipſũ Deũ, & homines, inuidentque diuinæ prouidentiæ, & maieſtati, quæ ſunt contra legẽ naturalẽ: & cauſa mouens ad hos effectus, eſt videre ſe crueiari à Deo. At cauſa iſta ſufficeret ad peccandũ contra prædictã legẽ, quãuis nõ videret ſe priuatos beatitudine ſupernaturali aut nõ haberet aliud peccatũ cõtra ſupernaturalẽ finẽ. Ergo &c. Tum deinde, quia etiã ſi peccent contra legem naturalem, odio habendo Deũ, ex eo quòd videt ſe priuatos eſſe ab illa beatitudine ſupernaturali, nõ propterea ſequitur, eos peccare cõſequẽter contra legẽ naturalẽ, quia priùs peccent cõtra ſupernaturalẽ: quoniã nõ peccant cõtra legẽ ipſam ſupernaturalẽ directè, ſed quia hoc ipſo, quòd

sint priuati donis gratiæ supernaturalis, possunt vti sua libertate, & mouere se liberè ad odium, & inuidiam contra Deum finem naturalem.

Tum denique. Quia si voluntas Angeli peccare potest contra legem naturalem præcedente defectu in intellectu ex incentiuo illo superioris ordinis, non apparet cur intra limites legis naturalis, absque consideratione alicuius alterius rei superioris ordinis, nequeant contra ipsam legem naturalem peccare. Siquidem defectus ex parte intellectus, qui præcedere debet omne peccatum, non necessariò est aliquis error, sed sufficit defectus cõsiderationis, ratione cuius efficaciùs consideratur delectabile, quod mouet ad peccãdum, quàm honestum virtutis, vel malum supplicij, quod detinere deberet voluntatem à peccato: & non apparet cur Angelus non possit pati huiusmodi defectum perfectæ considerationis intra limites legis naturalis.

Alia impugnatio Arrubalis.

71 Deinde contra eandem solutionem arguit Arrubal. Nam quòd Angeli peccent nunc indirectè, & consequenter contra legẽ naturalem, non est, quòd reuera propriè, & formaliter non peccent contra prædictam legem, sed quòd simul cum peccato contra legem supernaturalem peccent etiam propriè, & formaliter contra naturalem. Nam faciẽs aliquid malum ex obiecto, quamuis illud faciat ex malo alio fine opposito legi supernaturali, est reus duplicis malitiæ, vt contingit, dum quis alterum occidit ex odio oppositò charitati supernaturali: ibi enim cum malitia odij est coniuncta malitia iniustitiæ. Ergo signum est, Angelũ sic peccantẽ nõ esse ex se, & ex natura sua determinatũ ad amorem Dei super omnia, vt est finis naturalis, ac proinde nõ esse cur nõ posset solũmodo contra finẽ naturalẽ delinquere. Hæc secũda cõsequentia patet ex priori: & prior ex antecedenti. Quoniã si sic esset determinatus, non posset manente prædicta determinatione (vt reuerà maneret, siquidẽ ei conueniret ex natura sua) vlla ratione peccare verè, propriè ac formaliter contra legem naturalem.

Alia impugnatio Ledesmę.

72 Tandem contra eandem solutionẽ insurgit Petrus de Ledesma. Tum, quia si semel datur, Angelum secundùm suam naturã esse determinatum ad bonũm naturæ, & impeccabilem circa illud, consequens erit, illũ esse determinatum ad prædictum bonum, etiam si consideretur coniunctum fini supernaturali: nam finis supernaturalis nõ destruit naturam, sed potiùs eam perficit. Tum etiã, quia in Dæmone habente odium Dei, vt est bonum particulare, manet dilectio naturalis Dei, vt est bonũ vniuersale, vt docet D. Thomas 1. p. q. 60. ar. 5. ex eo quòd Dæmõ est determinatus naturaliter ad talem dilectionẽ, ideoque dilectio ista non amittitur ex coniunctione ad auersionem à Deo fine supernaturali. Ergo si Angelus ex natura sua est determinatus ad bonum naturale, nequibit peccare contra illud etiam ex coniunctione ad auersionem à Deo fine supernaturali.

D. Thom.

Tum deinde. Quia si Angelus nequiret directè peccare circa finem naturæ, ex eo quòd rectitudo circa illum esset ipsi intrinseca, & naturalis, essetque ab intrinseco determinatus circa ipsum, ferè euidenter sequitur, nec consequenter, & indirectè posse peccare contra prædictum finem: quia tunc nullam haberet libertatem circa illum: siquidẽ ex eo, quòd peccet contra finem supernaturalem, non acquirit libertatem circa finem naturalem, quæ est radix peccabilitatis, & eo non peccante contra finem supernaturalem, nulla ratione potest contra finem naturalem delinquere, alias enim illud peccatum desineret esse indirectè, & ex consequenti contra finem naturæ, & esset directè contra illum. Tũ denique. Quia homo in statu innocentiæ erat perfectus perfectione naturali ex parte intellectus, ita vt sciret omnes veritates naturales practicas, & speculatiuas, & ex parte voluntatis haberet rectitudinem naturalem, & nullum ei impedimentum adesset, haberetque quoad ista similitudinem cum Angelo: at non ob id ab aliquo Theologorum asseritur, hominem in statu innocentiæ non potuisse peccare cõtra finẽ naturæ: ergo &c.

Vera solutio argumenti.

73 Respondetur, admittendo secundã solutionem, ac proinde primam, secundùm quòd reducitur ad hanc secundam, siue secundùm quòd ille extra ordinarius modus, quo Angeli affecti sunt post lapsum, est talis conditionis, vt ex vi illius sequatur, eos nunquã peccare contra finem naturalem, quin peccent contra supernaturalem, & contra hunc primò, & directè, contra illum verò ex consequenti. Vnde ad impugnationem Suarez, quatenus potest adduci contra priorem solutionem sic explicatam respondetur, peccabilitatem Angeli circa finem naturalem post lapsum non fundari in hoc, quòd post illum habeat maiores occasiones peccandi; sed in hoc, quòd voluntas Angeli per se, & ab intrinseco est determinata ad omne bonum naturæ, si prædictum bonum consideretur seorsim, & solitariè, secùs verò si consideretur cum coniunctione ad auersionẽ à bono supernaturali: sic enim habet indifferẽtiã ad prosequendũ, vel respuendum illud. Et ita, si prædictum bonum naturæ consideretur secundum se, & solitariè, nequit Angelo proponi malum ei oppositum sub ratione conuenientis, neque prædictum malum, vt prosequendum sub ratione boni, & modo dicto est intra obiectum adæquatum voluntatis Angelicæ.

Ad primam impugnationem ex Vaz-

74 Ex quo ad primã impugnationẽ ex Vaz-

quez

quez deſumptam contra ſecundam ſolutionem ſatis conſtat: ſolùm enim probat, Angelũ ex nullo motiuo poſſe peccare contra legem naturalem, dummodò ſit tale, vt inducat ad peccandum contra ipſam ſolitariè, ſiue (quod in idem quoad preſens redit) ad delinquendum contra eandem per ſe primò, & directè: non tamen ſuadet, non poſſe peccare contra prædictam legem, ſi conſideretur cũ coniunctione ad legem ſupernaturalem. Poteſtque hoc explicari exemplo ipſius *eſſe*, quòd ſecundum propriam rationem, purè, & nudè ſpectatã, eſt maximè appetibile, & omnia ſunt determinata à natura determinatione, & neceſsitate, ſaltem quoad ſpecificationem, ad illud appetendũ: cùm tamen prædictum *eſſe* conſideratum, quatenus coniungitur cum maximis miſerijs, & præcipuè cum auerſione à Deo, non ſit appetibile, ac proinde nec natura ſit ab intrinſeco determinata ad illud ſic appetendum.

Dximus, in idem redire, Angelum eſſe determinatum ad non delinquendum contra legem naturalem ſeorſim, & ſolitariè conſideratam, ac non poſſe delinquere contra illã per ſe primò, & directè. Tum, propter dicta in explicatione tituli. Tum etiam, quia hoc ipſo, quòd nequeat peccare contra prædictam legem naturalem, niſi coniunctam cum ſupernaturali, oportet, vt per ſe primò, & directè delinquat contra ſupernaturalem. Cuius duplex poteſt reddi ratio. Prima. Quia hæc coniunctio conſiſtit, in hoc, quod nequeat delinquere contra naturalem legem, & finem, niſi in ordine ad ſupernaturalem: ac proinde priùs debet eſſe volita auerſio à Deo fine ſupernaturali, quàm auerſio ab eodem, vt naturali: & perconſequens volitio iſtius debet eſſe ex imperio illius prioris volũtatis. Secunda eſt. Quia, quod non poteſt attingere aliquid, niſi coniunctum alteri, priùs attingit id, cui coniunctum eſt, & ratione illius pertingit ad illud, quod habet ei coniungi: ac proinde non niſi ex conſequenti, & mediante alio hoc vltimum attingit: vt patet in viſu non attingente quantitatem, niſi cõiũctam colorato.

Ad ſecundã 75 Ad ſecundam impugnationem eiuſdem Vazquez reſpondetur, inuidiam, & odium illud, quo Dæmones proſequuntur homines, per ſe primo eſſe in ordine ad finem eorundem hominum ſupernaturalem: ac proinde etiam odio habent Deum quatenus ab eo priuantur ſupernaturali fœlicitate, & ab eodem, vt ab agente ſupernaturali, torquentur. Vnde, ſi à Deo, præcisè vt eſt author naturalis, torqueretur, nõ poſſet ex ſolo motiuo in ordine ad finem naturalem habere odium illius.

Ad tertiam Ad tertiam probationem patet ex dictis, non ideo Angelos poſt lapſum poſſe peccare contra finẽ naturalẽ, quia priuantur donis gratiæ, & tunc habẽt libertatem quoad ſpecificationem reſpectu boni, & mali in ordine ad finem naturalem ſeorſim, & ſolitariè ſumptum, ſed quia ſemper manẽt eleuati extrinſecè ad finem ſupernaturalem, & delinquendo contra illum, poſſunt etiam delinquere ſimul contra finem naturalem.

Ad vltimã. Ad vltimam vero probationem conſtat etiam ex dictis, quomodo in ordine ad finem naturalem ſolitariè ſumptum nequeat eſſe aliquis defectus conſiderationis in intellectu Angelico, ex eo quod eſt ab intrinſeco determinatus ad illum ſic ſumptum ſuper omnia diligendum.

Solutio ad impugnationem Arrubalis. 76 Ex quo etiam ad impugnationem Arrubalis contra eandem ſolutionem ſatis liquet. Nam conceſſo antecedenti, negãda eſt prima conſequentia, ſi cõſequens intelligatur de determinatione ad diligendum ſuper omnia Deum, vt eſt finis naturæ ſolitariè, & ſeorſim ſumptus. Et deinde negãda erit ſecunda conſequentia. Et ad probationem prioris conſequentiæ, in qua innititur probatio poſterioris, dicendum eſt, manente prædicta determinatione ad amãdum ſuper omnia Deũ, vt eſt finis naturę ſolitariè ſumptus, poſſe manere indifferentiam ad delinquendum contra eundem finem naturæ non ſolitariè ſumptum, ſed cum coniunctione ad finem ſupernaturalem, ſeu in ordine ad illum, vt explicatum eſt.

Ad impugnationes ex Ledeſma **Ad primam** Deinde ad impugnationem primam ex Petro de Ledeſma reſpondetur, negando ſequelam. Et ad probationem dicendum eſt, quod ex hoc, quod finis ſupernaturalis non deſtruat naturam, ſed potiùs eam perficiat, non ſequitur, quòd ſi Angelus ſit impeccabilis circa finem naturæ ſolitariè ſumptum, habeat etiam eſſe impeccabilem circa eundem coniũctum cum fine ſupernaturali: quia ad hoc deſiderabatur, vt eleuatio, qua Angelus eleuatus eſt ad finem ſupernaturalem, tolleret ab eo aliquam peccabilitatem, illi ex natura ſua conuenientem, quam tamen non abſtulit: ſiquidem Angelus nunquam fuit, neque eſſe potuit ex natura ſua impeccabilis circa finem naturalem in ordine ad ſupernaturalem, ſed circa naturalem ſolitariè ſumptum: & hæc poſterior impeccabilitas remãſit illæſa, & inſuper per eleuationem acquiſiuit maximam quandam perfectionem, nempe, poſſe elicere operationes ordinis ſupernaturalis, & diuini, &c.

Ad ſecundã 77 Ad ſecundam verò impugnationem dicendum eſt, aliud eſſe, an delinquente Angelo contra finem ſupernaturalem, deperdatur quoad ſuam entitatem, & (vt ſic dicamus) quoad ſuam ſubſtantiam actus dilectionis, quo naturaliter diligit Deum, vt eſt bonum totius naturæ, & ſimiliter, quo ipſum di-

ligit ſuper omnia, vt eſt finis eiuſdem naturæ ſolitariè ſumptus, & an iſte, aut iſti actus habeant debitam ordinationem naturalem, quantum eſt ex vi ſui obiecti: aliud verò, an idem Angelus poſt lapſum, quoties vtitur illis in ordine ad finem ſupernaturalem, poſsit eos vitiare, & delinquere in eis adhuc circa finem naturalem. Etſi ergo prædicti actus amoris (ſiue illi realiter, ſiue ſolùm ſecundùm rationem ſint diſtincti) non pereant ſecundùm ſuam entitatem, & maneant ordinati, & recti, quantum eſt ex parte obiecti, & ſuę ſubſtantiæ, quippe qui ſic ſumpti ſunt ab authore naturæ: attamen quoties eis vtitur Angelus in ordine ad finem ſupernaturalem, tunc ſaltem poteſt eiſdem abuti, & delinquere contra finem naturalem. Nam ſicut abutitur defacto eis in ordine ad finem ſupernaturalem, ex eo quòd non diligit ſe, & authorem naturæ ſeruando modum, & regulam ab authore ſupernaturali præſcriptam: ita ſaltem poſſet cum hac abuſione in ordine ad prędictum finem ſupernaturalem coniungere aliam in ordine ad aliquem finem prauum ordinis naturalis, vt ex dictis n. 74 conſtat.

Ad tertiam 78 Ad tertiam verò impugnationem reſpondetur, negando ſequelam. Et ad probationem negandum eſt, Angelum non habere libertatem ad peccandum ex conſequẽti, & concomitanter contra finem naturalẽ. Ad cuius probationem dicendum eſt, Angelum poſt lapſum non acquiſiuiſſe libertatem ad peccandum circa finem naturalem ex cõſequenti, & in ordine ad ſupernaturalem, ſed ſemper illam habuiſſe ad delinquendum cõtra prædictum finem ſic ſumptum. Et ideò opus eſt, ad hoc vt hæc libertas reducatur ad actum, quòd priùs peccet cõtra finem ſupernaturalem, vt delinquat ex conſequenti contra naturalem: quia (vt iam diximus) circa naturalem ſolitariè ſumptum eſt ex natura ſua impeccabilis.

Ad vltimã. Ad vltimam verò impugnationem eiuſdẽ Petri de Ledeſma reſpondetur, quòd adhuc dato, hominem in ſtatu innocentiæ poſſe peccare contra finem naturalem per ſe primò, & directè, & per hoc peccatum amittere prædictum ſtatum: nihilominùs non ideò Angelus poſſet delinquere circa finem naturalem ſolitariè acceptum, aut per ſe primò, & directè. Quoniam homini non deberetur eſſe ſemper in actuali cognitionitione ſui, & Dei authoris, & finis naturalis, & in actuali dilectione ſuper omnia eiuſdem, vt eſt finis naturæ, ſecùs autem Angelo, vt dictum eſt: quia homo non pertingit ad gradum immaterialitatis Angelicum, & ideò non eſt neceſſe, habere ſibi connaturaliter congenitum prædictum amorem ſuper omnia, ſicut illum exigit Angelus, vt explicatum eſt.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Angelis poſsit eſſe tantùm peccatum ſuperbiæ, & inuidiæ?

AD Secundum ſic proceditur. Videtur, quòd in Angelis non poſsit eſſe ſolùm peccatum ſuperbiæ, & inuidiæ. In quemcumque enim cadit delectatio alicuius peccati, poteſt cadere peccatum illud, Sed Dæmones delectãtur etiam in obſcęnitatibus carnalium peccatorum, vt Auguſtinus dicit 14. de Ciuitate Dei.* Ergo in Dæmonibus etiam peccata carnalia poſſunt eſſe. 2. diſt. 5. q. 1 art. 3. Et diſt 22 q. 1. art. 1. cor. Et 3. cont. cap. 109 & mal. q. 16. art. 2. 4. † Lib. 14 c. 3. à medio tom. 5.

¶ 2 Præterea. Sicut ſuperbia, & inuidia ſunt peccata ſpiritualia, ita accidia, & auaritia, & ira. Sed ſpiritui conueniunt peccata ſpiritualia, ſicut & carni carnalia. Ergo non ſolùm ſuperbia, & inuidia in Angelis eſſe poteſt, ſed etiã accidia, & auaritia.

¶ 3 Præterea. Secundùm Gregorium * in Moralibus, ex ſuperbia naſcuntur plura vitia, & ſimiliter ex inuidia. Poſita autem cauſa ponitur effectus. Si ergo ſuperbia, & inuidia in Angelis eſſe poſſunt, pari ratione & alia vitia in eis eſſe poſſunt. † Libr. 31. Moral. c. 31.

SED contrà eſt, quòd Auguſtinus dicit 14. libr. de Ciuitate Dei * quòd Angelus non eſt fornicator, aut ebrioſus, neque aliquid huiuſmodi; eſt tamẽ ſuperbus, & inuidus. † Lib. 14. c. 3. á med. to. 5.

RESPONDEO dicendũ, quòd

quòd peccatum aliquod in aliquo esse potest dupliciter. Vno modo secũdùm reatum: alio modo secundùm affectum. Secũdùm reatum quidem omnia peccata in Dæmonibus esse contingit: quia dum homines ad omnia peccata inducunt, omnium peccatorum reatum incurrunt. Secũdùm affectum verò illa solùm peccata in malis Angelis esse possunt, ad quæ contingit affici spiritualem naturam. Spiritualem autem naturam affici non contingit ad bona, quæ sunt propria corpori, sed ad ea, quæ in rebus spiritualibus inueniri possunt: nihil enim afficitur, nisi ad id, quod suæ naturæ potest esse quodammodô conueniens. In spiritualibus autem bonis nõ potest esse peccatum, dum aliquis ad ea afficitur, nisi per hoc, quòd in tali affectu superioris regula non seruatur: & hoc est peccatum superbiæ, non subdi superiori in eo, quo debet. Vnde peccatum primum Angeli non potest esse aliud quàm superbia. Sed consequenter potuit in eis esse etiam inuidia. Eiusdem enim rationis est, quôd affectus tendat in aliquid appetendum, & quôd renitatur oppositio. Inuidus autẽ ex hoc de bono alterius dolet, in quantum bonum alterius æstimat sui boni impedimentum. Non autem bonum alterius poterat æstimari impedimẽtum boni affectati per Angelum malum, nisi in quantum affectauit excellentiam singularem, quæ quidem singularitas per alterius excellentiam cessat. Et ideô post peccatũ superbiæ consecutum est in Angelo peccante malum inuidiæ, secundùm quod de bono hominis doluit, & etiam de excellentia diuina, secundùm quod eo Deus contra voluntatem ipsius diaboli vtitur in gloriam diuinam.

Ad primum ergo dicendum, quod Dæmones non delectantur in obscęnitatibus carnalium peccatorum, quasi ipsi afficiantur ad delectationes carnales: sed hoc totum ex inuidia procedit, quod in peccatis hominum quibuscumque delectantur, in quantum sunt impedimenta humani boni.

Ad secundùm dicẽdum, quod auaritia, secundùm quòd est speciale peccatum, est immoderatus appetitus rerum temporalium, quæ veniunt in vsum vitæ humanæ, quæcumque pecunia æstimari possunt: & ad ista non afficiũtur Dæmones, sicut nec ad delectationes carnales. Vnde auaritia propriè sumpta in eis esse non potest. Sed si auaritia dicatur omnis immoderata cupiditas habendi quodcumque bonum creatũ, sic auaritia continetur in superbia, quæ est in Dæmonibus. Ira verô cum quadam passione est, sicut concupiscentia. Vnde ipsa in Dæmonibus esse non potest, nisi metaphoricè. Accidia vero est quędam tristitia, qua homo redditur tardus ad spirituales actus propter corporalem laborẽ, qui Dæmonibus non competit. Et sic patet, quod sola superbia, & inuidia sunt purè spiritualia peccata, quæ Dæmonibus competere possunt: ita tamen, quod inuidia non sumatur pro passione, sed pro voluntate renitente bono alterius.

Ad tertium dicendum, quod sub

ſub inuidia, & ſuperbia, prout in Dæmonibus ponuntur, comprehenduntur omnia peccata, quæ ab illis deriuantur.

Prima concluſio.

Omnia peccata ſecundùm reatum poſſunt eſſe in Dæmonibus, non verò ſecundùm affectum.

Secunda concluſio.

Secundùm affectum primum peccatum Angeli non potuit eſſe niſi ſuperbia.

Tertia concluſio.

Secundùm affectum potuit in Angelis eſſe peccatum inuidiæ conſequenter ad peccatum ſuperbiæ.

ARTICVLVS III.

Vtrùm diabolus appetierit eſſe vt Deus?

AD Tertium ſic proceditur. Videtur, quòd diabolus non appetierit eſſe vt Deus. Illud enim, quod non cadit in apprehenſione, non cadit in appetitu: cum bonum apprehenſum moueat appetitum vel ſenſibilem, vel rationalem, vel intellectualē: in ſolo enim huiuſmodi appetitu contingit eſſe peccatum. Sed creaturam aliquam eſſe æqualē Deo, non cadit in apprehenſione: implicat enim cōtradictionem: quia neceſſe eſt finitum eſſe infinitum, ſi æquatur infinito. Ergo Angelus non potuit appetere eſſe, vt Deus

¶ 2 Prætereà. Illud, quod eſt finis naturæ, abſque peccato appeti poteſt. Sed aſsimilari Deo, eſt finis, in quem tendit naturaliter quælibet creatura. Si ergo Angelus appetijt eſſe vt Deus, non per æqualitatem, ſed per ſimilitudinem, videtur, quod in hoc nō peccauerit.

¶ 3 Prætereà. Angelus in maiori plenitudine ſapiētię conditus eſt, quam homo. Sed nullus homo, niſi omninò amens, eligit eſſe æqualis Angelo, nedum Deo: quia electio non eſt niſi poſsibilium, de quibus eſt conſilium. Ergo multo minùs peccauit Angelus appetendo eſſe vt Deus.

SED contrà eſt, quod dicitur Iſaiæ 14. cap. ex perſona diaboli: Aſcendam in cœlum, & ero ſimilis altiſsimo. Et Auguſtinus dicit in lib. † de quæſtionibus veteris teſtamēti, quod elatione inflatus, voluit dici Deus. Q. 103. á med. to. 4.

RESPONDEO dicendū, quod Angelus abſque omni dubio peccauit appetendo eſſe vt Deus. Sed hoc poteſt intelligi dupliciter. Vno modo per æquiparantiam: alio modo per ſimilitudinem. Primo quidem modo nō potuit appetere eſſe vt Deus: quia ſciuit hoc eſſe impoſsibile naturali cognitione, nec primum actum peccandi in ipſo præceſsit vel habitus, vel paſsio ligans cognoſcitiuam ipſius virtutem, vt in particulari deficiens eligeret impoſsibile, ſicut in nobis interdum accidit. Et ideo dato, quod eſſet poſsibile, hoc eſſet contra naturale deſiderium. Eſt enim vnicuique naturale deſiderium ad conſeruandum ſuum eſſe, quod non conſeruaretur, ſi tranſmutaretur in alteram naturam. Vnde nulla

res,

res, quæ eſt in inferiori gradu naturæ, poteſt appetere ſuperioris naturæ gradũ, ſicut aſinus non appetit eſſe equus: quia ſi transferretur in gradum ſuperioris naturæ, iam ipſum non eſſet. Sed in hoc imaginatio decipitur. Quia enim homo appetit eſſe in altiori gradu quantum ad aliqua accidentalia, quæ poſſunt creſcere abſque corruptione ſubiecti, æſtimatur, quòd poſsit appetere altiorem gradum naturæ, in quem peruenire non poſſet, niſi eſſe deſineret. Manifeſtum eſt autẽ, quôd Deus excedit Angelum, non ſecundùm aliqua accidentalia, ſed ſecũdùm gradum naturæ: & etiã vnus Angelus alium. Vnde impoſsibile eſt, quòd vnus Angelus inferior apperat eſſe ęqualis ſuperiori, nedum, quòd appetat eſſe æqualis Deo. Appetere autẽ eſſe vt Deus per ſimilitudinem, contingit dupliciter. Vno modo quantum ad id, in quo aliquid natum eſt Deo aſsimilari: & ſic ſi aliquis quantũ ad hoc appetat eſſe Deo ſimilis, non peccat, dummodò ſimilitudinem Dei debito ordine appetat adipiſci, vt ſcilicet eam à Deo habeat. Siquis autem appeteret ſecũdùm iuſtitiam eſſe ſimilis Deo, quaſi propria virtute, & non ex virtute Dei, peccaret. Alio vero modo pòteſt aliquis appetere ſimilis eſſe Deo quantum ad hoc, in quo nõ natus eſt aſsimilari: ſicut ſiquis appeteret creare cœlũ, & terrã, quod eſt proprium Dei: in quo appetitu eſſet peccatum. Et hoc modo diabolus appetijt eſſe vt Deus: non vt ei aſsimiletur, quantum ad hoc, quod eſt nulli ſubeſſe ſimpliciter, quia ſic ſuũ nõ eſſe appeteret: cum nulla creatura eſſe poſsit, niſi per hoc, quod ſub Deo eſſe participat: ſed in hoc appetijt eſſe ſimilis Deo, quia appetijt vt finem vltimum beatitudinis id, ad quod virtute ſuæ naturæ poterat peruenire, auertens ſuum appetitum à beatitudine ſupernaturali, quę eſt ex gratia Dei. Vel ſi appetijt vt vltimum finem illam Dei ſimilitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem ſuæ naturæ, non ex diuino auxilio ſecundum Dei diſpoſitionem. Et hoc conſonat dictis Anſelmi *, qui dicit, quod appetijt illud, ad quod peruenisſet, ſi iuuetisſet. Et hæc duo quodammodo in idem redeunt: quia ſecundum vtrumque appetijt finalem beatitudinem per ſuam virtutem habere, quod eſt proprium Dei. Quia vero quod eſt per ſe, eſt principium, & cauſa eius, quod eſt per aliud: ex hoc etiam conſecutum eſt, quod appetijt aliquem principatum ſuper alia habere. In quo etiã peruerſe voluit Deo aſsimilari. Et per hoc patet reſpõſio ad omnia obiecta.

† Ex cap. 4 libr. de caſu diaboli haberi poteſt.

Prima cõcluſio eſt affirmatiua

Secunda concluſio.

Non appetijt eſſe Deum per æqualitatem.

Tertia concluſio.

Angelus peccauit, quia beatitudinem naturalem appetijt, tanquam vltimum finem, auertens ſe à ſupernaturali.

Quarta concluſio.

Si appetijt ſupernaturalem, peccauit, quia illã voluit obtinere ſine auxilio diuino.

Quinta concluſio.

Conſequenter deſiderauit Angelus excellentiam ſupra alios.

DIS-

DISPVTATIO X.

De primo peccato Angeli, & de alijs illud comitantibus.

POST QVAM D. Thomas explicuit, quamlibet ſubſtantiam intellectualẽ creatam eſſe ex natura ſua peccabilem, ſaltem circa finem ſupernaturalem, & ſubſtantiam Angelicam ratione ſuæ perfectionis eſſe impeccabilem circa finem naturalem ſolitariè ſumptum, & ſolùm poſſe peccare contra illum in ordine ad finem ſupernaturalem, deſcendit in ſecundo, & tertio articulo huius quæſtionis ad explicãdum, quod nam fuerit primum Angeli peccatum, an nimirum ſuperbiæ, vel alterius ſpeciei, & quod fuerit eius obiectum, necnon & de alijs ad hæc ſpectantibus. Vnde ad omnia hæc explicanda vnà cum Angelico Præceptore diſputationem iſtam mouemus.

DVBIVM I.

Vtrùm primum Angeli peccatum fuerit ſuperbia, propriè, & ſpecialiter dicta?

Animaduerſio pro luce tituli.

1 VT Titulus huius dubij, & ea quę in tota hac diſputatione dicenda ſunt, melius capiantur, prænotãdum eſt ex D. Thoma 22. q. 162. art. 2. 5. & 6. necnon in 2. diſt. 5. quæſt. 1. art. 3. vbi ſic habet: *Dicendum, quòd ſuperbia tribus modis accipitur. Vno modo, prout ſumitur habitualiter, ſcilicet quædam inclinabilitas, vel ex natura flexibilitate tantùm, vel ex fomitis corruptione, ad ſuperbiam: & ſic dicitur ſuperbia initium omnis peccati. Alio modo dicitur ſuperbia, ſecundùm quòd aliquis actualiter ſe effert extra præcepti limites, vt præcipiẽti non ſubijciatur: & ſic non eſt ſpeciale peccatum, ſed quædam generalis conditio, omne peccatum conſequens ex parte auerſionis. Tertio modo dicitur ſuperbia inordinatus appetitus propriæ excellentiæ: & ſic eſt ſpeciale peccatum vnum de ſeptem capitalibus vitijs.* Titulus ergo non intelligitur de ſuperbia primo, aut ſecundo modo ſumpta, ſed de eadem tertio modo accepta. Quomodo autem, & qua ratione prædictus inordinatus appetitus excellentiæ pertineat ad ſuperbiam, vt eſt ſpeciale peccatum, conſtabit ex dicendis in hoc dubio, & in tota hac diſputatione.

D. Thom.

§. 1 *Communis, & vera ſententia.*

2 DIcendum ergo eſt, primum peccatum, quod defacto Angelus commiſit, fuiſſe ſuperbiam propriè & ſpecialiter dictam. Aſſertio hæc colligitur ex pluribus Scripturæ teſtimonijs. Primum habetur Iſaiæ 14. vbi fit ſermo de primo peccato Luciferi, & de eo ſic dicitur: *Determinata eſt ad inferos ſuperbia tua* Et paulò inferiùs: *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* Et poſteà: *Qui dicebas in corde tuo: In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo.* Quæ verba immenſam ſuperbiæ abyſſum continere videntur. Conclusio, & fundamẽtũ ex ſcriptura. *Iſaia* 14.

Idem etiam habetur Ezechielis 28. vbi deſcribuntur bona, quæ habebat ea perſona, de qua ibi ſub nomine Regis Tyri fit ſermo, vt miſeria ſui caſus, & grauitas peccati, quæ ei cauſam dedit, magis oſtenderetur: & ita dicitur de ea: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore in deliciis paradiſi Dei fuiſti: omnis lapis pretioſus operimentum tuum, &c. Tu cherub extẽſus, & protegens: & poſui te in monte ſancto Dei, in medio lapidum igniterorum ambulaſti. Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas in te.* Et poſteà, vt denotetur, quale fuerit peccatum illud, propter quod à tanto bono cecidit, ſubditur: *Elevatum eſt cor tuum in decore tuo: perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo, in terrã proieci te.* Vbi ſatis ſignificatur primam rationem, propter quam ad tantam miſeriam deuenit, fuiſſe ſuperbiam. Conſtat autem ex communi Theologo- *Ezech.* 28

logorum ſententia, eam perſonam, de qua ibi ſub nomine Regis Tyri fit ſermo, fuiſſe Luciferum, ac proinde ibidem ſuum primum peccatum deſcribi.

Effugium. 3 Nec obſtat, ſi dicas, hæc teſtimonia non eſſe intelligenda de primo peccato Angeli, ſed ſolùm, quòd reuerà peccauit peccato ſuperbiæ, licèt illud non fuerit primum.

Euincitur Non itaque hoc obeſt. Tum, quia (vt ex contextu conſtat) fit ibi ſermo de peccato, per quod Lucifer cecidit à tanta dignitate, & decore: conſtat autem, quòd formaliter loquendo, peccatum, per quod cecidit, fuit primum. Tum etiam. Quia ideò poſt deſcriptionem bonorum, & perfectionum, quę in Lucifero erant, aſsignatur peculiariter peccatum ſuperbiæ, vt denotetur, peccatum hoc fuiſſe primum, propter quod à tanto bono in tantam miſeriam deuenit. Tum denique. Quia iuxta expoſitionem Sanctorum Patrum deſcribitur ſuperbia Luciferi in his teſtimonijs, & dicitur, eam fuiſſe cauſam primam ſuæ ruinæ. Vnde primum teſtimonium

Hierony. Auguſtin. Gregorius Bernardus Proſperus Ambroſius Athanaſ. Caſsianus. Cyrillus

ſic exponunt Hieronymus lib. 2. aduerſus Iouinianum c. 3. Auguſtinus lib. 3. de Doctrina Chriſtiana c. 37. Gregorius lib. 17. Moralium c. 13. Bernardus ſermone 2. de Aſcenſione Domini, Proſperus libro, qui inſcribitur, *Dimidium temporis* c. 1. 2. & 5. Ambroſius in illud Pſalmi 118. *Increpaſti ſuperbos*, Athanaſius in quæſtionibus ad Antiochum quæſt. 10. Caſsianus lib. 12. de Spiritu ſuperbiæ cap. 4. & 8. Cyrillus lib. 6. in Ioannem c. 6. & lib. 2. in Iſaiam c. 14. & cõmuniter interpretes.

Hierony. Et ſimiliter quoad ſecundum teſtimonium colligitur hæc interpretatio ex eodem Hieron. in Commentarijs, vbi etiã inquit, de nullo homine poſſe intelligi illa verba: *Tu cherub extenſus, & protegens: poſui te in mõte ſancto Dei: in medio lapidum ignitorũ ambulaſti.* Ex Theodoreto in ſuo Commentario,

Theodore. Cyrillus Gregorius Athanaſi. Bernardus

vbi ſimul ait, omnia verba, & illa, quæ poſteà ſubduntur: *Perfectus in vijs tuis*, intelligenda eſſe de Diabolo, & nullo modo poſſe intelligi de Principe Tyriorum. Ex Cyrillo lib. 6. in Ioannem c. 6. Gregorio lib 32. Moralium c. 18. ex Athanaſio in catena Græcorum in illud Iob 9. ſecundùm Septuaginta, *Si contra probos ſuos*: Bernardo ſermone 74. in Cantica, & communiter ex interpretibus.

Aliud effugium. 4 Vnde nihil obeſt, ſi dicas, hæc teſtimonia non intelligi in ſenſu litterali de Angelo, ſed primum de Nabuchodonoſor Rege Babylonis, vt conſtat ex Hieronymo lib. 5. in Iſaiam cap. 14. vbi expoſitionem litteralem ad integrum teſtimonium tradens, exponit illud de Babylonis Rege, nullam de Angeli peccato mentionem faciens: & ſecundum de Rege Tyri, vt docuit idem Hieronymus in principio Commentariorum illius capitis: ac proinde in ſenſu ſolummodò ſpirituali poſſe intelligi de Angelo, & primo eius peccato. Conſtat autem, argumentum deſumptum ex Scriptura iuxta ſenſum præcisè ſpiritualem non eſſe efficax ad aliquam veritatem probandam.

Hierony. Præcluſi

Ex dictis igitur conſtat, hoc nihil obeſſe. Quoniam etſi demus, hæc duo teſtimonia intelligi in ſenſu litterali de Regibus Tyri, & Babylonis, & ſolùm in ſenſu ſpirituali intelligenda eſſe de Angelo, & primo eius peccato, nihilominus ex eis poteſt non parũ efficax argumentum deduci ad aſſertionem ſuadendam. Quoniam etſi ex ſenſu ſpirituali, quando non conſtat ex alio Scripturæ teſtimonio, vel ex conſenſu Patrum, & interpretum, prædictum ſenſum contineri in aliquibus verbis Scripturæ, nequeat efficaciter probari aliqua veritas, ſecùs tamen quando ex alio loco Scripturæ, vel ex Patrum, & interpretum conſenſu habetur, prædictum ſenſum ſpiritualem in illis verbis contineri, tũc enim in eo gradu certitudinis, in quo eſt certum, prædictum ſenſum ibidem contineri, poteſt inde probari veritas, quæ ex prædicto ſenſu habetur, vt conſtat ex Diuo Thoma in

D. Thom.

hac 1. p. quæſt. 1. art. 10. in ſolutione ad 1. & ex ratione, cui S. Doctor innititur, nempe, quòd in eo caſu iam conſtat talem ſenſum ſpiritualem contineri ſub illa littera, & ſub intentione Spiritus Sancti, ſaltem mediatè. Quare, cum conſtet ex conſenſu Sanctorum Patrum, & interpretum, teſtimonia iſta intelligi in ſenſu ſpirituali de Angelo, & eius primo peccato, poterit ex eo deduci argumentum non parum efficax, ideſt, quod ſit tanti roboris, quanti eſt conſenſus Patrum, & interpretum in explicatione Scripturæ, qui (vt ex ſe liquet) eſt valdę magni roboris, & momenti.

Adde, quòd plures ex interpretibus, quos referunt Bañez, & alij, ſentiunt, hæc teſtimonia intelligenda eſſe in ſenſu litterali de primo Angeli peccato.

Bañez

5 Deinde eadem aſſertio colligitur ex illo 2. ad Timotheũ 3. *Nein ſuperbiam elatus, in iudicium incidat Diaboli.* Nam hæc verba protulit Paulus, vt redderet rationem, propterquam non ſit eligendus in Epiſcopũ Neophitus: & ſenſus huius rationis eſt, ne obnoxius ſit eidem damnationi cum Diabolo, cõmittens eam culpam, propterquam ipſe dãnatus eſt, nempe ſuperbiam. Ita teſtimonium hoc interpretati ſunt, Theohpilactus, & Hieronym. ibi, & Iſaiæ 3. & eadẽ interpretatio innuitur à Greg. 23. Mor. c. 4. & Baſil. ſuper caput 2. eiuſdẽ Iſaię in illa verba: *Dies Dñi Sabaoth ſuper omnẽ cõtumelioſũ, & ſuperbũ.*

1. *ad Timoth.* 3.

Theophil. Hierony. Gregorius Baſilius

Idem etiam colligitur ex illo Ecclesiastici 10. vbi dicitur, initium omnis peccati fuisse superbiam. Cumque peccatum Luciferi fuerit, vnde sumpsit initium omne peccatū, consequens videtur, ipsum fuisse superbiam. *D. Thom.* Ita testimonium hoc explicant D. Thomas in 2. dist. 5. q. 1. art. 3. *Aug.* Augustinus tomo 5. libro 12. de Ciuitate Dei c. 6. & *D. Bern.* Bernardus ser mone 1. de Aduentu. Quod etiam significatur in illo Tobiæ 4. vbi Tobias dixit filio *Tobiæ 4.* suo: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.*

Lucæ 10. Et tandem hoc ipsum habetur Lucæ 10. vbi Christus Dominus ad comprimendam elationem suorum discipulorum, qui gloriabantur ex eo, quòd Dæmonia eis subijcerentur, dixit: *Videbā Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem*: vt in superbiæ authore propter *Gregori. Hieronym.* illam de cœlo cadente discerent, quomodo de elationis vitio formidandum, vt Gregorius lib. 23. Moralium c. 4. & Hieronymus lib. 6. in Isaiam docent.

Aliud fūd. ex Patribus Vnde, præter Patres in his testimonijs locis citatis adductos, tuentur assertionem *Augusti. Prosperus D. Thom.* nostram vel plures ex illis in alijs locis, vt Augustinus lib. 11. de Genesi ad litteram c. 14. & lib. 22. de Ciuitate Dei c. 1. Prosperus lib. de Vita contemplat. c. 3. & D. Thomas in præsenti art. 2. & 3. & 3. contra Gentes c. 109. & 110. & q. 16. de Malo art. 2. ad. 4. & in 2. dist. 5. quæst. 1. art. 3. Vel alij ex Patribus *Anselmus Damasc. Procopius* non adductis in prædictis testimonijs, vt Anselmus lib. de Casu Diaboli c. 4. Damascenus lib. 2. de Fide c. 4. Procopius in caput 2. Isaiæ. Quod etiam communiter docent omnes ferè Scholastici: & ideò plures ex Theologis nostri temporis (de quo nihil modò à nobis deciditur) eam docent esse adeò certam, vt oppositam reputent temerariam.

§. II. *Ratio triplex pro communi, & vera sententia.*

Ratio fūdamentalis prima. 6 RAtio autem pro assertione prior, & fundamentalis desumitur ex locis citatis, potestque sub hac forma proponi. Quoniam de actibus liberis Angelorum sentiendum est iuxta ea, quæ ex Scriptura, Patribus, & communi Theologorum consensu habemus: at ex prædictis liquet, primum peccatum, seu primum actum liberum peccaminosum Angelorum fuisse superbiam: ergo ita, & non aliter sentiendum est.

Secundo D. Thom. Secunda vero eiusdem assertionis ratio desumitur ex Diuo Thoma 3. contra Gentes cap. 109. quæ potest sub hac forma proponi. Quia, vt ex infrà dicendis dubio 5. n. 102. patebit, Angelus primò peccauit, ex eo quod dilexit proprium bonum, propriamque perfectionem, & excellentiam, nempe suam beatitudinem naturalem, non ordinando illam in Deum, vt in finem supernaturalem, ac proinde non seruando mensuram, & modum taxatum à Deo in dilectione proprij boni, & excellentiæ, quin potiùs hanc prætermisit, inhærendo eidem bono, vt fini: ergo eo ipso primò peccauit peccato superbiæ specialiter dictæ.

Patet consequentia. Tum, quia hoc ipso, quòd non seruauit mensuram, & modum præscriptum à Deo in dilectione prædictæ excellentiæ, habuit appetitum inordinatum propriæ excellentiæ, in quo superbia specialiter dicta consistit. Tum etiam, quia hoc ipso, quod prætermisit prædictam mensuram, & subiectionem in illa, voluit, saltem implicitè, & virtualiter, hanc excellentiam, quæ est, non subijci Deo vt excellentiori: quod quidem (vt constat) dicit superbiam specialiter sumptam. Tum denique, quia cùm ex fine regulæ actionis sumantur, oportuit, vt ex se ipso, quem vt finem dilexit, alia tamquam ex regula disponeret: ac proinde, quòd non solum voluerit quodammodò non subijci alteri, sed etiam ex appetitu huius non subiectionis, & excellentiæ in ea splendentis, appetierit alijs præesse, aliosque regulare: qui qui dem appetitus satis superbiæ specialiter dictæ præsefert.

Quam rationem proposuit Angelicus *D. Thom.* Præcep. loco cit. his verbis: *Potuit igitur in voluntate substantiæ separatæ esse peccatum ex hoc, quod proprium bonum, & perfectionem in vltimum finem non ordinauit, sed inhæsit proprio bono, vt fini. Et quia ex fine necesse est, vt regulæ actionis sumantur, necesse est, vt ex se ipsa, in quo finem constituit, alia regulariter disponeret, & vt eius voluntas ab alio superiori non regularetur: hoc autem soli Deo debetur. Velle autem alios regulare, & voluntatem suam à superiori non regulari, est velle praesse, & quodammodò non subijci: quod est peccatum superbiæ. Vnde conuenienter dicitur, quòd primum peccatum Dæmonis fuit superbia.*

Cōfirmatur 7 Confirmatur. Quoniam Angelus nō solùm inordinatè appetijt eminentiam dignitatis, vt ex testimonijs citatis constat, sed etiam ex consideratione propriæ pulchritudinis (modo tamen infrà explicando) sumpsit occasionem ad hoc appetendum. ergo peccauit peccato superbiæ, cuius proprium est, non solùm appetere inordinatè eminentiam dignitatis, sed etiam quòd talis appetitus sumat occasionem ex propria pulchritudine, & perfectione: ex eo quòd superbia specialiter habet, vt ex proprio bono, & perfectione sumat occasionē ad tumescendū, sicut &plu-

& plura alia vitia, quòd occaſione venturex defectibus repertis in ijs, qui in illa labuntur.

D. Thom. Quam rationem adduxit D. Thomas in 2. diſt. 5. q. 1. art. 3. vbi poſtquam dixit, quod appetitus inordinatus propriæ excellentiæ eſt vnum ex ſeptem vitijs capitalibus, nempe ſuperbiæ, ſtatim addidit: *Et ſic primum Angeli peccatum ſuperbiæ fuit. Quod patet, tum ex deſiderato: quia eminentiam dignitatis appetit: tum etiam ex motiuo, quia ex conſideratione propriæ pulchritudinis in peccatum ruit.*

Tertia ratio *D. Thom.*

8 Tertia tandem ratio aſſertionis deſumitur ex D. Thoma, tum in hoc articulo, tũ etiam 22. q. 163. art. 1. quæ quidem licèt dubio 7. latiùs expendẽda ſit, nihilominùs quoad præſens poteſt ſub hac breui forma proponi. Quoniam primum Angeli peccatum fuit volitionis, & proſecutionis reſpectu boni ſpiritualis, ergo fuit peccatum ſuperbiæ. Antecedens conſtabit ex illis, quæ dubio 5. dicẽtur, & nũc breuiter ſuaderi poteſt ex eo, quod Angelus non afficitur erga bona temporalia vt talia, quippe quæ non ſunt ſuæ naturæ proportionata, ſed ſolùm erga bona ſpiritualia, quæ eidem proportionantur. Cumque primum peccatum illius debeat eſſe volitionis, & proſecutionis, quia omnis nolitio & fuga ab aliquo obiecto fundatur in volitione & proſecutione alicuius boni: conſequens eſt, vt primum peccatum Angeli fuerit volitionis & proſecutionis alicuius boni ſpiritualis. Conſequentia verò probatur. Quia circa bona ſpiritualia, quippe optima, non eſt peccatum affectus volitionis & proſecutionis, ex eo quòd ipſa ſecundùm ſe valdè amentur, ſed quia non amantur cum ſubiectione ad regulam à ſuperiori præſcriptam ſed potiùs non ſeruata ſuperioris regula ſaltem in modo proſequendi illã: & ita circa ea non peccatur, niſi peccato ſuperbiæ conſiſtentis in hoc quod quis non ſubdatur ſuperiori, & eius regulę in eo, in quo debet ſubijci.

§. III. *Obiectio duplex contra duas poſteriores aſſertionis rationes ex D. Thoma deſumptas.*

Obiectio prima cõtra ſecundam rationem.

9 SEd obijcies primò contra ſecundam rationem aſſertionis ex tertio cõtra Gentes deſumptam, quòd cum quis committit alia peccata grauia præter ſuperbiam, diligit propriũ bonum, & inhæret ſibi tanquam vltimo fini: ac proinde, quantũ eſt ex vi prædicti affectus, vult cætera alia ex ſe, tamquam ex vltimo fine, regulari, quia hoc eſt proprium vltimi finis: vultque quodammodò non ſubijci ſuperiori, & alijs præeſſe: & nihilominus non ob id peccat peccatum ſuperbiæ propriè, & ſpecialiter dictæ, vt ex ſe conſtat: ergo licèt Angelus in primo peccato dilexerit proprium bonum, ſibique vt fini vltimo inhæſerit, & per conſequens eo ipſo implicitè voluerit cætera alia in antecedenti relata, non inde colligitur prædictum eius primum peccatum fuiſſe ſuperbiæ propriè, & ſpecialiter dictæ, vt ex paritate rationis conſtare videtur.

Cõfirmatio

Confirmatur. Nam velle præeſſe, & non ſubijci, aut accipitur tanquam res per ſe volita, aut tanquam concomitans volitionem? Si accipiatur primo modo, tunc velle præeſſe, & non ſubijci, ſpectat ad ſuperbiam quidem propriè, & ſpecialiter dictam, attamen hoc non fuit repertum in primo peccato Angeli: ſiquidem (vt conſtat ex ijs, quæ D. Thomas in hac q. art. 1. ad 4. docet, & patebit amplius ex illis, quæ dubio 5. & 8. num. 239. latiùs dicemus) peccatum Angeli non fuit in hoc, quòd elegerii aliquod malum, ſed tantùm ex parte electionis inordinatæ, ideſt, ex eo quòd non elegerit, ſeu appetierit bonum eo modo, quo illud velle debuerat. Conſtat autem, quod præeſſe, & non ſubijci alteri, acceptum tamquam res volita, eſt quid malum non ſolum ex parte modi eligendi, ſiue volendi, ſed etiam ex parte rei volitæ. Si verò ſecundo modo accipiatur, tunc velle præeſſe, & non ſubijci, ex eo quòd quis inhæreat ſibi tanquam vltimo fini, non conſtituit ſpecialem rationem peccati ſuperbiæ, ſed eſt conditio ſequens omne peccatum: Et ita hinc non colligitur, primum peccatum Angeli fuiſſe ſuperbiam propriè, & ſpecialiter dictam. *D. Thom.*

Obiectio ſecundo cõtra vltimam rationem.

10 Deinde contra poſteriorem rationẽ ex art. 2. huius quæſtionis, & 22. acceptam obijcies ex Scoto loco infra referendo, non rectè colligi, Angelum primò peccaſſe peccato ſuperbiæ, ex eo quòd prædictum peccatum fuerit proſecutionis circa proprium bonum ſpirituale non ſeruata regula ſuperioris. Quoniam ad hoc deſiderabatur, quòd primò peccaſſet in proſecutione boni ſpiritualis, non ſeruata regula ſuperioris prohibentis exceſſum ſuperbiæ, non verò aliorũ vitiorũ v. g. intemperantiæ: ſed primũ Angeli peccatum non fuit in proſecutione boni ſpiritualis, non ſeruata regula ſuperioris prohibentis exceſſum ſuperbiæ, ſed intemperantiæ ſpiritualis, ſeu verſantis circa obiectum ſpirituale: ergo inde non colligitur, peccaſſe peccato ſuperbiæ ſpecialiter dictæ, ſed peccato intẽperantiæ, quod, quoad præſens attinet, fuit peccatum luxuriæ ſpiritualis. Maior videtur certa. Quoniam peccata diſtinguũtur ſpecie penes diſtinctas regulas, quibus in diſtinctis materijs opponuntur, quæque in eiſdem materijs præſcribunt modum ſeruãdum, aut prohibent indebitum, & excedentem.

Minor verò probatur. Quoniã primũ Angeli peccatũ fuit in hoc, quod ſe ipſũ dilexit inordi-

inordinato amore amicitiæ, distincto realiter ab amore concupiscentiæ, quo suam excellentiam inordinatè appetijt: siquidē quæuis concupiscentia inordinata, ac proinde quæuis alia inordinata affectio Angeli circa se ipsum, supponit inordinatam amicitiam erga se: sed amor amicitiæ Angeli erga se, nō fuit inordinatus, nisi quia se cum nimia delectatione de propria perfectione, aut de proprio *esse* dilexit, seu quia habuit inordinatū appetitum sui, vt delectabilis: ergo prædictū peccatum non fuit in prosecutione boni spiritualis non seruata regula superioris prohibentis excessum in superbia, sed in temperātia spirituali. Patet consequentia. Quia prædictus amor cum nimia illa delectatione pertinet ad genus luxuriæ, & intemperantiæ.

Confirmatio prima.

11 Confirmatur primò. Quoniam Angelus ideò voluit ex vi modi volendi alijs præesse, & eos regulare, quia se ipsum præ dilexit amore amicitiæ formaliter inordinato. at ille amor amicitiæ, vt inordinatus formaliter, & vt præsupponitur ad hoc, quod est velle ex parte modi volendi alijs præesse, & eos regulare, non fuit de ordinatus formaliter malitiæ superbiæ: quia hæc ineſt volitioni Angelicæ posteriùs natura ad amorem amicitiæ sui inordinatum, nempe, vt in sequenti signo voluit ex parte modi volendi præesse, & regulare alios: ergo est inordinatus alia malitia speciè distincta: ac proinde primum eius peccatum in hoc amore amicitiæ consistens, non erit superbit, sed (vt nuper dicebamus) erit luxuria quædam spiritualis.

Secunda.

Confirmatur secundò. Quia nos volentes inordinatè bona spiritualia, non ideò peccamus in hac volitione peccato superbiæ, sed multoties peccato luxuriæ spiritualis, ex eo quòd illa appetitus, intendentes nimiam delectationem ex ipsis capere: ergo eadem ratione Angelus in primo peccato potuit delinquere in affectu erga bonum spirituale, nē pe erga suum *esse*, ex eo quòd nimiè in illo delectatus fuerit, & in eo affectu prædictam delectationem nimiam intenderit, imò & de facto ita contingit, propter rationem nuperdictam.

§ IIII. *Soluitur prior obiectio cum sua confirmatione.*

Diluitur prima obiectio

12 AD primam ex his obiectionibus respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Et ratio disparitatis est. Quoniam cōmittens alia peccata, v. g. peccatū luxuriæ, nō ideò per se vult auersionē à Deo, & non subijci eius regulæ, sed tantū delectationē illam ex rebus venereis captam, licèt prædicta auersio, & nō subiectio ad regulā concomitetur illū actū conuersionis ad res venereas. & solū per accidēs, & ex consequenti sint volitæ à luxurioso. Cæterùm Angelus in primo suo peccato inordinate diligens bonū spirituale, nēpe suū proprium *esse*, suamque propriam perfectionem, siue beatitudinem naturalē, quæ est bonum valde excellens, ita voluit prædictū bonum, vt simul ex parte modi volendi, quāuis non ex parte rei volitæ, per se voluerit auersionem a Deo, & non subijci eius regulæ in prosecutione suæ celsitudinis, vt ex dicendis in solutione ad confirmationem huius obiectionis constabit: & ideò peccatum illius fuit peccatū superbiæ propriè. & specialiter dictæ. Quia in hoc distinguitur superbia propriè, & specialiter dicta ab alijs vitijs, quia in alijs auersio à Deo, & abiectio subiectionis ad regulam ab eo præscriptā habet se cōcomitanter, cōsequenter, & per accidēs, in peccato verò superbiæ quoad omnes eius species propriè, & formaliter dictas, auersio à Deo, & eius regula, & non subdi illi, est quid per se volitum, saltem (vt statim explicabimus) ex parte modi volendi.

Vnde D. Thomas 22. q. 162. art. 6. consti tuens discrimē inter superbiā ex vna parte, & cætera vitia ex alia, & volens explicare, quo modo superbia ex parte auersionis sit grauissimū omniū peccatorū, sic inquit: *Ex parte auersionis superbia habet maximam grauitatē: quia in alijs peccatis homo à Deo auertitur, vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, siue propter desiderium cuiuscumque alterius boni: sed superbia habet auersionem à Deo, ex hoc ipso quod non vult Deo, & eius regulis subijci. Et ideò auerti à Deo, & eius præceptis, quod est quasi consequens in alijs peccatis, per se ad superbiam pertinet, cuius actus est Dei contemptus. Et quia id, quod est per se, potius est eo quod est per aliud: consequens est, quod superbia sit grauissimum peccatorum secundum suum genus, quia excedit in auersione, quæ formaliter complet peccatum.* D. Thom

Animaduersio prima pro confirmationis solutione

13 Ad confirmationem vt respondeamus, & vnicum fundamentum ad omnes ferè totius huius disputationis difficultates dissoluendas iaciamus, prænotandum est ex D. Thoma, & communi Thomistarum schola, quod per se velle per modum prosecutionis (vt in præsenti loquimur) hoc, quod est non subijci, aut præesse, potest sumi dupliciter. Vno modo, vt illud se teneat explicitè ex parte rei volitæ: quia scilicet vel est res principaliter, & expressè volita, vel est eius modus ex parte illius principaliter se tenens, expresseque volitus, in quantum aliquis, aut vult primò, & expressè hanc excellentiam, quæ est nulli subijci, aut vult aliquod bonum, & vult illud habere non secundùm mensuram à superiore traditam, sed secundùm quòd sibi bonum iudicat: ita quòd & ipsum bonum est primò volitum, non

subiectio

ſubiecto autem in illo habendo eſt ſecundario volita, tamquam eius modus, & cõditio. Alio modo, vt illud ſe teneat principaliter ex parte modi appetendi tantùm, & non ex parte rei volitę explicitè, aut principaliter: in quantum ſcilicet aliquis vult, & amat aliquod bonum creatum, non habens repugnãtiam ſecundùm ſe cum ratione, attamẽ illud amat, nõ ſecundùm ordinẽ diuinæ regulæ: ex eo quòd cùm poſſet, & debuiſſet attẽdere ad regulam, & modum præfixum à Deo in dilectione illius boni excellẽtis ſecũdũ ſe honeſti nihilominùs vult nõ conſiderare, & nõ attendere ad prædictam regulã, & diligere illud nõ ſecundùm ordinem eiuſdẽ regulæ, ideſt, vult virtualiter nõ apponere in ſua volitione modum illum ſubiectionis, quem poterat, & debebat apponere. & ideò ſic appetens, vult ex modo appetendi non ſubijci Deo, licèt hoc, quod eſt illi non ſubijci, nõ ſe teneat principaliter ex parte rei expreſſè volitę, nec ſit vlla ratione expreſſè volitum, ſed ſolũ ſe teneat principaliter ex parte modi volendi, ſeu ex parte nolitionis, vt dicit ſpecialẽ modũ volẽdi, & inde quodãmodò deriuetur in rem volitam, quatenus modus volẽdi refunditur, quodãmodò in rem volitã: ad eũ proportionalẽ tamẽ modũ, quo per actum ſupernaturalem volitionis ſecutũ ad ſcientiã infuſam ſolet amari aliquod obiectũ naturale, vbi obiectũ ipſum expreſſe amatũ *vt quod* ſolet præcisè eſſe aliquid naturale, nihil intrinſecè habens ſupernaturalitatis, & nihilominus modus tẽdendi in illud per illum ſupernaturalem actũ eſt ſupernaturalis, ex parte eiuſdẽ actus principaliter ſe tenens, & inde quodammodo in obiectum ipſum naturale refunditur, licèt nõ ſit volitus *vt quod* per illum actum.

Secũda animaduerſio.

14 Poteſtque hoc aliter, & fortè clariùs explicari afferendo, quòd per ſe velle nõ ſubijci ſtat dupliciter. Primò ex parte rei volitæ, ideſt, cũ quis expreſſè vult præcisè hoc, quod eſt non ſubijci, vel aliquod aliud bonum cũ hoc modo non ſubiectionis expreſſè volito. Secundò ex parte modi volendi, nẽpe (quantum ad præſens attinet) cùm quis vult obiectum ex ſe honeſtũ, & rationi, ac regulæ diuinæ conſonũ, attamen ſic ſe habet in modo volendi, ac ſi expreſſè per ſe vellet non ſubijci ex parte rei volitæ, quatenus ſicut ſi hoc per ſe vellet expreſſè ex parte rei volitæ, tunc nõ curaret de ſubiectione, ſed potius per ſe, & expreſſè vellet non ſubijci, ita cùm ex parte modi volendi hoc vult, non curat de apponẽdo in ſuo actu, quo vult prædictum obiectũ honeſtum, illum modum volendi, quem diuina regula præſcribit: ac proinde nec curat de apponẽdo modo illo ſubiectionis à regula præſcripto, quem debebat, & tenebatur apponere & propterea virtualiter, & interpretatiuè cẽſetur per ſe velle ex parte modi volendi non ſubijci Deo, & diuinæ regulæ: ad eum quidẽ proportionalem modum, quo Paulus dixit: *Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non accepiſti?* 1. Cor. 4. Nam qui ſic gloriatur, vt Paulus hic deſcribit, non putat, ſe non accepiſſe a Deo bonum illud, de quo gloriatur, ſed perinde ſe gerit in modo volendi, ac ſi putaret, ſe non habere illud à Deo, ſed à ſemetipſo: quatenus ſicut ſi putaret habere prædictum bonũ à ſe, non curaret de attribuendo illud Deo, nec de dando ei gloriam ex tali bono ſecutam, ſed prædictum bonum ſibi tantùm attribueret, ſi bique tantummodò gloriam inde ortã quæreret, ita qui gloriatur de eo, quaſi non acceperit illud à Deo, non curat (non obſtante quòd putat, ſe habere prædictum bonum à Deo) de attribuendo illud ipſi, nec de dando ei gloriam, cum tamen hoc poſsit, & debeat facere, ſed omittit hoc, ſibique gloriam, oblito Deo, quærit: ac proinde virtualiter, & interpretatiuè cenſetur ex parte modi volendi ita velle gloriari de bono accepto, ac ſi gloriaretur de illo quaſi nõ accepto.

Ex his autem duabus acceptionibus per ſe volendi non ſubijci, non qualitercumque, ideſt, per modum fugæ & nolitionis, ſed per modum proſecutionis, vt in præſenti contingit, planum eſt, quòd prima conſtituit ſupremam ſpeciem ſuperbiæ propriè, & ſpecialiter dictæ: ſecunda verò etiam dicit peccatũ proprię, & ſpecialis ſuperbię: ſiquidẽ velle aliquid ex parte rei volitę, & velle illud ex parte modi volendi, ad eandem ſpeciem pertinẽt. Et ita, ſi per ſe velle per modũ proſecutionis hoc, quod eſt nõ ſubijci ex parte rei volitæ, pertinet ad ſuperbiã propriè, & ſpecialiter dictam, etiã ſpectabit ad illãper ſe velle per modũ proſecutionis, & ex parte modi volendi prædictam non ſubiectionem.

Reſpõdetur ex dictis ad cõfirmationem.

15 Hinc ergo ad confirmationem reſpondetur, quòd velle non ſubijci, aut præeſſe, non ſumitur in præſenti tamquam res per ſe volita principaliter per modum obiecti, vt obiectum diſtinguitur à modo volendi, neque etiam vt volita expreſſè, & formaliter, nec tandem tamquam modus, aut conditio obiecti ex parte eius principaliter ſe tenens, & expreſſè etiam nolita, ſed ſolũ ſumitur tãquam modus per ſe volẽdi, modo explicato.

Et ratio eſt aperta, quia Angelus (vt dubio 5. dicemus) peccauit volendo bonum optimum rationi conſonum, & valdè excellens, nempe ſuam beatitudinem naturalem, licèt voluerit illi nordinato modo, ſeu non ſecũdùm menſuram à Deo taxatam, & præfixã, quæ conſiſtebat in hoc, quòd eſt velle illam ſubijciendo, & dirigendo ſe, & eã in vlteriorẽ finem, ſiue in Deum, vt eſt obiectum ſupernaturalis beatitudinis: & ita illa nõ ſubiectio ad Deum non fuit res volita, aut per modũ obiecti, aut aliquo modo expreſſe, aut tãquam

modus, vel conditio ex parte obiecti principaliter se tenens: alioqui nō esset bona ex parte obiecti: siquidē aliquo modo velle expressè non subijci, aut velle illud quouis exmodis nuper recensitis, satis indicat, volitionem illam esse malam ex parte obiecti, vt ex se cōstat: ac proinde prædicta non subiectio solū fuit volita ex parte modi volendi, & hoc nō expressè, & formaliter, sed virtualiter tantū, & interpretatiuè, quatenus volitioni illi nō est appositus modus, & mensura à Deo præfixa, scilicet, ille modus subijciendi se, & prædictam beatitudinem excellentiori alteri fini, nempe Deo, vt est obiectum supernaturalis beatitudinis, cùm tamen prædictus modus volendi, posset, & deberet apponi.

Et tandem prædicta non subiectio non fuit vtcumque volita ex parte modi volēdi, sed per se, & non solùm peraccidens, vt ex dictis constat. Nam hoc ipso, quod obiectum volitum, & quæuis conditio ex parte eius se tenens fuerint quid honestum, & diuinæ regulæ consonum, oportuit, vt inde non deriuaretur aliqua malitia in prædictum modū volendi: ac proinde quòd malitia in illo inuenta, ex eo quòd est modus volendi subiectionis defectum respectu Dei, non cōpetat illi, quia peraccidens velit non subijci, vt in alijs peccatis contingit, ideſt, ex eo quòd velit aliquod obiectum malum sub ratione aliqua delectabili, ad cuius volitionem per accidens est volita non subiectio, ex eo quòd sit coniuncta cum prędicto obiecto, vt quid illatum ex ipsa, sed quòd per se velit prædictam non subiectionem, quippe quæ non est volita, adhuc ex parte modi volendi, quia sit volitum aliquod obiectum, illam afferens: & perconsequens erit volita per se, & ratione sui.

Diximus, per prædictam volitionem non esse volitam per se, per modum obiecti iam dicti, aut expressè, aut tamquam aliquid ex parte obiecti principaliter se tenens prædictam non subiectionem: vt denotaremus, nō esse inconueniens, hanc non subiectionem, vt est modus tenens se principaliter ex parte volitionis, fuisse ex parte modi volendi volitam *vt quo*, & eandem non subiectionē, quatenus est quid non se tenens principaliter ex parte rei volitæ, sed est modus volendi tenēs se ex parte actus volendi, & inde refunditur in obiectum, esse quid volitum *vt quod*, nō quidem formaliter, & expressè, sed virtualiter, implicitè, & interpretatiuè, quatenus Angelus v.g. appetens sui celsitudinem sine subiectione ad Deum, prębet fundamētum ad hoc, vt interpretemur, ipsum quodammodò velle non subijcere illi suam beatitudinem, suamque celsitudinem naturalem, seu ipsum velle quodammodo hoc, quod est non subijci Deo vt fini supernaturali: cæterum hoc nō est velle hāc nō subiectionē per modū obiecti, vt in præsenti sumitur, nempe, quatenus obiectū dicit quid expressè volitū *vt quod*, & quid distinctū à modo volēdi, & ex eo in illud refusū.

Replica prima.

16 Nec obest, si contra hæc vrgeas. Tum, quòd hoc, quod est non subijci Deo, & auerti ab eo, nō potest esse per se volitū: quia istud habet rationē mali, ac proinde nō potest nisi tantùm peraccidens, siue (quod in idē quoad præsens redit) per aliud esse volitū. Tū etiā, quòd modus volendi repertus in volitione solùm potest esse vel quid pertinens ad substantiā eiusdē volitionis, ex eo quòd specifica diuersitas volitionū explicatur per diuersos modos volēdi, vel modus intensionis, extensionis, aut cōtinuitatis actus: sed omnes isti modi volēdi cadūt supra rē volitā, & supra id, quod ipsa ex parte obiecti habet: ergo si Angelus nō deliquit peccato superbiæ appetēdo superexcedētē excellētiā ex parte obiecti, neque etiā deliquit superbè appetēdo excellentiā ex parte modi appetēdi. Maior probatur. Quoniā modi volitionis solū possunt desumi, vel ex obiecto, vel ex subiecto, vel ex aliquo extrinseco, vt ex duratione, cui subdūtur: & his tribus correspondēt modi assigna ti in maiori propositione huius obiectionis. Minor autē suadetur. Quoniam modus pertinens ad substantiā volitionis per se tendit ad obiectū volitū, & ad ea, quæ ex parte illius se tenent, & super hæc veluti cadit: sicut etiā cæteri modi cadūt etiā super eādē rē volitā secūdū id, quod habet ex parte sua, quia sūt modi consecuti ad primū illū modū spectātē ad substātiā act⁹, qui perinde eius naturā sapiūt.

Secunda

Solutio primæ replicæ

17 Respondetur ad primā ex his replicis, quod etsi hoc, quod est nō subijci Deo, & auerti ab illo, nō sit quid per se volitū, vt habet rationē mali: nihilominùs, vt dicit illud quodāmodò excellētiæ, quod prę se fert hoc, quod est alteri nō subdi, & vt ipsa nō subiectio dicit in eo, qui nō subijcitur, aliquid celsitudinis, potest esse quid per se, & non per aliud volitum.

Solutio secundæ.

Ad secundā verò replicam dicendum est, quòd in primis non numerātur in ea omnes modi, qui possunt conuenire volitioni, vt constat exemplo allato à Paulo, illius, qui gloriatur ex parte modi volēdi de bonis acceptis à Deo, ac si illa ab eo non accepisset.

Deinde falsū est, modū pertinētē ad substā tiā volitionis cadere supra rē volitā, & supra ea, quę ex parte illi⁹ se tenēt, si per hoc denotetur, quòd in re volita debeat esse aliquid eiusdē rationis cū modo volēdi, supra quodca dit, secùs tamē si solū innuatur, quod volitio, & ei⁹ mod⁹ terminātur modo explicato adrē volitā: hoc tamē, vt cōstat, nō est cōtra nos.

Explicatur hæc resp̄o.

18 Potestque hoc explicari in alijs actib⁹, vt v.g. in actu scientię infusæ supernaturalis, per quam cognoscitur aliquod obiectum naturale,

turale, necnon & in actu volitionis ſupernaturalis ad eam ſecuto. Nam modus tendendi in obiectum pertinens ad ſubſtantiam illius intellectionis, & volitionis, eſt ſupernaturalis: & nihilominus non oportet, quod in obiecto ordinis naturalis reperiatur aliquid ſupernaturale ex parte illius principaliter ſe tenens; ſed ſatis eſt, quòd modus ille ſupernaturalis tendendi refundatur in rem ipſam intellectam, & volitam. Si ergo in actu ſcientiæ infuſæ obiectum expreſsè cognitum ſolet præcisè eſſe aliquid naturale; & nihilominùs modus tendendi in illud per prædictum actũ eſt ſupernaturalis ex parte illius ſe principaliter tenens, & inde quodammodò in obiectum ipſum naturale refunditur, & non eſt neceſſarium, quòd ſit formaliter cognitus, aut volitus *vt quod*: cur volitio illa, qua Angelus ſuam beatitudinem naturalem, & excellentiam eius rectæ rationi, quantum eſt ex ſe, conſonam, & Angelo commenſuratam dilexit, non potuit ex parte modi diligendi terminari ad illam inordinato, ac ſuperbo modo, & non commenſurato modo diligendi, quem Angelus debebat habere? & cur inde prædictus modus non potuit refundi in ipſam rem volitam, & ſuper eam cadere, licèt excellentia illa, vt affecta hoc modo refuſo in eam fuerit volita *vt quo*, non verò *vt quod* formaliter, & expreſsè per prædictum modũ volendi, ſed ſolùm virtualiter, implicitè, & interpretatiuè, per ſe tamen, & non mediante alio volito *vt quod*, ad cuius volitionem neceſſariò ſequatur volitio inordinata illius excellentiæ?

D. Thom. Vnde Angelicus Doctor, ſequens Auguſtinum, non ſolùm inuenit deordinationem in actu ex parte rei volitæ, aut ex parte primęuæ ſpeciei illius, ſed etiam ex parte modi volendi: ita vt, licèt cætera alia ſint, quantum eſt ex ſe, ordinata; nihilominùs ſufficiat inordinatio ex parte modi volendi, ad hoc vt actus ſimpliciter ſit inordinatus. Et propterea quæſt. 16. de Malo art. 2. ad 1 explicans Angeli primum peccatum, ſic inquit: *Dicendum, quòd ſicut Auguſtinus dicit in lib. de natura boni. Malum non ſolùm eſt privatio ſpeciei, ſed etiam modi, & ordinis. Vnde dupliciter contingit in voluntate eſſe peccatum. Vno modo, quia tendit in id, quod eſt malum ſimpliciter, quaſi carens ſpecie boni: Sicut cùm quis eligit furtum, vel fornicationem. Alio modo, cùm quis vult, quod eſt ſimpliciter, & ſecundùm ſe bonum, puta, orare, vel meditari, non tamen tendit in illud ſecundùm ordinem diuinæ regulæ. Sic ergo dicendum eſt, quod primum malum voluntatis Dæmonis non fuit ex hoc, quòd voluit malum ſimpliciter; ſed quia illud voluit, quod eſt bonum ſimpliciter, & conueniens ſibi; non tamen quaſi ſequendo directionem ſuperioris regulæ, ideſt, diuinæ ſapientiæ, vt Dionyſius dicit 4. capite de diuinis nominibus, quòd malum Dæmonibus eſt auerſio, ſcilicet à ſuperiori regula, & conuenientium ipſis exceſſus. Quia videlicet bonum ſibi conueniens conſequi voluerunt, non quaſi regulati ſuperiori regula, quod excedat gradum eorum.* Sed de his iterùm dubio 5. num. 120. ſermo redibit, vbi latiùs explicabuntur.

§. *V. Enodatio ſecundæ obiectionis.*

19 AD ſecundam obiectionem reſpondetur, concedendo maiorẽ, & negando minorem. Quoniam, vt ex infrà dicendis conſtabit, primum Angeli peccatũ fuit in proſecutione boni ſpiritualis, nempe excellentiæ ſuæ beatitudinis naturalis, non ſeruata regula præfixa à ſuperiori, ſed potiùs abiecta, & deſpecta: hoc autem peccatum, planum eſt, fuiſſe in proſecutione boni ſpiritualis, abiecta regula ſuperioris prohibentis exceſſum ſuperbiæ. Diluitur obiectio ſecunda.

Et ad probationem neganda eſt maior. Quoniam in peccato Angeli non fuit duplex amor realiter diſtinctus, quorum vnus fuerit amor inordinatus amicitiæ, in quo nõ includatur amor inordinatus concupiſcentiæ; & alius fuerit inordinatus amor concupiſcentiæ, qui non ſit amor amicitiæ. Et ratio eſt. Nam cùm amare aliquem, ſit velle illi bonum, ſiue tale bonum ſit diſtinctum, ſiue identificatum cum ipſo: cõſequens eſt, vt nequeat eſſe amor amicitiæ reſpectu alicuius perſonæ, niſi per illum amorem ſit volitum ipſi aliquod bonum. Et ita idemmet amor, vt terminatus ad perſonam amatam, dicitur amor amicitię, quia prædicta perſona eſt, cui volumus illud bonum: & ipſemet amor, vt terminatur ad bonum concupitum, dicitur amor cõcupiſcentiæ, ex eo quòd prædictum bonum eſt, quod concupiſcitur: ac proinde nequit eſſe amor inordinatus amicitiæ, quin in eo includatur amor inordinatus cõcupiſcentiæ, & è conuerſo: & per conſequens loquendo de inordinato amore amicitiæ, ibi tantum fuit amicitia (vt ſic dicamus) ſuperba, & concupiſcentia itidem ſuperba mutuò ſe includentes, aut inferentes.

20 Nec obeſt probatio ſtatim ſubſumpta, nempe, quòd concupiſcentia inordinata ſupponit inordinatam amicitiam. Quia hoc ad ſummum quoad præſens conuincit, non quidem præſuppoſitionem, & prioritatem realem naturæ, ſed ſolùm præſuppoſitionem virtualem rationis formalis in aliquo genere cauſę, aut quaſi cauſę, nempe, in ratione finis *cui*: quatenus ratio à priori in hoc genere, propter quã Angelus voluit illam excellentiã inordinato modo, fuit, quia ex parte modi volendi voluit ſe eſſe actu, & in exercitio finem *cui* illius excellentiæ inordinatè concupitæ, ac proinde quia voluit ſe ipſum amore amicitiæ ſuperbæ. Sicut etiam in genere

finis *cuius gratia*, illamet excellentia fuit priùs concupita per modum finis *cuius gratia*, & in hoc genere hæc concupiscentia superba est quodammodò ratio illius superbæ amicitiæ: ideòque eadem numero malitia, & inordinatio est in illo actu, vt terminatur ad bonum concupitum, & ad personam, cui concupiscitur, ac proinde quatenus est amor amicitiæ, & concupiscentiæ.

Vnde cùm dicitur, inordinatam concupiscentiam supponere inordinatam amicitiam, distinguendum est de inordinata amicitia inordinatione eadem secundùm speciem, & numerum, aut de inordinata amicitia per inordinationem secundùm speciem, aut numerum distinctam: & negandum, id esse necessarium de posteriori, concedendum verò de priori, cum ordine, & prioritate virtuali iam insinuata in habendo prædictam deordinationem.

Ex quo etiam fit, quòd licèt amor amicitiæ, quo Angelus se dilexit, nõ fuerit deordinatus, prout præcisè terminatus est ad *esse* Angeli volendo illi quãtumuis intensè proprium *esse*, propriamque beatitudinem naturalem, aut gaudendo cum quauis intensione, quantumuis magna, de hoc obiecto cũ præcisione ista sumpto: ac proinde, licèt prædictus amor, & delectatio non habeant specialem inordinationem amoris amicitiæ distinctam ab amicitia superba, quia sibi inordinatè sui excellentiam voluit: nihilominùs potest concedi, quòd amor ista non solùm est in sequenti signo formaliter malus malitia superbiæ, sed etiam antecedenter est causaliter deordinatus deordinatione eiusdem superbiæ: quatenus Angelus ratione modi volendi superbè applicuit amorem illum amicitiæ secundùm se ordinatæ ad hoc, vt quatenus est sub illa applicatione, esset quodãmodò ratio alterius rationis ibidem inuentæ, nempe amicitiæ superbæ, & habendo cõcupiscentiam itidem superbam: ad eum proportionalem tamen modum, quo habens intentionem ex se honestam dandi eleemosynam, posteà ex abusu voluãtatis eligit ad cõsequendum hunc finem surreptionẽ rei alienæ: vbi bona illa intentio ex abusu voluntatis, & vt stat sub applicatione illius abusus, est causaliter mala malitia furti.

Reijcitur Scotus.

21 Vnde nihil obest id, quod in maiori propositione eiusdem probationis ab Scoto adducitur, nempe, amorem amicitiæ, quo Angelus se dilexit, non fuisse appetitum inordinatum, nisi quia se nimia cum delectatione amauit, seu nisi quia fuit inordinatus appetitus sui, vt delectabilis. Nam (vt optimè notauit Caietan⁹ in hac quæstione art. 2.) hoc ex pluribus capitibus corruit. Tum quidem, quia sicut delectabile nõ potest esse primum appetitum, sed appetitus delectabilis sequitur naturaliter appetitum conuenientis, quemadmodum ipsa delectatio est quies in bono conuenienti cũiuncto: ita prima deformitas in appetitu alicuius obiecti non est deordinatio appetitus boni delectabilis, sed illius boni, ad quod consequitur ratio delectabilis.

Caiet.

Tum, quia inordinata affectio ad delectabile nullum speciale vitium constituit, sed spectat ad eadem vitia, quæ respiciunt illa bona delectabilia: ita quòd inordinata affectio ad delectari in cibo, in potu, in venereis, in honoribus, in potestate, in diuitijs, in scientia, & in alijs, non spectant ad vnum vitium, nec quælibet earum constituit seorsim aliquam speciem vitij, sed singulæ ad illas vitij species spectant, ad quæ obiecta, puta potestas, scientia, potus, cibus, &c. inordinatè inspecta pertinent. Quemadmodum per oppositum, ordinatè delectari in aliquo bono, non constituit vnam, aut plures virtutes, sed est conditio sequens singulas: iustus enim ordinatè delectatur in bono ad alterum, temperans verò in bono sensibili moderato, & sic de alijs. Vnde ponere luxuriam velut vitium generale ad delectabile vt sic, voluntarium videtur. Et propterea ipsemet Scotus fatetur, quòd si excellentia appetitur, tunc appetitus talis delectabilis non ad luxuriam, sed ad superbiam spectat.

Tum denique. Quia delectari Angelum de suo proprio *esse*, & propria perfectione cũ intensione, quantumuis magna, non habet ex hoc præciso capite deordinationẽ: quia obiectum hoc est secundùm se bonum. Et propterea Angelus in 1. instanti, in quo necessariò se quoad exercitium dilexit, & de suis bonis delectatus est, in quoque peccare non potuit, vt art. 5. dicemus, tunc secundùm vltimum potentiæ quoad intẽsionem se dilexit, & eodẽ modo de sua perfectione, & pulchritudine delectatus est.

Ad primam cõfirmationem.

22 Ad primam confirmationem respõdetur concedendo maiorem intellectam, tum iuxta ea, quæ nuper dicebamus, tum etiam de amore amicitiæ inordinato formaliter, & qui formaliter sit amicitiæ superbæ. Et deinde neganda est minor. Et ad probationem ibidem subsumptam dicendum est, actum illũ, quo se Angelus inordinatè dilexit (præter quam quòd fuit inordinatus veluti causaliter, & modo nuper expositio inordinatione superbię) adhuc habuit esse etiam inordinatum formaliter per formalem inordinationem eiusdem superbiæ, vt explicatum est. Cęterùm quia, vt habet hanc posteriorem deordinationem, sunt in eo plures rationes inadæquatæ secundùm considerationem nostram distinctæ, & habentes quodammodò aliquẽ ordinem inter se: ideireò, vt intelligitur formaliter deordinatus inordinatione superbiæ

per

per priorem ex his rationibus inadæquatis, concipitur vt ratio quodãmodò alterius rationis inadæquatæ ſuperbiæ ibidem inuentę. Et ita priùs intelligitur Angelus ex parte modi volendi velle hoc, quod eſt Deo quodammodò non ſubijci vt fini ſupernaturali in illa dilectione ſuæ beatitudinis, ſiue excellentiæ naturalis, quàm quòd velit ex parte eiuſdem modi volendi alios regulare alijſque præeſſe: ac proinde velle modo dicto nõ ſubijci Deo, intelligitur eſſe quodammodò ratio volendi hoc, quod eſt eſſe regulam aliorum, eiſdemque præſidere: ideoque hoc poſterius concipitur veluti oriri ab eodem amore inordinato, vt eſt formaliter inordinatus inordinatione formali ſuperbiæ, quoad prædictam rationem inadæquatam conſiderato.

Ad ſecundã Ad ſecundam confirmationem reſpondetur ex dictis, quòd adhuc nos volentes res ſpirituales ex ſe bonas, non peccamus peccato luxuriæ ſpiritualis, ex eo quòd intensè eas appetamus, aut de eis valdè delectemur; ſed ille amor, & delectatio per ſe loquendo erũt actus boni, niſi ex aliqua circunſtantia per accidens vitientur, & tunc erunt actus inordinati iuxta naturam circunſtantiæ ibidem adiunctæ. Quamuis cum hac conuenientia, quæ eſt inter delectationes noſtras circa res ſpirituales ex ſe bonas, & delectationes Angelicas circa eaſdem res, ſit ſua diſparitas quoad primum peccatum: quia nos, adhuc in primo peccato, poſſumus delinquere appetendo rẽ ſpiritualem cum circunſtantia ex ſe mala ex parte obiecti ſe tenẽte, & ex preſsè volita, ſecùs tamen Angelus.

§. VI. *Oppoſita ſententia, fundamenta, & reſponſiones ad illa.*

Oppoſita altorũ opinio. 23 OPpoſitam tamen ſententiam, nẽpe, Angelum in primo ſuo peccato non deliquiſſe peccato ſuperbiæ propriè, & ſpecialiter dictæ tuentur Scotus in 2. diſt. 6. quæſt. 2. Pro qua etiam refertur Gabriel ibidem quæſt. vnica opuſculo de bonorum Angelorum gloria, & lapſu malorum concluſione 4. & D. Auguſtinus tomo 3. lib. 11. de Geneſi ad litteram cap. 14. pro eadem aliquos ex antiquis adducit. Et licèt prædicti auctores non conueniant, quonam peccato primo deliquerit Angelus, conueniunt tamen, quòd tale peccatum non fuerit ſuperbię propriè, & ſpecialiter dictæ; & ideò ſententia iſta quoad hanc partem negantem peccatum ſuperbiæ (ſiue illud fuerit inuidiæ, ſiue alterius ſpeciei) probatur primò. Nam primum peccatum Angeli fuit odij Dei: ergo non ſuperbiæ. Antecedens probatur, Quoniam Angelus per primum peccatum habuit peculiariter auerti à Deo: hoc autem pertinet ad odium, vt ex ſe patet: ergo, &c.

Scot. *Gabriel.* *D. Aug.*

Primũ fundamentum.

Reſpondetur ex D. Thoma in 2. diſt. 5. q. 1. art. 3. ad 2. his verbis: *Ad ſecundum dicendum, quòd odium reſpectu Dei præſupponit in Angelo voluntatis prauitatem, vt dicit Auguſtinus ſuper Geneſim ad litteram 11. quòd ſic patet: quia nullius rei poteſt eſſe odium, niſi quod eſt diſſonum, & contrarium, voluntati: illud autem, quod eſt optimum, nihil defectus habens admiſtum, non eſt contrarium, niſi voluntati non rectæ. Et ita odium præſupponit aliquod peccatum, per quod voluntas deordinatur: & ſic non fuit peccatum eius odij.* Solutio. *D. Thom.*

24 Secundò probatur eadem ſententia. Nam primum Angeli peccatum fuit inuidię: ergo non ſuperbiæ. Conſequentia eſt manifeſta. Et antecedens probatur ex Baſilio homilia de inuidia vbi ſic ait. *Quid enim Principem malorum Dæmonem ad bellum impulit? nonne inuidia, per quam Dei aduerſarius deprehẽſus eſt?* Et ex Caſsiano collatione 18. cap. 17. & ex Cypriano lib. de bono patientiæ circa finem. Secundum fundamẽtũ *Baſil.* *Caſsian.* *Cyprian.*

Reſpondetur ex D. Thoma loco nuper citato, inuidiam non poſſe eſſe primum peccatum, cuius rationem reddit S. Doctor quoad inuidiam reſpectu bonorum Dei his verbis: *Inuidia eſt dolor alienæ proſperitatis, in quantum eſt impeditiua alicuius boni proprij, diuina autem fœlicitas non eſt impeditiua alicuius proprij boni, niſi quod inordinatè deſideratur: quia ab eo omne bonum deſcendit. Et ita inuidia præſupponit aliquod peccatum, per quod voluntas deordinaretur.* Et hæc eadem ratio poteſt cum proportione applicari ad inuidiã de cuiuſcumque alterius bonis: liquidem fœlicitas v. g. hominis non eſt impeditiua boni Angelici, niſi bonum illud inordinatè cõcupiſcatur: ex eo quòd Deus diſtribuẽs vnicuique ſua bona, diſtribuit illa accõmodatè ad naturam cuiuſlibet: & ſicut diſtribuendo illa, non deſtrueret illorum naturas, ita bona vni tributa non impediunt bona alterius, niſi bona illa inordinatè deſiderentur. Diſſoluitur *D. Thom.*

Vnde ad probationem in contrarium dicendum eſt, illos Patres ſolùm voluiſſe, quòd Angelus in primo inſtanti, in quo peccauit, & conſequenter ante terminum viæ, inter alia peccata commiſit peccatum inuidiæ. Et propterea meritò de Dæmone dicitur, quòd propter inuidiam perijt, & damnatus eſt. Cæterùm cùm hoc ſtat, vt licèt peccatum inuidiæ, & ſuperbiæ fuerint in vna & eadem duratione, & ideò quoad inſtans, ſiue prioritatem *in quo* peccatum ſuperbiæ non fuerit prius, quàm inuidiæ, aut è contra: nihilominùs facta collatione inter hæc duo peccata, tunc peccatum ſuperbiæ fuit prius prioritate *á quo*, quia fuit ratio peccati inuidiæ, hęcque ex ſuperbia derivata eſt, vt optimè probat D. Thomas art. 2. huius quæſtionis.

25 Nec obeſt, ſi obijcias, quòd ſi ſemel Ange- Replica. *D. Thom.*

Angelus in 2. instanti (in quo solo potuit in via peccare, vt infrà dicemus) deliquit peccato inuidiæ, tunc in illo instanti non deliquisset simul peccato superbiæ: ergo peccatum istud non solùm non fuisset primum, verùm neque commissum intra viam Angelicam. Antecedens probatur. Tum, quia si in illo instanti viæ peccasset peccato inuidiæ, non deliquisset peccato superbiæ, delectando se de sua excellentia: quandoquidem simul corroderetur illa inuidia, odio Dei, & alijs peccatis: & ita cum hoc non staret nimia delectatio, quam de sua excellentia habuit. Tũ etiam, quia nondum in illo instanti experiebatur diuinam punitionem, aut Deum sibi contrarium, aut alios sibi resistentes: ergo tũc non habebat vnde eos odio prosequeretur, aut illis inuideret. Tum denique, quia hoc videtur docere Augustinus 11. de Genesi ad litteram cap. 16. & tractatu 42. in Ioannem, vbi ait, quòd Dæmon fuit homicida per odium, & inuidiam, non ab initio sui peccati, sed ex quo conditus fuit homo, quem posset occidere.

Augusti.

Solutio.

Respondetur, negando antecedens cum D. Thoma in præsenti art. 2. Et ratio negãdi prædictum antecedens videtur aperta. Tũ, quia Dæmon in eodem instanti, in quo peccauit, vidit Angelos bonos resistentes suę intentioni: & ita potuit eos concipere vt contrarios suæ excellentiæ, & ratione huius odio eos habere. Sicut etiam in prædicto instanti inspexit eos confirmatos in bono, & sic ratione huius potuit eis inuidere: Tum etiã, quia Dæmon non solùm commisit peccatum inuidiæ, sed etiam speciali quodam modo ratione peccãtum odij Dei. Quia sicut in idololatria, peculiari quadam ratione præ alijs peccatis includitur odium Dei, ex eo quòd exhibens cultum idolo aufert à Deo singularem excellentiam, quia solus ipse est Deus, & hoc speciali ratione includit odium Dei, vt ex se constat: ita, quia Angelus appetijt ex parte modi appetendi esse quodammodò vt Deum, ideo etiam quodammodò appetijt auferre à Deo peculiari ratione suam singularem excellentiam: & propterea in illo peccato specialiter inclusum est odium Dei.

Resp. ad primam probationẽ rectæ.

26 Vnde ad primam probationem eiusdem antecedentis dicendum est, quòd sicut modò delectatur Angelus de propria excellentia, & inuidet de alienis bonis supernaturalibus: ita potuit in primo instanti habere vtrumque actum superbiæ, & inuidiæ. Et ratio vtrobique est eadem. Quia prædicta delectatio, & inuidia sunt de diuersis obiectis, & sub duabus rationibus, & ita non sunt in eodem instanti incompossibiles.

Ad secundã

Ad secundam verò probationem respõdetur, quòd in eodem instanti, in quo appetiuit esse sicut Deus (quod quidẽ appetijt peculiari ratione, hoc ipso quòd suam singularem excellentiam superbè voluit, vt dubio 5. & 6. dicemus) habuit Deum, vt contrariũ sibi: quia vidit in illo solo excellentiam, quã singulariter modo dicto appetebat.

Ad tertiam

Ad tertiam denique probationem respondetur, ex illis verbis Augustini ad summum colligi, Dæmonem non inuidisse homini in illo instanti: cum hoc tamen stare, quod inuiderit, & odio habuerit Angelos bonos, necnon & Deum. Adde, Augustinum solùm loqui de inuidia cum executione in opere, quã non habuit Dæmon, antequam homo fuisset conditus.

DVBIVM II.

Vtrùm obiectum excellens, circa quod Angelus primò superbijt, fuerit omnimoda æqualitas per æquiparantiam cum Deo?

27 SEMEL Explicato, quomodo primum peccatum Angeli fuerit superbia, statim pulsat animum inquirere, quodnam fuerit obiectum excellens, circa quod prædictus Angelus primò superbijt. Quia verò inter cuncta obiecta excellentissima primatum obtinet æqualitas cum Deo omnimoda, & per æquiparantiam, ideò primo loco de hac inquiriminus, an nimirum Angelus primò superbierit appetendo, non quidem solam Dei similitudinem, sed esse Deum per essentiam.

§ I. *Dubij resolutio ex mente D. Thomæ, & prima ratio pro ea.*

Conclusio.

28 DIcendum ergo est, obiectum excellens, circa quod Angelus primò superbijt, nec fuisse, nec potuisse esse omnimodam æqualitatem cum Deo per æquiparãtiã. Ita D. Thomas art. 3. huius quæstionis, vbi sic inquit: *Dicendum, quòd Angelus absque omni dubio peccauit appetendo esse vt Deus. Sed hoc potest intelligi dupliciter. Vno modo per æquiparantiam: alio modo per similitudinem. Primo quidem modo non potuit appetere esse vt Deus.* Et 3. contra Gẽtes cap. 109. vbi sic inquit: *Potuit igitur in voluntate substantia separata esse peccatum ex hoc, quòd proprium bonum, & perfectionem in vl-*

D. Thom.

in vltimum finem non ordinauit, sed inhæsit proprio bono, vt fini. Et quia ex fine necesse est, vt regula actionis sumantur: necesse est, vt ex se ipso, in quo finem constituit, alia regulariter disponeret, & vt eius voluntas ab alio superiori non regularetur: hoc autem soli Deo debetur. Et secundùm hoc intelligendum est, quod appetijt Dei æqualitatem, non quidem vt bonũ suum esset diuino bono æquale: hoc enim in intellectu eius cadere non poterat.

Et in 2. dist. 5. & ibidem ad Annibaldũ q. 1. art. 2. his verbis: *Dicendum, quòd aliquis potest alterius æqualitatem appetere dupliciter. Vno modo, vt sit ei æqualis absolutè quantum ad omnia, & sic Angelus diuinam æqualitatem appetere non potuit.*

D. Ang. Idem etiam docuerunt Augustinus in lib. de quæstionibus veteris testamenti, vbi inquit, quòd Diabolus elatione inflatus voluit
D. Thom. dici Deus. Nam iuxta expositionem D. Thomæ art. 3. huius quæstionis non intelligitur de hoc, quod est dici Deum secundùm æqualitatem, & per æquiparantiam, sed secũdùm similitudinem in eo, in quo non debebat appetere prædictã similitudinem, quin potiùs
Anselm. ad oppositum tenebatur. Anselmus, in lib. de Casu Diaboli cap. 4. his verbis: *Si Deus cogitari non potest, nisi ita solus, vt nihil illi simile cogitari possit, quomodo potuit Diabolus velle, quod non potuit cogitare? Non enim ita obtusa mentis erat, vt nihil aliud simile Deo cogitari posse nesciret.*

Occurrit Vazquez ad testimonia D. Thom. Nec obest id, quod respondet Vazquez ad hoc testimonium nempe, Anselmum fuisse locutum in persona discipuli, quem ibi induxit, non verò in persona propria. Non itaque
Impugnatur. hoc obest. Nam cùm Anselmus dictum hoc in persona discipuli non refutauerit, sed potiùs modum alium, quo Diabolus peccare potuerit, statim assignauerit, satis apertè indicauit, se existimasse rationem illam in discipuli persona factam efficacem fuisse: & ita ea conuictus alium modum dicendi, quo Angelus delinquere potuerit, assignauit: ideoque attentis omnibus, illa nõ reprobatio modi assignati in persona discipuli fuit quædã tacita eiusdem approbatio.

Capreol. Caiet. Ferrara. Medina. Aluarez. Alexand. Durãd. Maior. Arrubal. Vnde assertionem hanc tuentur communiter discipuli D. Thomæ, Capreolus in 2. dist. 4. quæst. vnica art. 1. concluſ. 2. & art. 3. ad argum. Scoti contra secundam concluſ. Caietan. art. 3. huius q. Ferrara 3. contra Gẽtes c. 109. Medina 12. quæst. 13. art. 5. Aluarez ibidem docens, hanc esse communẽ sententiam inter discipulos D. Thomæ: & ex aliis Alexander 1. part. quæst. 28. membro 3. Durandus in 2. dist. 5. quæst. 1. num. 13. Maior quæst. 5. art. 2. concluſione 7. Arrubal. in præsenti disput. 178. cap. 2. alios referens.

Ratio fundamẽtalis prima. 29 Ratio verò prior, & fundamentalis huius assertionis traditur à D. Thoma locis citatis, potestque ad hanc formam redigi. Quoniam Angelus non potuit sibi proponere vt bonum, & vt sibi conueniens hoc obiectum, nempe, *se esse æqualem cum Deo per omnimodam æquiparantiam*: ergo nec potuit illud appetere: & per consequens obiectum excellens, circa quod primò superbijt, nec fuit, nec potuit esse prædicta æqualitas cum Deo. Hæc secunda consequentia patet ex priori: prior verò ex antecedenti. Quia nulla potentia potest ferri extra suum obiectum adæquatum: & ideò odoratus nõ potest percipere nisi odorabile, & gustus nisi gustabile, quia hæc sunt obiecta adæquata gustus, & odoratus. Ergo cùm obiectum adæquatum voluntatis sit bonum propositum ab intellectu eidem voluntati, vt quid conueniens: cõsequens est, vt si prædicta æqualitas nequeat proponi ab intellectu Angeli vt quid bonũ, & conueniens ipsi, neque etiam possit eam sibi persuam voluntatem appetere.

Antecedens autem probatur. Quia prædicta æqualitas per omnimodam æquiparantiã proponitur ab intellectu Angeli, vt quid impossibile eidem Angelo: ergo nequit proponi per modum boni, & conuenientis ipsi: quia cùm possibilitas, siue ratio entis possibilis sit veluti primum fundamentum bonitatis, & aliarum passionum entis, oportet, vt id, quod proponitur vt impossibile, atque adeò vt non ens, nequeat proponi per modũ boni, & conuenientis.

§. II. *Duæ solutiones aduersariorum ad rationem D. Thomæ, & vtriusque euersio.*

Euersio prima. 30 QVę ratio est adeò efficax, vt ex eius expensione facilè corruãt omnes solutiones, quæ ab aduersarijs ei solẽt adhiberi. Et in primis prior solutio eorum, qui admittunt, posse in intellectu Angelico esse errorem ante primũ peccatum, & per consequens dari in eo assensum falsum, quo iudicaret esse sibi possibilẽ omnimodam istam æqualitatem, & ita obiectũ hoc potuisse proponere suæ voluntati, vt prosequendum, facilè euanascit. Quoniam
Impugnatur primo. contra eam obstat. Tum, quòd error est pœna peccati, & ideò non potuit præcedere culpam. Tum etiam, quòd Angelo erat euidenter notum, se non posse pertingere ad æqualitatem omnimodam cum Deo, quia comprehendebat se ipsum: & ita euidenter sciebat, se essentialiter esse ens per participationem, atque adeò sibi repugnare esse ens per essentiam: ergo nõ potuit errare circa possibilitatẽ huiusce modi æqualitatis: siquidẽ nequit stare iudiciũ euidens de impossibilitate alicuius obiecti cum errore de possibilitate eiusdem.

Tum

secundò. Tum deinde. Quoniam Angelus euidẽter sciebat, hoc etiam repugnare ex parte Dei: siquidem euidenter cognoscebat, Deum per suã essentiã esse ipsum *esse* subsistẽs, quod proinde non est possibile multiplicari: sicut si daretur albedo per se subsistens, non dicẽs ordinem ad subiectum, non posset esse nisi tantùm vnica. Tum denique. Quia Angelus ante primum peccatum nullum habebat habitum vitiosum, aut aliquid aliud, quo extingueretur, aut perturbaretur cognitio illa, qua iudicabat, prædictum obiectum esse sibi impossibile: ergo nõ erat vnde posset errare circa prædictam æqualitatem, iudicando illam esse sibi possibilem, sicut contingit in nobis, qui etsi habeamus verum iudicium speculatiuum in vniuersali de conuenientia euitandi furti; nihilominùs in particulari, passione excitati, & perturbati solemus habere iudiciũ, quo practicè iudicamus, esse nobis hîc, & nunc attentis omnibus circunstantijs tunc occurrentibus, expediens furari.

Alia euasio P. Vazquez

31 Et similiter facilè corruit euasio tradita à Vazquez disput. 234. cap. 2. nempe, quòd etsi Angelus nequeat habere iudicium falsum de possibilitate omnimodæ æqualitatis cum Deo, nihilominùs est ei integrum appetere prædictam æqualitatem: quia ad huiusmodi appetitum non est necessarium iudiciũ de possibilitate illius, sed satis est, quòd per simplicem apprehensionem apprehendat, & proponat hoc obiectum sub ratione possibilis, & ita ibidem nullus interueniet error: quia hic tantùm potest esse in iudicio, vbi inuenitur affirmatio, aut negatio, nõ verò in simplici apprehensione, in qua nulla interuenit affirmatio, aut negatio. Et propterea licèt nos apprehendamus Deum, aut Angelos ad modum entis corporei, non idcircò ibidem interuenit aliquis error.

Præcluditur

Nam cõtra hanc euasionem obstat. Tum id, quod suprà diximus. & in 1. tomo tractatu 5. disp. 2. num. 52. probauimus, nempe, voluntatem non moueri ad appetendum per simplicem apprehensionem obiecti, sed necessariò requiri iudicium practicum, necnon & imperium saltem virtuale. Tum etiam. Quia ad mouendam voluntatem non satis est, quòd aliquod obiectum proponatur ei vt bonum absolutè, & secundùm se, sed oportet proponi vt conueniens volenti: atque adeò oportebit, interuenire ibidem collationem illius cum volente, & volentis cum prędicto bono, qua peracta deprehendatur, bonum illud esse cõueniens eidem volenti: hoc autem sine iudicio esse non potest, vt ex terminis ipsis constare videtur.

Tum denique. Quia hoc exigit peculiaris modus, quo voluntas mouetur, & determinatur ab intellectu ad volẽdum. Nam in hoc distinguitur modus, quo æstimatiua v.g. mouet appetitũ sensitiuum, & proponit illi obiectum, à modo, quo intellectus mouet voluntatem, & proponit illi suum obiectum: quòd æstimatiuæ non competit ex vi perfectionis suæ cognitionis, quòd proponat obiectum per modum conuenientis, aut disconuenientis appetitui, quia nõ attingit rationes, propter quas habet esse conueniens, aut disconueniens, sed ex instinctu naturæ id habet, ac proinde non ex vi perfectionis suæ cognitionis: & ideò ex sua natura est determinata ad proponendum obiectum præcisè sub ratione conuenientis, si fuerit conueniens, aut sub ratione disconuenientis, si disconueniens fuerit. Et propterea hic modus determinationis, & propositionis potest simplici apprehensioni competere.

Cæterùm intellectus non ex instinctu naturæ, sed ex vi perfectionis suæ cognitionis habet proponere obiectum sub ratione cõuenientis, aut disconuenientis: quia attingit rationes, propter quas habet esse conueniens, aut disconueniens. Et ita non est ex natura sua determinatus ad proponẽdum obiectum præcisè sub ratione v.g. conuenientis, sed habet ad id determinari ex põderatione rationum, quibus redditur conueniens, aut disconueniens. Cumque hæc põderatio rationum, & modus iste determinationis nequeat reperiri in simplici apprehensione, sed necessariò requirat iudicium ponderatiuum, vt ex se liquet: consequens est, quòd ad mouendam voluntatem in ordine ad appetitionem alicuius obiecti, aut fugam illius, non satis sit simplex apprehensio, sed necessariò requiratur iudicium. Et ita nequibit Angelus absque errore proponere voluntati, vt possibilem, & conuenientem eidem Angelo æqualitatem cum Deo omnimodam, & per æquiparantiam.

Effugiũ ad impugnationem.

32 Neque obest, si occurras, quòd etsi ex præcedenti impugnatione sequatur, Angelum non posse per actum liberum, aut perfectè voluntarium appetere hanc æqualitatẽ omnimodam cum Deo, non tamen id non posse per actum omninò necessarium, & imperfectè voluntarium, ac similem motibus subitis, & imperfectè voluntarijs, quibus voluntas nostra solet ab auctore naturę moueri ad bonum: quoniam ad hunc motum satis videtur esse simplex apprehensio: ex eo quòd ad illum non mouemur ex ponderatione rationum, sed ex instinctu, aut quasi instinctu naturæ.

Præcluditur primo.

Non itaque hoc obest. Nam in primis id satis est ad hoc, vt prædicta æqualitas nequeat esse obiectum excellens primæ superbiæ Angelicæ: siquidem hæc debuit esse actus plenè liber, & per consequens versari circa obiectum excellens liberè volitum.

Secundo.

Vlteriùs. Esto daremus, posse respectu alio-

aliorũ obiectorũ dari hos motus ſubitos in volũtate Angeli, nõ tamẽ inde fieret, poſſe dari iſtũ, quo appeteret æqualitatẽ omnimodam cũ Deo. Quia adhuc admiſſo, quòd voluntas poſſet in motibus ſubitis moueri ex ſimplici apprehenſione, qua apprehendatur aliquid impoſsibile, vt bonũ, & poſsibile, nõ tamen quãdo ſimul ſtat iudiciũ euidens, quo iudicatur, ibidẽ nullã eſſe poſsibilitatẽ, nullã uè conueniẽtiam, vt in præſenti contingit.

Vltimo

Tandẽ falſum eſt voluntatem, quippe appetitum perfectiſsimũ, poſſe moueri per ſimplicem apprehenſionem intellectus, adhuc in his motibus ſubitis, ſed ibi debere interuenire aliquod iudicium proportionatũ, nẽpe ſubitum. Quia (vt optimè notauit Caietanus

Caietan.

1.2, q. 77. ar. 2. §. *Secundo, quod apprehenſio*) nunquam aliquis appetit quod non iudicat appetendũ iudicio ſubito, vel deliberato, expedito, vel impedito &c. Quia ſemper volũtas ob ſui perfectionem debet in modo, quo mouetur ab intellectu, excedere modum quo appetitus ſẽſitiuus mouetur à ſenſu interno.

§. III. *Poſterior reſponſio aduerſariorum ad eandem rationem D. Thomæ, & illius impugnatio.*

Vltima ſolutio ad rationem factam.

Suarez.

Conrad.

33 Pari etiam ratione corruit alia ſolutio, quam tradũt Suarez loco infrà citãdo, & Conradus 1.2. q. 13. ar. 5. necnõ & aliqui alij ex Iunioribus Thomiſtis, nẽpe, ex hac ratione D. Thomæ ſolũ colligi, nõ potuiſſe in Angelo eſſe appetitũ abſolutũ, & efficacem, quo appeteret omnimodã æqualitatem cũ Deo, quia hic tẽdit ad rẽ abſolutè in ſe poſsibilẽ, vel falſò cognitam vt poſsibilẽ, licèt reuerà ſit impoſsibilis: nõ verò ex ea cõuinci, Angelũ nõ potuiſſe appetere appetitu inefficaci, & cõditionato prædictam æqualitatẽ: quia ad appetitũ iſtum non eſt neceſſe, vt hęc æqualitas ſit abſolutè poſsibilis, ſed ſatis eſt, quòd etſi ſit impoſsibilis abſolutè, attamẽ proponatur vt conueniens cõditionatè, ideſt vt conueniẽs, ſi ſemel eſſet cõueniẽs, atque adeò vt poſsibilis ſub conditione, quod quidẽ ſine aliquo errore contingere poteſt.

34 Adduntque aliqui ex aduerſarijs, nõ ſolũ rationẽ iſtã D. Thomę non cõuincere repugnãtiã huius appetitus cõditionati, verũ etiam S. Doctorẽ illã nõ intẽdiſſe oſtẽdere, ſed ſolùm repugnantiam appetitus abſoluti, & efficacis.

Enerυatur

Nam cõtra prędictã ſolutionẽ vrget, quòd licèt ex illa ſequatur, poſſe in Angelo dari appetitũ cõditionatũ ęqualitatis omnimodę cũ Deo, ſi illa eſſet poſsibilis, qui quidẽ nõ ſolũ ſit cõditionatus cõditione ſe tenẽte ex parte obiecti, ſed etiã ex parte actus, nõ tamen eſſe poſsibilẽ hũc actũ conditionatũ cõditione ſe tenẽte ex parte obiecti præcisè: ideſt, licèt ex prædicta ſolutione colligatur, quod data cõditione poſsibilitatis huiuſcemodi æqualitatis, tũc Angelus poſt purificatã, & expletã hãc conditionẽ poſſet habere actũ, quoillam appeteret; nõ tamen quod queat elicere prædictũ actũ, qui verè & realiter ſit in ipſo ante purificatã cõditionem, quique dicatur cõditionatus ex parte obiecti, ex eoquòd terminetur ad illud ſub prædicta cõditione.

Ratio impugnationis.

Et ratio huius videtur eſſe in prõptu. Quoniam ex hoc, quod dicatur, omnimodã ęqualitatem cum Deo fore conuenientẽ Angelo, ſi eſſet poſsibilis, non ſequitur, quod nũc reuerà ſit cõueniẽs eidẽ Angelo, aut quòd hoc obiectũ habeat nunc rationẽ poſsibilis, ſed ſolũ, quod ſi daretur talis cõditio poſsibilitatis, tunc prædicta æqualitas eſſet cõueniens Angelo haberetque rationem poſsibilis. Ergo inde ad ſummum colligetur, Angelũ tunc poſt expletam conditionem, ſi explebilis eſſet, appetere ęqualitatẽ iſtam, nõ verò, quòd nunc ante impletionem cõditionis queat elicere actum appetẽdi illam. Patet cõſequentia. Quia adhoc, vt aliqua potentia de præſenti habeat actum, aut queat habere illum terminatum ad aliquod obiectũ perſe illius, oportet, vt de præſenti etiã detur ratio formalis ſui obiecti adęquati in prædicto obiecto, & nõ ſufficit, quod data aliqua conditione, daretur prędicta ratio formalis, licèt reipſa, & de facto non detur.

Confirmatur inductione.

Confirmatur inductione generali in omnibus potentijs. Nam adhoc, vt viſus v.g poſſit actu, & de præſenti videre aliquod obiectũ, non ſatis eſt, quod ſi daretur hæc, vel illa cõditio, eſſet coloratum, aut lucidum, nõ tamen actu ſit lucidum, aut coloratum. Et ſimiliter adhoc, vt auditus, aut guſtus percipiãt nũc ſonũ, aut cibum, oportet vt nũc detur ſonus, aut cibus, & non ſufficit quòd poſita aliqua conditione darẽtur, licet reuerà non dẽtur. Ergo etiam adhoc, vt volũtas Angelica nunc de præſenti appetat ęqualitatẽ cum Deo, neceſſe erit, vt etiã nunc, & de præſenti inueniatur in ea ratio poſsibilitatis, & conuenientię, & nõ ſufficit, quod data aliqua conditione inueniretur, quamuis modò non reperiatur. Patet conſequentia. Quia eadem eſt ratio in omnibus potentijs, & actibus quantum adhoc, quod eſt exigere præſentem rationem formalẽ ſui obiecti in eo, ad quod ſua actio per ſe terminatur.

Effugium.

35 Nec obeſt, ſi in fauorẽ huius poſteriorisſolutionis aduerſariorũ occurras impugnationi factæ dicens, quod etſi id, quod eſtim poſsibile, ſi conſideretur ſub cõditione, quòd eſſet poſsibile, nõ habeat nunc poſsibilitatem, aut conuenientiam abſolutam, ſed purificata, & expleta prædicta conditione haberet tunc poſsibilitatem, & conuenientiam iſtam: nihilominus habet nunc ſub illa

conditione posſibilitatem,& conueniẽtiam cõditionatam de præſenti eiſcõueniẽtem: & & ideò poteſt volũtas ad illud terminari per actum ſimplicis complacẽtiæ,qui nũc, & de præſenti,ac proinde qui nõ ſit cõditionatus cõditione ſe tenẽte ex parte actus:imò etiã poteſt volũtas ad illud terminari per prædictam complacẽtiam,& includẽtem virtualẽ, efficacem volũtatem conſequendi illud abſolutè,ſi purificetur conditio,& ea purificata tranſeat illud obiectum ,quod nunc tamẽ eſt poſsibile,& cõueniens conditionatè, in poſsibile,& cõueniens abſolutè. Non ſecùs (proportione tamen ſeruata) ac illud, quod eſt futurum,ſi poneretur aliqua cõditio, quę reuera nunquam eſt ponenda,habet nunc de præſenti futuritionem conditionatam,licet non abſolutam:ſi tamen conditio purificare tur,haberet illam abſolutam: & propterea poteſt appeti nunc,ſaltem per ſimplicem voluntatis actum , qui non ſit conditionatus conditione ſe tenente ex parte actus, & ibidem inuoluitur virtualis actus voluntatis cõſequendi illud abſolute,ſi purificetur conditio , & ea purificata futurum illud tranſiret in futurum abſolutum.

Præclud. Non itaque hoc obeſt. Quoniam licèt ſit dabilis futuritio conditionata diſtincta à futuritione abſoluta: non tamen eſt dabilis aliqua vera & realis poſsibilitas præcisè conditionata:ſed omnis vera & realis poſsibilitas debet eſſe abſoluta:ex eo quod omnes cõditiones ad illam requiſitæ poſſunt abſolutè & ſimpliciter purificari: ac proinde in quouis inſtanti,in quo talis res dicitur poſsibilis poteſt abſolutè produci, & habere abſolutã exiſtentiam.

36 Et ratio diſparitatis inter futurum, & poſsibile eſt. Quoniam futurum cõditionatum habet veram &realem cauſam ſui *eſſe* conditionati, nempe voluntatem diuinam, quæ per ſuum decretum abſolutum ex parte actus decernit illud,ſi ponatur certa aliqua cõditio,de qua quia ſimul decernit nũquam eſſe ponẽdam , ideircò prædictum futurum nũquam habebit abſolutè exiſtẽtiam,ſed haberet illam, ſi poneretur cõditio:ac proinde nõ gaudet futuritione abſoluta,ſed ſolum cõditionata. Cæterum id ,quod eſt ſimpliciter impoſsibile , quanuis addatur hæc cõditio, *Si eſſet poſsibile*,nõ propterea ex ſe ,& ex vi terminorũ præcisè habet aliquã veram poſſibilitatem,quæcumque illa ſit:ſiquidem adhuc illa,quę ſunt abſolutè poſsibilia,quęque proinde habẽt præſtãtiorẽ (vt ſic dicamus) poſsibilitatem,nõ habẽt illam ex vi terminorum præcisè,ſed potiſsimè ex diuina omnipotẽtia, quæ ſe habet per modũ cauſę,ſiue rationis à priori inferẽtis talem poſsibilitatẽ modo tamen in 1.tom. tract 3.diſp.1.n. 50. explicato. Nec etiam prædictum impoſsibile poteſt habere nunc aliquam poſsibilitatẽ ex vi diuinæ omnipotẽtiæ,ex eo quòd addatur hæc conditio impoſsibilis,nẽpe , *Si eſſet poſsibile*. Quia ſicut diuina volũtas, quia eſt vniuerſaliſsima cauſa futuritionis, vel nõ futuritionis poſitiuę v.g. alicuius Angeli, nequit inferre aliquod genus futuritionis cõuenientis illi,niſi omnes cõditiones requiſitæ ad ipſum poſsint cadere ſub eius cauſalitate, & defacto cadãt,decernẽdo quod ſint,vel nõ ſint, alioqui nõ eſſet vniuerſaliſsima cauſa prædictæ futuritionis,nec per modũ talis influeret:& ideò optimè colligeremus,Angelũ illum nõ habere veram futuritionem cõditionatam,ſi daretur aliqua cõditio requiſita ad *eſſe* illius,quæ tamen ſubterfugeret prædictum decretum,quæque ab eo purificari nequiret:ita etiam,quia omnipotẽtia eſt cauſa, ſeu ratio vniuerſaliſsima cuiusuis veræ poſsibilitatis,nequit eã inferre,niſi poſsit eſſe cauſa,ſiue ratio à priori cuiuſuis cõditionis per ſe requiſitæ ad illam,ac proinde niſi eam purificare,aut explere poſsit. Cumque omnipotẽtia nequeat purificare,aut explere cõditionem illam impoſsibilem,quæ explicatur per hãc cõditionem,nẽpe,*Si per impoſsibile,illud obiectum repugnans,& impoſsibile eſſet poſsibile*:fit inde,vt ex vi diuinæ omnipotẽtiæ nequeat prædictum obiectum habere aliquam veram poſsibilitatem,quæcumque illa ſit: & per cõſequẽs neque ex illa cõditione habebit eſſe verè & realiter quid cõueniẽs per aliquã verã,&realẽ cõueniẽtiã,quęcũque illa ſit.

37 Confirmatur primo. Quoniã cõditio impoſsibilis,& chimærica , & per cõſequẽs inuoluens contradictionẽ, nequit requiri ad aliquam verã & realem poſsibilitatẽ,quę tũc ſit,quãdo prædicta cõditio eſt impoſsibilis& chimærica:& ideò ex ea ſic ſumpta nequit aliquo modo inferri vera & realis cõueniẽtia, aut poſsibilitas. Ergo cùm illud obiectũ,nẽpe æqualitas omnimoda, & per æquiparãtiã Angeli cum Deo,ſit ex ſe obiectũ impoſsibile,ac proinde nullã habẽs conueniẽtiã reſpectu Angeli:oportet,vt chimærica & impoſsibilis cõditio explicata per hãc cõditionalẽ, *Si prædicta æqualitas eſſet poſsibilis*,nulla ratione requiratur ad aliquã verãpoſsibilitatẽ, aut cõueniẽtiã,quęcũque illa ſit prędicti obiecti,quandiu talis cõditio manet(vt ſemper manere debet)in ratione chimęricę cõditionis:atque adeò etiã oportebit,quòd ex prędicta cõditione ſic ſũpta nulla ratione inferatur aliqua vera & realis poſsibilitas,aut conuenientia. Confirmatur 1.

Confirmatur ſecũdò. Quoniã vel hoc obiectũ impoſsibile,nimirũ omnimoda æqualitas Angeli cũ Deo,per ſe, & ab intrinſeco affert hanc conditionem,vel ſola mente noſtra, aut Angelica conſideratur, & additur? Primum dici non poteſt:quia prædicta conditio Confirmatur 2.

ditio ex vi terminorũ,& per locum intrinſecum deſtruit prædictum impoſsibile, vt tale: Conſtat autem,nihil poſſe per ſe,& ab intrinſeco afferre illam conditionem,quæ exvi terminorum,& per locum intrinſecum eſt deſtructiua illius. Vnde prędictę cõditiones deſtruentes per locũ intrinſecũ id,cui adiungũtur,non ſunt doctrinales,neque in diſputationibus admittendæ. Quãtò ergo minus per ſe, & ab intrinſeco adducentur, & inferentur ab aliquo ſiue poſsibili,ſiue impoſsibili. Ergo oportebit,vt dicatur ſecũdũ. Ergo cùm additio, & conſideratio illius cõditionis ſit pure ſpeculatiua,& nõ mutet obiecta,quibus liberè addi,& â quibus liberè etiã adimi poteſt: conſequẽs eſt,vt ſicut illud obiectũ impoſsibile ante additã conſiderationem noſtra, vel Angelica illam conditionẽ,erat omnino impoſsibile,nullamque habebat poſsibilem conueniẽtiam veram & realem,quæcumque illa ſit: ita etiam poſt additã prædictã conditionem manebit cum eadẽ impoſsibilitate, abſque veſtigio alicuius poſsibilitatis,aut cõueniẽtiæ,quãdiu prædicta cõditio purificata non fuerit,vt reuerà nunquã purificari queit.

Confirmatur 3o. 38 Confirmatur tertio. Quoniã ex hoc, quod miſericordia diuina,quæ eſt obiectum ſummè conueniẽs Deo,ſummè neceſſarium, nullamque inuoluens imperfectionem, cõcipiatur ſub his cõditionibus impoſsibilibus, nẽpe,ſi per impoſsibile eſſet diſcõueniẽs Deo aut haberet aliquam contingentiã,& defectũ neceſsitatis omnimodæ, aut aliquam imperfectionẽ,non ideirco conciperetur cũ aliqua vera & reali,adhuc conditionata,diſconuenientia reſpectu Dei,aut cum aliqua cõtingentia vera & reali etiam cõditionata,vel inuoluta cum aliquibus imperfectionibus realibus,adhuc cõditionatis,quæ nunc,& de præſenti diuinæ miſericordiæ cõpetũt. Ergo è conuerſo,ex hoc quòd iſtud obiectũ impoſsibile,nimirũ æqualitas omnimoda Angeli cũ Deo,conſideretur ſub hac conditione impoſsibili,nempe *ſi eſſet poſsibile*,non ideò concipietur ſub aliqua vera & reali poſsibilitate, quęcũque illa ſit,quæ de præſenti ei cõueniat, nec ſub aliqua vera,licèt cõditionata conuenientia,quæ nunc, & de præſenti ei cõpetat.

Antecedens videtur perſpicuũ. Quia alioquin diuina miſericordia non eſſet quid ſummè conueniens Deo,aut ſummè neceſſariũ, vel liberum ab omni imperfectione: ſiquidẽ id,quod eſt miſtũ cum aliqua diſcõueniẽtia vera & reali,quæcũque illa ſit,aut cum aliquibus imperfectionibus,aut cum contingentia adhuc cõditionata,dũmodò naturalis ſit, nõ poteſt eſſe,quãdiu eſt cum prædicta miſtione aut capacitate ad illam,ſummè cõueniẽs illi rei,reſpectu cuius habet prædictã diſconuenientiam,aut eſſe ens ſummè neceſſariũ, vel liberum ab omni imperfectione. Conſequentia verò ex paritate rationis ſatis conſtare videtur: & per conſequens hinc non colligetur, poſſe voluntatẽ Angelicam habere nunc, & de præſenti actum,qui tantũ ſit cõditionatus conditione ex parte obiecti, ſed prædictum actum debere eſſe conditionatũ conditione ſe tenente ex parte actus: ita vt talis actus reuerà,& formaliter nõ ſit,eſſet tamen, ſiue poſſet eſſe,ſi illa conditio impoſsibilis purificaretur,atque adeò ſi prædicta æqualitas cum Deo redderetur de impoſsibili poſsibilis.

Roboratur teſtimonijs D. Thomæ 39 Vnde Angelicus Præceptor nõ ſolùm denegauit Angelo poſsibilitatẽ volendi ſibi hanc omnimodã æqualitatem cum Deo per volitionẽ efficacem,ſed etiam per inefficacẽ, & conditionatam,dummodò conditio ſe teneat præcisè ex parte obiecti; non verò tam ex parte obiecti,quã ipſius volitionis: & ita tantũ tribuit illi velleitatem,qua vellet; non tamen qua vult. Quod quidẽ ſatis innuit Angelicus Doctor q.16.de Dęmonibus ar.3.in ſolutione ad 9 his verbis: *Dicendum,quod voluntas,quæ dicitur eſſe impoſsibiliũ,non eſt perfecta voluntas tendens in aliquid conſequẽdũ: quia nullꝰ tendit in id,quod exiſtimat impoſsibile,vt dictum eſt: ſed eſt quædã imperfecta volũtas,quæ dicitur velleitas,quia ſcilicet aliquis vellet id,quod exiſtimat impoſsibile. ſed ſub hac cõditione ſi poſsibile eſſet. Talis autem non eſt voluntas auerſionis,& conuerſionis, in qua peccatum,& meritum conſiſtit.* De hoc tamen teſtimonio iterùm in hoc dubio n.62. ſermo redibit, ibique magis expendetur. *Angelicꝰ Doctor*

Et hoc ipſũ ſatis expreſſè ſignificauit idẽ Angelicus Præceptor ar.3.huius quæſ. Quia tota ratio,propter quã denegat poſsibilitatẽ Angelo volendi nunc de præſenti prædictã æqualitatẽ,eſt,quia iſta æqualitas eſt omninò impoſsibilis Angelo,nec poſsibilitas illiꝰ poteſt in intellectu eius cadere. Hæc autẽ ratio non ſolũ tollit affectũ efficacẽ, ſed etiam inefficacẽ,qui nunc,& de præſenti habeatur. Siquidem quiuis ex his affectibus debet terminari ad ſuum obiectũ,vt bonũ, & conueniens: & (vt ex dictis conſtat) id quod concipitur,vt impoſsibile,quãuis concipiatur cũ expreſſa cõditione,nimirũ *ſi eſſet poſsibile*,nõ concipitur vt verè bonum, & conueniens, neque etiã vt bonũ,vel conueniens apparẽs, niſi ad ſummũ vbi interuenit aliquis error, vel deceptio, quæ quidem in intellectu Angeli ante ſuum primum peccatum, & maxime circa rem à Deo euidentem eſſe non potuit. Vnde plures ex diſcipulis D.Thomę,vt Caietanus in hac q.art.3. Aluarez 1.2.q.13. ar.5.necnõ & alij quã plurimi ab eodẽ ſuppreſſo nomine relati meritò tuẽtur in via Angelici Præceptoris,non ſolùm repugnare Angelo appetitum efficacem, verumetiam inefficacem,de præſenti tamen habitum circa prædictã æqualitatẽ omnimodã cum Deo. *Caietanus Aluarez*

Ex quibus omnibus fit, immerito in fi-
huius solutionis aduersariorum additum esse ab eisdem, Angelicum Præceptorem solùm voluisse excludere ab Angelo possibilitatem volitionis efficacis, non tamen ineffi-
cacis, & de præsenti habitæ respectu æqualitatis omnimodæ cum Deo.

§. IIII. *Ratio posterior assertionis ex D. Thoma deprompta.*

Secunda ratio tũdamẽ talis pro vera sententia D. Thom.

40 SEcũda verò assertionis ratio adducitur à D. Thoma in hoc art. & in alijs locis, & eò tendit, vt ostendat, quod adhuc dato, esse possibilem Angelo hãc omnimodã æqualitatem cum Deo, nihilominus non posset ab eodem appeti: quæ quidẽ ratio potest ad hãc formã redigi. Quoniã si Angelꝰ appetitu prosecutionis (de quo in præsenti fit sermo) appeteret omnimodã æqualitatẽ cum Deo, appeteret vtique suum *non esse*: sed nullus potest prædicto appetitu suum *non esse* appetere: ergo neque Angelus poterit appetere hanc æqualitatẽ omnimodam cum Deo. Consequentia videtur legitima. Maior autẽ etiam constat. Quia nequeũt hęc duo cohęrere, nimirũ, quod Angelus maneat Angelus, & simul habeat omnimodam æqualitatẽ cum Deo: tũ, quia simul esset ens per participationẽ, & per essentiam: tum etiã quia quæuis res cõstituta in aliquo gradu inferiori, & substantiali nequit euehi ad superiorẽ, & substantialẽ, nisi amittat suum gradũ inferiorẽ: ergo si Angelus appeteret gradum omniũ supremũ, & substantialem, nẽpe omnimodã æqualitatẽ cum Deo, appeteret vtique suum *non esse* substantiale, & specificum, quod in inferiori gradu specifico constitutũ est: siquidem ex illo antecedenti sequitur hoc consequens, & qui vult antecedens bonæ cõsequentiæ, vult etiam & consequens.

Minor autem probatur. Tum, quia vnusquisque determinatus est ad volendũ affectu prosecutionis suum *esse*, ita vt nequeat velle oppositũ: ac proinde vnusquisque habet determinationem ad hoc, vt nequeat habere actũ nolitionis proprij *esse*, vt docet D. Thomas 1.2.q.19.ar.2. Tum etiã, quia vnicuique inest naturale desiderium cõseruationis proprij *esse*: eò quòd propriũ *esse* specificũ, & individuale est fundamentũ omniũ aliarũ perfectionũ: & ita nequit oppositũ appetere. Quæ probatio traditur à D. Thoma 3. cõtra Gẽt. c. 19. & in hac 1.p.q.5.ar.2.ad 3. & q.48. ar. 1. necnon q.59.ar.2. in corpore, & ad 1. D. Thom.

41 Tum deinde. Quia quilibet necessariò appetit suam beatitudinẽ, saltem in cõmuni sumptã, ita vt nequeat oppositum velle: ergo eodẽ modo debet esse determinatus ad volẽdum suum *esse* specificũ, quia beatitudo supponit esse propriũ, & essentiale rei beandę, & in illo fundatur tãquã *esse* accidentale in *esse* substãtiali, & tãquam perfectiuũ in suo perfectibili, siquidem nullus potest esse beatus, quin sit. Quæ probatio desumitur ex D. Thoma 12.q.5.ar.8. & ex Augustino in lib.1. Cõfessionũ c.20. & in lib. de Vita beata, necnõ & lib.13. de Trinitate c.4. & 8. & super illa verba Psalmi 22. *Beata gens* &c. Vnde idem Augustinus infert, quòd ex hoc, quòd omnes homines beati esse volũt, profectò & esse immortales volunt, aliter enim beati esse nõpossunt. Tum denique, quia affectus prosecutionis, quo quis vult aliquod bonum sibi, nihil est aliud, quã affectus quidã, quo appetit prædictũ bonũ adiũgi sibi, seu quo quis vult possidere tale bonũ: ergo in tali appetitu necessariò inuoluitur affectus cõseruãdi sub illo bono propriũ *esse*: alioqui nõ vellet sibi prædictũ bonũ, sed alteri, nec appeteret se possidere illud, sed quòd alius tale bonũ haberet, vt ex terminis ipsis constare videtur. D. Thom. D. Aug.

Quam rationẽ sub breuiori forma adduxit Angelicus Præceptor in 2. ad Annibaldum dis. 5. q. 1. ar. 2. his verbis: *Dicendũ, quòd aliquis potest alterius æqualitatem appetere dupliciter. Vno modo, vt sit ei æqualis absolutè quantum ad omnia: & sic Angelus diuinã æqualitatem appetere non potuit, sicut non potuit appetere se non esse, nihil enim potest esse Deo æquale, nisi sit id, quòd Deus est: quia est bonitas, & magnitudo per se existens, cui nihil bonitatem, vel magnitudinem participans æquari potest. Si autem appeteret se esse hoc idẽ, quod est alter, ex hoc ipso appetit se non esse. Vnde nullus potest appetere esse hoc, quod est alter, sed tantũ, vel talis, vel taliter se habens.* D. Thom.

Proposuitque eandẽ, sicut & præcedentẽ tertio contra Gent. c. 109. sub breuiori forma, vbi postquam dixit, Angelum inhæsisse proprio bono vt fini, statim inquit: *Et secundùm hoc intelligendum est, quòd appetijt Dei æqualitatẽ: non quidem vt bonum suum esset diuino bono æquale, hoc enim in intellectu eius cadere non poterat, & hoc appetendo, appeteret se non esse: cum distinctio specierum secundùm diuersos gradus rerum proueniat.*

Et tandẽ hanc etiam rationẽ ex parte adduxit Aristoteles 4. Ethicorum ca. 4. sic inquiens. *Vnusquisque sibi ipsi vult bona* (ideſt, vt explicat ibidem D. Thomas lect. 4. vnusquisque vult se esse, in quantum conseruatur id, quod ipse est) *Factus verò alius nullus expetit cũcta, sed illud, quod est factum habere*: hoc est, si autem fieret alius, vt si secundũ fabulas transformaretur in lapides, vel in asinum, nollet se asinum, aut lapidem factum bonis humanis abundare, sed his solùm, quæ asini, aut lapidis naturæ conuenirẽt. Id namque ideò dumtaxat contingere posset, quia cùm vnusquisque velit proprij *esse* conseruationẽ, solum potest sibi velle ea Aristote.

bona,

bona, quæ tali *esse* congruunt, non verò alia, quæ illi conuenire nequeunt.

§ V. *Euasiones aliquæ aduersariorum, & earum præclusio.*

Prima solutio rationis *Vazquez*

42 NEc obest, si occurras primò ex Vazquez, loco infrà referendo, necnõ & ex alijs, falsam esse maiorẽ propositionẽ rationis D. Thomæ, nimirũ, quod si Angelus appeteret omnimodam æqualitatem cum Deo; vellet etiã suum *non esse*. Nec probatio illius eam cõuincit. Quoniam etsi re ipsa sequeretur, quòd si Angelus haberet omnimodã æqualitatem cum Deo, desineret esse Angelus: nihilominus poterit eius intellectus cognoscere bonitatẽ & cõuenientiam æqualitatis cum Deo nõ cognito malo illo, nẽpe *non esse* ipsius Angeli, quod sequeretur: & ita posset proponere illud prius suæ volũtati, nõ proposito hoc posteriori: ac proinde esset integrum volũtati Angelicæ appetere prædictam æqualitatem, nõ appetẽdo *non esse* Angelum. Et similiter probatio, quæ statim subsumitur ex communi illo axiomate, nempe, quod qui vult antecedens bonæ consequentiæ, vult etiam cõsequẽs, nõ habet quoad præsens efficacitatem. Nã prædictum axioma ad summum est verum, quãdo cognoscitur, illud consequẽs sequi per bonã cõsequẽtiam ex antecedẽti, in eoque cõtineri, secùs verò quando hoc nõ cognoscitur, vt in præsenti contingit.

Refutatur Non itaque hæc solutio obest. Quoniam Angelus in illo instanti habebat notitiam comprehensiuam suæ naturæ, suique *esse*, vt disputatione præcedenti dubio vltimo ostẽdimus: ac proinde euidenter cognoscebat, sibi, quippe enti per participationem, repugnare esse ens per essentiam, in quo omnimoda æqualitas cum Deo consistit: & per consequens euidẽter etiam sciebat, se quoad suũ *esse* Angelicum specificum, & indiuiduale in nihil abiturum, hoc ipso quòd haberet omnimodam æqualitatem cum Deo, esset que ens per essentiam: ergo non potuit tunc proponere suæ voluntati bonitatem, & conuenientiã splendentem in omnimoda æqualitate cum Deo, non proposito malo, quod inde sequeretur, nempe *non esse* eiusdem Angeli.

Cõfirmatur Confirmatur. Quoniam Angelus non potuit habere hunc actum complacentiæ in æqualitate omnimoda sui cum Deo, nisi cognosceret illam, vt attributam sibi, siquidẽ de hac æqualitate, vt attributa eidẽ Angelo, ponitur complacere: hoc autem ipso, quòd cognosceret hãc æqualitatẽ vt sibi attributã, debebat cognoscere illã, vt transferẽtẽ ipsum ad altiorẽ gradũ naturæ subsistãtialis, atque adeò vt excludẽtẽ propriũ gradũ subsistãtialẽ naturæ Angelicæ: ergo &c. Minor probatur. Nam sicut qui cognosceret per cognitionẽ non parum perfectã alicuius formę viuę, eã esse vnitam alicui subiecto, eo ipso cognoscit, excludẽdam esse à prædicto subiecto priuationem vitæ, quia hæc oppositio inter formam viuam, & priuationem vitæ est ita perspicua, & in promptu, vt nõ possit nõ cognosci ab eo, qui per cognitionem non parũ perfectam, & actualem concipit prædictam formam vnitam: ita qui cognoscit per cognitionem nõ parùm perfectam omnimodæ æqualitatis cum Deo (qualẽ Angelus tũc habuit) eam esse attributam eidem Angelo, & transferre illum ad altiorem gradum subsistantialẽ essentiæ, nempe entis per essentiam, eo ipso debet concipere eam, vt excludentem proprium gradum subsistantialem naturæ Angelicæ: siquidem non est minus perspicua oppositio inter hoc, quod est aliquid esse simul ens per essentiam, & per participationẽ, quã inter hoc, quod est esse simul viuum, & mortuum, siue priuatum vita.

Secunda solutio. 43 Neque etiam obest alia solutio aduersariorum, nempe, nõ esse verum, quòd hoc ipso, quòd Angelus euidenter sciat, se nõ posse habere omnimodam æqualitatem cũ Deo quin desinat esse, debet appetẽdo prædictam æqualitatem appetere etiam suum *non esse*. Quoniã hoc esset verum de appetitu absoluto, & efficaci, nõ verò de appetitu inefficaci, & cõditionato. Tum, quia per hũc, hoc ipso quòd esset cõditionatus, posset appetere prædictã æqualitatẽ sub hac cõditione impossibili, nẽpe, si esset possibile, quòd cum prædicta æqualitate omnimoda sui cũ Deo staret simul propriũ *esse* Angelicũ. Et ita illud axioma, quòd qui vult antecedẽs bonę cõsequẽtiæ, debet etiã velle cõsequẽs, debet intelligi, cũ antecedẽs est volitũ omninò absolutè, & sine vlla cõditione, quæ repugnet volitioni absolutæ antecedẽtis, secùs verò si antecedẽs sit volitũ tãtũ sub aliqua cõditione, nẽpe, si stet simul cũ opposito cõsequẽtis, vt in præsenti cõtingeret, quia (vt diximus) Angelus nõ vellet antecedẽs, scilicet se esse equalẽ Deo, absolutè, sed sub hac cõditione, nimirũ, si se ipso manẽte eodẽ, qui est, posset esse æqualis Deo, quæ quidẽ sui persistentia est oppositũ cõsequẽtis: & ita nõ sequitur, eũ velle cõsequẽs, nẽpe suum *non esse*. Tum etiã, quia hoc ipso, quod prædictus appetitus esset inefficax, posset per illũ appeti prædicta æqualitas cum Deo, nõ appetito *nõ esse* Angeli, quod inde re ipsa sequeretur, si esset æqualis Deo: quia appetitus inefficax est veluti precisiuus, & propterea per illũ ex his, quę in rebꝰ coniuncta sunt, potest appeti vnum non appetito alio.

Impugn. Non igitur hoc obest. Tũ, quia etsi in hac secunda ratione D. Thomæ admittatur vt posibile id, quod reuerà implicat, nempe omnimoda æqualitas Angeli cũ Deo: & hac

posſibilitate gratis ſuppoſita dicatur, nõ poſſe prædictam æqualitatem ab eo appeti, ne appetat ſuum *non eſſe*: non tamen ob id admittitur aliud impoſsibile, quòd Angelus ſimul maneret cum omnimoda æqualitate cũ Deo, & cũ ſuo proprio *eſſe*, ſed tantùm admittitur vt poſsibilis Angelo omnimoda æqualitas cum Deo per deſitionem ſui, & conuerſionẽ in naturam habentem prædictam æqualitatẽ ſiue in Deum ipſum. Ergo Angelus nõ poſſet ſimul appetere hæc duo, ſcilicet, æqualitatem omnimodã cum Deo, & eſſe Angelũ ſub hac cõditione impoſsibili, nẽpe, quod ſimul poſſet eſſe Angelus, & eſſe omninò æqualis Deo: ſiquidem, vt ratione præcedenti dicebamus, prædictum obiectum cum ſua conditione nullam habet de præſenti poſsibilitatem, aut bonitatem: & per conſequens nequibit ab Angelo appeti per volitionem, quę actu, & formaliter ſit de præſenti in ipſo.

Tum etiã quia prædicta conditionalis nõ eſt in ſcholis admittẽda, quippe quæ non eſt doctrinalis: ac proinde multò minùs ab intellectu Angelico admittitur in ordine ad mouendũ ſuum appetitũ. Ratio autẽ, ob quam prædicta conditionalis nõ eſt doctrinalis, & per conſequens nec admittẽda, videtur eſſe in promptu. Quoniã in ea ponitur oppoſitũ eius per locũ intrinſecũ, quod prius ſupponitur, ſiue eius, cui aliquo modo additungitur: atque adeo ibidẽ inuoluitur, illud eſſe volitũ, & nõ volitũ: ſiquidẽ omnimoda æqualitas cum Deo dicit ex vi terminorum, & per locũ intrinſecũ eſſe eſſentialiter Deũ ſeu habere eſſentialiter omnẽ perfectionẽ, ſine eo quòd eſſentialiter includat imperfectionẽ, ſeu inferendo excluſionẽ omnis imperfectionis, & cõditio adiecta dicit ex propriis terminis, & per locũ intrinſecũ oppoſitũ huius, nẽpe eſſe eſſentialiter Deũ, & habere ſimul, & eſſentialiter imperfectionẽ illam conſiſtẽtem in hoc, quòd ſimul ſit Angelus. Conſtat autẽ ex cõmuni Theologorũ conſenſu, ſimiles conditionales impoſsibiles nõ eſſe doctrinales, neque in ſcholis admittendas, & per conſequẽs multò minùs ab intellectu cordato Angeli in ordine ad mouendum ſuum appetitum.

44 Vnde propter hanc etiã rationẽ nõ eſt admittenda volitio Angelica æqualitatis cũ Deo ſub hac cõditione impoſsibili, nẽpe, ſi eſſet poſsibile manere ſimul *eſſe* Angelicũ, & hæc permanẽtia ſimultanea nõ inuolueret aliquã imperfectionẽ. Quia vna pars huius cõditionalis deſtruit per locũ intrinſecũ aliã, & ſaltem prior eiuſdẽ pars ponit oppoſitum eius, quod ſupponitur, nempe, æqualitatem omnimodam cum Deo vt explicatum eſt.

Cõfirmatur Confirmatur. Quoniam ideò, inter alia hæc conditionalis, *Si Spiritus Sanctus nõ procederet realiter à Filio, nõ diſtingueretur realiter ab ipſo*, eſt doctrinalis, & in ſcholis admittenda, quia prædicta cõditionalis per locum intrinſecum non tollit Spiritum Sanctũ, ſecundùm id, quòd expreſſè, & formaliter dicit, nempe, ſecũdùm quod eſt impulſus procedens per voluntatem: ſed conditio illa, nempe, *Si eſſet poſsibile, Angelũ eſſe ſimul, & eſſentialiter Deum, & Angelũ*, tollit omnimodã æqualitatẽ cum Deo ſecundùm id, quod expreſſè, & formaliter dicit prędicta æqualitas omnimoda, ſiquidẽ dicit *eſſe* ſummè perfectũ ſine miſtione imperfectionis ergo prædicta conditionalis non erit doctrinalis, nec in ſcholis admittenda: atque adeò multò minùs in cordato intellectu Angeli in ordine ad mouendum ſuum appetitum. Sicut propter hanc eandem rationem, inter alias, à nemine in ſcholis admitteretur hæc conditionalis, nimirum, *Si per impoſsibile homo non eſſet homo, aut homo non eſſet rationalis, tunc homo eſſet irrationalis*. Per quæ ſatis cõſtat ad id, quod primo loco de appetitu cõditionato ad confirmãdam hãc ſolutionẽ adductũ eſt.

45 Ad id autem, quod de appetitu inefficaci ſecundo loco affertur, dicendũ eſt, quod etſi appetitus iſte ſit aliquãdo præciſiuus quodammodò, vt patet, dum appetitur aliquod impoſsibile per accidens, quod tamen ſecundùm ſe eſt poſsibile: nihilominùs, hoc ipſo quòd per illũ appetatur aliquid, quod ſecundum eam rationẽ, ſecundùm quã appetitur, eſt per ſe, & ab intrinſeco incompoſsibile cũ aliqua re, & vt incompoſsibile cognoſcitur, tũc ex vi illius actus, adhuc inefficacis, debet ſaltem virtualiter appeti deſtructio prædictæ rei incompoſsibilis. Et ideò dum Deus inefficaciter vult ſalutem æternam omniũ hominum etiam damnatorum, quam videt eſſe in compoſsibilem cum æterna illorũ damnatione, vult ibidem virtualiter, & inefficaciter *nõ eſſe* æternæ damnationis eorundem. Quia cũ omnimoda æqualitas cum Deo, quatenus talis, ac proinde ſecundùm eam rationẽ, ſecundùm quam appetitur, ſit ſaltem incompoſsibilis cum hoc, quod eſt eſſe ſimul, & eſſentialiter Angelum, & hoc ab Angelo ſciatur: inde eſt, vt nequeat appetere hanc æqualitatẽ, vt talem, per appetitum adhuc inefficacẽ, quin ſaltem virtualiter, inefficaciter tamen velit ſuum *non eſſe*: quod quidem pugnat cum determinatione, & neceſsitate, ſaltem quoad ſpecificationem, quam ab intrinſeco habet ad volendum ſuum proprium *eſſe*. Sed de hoc iterùm §. ſequenti ſermo redibit, vbi ex verbis D. Thomæ magis explicabitur. Adde, ſolutionem iſtam non parùm ex his, quæ contra ſequentem adducentur, ſore eneruandam, vt intuenti patebit. Reijcitur inſtãtia pro ſolutione adducta

46 Nec deinde obeſt alia ſolutio, quæ rationi D. Thomæ poteſt adhiberi, nimirũ, ex ea ad ſũmũ ſequi, quod ſeruata naturali conditione cognitionis Angelicę, qua certo, & actu Tertia ſolutio,

ſcit, non eſſe compoſibilem hanc omnimodam æqualitatem cum proprio *eſſe*, nequeat appetere illam, quin ibidem virtualiter, & implicitè velit ſuum *non eſſe*; non tamen ſi hæc naturalis conditio non ſeruetur. Et ideo Angeli cognoſcenti hanc omnimodam æqualitatem cum Deo, poſſet Deus per ſuam abſolutam potentiam denegare concurſum, quo ſimul attingeret, æqualitatem iſtam eſſe incompoſibilem cum *eſſe* Angelico: & tunc eſſet integrum illi appetere eã, ſine eo quòd ſuum *non eſſe*, ſiue formaliter, ſiue virtualiter vellet: quia tunc nec formaliter, nec virtualiter deſtructio proprij *eſſe* proponeretur.

Eneruatur.

Non itaque hæc ſolutio obeſt. Nam in primis non loquimur in præſenti de Angelo, niſi ſeruata naturali conditione ſuæ cognitionis, ad quam quidem cognitionem (vt iam diximus) ſpectat, vt hanc incompoſibilitatem actu attingat. Sicut etiam propter hãc rationem non loquimur de Angelo, niſi vt appetente abſque prꝛuio errore ad ſuum primum peccatum: quia hoc ad naturalem conditionem ſuæ cognitionis pertinet. Deinde hinc addimus, quòd ad minùs præſens controuerſia eſt de Angelo, vt intelligente abſque errore. Et ita, licèt Deo denegante illi concurſum, ad hoc vt cognoſceret, æqualitatem illam omnimodam eſſe incompoſibilem cum proprio *eſſe*, non haberet cognitionem, qua hanc incompoſibilitatem attingeret, non tamẽ ſimul prorrumperet per appetitum proſecutionis, de quo in præſenti loquimur, in actum appetendi prædictam æqualitatem. Quia niſi poſitiuè habeat cognitionem, qua iudicet, poſſe manere cum natura Angelica, & ſimul habere omnimodã æqualitatem cum Deo, nequit per appetitum proſecutionis appetere talem æqualitatem, vt ex dictis conſtat: & ſi habeat talem cognitionem, labitur in errorem: & ideò adhuc in prędicto euentu nequit eam appetere.

§. VI. *Poſterior contrariorum euaſio, & eiuſdem euerſio.*

Vltima ſolutio.

47 NEc tandem obſtat alia aduerſariorum ſolutio, nempe falſam eſſe minorem propoſitionis rationis D. Thomæ, in qua aſſeritur, Angelum non poſſe appetere ſuum *non eſſe*. Quia *non eſſe* proprium poteſt appeti, vel tanquam medium ordinatum ad conſequendum aliquod bonum, vel conſequenter ad appetitionem eiuſdem boni, ſiue (vt alij dicunt) appetitione per accidens, ex eo quod *eſſe* proprium ſit incompoſibile cum illo bono. Et ita etiam Angelus potuit appetere ſuum *non eſſe*, vel tanquam medium ad conſequendum omnimodam æqualitatem, vel conſequenter, & per accidens, ex eo quòd *eſſe* Angelicum eſt incompoſibile cum hac æqualitate.

Poteſtque hoc explicari aliquibus exẽplis. Primum, damnatorum appetentium ſuũ *non eſſe*, vt liberentur à cruciatibus, & miſerijs, in quibus ſunt. Secundum, vnionis hypoſtaticæ, quæ poteſt appeti à creatura, & ſimul etiam *non eſſe* propriæ ſubſtantiæ, & exiſtentiæ: quia hæc ſunt iuxta mentem D. Thomæ incompoſibilia cum prædicta vnione. Tertium, eius, qui ignorat reſurrectionem corporum, & nihilominùs appeteret mortem, vt eius anima fœlicitatem æternam conſequeretur. Quartum, eius, qui profunderet vitam pro exercitio ſuæ libertatis, vt ſi propter illud vellet ſe iugulare, aut volẽtis etiam profundere eandem vitam pro tuenda, v. g. caſtitate, vel vt immortalem ſui memoriam, & famam in aliqua occaſione moriendo relinquat. Vltimum verò, eiuſdem Angeli, qui in via D. Thomæ deliquit ſuperbè, ex eo quòd beatitudinem ſupernaturalem appetijt, vt acquirendam proprijs viribus: & tamen ibidem conſequenter appetijt ſuum *non eſſe*: ex eo quòd hæc duo ſunt inter ſe incompoſibilia, nimirum, illum manere Angelum, & nihilominùs proprijs viribus acquirere beatitudinem ſupernaturalem: ſiquidem hoc tantùm eſſet proprium ſubſtantiæ ſupernaturalis, & habentis ex ſe ſupernaturales vires requiſitas ad prædictam beatitudinem, ſi fieri poſſet, vt prædicta ſubſtantia eſſet dabilis.

Explicatur exemplis.

Impugnatur.

48 Non itaque hęc ſolutio obeſt. Quoniam hæc eſt differentia inter appetitum remotionis, & proſecutionis, quòd per appetitum remotionis poteſt appeti proprium *non eſſe*, ad remouendas à ſe miſerias, & cruciatus, quibus appetens angitur, non verò appetitu proſecutionis, vt talis eſt: quin potiùs (vt in ratione. D. Thomæ dicebamus) in viſceribus huius appetitus intimè clauditur, quòd appetens velit conſeruationem proprij *eſſe*, & coniunctionem boni deſiderati cum illo. Sed ſi Angelus appeteret omnimodam æqualitatem ſui cum Deo, tunc vellet illam appetitu proſecutionis, vt talis: ergo per hunc appetitum non poſſet velle deſtructionem proprij *eſſe*. Minor & conſequentia videtur perſpicuæ.

Maior autem probatur. Quoniam in appetitu remotionis vti poteſt quis ſe ipſo, & ſuo *eſſe*, tanquam termino *â quo*. Et quia terminus *â quo* non oportet ſaluari in motu, idcircò per prædictum appetitum poteſt quis appetere ſuum non *eſſe*. At in appetitu proſecutionis, quo quis appetit aliquod bonum ſibi, vtitur ſe tanquam termino *ad quem*, & tãquam fine *cui*, necnon & tanquam ſubiecto perficiendo per prædictum bonum. Cumque in motu debeat ſaluari terminus *ad quẽ*, ſubiectum, & finis illius, inde eſt, vt per prædictum appetitum nequeat appetens appetere ſuum

ſuum *non eſſe*: quin potius in intimis talis appetitus includatur volitio conſeruationis proprij *eſſe*, & coniunctionis illius cum bono appetito.

D. Thom. 49 Quam probationem adduxit D. Thomas quæſt. 16. de Dæmonibus art. 3. ad 5 ex his, quæ ſecundo loco propoſita ſunt. Nam cùm Angelicus Præceptor ſibi ſic obpoſuiſſet: *Illa, quæ non poſſunt diuidi ſecũdùm naturam, poſſunt quandoque diuidi ſecundùm voluntatem, & rationem. Vnde nihil prohibet, quòd aliquis appetat id, ad quod ſequitur non eſſe, ſicut carere miſeria, licèt non appetat non eſſe. Similiter ergo videtur, quòd nihil prohibeat, quòd Diabolus appetierit Dei æqualitatem: quamuis ad hoc ſequatur, quòd ipſe non eſſet de his, quæ pertinent ad eſſe.* Cùm igitur Sanctus Doctor ſic ſibi oppoſuiſſet, reſpondit in hunc modum: *Dicendum, quòd cùm aliquis vult à ſe aliquid remouere, vtitur ſe vt termino à quo, quod non eſt neceſſe ſaluari in motu: & ideò poteſt aliquis appetere, ſe non eſſe, vt careat miſerijs. Sed cùm aliquis appetit aliquod bonum ſibi, vtitur ſe vt termino ad quem: huiuſmodi autem terminum neceſſe eſt ſaluari in motu. Et ideò non poteſt aliquis appetere ſibi aliquod bonum, quo habito ipſe non manet.*

Confirmatur, & enucleatur ratio D. Thomæ.

Confirmatur, & ſimul explicatur vis rationis D. Thomæ in hac ſolutione, necnon & articulo 3. huius quæſtionis contenta, & quomodo ex ea colligatur apertè implicatio contradictionis in hoc, quòd Angelus ſibi appetat omnimodam cum Deo æqualitatem. Nam ex quo capite appeteret illam per appetitum proſecutionis formaliter talem, vellet ipſam vt bonum ſibi, & coniungendum cum ſuo *eſſe*. At ex quo capite prædicta æqualitas eſt omninò incõpoſibilis cum proprio *eſſe*, & vt talis cognoſcitur, non poſſet illam appetere, quin ſaltem virtualiter, & conſequẽter appeteret proprium *non eſſe*: & ita ſimul appeteret *eſſe*, & *non eſſe*, haberetque appetitus inter ſe repugnantes, nempe appetitum ſaltem virtualem, & ex conſequenti reſpectu proprij *non eſſe*, qui pugnat cũ appetitu proſecutionis, quo tunc appetitur illud bonum: ſiquidem (vt iam diximus) per hunc appetitum ita appetitur bonum appetenti, vt neque per ſe, neque per accidens poſsit eſſe volitum *non eſſe* appetentis, ſed potiùs indiſpenſabiliter in viſceribus eius imbibitur appetitio conſeruationis prædicti *eſſe*.

Reboratur præcedens impugnatio Caiet.

50 Deinde poteſt impugnari prædicta ſolutio, & ſimul confirmari impugnatio præcedens, ſupponendo ex Caietano 2. 2. quæſt. 34. art. 1. §. *ad hæc*, quòd cùm cõmuniter circunfertur, voluntatem eſſe determinatam ſaltem quoad ſpecificationem ad dilectionem proprij *eſſe*, debet intelligi de proprio *eſſe* ſecundùm ſe conſiderato, & non ſecundùm quòd habet aliquid adiunctum: nam ſi conſideretur ſecundùm ſe, nihil habet, ratione cuius ſit contrarium voluntati, poſsitque odio haberi. Quoniam ſicut beatitudo ipſa nihil habet ſecundùm ſe, vnde poſsit reſpui: ſic nec proprium *eſſe*, quod eſt fundamentum totius beatitudinis, & ſine quo hæc haberi nequit: licèt ſecundùm ſibi adiuncta poſsit includere aliquod malum verum, vel apparẽs, ratione cuius repugnet voluntati, & poſsit eſſe nolitum. Et in hoc ſenſu ſolet dici, poſſe prædictum *non eſſe* eſſe volitum, tanquam medium in ordine ad bonum aliquod, vel ſub ratione boni: non quidem quia ei verè competat ratio veri medij, aut bonitatis, ſiquidẽ vtraque hæc ratio debet fundari in entitate; ſed ex eo quòd ex illo *non eſſe* poteſt ſequi carentia alicuius mali adiuncti, & hæc carentia reputatur vt bonum.

Hinc ergo ſequens impugnatio deducitur. Quoniam ex hoc, quòd *eſſe* Angelicum ſit incompoſibile cum omnimoda æqualitate cum Deo, non ideò conſideratur vt habẽs adiunctam aliquam rationem mali, ſiue miſeriæ; ſed ſic ſumptum ſolùm cõſideratur ſecundùm ſe: ergo non habet vnde poſsit reſpui à voluntate. Conſequentia videtur perſpicua. Antecedẽs autem etiam liquet. Quoniam quòd prædictum *eſſe* Angelicum ſit incompoſibile cum æqualitate omnimoda cũ Deo, ſolùm habet in eo rationem negationis, & non extrahit illud à ſemetipſo ſecundùm ſe ſumpto; quippe quod ſecundùm ſe conſideratum, & ex proprijs meritis affert prædictam negationem. Sicut etiam, quòd prædictum *eſſe* ſit ex ſe limitatũ, & per participationem, non habet in eo rationem priuationis, ſed puræ negationis: nec per hoc extrahitur à ſemetipſo ſecundùm ſe accepto, quin potiùs à ſe extraheretur, ſi non eſſet ens finitum & limitatum, aut ſi ex ſe non eſſet incõpoſibile cum omnimoda æqualitate cum Deo.

Reijciuntur exẽpla pro ſolutione allata.

51 Neque inſtantiæ, ſeu exempla in fauorem huius ſolutionis aduerſariorum addu cta ei fauent. Nam ad primum ſatis conſtat ex modò dictis in impugnatione eiuſdem ſolutionis. Ad ſecundũ verò de vnione hypoſtatica dicẽdũ eſt, ſatis eſſe ad appetitũ proſecutionis, quo quis vult bonũ ſibi, ſaluari propriũ *eſſe* ſpecificũ, propriũque *eſſe* indiuiduale reuerà exiſtẽs, licèt nõ exiſtat per propriã, ſed per alienã exiſtentiã. Vnde ratio D. Thomæ nõ de qualicũque *eſſe*, ſed de *eſſe* eſſẽtiali, & ſpecifico, ac indiuiduali, quale nõ eſt propria exiſtentia, vel ſubſiſtentia intelligenda eſt. Et propterea idem S. Doctor art. 3. huius quæſtionis, dum hanc rationem tradit, vtitur nomine naturæ, inquiens, neminem exiſtentem in inferiori gradu naturæ poſſe appetere ſuperioris naturæ gradum. Conſtat autem, in creaturis naturã diſtingui à propria

Ad primũ, & ſecundum exemplum.

D. Thom.

illius

illius ſubſiſtentia, & exiſtentia. Vnde, licèt voluntas appetens ſit determinata determinatione quoad ſpecificationem ad volendũ ſuum *eſſe* ſpecificum, & indiuiduale, quippe fundamentum totius ſuæ beatitudinis, nõ tamen proprium *eſſe* exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ, quia poteſt appetens ſine illo eſſe beatus, dummodò ſaltem per alienam ſubſiſtentiam, & exiſtentiam ſubſiſtat, & exiſtat.

Ad tertium

Ad tertium autem exemplum reſpondetur, ſatis eſſe ſaluari potiſsimam partem hominis, nempe animam rationalem, vnà cum bono illo concupito. Nam cùm hæc ſit, quæ exiſtit, & ſubſiſtit *vt quod*, adhuc in corpore, quæque habet eſſe principium *quod* intelligendi, & volendi, dum eſt vnita eidem corpori, ita vt hoc ipſi principaliùs, quàm toti compoſito competat (ſi quidem ipſa eſt principium, quo totum compoſitum intelligit, & vult, & ſimul habet ex ſe per modum principij *quod* intelligere, ac velle) ac tandem cùm eidem ſoli bonum illud concupiſci ſupponatur: inde eſt, vt ſatis ſit ſaluari prædictam partem, maximè cum tanto incremento perfectionis, quale eſt æterna fęlicitas, ad hoc vt detur ibidem appetitus proſecutionis. Quare non *eſſe* totius compoſiti ſolùm eſſet volitũ appetitu remotionis, quatenus *eſſe* illius iuxta apprehenſionem prædicti appetentis eſt (vt ſupponitur) coniunctum cum illa miſeria, nempe, cum carentia æternæ beatitudinis animæ, quam iudicat non eſſe ab eadem anima conſequibilem, niſi per remotionem prędicti *eſſe*.

Ad quartũ.

52 Ad quartum deinde exemplum cõſtat ex nuperdictis. Siquidem appetens coniungit ſuum *eſſe* cum bono volito per appetitum proſecutionis, nempe, cum exercitio ſuæ libertatis ſplendente in illa actione iugulandi ſe ipſum: ſicut etiam cùm profundit vitam pro tuenda caſtitate, vult coniungere, & de facto coniungit proprium *eſſe* cum egregio illo actu caſtitatis tuendæ: quanuis ibidẽ cum hoc appetitu proſecutionis prædictorũ bonorum miſceatur appetitus remotionis proprij *eſſe*, ex eo quòd iugulans ſe pro exercitio libertatis, iugulando ſe ipſum falsò iudicat, ſuum *non eſſe* habere rationem ablatiui huius mali, quod eſt non exercere quoad omnia obiecta propriam libertatem: & proprium *eſſe* conſideratur vt impeditiuum huius boni, quod in tali exercitio apprehenditur. Et ſimiliter profundens vitam pro tuenda caſtitate rectè iudicat, ſuum *eſſe*, vt coniunctum cum violatione caſtitatis, habere rationem cuiuſdam *eſſe* valdè miſeri: & propterea vult ad euitandam hanc miſeriam ſuum *non eſſe*: non quidem ita vt hoc ſubſequatur in ea duratione, in qua acquiritur bonum concupitum, ſed immediatè poſt: ex eo quòd nõ eſt dabile cum circunſtantijs ibidem concurrẽtibus bonum concupitum, quin immediatè poſt ſequatur proprium *non eſſe* appetentis. Quod idem cum proportione de iugulante ſe ob exercitium propriæ libertatis dicimus.

Ad illud autem, quod in eodem exemplo additur de eo, qui offert ſe morti pro acquiſitione famæ, & æterni nominis, dicendum eſt, quòd ſi fiat ſermo de acquiſitione famæ per modum meriti præcisè, prout tantùm dicit exercitium alicuius actionis, quæ ex ſe, vel ex apprehenſione appetentis ſit digna æterno nomine, & fama, tunc bonum iſtud coniungi etiam poteſt cum *eſſe* appetentis. Si autẽ loquamur de acquiſitione actuali ipſius famæ, & æterni nominis, quod ſubſequendum eſt poſt mortem appetentis, tunc dicendũ erit, quod ſicut fama iſta eſt quoddã bonum exiſtens quodam morali, aut quaſi morali modo: ita ſatis eſt, quòd *eſſe* appetentis, quanuis phyſicè pereat, maneat tamẽ moraliter, aut quaſi moraliter in hominũ memoria, & cum eo ſic manente bonũ illud famæ, & nominis coniungatur.

53 Neque hinc ſit, poſſe appeti ab Angelo conuerſionem ſui in diuinam æqualitatem, dato quòd hæc eſſet poſsibilis, ac proinde ſuum *non eſſe* in ſemetipſo. Ex eo quòd vnus ex modis manendi phyſicè in alio, eſt manere in illo per conuerſionem in ipſum: & ita ſi appetens, qui phyſicè perit, & moraliter manet, habet ſufficientem permanentiã ſui *eſſe* ad appetendum ſibi appetitu proſecutionis bonũ aliquod morale, non eſt cur, qui phyſicè etiã perit in ſe, & manet aliquo ex modis phyſicè permanendi, non poſsit appetitu proſecutionis appetere bonum illud phyſicum, quod eſt acquirendum per talem conuerſionem, & permanentiam.

Obiectio.

Non igitur hinc ſequitur prædicta illatio, propter diſparem rationem permanendi in priori, & in poſteriori caſu. Nam in priori datur permanentia moralis proprij *eſſe* ſpecifici, & indiuidualis: in poſteriori verò datur phyſicè carẽtia prædicti *eſſe*: quia ex hoc, quòd Angelus phyſicè conuerſus in alium maneat in illo, non habetur, quòd perſiſtat ſub proprio *eſſe* ſpecifico, & indiuiduali, ſed ſub alieno, ſeu ſub aliena natura. Conſtat autem ex dictis, quòd ad effectum proſecutionis deſideratur, quòd appetens velit coniungere bonum concupitum cum proprio *eſſe*, ſeu cum proprio indiuiduo, cui vult illud bonum, ita vt prædictum indiuiduum maneat ſub propria ſpecie, & indiuiduatione aliquo ex modis realibus manendi ſub illa, qui ſit proportionatus ad coniungendum ſibi bonum concupitum.

Reſponſio.

Ad vltimũ exemplum.

54 Ad vltimum tandem exẽplum reſpondetur, Angelum appetentem beatitudinẽ ſupernaturalem, vt acquirendam proprijs viribus,

ribus, non appetere per modum obiecti, & formaliter, ac expresse, nisi tantùm beatitudinem ipsam, vt ex dicendis dubio 6. constabit: beatitudo autem ista secundùm se sumpta non est incomposibilis cũ proprio *esse* Angelico. Et ita attendendo præcisè ad obiectũ appetitum expresse, nõ ideò Angelus debet, adhuc consequenter, appetere suum *non esse*, ex eo quòd appetat prædictam beatitudinẽ; benè tamen ex hoc præciso capite, quòd appetat per modum obiecti expresse voliti omnimodam æqualitatem cum Deo incomposibilem cum *esse* Angelico. Cæterùm cum his stat, vt Angelus ex parte modi volendi, virtualiter tamen, & interpretatiuè, appetierit beatitudinem supernaturalem, vt acquisibilẽ propriis viribus, vt dubio 6. dicemus: ac proinde eodem modo voluerit esse quodammodò vt Deus quoad modum habendi prædictam beatitudinem. Hinc tamen non fit, Angelum ex parte huius modi voluisse suum *non esse*, quia esse quodammodò vt Deus hoc virtuali, ac implicito, & interpretatiuo modo præcisè, non est quid pugnans cum *esse* Angelico: sicut nec pugnat cum ipso, quòd idẽmet Angelus constituat virtualiter, & interpretatiuè suum vltimum finem in semetipso: & propterea quiuis peccans moraliter habet sic esse vltimus finis illius actionis, & quodammodò respici, & haberi pro Deo, iuxta illud ad Philippenses 3. *Quorum Deus venter est*, & ad Ephesios 5. *Aut auarus, quod est idolorum seruitus*: ex eo quòd auarus quodãmodò sibi ipsi, vt idolo, siue vt Deo, non quidem vero, sed falso seruit. Sed hæc amplius n. 60. explicabuntur.

Ad Philip. 3. *Ad Eph. 5*

§. VII. *Occurritur interrogationi incidenti.*

Dubiũ incidens.

55 SEd inquires, an dato, quòd esset possibilis Angelo appetitus iste conditionatus ex parte obiecti præcisè de omnimoda æqualitate cum Deo, tunc dicendum sit, ipsum primò superbijsse, aut superbire potuisse in primo suo peccato circa prædictam æqualitatem? Respondetur, quòd adhuc data possibilitate huius appetitus conditionati, non superbiuit primò, imò saltem secundùm communem, & regularem cursum non potuit sic superbire in primo suo peccato appetendo hanc æqualitatem omnimodam cum Deo. Ita communiter discipuli D. Thomæ. Et quidem responsio hæc quoad primam partem, nimirum, quoad id, quod de facto contingit, videtur colligi ex aliquibus Scripturæ testimonijs, vt ex illo Ezechielis 28. vbi fit sermo de peccato Luciferi, & de eo dicitur: *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti*. Negotiatio autẽ multiplex simplici, & conditionato affectui nõ cõgruit. Necnon ex Isaię 14. *Dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamẽti in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, &c.* In quibus verbis satis denotatur perfecta quædam voluntatis determinatio, insignisque conatus, efficacia, & adhæsio ex parte illius; non verò solus quidam simplex, inefficax, & conditionatus affectus. Idem etiam satis infertur ex Anselmo supra relato, dum dixit, quòd diabolus hoc appetijt, ad quod peruenisset, si stetisset. Constat autem, quòd si stetisset, non peruenisset ad omnimodam æqualitatem cum Deo: ergo neque eam in prima sua superbia appetijt.

Ezech. 28

Isaiæ 14.

Et deinde eadem responsio quoad secundam partem, nempe, de impossibilitate prædicta secundùm communem, & regularem cursum, potest suaderi ex illis, quæ ex D. Thoma dubio 5. & 6. dicemus, nimirum, primam Angeli superbiam debuisse, saltem secundùm communem, & regularem cursum, versari circa vltimum finem: ac proinde, si posset circa omnimodam æqualitatem cum Deo primò superbire, oportuisset, eam tanquam vltimũ finem, superbo tamen modo appetere: hoc autem non potest competere simplici, & inefficaci affectui: quia affectus ad vltimum finẽ, vt talem, est affectus dilectionis ipsius super omnia, affectusque proinde efficax.

Soluitur.

Cõfirmatur

56 Confirmatur. Quia adhuc homines magni põderis nõ solẽt iuxta cõmunẽ, & regulare cursum, siue dum ad malum, siue dum ad bonum intendunt, de his obiectis omninò, & per se impossibilibus per se curare, adiecta conditionali de possibilitate eorum: maximè cùm instat grauis, & magna necessitas curandi, & deliberãdi de rebus aliàs magni ponderis, & momenti. Ergo multò minùs erit iuxta communem, & regularem cursum quid congruum naturæ Angelicæ, vt in primo instanti suæ primæ deliberationis deliberauerit primò circa obiecta impossibilia, & conditionalia, & in prædictis actibus conditionalibus se primò occupauerit: præsertim cùm tunc vrgerent ipsum res magni ponderis, scilicet, negotiatio suę æternæ salutis efficaciter prosequendæ, vel relinquendæ, quæ quidem ex illo instanti pendebat.

Roboratur vlterius.

Accedit, quòd prædicta æqualitas cum Deo, aut transmutatio in diuinam naturam sub conditione possibilitatis, non est obiectum per se, & ex sua præcisa specie contrariũ rationi, nisi vitietur ratione alicuius circunstantię, qualis esset circunstantia praui alicuius finis: ergo Angelus non potuit primò superbire circa prædictam æqualitatem, ita vt hæc esset primum eius obiectum. Antecedẽs patet. Quoniam data possibilitate appetendi hanc æqualitatem, potuit Angelus eã appetere,

petere, vt ſic meliùs Deum diligeret: qui affectus videtur eſſe pius. Conſequentia verò probatur. Quia hoc ipſo, quòd prædictus affectus non eſſet malus niſi ex circunſtantia illa finis, tũc prima eius malitia tantùm deſumeretur ex prædicto fine: ac proinde Angelus non ſuperbijſſet primò circa æqualitatem cũ Deo, ſed circa illum finem malum, hicque eſſet primum obiectum ſuæ ſuperbiæ.

Obiectio prima contra reſolutionem dubij incidẽtis

57 Nec obeſt, ſi objcias primò, quòd in aliquibus Scripturæ, & Patrum teſtimonijs dicitur, Angelum appetijſſe æqualitatẽ cum Deo: ergo dato, quòd hæc æqualitas eſſet poſsibilis, & quòd Angelus eam poſſet appetere, non erit cur hæc teſtimonia non intelligantur vt ſonant, & per conſequens nõ erit cur primum peccatum Angeli non fuerit defacto ſitum in hoc, quòd prædictam æqualitatem appetierit. Conſequentia videtur legitima. Antecedens autem quoad teſtimonia Scripturæ probatur ex illo Ezechielis 28. *Eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti: Deus ego ſum.* Et Iſaiæ 14. *In cœlum conſcendam, &c.* Nam (vt argumentatur D. Thomas q. 16. de malo) hoc non poteſt intelligi de cœlo empyreo, in quo cũm alijs Angelis bonis fuit Lucifer creatus, ſed de cœlo ſanctæ Trinitatis, ſeu de diuinitate trium perſonarum, quam Angelus appetijt. Quoad teſtimonia verò Patrum idem antecedens ſuadetur. Nã illud videntur fateri Nazianzenus carmine 6. & oratione 27. in ſuam defenſionem, Gregorius Magnus lib. 34. moralium cap. 17. aliàs 14. Auguſtinus de Ciuitate lib. 14. cap. 11. Ambroſius epiſtola 33. & Pſalmo 118. octonario 3. Chryſoſtomus homil. 3. de verbis Iſaiæ. Hugo de Sancto Victore in ſumma, ſeu tractatu 2. cap. 4. his verbis: *Similis eſſe voluit altiſsimo, non per imitationem, ſed per æqualitatem*: Iſidorus libr. 1. de Summo bono cap. 10. & Gloſſa ſuper illud Pſalmi, *Quæ nõ rapui, tunc exſoluebam*, inquit, quòd Diabolus rapere voluit diuinitatem, & perdidit fœlicitatem. Et tandem alij relati à Suarez lib. 7. de Angelis cap. 12. num. 2.

Ezech. 28
Iſaiæ 14
D. Thom
Nazianz.
Gregor.
Magnus.
Auguſt.
Ambroſ.
Chryſoſt.
Hugo de S. Victore.
Iſidor.
Gloſſa.
Suarez.

Cõfirmatio

Confirmatur. Quoniam Luciferi ſuperbia fuit omnium maxima, & valdè execrabilis: ergo eius obiectum fuit maximè deteſtabile, quantum eſſe potuit in genere ſuperbiæ: ergo cùm hoc ſit omnimoda æqualitas cum Deo in natura appetita ab Angelo, cõſequens eſt, Luciferum eam appetijſſe, ſi ſemel datur, ipſum prædictam æqualitatem appetere potuiſſe.

Enodatur obiectio.

58 Reſpondetur, quòd quantum attinet ad illud obiectum, circa quod Angelus primò ſuperbijt, non debent intelligi prædicta teſtimonia de aliquo obiecto, quod reuerà ſit abſolutè impoſsibile appeti ab Angelo, licèt gratis admittatur, prædictum obiectum poſſe ab eo appeti. Conſtat autem ex nuper dictis, eſſe impoſsibile, Angelum per appetitum efficacem, aut per ineffícacem, & conditionatum appetere omnimodam æqualitatem cum Deo. Vnde prædicta teſtimonia non ſunt intelligenda de aliquo appetitu expreſſo, & formali omnimodæ æqualitatis cum Deo, ac proinde nec de aliquo appetitu, per quem hæc eadem æqualitas ſit volita per modum obiecti expreſsè voliti, ſed ſolùm debent intelligi de appetitu virtuali, & interpretatiuo, ac ex parte modi volendi, per quem ſit volita æqualitas cum Deo, non abſoluta, & omnimoda, ita vt hæc per ſe ſit adhuc interpretatiuè, & ex parte modi volendi volita, ſed aliqualis, & ſecundùm quid in modo habendi ſuam beatitudinem, & fœlicitatem, ſicut illam habet Deus, nempe, vel ex proprijs viribus, vel ſine ſubiectione ad aliũ ſuperiorem, & excellentiorem finem, vt dubio 5. & 6. explicabitur.

Aliter reſpondetur.

Adde, poſſe etiam reſponderi, verba contenta in his teſtimonijs fuiſſe veluti per exaggerationem prolata, ad innuendam maximã quamdam ſuperbiam, & excedentem omnem modum, & menſurã vniuerſæ creaturæ præſcriptam circa excellentiam ab ea appetibilem, atque adeò ad denotandam elationem verſantem aliquo modo circa excellentiam à ſolo Deo appetibilem, quæ proinde debet eſſe diuina, ſaltem quoad aliquem modum Dei proprium. Et ratio huius interpretationis eſſe poteſt. Quia arctiora teſtimonia ex adductis ſunt illa ex Ezechielis 28. & Iſaiæ 14. quæ tamen fuerunt litteraliter etiam dicta in perſona Principis Tyri, & Regis Babylonis. At valdè difficile creditu eſt, aliquem ex illis eò dementiæ peruenijſſe, vt putaret, ſe natura Deum eſſe. Qua etiam ratione cum in illo Ezechielis 29. in perſona Pharaonis aſſeritur: *Meus eſt fluuius, & ego feci memetipſum*, incredibile eſt, eundem Pharaonem ita inſanijſſe, vt exiſtimaret, ſe eſſe ſui conditorem. Et ideò omnia iſta per exaggerationẽ quamdam, ad innuendam valdè magnam eorum ſuperbiam, & arrogantiam, dicta ſunt. Sic ergo proportionabiliter de Lucifero, de quo prædicta teſtimonia in obiectione adducta in ſenſu ſpirituali intelliguntur, philoſophari poterit.

Iſaiæ 14.
Ezech. 28
Ezech. 29

Ad confirmationem.

59 Ex quo ad confirmationem concedendum eſt antecedens, & neganda conſequẽtia. Tum quia adhuc dato, Angelum potuiſſe appetere appetitu conditionato omnimodam æqualitatem cum Deo; nihilominùs, vt ex nuper dictis conſtat, non potuit hæc æqualitas ſic appetita eſſe (ſaltem connaturaliter, & ſecundùm communem, & regularem curſum) obiectum illius primæ ſuperbiæ: ſiquidem nõ eſſet intrinſecè malum appetere abſolutè & ſimpliciter prædictum obiectum, niſi adderetur aliqua circunſtantia praui finis, &c.

nis, &c. Et sic primò peccasset circa prædictum finem. Sicut etiam nec Angelus in primo illo instanti suæ plenæ deliberationis potuit secundùm prædictum cursum primò deliberare, tam in ordine ad bonum, quàm in ordine ad malum, circa hæc obiecta conditionata absolutè & simpliciter impossibilia. Tum deinde. Quia adhuc gratis concesso, hunc appetitum conditionatum esse ex se, & ab intrinseco turpe, & malum, nihilominùs malitia illius quanuis admittatur, quòd fuit grauis, non tamen tanta grauitate, quantam dicitur habuisse primum Angeli peccatum: ex eo quòd in appetitu conditionato non reperiuntur auersio, & conuersio consummata, ex defectu efficacitatis in prædicto appetitu ad executionem eius, quod appetitur, & consequenter ad consummationem prędicti appetitus.

Tum denique. Quia ad hoc, vt illa superbia fuerit ita magna, & execrabilis, sicut in hac obiectione depingitur, satis est, quòd vera fuerit circa vltimum finem Angeli, qui est maximum quid inter appetibilia, & quòd ex parte modi appetendi virtualiter saltem, & implicitè appetierit illum, vt quodammodò habendum modo proprio ipsius Dei, vt de facto contigit. Vnde Angelicus Præceptor quæst. 16. de Dæmonibus art. 3. ad 6. ex ijs, quæ secundo loco adducit, postquam sibi in hunc modum obiecit: *Augustinus dicit in lib. de libero arbitrio, quòd libido maximè in omni peccato dominatur. Sed peccatum Diaboli fuit maximum: quia fuit primum in suo genere. Ergo habuit maximam libidinem. Ergo appetijt maximum bonum, quod est Dei æqualitas.* Postquam igitur Sanctus Doctor in hûc modũ sibi obiecit, respondet in hæc verba: *Ad sextum dicendum, quòd libido maxima, nõ oportet, quòd sit de maximo bono, sed de eo, quod est maximum inter appetibilia.*

Angel. Præcept.

Obiectio secunda.

60 Nec etiam refert, si secũdò obijcias, falsum esse, quòd peccatum Angeli debuit consistere in aliquo appetitu efficaci: ergo ex eo quòd hic appetitus omnimodæ æqualitatis cum Deo non esset efficax, sed inefficax, & conditionatus, non benè colligitur, Angelum in primo suo peccato non potuisse hoc appetitu delinquere. Antecedens probatur. Quoniam iuxta sententiam, quæ probabiliter existimatur esse D. Thomæ, Angelus deliquit appetendo beatitudinem supernaturalem, vt habendam ex proprijs viribus. Constat autem, hunc appetitum non posse esse efficacem: siquidem omninò repugnat, Angelum consequi efficaciter propria virtute prędictam beatitudinem.

Diluitur.

Respondetur, quod ad minùs probabiliùs est iuxta mentem D. Thomæ, vt dubio 5. num. 101. dicemus, primum peccatum Angeli, quoad suam saltem primæuam rationẽ (de qua in præsenti) non fuisse circa beatitudinem supernaturalem, sed solùm circa naturalem. Constat autem, hanc posse esse obiectum efficaciter, & expresè volitum ab Angelo, secus verò omnimodam æqualitatem cum Deo.

Alia enodatio.

Deinde addimus, quòd adhuc dato, Angelum primò deliquisse appetendo beatitudinem supernaturalem, vt habendam ex proprijs viribus, nihil inde contra nos infertur. Quia, vt in hoc dubio tetigimus, non appetijt illam sic ex parte rei volitę, & per volitionem expressam prędicti modi habendi illam, sed tantùm virtualiter, & interpretatiuè, ac ex parte modi volendi. Etsi ergo Angelus non potuerit habere volitionem efficacem formalẽ, & expressam, qua appetierit ex parte rei volitæ beatitudinem supernaturalem, vt habendam proprijs viribus, potuit tamen virtualiter, & interpretatiuè, ac ex parte modi volendi quodãmodò efficaciter appetere illam vt ex viribus proprijs habendam. Et ratio huius desumitur ex suprà tactis. Quoniam efficacia in hoc posteriori modo appetendi non attenditur penes hoc, quòd habeat ex se vires, quibus reuerà, & efficaciter consequatur hanc beatitudinem; sed solùm penes hoc, quòd licèt ex se, & ex proprijs viribus nequeat eam acquirere; nihilominùs perinde se habeat, & tali modo se gerat, taliterque, & ex parte modi appetendi velit prędictam beatitudinem, ac si proprijs viribus posset eam acquirere. Constat autem, Luciferum perinde se habuisse in appetitione beatitudinis supernaturalis, ac si proprijs viribus eam posset sibi comparare. Et ideò, sicut si proprijs viribus eam adipisci valeret, tunc non curaret de alienis, nec eas aliundo speraret: ita non obstante, quòd proprijs viribus non poterat prædictam beatitudinem obtinere, appetijt illam non curando de alienis viribus, seu de viribus gratiæ soli Deo connaturalibus, nec sperando eas ab ipso; cùm tamen posset, & deberet de eis curare, il lasque à Deo auctore supernaturali sperare vt dubio 6. n. 177. dicemus.

§. VIII. *Opposita quædam sententia, primum eius fundamentum, cum sua solutione.*

Oppositasententia.

61 SEd licèt D. Thomæ sententia adeò efficacibus rationibus sit fulcita: nihilominùs plures Theologi ex parte ei aduersantur, quatenus admittunt, quòd licèt Angelus non potuerit primò superbire appetendo omnimodam æqualitatem cum Deo per appetitum absolutum, & efficacem, benè tamen per inefficacem, & conditionatum, siue per simplicem quandã complacentiam, per quam complaceat in præ-

prædicta æqualitate, ſui cùm Deo ſub hac conditione ex parte obiecti præcisè ſe tenẽte, nempe, ſi prædicta æqualitas eſſet eidem Angelo poſsibilis. Ita Vazquez 1. p. diſput. 234. Suarez lib. 7. de malis Angelis cap. 12. Molina articul. 3. huius quæſtionis diſput. vnica membro 3. Becanus tractatu 3. de Angelis cap. 4. quæſt. 5.. & alij ex recentioribus, necnon & ex antiquis, vt Scotus in 2. d. 6. Gabriel eadem diſt. dubio 2. Maior quæſtione 1.

Vazquez Suarez Molina Becanus Scotus Gabriel Maior

62 Probatur primo. Nam ſi propter aliquam rationem Angelus non potuiſſet primò ſuperbire appetendo omnimodam æqualitatem cum Deo appetitu inefficaci, & conditionato conditione ſe tenente præcise ex parte obiecti, maximè, quia hæc æqualitas eſt impoſsibilis illi: ſed hæc ratio non obſtat ergo &c. Maior conſtat ex dictis in hoc dubio. Minor autem probatur. Tum teſtimonio Ariſtotelis 3. Ethicorum c. 2. vbi aſſerit voluntatem eſſe impoſsibilium, ſecus vero intentionem, & electionem. Nomine autem voluntatis non intelligit ipſam potentiam volitiuam, quæ ſicut poteſt verſari circa poſsibilia per actum volitionis, ſic etiam circa impoſsibilia per actum nolitionis, ſed ſimplicem quemdam, incompletum, inefficacem, & conditionatum actum voluntatis, diſtinctum ab electione, & intentione efficaci oppoſitas cõditiones habentibus, vt colligitur ex ijs, quæ D. Thomas ibidem lectione 5. docet. Ergo non obſtante, quod omnimoda æqualitas cũ Deo ſit impoſsibilis Angelo, poterit per prædictum actum appetere illam.

Primũ fũdamentum ex Ariſt. Et D. Tho. deſũptum.

Ariſtote.

D. Thom.

Idem

Tum etiam ex Diuo Thoma 1. 2. quæſt. 13. articul. 5. ad 1. vbi ſic inquit: *Voluntas completa nõ eſt niſi de poſsibili, quòd eſt bonum volenti: ſed voluntas incompleta eſt de impoſsibili, quæ ſecundùm quoſdam velleitas dicitur: quia ſcilicet aliquis vellet illud, ſi eſſet poſsibile. Electio autem nominat actum voluntatis iam determinatum ad id, quod eſt hinc agendum: & ideo nullo modo eſt, niſi poſsibilium.* Tum denique ex eodem Angelico Doctore quæſt. 15. de Malo articul. 3. ad 9. Nam cùm ſibi oppoſuiſſet, Angelum non poſſe appetere æqualitatem cum Deo, ex eo quòd iſta eſt ipſi impoſsibilis: reſpondet, hinc non ſequi, eum non poſſe appetere illam per voluntatem imperfectam, nempe conditionatam, ſecus tamen per perfectam, qualis eſt electio efficax, & ita inquit: *Voluntas quæ dicitur eſſe impoſsibilium, non eſt perfecta voluntas, tendens in aliquid conſequendum: quia nullus tendit in id, quod exiſtimat impoſsibile: ſed eſt quædam imperfecta voluntas, quæ dicitur velleitas, quia ſcilicet aliquis vellet id, quod exiſtimat impoſsibile, ſed ſub hac conditione, ſi poſsibile eſſet.*

Euaſio ad primũ teſtimonium Ariſtotelis

63 Nec ſatis erit, ſi huic argumento occurras, negando minorem. Et ad primam, & ſecundam probationem dicas, Ariſtotelem, & D. Thomam in ſuo priori teſtimonio ſolùm loqui de impoſsibili ex ſuppoſitione, & per accidens tali, non verò de impoſsibili ſimpliciter, & omnibus modis, quale eſt æqualitas omnimoda Angeli cum Deo, quæ proinde per formalẽ actũ volũtatis, quantũuis inefficacẽ, nequit appeti. Sicut etiã nihilobeſt, ſi ad vltimã probationẽ eiuſdẽ minoris reſpõdeas, Angelicũ Doctorẽ non loqui de actu conditionato conditione ſe tenente præcisè ex parte obiecti, ſed etiã ex parte actus, ita vt reuera non ſit formaliter prædictus actus in voluntate, ſed eſſet, ſi poneretur illa cõditio, Et propterea explicãs S. Doctor imperfectã illam voluntatẽ dixit: *Quæ dicitur velleitas, quia ſcilicet aliquis vellet id, quod exiſtimat impoſsibile, ſed ſub hac conditione, ſi poſsibile eſſet*: vt denotaret, ſe non loqui de voluntate, quæ reuerà, & formaliter ſit, ſed de velleitate quæ non ſit formaliter, ſed eſſet, ſi illud obiectum eſſet poſsibile.

Ad ſecũdã D. Thomæ

D. Thom.

Non igitur hæc obſunt. Nam contra hãc reſpõſionem quoad teſtimoniũ Ariſtotelis, & primũ teſtimoniũ D. Th. vrget. Tũ, quod tam Ariſtoteles, quam Angelicus Præceptor abſolutè loquuntur de impoſsibili: ergo nõ eſt cur limitẽtur ad ſolũ impoſsibile ex ſuppoſitione, & per accidẽs. Tũ etiã, quia eadẽ videture eſſe ratio de vtroque impoſsibili. Nãetſi impoſsibile per accidẽs, ſeu ex ſuppoſitione habeat minùs de impoſsibilitate, quã impoſsibile per ſe, ſeu quã impoſsibile ſimpliciter, & omnibus modis, quatenus hoc ſemper, & in omni euentu fuit impoſsibile, ſecus vero illud: tamen facta iam ſuppoſitione, & in ſenſu compoſito illius impoſsibilitatis per accidens hìc, & nunc, non minus eſt impoſsibile illud, quã hoc: liquidẽ adhuc etiã de potẽtia Dei abſoluta manet, quatenus ſic cõſideratur, impoſsibile, vt patet in recuperatione virginitatis. Ergo ſi hac omnimoda impoſsibilitate, & difficultate nõ obſtãte, poteſt volũtas etiã poſt factã ſuppoſitionẽ, & in ſenſu cõpoſito hìc, & nunc tendere ſimpliciter affectu in hæc impoſsibilia per accidens, pari ratione poterit tendere in quæuis alia

Impugnatur primó prior cuaſio.

Secundo,

Confirmatur. Quia re benè perpenſa, voluntas tendens ad hæc impoſsibilia per accidẽs, tẽdit etiã ſimul ad impoſsibile ſimpliciter & abſolutè. Nam etſi eſſe virginem, v.g. aut *non eſſe* peccati, vel mortis non ſint quid impoſsibile perſe reſpectu eius, qui virginitatem amiſit, aut peccauit, vel è vita diſceſſit: attamen hoc coniunctum, nimirum, virginitatem iam deperditã recuperari, aut peccatum iam commiſſum nõ fuiſſe cõmiſſum, vel hominem iam mortuum non fuiſſe mortuum, eſt per ſe, & ſimpliciter impoſsibile: ſi quidem in nullo euentu, & ſecundùm nullã

Confirmatur.

circunstantiam hoc fuit aliquando possibile. At voluntas per simplicem affectum appetens illa impossibilia per accidens, appetit simul coniuncta nuper recensita, vt experientia constare videtur. Ergo re benè perpensa, voluntas tendens ad hæc impossibilia per accidens, tendit simul ad impossibile per se, & omnibus modis tale.

Impugnatio solutionis secundi testimonij

64 Et similiter contra solutionem posterioris testimonij D. Thomæ ex q. 16. de Malo desumpti, etiã vrget: Tum, quod D. Thomas de illa velleitate, de qua docet versaricir ea impossibilia, ex suppositione quod essent possibilia, inquit, quòd est quædam imperfecta voluntas: ergo non sentit, eam esse cõditionatam ex parte actus, sed solùm ex parte obiecti: Nam de voluntate conditionata ex parte actus nequit dici, quod est, sed quod esset, si purificaretur illa conditio. Tum etiã. Quia D. Thomas duo dixit de illa volũtate simplici, scilicet, quod est quædam imperfecta volũtas, & quod ea aliquis vellet id, quod existimat esse impossibile, sub hac conditione si esset possibile: at per hæc duo simul sumpta denotat Angelicus Doctor voluntatem, siue affectum simplicem, qui reuerà, & formaliter sit in voluntate. Nam prædictus affectus, hoc ipso quod simplex, duas veluti includit voluntates: vnam quidem formalẽ, qua appetens cõplacet formaliter, & de præsenti in obiecto illo conditionato sibi cõuenienti: aliam vero virtualem, & in ista priori inclusam, per quam efficaciter tenderet ad illud obiectũ, si cõditio purificaretur. Et ita, ex quo capite prædictus affectus dicit priorem illam, & simplicem voluntatem de præsenti, affirmat D. Thomas de eo, quòd est, licèt cum hac limitatione, nempe per modũ voluntatis imperfectæ. Et ex quo capite affert virtualiter tãtum modò, nõ verò formaliter posteriorem voluntatem, afferret tamẽ illã adhuc formaliter sũptã, si purificaretur conditio, dicitur à S. Doctore de eodẽ affectu, quòd licèt per hanc voluntatem nõ quidem vult formaliter, sed vellet prædictũ obiectum, si conditio purificaretur. Tum denique. Quia de voluntate, quam D. Thomas in hoc testimonio admittit, asserit, eam esse imperfectam voluntatem: ergo non loquitur de voluntate, quæ esset purificata conditione, siquidem hæc erit voluntas perfecta; sed de aliqua alia, quæ de præsenti, & formaliter est, nempe de illa complacentia, qua appetens complacet formaliter, & de præsenti in illo obiecto conditionato, quod iudicat sibi esse conueniens sub prædicta cõditione.

Enodatur fundamenti cõtrariæ sententiæ & admittitur data solutio

Respondetur, admittendo solutionem data tam huic argumento quoad omnes probationes minoris in eo contentas. Et ad primã probationem contra solutionem testimonij Aristotelis, & primum testimonium D. Thomæ dicendum est, satis quoad Aristotelem ex illo eodem loco constare, illum loqui de impossibili per accidens. Et ita adduxit exẽplum impossibilis per accidens, nõ verò impossibilis per se, nempe, exemplum immortalitatis rei corruptibilis v.g. hominis, quæ quidem non est simpliciter, & per se impossibilis, sed solum in ordine ad causas naturales, & ex suppositione status huius vitæ: & ita dixit: *Voluntas autem est impossibilium, puta, immortalitatis.* Quæ verba sic explicat D. Thomas ibidem lect. 5. *Sed volũtas, quia respicit bonum absolutè, potest esse cuiuscumque boni, licèt sit impossibile, sicut aliquis potest velle esse immortalis, quod est impossibile secundùm statum huius corruptibilis vitæ.* In quibus verbis duo expendenda sunt. Primũ est id, quod nuper dicebamus, scilicet, quomodo tantùm adductum est in exemplum impossibile quoddam per accidens, & ex suppositione status huius vitæ: siquidem immortalitas non est per se, & omnibus modis impossibilis homini. Secundum est, quomodo Angelicus Præceptor dixerit, voluntatem hanc simplicem esse boni absolutè, & ideo posse esse cuiuscumque boni, licèt sit impossibile: nam in his verbis planè loquitur de impossibili per accidens. Nam etsi id, quod sic est impossibile, possit esse absolutè, siue secundùm se bonũ, nõ tamẽ id, quod est per se impossibile, ac proinde nullo modo habet rationem entis.

D. Thom.

Soluitur prima impugnatio prioris solutionis.

Vnde similiter quoad testimoniũ D. Thomæ ex 1. 2. dicẽdũ est, satis constare ex eodẽ testimonio, illũ loqui de impossibili, nõ simpliciter, & per se tali, sed de impossibili ex suppositione: siquidẽ Angelicus Præceptor adducit in eo prædictũ testimoniũ Aristotelis ex 3. Ethic. & iuxta Philosophi mentem ibidẽ inquit, electionẽ nõ esse impossibiliũ, secùs verò voluntatẽ: ac proinde verba Angelici Doctoris debent intelligi in eo sensu, in quo verba Aristotelis iuxta expositionẽ eiusdẽ S. Doctoris lect. 5. nuper citata, explicata sunt.

66 Ex quo optimè intelligitur, quomodò iuxta hanc expositionem stet optimè discrimen, quod versatur inter electionem, & volũtatẽ, ab Aristotele, & D. Thoma adductum. Nam cum impossibile per se, & omnibus modis tale, nihil habeat entitatis, aut bonitatis, nequit, siue per electionem tendentem ad executionem efficacem, aut per volũtatem, seu simplicem, & inefficacem voluntaris actum appeti, etiam sub conditione si esset possibile: siquidem ex hoc, quod addatur hęc cõditio, nulla in eo resultat possibilitas, aut bonitas, vt explicatũ est. Cæterũ impossibile ex suppositione, & per accidẽs, licèt vt stat sub illa suppositione, & impossibilitate reduplicatiue loquendo, siue in sensu com-

compoſito,non ſit poſsibile,& per cõſequẽs neque habeat rationem boni,nihilo minus ſecundum ſe ſumptũ,& vt abſtrahit præciſione,& abſtractione purè præciſiua ab illa ſuppoſitione,& impoſsibilitate,& à prędicto ſenſu compoſito,habet per ſe aliquam poſsibilitatem,atque adeò aliquam rationem boni:& ita conſideratum ſine prędicta ſuppoſitione, ſiue vt non eſt ſub ſenſu compoſito,poteſt eſſe volitum per actum, quem Ariſtoteles ſimpliciter appellat *voluntatem*: quia hic actus, cùm non tendat ad executionem,poteſt terminari ad obiectum ſecundùm ſe, & ſine particularibus circunſtantijs: non tamen poteſt eſſe volitũ per actum electionis: ex eo quòd proprium eſt electionis tendere ad executionem,ac proinde terminari ad obiectum cum omnibus circunſtantijs,quas hìc,& nunc habet in particulari,inter quas hic & nunc connumeratur illa ſuppoſitio per acidens ei adiuncta,quæ ipſum reddit impoſsibile per accidens, necnon & ſenſus cõpoſitus,ſub quo, & quatenus præciſè eſt ſub illo, ſemper fuit quid impoſsibile per ſe.

Soluitur ſecunda impugnatio.

67 Ad ſecundam verò fatemur, impoſsibilia ex ſuppoſitione, & per accidens eſſe cõiuncta cum aliqua ratione impoſsibilitatis per ſe in ſenſu compoſito. Et ita, quoties fit prædictus ſenſus compoſitus; tunc talia impoſsibilia per accidens, & ex ſuppoſitione ſunt quoad prædictam rationem,cui coniunguntur,quid impoſsibile per ſe. Cæterum negandum eſt, quod ſecundum iſtam rationẽ, & vt ſtant ſub iſto ſenſu compoſito, poſsint appeti per actum,qui dicitur volũtas,ſed per eum tantum appetitur illud,quod alias ſiceſt impoſsibile in ſenſu compoſito, non conſiderata hac impoſsibilitate,ſed pręſcindendo ab illa, & ſolùm conſiderando rationẽ poſsibilitatis,quæ rei illi ſecũdũ ſe competit.

Vnde exemplum illud de recuperatione virginitatis in hac probatione adductũ nihil contra nos conuincit. Quia adhoc vt ſaluetur,appetitum ſimplicem voluntatis poſſe terminari ad virginitatem,adhuc in eo, qui illam alias amiſit,atque adeò in eo, reſpectu cuius virginitas eſt impoſsibilis impoſsibilitate ex ſuppoſitione, & per accidens, imò & reſpectu cuius eſt in ſenſu compoſito alias impoſsibilis impoſsibilitate per ſe, non eſt neceſſarium,vt per illum appetitum velit recuperare virginitatem deperditam per fornicationem:quia hoc reddit ſenſum compoſitum,& prædictus affectus terminaretur ad rationem quamdam per ſe impoſsibilem, quę eſt coniuncta cum illo impoſsibili per accidens,ſiquidem prædictus affectus idem eſſet,ac affectus, quo vellet coniungere cum *eſſe* præterito fornicationis *non eſſe* illius,atque adeo prædictam fornicationem nõ fuiſſe præteritam:quia hoc ipſo,quod ſemel præterita fuerit,nequit cum ea ſic præterita cõſiſtere virginitas: & per conſequens prædictus affectus terminaretur ad rationem quãdam per ſe impoſsibilem, vt intuenti patebit. Satis ergo eſt, quod velit virginitatem aliàs deperditam,non vt ſtat ſub hac ſuppoſitione deperditionis,ſed præcisè ſecundum ſe eſſe, & fuiſſe coniunctam cum appetente ſecundùm ſe etiam, & præcise conſiderato, abſque illa ſuppoſitione deperditionis virginitatis: & ita prædictus appetitus ſemper terminatur ad aliquid poſsibile.

Per quod etiam ad confirmationẽ patet. Nam conceſſa maiori, diſtinguenda eſt minor: & concedenda,ſi appetens prædicta impoſsibilia ex ſuppoſitione,appeteret illa,adhuc per ſimplicem appetitum,vt impoſsibilia ſunt,habentque prædictam ſuppoſitionẽ, aut ſecundum quod in ſenſu compoſito ſũt quid per ſe impoſsibile:hoc enim,vt diximꝰ, repugnat:ex eo quòd ſic ſumpta non habẽt poſsibilitatẽ,aut bonitatẽ, & per conſequẽs nec appetibilitatẽ. Neganda verò,ſi appetẽs appetat illa per appetitũ (vt ſic dicamus) præciſiuum,ac proinde non ſecundũ quod ſunt impoſsibilia ex ſuppoſitione,aut in ſenſu cõpoſito, ſed quatenus ſecundũ ſe conſiderata poſsibilia ſunt:tũc enim appetẽs nõ vult illa coniuncta in hac cõfirmatione recenſita. Nõ quidẽ primũ nẽpe recuperationẽ virginitatis deperditæ,vt ex modò dictis conſtat:nõ ſecũdum,ſcilicet,peccatum iam commiſſum nõ fuiſſe cõmiſſum:aut tertiũ,nimirũ, hominẽ ſemel mortuum non fuiſſe mortuum: hoc enim eſſet appetere aliquid impoſsibile,nimirum,quod id, quod eſt præteritum, non ſit præteritum:ſed ſolum vult (vt nunc innuebamus) quòd peccatum,quod alias eſt commiſſum,non vt ſtat ſub hac ſuppoſitione,ſed ſecundùm ſe, & præcisè ſumptum ab illa, nõ ſit,aut fuerit coniunctũ cum appetente ſecundùm ſe præcisè accepto: & ſimiliter quòd vita hominis,quæ alias præterijt, nõ vt ſtat ſub hac ſuppoſitione ſed ſecundũ ſe conſiderata,ſit,& fuerit coniuncta cum eodem homine ſecundum ſe,& ſub eadem præciſione, à prædicta ſuppoſitione concepto:quæ omnia planum eſt,eſſe poſsibilia.

Soluitur cõfirmatio.

Obiectio cõtradicta.

68 Ex quo fit,nihil referre,ſi obijcias,quod pœnitẽs v.g. vult ſuũ,peccatũ præteritum,nõ fuiſſe ab eodem commiſſum:quia pœnitentia non eſt retractatiua qualiſcumque peccati,ſed peccati pręteriti:& ita per illam pœnitens non vt cumque vult *non eſſe* peccati, ſed ſui peccati præteriti:atque adeò vult,peccatum à ſe iam commiſſum non fuiſſe commiſſum.

Reſponſio

Ex dictis igitur conſtat, nihil referre hãc obiectionem. Quia cum dicitur, pœnitentiam eſſe de peccatis præteritis, ſolum eſt verum de eiſdem in *eſſe* rei ſumptis,

quia reuerà debent in *esse* rei esse præterita, non verò de illis in *esse* obiecti actus pœnitentiæ, ita vt affectus pœnitentis, quo vult peccatum illud non fuisse, terminetur ad prædictũ peccatũ, vt est sub illa suppositione præteritionis, ac proinde ita vt absque aliquo errore, & deceptione totũ hoc sit volitũ, nimirũ, peccatũ semel cõmissum nõ fuisse cõmissum quia hoc esset velle cõponere *esse* præteritũ illius cum hoc, quod est nõ esse præteritum, quod quidem apertam inuoluit contradictionem.

Diximus, *Absque errore aliquo, & deceptione*. Quia si quis putaret, illud coniunctum esse, possibile, posset quidem illud appetere. At in præsenti non loquimur nisi de appetitione absque errore, vt in primo omninò peccato Angeli contingit.

Vnde ad actũ pœnitentiæ duæ cognitiones concurrunt. Alia quidem, per quã cognoscitur peccatum cõmissum, vt est inuolutum cum omnibus circunstantijs hic, & nũc occurrentibus, ac proinde cum circunstantia præteritionis. Alia verò non pertingens ad prædictas circunstantias, sed præscindens ab illis, & attingens præcisè ipsum *nõ esse* peccati secundùm se absque illis circunstantijs, nec nõ & hominem à quo aliàs peccatum fuit cõmissum, non quidem vt homo ille stat sub suppositione cõmissionis illius, sed vt consideratur secundùm se, & cum præcisione ab illa. Ex his duabus cognitionibus prior illa præit, & simul solet concomitari actum pœnitentiæ, non tamen est regulatiua prædicti actus, nec proponit appetenti possibilitatẽ, aut bonitatem obiecti appetendi. Posterior verò cognitio, per quam cognoscitur subiectum, & *non esse* peccati sub illa præcisione, necnon & possibilitas, quę est in illo *non esse* peccati secundum se sumpto, & coniunctione eius cum homine, ac tandem bonitas, ac conuenientia, quæ est inuoluta cum prędicto *non esse* peccati, habet proponere voluntati prædictum obiectum, & est regulatiua actus pœnitentiæ, per quem appetitur *non esse* peccati: quia prædictus actus simplex, & inefficax non tendit (vt dicebamus) ad executionem, sed est suo modo præcisiuus, & versatur circa illud obiectum sub prædicta præcisione: ac proinde cognitio illa præcisiua est iatis accommodata ad illum regulandum, & proponendum ei suum obiectum.

Enodatur impugnatio facta cõtra solutionem posterioris testimonij D. Thom.

69 Ad primam verò impugnationem contra solutionẽ posterioris testimonij D. Thomæ ex art. 3 quæstionis 16. de Malo desumpti respondetur, S. Thomam concedentem ibidem velleitatem circa obiectum simpliciter impossibile, solùm admittere, illam esse imperfectam voluntatem, non quidem formaliter talem, quęque proinde reuerà formaliter existat, vt ex eodem Angelico Præceptore, & ex rationibus ex illo in hoc dubio adductis constat, sed solùm virtualiter, & interpretatiuè talem, seu quæ solum virtualiter, & fundamentaliter sit talis, ac proinde quæ hoc solo modo habeat existere: ex eo quòd ratione alicuius inclinationis, aut dispositionis, quæ de præsenti est in aliqua creatura rationali, datur sufficiens fundamentum ad hoc, vt iudicemus, illam, non quidem velle, sed voluturam illud impossibile sub hac conditione, quòd esset possibile, prædictaque conditio purificaretur: & huic voluntati est valdè consonum id, quod D. Thomas de eadem loco citato inquit, nimirum, tum eam esse imperfectã quandam voluntatem, vt ex terminis ipsis constat, tum etiam id, quod idem S. Doctor addit, nempe: *Talis autem non est voluntas auersionis, & conuersionis: in qua peccatũ, & meritum consistit*: siquidem in hoc, quòd sit ita dispositus, vt præbeat fundamentum ad hoc, vt prudenter de eo iudicetur, non quidem, quod vult virtualiter actu, sed solùm quòd vellet, si daretur talis, vel talis conditio, non reperitur aliqua ratio peccati aut meriti. *D. Thom.*

Ad secũdã probationem. 70 Ex quo ad secundam probationẽ respondetur, quod etsi D. Thomas duo illa dixerit de prædicta voluntate, nempe, & esse voluntatem imperfectam, & simul velleitatem, qua aliquis vellet id, quod existimat impossibile sub hac cõditione, si esset possibile: nihilominùs quia voluntas illa ita est imperfecta, vt solùm fundamentaliter, & virtualiter in sensu dicto existat, idcircò est adeò imperfecta, vt non pertingat ad hoc, vt sit de genere illarum voluntatum, quæ formaliter existunt, & sunt conditionatę ex parte obiecti tantummodò, sed est conditionata conditione se tenente ex parte actus: ex eo quòd aliæ voluntates conditionatæ solùm ex parte obiecti terminantur ad aliquid, quod de præsenti est possibile, & propterea possunt esse formales voluntates, secùs vero voluntas, de qua loquimur, quippe quæ non habet obiectum de præsenti possibile per aliquam veram possibilitatem, siue absolutam, siue conditionatam, vt ostensum est.

Ad vltimã. Per quod etiam ad vltimam probationem constat, concedendum esse antecedens, & negandam consequentiam. Nam etsi voluntas, quæ posteà daretur conditione illa purificata, haberet rationem perfectæ voluntatis: attamen non ideò sequitur, Diuum Thomam loqui de aliqua voluntate imperfecta, quæ formaliter de præsenti sit, sed solùm quæ de præsenti fundamentaliter tantùm existat: & non vt cumque, sed ea præcisa ratione, nempe, quia datur fundamentum, nõ quidem ad hoc vt iudicemus, & interpretemur eam actu esse, sed solum esse futuram, si daretur prædicta conditio: & ita hæc voluntas

non

non eſt voluntas perfecta, ſed imperfecta, imò & valdè imperfecta intragenus voluntatum imperfectarum.

§. IX. *Alia argumenta oppoſitæ ſententiæ cum reſponſionibus ad illa.*

Secundum fundamentũ oppoſitæ ſẽtiæ.

71 SEcundo probatur eadem ſentẽtia. Nam intellectus ob ſuam perfectionem, & vniuerſalitatem, habet vim ad quæuis obiecta quantunuis impoſsibilia conditionate contemplanda, & de eis, eorumque naturis, ac proprietatibus, atque adeò de conuenientia, aut diſconuenientia reſpectu talis, vel talis ſubiecti ſub ſtatu conditionato abſque vlla falſitate actu, & abſolutè ex parte ſua iudicandum: ergo etiam poterit voluntas in huiuſmodi rem abſolutè impoſsibilem, propoſitam tamen ab intellectu vt conditionaliter poſsibilem, actu, & abſolutè ex parte ſua aliquo modo tendere, ideſt, per actum inefficacem, & imperfectum, ſeu ſimplicem quamdam complacentiã: ac proinde etiam Angelus potuit appetere æqualitatem omnimodam cum Deo ſibi impoſsibilem, ſub hac conditione quòd eſſet poſsibilis. Hæc ſecunda conſequẽtia ex prima patet. Prima verò ex antecedenti. Quia voluntas, quippe quæ eſt in eodem gradu immaterialitatis, & vniuerſalitatis cũ intellectu, poteſt ſe actu extẽdere ad omnia, quę actu ab intellectu, vt bona, & conuenientia proponuntur, & eo modo, quo ab illo habent ſic proponi. Antecedẽs autẽ probatur. Quoniã hac ratione intellectus de multis impoſsibilibus iudicat, v.g. quòd ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio (quæ eſt cõditio ſimpliciter impoſsibilis) nõ diſtingueretur ab illo: & ſimiliter ſi equus eſſet rationalis, eſſet riſibilis: & ſimiliter poſſet iudicare, ſi hoc, quod eſt impoſsibile, eſſet poſsibile, tunc eſſet iſti ſubiecto conueniens.

Reſpondetur, quòd etſi intellectus poſsit Enodatur. iudicare de prædictis obiectis cõditionatis, & ſub illa conditione impoſsibili, vt v.g. de Spiritu Sancto, quod ſi non procederet à Filio, nõ diſtingueretur realiter ab illo: nihilominùs hoc obiectũ ob id nõ habet aliquam veritatẽ tranſcẽdentalẽ, quæ eſt paſsio entis: ex eo quòd non ob id prædictũ obiectum eſt poſsibile per aliquã veram, & realẽ poſsibilitatẽ, quæcumque illa ſit: ſiquidem Spiritus Sanctus non procedẽs realiter à Filio, & ab eo indiſtinctus realiter, eſt quid chimæricum, & penitus impoſsibile. Congruitque hoc cum ipſa natura intellectus. Nam hoc eſt propriũ illius, vt poſsit cognoſcere tam ens, quàm nõ ens: ex eo quod eſt proprium illius cognoſcere, quidquid poteſt adſe trahere mediantibus ſpeciebus intelligibilibus, ſiue propijs, ſiue alienis reſpectu obiecti cogniti. Et ſicut queit ad illum trahi per propriã ſpeciẽ id, quod eſt poſsibile, ita etiam per alienam, quod fuerit impoſsibile. Et propterea ſatis eſt, quòd res impoſsibilis habeat aliquo modo eſſe intelligibiliter in prædictis ſpeciebus adhoc vt poſsit verè, & ex parte intellectus attingi, & ſua impoſsibilitas ibidẽ intelligibiliter exiſtens cognoſci. Hinc tamẽ non fit, poſſe volũtatẽ ad prædicta impoſsibilia per ſimplicẽ affectũ proſecutionis abſolutum ex parte ſua, & cõditionatũ ex parte obiecti terminari. Quia volũtas fertur ad res, prout ſunt in ſe ipſis: & ita, ſi iſtæ nõ ſunt poſsibiles, atque adeò nec bonæ, nequibit volũtas perprædictum actũ ad illa tẽdere, nec intellectus poterit abſque errore proponere illa vt bona & conuenientia reſpectu appetentis. Nec oppoſitum huius petit æqualitas in immaterialitate, & vniuerſalitate, quæ eſt inter intellectũ, & volũtatem: nam ad hanc ſatis eſt, quòd voluntas queat terminari ad omne id, ad quod intellectus, ſiue hoc fiat per actũ nolitionis, ſi ibidem appareat in obiecto poſsibilitas, & conuenientia, ſiue per actum nolitionis, & in virtute alicuius alterius boni priùs quodammodò voliti, ſi illud obiectũ ſit impoſsibile.

Tertium fundamentum *D. Aug.*

72 Tertiò probatur prædicta ſentẽtia exemplo illius actus amoris ſatis feruidi, ſatisque commendati, quem D. Auguſtinus erga Deum eliciebat, dum cum eo loquens aiebat: *Si ego poſſem eſſe Deus, mallem te, quam me eſſe Deum*: & tamen hoc obiectum eſt impoſsibile.

Confirmatur 1.

Cõfirmatur primò, quia multoties Iuſti appetũt diligere Deũ amore infinitè intenſo: & tamẽ prædictũ amor eſt impoſsibilis: ergo &c.

Confirmatur 2.

Confirmatur ſecundò. Quia experimur, poſſe nos multoties delectari de obiectis impoſsibilibus, ſub conditione tamen quòd eſſent poſsibilia: ex eo quòd abſque errore iudicamus, in eo euentu fore nobis conuenientia: ergo ſimiliter poterit Angelus complacere in omnimoda æqualitate ſui cũ Deo ſub hac cõditione, ſi eſſet poſsibilis: quia eo ipſo eſſet illi cõueniens. Antecedẽs probatur. Nã ſi quis velit id experiri, experietur, ſe poſſe appetere eſſe ſimul hominẽ, & Angelũ, & in hoc delectari ſub prædicta cõditione poſsibilitatis: & ſimiliter poſſe cõcupiſcere ſe eſſe æqualem cũ Deo, & in hoc ſub prædicta cõditione complacere.

Reſpondetur ad argumentum

73 Reſpondetur actum illum Auguſtini fuiſſe conditionatum conditione ſe tenẽte ex parte actus, & ita non fuiſſe actum formalẽ voluntatis, ſed ſolum interpretatiuũ, & virtualem: non quidẽ qui prudenter iudicetur eſſe actu in voluntate, ſiquidẽ obiectũ illius eſt quid impoſsibile, ſed ſolùm quòd de præſenti eſt aliquod fundamentũ, ratione cuius prudenter iudicatur talẽ actum fore, ſi prædictũ obiectũ eſſet poſsibile, vt nuper de volitione

aliorũ per ſe impoſsibilium dicebamus, & ita cùm Auguſtinus prudenter iudicauerit habere de præſenti illam diſpoſitionem, quę requiritur ad hoc vt credatur, ſe prorupturum in prædictum actum, ſi illud obiectum eſſet poſsibile: idcircò optimè potuit cum Deo loquens dicere: *Si ego poſſem eſſe Deus, mallẽ te, quàm me eſſe Deum.*

Ad primam confirmationẽ reſpondetur, tum, multos exiſtimare, non implicare contradictionem, dari in creatura actum amoris infinitè intenſum: & ita ſi appetens iudicet hoc eſſe poſsibile, poterit illud appetere: tũ etiam, Angelicum Præceptorẽ docere, prædictum actum infinitè intenſum non poſſe adhuc per diuinam potentiam elici à creatura. Et ideò Sanctum Doctorem ſequendo, dicẽdum eſt, quòd appetens iudicans hoc eſſe impoſsibile, ſolùm poſſet habere actum interpretatiuum appetitionis prædicti amoris, eo modo, quo de Auguſtino reſpectu actus nuper explicati dicebamus.

Ad primam cõfirmationem.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quòd loquendo de nobis, vt abſque errore appetentibus, non poſſumus per appetitũ conditionatum conditione ſe tenente præcisè ex parte obiecti appetere aliquid omninò impoſsibile, ſi ille appetitus ſit volũtatis. Vnde negandum eſt antecedens. Tum, quia ſi aliquando experimur aliquam complacentiam, dum cogitamus prædicta impoſsibilia, non ſolet eſſe illa complacentia de obiectis impoſsibilibus cogitatis, ſed de cogitatione eorũdem, quæ quidem eſt obiectum poſsibile. Tũ etiam (per quod aperitur occaſio deceptionis eius, qui putaret, ſe per voluntatem appetere id, quod eſt ſimpliciter impoſsibile.) Quia dum quis mente concipit hoc obiectum impoſsibile, nempe, ſe eſſe hominem, & Angelum, ſub hac conditione quòd eſſet poſsibile, tunc per æſtimatiuam, ſeu cogitatiuã apprehendit aliquid, ad modum cuius mente concipit prædictum obiectum, & apprehendit illud, ac ſi eſſet poſsibile, & conueniens, licèt non habeat iudicium de eius poſsibilitate, ac conuenientia. Quia verò ad appetitũ ſenſitiuum ſubſecutum ad cogitatiuã non eſt neceſſarium iudicium, ſed ſatis eſt ſimplex apprehenſio: idcircò poteſt inſurgere appetitus, ſeu actus appetẽdi ſenſitiuus circa prædictum obiectum. At quia ad appetitum voluntatis, quantumuis ſimplicem, requiritur iudicium de poſsibilitate, & conuenientia obiecti, & non ſufficit apprehenſio illius ad modũ poſsibilis, & conuenientis: propterea in volũtate nõ poteſt eſſe appetitus ſimplex obiecti per ſe impoſsibilis in eo, qui iudicat illud eſſe impoſsibile.

Ad ſecundã

Vnde deceptio eius, qui crederet, ſe per voluntatem velle prædicta impoſsibilia, oritur ex actu appetitus ſenſitiui, quẽ modo dicto tunc in ſe experitur. Quod ſi aliquis proteruè cõtẽderet, ſe experiri prædictũ actũ volũtatis, diceretque, ſe velle illud impoſsibile, reijciendus eſt. Sicut ſi quis eodẽmodo cõtẽderet, ſe velle diſplicere, & inferre malũ alicui, præcisè vt illi diſpliceat, & malũ inferat, nõ verò ratione alicuius boni, quod inde intẽdit, eſſet eodẽ modo repellẽdus. Nã cũ vbique deprehẽdatur ratio ſufficiẽs, propter quam id implicet, non poteſt contra eam ſtare aliqua experientia vera, ſed ad ſummũ apparens, & erronea.

74 Quartò probatur eadẽ ſentẽtia. Quia non ſolùm Dæmones, ſed etiã ex hominibus alij grauiſsimi peccatores in via proſequũntur Deum odio, non ſolũ abominationis, ſed etiam inimicitiæ, atque adeò volunt eum nõ eſſe, non ſolũ vt punientem, aut prohibentẽ aliquid, ſed etiam ſecundũ ſe: quia ſecundùm Ariſtotelẽ 2. Rethoricorum, qui odit rẽ aliquam, vt odit eam, vult illam non eſſe. At obiectum hoc non minus eſt impoſsibile, quã Angelũ eſſe ęqualẽ in natura cũ Deo. Ergo ſi *non eſſe* Dei ſecundũ ſe poteſt eſſe volitũ, etiã poterit prędicta ęqualitas appeti ab Angelo.

Quartũ fundamentum. *Ariſtotel.*

Nec refert, ſi dicas, eſſe diſparem rationẽ. Quia damnati, & peccatores grauiſſimi, qui ſunt in via, poſſunt ratione affectus peccati præcedentis excæcari, & habere errorẽ, quo concipiant illud obiectũ vt poſsibile, vel ſaltẽ poterũt, nõ cõſiderata impoſsibilitate illius obiecti, proponere ipſum vt conueniens in ordine ad prædictum affectum: hoc autem non poteſt contingere in Angelo ante ſuum primum peccatum.

Solutio.

Non itaque hoc refert. Quia (quicquid ſit de hominibus damnatis, aut de eiſdẽ in via) de Dæmonibus videtur id non poſſe dici. Quoniã Dæmones poſt lapſũ manẽt in cognitione comprehenſiua ſui, ita vt neceſſariò neceſsitate quoad exercitium ſint in actuali cõprehenſione propriæ eſſentiæ, vt ex dictis diſput. 9. dubio 3. conſtat: ergo ſemper & inceſſanter cognoſcunt, ſe eſſe entia per participationem, dependentia à Deo, vt ab ente per eſſentiam: ac proinde Deum, quippe ens per eſſentiam, non poſſe deficere: & ita nequeunt ratione praui affectus ita excæcari, vt iudicẽt hoc eſſe poſsibile.

Impugnatio pro aduerſarijs.

75 Nec etiam obeſt, ſi ſecundo occurras, Dæmones v. g. ſolùm habere Deum odio ratione effectuum repugnantiũ voluntati creatæ, ſcilicet, ratione punitionis, aut obligationis ad faciendum, vel omittendum aliquid contra eandem voluntatem: & ad ſummum hoc odium creſcere ad volendum per appetitũ formaliter talem, non eſſe in Deo actus liberos, in quibus cõſiſtit præceptũ, aut decretum puniendi. Cæterùm tunc nõ terminatur hæc volitio ad impoſsibile ſimpliciter, ſed ſolum ad impoſsibile ex ſuppoſitione. Vnde ſi quæ dicatur eſſe in eis volũtas, qua velint nõ eſſe in Deo poteſtatẽ ad puniendũ, aut ad impo-

Secunda ſolutio.

imponenda præcepta, vel Deũ ipſum ſecundùm ſe non eſſe, talis voluntas non erit de genere illarum, quæ formaliter exiſtunt, ſed tãtũ earũ, quæ ſolũ virtualiter, & interpretatiuè & fũdamẽtaliter cẽſentur eſſe: ad eum modũ, quo de actu illo D. Auguſt. in ſolutione præcedentis argumẽti dicebamus, ex eo quòd hæc obiecta ſunt ſimpliciter impoſsibilia.

Impugnat Caiet.

Nõ itaque hoc obeſt. Nã cõtra iſtã ſolutionẽ arguit Caiet. 2. 2. q. 34. ar. 4. Quoniãodiũ Dei idcirco ponitur eſſe peſsimũ vitiũ, quia opponitur optimæ virtuti, ſcilicet charitati: cõſtat autẽ, oppoſita eſſe circa idẽ, & charitatẽ diligere Deũ in ſe ipſo ſecũdũ id, quod eſt in ſe: ergo etiã odiũ oppoſitũ poteſt ita creſcere, vt velit malũ Deo ſecũdũ id, quod eſt in ſe ipſo ſecũdũ ſe. Vnde, etſi prædictum odiũ ſumat occaſionẽ ex effectibus Dei diſplicentibus voluntati creatæ, nihilominùs poteſt ita inualeſcere, vt pertingat vſque ad volendum *non eſſe* ipſius Dei ſecundùm ſe.

Vera ſolutio fundamẽti quarti.

76 Reſpõdetur primò, quòd quãtũ attinet ad homines peccatores grauiſsimos in via, non eſt dubiũ, quin poſsint appetere *non eſſe* Dei, vt in priori ſolutione inter proponẽdũ hoc argumẽtũ dicebamus, & quod eodẽ modo poſſunt errãdo appetere omnimodã æqualitatẽ cũ Deo. Cæterũ quoad Dæmones poteſt ſuſtineri ſecũda ſolutio inter proponẽdũ idẽ argumẽtũ adducta. Nec oppoſitũ cõuincit impugnatio ex Caiet. deprõpta. Nã ex ea ad ſummũ cõuincitur, poſſe formaliter dari odiũ occaſionatũ ex effectibus ipſius Dei, & tãdẽ tranſiens, & pertingens ad Deũ ſecũdũ ſe, nõ tamen, quòd in quolibet, in quo fuerit aliquando charitas, poſsit eſſe prædictũ odiũ: quia poteſt ſubiectũ illud ratione alicuius peculiaris cõditionis, quã habeat, eſſe omninò impeditũ, ne prorumpat in prædictum odiũ, vt patet in Chriſto Domino, qui ratione vnionis hypoſtaticæ eſt incapax tã adhoc quã ad alia vitia oppoſita virtutibus, quas habet. Hoc autẽ impedimentũ prouenit in Angelo ex eo, quod eſt ſemper in actuali cõprehenſione ſui, & cognitione impoſsibilitatis huius obiecti: & ideò nequit illud per appetitum formaliter talem appetere.

Secunda.

77 Secundo reſpondetur ex eodẽ Caietano in hac q. ar. 3. §. *His ſtantibus*, quòd dupliciter poteſt aliquid appeti. Primò quidẽ per modũ appetibilis per ſe: ſecundo verò per modũ appetibilis per accidẽs. Tũc aliquid appetitur primo modo, quãdo eſt volitũ per modũ finis, vel per modũ medij habẽtis rationẽ vtilis, ſiue veri, ſiue falſo cogitatã vt talẽ in ordine ad aliquẽ finẽ. Tũc verò aliquid appetitur ſecũdo modo, nẽpe per modũ appetibilis per accidẽs, quãdo nõ appetitur aliquo ex his duobꝰ modis, ſed tãtũ quia eſt cõiũctũ cũ aliquo vero, bono, vel apparenti per ſe appetibili. Ad eũ modũ (proportione tamen ſeruatã) quo aliquid poteſt eſſe ſẽſibile, vel per modũ ſenſibilis per ſe, quia nimirũ per ſe poteſt aliquo modo immutare ſenſũ, vt cõtingit in ſenſibili proprio, & cõmuni, quorũ primũ per ſe primo, ſecũdũ verò per ſe ſecũdo ſenſũ immutat: vel per modũ ſenſibilis tãtùm per accidens, ex eo quod coniungitur cũ ſenſibili per ſe, modo tamẽ à noſtris Complutenſibus in lib. de Anima diſp. 9. n. 2. & deinceps explicato. *Complut.*

Etſi ergo, quod eſt impoſsibile per ſe omnibus modis, quale eſt *non eſſe* Dei, nequeat appeti per modũ appetibilis per ſe, benè tamẽ per modũ appetibilis per accidens, ex eo quod eſt cõiũctũ cũ aliquo bono vero, vel apparẽti per ſe appetibili: quia ad huiuſmodi appetibilitatẽ per accidẽs nõ requiritur, quod in obiecto ſic appetito ſit de præſenti aliqua ratio poſsibilitatis, vel cõueniẽtiæ, alioqui poſſet appeti per modũ appetibilis per ſe, ſed ſatis eſt prædicta cõiũctio, vt in præſenti contingit. Nã Dæmones appetẽtes liberari â miſerijs, & cruciatibꝰ, in quibꝰ ſunt, appetũt ſimul cũ hoc obiecto *nõ eſſe* Dei: quia dato prædicto *non eſſe*, non permanerent in his miſerijs, & cruciatibus.

Vnde ad formã argumẽti cõceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia. Quia omnimoda æqualitas cũ Deo, ſi eſſet appetibilis ab Angelo, deberet appeti per modũ appetibilis per ſe: maximè ſi talis æqualitas fuiſſet obiectũ excellẽs, circa quod Angelus primo ſuperbijt. Cõſtat autẽ ex dictis, impoſsibile per ſe, quale eſt æqualitas iſta, nõ poſſe appeti per modũ appetibilis per ſe, ſiquidẽ per ſe nullã habet poſsibilitatẽ, nullã cõueniẽtiã.

Interrogatio.

78 Etſi inquiras, cur Angelꝰ nõ potuerit appetere hãc æqualitatẽ omnimodã cũ Deo per modũ appetibilis per accidẽs, ſicut Dæmones poſſunt hoc modo appetere *nõ eſſe* Dei? Reſpõdetur, poſſe huius multiplicẽ rationẽ reddi. Primã quidẽ. Quia hæc æqualitas ſic appetita eſt obiectũ per ſe, & intrinſecè malũ & præſupponẽs errorẽ practicũ in intellectu. Ex eo quod, ſicut eſt intrinſecè malũ, ac proinde præſupponẽs errorẽ in intellectu appetere per appetitũ fruitionis res vtẽdas, & per appetitũ (vt ſic dicamus) vſus res fruẽndas, quia hic eſt inuerſꝰ modꝰ appetẽdi, & diſſonꝰ obiectis appetitis: ita etiã eſt intrinſecè malũ ex parte rei volitæ, atque adeo præſupponẽs errorẽ in intellectu, appetere expreſſe, & formaliter (qua ratione debet appeti id, quod modo dicto appetitur appetitu per accidẽs) id, quod eſt maximũ inter omnia bona, quale eſt omnimoda æqualitas cũ Deo, quodque eſt bonum fruendum, ſeu dignum complacẽtia fruitionis per appetitum inferiorem appetitui vſus, qualis eſt appetitus per accidens. Et ità appetere illud appetitu inferiori, ac eſt appetitus vſus tendens ad media per ſe appetibilia, eſt modus appetẽdi inuerſus, & diſſonus naturæ rei appetitæ. Quare, cum Angelus

Reſolutio & prioris ratio.

ante suum primum peccatum nec potuerit habere errorem in intellectu, nec appetere aliquid ex parte rei volitæ intrinsecè malũ, nisi postquam grauiter deliquit appetendo rem ex se bonam, inordinatè tamen ex parte modi volendi, vt dubio præcedenti diximus, & dubio 8. huius disputationis latiùs dicemus: consequens est, vt prædictus Angelus in statu, in quo de illo loquimur, nequiuerit appetere appetitu per accidens prædictam æqualitatem. Quia dum negamus ei istum appetitum, loquimur de illo vel formaliter, dũ primò deliquit, & quoad primam rationem sui peccati, vel in aliquo priori antequam primò deliquisset.

Secunda ratio.

Secunda est. Quia id, quod appetitur per accidens, non excitat appetitum aliquo modo per se, & ratione sui. Constat autem, quòd si Angelus appeteret omnimodam æqualitatem cum Deo appetẽdo simul aliquid aliud, ad cuius appetitionem eam appeteret, tunc æqualitas ista excitaret aliquomodo appetitum per se, & ratione sui: quia ab Angelo in statu, in quo de illo loquimur, appeteretur ad appetitionem alicuius magnæ, & infinitæ excellentiæ, vel alicuius alterius boni honesti: ad quæ sanè prædicta æqualitas valdè per se, & ratione sui excitaret.

Vltima.

Tertia tandem ratio est. Quòd prædicta æqualitas Angeli cum Deo est talis conditionis, quòd nec per se, nec per accidens potest appeti ab Angelo appetitu prosecutionis, quo quis appetit sibi aliquod bonum positiuum. Nam per hunc appetitum non potest appeti nec per se, nec per accidens *non esse* appetentis: ex eo quòd (vt n. 40. dicebamus) in tali appetitu per se, & intrinsecè clauditur volitio conseruandi proprium *esse*, & ita ibidẽ non potest per accidens appeti prædictum *non esse*: ac proinde nec poterit appeti, adhuc appetitu per accidens, aliquid, quale est omnimoda æqualitas cum Deo: ex cuius appetitione sequatur etiam per accidens volitio proprij *non esse* appetentis.

DVBIVM III.

Vtrùm obiectum excellens, circa quod Angelus primò superbijt, fuerit vnio hypostatica, vel nolle subijci Christo, & eius dignitati?

79 POSTQVAM Explicuimus, primum Angeli peccatum fuisse superbiam, & obiectum excellens, circa quod primò superbijt, non fuisse omnimodam æqualitatem sui cũ Deo: statim pulsat animum inquirere, an prædictũ obiectum fuerit vnio hypostatica? Quia cùm hoc obiectum sit, inter cætera alia obiecta possibilia, excellentissimum, meritò primò de illo inquirimus, an fuerit obiectum excellẽs, circa quod Angelus primò superbijt, vel an fuerit hoc, quod est nolle subijci Christo Domino? Coniunximus autẽ hęc duo in dubio, propter affinitatẽ, quam inter se habent.

§ I. *Explicatio tituli.*

80 PRo tituli intelligentia notandum est primò, Angelis omnibus, adhuc dum erant in via, fuisse reuelatum mysterium Incarnationis, ac proinde Christum futurum, qui simul esset Deus, & homo caputque, & Dominus eorundem Angelorum. Quodquidẽ colligitur ex Augustino lib. 5. de Genesi ad litteram, c. 19. necnon ex D. Thoma 2.2.q.2.art. 7. ad 1. & in hac 1.p.q.64.art.1.ad 4. dicente, mysterium regni Dei, quod est impletũ per Christum, omnes quidem Angelos à principio aliquomodo cognouisse, maximè ex quo beatificati sunt visione Verbi. Vbi licèt concedat Angelis beatis magis perfectam cognitionem huius mysterij, postquam beatificati sunt, omnibus tamen tribuit, quòd habuerint aliquam illius cognitionem: quę quidem debuit esse cognitio eiusdem mysterij, saltem quoad suam substantiam, attingendo nimirũ Christum vt Deum, & hominem, necnon illũ futurum esse caput, & Dominum Angelorũ. Tũ, quia notitia huius dignitatis, capitis, & dominij facillimè deducebatur ex cognitione huius mysterij quoad suam substantiã. Tũ etiam. Quia cùm Christus reuerà esset caput, & Dominus cunctarum creaturarum, & præcipuè intellectualium, vt probat Angelicus Pręceptor 3.p.q 8.art.4. oportuit, vt Angeli in via haberent fidem Christi vt capitis, & Domini: quia in membris intellectualibus ponenda est notitia sui capitis vt talis, quæ sit sufficiens, vt possint ipsum venerari: sicut etiam ob debitam subiectionem earundẽ creaturarum intellectualiũ debuerunt habere sufficientem notitiam dominij sui capitis super illas. Maximè, quia hoc valdè cedebat in honorem eiusdem Christi Domini.

Notabile primũ pro tituli intelligentia.

August.

D. Thom.

D. Thom.

Obiectio contra prædictum notabile.

Nec obest, quòd iuxta ordinem diuinorũ decretorũ, quæ in via D. Thomæ in Deo collocantur, Incarnatio Verbi habuit dependẽtiam à peccato Adami, necnõ & à primo peccato Angelorum malorũ, ex eo quòd inde habuit ortũ inductio Adami in suũ peccatũ: & ita videtur non fore reuelandũ Angelis hoc mysteriũ, ne simul peccatũ illud, à quo dependebat, eis reuelaretur, & inde maximã tristitiã antẽ suum primum peccatum haberent.

Solutio.

Non itaque hoc obest. Quoniã etũ Incarnatio

natio Verbi habuerit prædictam dependentiã defacto à prædictis peccatis in genere cauſæ materialis: attamen in genere cauſæ finalis Chriſtus eſt priùs volitus, quàm permiſsio prædictorũ peccatorũ: potuitque Deus reuelare Chriſtũ, vt finẽ, & caput omnis creaturę, nõ reuelando cauſam materialẽ, & occaſionẽ ſui aduẽtus, vt in reuelatione facta primo homini in ſtatu innocentiæ contigit, ſed de his latiùs 3.p circa articulum 3. quæſtionis 1.

Notabile ſecundum.

81 Secundò notandum eſt, eſſe valde probabile, Deum impoſuiſſe Angelis præceptũ, vt omnes adorarent Chriſtum Deum & hominem, eumque in Dominum, & Deum ſuũ reciperent. Quod quidem conſonat dicto illi

Ad Hebr. 1.

Pauli ad Hebræos 1. *Et cùm iterùm introducit primò genitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Et ratio huius notabilis deducitur ex ijs, quæ in præcedenti notabili diximus. Nã ſemel facta reuelatione illa Angelis, erat valdè rationi congruum, vt eis imponeretur præceptum, quo obligarentur ad hoc, vt ſe ipſos Chriſto tanquam Deo, & Domino ſuo ſubijcerent.

Suarez.

Imò valdè probabile eſt (vt benè notauit Suarez lib. 7. de malis Angelis cap. 13. à n. 30. vſque ad 33.) quòd ſuppoſita inſtitutione, & ordine rerum à Deo ſtabilito de vnione hypoſtatica Verbi ad humanam naturam Chriſti, tunc non ex ſpeciali præcepto poſitiuo, ſed ex naturali obligatione, quæ ex tali obiecto, & conditione perſonæ conſequitur, debuit Angelus recognoſcere Chriſtum, vt Deum, & Dominum ſuum, hoc ipſo quòd ſibi reuelaretur. Nam ſicut Chriſto eſt connaturale hoc dominium, & poteſtas excellentię ſuper omnes creaturas: ſic inde naturalis naſcitur obligatio adorandi, & recognoſcendi

Ad Hebr. 2.

ipſum vt Dominum. Vnde Paulus ad Hebræos 2. de Chriſto exponit illud Pſalmi 8. *Gloria, & honore coronaſti eum & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.* Et adiungit. In eo, quòd omnia ei ſubiecit, nihil omiſit nõ ſubiectum ei, ideſt, nec Angelos, nec homines, vt

Ambroſ. Gloſſa.

Gloſſa, & omnes notant. Inde naturalem obligationem adorandi ipſum colligunt Ambroſius, & Gloſſa ſuper eundem locum Pauli.

Tertiũ notabile.

82 Tertiò notãdum eſt hinc a fortiori ſequi, quòd ſuppoſita prædicta inſtitutione, & diſpoſitione Dei circa vnionem hypoſtaticã, tunc ex tali myſterio, eiuſque cognitione orta eſt naturalis obligatio non repugnandi prædictæ diſpoſitioni diuinæ, nec appetendi illã excellentiam ex affectu dominãdi, vel vt alteri naturæ quodãmodò debitã, etiã ex ſuppoſitione quòd Deus decreuerit illã cõmunicare alicui naturę huiꝰ vniuerſi. Nã ſuppoſita illa inſtitutione, talis repugnãtia, vel appetitus non eſſet malus, quia prohibitus, ſed eſſet per ſe malus, & contrarius rationi.

Quare tota difficultas huius dubij eſt, tũ, an ſuppoſitis his, quæ diximus, obiectum excellens, circa quod Angelus primò ſuperbijt, fuerit vnio hypoſtatica, & excellentia ipſius inordinatè ab eodem appetita: vt puta ſi appeteret illam, vel vt habendam ex proprijs viribus, vel vt quodammodò debitam ratione dignitatis ſuæ naturæ, ſaltem ex ſuppoſitione quòd fieret illa vnio cum aliqua alia natura huius vniuerſi, vel in contemptum naturæ humanæ, vel cum aliqua alia circunſtantia, ratione cuius inordinatè appeteret illam excellentiam: non verò ex eo quòd appetierit prædictam vnionem, quatenus præcisè eſt maximum quoddam bonum valdè vniens naturam creatam cum Deo. Tum etiam, an ſaltem prædictum obiectum fuerit nolle ſubijci Chriſto Domino, vt vero Deo, & homini.

Status controuerſię aperitur.

§. II *Vera D. Thomæ ſententia duabus concluſionibus aperitur.*

Prima aſſertio.

83 Dicendum ergo eſt primò obiectum excellens, circa quod Angelus primò ſuperbijt, non fuiſſe vnionem hypoſtaticam. Addidimus in aſſertione particulam illam *primò*. vt denotaremus, hìc non fieri ſermonem, niſi de obiecto, circa quod Angelus primò ſuperbijt: nã vtrùm ſecundariò circa vnionem hypoſtaticam ſuperbierit, infrà dubio 6. dicemus.

Ezech. 28

Aſſertio hæc ſatis innuitur in illo Ezechielis 28. vbi deſcribitur primum peccatum Angeli, necnon & obiectum ſuæ ſuperbiæ, & dicitur, prædictum obiectum fuiſſe decorem, & poteſtatẽ, cumulũque perfectionum, quibus tunc abundabat. Conſtat autem, in Angelo non fuiſſe vnionem hypoſtaticã: ac proinde hæc non fuit obiectum excellens, circa quod primò ſuperbijt. Sed hoc teſtimoniũ dubio 5. huius diſputationis amplius elucidabitur, & ex ibidẽ dicendis circa illud manebit hæc aſſertio magis confirmata. Eandem etiã tuentur Auguſtinus, Ambroſius, Leo Papa, Bernardus, Gregorius; & Angelicus Præceptor locis in eodẽ dubio n. 107. & 108. referẽdis, quos ſequũtur diſcipuli eiuſdẽ Angelici Præceptoris, & plures alij num. citato adducẽdi.

Auguſt. Ambroſ. Leo Papa. Bernard. Gregor. Angel. Præcept.

Prima fundamentalis ratio.

Ratio autem prior huius aſſertionis ſumitur ex iſto teſtimonio Ezechielis, & ex teſtimonijs Patrum iam inſinuatis. Nã quòd fuerit obiectum excellens, circa quod Angelus primò ſuperbijt, optimè colligitur ex Scriptura, & Patribus: ergo cùm in Scriptura ſatis inſinuetur, obiectũ excellens primæ ſuperbiæ Angelicæ nõ fuiſſe vnionem hypoſtaticam, & id ex teſtimonijs Patrum iã inſinuatis cõſtet: conſequens erit, prædictam vnionem nõ fuiſſe obiectum primæ ſuperbiæ Angelorũ.

Secunda ratio.

84 Secunda ratio deſumitur ex D. Thoma 2.2.q.163. art. 1. quæ poteſt ſub hac forma proponi. Nã primum peccatũ, primaque ſuper-

ſuperbia Angeli debuit verſari circa finẽ vltimum ipſius, tanquam circa obiectum: ſed vnio hypoſtatica non eſt finis vltimus Angeli ergo obiectum excellens, circa quod primò ſuperbijt, non fuit vnio hypoſtatica. Cõſequentia videtur legitima. Minor autem etiã conſtat. Quoniam vnio hypoſtatica nec eſt vltimus finis naturalis reſpectu Angeli, nec ſupernaturalis, ad quẽ eleuatus fuerit: ſiquidẽ ad ſolã beatitudinẽ ſupernaturalẽ, ſeu viſionẽ clarã Dei habendã fuit eleuatus. Maior verò patebit ex illis, quę dubio 5. n. 113. dicemus.

D. Thom.

Cõfirmatur

Confirmatur ex eo quòd homo in primo ſuo peccato debuit delinquere contra finẽ vltimum: ergo idẽ etiam dicendum erit de prima ſuperbia Angelica. Conſequentia videtur exparitate rationis patere. Antecedens verò habetur ex D. Thoma loco nuper citato, vbi rationẽ eius reddit his verbis: *Ille motus habet rationem primi peccati, in quo prius inordinatio inuenitur. Manifeſtũ eſt autẽ, quòd primò inuenitur inordinatio in motu interiori animæ, quàm in actu exteriori corporis. Inter motus autem interiores prius mouetur appetitus in finem, quàm in id, quod quæritur propter finẽ: & ideò ibi fuit primũ peccatũ hominis, vbi potuit eſſe primus appetitus inordinati finis.*

D. Thom.

Obijcit Vazquez primo

85 Nec obeſt, ſi contra rationem hãc obiacias ex Vazquez in præſenti diſput. 235. c. 1. peccatum primum poſſe eſſe circa media, & non circa finem: & ideò poſſet quis habere optimum finem, v. g. dandi eleemoſynam, & primò peccare ex electione mediorum, vt puta ſi ad eleemoſynam eligeret furtum.

Reſpõdetur

Reſpondetur enim, poſſe id cõtingere poſt primum inſtans plenæ deliberationis, non verò in primo inſtãti prædictæ deliberationis, in quo tenetur creatura intellectualis deliberare de vltimo fine in particulari ſumpto: nã tunc non poteſt non vel intẽdere prædictum vltimum finem, ad quem intendendum obligatur, vel ab eo deuiare: quòd ſi primum præſtiterit, non poterit in eo inſtanti peccare: quia voluntas efficax finis vltimi in particulari, ad quem tenetur, includit virtualiter ſaltẽ volitionem mediorum neceſſariorum, & ita eſt incompoſibilis in eo inſtanti cum aliquo alio peccato circa prædicta media.

Obiectio ſecunda.

86 Nec etiam refert, ſi ſecundò obijcias, quòd iuxta ea, quæ in 1. tom. tractatu 5. diſp. 2. n. 36. & diſp. 5. n. 17. diximus, & 3. p. explicantes art. 3. quæſt. 1. D. Thomæ aſſeremus, vnio hypoſtatica eſt adeò excellens, vt ad eã cætera alia creata vt ad finem ordinentur: & propterea Chriſtus Dominus in genere cauſę finalis eſt prior cũctis alijs Dei operibus, omniaque illa in eum vt in finem ſunt à Deo ordinata. Ergo ſi Angelus potuit primò peccare circa ſuũ vltimum finẽ naturalem, vel ſupernaturalem, ſcilicet viſionem abſtractiuã, vel intuitiuam Dei, quia ſunt fines vltimi illius: potiori ratione potuit primò delinquere circa vnionem hypoſtaticam, quæ cõparatur per modũ finis reſpectu vtriuſq; beatitudinis, naturalis, & ſupernaturalis eiuſdem Angeli.

Reſpondetur, vnionem hypoſtaticam nõ eſſe finem adipiſcendum, & poſſidendum ab Angelo, ac proinde propriè, & formaliter loquendo non eſſe finem vltimũ illius: quia hic debet eſſe finis, qui poſſit adipiſci, & poſſideri ab eo, cuius eſt finis, ſeu debet eſſe talis, vt is, reſpectu cuius eſt finis vltimus, ſit ſaltẽ eleuatus ad illum conſequendum, & poſſidẽdum. Quãuis cum hoc ſtet, quòd prædicta vnio ſit finis (vt ſic dicamus) extrinſecus omnium aliorũ operum Dei, ideſt, non finis cõſequendus, & aliquando intrinſecè habẽdus; ſed finis, ad cuius exaltationem aliæ creaturę ſunt à Deo factæ. Cæterùm finis iſte non eſt qui primò ſollicitat cor hominis, aut Angeli in primo inſtanti ſuæ plenæ deliberationis, ſed ſolùm finis vltimus (vt ſic dicamus) intrinſecus, & cõſequendus, vel intra ordinẽ naturæ, vel ex diuina eleuatione: ex eo quòd creatura intellectualis ſit eleuata ad illũ per vires ordinis ſupernaturalis conſequendum.

Euertitur.

Obiectio tertia ex Vazquez.

87 Neque etiã refert, ſi tertiò obijcias ex Vazquez in præſenti diſputatione 233. c. 2. quòd ſi hæc ratio D. Thomæ aliquid probaret, ſuaderet etiam, non ſolùm de facto, verùm nec de poſſibili Angelum primò peccaſſe circa vnionem hypoſtaticam: ſiquidem prædicta ratio innititur in hoc, quòd vnio iſta nõ eſt propriè finis vltimus creaturę intellectualis. At admitti nequit, quòd ſaltem de poſſibili Angelus non primò peccet circa prædictam vnionem. Ergo, &c. Minor probatur. Tum, quia ſi fuiſſet Angelo impoſitum præceptum non appetendi talem excellentiam, non eſſet cur in eo euentu non poſſet primò delinquere in tranſgreſsione talis præcepti: at prædicta tranſgreſsio eſſet peccatũ ſuperbiæ: ex eo quòd tranſgreſsio ſimplex præcepti poſitiui debet iuxta naturã materiæ expẽdi, ad quam ſpeciem pertineat: ac proinde, cùm appetitus vnionis hypoſtaticæ ſit appetitus excellentiæ, oportet, quòd ſi ſit contra præceptum illud poſitiuum, ſit etiam peccatũ ſuperbiæ verſantis circa excellentiã propriam, non ſeruata diuina regula. Tum etiã, quia non eſt cur Angelus nõ potuerit primò delinquere appetẽdo prædictam vnionẽ, vel in deſpectũ aliorũ, vel vt alijs præeſſet: quiquidẽ affectus manifeſtè ſunt affectus ſuperbiæ.

Solutio.

Reſpondetur, concedendo ſequelam intellectam de impoſsibilitate phyſica, & ſecundùm cõmunem ac regularem curſum, ſecùs verò de impoſsibilitate metaphyſica, & iuxta hæc neganda eſt minor. Ad primam tamẽ probationem incontrariũ dicẽdum eſt, quòd adhuc poſito illo præcepto, tunc ſecundùm cõmunẽ curſum perpriùs ſollicitaret Angelũ deli-

deliberare de se circa suum vltimum finem, quàm circa prædictũ præceptum, cuius obseruantia haberet se vt medium ad consequẽdum suum finem.

Ad secundam verò probationem patet ex modò dictis. Nã si semel Angelus nequit secundùm communẽ & regularem cursum primò superbire in suo primo peccato circa vnionem hypostaticam, nequibit primò extolli circa eadem, vel in despectum aliorum, vel vt alijs præesset.

Roboratur. Adde, quòd si sit sermo de appetitione vnionis hypostaticæ in cõtemptum aliorum, vel ad præsidendum alijs, ita vt totum hoc teneat se ex parte obiecti voliti, tunc Angelus ob aliam rationem iam insinuatam nequit primò superbire circa illam, nempe, quia nequit ex errore aliquo primò delinquere: at volitio vnionis hypostaticæ aliquo ex illis modis sic appetitæ, deberet subsequi ad aliquem errorẽ intellectus, quo iudicaret, esse sibi cõueniens amplecti illud obiectũ ob illos fines.

Secunda assertio. 88 Dicendum est secundò, Angelum non primò superbijsse, ex eo quòd noluerit subijci Christo Domino, illumque vt verum Deũ, & verum Dominum recognoscere. Assertio hæc etiam colligitur ex loco citato Ezechielis, vt intuenti patebit, & dubio 5. amplius dicemus. Eandem etiam tuentur Patres, necnõ & Theologi ibidem referendi.

Ratio fundamentalis. Ratio autem fundamentalis illius desumitur ex D. Thoma loco nuper citato ex 22. nec non ex 1.2.q.25.art.2. quę potest ad hãc formam reduci. Quia omnis nolitio debet esse in virtute alicuius volitionis, aut prosecutionis: ergo priùs fuit, quòd Angelus voluerit, & prosecutus sit aliquod obiectum excellens, quàm quòd noluerit subijci Christo: ergo non primò deliquit superbè in hac posteriori nolitione, sed in priori illa volitione, & prosecutione. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem probatur. Nam cùm nolitio tendat ad malum, & hoc non respuatur à voluntate, nisi quia vult bonum illi oppositum, atque adeò quatenus per modum fugæ auertitur ab illo malo, vt bonum oppositum psosequatur: consequens est, vt nequeat dari nolitio, nisi in virtute alicuius volitionis, & prosecutionis. Et propterea hunc eundem ordinem constituit D. Thomas loco citato ex 1.2. in actibus appetitus sensitiui his verbis: *Naturaliter autem est prius bonum malo. Vnde & omnes passiones, quarum obiectum est bonũ, naturaliter sunt priores passionibus, quarum obiectum est malum, vnaquaque scilicet sua passione opposita. Quia enim bonũ quæritur, ideò refutatur oppositum malum.* Et similiter ob hanc eandem rationem idem Angelicus Præceptor art. 2. huius quæstionis explicuit primũ peccatum Angeli quoad suam primam rationem per peccatũ secundùm affectũ, siue affectionis, quod peculiari ratione peccatũ volitionis, & prosecutionis denotat.

D. Thom.

§. III. *Duæ sententiæ oppositæ, cũ suis fundamentis, & eorum enodationibus.*

89 Contra nostrã tamen sententiã duæ militãt opiniones. Prima contra priorẽ assertionẽ asserens, Angelũ primò superbisse circa vnionem hypostaticã, & eius excellentiã. Ita Viguer. Iacobus de Valẽtia, Catherinus, Naclant. Ascanius Martin. quos refert, & sequitur Suarez lib. 7. de Malis Angelis c. 13. Probatur primò. Quoniam iuxta modum loquendi Scripturæ, & Sanctorum Angelus appetijt in prima sua superbia Deitatem. at non appetijt illam, ex eo quòd voluerit suam naturam Angelicam destrui, & transmutari in diuinam, quia hoc iudicabat esse sibi impossibile: ergo appetijt illam appetẽdo vnionẽ hypostaticã, ratione cuius poterat pertingere ad hoc, vt verè esset Deus.

Prima sententia. *Viguerius. Iacob. de Valent. Catherin. Naclant. Ascanius Martin. Suarez.* Primũ fundamentum.

Confirmatur. Quoniam verba illa Isaiæ 14. in quibus describitur prima superbia Angeli iuxta communem consensum Patrum, nempe, *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo*, à nullo præterquam à Christo sine arrogantia, vel rapina dici cum proprietate potuerũt: ergo nullus affectus superbiæ Luciferi meliùs per illa verba significatur, quàm appetitus Diuinitatis Christi per hypostaticam vnionẽ: sicut etiam verba illa Ezechielis 28. *Dixisti: Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi*, cum omni humilitate, & veritate à Christo Domino dici potuerunt. Ergo superbia Luciferi in appetenda cathedra hypostaticæ vnionis per eadem verba aptissimè explicatur. Quibus etiam verba sequentia consonant: *Eleuatũ est cor tuum quasi cor Dei.* Nam sicut per vnionem hypostaticam exaltatum est cor hominis, vt sit cor Dei: ita per superbum appetitum illius vnionis eleuatur voluntas, creata, vt quasi voluntatem Dei esse concupiscat.

Cõfirmatur *Isaiæ* 14. *Ezech.* 28.

Respondetur, concedẽdo maiorem, & minorem, & negando consequentiam. Quoniã Angelus in sua prima superbia, siue in prima ratione illius tantùm appetijt quodammodò deitatem ex parte modi appetendi virtualiter, & interpretatiuè, & eo modo, quo dubio 5. explicabimus. Et ideò nõ sequitur, primò superbijsse appetendo expresè vnionem hypostaticam, & esse Deum mediante illa.

Diluitur fũdamentum

Ex quo ad confirmationem respondetur, quòd etsi Christus Dominus potuerit verba illa relata cum proprietate, verè, & humiliter dicere ratione hypostaticæ vnionis, nõ sequitur, Angelũ ex appetitu illius vnionis ea protulisse, sed ex appetitu alicuius excellẽtię, ratione cuius prædicta verba verificentur, nempe, ex

Ad confirmationem.

pe, ex eo quòd superbè appetierit suam beatitudinem naturalem, vel supernaturalem, & ille appetitus ex parte modi appetendi sit talis cõditionis, vt virtualiter, ac interpretatiuè fuerit ex parte eiusdem modi appetendi appetitus quodammodò deitatis, vt loco citato explicabitur.

Secundum fundamẽtũ. Bernard.

90 Secundò probatur prædicta sententia ab eodem Suarez. Nam iuxta Bernardum ser mone 17. in Cantica, credibile est, Lucifero in statu viæ reuelasse Deum hominum prædestinationem, & electionem ad fœlicitatem Angelis, & hominibus communem. *Ipse autem* (inquit Bernardus) *si hoc præsciuit, in liuore suo inuidit, & molitus est habere subiectos, socios dedignatus.* Ergo multò magis credibile erit, Luciferum præsciendo hominem aliquem, nempe Christum, futurum esse multò excellentiorem ipso, non solùm in gloria, sed etiam in gratia vnionis, & in personæ diuinæ maiestate, vehementer doluisse, & ex hoc inuidia contabuisse. Ergo ante inuidiam istam superbijt, & non vtcumque, sed appetendo inordinatè sibi hanc eandem vnionem hypostaticã. Hæc vltima consequentia quoad primam eius partem videtur certa ex Augustino

August. lib 11. de Genesi ad litteram c. 14. vbi de hoc loquitur: *Porrò hæc inuidia sequitur superbiã, non præcedit: non enim causa superbiendi est inuidia, sed causa inuidendi est superbia.* Et rationem reddit: *Cùm igitur superbia sit amor excellentiæ propriæ, inuidia verò sit odium fœlicitatis alienæ: quid vnde nascatur, satis in*

Bernard. *promptu est.* Vnde etiam ipse Bernardus citato sermone sic de superbia Diaboli: *Ergo in cœlo concepit dolorẽ, & in paradiso peperit iniquitatem, prolem malitiæ, matrem mortis, & arumnarum omniũ prima parens superbia.* Ex quo etiam eadẽ consequentia quoad secundã partem probatur. Quoniam inuidia de vnione hypostatica orta ex superbia, seu ex appetitu excellentiæ, non videtur aliunde melius oriri, quã ex eo quòd Angelus superbierit circa prædictã vnionẽ hypostaticam, appetendo eã sibi inordinatè, ita vt ideò doleret prædictam vnionẽ fuisse factam in humanitate, quia eam ipse sibi volebat

Solutio.

91 Nec obest, si respõdeas, hinc nõ haberi hãc inuidiã ortũ duxisse ex affectu superbiæ, quo Angelus sibi voluerit vnionem hypostaticam, sed potuisse oriri ex solo affectu habẽdi, seu retinendi suam excellentiam, & præeminentiam supra naturam humanam: ad quẽ finem satis erat desiderare, ne humana natura ad illam vnionem eleuaretur, etiãm si Lucifer eam suæ naturæ non concupisceret.

Impugnat Suarez.

Nã contra hoc obijcit idem Suarez, quòd licèt ex hac solutione habeatur, non esse omninò necessarium, quòd superbia, ex qua Angelus habuit hanc inuidiam, fuerit circa eandem vnionem hypostaticam appetendo eam sibi: nihilominùs est valdè credibile, prædictam inuidiam ortam fuisse ex appetitu eiusdem vnionis hypostaticæ. Nam superbia Luciferi fuit maxima, quæ secundùm occurrentes circunstantias esse potuit, vt Scriptura, & Patres significant: ergo appetijt summam excellentiam, quæ in eo momento, in quo peccauit, ipsi occurrebat: at tunc considerabat vnionem hypostaticam, vt supremam quamdam excellentiam, superãtem omnem aliam celsitudinem creatam etiam Angelicam, & sibi connaturalem: ergo credibilius est, illam sibi appetijsse inordinatò, & superbo modo, ideſt, tanquã sibi quodãmodò debitã ratione sui decoris, saltẽ ex illa suppositione, quòd alicui naturæ creatæ communicanda erat.

Diluitur fundamentum primo.

92 Respondetur, quòd in primis non est necessarium ad hoc, vt in Angelo oriretur inuidia vnionis hypostaticæ ex superbia, quòd in sua prima superbia, primaque illius ratione superbierit per se primò circa vnionẽ hypostaticam appetendo eam sibi inordinato modo, sed satis esset, quòd primò superbierit circa aliquam aliam excellentiam, & deinde secundariò, ac consequenter circa vnionem hypostaticam, ac tãdem inde inuiderit, ex eo quòd facta fuerit in humana natura. In præsenti autem tantùm intendimus, quòd saltem per se primò Angelus non superbierit circa prædictam vnionem, sed circa aliquod aliud obiectum excellens.

Enodatur secundo.

Deinde dicimus, non esse necessarium ad hoc, quòd Angelus habuisset prædictam inuidiam, vt priùs superbiret actu, adhuc tanquam circa obiectum secũdarium, erga vnionem hypostaticam, sed satis fuisset, ipsum superbijsse circa excellentiam sui finis naturalis, diligendo suam beatitudinem naturalem per modum finis omninò vltimi. Nam, vt docuit D. Thomas 3. contra Gentes c. 109. ex

D. Thom. hoc vno errore circa principium, varius, & multiplex error consequitur: & ideò ex hac prima deordinatione voluntatis, quæ fuit in Dæmone, consecutum est multiplex peccatũ in voluntate ipsius, & odij ad Deum, vt resistentem suæ superbiæ, & punientem iustissimè suam culpam, & inuidiæ ad hominem, & multa alia huiusmodi, inter quę potest etiam cõnumerari inuidia, & dolor de vnione hypostatica facta humanitati Christi: ex eo quod prædicta humanitas erecta fuerit ad longè maiorem excellentiam, quàm sit illa, à qua prædictus Angelus cecidit.

Vindicatur solutio inter argumẽdũ tradita.

Vnde ad impugnationem contra solutionem inter proponendum hoc argumentum adductã facilè ex dictis occurritur, quod adhuc dato antecedenti, necnon & prima cõsequẽtia (de quibus alibi) nõ sequitur, Luciferũ appetijsse per se primo vnionẽ hypostaticã: quia hæc non est de obiectis, quæ secundùm occurrentes circunstãtias tẽporis, seu primi,

& vl-

& vltimi inſtantis plenę deliberationis primò occurrũt, primò que ſollicitant cor hominis, vel Angeli, ſed hoc proprium eſt vltimi finis. Et propterea Angelus non primò ſuperbijt circa vnionem hypoſtaticam, ſed circa ſuum vltimum finem, & excellentiam eius, inordinato modo illam diligendo.

Secũda ſententia.

93 Secunda verò ſententia, eaque noſtræ ſecundæ aſſertioni oppoſita aſſerit, Angelum primò ſuperbiſſe circa Chriſtum Dominum, nolendo ei ſubijci, illumque vt Dominum ſuum recognoſcere. Pro qua referuntur Melchior Flauius libro de regno Chriſti c. 6. & 31. & Iacobus Naclãtus traditione 4. Theologica, quæ eſt de Auguſtiſſimo regno Chriſti §. *Cui & titulus*. Et fauet eis antiqua traditio Hebræorũ, quæ colligitur ex Rabbi Moyſe ſuper cap. 5. Geneſis, & adducitur à Galatino lib. 7. de Arcanis catholicę veritatis cap. 4.

Melchior Flauius. Iacobus Naclãtus Rabbi Moyſes. Galatinꝰ.

Vnicum fundamentum.

Et licèt fundamenta huius ſententiæ ſatis corruant ex dictis: nihilominùs vnicum ex illis placuit adducere, & ex ijs, quæ aſſeruimus, diſſoluere, quod quidẽ hic ſe habet. Quoniã veroſimilius eſt, primam ſuperbiam Angeli potiùs ſitam fuiſſe in hac nolitione præſtandi Chriſto Domino debitam ſubiectionem, & reuerentiam iuxta præceptum iam explicatum eundem Angelum vrgens, quàm in appetitu excellentiæ, quæ conſiſtit in hoc, quod eſt non ſubijci Deo quoad alia præcepta, ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia, quibus Angelo præſcribebatur modus immediatè ſe habendi in ordine ad Deum, vt authorem naturæ, vel vt authorẽ gratiæ: ergo prima ſuperbia Angeli fuit de facto prædicta nolitio ſubiectionis contra Chriſti dignitatẽ. Conſequentia patet. Nã cùm parùm habeamus ex Scriptura, & Patribus de obiecto primæ ſuperbiæ Angelicæ, conſequens eſt, vt illud melius aſſignetur pro obiecto, quod iuxta rationem fuerit magis veroſimile. Antecedens autem probatur. Quia Angelus ex propria perfectione habebat aliquod motiuum ad ſic ſuperbiendũ contra Chriſtũ: eò quòd attingendo perfectè naturã ſuam, ſciebat eſſe valdè ſuperiorem humana quoad ſuam ſpeciem, poteſtatem, ſcientiam, & alia, quæ ad illam conſequuntur: & ideò ex hoc capite non defuit aliquod motiuum ad hoc, vt nollet ſubijci homini: cùm tamẽ motiuum hoc defuerit illi reſpectu Dei, quẽ ſciebat eſſe infinitè perfectiorem, quàm natura Angelica: ergo, &c.

Occurritur

Reſpondetur ex dictis, quòd etſi excellẽtia naturæ Angelicę potuerit eſſe illi aliqua occaſio, nõ quidẽ data, ſed accepta, ad hoc vt noluerit ſubijci homini, nempe Chriſto Domino, nõ tamen ad hoc, vt primus actus, quo ſuperbijt, fuerit nolitio huius ſubiectionis: quia actus fugæ non poteſt eſſe prior, ſed debet neceſſariò præſupponere actum volitionis: & ideò prima ſuperbia Angelica non potuit conſiſtere in pura nolitione ſubiectionis ad Chriſtum Dominum.

94 Nec obeſt, ſi vrgeas, quòd quantũ eſt ex vi huius ſolutionis nihil oberit, quominùs Angelꝰ primò ſuperbierit circa Chriſtũ, appetẽdo, & proſequẽdo hanc excellentiã, quæ cõſiſtit in hoc, quòd natura Angelica nõ ſubijciatur alicui homini; & inde habuerit actũ nolitionis, quo noluerit prędictã ſubiectionẽ.

Replica.

Reſpondetur enim, quòd (quicquid ſit, an prædicta proſecutio ſit diſtincta à nolitione ſubiectionis, an verò ſit tantũ virtualiter inclusa in illa) nihilominùs nequibit Angelus, ſaltem ſecundũ cõmunẽ, & regularẽ curſum, primò ſuperbire circa prædictã excellentiã, volendo illam expreſsè tanquam obiectum volitum. Tum, quia ad hanc volitionem deberet præcedere ex parte intellectus aliquis error practicus formaliter talis, vt ex dictis in hoc dubio patet: qui tamen ante primum peccatum nequit eſſe in intellectu Angelico, vt ſæpè diximus, & dubio vltimo latiùs dicemus. Tum etiam, quia (vt ex dictis conſtat) Angelus debuit primò delinquere circa obiectum bonum, & vltimum finem ſuum, inordinatè tamen appetendo eius excellentiam.

Solutio.

DVBIVM IIII.

Vtrùm obiectum excellens, circa quod Angelus primò ſuperbijt, fuerit tyrannica aliqua poteſtas, ſiue principatus ſupra alias creaturas inferiores, & intellectuales?

95 VIA principatus, & poteſtas in alios ſolet eſſe ſatis frequenter obiectũ excellens, circa quod ſuperbi delinquunt, id circò inquirimus poſt prædicta, an ſaltem hoc fuerit obiectum excellens, circa quod Angelus primò ſuperbijt. Addimus autem in titulo, tam in hoc, quàm in præcedentibus dubijs particulam illam *primò*: quia (vt ſæpè diximus) nõ de qualicũque, ſed de primario obiecto ſuperbiæ Angelicæ in omnibꝰ his dubijs ſciſcitamur. Quo modo autem prædictus principatus, & poteſtas fuerit obiectum excellens, circa quod Angelus ſecundariò ſuperbijt, in hac diſputatione explicabimus dubio 6.

Cæterùm principatus iſte, de quo præſens dubium procedit, debet per diſtributionem accõmodam ad quemlibet ex Angelis, qui illum appeterent, accõmodari: ita nimirum, vt reſpectu primi Angeli ſit in ordine ad omnes creaturas, ſaltem intellectuales, defacto productas, quia omnes ſunt inferiores in natura collatæ cum eodem Angelo: in alijs verò Angelis prædictus principatus intelligitur, non reſpectu omnium creaturarum intellectualium, ſed earum, quæ vnicuique ex prædictis Angelis ſunt inferiores in natura.

Addidimus autem in titulo particulam illam *Tyrannica*: vt denotaremus, non fieri in ea ſermonem de poteſtate, aut principatu aliquo, ad quem Angelus habeat ius, ſiue qui ipſi debeatur, ſed de principatu, & poteſtate eidẽ Angelo non debita, ad quamque nõ eſt in eo ius, ſed potiùs eſſet reſpectu illius vſurpata quædã poteſtas: vt puta, ſi vellet omnia dona, quæ à Deo in cæteras creaturas deriuantur, deriuari etiã mediante ipſo in eaſdem, ita vt hoc eſſet eidem Angelo debitum, vel ſi appeteret, cæteras alias creaturas intellectuales teneri ipſi ad nutum obedire tanquam Domino, & Principi, ratione exceſſus excellentiæ ſuæ naturæ ſupra alias creaturas inferioris naturæ, aut aliquid huiuſmodi.

§. I. *Vera D. Thomæ ſententia.*

Conclusio. 96 DIcendum ergo eſt, obiectum excellens, circa quod Angelus primò ſuperbijt, non fuiſſe tyrannicam aliquam poteſtatẽ, aut principatum ſupra alias creaturas intellectuales ſibi inferiores in natura. Aſſertio hæc ſatis colligitur ex teſtimonio Ezechielis 28. dubio præcedenti adducto, & ex Iſaia c. 14. vt dubio 6. huius diſputationis expendemus: eãque docent Patres, & Theologi ibidem referendi, & peculiariter D. Thom. art. 3. huius quæſt. vbi poſt quam explicuit obiectũ excellens, circa quod Angelꝰ primò ſuperbijt, ſtatim addidit, quòd circa principatum, aut poteſtatem aliquam inordinatè concupitam ſolùm conſequenter, & ſecundariò deliquit, & ita ait: *Quia verò, quod eſt per ſe, eſt principium, & cauſa eius, quod eſt per aliud: ex hoc etiã conſecutum eſt, quod appetijt aliquẽ principatum ſuper alia habere. In quo etiã peruerſè voluit Deo aſſimilari.* Quod etiam docuit S. Doctor 3. contra Gentes cap. 109.

Ezec. 28. *Iſaiæ* 14. *D. Thom.*

Ratio fũdamentalis. *D. Thom.*

Deinde ſuadetur primò eadem aſſertio ratione inſinuata à D. Thoma in verbis nuper relatis, quæ ad hanc formã poteſt reduci. Nã id, quod eſt per ſe, eſt principiũ & cauſa eius, quod eſt per aliud: ſed appetere perfectionem & excellentiã propriã, ac abſolutam, ſeu inordine ad ſe, poteſt eſſe per ſe in appetitu voluntatis, appetere verò excellentiam reſpectiuã, ſeu in ordine ad alios, qualis eſſet prædicta poteſtas, ſiue principatus tyrannicus, habet ſe reſpectu volũtatis tamquã quid per aliud: ergo appetitus, quo Angelus appetijt propriã, & abſolutã excellentiam, ſeu in ordine ad ſe, debuit eſſe cauſa, ſiue ratio appetendi excellentiã reſpectiuã, nempe tyrãnicum illum principatũ & poteſtatẽ: ergo ſaltem ſecundùm communem & regularẽ curſum Angelus neque appetijt, neque appetere potuit per ſe primò in illo inſtanti prædictum principatum, ſed debuit primo ſuperbire circa aliquod aliud obiectum excellens per ſe primò appetitũ, ex quo ſecundariò principatũ prædictum appeteret. Hæc vltima conſequentia patet ex priori. Prior verò ex vtraque præmiſſa legitimè deducitur, vt ex ſe conſtat.

Maior autẽ ex terminis ipſis liquet. Et ita in eo gradu neceſsitatis, ſiue metaphyſicæ, ſiue ſecundùm communem & regularẽ curſum, in quo aliqua cõparantur per modum duorũ, quorum vnum ſit per ſe, alterum verò per aliud, debent ſic inter ſe conferri, vt id, quod eſt per ſe, ſit principium, & cauſa eius, quod eſt per aliud. Minor verò ſuaderi poteſt. Nam perfectio abſoluta, ſeu in ordine ad ſe poteſt pertinere ad rationẽ proprij finis vltimi, quẽ per ſe primò appetit connaturaliter voluntas: & ideò prædicta perfectio poteſt eſſe per ſe in appetitu volũtatis. At verò appetere quæcumque alia, & peculiariter illa, quæ ſunt reſpectiua in ordine ad alios, habẽt ſe reſpectu voluntatis tãquam quid per aliud: ex eo quod eatenus appetuntur, quatenus ad finẽ, & perfectionẽ propriam ordinari poſſunt. Ergo illa prior perfectio poteſt eſſe per ſe, & in appetitu voluntatis, ſecus vero poſterior iſta perfectio, & excellentia reſpectiua.

Secũda ratio. *D. Thom.*

97 Secunda ratio eiuſdem aſſertionis deſumi poteſt ex D. Thoma 2. 2. q. 130. & 131. Quoniã appetitio tyrannicę poteſtatis & excellentiæ ſpectat propriè, & in rigore loquẽdo ad ambitionẽ, cuiꝰ propriꝰ actus eſt inordinata appetitio excellentiæ, nõ quidẽ abſolutè, & ſimpliciter, ſed excellentiæ in honoribus, & dignitatibus, vel ad præſumptionẽ, qua quis fertur in immoderatã excellentiam in actionibus & miniſterijs exercendis: ergo ſaltem ſecundùm communẽ & regularẽ curſum nõ potuit primũ Angelũ peccatũ quoad primã eius rationẽ conſiſtere in prædicto affectu ad hanc tyrãnicã poteſtatem. Patet cõſequentia. Quia tam ambitioni, quàm præſumptioni competit oriri à ſuperbia, cuius ſunt filiæ, vt communiter tradunt Theologi & quoad ambitionem id docet D. Thomas loco citato, quoad præſumptionem autẽ in eadẽ 2. 2. q. 132. art. 5. & q. 21. art. 4. *D. Thom.*

Confirmatur, & explicatur ratione inſinuata ab eodẽ D. Thoma. Nam ſicut *eſſe* ſecũdũ quid præſupponit *eſſe* ſimpliciter, & propterea

Confirmatur & explicatur.

reà priùs producitur *eſſe* ſubſtantiale, quàm *eſſe* accidentale, ſiue *eſſe* cum addito: ita etiã appetitio excellentiæ ſimpliciter & abſolutè, eſt prior appetitione excellentiæ ſecundùm quid, ſiue excellentiæ cum addito. Ergo cum ambitio, aut præſumptio reſpectu huius tyrannicæ poteſtatis, ſint circa excellentiam ſecundùm quid, ſiue excellentiam cum addito, nempe excellentiã in honoribus, aut actionibus: conſequẽs erit, vt præſupponatur ad illã appetitio, quæ ſit actꝰ proprius ſuperbiæ, quę que terminetur perpriùs ad excellentiã ſimpliciter, & ſine addito Et ita prima ratio peccati Angelici non in appetitu huius tyrannicæ poteſtatis, ſed in alia priori ratione terminata ad excellentiam ſimpliciter conſiſtet.

Tertia ratio 98 Tertia aſſertionis ratio deſumitur ex Angelico Præceptore art. 3. huius q. & locis ſupràcitatis. Quoniã primum Angeli peccatũ non potuit cõſiſtere in volitione expreſſa alicuius obiecti mali, & inhoneſti: ſed hęc tyrannica poteſtas eſt obiectũ ex ſe malũ, & inhoneſtũ, vt ex dictis in explicatione tituli conſtat: ergo non potuit primũ Angeli peccatũ conſiſtere in volitione expreſſa illius: & per conſequens obiectũ excellens, circa quod Angelꝰ primò ſuperbijt, nõ potuit eſſe prædicta poteſtas tyrãnica. Vtraq, conſequentia cũ minori eſt perſpicua. Maior autẽ etiam liquet ex ſæpè dictis, & ex infra dicẽdis dubio 8. huius diſputationis ampliùs patebit, nẽpe, ante primum peccatum Angeli non potuiſſe in intellectu illius pręcedere errorem. Conſtat autẽ, quòd ad volitionem expreſſam alicuius obiecti mali, & inhoneſti debet præcedere aliquis error in intellectu, vt ibidem dicetur.

D. Thom.

§. II. *Oppoſita ſententia, cum ſuo fundamento, & reſponſione ad illud.*

Oppoſita ſẽtentia. 99 COntrariam tamen ſententiam, nempe, obiectum excellẽs, circa quod Angelus primò ſuperbijt, fuiſſe principatum alicuem, & tyrannicã poteſtatẽ ſuper alias creaturas intellectuales ſibi inferiores, tuẽtur Molina art. 3. huius quæſt. & Becanus in 1. p. tractatu 3. c. 4. q. 8. Cuius fundamentum deſumitur à Molina, tum ex Ezechiele. 28. *Elevatum eſt cor tuum in decore tuo* Nam ideò hoc dicitur, quia Lucifer delectatus in decore ſuę naturæ voluit eam præelle cæteris alijs creaturis in natura inferioribus, ſeu non ita decoræ naturæ. Tum etiam ex illo Iſaiæ 14. *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſimilis ero Altiſſimo.* Vbi nominibus *cœli*, & *aſtrorum*, nõ poſſunt intelligi cœlum & aſtra materialia, eò quòd Lucifer in cœlo eſſet empyreo, ſed nomine *cœli* intelligendũ eſt ſupremũ faſtigium honoris & principatus: quia vſus obtinuit, vt qui in magnũ aſcendit honorem, in cœlum aſcendere dicatur. Nomine verò *aſtrorum* intelligendi ſunt cæteri Angeli, atque cœleſtes ciues, ſuper quos volebat exaltari, vt exponit Hieronymus in Commentarijs ad caput 28. Ezechielis. Vnde ipſe etiam Lucifer nomine *aſtri* ſignificatur apud Iſaiam, dum eodem capite dicitur. *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris?* Et Paulus 1. ad Corinthios 15. beatos ſtellis comparat, dicens: *Stella enim à ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum* Sicut etiam nomine *ſimilitudinis altiſſimi* (de qua in hoc teſtimonio Iſaiæ) intelligenda eſt ſimilitudo in dominatu, ac principatu, quem Angelus appetijt.

Molina. *Becanus.* Fundamẽtũ *Ezech. 28* *Iſaiæ 14.* *Hieron. Iſaiæ 14. 1. Ad Corinth. 15.*

Confirmatque hoc ipſum Molina. tum ex Auguſtino 11. ſuper Geneſi ad litteram cap. 23. vbi loquens de Angelo: *Propria* (inquit) *poteſtatis delectatione corruptus eſt.* Et 14. de Ciuitate c. 11. his verbis: *Poſteà verò quàm ſuperbus ille Angelus, ac per hoc inuidus à Deo adſemetipſum cõuerſus, & quodam quaſi tyrannico faſtu gaudere ſubditis, quàm eſſe ſubditus eligẽs, deſpirituali paradiſo cecidit.* Tum etiam ex Gregorio 23. Moralium c. 4. & in alia editione 7. qui, citatis illis verbis Iſaiæ, ſic inquit: *Deſpecto bono ſocietatis Angelorum, ſedem ſuam ad Aquilonem ponens, & altiſſimi ſimilitudinem ſuperbè appetens, per iniquum deſiderium quaſi ad quoddam culmen conatus eſt ſingularitatis aſcendere.* Cõfirmatur *Auguſt.* *Gregor.*

100 Reſpondetur, quòd ex verbis Ezechielis potiùs colligitur, Angelum non deliquiſſe primò circa tyrannicam hanc poteſtatem, vt ex dictis pro aſſertione conſtat, & ex dicendis dubio ſequenti ampliùs patebit. Et ſimiliter ex verbis Iſaiæ ad ſummum deſumitur, Angelum ſecũdariò, & poſtquam ſuperbijt in decore ſuo, volendo inordinatè ſpirituale cœlum ſuæ beatitudinis naturalis, aut poſtquam etiam ſuperbijt circa cœlum ſpirituale ſuæ beatitudinis ſupernaturalis, deliquiſſe circa hanc tyrannicam poteſtatẽ. Vnde idem Iſaias priùs dixit, *In cœlum aſcendam*, quàm poſuerit ſequentia verba, nimirũ, *ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum*: vt denotaret, Angelum priùs ſuperbiſſe, adhuc ſecundùm hanc explicationem Molinæ, circa aliquod ex prædictis cœlis, ſiue circa vtrumque ſimul, quàm circa hanc tyrannicam poteſtatem. Reſponſio

Per quæ etiam ad confirmationem ex teſtimonijs Auguſtini, & Gregorij patet. Vnde Auguſtinus in priori teſtimonio præmiſit: *Factus, continuò ſe à luce veritatis auertit ſuperbia tumidus.* Et deinde addidit: *& propria poteſtatis delectatione corruptus eſt*: vt innueret, Luciferũ primò fuiſſe ſuperbia tumidũ, deinde propriæ poteſtatis eſſe delectatione corruptum. Ad confirmationem. *Auguſt.*

Adde, quòd nomine *propriæ poteſtatis*, poteſt intelligi poteſtas, quã habet Angelus ad hoc Alia eiuſdẽ enodatio.

hoc, vt ex proprijs viribus consequeretur suam fœlicitatem naturalẽ, necnon & ipsam beatitudinem naturalem, ratione cuius reddebatur potens ad mouendum se liberè in alias operationes ordinis naturalis, vt constat ex illis, quę in disputatione præcedenti n. 57. diximus: & ita ex his verbis solùm sequitur, Angelum primò superbijsse circa suam beatitudinem naturalem. Quæ expositio est satis consona Augustino, vt patebit ex locis dubio sequenti ex ipso referendis. Idque etiam liquet ex secundo testimonio eiusdem Augustini in hac confirmatione adducto: quoniã in eo primò loco ponitur Angeli superbia, & auersio à Deo, ac conuersio ad ipsummet Angelum, nempe, per inordinatum appetitũ, seu complacentiam propriæ perfectionis, vel excellẽtiæ, tyrannicæ dominationis appetitus. Videatur D. Thom. 3. contra Gentes c. 109. suprà citato, vbi hanc eandẽ solutionẽ tradit, & eius rationẽ reddit, quam etiã nos dubio 2. huius disputat. n. 12. & 13. elucidauimus.

DVBIVM V.

Vtrùm obiectum excellens, circa quod Angelus in primo suo peccato habuit primò superbire, fuerit sua beatitudo naturalis? & quomodo circa illam primò superbierit?

101 POST QVAM explicuimus, Angelum primò deliquisse peccato superbiæ, ac proinde appetendo suam excellentiam inordinatè, necnon & obiecta excellentia, circa quæ non habuit primò superbire, de quibusque poterat esse difficultas, an primò circa ea superbijsset, aut superbire potuisset: restat, vt explicemus, quodnam fuerit bonum excellens, quod inordinatè primò appetijt, & circa quod superbè primò deliquit: & ita ad hoc explicandum primò inquirimus, vtrùm prædictum bonum excellens fuerit beatitudo naturalis eiusdem Angeli? & quomodo circa beatitudinem prædictam superbierit? Licèt autem in titulo de prima superbia, primoque illius obiecto fiat expressa mentio, non tamen id in ijs, quæ ad decisionem illius, & probationem assertionis adducentur, expressè semper repetemus, sed sufficiet nunc semel præmittere, in hoc sensu ea, quæ ad hoc adducemus, esse intelligenda.

§. I. *Ex sacra pagina, & Sanctis Patribus dubij modus dissoluitur.*

102 DIcendum ergo est, obiectum excellens, circa quod Angelus in primo suo peccato primò superbè deliquit, fuisse suam beatitudinem naturalem: & circa illam superbè deliquisse, ex eo quòd bonum hoc præ omnibus naturalibus excellentissimum, siue sui celsitudinem ex bono hoc adeò excellenti prouenientem inordinato modo dilexit, ideſt, non iuxta regulam, & mensuram à Deo præfixam, seu nõ ordinando illud in beatitudinem supernaturalem, nec subdendo ipsum Deo, vt auctori supernaturali, & obiecto visionis beatificæ. Conclusio.

Explicatur assertio, animaduertendo ex Caietano 1. 2. q. 2. art. 2. quòd creaturam intellectualem appetere, seu diligere suam beatitudinem, est diligere maximam sui excellentiam & celsitudinem: quoniam maxima celsitudo & excellentia creaturæ intellectualis consistit in eius fœlicitate, & beatitudine: ita quidem, vt si illa beatitudo fuerit naturalis, tunc maxima excellentia ordinis naturalis prædictæ creaturę sita sit in hac beatitudine naturali: si verò talis beatitudo fuerit supernaturalis, tunc maxima excellentia, non qualitercumque, sed maxima in prędicto ordine, ad quam est eleuata, consistat in illa beatitudine supernaturali: quandoquidem excellentia creaturæ intellectualis attenditur secundùm aliquod eius bonum: ac proinde maxima eius excellentia in ordine naturali v. g. attendetur secundùm maximum illius bonum in hoc ordine, quod (vt constat) nõ est aliud, quàm sua beatitudo, & fœlicitas naturalis. Et ita prædictam creaturam intellectualem appetere, seu diligere suam fœlicitatem, erit diligere maximam sui excellentiam & celsitudinẽ. Ergo Angelus bonum hoc suæ beatitudinis naturalis adeò excellens seu maximam sui excellentiã & celsitudinẽ prouenientẽ ex prædicto bono dilexit inordinato modo, & nõ iuxta regulã, & mensurã prędixam à Deo, ideſt, non ordinãdo illam in beatitudinẽ supernaturalẽ, nec subdendo eam Deo, vt auctori supernaturali, & obiecto supernaturalis beatitudinis longè excellẽtioris (quæ ordinatio, & subiectio erat mensura, & regula taxata à Deo in prosecutione beatitudinis naturalis, & excellẽtiæ eius) ideò Angelus superbè deliquit circa appetitum & amorem excellentiæ & celsitudinis suæ prouenientis sibi ex prædicta beatitudine: quandoquidem peccatum superbiæ consistit in appetitu propriæ excellentiæ inordinato, ideſt, non seruata regula & mensura à Deo præscripta circa appetitionem talis excellentiæ. Animaduersio ex Caietano pro luce conclusionis.

Hunc

Alior. modus explicã di concluſio nem.

103 Hunc autem ſuperbum modum delinquendi circa beatitudinem naturalem alij alijs verbis, in eundem tamen ſenſum redeuntibus cum præcedenti declaratione, explicant ex eo, quòd Angelus per ſe voluit ex parte modi volendi ſuam beatitudinẽ, atque adeò ſuam propriam excellentiam naturalem, tanquam ſibi omninò ſufficientem, non ſeruato, ſeu ſpreto ordine & menſura, quæ in tali excellentia ſibi à Deo præfigebatur: voluitque, ſaltem implicitè, & interpretatiuè, conſtituere ſibi in propria excellentia & beatitudine naturali celſitudinẽ ſui finis omninò vltimi: & prætereà appetijt quodãmodò non ſubijci alteri, nec regulari per illum, ſed potiùs alijs præeſſe, alioſque quodammodò regulare, ac tandem voluit Deo peruersè quodammodò aſsimilari.

Quomodo hæc dubij explicatio cum noſtra coincidat.

Cæterùm hæc explicatio modi, quo Angelus circa ſuam beatitudinem naturalem ſuperbijt, in idem redit cum præcedenti. Nam in primis, ea dumtaxat ratione Angelus per ſe voluit ex parte modi volendi ſuam beatitudinem naturalem, tanquam ſibi omninò ſufficientẽ, ſpreto ordine & menſura à Deo præfixa: quia cùm diligendo prædictam beatitudinem, propriamque celſitudinẽ ex ea ſibi prouenientem, teneretur curare de alia ſuperiori & excellentiori fœlicitate, nempe ſupernaturali, & beatitudinem naturalem ad eam ordinare & ſubijcere, non curauit de prædicta ordinatione & ſubiectione: & ita conuincitur velle, ſaltem virtualiter, implicitè, & interpretatiuè ex parte modi volendi, prædictam beatitudinẽ naturalẽ tanquam ſibi omninò ſufficientem: & ſimiliter conuincitur per ſe velle hanc eandẽ, ſpreto ordine, & menſura à Deo præfixa. ſiquidẽ (vt nuper dicebamus) menſura præfixa in dilectione beatitudinis naturalis cõſiſtebat in hoc, quòd in dilectione huius beatitudinis ita ſe gereret, vt non prætermitteret ordinationem iam explicatam: & ideò prætermittens regulam & menſuram, cui ſe ſubdere tenebatur, eo ipſo (ſaltem virtualiter) operatur abiecta & ſpreta regula & menſura à ſuperiori ſibi taxata.

104 Et eadem ratione ideò Angelus cõſtituit ſibi finem omninò vltimum ex vi modi appetendi in excellentia ſuæ fœlicitatis naturalis, quia ex vi modi appetendi non curauit, ſed potiùs ſpreuit, ſaltem implicitè, & interpretatiuè, ordinationem debitam beatitudinis naturalis in ſupernaturalem, vt in finem omninò vltimum, ac proinde nec etiam curauit de ſuperiori fœlicitate, ſed potiùs illam virtualiter & implicitè à ſe abiecit: & per cõſequens in ſua beatitudine naturali, vt in fine vltimo, virtualiter & interpretatiuè quieuit.

Et vlteriùs, propterea Angelus dicitur voluiſſe quodãmodò nõ ſubijci alteri vt ſuperiori, & nõ regulari ab illo, ſed alios quodammodò regulare, aliſq; præeſſe: quia, vt dubio 1. nu. 6. diximus, in hęſit proprio bono, propriæq; fœlicitati naturali, vt fini omninò vltimo, ex eo quòd non ordinauit iſta in ſuperiorem finem. Cumq; ex fine regulæ actionum accipiantur, oportuit, vt ex ſe ipſo, quem vt finem dilexit, alia tanquam à regulante diſponeret, & quòd voluerit, ſaltem implicitè & virtualiter, quòd eius voluntas quodammodò alteri vt ſuperiori non ſubijceretur, nec ab eo etiam quodammodò regularetur, ſed potiùs ipſe Angelus aliquomodo eſſet aliorum regula, ipſeque alijs præeſſet.

Ac tandem, ideircò idem Angelus voluit in ijs peruersè Deo quodãmodò aſsimilari: quia ex vi prędicti modi volendi voluit, quòd ſicut Deus eſt ex propria natura beatus abſque alterius vlterioris perfectionis, & excellentiæ indigẽtia, ac proinde abſq; eo, quòd propriam & connaturalem beatitudinem ordinet, & ſubdat ſuperiori alteri fœlicitati prouenienti ſibi ab aliquo alio ſuperiori & excellentiori fine: ita ipſe quodammodò ex propria dumtaxat natura, & abſque ordinatione in ſuperiorem aliam fœlicitatem, ſuperiorem que alium finem, cui ſubderetur, voluit ex parte modi volendi poſsidere omnem ſuam beatitudinem & fœlicitatem, ſummamque ſui excellentiam & celſitudinem.

105 Diximus cum addito, Angelum appetijſſe eſſe ſimilem Deo, nempe *quodãmodò*; ſimiliter voluiſſe non ſubijci ipſi Deo, eſſeq; regulam ſui, & aliorum cum eodẽ addito: vt denotaremus, Angelum non appetijſſe eſſe per omnimodam æquiparãtiam ſimilẽ Deo, aut nullo modo ſubdi, aut ſubeſſe ipſi, aut tãdem eſſe primã regulã nulla ratione ſubditã Deo. Quoniã (vt ex dictis dubio 2. huius diſputationis conſtat, & n. 108. dicemus) ſi hæc appeteret, eo ipſo vellet ſuum *non eſſe*: quod tamen neque ex parte rei volitæ, neque ex parte modi volendi appetere poteſt, vt dubio 2. explicuimus.

Accedit, quòd Angelus diligendo inordinatè ſuã beatitudinem naturalem, diligebat illam vt beatitudinem creatam, ac proinde vt habendam mediante influxu Dei generali, tã in naturam Angelicã, quàm in prædictam beatitudinem naturalem: ſicut etiam volebat illam, vt ex parte obiectierat excellẽtia bona, atque adeò vt ordinatam, & ſubditam, quantum eſt ex ſe, Deo vt fini naturali. Et ita nec volebat, adhuc ex parte modi volendi, omnimodã æqualitatem cum Deo, nec reſpuebat omnẽ ſubiectionẽ reſpectu ipſius. Nec tandẽ appetijt eſſe primam regulam eo omninò modo, quo Deus, ſed tantùm ex parte modi volendi hæc quodammodo voluit: quatenus ex parte modi volẽdi virtualiter & interpretatiuè voluit aſsimilari Deo in hoc, quod ſicut ipſe habet ſuã beatitudinẽ abſq; ordine in aliã ſupe-

superiorem, cui eam debeat subijcere: ita Angelus voluit esse beatus sua beatitudine naturali absque ordinatione illius in finem & beatitudinē aliā excellentiorem nempe supernaturalē: & similiter quoad hoc voluit nō subdi Deo auctori supernaturali. Ac tandem, quia vltimus finis est regula agēdorum, idcò cōstituendo in se vltimum finē virtualiter & interpretatiuè, ac ex parte modi volendi, voluit hac ratione se esse regulam agendorum, & ex se, quem vt vltimum finem dilexit, alia tanquam ex regulante disponere,

Quid significet ly *ex parte modi volendi.*

Et tandem diximus Angelū appetijsse ista *ex parte modi volendi*: quoniam ea, quæ præ se ferunt inordinationem, non potuerunt ex parte rei volitæ appeti ab Angelo in primo suo peccato: ex eo quòd ad hunc appetitum desideratur, quòd præcedat error ex parte intellectus (vt dubio vltimo huius disputationis dicemus) qui tamen ad primum peccatū Angelicum non potuit præcedere, vt loco citato explicabimus, sed solùm inconsideratio quædam eorum, quæ debebat aduertere, antequā procederet in actum diligendi suam excellentiam quæ quidem inconsideratio satis est ad appetitum, qui sit inordinatus, vt ibidem dicemus, ex parte modi appetendi.

Probatur assertio ex scriptura. *Ezech. 28*

106 Assertio hæc sic explicata videtur colligi ex illo Ezechielis dubio primo relato, vbi dicitur sic: *In sapientia, & prudentia tua feciſti tibi fortitudinē: & acquisisti aurū, & argentum in thesauris tuis. In multitudine sapientiæ tuæ elevatū est cor tuū in robore tuo.* Et infrà: *Tu signaculū similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuū. Sardius, topazius, & Iaspis, Chrysolitus, & onyx, & beryllus, sapphirus, & carbunculus, & smaragdus: aurū opus decoris tui, & foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt. Tu cherub extentus, & protegens, & posuite in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorū ambulasti. Perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti: & eieci te de monte Dei, & perdidit te, ò Cherub protegens, de medio lapidum ignitorum. Et elevatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te, &c.*

In quibus verbis (vt cōstat ex dictis dubio primo ex cōmuni sententia Sanctorū Patrū) agitur de primo omninò peccato Lucifeti, ac proinde & aliorū Angelorū, qui eius sequaces fuerunt: & in eis dicitur, tale peccatū fuisse superbiæ. Et vt Propheta explicaret, quæ nā fuerit materia, siue obiectū circa quod Angelus superbijt, enumerat maxima & excellentissima bona, quibus tunc abundabat actu, & non solùm in spe, ex eo quòd speraret illa habere: & nō enumerat qualiacumque bona excellentissima, sed illa, quæ satis erant ad Angelū beandū, vt patet ex illis verbis: *Omnis lapis pretiosus operimentū tuū.* Constat autē, in his denotari aggregationē omniū bonorum, ac proinde beatitudinē & fœlicitatē eiusdē Angeli: sicut etiā hoc ipsum innuitur in verbis immediatè antecedentibus: *Plenus sapientia, & perfectus decore in delicijs paradisi Dei fuisti.* Quare, cùm Angelus tunc non habuerit actu fœlicitatē supernaturalē, nec post peccatū illā habiturus esset: inde est vt obiectū, siue materia, circa quā, inquit, Angelū superbijsse, fuerit sua beatitudo naturalis. Cumque circa hāc nō alia ratione superbire potuerit, nisi ex eo quòd propriā excellentiā ex ea illi prouenientē dilexerit vltra mensurā à Deo taxatā, ac proinde eo modo, quē nuper explicuimus, vt ex se, & ex illis, quæ in hoc eodē dubio n. 109. & n. 113. dicemus, patebit: consequens est, vt iuxta verba, & mentem Prophetæ Angelus superbè deliquerit in primo suo peccato circa beatitudinem naturalem, appetendo propriam excellentiam in illa modo inordinato, quem iam explicuimus.

Probatur ex SS. Patribus.

107 Eandē etiā assertionē tuentur Patres, loquentes de primo omninò peccato Luciferi, & per consequens & aliorū Angelorū. Et in primis D. Augustinus multis in locis. Nā (vt refert Suarez lib. 7. de Angelis c. 11.) in lib. 12. de ciuitate Dei c. 1 inquit. *Quia ipse sibi ad beatā vitā sufficere voluit.* Et in eodē capite sic subiungit. *Mali Angeli sua potestate* (id est excellentia) *potiùs delectati, velut bonū suū sibi ipsi esset, à superiori bono ad propria defluxerūt.* Et c. 6. ait. *Ab illo, qui summè est, auersi, ab se cōuersi sūt: & hoc vitiū quid aliud, quā superbia est?* Cōstat autē ex ijs, quæ in explicatione assertionis diximus, Angelū non alia ratione superbè voluisse, quòd ipse sibi ab beatā vitā sufficeret, aut quòd ipse sibi bonū suum esset, vel ad se ipsum conuersus auertit se superbè ab illo, qui summè bonus est, nisi quia se ipsū nimis dilexit, & ex hoc nimio amore appetijt sui maximā excellentiā cōsistentē in sua beatitudine naturali, nō ordinando illā in fœlicitatē supernaturalē, nec subdēdo ipsam Deo, vt authori supernaturali, & obiecto beatitudinis itidem supernaturalis. Idē etiā docuit ipsemet Aug. lib. 11. de Genesi ad litterā c. 13. & 11. de Ciuitate c. 13. & 14. necnō lib. 14. c. 3. lib. de Vera religione c. 15 & tandem lib. 3. de libero arbitrio cap. 25.

Augustin.

Eandē etiam doctrinā tradiderunt Gregorius lib. 34. Moraliū c. 14. alias 17. vbi ideò, inquit, Luciferū peccasse: *Quia se sibi sufficere iudicauit.* Et lib. 12. Moraliū c. 7. vbi enumerat quatuor species superbiæ relatas à D. Th. 2. 2. q. 162. art. 4. & inquit, peccatum Angeli esse in quarta specie consistente in hoc, quòd quis de bonis habitis plus nimio gloriętur, volens illa singulariter possidere spretis alijs. Constat autē, Angelū appetendo suam excellentiā in beatitudine naturali, non ordi-

Gregor.

D. Thom.

nando

nando illam in ſupernaturalem, voluiſſe ex parte modi volendi prædictam beatitudinẽ, reiecta & ſpreta beatitudine, alijſque donis ſupernaturalibus, & hanc eandem naturalẽ beatitudinẽ peculiariter voluiſſe quodammodò poſsidere, nẽpe illo peculiari & ſingulari modo, quo Deus eſt beatus qui (vt diximus) cõſtit in hoc, quòd habeat eſſe beatũ ſua beatitudine connaturali abſque ordinatione ad alteram ſuperiorem, & abſque indigentia illius.

Bernard⁹. 108 Eandẽ etiã Aſſertionem docent Bernardus ſermone 3. de verbis Iſaiæ *Vidi Dominũ ſedentẽ*, vbi alludit ad cogitationẽ illã Luciferi ſuperbientis, & aſſerentis: *Sedebo in mõte teſtamenti*: & de illo ſic ait: *Qui ſedere præſumpſit, ſe ipſo voluit eſſe cõtentus.* *Ambroſ.* Ambroſius ſuper Pſal. 118. octonario 3. & epiſtola 33. ad Demetriã, vbi inquit, Demonẽ in ſua, quã à Deo acceperat potentia, & dignitate, ſibi placuiſſe, & propterea à fuiſſe deiectum, quia in illa complacentia in ſe ipſo, & in ſua naturali excellẽtia habuit ſiſtere, eamque in vlteriorem aliã excellentiam, & in Deum finem ſupernaturalem non ordinauit D. Leo Papa epiſt. 93. ad *Leo Papa* Turibium Epiſcopum c. 6. vbi inquit, quòd *Luciſer naturali excellentia male vſus eſt.* Hic autem malus vſus in eo ſitus fuit, quia nõ ordinauit illam in eum finem, in quem ordinare debuerat, nempe in beatitudinem ſupernaturalem, & in Deum vt obiectum beatificum, & ſupernaturale.

Et deinde hanc eandem aſſertionem tue- *D. Thom.* tur. D. Thom. 3. contra Gentes cap. 109. vbi, vt explicet, in quo ſitum fuerit primum Angeli peccatum, ſic inquit: *Potuit igitur in voluntate ſubſtantia ſeparatæ eſſe peccatũ ex hoc quòd proprium bonum, & perfectionem in vltimum finem non ordinauit, ſed inhæſit proprio bono vt fini, &c. Vnde conuenienter dicitur, quòd primum peccatum Dæmonis fuit ſuperbia.* Et in artic. 3. huius quæſt. ad hoc ipſum explicandum ſic aſſerit: *Diabolus appetiit eſſe vt Deus, non vt ei aſſimilaretur quantum ad hoc, quod eſt nulli ſubeſſe ſimpliciter, quia ſic ſuum non eſſe appeteret, cùm nulla creatura eſſe poſsit, niſi per hoc, quòd ſub Deo eſſe participat. Sed in hoc appetiit eſſe ſimilis Deo, quia appetiit vt finem vltimum beatitudinis id, ad quod virtute ſuæ naturæ poterat peruenire, auertens ſuum appetitũ à beatitudine ſupernaturali, quæ eſt ex gratia Dei.*

Et ſimiliter 3. contra Gentes c. 110. vbi loquens de primo peccato, primaque ſuperbia Angeli, ſic inquit: *Patet etiam, quod non appetiit aliquod bonum, niſi vnum, quod eſt ſibi proprium, ſed in hoc fuit peccatum, quòd prætermiſit ſuperius bonum, in quod debuit ordinari. Sicut enim in nobis peccatum eſt ex hoc, quòd bona inferiora, ſcilicet corporis, appetimus abſque ordine rationis: ita in Diabolo peccatum fuit in hoc, quòd proprium bonum non retulit ad diuinum bonum.*

Vnde hanc ſententiam ſequuntur Abulen- *Abulenſis* ſis in Geneſ. Bañez, Nazarius, Ripa, Curiel, *Bañez.* Caietanus art. 3. huius quæſtionis, Conra- *Nazarius* dus 1. 2. q. 75. ar. 1. circa reſponſionem ad 3. *Ripa.* Ferrara 3. contra Gentes c. 109. & 110. Ca- *Curiel.* preolus in 2. diſt. 4. q. 1. art. 3. ad argumenta *Caietanus* contra primam concluſionem. Herbæus q. 1. *Conrad⁹.* art. 3. in fine, & alij diſcipuli D. Th. Marſili⁹ *Ferrara.* q. 2. art. 2. in 4. eius parte, & q. 5. art. 1. conclu- *Capreolus* ſione 6. per totam, Elchot. q. 8. Richard⁹ art. *Herbeus.* 1. q. 1. & 2. Ægidi⁹, & Baſol q. 1. art. 2. & alij *Marſilius* quos refert Granado tr. 13. diſ. 2. ſectione 28 *Elchot.* *Richard.* *Ægidius.* *Baſol.* *Granado.*

§. *II. Ratio prior pro aſſertione.*

109 PRior autem ratio noſtræ aſſertionis videtur deſumi ex locis §. præcedenti adductis, poteſtque ſub hac forma tradi. Quoniam illud videtur aſsignandum eſſe pro obiecto excellenti, circa quod Angelus primò ſuperbè deliquit in primo ſuo peccato, quod eſt magis conſonum Scripturæ, & Patribus habuiſſe trationem prædicti obiecti, vt ex ſe patet: at eſt magis conſonũ tam Scripturę, quàm Patribus, quòd obiectum excellens, circa quod ſuperbè primò deliquit Angelus, fuit excellentia ſuæ beatitudinis naturalis, ex eo quòd non ordinauit illam in ſuperiorem, & excellentiorem finem, nempe ſupernaturalem, vt ex locis citatis conſtat: ergo ſentiendum eſt, hoc fuiſſe obiectum excellens primę ſuperbiæ Angelicæ, in qua primum eius peccatum ſitum fuit. Prima ratio fundamentalis.

110 Nec obeſt, ſi contra rationem hanc obijcias, eã inniti in teſtimonijs illis ex Iſaia, & Ezechiele ſuprà relatis, necnon & in alijs Patrum dictis: at ſi prædicta teſtimonia Scripturæ attentè conſiderentur, non denotant, quòd obiectum excellens, circa quod Angelus deliquit, fuerit ſua beatitudo naturalis: & ſimiliter nec id ſignificant teſtimonia Patrum ſuprà relata: ergo, &c. Obiectio cõtra rationẽ.

Minor quoad primam partẽ, & in primis quoad teſtimoniũ Ezechielis probatur. Quia ibidẽ in dicto cap. 28. deſcribendo ſuperbiã primi peccati Angeli, ſic dicitur: *In multitudine negotiationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate, & peccaſti.* Cõſtat autẽ, multitudinẽ iſtam negotiationis Angelicæ nõ fuiſſe terminatam ad obiectũ excellens actu poſſeſſum, & habitum ab Angelo, ſed debuiſſe terminari ad obiectum excellens non poſſeſſum, ſed quòd poſsideri deſideraretur: ſiquidẽ circa id, quod actu poſsidetur, non datur multitudo negotiationis, ſed pacificè in eo affectus ſiſtit. Conſonatq; cũ modo iſto loquendi Ezechielis modus dicendi Gregorij 9. Mora- *Ezechiel.* 28. *Gregorius* liũ c. 2. vbi ait, primũ peccatum Angeli fuiſſe inquietudinẽ, quæ etiam, vt ex ſe conſtat, terminatur ad rem nondum habitam.

Et deinde eadem minor quoad teſtimoniũ adductum ex Iſaiæ 14. ſuadetur. Quoniã ibidem ſic depingitur ſuperbia primi peccati Angelici: *Dicebas in corde tuo: In cœlũ conſcendã, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* In his autem verbis planè aſſeritur, obiectum excellens, circa quod Angelus deliquit, non fuiſſe aliquid actu tunc poſſeſſum ab eodẽ Angelo, quale fuit ſua beatitudo naturalis, vt conſtat ex illis verbis futuri temporis, *Exaltabo, aſcendam, ſedebo, &c.* Conſtatque magis ex eodẽ teſtimonio, quomodo prædicta beatitudo nõ fuerit obiectum excellens, circa quod Angelus ſuperbijt: quoniam nomina in eodẽ tributa excellentiæ à Lucifero appetitæ nõ videntur conuenire excellentiæ prædictæ beatitudinis naturalis, ſed alteri bono longè excelſiori: ſiquidẽ nuncupatur conſcenſus in cœlũ, aſcenſus ſuper altitudinẽ nubiũ, exaltatio ſolij ſuper aſtra Dei, ſeſsio in monte teſtamẽti, ſimilitudo cum Altiſsimo: quibus nominib⁹ alia maior excellentia videtur denotari.

Et tandem eadem minor quoad teſtimonia Patrũ ſuaderi poteſt ex eo, quòd ad ſaluãda eorũ dicta ſatis eſt, quòd Angelus ſe, & ſua bona inordinatè dilexerit vt finem vltimum *cui*, licèt bonum ſuperexcedens, quod ſibi ſuperbè appetijt, non fuerit ſua beatitudo, aut aliquod eius bonũ naturale, ſed aliquod aliud bonum longè excellentioris rationis.

Cõfirmatur

Confirmatur. Nam teſtimonia Scripturæ ſuprà adducta & intellecta in ſenſu in hac obiectione inſinuato, nempe, quòd in eis aſſignetur pro obiecto illius ſuperbiæ aliquod obiectũ excellens, nondũ poſſeſſum intelligũtur in ſenſu proprio, & valdè conſono veræ Theologiæ: ergo optimè ſic intelliguntur: ac proinde ex eis nõ poteſt deſumi ſufficiens argumentũ ad aſsignandũ pro obiecto excellẽti ſuperbiæ Angeli ſuã beatitudinẽ naturalẽ. Vtraque conſequẽtia patet. Antecedens autẽ probatur. Nam (vt diximus) prędicta teſtimonia loquũtur de ſuperbia primi peccati Angelici: huius autem in ſenſu proprio, & rigore Theologico optimè aſsignatur pro obiecto aliquid excellẽs nondũ poſſeſſum: quia, vt docet D. Th. 2. 2. q. 162. ſuperbia eſt actus volũtatis, vt habet rationẽ iraſcibilis: & actus iraſcibilis tendunt ad arduũ, & non poſſunt pertinere ad quietem: ergo verba horum teſtimoniorum, per quæ ex vi verborum denotatur tendentia Angeli in aliquod obiectum excellens nondum poſſeſſum, optimè ſic in ſenſu proprio, & rigore Theologico intelligũtur

Iſaiæ 14.

D. Thom.

Diluitur obiectio.

114 Reſpondetur, concedendo maiorẽ, & negando minorem. Et ad probationẽ deſumptã ex verbis vtriuſq; teſtimonij dicendũ eſt, quòd etſi Angelus habuerit ſuam beatitudinem naturalem, antequam peccaret: non tamẽ habuit illam, neque eam dilexit, adhuc ex parte modi volendi, per modum finis omninò vltimi non ſubordinati alteri fini ſuperiori. At per actum ſuperbiæ appetijt ex parte modi volendi illam per modum beatitudinis omninò vltimæ, & non ſubordinatæ alteri fini excellentiori: & ita appetijt illam, vt ante prædictum modum volendi nondum habitam & poſſeſſam, adhuc in affectu ſecundùm hãc rationem. Et propterea appetitus, quo volita eſt, nuncupatus eſt ab Ezechiele multitudo negotiationis: quia quæſiuit, & quodammodò negotiatus illam ex parte modi volendi per modum finis omninò vltimi; quam tamen ante prædictum modum volendi ſic, adhuc in affectu, nõ habebat. Per quod ad teſtimonium Gregorij ſatis liquet. Et deinde, licèt prædictus appetitus, non ſit propriè loquendo appetitus deſiderij, adhuc ex parte modi appetendi, ſed dilectionis, & complacentiæ, quia ex vi modi appetendi ſic dilexit, ſicque cõplacuit in ſua beatitudine naturali, & excellentia illius, ac ſi eſſet vltima, nihilominùs, quia ex vi illius modi diligendi, & cõplacendi habuit prædicta beatitudo, vt eſſet in affectu Angeli finis omninò vltimus: idcirco prædictus appetitus ratione huius modi appetendi dicit tendentiam quamdam, & veluti motum ordinatum ad conſequendum, & tribuendum rationem iſtã finis vltimi eidem beatitudini: & propterea prædictus appetitus in teſtimonio Iſaiæ explicatur per verba de futuro, quæ ad explicandam tendentiã, & motum maximè deſeruiũt. Sed de hoc iterùm in ſolutione ad confirmationem ſermo redibit. Sicut etiã licèt nomina illa adeò excellẽtia nõ ita cõueniant prædictæ beatitudini naturali ſecũdùm ſe ſumptæ, benè tamẽ in affectu Angeli ex parte modi volẽdi illius: ſiquidẽ ex parte prædicti modi volita eſt per modũ excellentiæ omnium ſupremæ.

Adde, poſſe etiã ad probationem deſumptã ex prædictis teſtimonijs Scripturæ reſponderi, quòd etſi obiectum excellens, quod primo appetijt Angelus, dum ſuperbè deliquit, fuerit ſua beatitudo naturalis: nihilominùs (vt dubio ſequenti dicemus) ſatis probabile eſt, quòd appetijt ex conſequẽti beatitudinẽ ſupernaturalẽ inordinato modo. Et propterea in prædictis teſtimonijs ponuntur verba ſignificantia obiectũ excellẽs actu poſſeſſum ab Angelo, ex parte rei volitæ expreſsè appetitũ, nempe beatitudinẽ naturalẽ: & ſimiliter verba denotantia obiectum nondũ habitum, ſcilicet beatitudinem ſupernaturalem.

Alia eiuſdẽ enodatio.

Ad probationem verò eiuſdẽ minoris vltimam reſpõdetur, quod, vt conſtat, cõuerſio illa, qua Angelus non ſe conuertit ad Deum authorem ſupernaturalẽ, ſed ad ſe ipſum, adducitur à ſanctis PP. ad explicandũ, quomodo ratione non conuerſionis ad Deũ, & conuerſio-

uerſionis ad ſe ipſum deliquerit Angelus peccato ſuperbiæ: ad hoc autem non eſt ſatis, vt Angelus ſeipſum pro fine vltimo *cui* habuerit: ſiquidem hoc modo eſt finis quorumlibet peccatorum, quæ ab eo committuntur. Et ideò peccatum illud ſolùm erit ſuperbiæ iuxtà mentem Patrum: quia obiectum excellens, quod Angelus appetijt abſque ordinatione in Deum, fuit proprium bonum, & excellentia eiuſdem Angeli, ſcilicet beatitudinis naturalis, & quia ad hoc, deſtitutum hac ordinatione, ac proinde debita menſura, ſe ipſum (ſaltem ex parte modi volendi) conuertit.

Ad confirmationem. 112 Ad confirmationem verò reſpondetur, ſuperbiam Angeli non fuiſſe ſitam in mera complacentia, & quiete, ſed in quiete cum tendentia ad beatitudinem naturalem volitam ex parte modi volendi per modum finis vltimi, necnon (modo tamen nuper inſinuato) & ad beatitudinem ſupernaturalem appetitam ex parte modi appetendi, vt conſequendam ex viribus naturæ. Cõſtat autem, in his reperiri ſpecialem arduitatem, quæ poſſit à voluntate, vt habet rationem irraſcibilis, attingi. Sicut etiam ex dictis patet, hac dumtaxat ratione poſſe commodè intelligi prædicta teſtimonia, dum videntur aſsignare pro obiecto ſuperbiæ Angelicæ quietem, & tendentiam, adhuc loquendo reſpectu excellentiæ beatitudinis naturalis: quoniam aſsignant tunc pro obiecto quietem, quatenus ille actus erat dilectio ſuæ beatitudinis naturalis in *eſſe* rei ſumptæ: motum verò & tendẽtiam, ſecundùm id, quod ei conueniebat ex parte modi volendi reſpectu eiuſdem beatitudinis, ſecundùm id, quod habebat ex refuſione prædicti modi volẽdi in ipſam, vt erat obiectum ſic volitum. Et ita, licèt in illo ſecundo inſtãti beatitudo naturalis Luciferi, & eius ſequacium habuerit in affectu eorum rationẽ finis omninò vltimi reſpectu ipſorũ, quia tamẽ, vt dicebamus, hoc nõ habebat ex ſe, ſed id accepit ex vi modi volendi inordinati habẽtis in ordine ad hoc rationem cuiuſdam tendentiæ, eo ipſo quòd ex vi illius hoc ei communicatum eſt: idcircò obiectum ſuperbiæ Angelicę explicatur per verba de futuro, quorum proprium veluti per antonomaſiam eſt quòd tendentiam exprimant.

§. III. *Ratio 2. pro aſſertione, obiectio prior contra illam, & eius ſolutio.*

Secunda ratio fundamentalis pro vera ſententia 113 SEcunda ratio pro aſſertione deſumitur ex D. Thoma locis citatis ex 22. quæſt. 162. necnon ex alijs Patribus, poteſtque ad hanc formam reduci. Quoniam illud valdè rationabiliter cenſetur obiectum excellens, circa quod Angelus primò ſuperbè deliquit quod ex ſe eſt valdè excellens, & nõ qualitercumque, ſed dicens excellentiam, & celſitudinem propriam Angeli, ipſiſque debitam, quodque non fuit appetitum ab eodem Angelo modo debito, ſeu iuxta menſuram, & modum à Deo præfixum, nempe, ordinãdo illud in finem ſupernaturalem, ſeu ſubijciendo ipſum prædicto fini: ſed talis fuit beatitudo naturalis Angeli: ergo hæc valdè rationabiliter cenſetur fuiſſe obiectum excellens, circa quod Angelus primò ſuperbiuit, ex eo quòd non appetierit excellentiam eius modo debito, nempe, ordinando illam in prędictum finem ſupernaturalem. *D. Thom.*

Maior quoad primã partem, nempe, quòd prædictum obiectum, circa quod Angelus primò ſuperbijt, fuerit valdè excellens, videtur perſpicua. Quoniam ſatis congruum apparet, quòd natura perfectiſsima, & valdè ſuperbiens, qualis fuit natura Angelorum malorum, afficiatur in illa ſua ſuperbia ad obiectum valdè excellens: quia hoc videtur (vt ſic dicamus) quaſi exigere, tam excellentia ſuæ naturæ, quàm nimietas ſuæ magnæ ſuperbiæ: ex eo quòd natura excellentiſsima ad excellentiſsima afficitur, & maxima ſuperbia ad hæc eadem porrigitur.

Quoad ſecundam verò partem, nimirum, prędictum obiectum debere eſſe valdè excellens, non qualitercumque, ſed dicens excellentiam propriam Angeli, ipſiſque debitam, etiam liquet. Quia proprium eſt ſuperborũ, & modi procedendi illorum, vt magis afficiantur ad ſuperbiendũ circa propria, quàm circa aliena.

Quoad tertiam verò partem, ſcilicet, illud debuiſſe eſſe obiectum excellens ſuperbiæ Angelicæ, quod non fuit ab illo appetitum modo debito, ſeu iuxta menſurã à Deo præfixam, videlicet ordinando, & ſubijciendo ipſum Deo authori ſupernaturali, etiam cõſtat eadem maior. Quoniam ſuperbia conſiſtit in appetitu inordinato propriæ excellentiæ, ideſt, in appetitu excellentiæ non ſeruato modo & menſura à Deo præfixa, quæ quidem inter alia conſiſtebat in hoc, quòd Angelus non appeteret excellentiam propriam non ordinando illam in ſuperiorem aliam excellentiam, & in Deum authorem ſupernaturalem.

Minor autem non indiget probatione. Siquidem planum eſt, beatitudinem naturalem Angeli, ſiue ipſum Angelum, vt beatum beatitudine naturali, eſſe obiectum valdè excellens, & non vtcumque, ſed dicens excellentiã propriam illius: debitamque ipſi, & obiectũ hoc non fuiſſe appetitum à Lucifero, & eius ſequacibus iuxta menſuram & modum debitum, ſcilicet cum prædicta ordinatione, & ſubiectione ad Deum, vt authorem, & finem ſupernaturalem: alioquin tũc non peccaſſent,

ſed

sed potius Deo maximoperè placuissent, sicut boni Angeli, qui ob hanc rationem, & subiectionem Deo valdè placuerunt. Consequentia autem ex vtraque præmissa apertè liquet.

Obiectio prima contra rationem secundam.

114 Nec obest, si obijcias primò contra rationem hanc ex Suarez, & ex alijs, non benè colligi ex eo, quòd Angelus appetierit suã beatitudinem naturalem, non ordinando illam in finem supernaturalem, quòd peccauerit peccato superbiæ, sed potiùs hinc ad summum colligi, peccasse peccato pusillanimitatis. Nam quòd quis recusẽt tendere ad magna commensurata suæ potentiæ, virtutique à Deo acceptæ, & in minoribus quiescat, spectat ad pusillanimitatem, iuxta doctrinam D. Thomæ. 2. 2. q. 133. art. 1. ad 2. Constat autem, fuisse ex diuina gratia in Angelo cõmensurationem cum maximo bono beatitudinis supernaturalis: ergo affectus, quo ab hoc bono se retraxit, & in bono longè minori, nempe beatitudine naturali quieuit, dum non ordinauit illam in superiorem beatitudinem supernaturalem, fuit actus pusillanimitatis.

D. Thom.

Respondetur, quòd etsi non ordinare aliquod minus bonum, v. g. beatitudinem naturalem, ad aliud maius & excellentius, nempe ad beatitudinem supernaturalem, ita vt hoc proueniat ex eo, quòd quis (vt sic dicamus) perterreatur à maiori illa excellentia, & ideò non velit in illam ordinare suam beatitudinem naturalem, spectet ad pusillanimitatem: attamen quando quis non ordinat prædictã beatitudinem naturalem, ex eo quòd virtualiter & implicitè æstimet illam vt bonum proprium longè excellentius, quàm beatitudinem supernaturalem, & ex parte eiusdem modi volendi appretiatiuè diligit eam, plusquã eandem supernaturalem beatitudinem, ex eo quòd amat prædictam beatitudinem naturalem per modum finis omninò vltimi, tunc non delinquit peccato pusillanimitatis, sed peccato superbiæ, cuius proprium est appetere maiorem excellentiam, quàm sit illa, quæ conuenire debebat appetenti, vt in præsenti contingit, vbi Angelus, appetendo suam beatitudinem naturalem absque ordinatione debita ad finem supernaturalem, appetijt illam per modum finis omninò vltimi, & virtualiter; ac implicitè ex parte modi volendi æstimauit eam vt longè excellentiorem beatitudine & fine supernaturali, & ex parte eiusdem modi appetendi appetijt illam vt ita excedentem.

Eludatur.

§. IIII. *Alia obiectio, eaque notanda, contra eandem secundam rationem assertionis.*

115 SEcundò obijcies ex Suarez, Esthio, Terre Complutense, & alijs contra eandem secundam rationem, quòd maior propositio illius, nempe, illud fuisse obiectum excellens, circa quod Angelus superbijt, quòd est valdè excellens, & fuit appetitum ab eo inordinato modo, scilicet, non ordinando illud in finem supernaturalem, falsa est quoad id, in quo fit in ea præcipua vis, scilicet, quòd prædictum obiectum excellens fuerit volitum absque tali ordinatione. Nam ex hoc capite peccatum Angeli non habuit rationem superbiæ, sed solùm rationem purę cuiusdam omissionis: ergo non rectè assignatur, tanquam quid requisitum ad obiectum superbiæ Angelicæ, quòd non fuerit ordinatum ad Deum authorem supernaturalem: neque hinc rectè deducetur, vt in prædicta ratione deducebatur, Luciferum deliquisse superbè circa prædictum obiectum. Consequentia videtur perspicua. Quoniam superbia est peccatum commissionis: & ita non potest assignari, tanquam quid requisitum ad eius obiectum, id, ex quo peccatum Angeli non habuit rationem peccati commissionis, & superbiæ; sed ad summum poterat habere rationem purę cuiusdam omissionis. Antecedens autem probatur. Quia non ordinare suam beatitudinem naturalem in finem supernaturalem, tantùm est pura quædam omissio: & ex hoc præcisè capite omittendi hanc ordinationem nequit peccatum Angeli esse superbia, quæ in commissione quadam consistit.

Obiectio secunda nota tu digna. *Suarez: Esthius. Torres Cõplut.*

116 Nec satis erit (inquit Suarez) si occurras, quòd peccatum superbię Angelicæ non fuit situm in hoc præcisè, quòd omitteret prædictam ordinationẽ, sed in hoc, quòd haberet actum inordinatum, quo voluerit suã beatitudinem naturalem tali volitione, vt hæc fuerit causa omittendi ordinationem illam: & ideò ex hoc capite peccatum illud fuisse commissionis, & superbię: & ita defectum ordinationis iam dictæ requiri in obiecto excellenti eiusdem superbię, tanquam quid refusum in illud ex parte modi volendi reperti in actu, qui fuit causa illius omissionis.

Responsio.

Non itaque hoc satis erit. Nam in contrarium arguit idem Suarez, quòd in primis adhuc dato, quòd actus ille, quo à Lucifero volita est sua beatitudo naturalis, esset causa illius omissionis, non sequitur, peccatum illud fuisse commissionis formaliter, & per consequens neque superbiæ: quia actus, qui ex se

Impugnat Suarez primò.

ex ſe non eſt malus, qualis eſt actus, quo Angelus voluit ſuam beatitudinem naturalem ſecundùm ſe ſumptam, licèt, vt cauſa malę omiſsionis, denominetur peccatum, & quaſi materialiter dici poſsit commiſsio, nihilominùs formaliter, & in ratione peccati tantùm eſt peccatum omiſsionis, quia in toto illo negotio vnica eſt malitia omiſsionis.

Secundo. Deinde, etiamſi in illo actu, vt cauſa omiſsionis, reperiretur diſtincta malitia, nũquam illa eſſe poſſet malitia ſuperbiæ. Quia malitia, quæ ineſt actui, ſolùm vt eſt cauſa alicuius euentus, non tranſcendit ſpeciem malitiæ in ipſo effectu inuentę, ſiue malitia cauſæ ſit diſtincta, ſiue non: ſed illa dilectio naturalis beatitudinis non fuit cauſa ſuperbiæ, ſed alterius peccati: ergo ex illa cauſalitate non potuit malitiam ſuperbiæ contrahere.

Tertiò. Denique. Quia non videtur poſſe dici, illam dilectionem fuiſſe cauſam talis omiſsionis. Nam quando cum vno actu poteſt ſimul eſſe alius, quãuis vnus fiat, & alter omittatur, non poteſt ille actus dici cauſa huius omiſsionis: quia nec per illum eſt volita directè (vt ſupponitur) nec indirectè, aut virtute, quia talis actus non eſt incompoſsibilis alteri (vt etiam ſupponitur.) Sed in præſenti conſideratio, & dilectio beatitudinis naturalis per ſe non excludit conſiderationem ſupernaturalis beatitudinis, & ordinationem ad illam: nam in primo inſtanti hæc omnia Angelus habuit, & boni Angeli etiam in ſecundo inſtanti vtrumque actum habuerunt. Ergo dilectio naturalis beatitudinis in malis non fuit cauſa obliuionis (vt ſic dicamus) ſupernaturalis beatitudinis, nec omiſsionis ordinis ad ipſam.

Alia ſolutio. 117 Nec etiam refert, ſi occurras aliter, nempe, quòd illa conditio poſita in obiecto excellenti, circa quod Angelus deliquit, ſcilicet, prædicta non ordinatio in finem ſupernaturalem, non apponitur, niſi tantùm vt ſignum ad venandum, quale ſit illud peccatum, & vt quid conſequens prædictum peccatum. Nam Lucifer exceſsit in dilectione ſuæ naturalis beatitudinis in modo diligendi, quia illam amauit ſuper omnia, & per talem amorem virtualiter contempſit beatitudinẽ ſupernaturalem: & ideò non ſolùm peccauit omittendo relationem ad ſupernaturalem beatitudinem, ſed etiam inordinatè diligendo naturalem beatitudinem vltra menſuram, & vltra propriam dignitatem, & excellentiam eius: atque ita in illamet dilectione peccatum commiſsionis, ac ſuperbiæ inuentũ eſt.

Contra ſurgit idem Suarez. Non itaque hoc refert. Nam contra hoc obijcit idem Suarez, quòd ſi Lucifer amauit ſuam beatitudinem naturalem ſuper omnia; aut hoc intelligitur formaliter, ac expreſſè, ponendo in obiecto illam comparationem: aut virtualiter in modo diligendi? Primum dici non poteſt: quia talis modus diligendi ſe pluſquàm Deum, & beatitudinem naturalem pluſquàm ſupernaturalem per expreſſam cõparationem, ita eſt inordinatus, & contrarius naturali rationi, vt non videatur poſsibilis, niſi vel in perſona omninò ignorante Deum, & ſupernaturalem beatitudinem, vel in voluntate iam valdè depraua ta, qualis nunc eſt voluntas Dæmonis. Ergo incredibile eſt, Luciferum ſapientiſsimum, & rectiſsimè inſtitutum, à tali amore initium iniquitatis ſuæ accepiſſe. Secundum autem dici non poteſt. Quoniam amor creaturæ, qui ſaltem implicitè ſuper omnia reputatur, duplici tantùm ſigno dignoſcitur. Vnum eſt, ſi propter amorem creaturæ diuina præcepta grauia nõ ſeruentur: aliud eſt, ſi creatura ſub aliqua ratione propria Dei ametur, colatur, aut æſtimetur: nam ex ſola intentione talis amor nõ fit ſuper omnia, vt communiter docẽt Theologi in materijs de charitate, & pœnitentia: nec aliud ſignum talis amoris hactenus excogitatum eſt, nec videtur poſſe inueniri. At in præſenti amor ſui in Lucifero non poteſt reputari ſuper omnia poſteriori modo: quia nõ amauit ſuam naturalem beatitudinem ſub aliqua falſa apprehenſione fictæ excellentiæ excedentis capacitatem naturæ, aut menſuram ſuæ perfectionis, vt ex ſe patet: quia talis modus amandi non poterat eſſe ſine magna mentis cęcitate, quæ peccatum primum non anteceſsit. Nec etiam potuit priori modo eſſe implicitè, & virtualiter amor ſuper omnia, nempe ex eo, quòd ita dilexerit ſuam beatitudinem naturalem, vt ratione huius amoris violauerit aliquod aliud præceptum, ſuperbeque deliquerit: Nam eo ipſo non eſſet tunc primum illius peccatum amor propriæ beatitudinis, ſed amor alicuius alterius excellentiæ inordinatæ, & contra præceptum humilitatis appetitæ: ſiquidem amor ille beatitudinis naturalis tantùm denominatiuè, & cauſaliter eſſet peccatum, ex eo nimirum, quòd eſſet cauſa appetitus inordinati alterius boni excellentis, ratione cuius violaret aliquod præceptum graue, nempe præceptum humilitatis, ſiue non ſuperbiendi.

Tertia ſolutio. 118 Nec etiam refert, ſi tertiò occurras eidem obiectioni dicendo, dilectionẽ illam, qua Angelus dilexit ſuam beatitudinem naturalem abſque ordinatione in finem ſupernaturalem, ideò dici peccatum commiſsionis, & ſuperbiæ, quia dilexit illam per modum finis omninò vltimi, in ipſaque quieuit, & ex hoc ſecutum eſt, quòd non ordinauit illam in excellentiorem & vltimiorem alium finem: & ita appetijt longè maiorem excellẽtiam, quàm ſibi conueniebat: & per conſequens peccauit peccato commiſsionis, & ſuperbiæ, appetendo, & quieſcendo in excellen

tia

tia suæ beatitudinis naturalis, tai quam in fine omninò vltimo.

Impugnatur. Non igitur hoc obest. Quoniam ea præcisa ratione Angelus dicitur appetijsse suam beatitudinem naturalem per modum finis omninò vltimi, quia non ordinauit illam, vt debebat, in finem supernaturalem. Nam (vt sæpè diximus) ex eo quòd diligeret ipsam secundùm se sumptam, quantumuis intensè, nulla ibidem inordinatio reperiebatur. Ergo cùm in hoc, quod est non ordinasse prędictã beatitudinem in finem supernaturalem, tantùm sit defectus quidam consistens in quadam omissione: consequens est, vt in idem re deat, Angelum peccasse, quia dilexit suam beatitudinem naturalem per modum finis omninò vltimi, & quiescendo in illa, ac peccasse peccato omissionis: & ita ibidem non erit superbia in commissione consistens.

Vltima respõsio ex D. Thoma. Caiet. Ferrara. 119 Nec tandem obstat, si occurras eidem obiectioni alio modo cum D. Thoma in 2. distinct. 5. q. 1. art. 3. ad 4. Caietano, Ferrara, & alijs, in illo peccato fuisse aliquam omissionẽ eius circunstãtiæ, quæ actui amãdi beatitudinẽ naturalẽ ad fugi debuisset scilicet ordinationis illius amoris in Deum finẽ supernaturalem: nihilominùs tamen peccatum nõ fuisse omissionis, sed commissionis, quia fuit per actum positiuum sine debita circunstantia: sicut orare sine attentione, non est tantùm peccatum omissionis, sed commissionis.

Contra obijcit idẽ Suarez. Non itaque hoc refert. Nam contra hoc insurgit idem Suarez dicens, quòd illud præceptum obligabat quidem ad habendum actum supernaturalis dilectionis Dei ex fide, & cum fiducia supernaturali obtinendi supernaturalem beatitudinem, non tamen obligabat ad hunc actum, vt ad circunstantiam dilectionis naturalis, sed per se, vt erat quidam actus debitus Deo, & necessarius ad salutem. Ergo inde inferri non potest, actum illum dilectionis beatitudinis naturalis fuisse malum commissiuè, etiam si habuerit concomitans omissionis peccatum. Et ideò non est simile exemplum orationis adductum: quia attentio ex natura rei est intrinseca circunstantia orationis, imò per se non est præcepta, sed tantùm ex suppositione quòd quis orare debeat, aut velit: & ideò qui sine attentione orat, peccat committendo, quia orat modo indebito cõtra ipsum orationis præceptum. At verò relatio amoris naturalis beatitudinis in supernaturalem non est ex natura rei circunstantia necessaria ad bonitatẽ naturalis dilectionis, nec in eo casu erat necessaria talis relatio ex vi præcepti de tali dilectione naturali, sed aliũ de oriebatur ex præcepto generali Charitatis Dei, quod respectu actus naturalis erat illi extrinsecum, & quid accidentaliter, & contingenter coniunctum pro eodẽ instanti. Ergo omissio talis præcepti non est circunstantia alterius actus naturalis, neque illum reddit moraliter malum.

Explicatam plius Suarez. Declaratque hoc ipsum idem Suarez, ex eo quòd, si Angelus in illo instanti non haberet actum naturalis dilectionis suę beatitudinis, amaret tamen Deum ex charitate, suæ obligationi satisfaceret, nihilque peccaret, etiam si dilectionem sui naturalem actu non referret in Deum, quia illam actu non exerceret: ergo signum est, illam obligationem supernaturalis amoris non fuisse de illo, vt de circunstantia amoris naturalis, sed per se, & de quodam actu bono: ergo quãuis in omissione illius peccetur, hinc non sequitur, amorem naturalem tũc exercitum, & ex obiecto, & alijs circunstantijs bonum, inde fieri malum.

Confirmat tandem. Et confirmatur, & explicatur tandem ex eodem Suarez. Quia qui omittit amorem Dei eo tempore, pro quo tenebatur illum exercere, non propterea peccat in omni actu, quem pro illo tempore exercet, per se loquẽdo, & ex vi talis concomitantiæ solius.

§. V. *Animaduersiones ad enodationem huius secundæ obiectionis.*

Animaduersio prima pro vera solutione. 120 VT hæc secunda obiectio melius dissoluatur, & quatuor illæ solutiones, inter proponendum eam addũctæ (quæ sanè intellectæ admitti possunt, & in idem, vel ferè idem redeunt) clariùs, & dilucidiùs explicentur, & simul obiectionibus contra easdem occurratur, notandum est primò, conuersionem illam, & ordinationẽ sui, & omnium suorum, quã Angelus in illo instãti, in quo primò peccauit, debebat habere in ordine ad finem supernaturalem, siue actũ charitatis, & dilectionis super omnia Dei, vt obiecti beatifici, & finis supernaturalis, ad quam tunc tenebatur, posse considerari dupliciter. Vel secundùm id, quod formaliter, expressè, & directè affert: vel secundùm id, quod de materiali, implicitè, & quodammodò indirectè importat. Primò modo dicit se ipsam, vt formaliter est actus charitatis, & respicit Deum formalissimè, vt est obiectum eiusdem charitatis: & secundùm istam considerationem correspondet directè præcepto eiusdem charitatis in illo instanti vrgenti, considerato secũdùm id, quod formaliter, expressè, & directè dictat. Secundo modo dicit se ipsam quoad id, quod de materiali importat, nempe, secundùm quòd habet se per modum mensuræ, regulæ, & modi seruandi, ac præscripti à Deo in appetitu propriæ excellentiæ, saltem in prædicto instãti: & correspondet eidem præcepto charitatis quoad id, quod de materiali, implicitè, & quodammodò indirectè ab eo dictatur.

Nam

Nam etsi diuersis creaturis intellectualibus pro diuersa conditione, & statu earundē sint à Deo præscriptæ diuersę regulæ & mensuræ circa appetitum suæ propriæ excellentiæ, ita vt excellentia, quæ respectu vnius est proportionata, hęc eadem respectu alterius sit improportionata, & superexcedens: nihilominùs creaturis intellectualibus, & eleuatis ad finē supernaturalē impositā est hæc cōmunis regula & mēsura propriæ excellentiæ, nimirū ordinationis illius per charitatē, quoties præceptum prædictæ charitatis vrget.

Suadetur animaduersio ratione.

121 Cuius nulla alia congruentior ratio reddi potest, nisi, tum testimonia Scripturæ pro assertione adducta, quæ (vt ibidē expendimus, & ex statim, ac infrà dicendis amplius patebit) nō alia ratione possunt habere vim ad explicandū, primū Angeli peccatū in eis descriptū fuisse superbiæ, nisi quia prædicta ordinatio in Deū finem supernaturalem fuit tunc mensura à Deo præfixa circa dilectionē naturalis beatitudinis Angelicæ, & eius excellentiæ. Tum etiam cōmunis consensus Patrū, quos ibidē retulimus: quādoquidē omnes illi cōueniunt in hoc, quòd primū Angeli peccatū fuit superbiæ, ac proinde nimius, & inordinatus appetitus propriæ excellētiæ, & quòd nimietas, & inordinatio ista sita fuit in hoc, quòd propriā beatitudinē naturalē, & excellentiā eius nō ordinauerunt per actū charitatis supernaturalem in Deum, vt in finem itidem supernaturalē, sed in se ipsis, propriaque naturali beatitudine quieuerunt. Constat autē, ob hanc rationē non potuisse prædictum appetitū propriæ excellentiæ esse nimiū, & inordinatū, nisi mēsura à Deo præscripta circa dilectionem prædictę beatitudinis naturalis Angelicæ, & excellentiæ eius fuisset illa ordinatio, & subiectio per actum charitatis in Deū finē supernaturalē, & obiectū beatificū.

Vnde conseruata tunc hac regula & mensura in appetitione propriæ excellentiæ, eo ipso appetitur ab eisdē creaturis longè maior excellentia, quàm ea, quę sibi conuenit, aut conuenire poterat, nempe propria excellentia per modū finis omninò vltimi, vt ex se, & ex statim in solutione huius obiectionis dicē dis patebit: & prædicta mensura seruata, eo ipso tollitur hic excessus, & apponitur debitus modus in appetitu prædictæ excellentiæ.

Consectarij notandum.

122 Ex quo fit (id, quod valdè, notandū est) quòd Deus præcipiendo tunc charitatē, & præcipit illam, & opere, ac præcepto ipso absq; aliquo alio, velut intimat, & declarat, ac præfigit, quænā sit mensura propriæ excellentiæ: quia tunc seruata, mēsuratè appetitur, & qua abiecta, inordinatè diligitur: & in eodē charitatis actu tunc præcepto, si consideretur secundùm eam rationē mensuræ, quæ ibi dē præcipitur, est quid materiale, per se tamē requisitum, quòd cadat sub præcepto quoad prædictā rationē: cæterùm est quid formale, quòd sit mēsura propriæ excellētiæ: licèt hæc ratio mēsurę, collata cū alijs rationibus ibidē inuentis, cadat sub præcepto illo secundū id, quod de materiali prędictū præceptū affert.

Diximus, conuersionem, & actum charitatis prędictum, secundo modo sumptum, dicere se ipsum, quatenus quoad id, quod de materiali importat, habet se per modum mensurę, & regulæ præscriptę à Deo in appetitu proprię excellentię, saltem in prędicto instanti. Quia etsi pro alijs instantibus, in quibus prædictum præceptum non vrget, appetatur propria excellentia ordinis naturalis, non apposita hac regula, & mensura: non idcirco appetitur prędicta excellētia ex hoc capite absque debita mensura & modo: quia pro prædictis instantibus, in quibus hoc præceptū non obligat, non debet adhiberi talis mensura: ex eo quòd prædictum præceptū tantùm est velut intimatio, & declaratio, præfixioque certa mensuræ vrgentis pro prædicto instanti: & ita ad summū debet non respui expresse, formaliter, ac simpliciter, ne cōtradicatur alteri mensurę, & præcepto negatiuo, quo præscribitur, ne excellentia ordinis naturalis appetatur aliquando per modum finis omninò vltimi à creatura intellectuali eleuata ad finē supernaturalem. Cęterùm pro illo instanti, pro quo præceptum charitatis obligat, tam quoad id, quod de formali, & expressè, quàm quoad id, quòd implicitè, & de materiali affert, nimirū, quoad mensurā omninò necessariò tunc seruandam, hoc ipso quòd appetatur propria excellentia, tunc nequit appeti prędicta excellētia ordinato modo, nisi appetatur seruata prędicta regula & mensura: & appetita sine ea mensura & regula appetitur superbè: & hoc ipso, quòd sine prædicta ordinatione sit volita in eo instanti, conuincitur fuisse volitam per modum finis omninò vltimi: non tamen id (saltem ex hoc præciso capite) colligitur, quando prędictum præceptum nō obligat, nec hęc mensura de materiali à Deo prescripta tunc vrget.

Consectarium aliud, & animaduersio secunda.

123 Ex quo inferendū, & secundò notandū est, quòd sicut posito præcepto, & signato determinato pretio à Principe, quo vendantur merces, tunc eo ipso colligimus, vēdentē merces illas vltra prędictū pretiū, seu non seruata mensura à Principe prescripta, delinquere contra præceptum negatiuum semper, & pro semper obligans, & dictans, nunquam esse vendendas merces vltra debitum pretium, tuncque mensura taxata à Principe per suum præceptum positiuum habet se per modum conditionis requisitę ad hoc, vt venditio mercium vltra prædictam mensuram sit materia, ad quam extendatur præceptum negatiuum non vendendi vnquam merces vltra debitum pretium: sic posita

sito præcepto charitatis vrgẽte in aliquo instanti, secundùm quòd de materiali habet rationem mensuræ respectu appetitus propriæ excellentiæ, eo ipso appetita prædicta excellentia vltra mensuram præscriptam, colligitur, appetentem delinquere contra præceptum negatiuum semper, & pro semper vrgẽs non superbiendi, siue non appetendi propriã excellentiam inordinato modo, ideſt, vltra debitam mensuram: & præceptum illud charitatis, vt de materiali præscribens hanc mensuram, habet se per modum conditionis ad hoc, vt appetitus excellentiæ propriæ vltra debitam mensuram sit materia, ad quam habeat se extendere præceptum negatiuum nõ superbiẽdi, quod semper, & pro semper vrget.

Vnde semel supposita illa mensura, quæ à charitate quoad materiale, quod dicit, præscribitur, quæque non vt mensura reduplicatiuè, ideſt, non quia mensura est formalissimè, sed illamet, quæ reipsa est mensura, sub formalissima tamen ratione charitatis ab ea dictatur, ac proinde semel suppositа illa veluti intimatione, & declaratione facta per præceptum charitatis, qua opere, & præcepto ipso declaratur, & præfigitur, quænam pro tũc sit mensura propriæ excellentiæ: statim à virtute humilitatis per præceptum quoddam negatiuum semper, & pro semper obligans prohibetur defectus huius mensuræ, vt talis, & vt applicatus ad materiam propriæ excellentiæ, quatenus ab ea dictatur, ne appetatur propria excellentia sine debita mensura, atque adeò sine ordinatione charitatis, dum hæc intimatur per præceptum charitatis esse pro tunc debitam mensuram: & ita appetens propriam excellentiam sine hac mensura, per se primò delinquit contra humilitatem; & auertit se à Deo, & eius subiectione, vt per modum primi excellentis præscribit mensuram propriæ excellentiæ, siue quòd non appetatur prædicta excellentia absque hac mensura: & per consequens auertit se à Deo, & eius subiectione per se inspecta ab humilitate.

Animaduersio tertia, & illatio ex dictis.

124 Ex quibus omnibus inferendum, & notandum est tertiò, quòd illa non ordinatio in Deum authorem supernaturalem reperta in illo actu, aliter comparatur cũ Deo, & cum prædicto actu dilectionis beatitudinis naturalis, & excellentiæ eius, quatenus est priuatio debitæ mensuræ, & modi seruandi in appetitione propriæ excellentiæ, & aliter, quatenus opponitur præcepto charitatis quoad id, quod de formali, & expresse ab eo importatur. Nam secundùm priorem illam rationem comparatur cum actu dilectionis propriæ excellentiæ, tanquam modus, aut circunstantia, aut defectus mensuræ, ratione cuius appetitus ille propriæ excellentiæ est appetitus inordinatus, & excellentiæ excedentis, ac proinde quatenus vnà cũ actu illo appetendi constituit peccatum commissionis superbiæ: & deinde secundùm hanc eandem considerationem comparatur ad Deum per modum priuationis ordinationis ad ipsum, vt ad vltimum finem omnium excellentissimum, & vt habet rationem primi excellentis, mensuratè (modo nuper dicto) distribuẽtis singulis excellentias eisdem debitas, & mensuras earundem, vt talium.

Et ita dicit priuationem debitæ subiectionis ad ipsum, vt ad vltimum finem modo dicto acceptum, & vt ad primum excellens, & distributorem mensuratè omnium aliarum excellentiarum. Ideoque, saltem virtualiter, & implicitè, ac interpretatiuè, est auersio à Deo, & contẽptus ipsius, necnon & abiectio subiectionis ad ipsum modo dicto sumptum.

Suadetur prædicta animaduersio primo.

125 Et ratio huius est. Tum, quia (vt num. 118. diximus, & num. 140. magis explicabimus) dum Angelus in secundo instanti dilexit suam beatitudinem naturalẽ sine hac regula & mensura, ac proinde sine subiectione ad ipsam, per se voluit diligere prædictam beatitudinem, & eius excellentiam absque tali regula, & abijcere, ac contemnere illam: & perconsequens per se etiam voluit auerti à Deo, tanquam à præscribente hanc mensuram, secundùm quòd ipse habet rationem supremi excellentis, ad quem spectat distribuere mensuratè singulis proprias excellentias, & earum mensuras, vt tales, ac proinde, & auerti ab eo, vt habet rationem vltimi finis omnium excellentissimi formaliter sumpti.

Secundò.

Tum etiam (per quod præcedens probatio magis explicatur.) Quia cùm conuersio & ordinatio in Deum tunc vrgens sit mensura propriæ excellentiæ, vt n. 120. dicebamus, ac proinde Angelus appetens propriam excellentiam sine illa deliquerit per superbiam: oportet, vt auerterit se à Deo, abijciẽdo subiectionẽ ad mensurã ab eo præfixã in materia propriæ excellentiæ, ac proinde subiectionẽ ad eundẽ, vt ad supremũ excellens, finemque omnium excellentissimũ, vt talem: quia (vt ex D. Thoma 2.2.q.162.art.6. diximus) pro priũ est superbię, per se velle hanc abiectionẽ subiectionis: sicut è contrario propriũ est humilitatis, quæ est virtus illi opposita, subijci se Deo, vt supremo excellenti, & fini omniũ excellentissimo, in appetitu propriæ excellentiæ, appetendo eam cum subiectione ad regulam & mensuram ab eo, modo n. 123. dicto præfixam. Et ita quod de materiali, & veluti secundariò præcipitur à charitate, nẽpe actus charitatis, vt habet rationem mensuræ, est id, quod per se primò inspicitur tunc ab humilitate sub sua propria ratione, & id cui per se primò superbia opponitur, quatenus vult propriam excellentiam reijciẽdo, & contẽnendo prædictam mensuram, vt talem.

D. Thom.

126 Cæ-

126 Cæterùm eadem non ordinatio ad Deum, vt authorem ſupernaturalẽ, ſecundũ poſteriorẽ conſiderationẽ accepta, non comparatur ad actũ dilectionis beatitudinis naturalis vt modus, aut circunſtantia eius, ita vt actus ille vnà cum ipſa ſic ſumpta ſit peccatũ cõmiſſionis; ſed conſiſtit in pura omiſſione prædictæ ordinationis: quia per accidens eſt ad illã ſic ſumptam, quòd ſimul diligatur, vel non diligatur prædicta beatitudo naturalis. Et deinde collata cum Deo authore ſupernaturali, dicit carentiam conuerſionis debitæ in ipſum, vt præcisè eſt obiectum charitatis: ideòque non dicit carentiam ſubiectionis ad eũ, quæ ſit eiuſdem ſpeciei, ac illa prior carẽtia importata ab actu ſuperbiæ, ſed carentiã (vt ſic dicamus) ſubiectionis amicabilis incluſæ in actu charitatis, & tendentis ad Deũ, vt eſt obiectum illius. Et ita prædicta carentia, vt virtualiter, ac interpretatiuè eſt auerſio à Deo, dicit auerſionem ab illo, vt eſt finis, & obiectum charitatis, quoad id, quod charitas de formali, & expreſsè importat.

Vnde, quia appetitus propriæ excellentiæ cum carentia huius ordinationis debitæ, vt habet rationem menſuræ eiuſdem excellẽtiæ, eſt virtualiter, implicitè, & interpretatiuè appetitus illius per modum finis omninò vltimi, & ſimiliter quia hoc ipſo, quòd quis non habeat prædictam ordinationem ſui, & omnium ſuorum in Deum, vt in finem ſupernaturalem, ſeu prædictum actum charitatis, quando vrget hoc præceptum, tunc cenſetur velle ſe ipſum, vt vltimum finem virtualiter, & interpretatiuè: inde eſt, iuxta nuper dicta, quòd aliter diligatur propria excellentia per modum finis omninò vltimi, & aliter non ordinando ſe, & omnia ſua in Deum, vt in finẽ ſupernaturalem, habeat ſe ipſum pro vltimo fine. Nam propria excellentia habetur pro vltimo fine, prout hoc fundatur in hoc, quod eſt non ordinari in Deum authorem ſupernaturalem, vt in finem excellentiorem ſub ratione excellentioris per excellentiam ſupernaturalem, & vt habet rationem primi excellentis, menſuratè diſtribuentis ſingulis proprias excellentias, ac proinde prout per hoc denotatur, non ſubijci alteri, vt fini modo dicto excellentiori: at ille, qui non ordinat ſe, & omnia ſua in Deum, vt in vltimum finem, vt præcisè delinquit contrà charitatem, habet ſe pro vltimo fine, prout hoc fundatur in hoc, quòd non habeat ordinationem ſui in Deum, vt præcisè eſt finis charitatis.

127 Quia verò hoc, quod eſt habere aliquid pro fine omninò vltimo, inuoluit neceſſariò dilectionem ſaltẽ virtualẽ, & interpretatiuã eius ſuper omnia: unde etiã eſt, vt aliter diligatur ſuper omnia propria excellẽtia habita pro fine vltimo, & aliter nõ ordinãs ſe in finẽ charitatis. Nã illa diligitur ſuper omnia, quatenus diligẽdo eã, tanquã finem omninò vltimum modo dicto, præponitur ex parte modi diligendi Deo, vt eſt finis vltimus omnium excellentiſsimus ſub ratione excellentis excellentia ſupernaturali, & vt habet rationem primi excellẽtis, & menſuratè diſtribuentis, modo num. 120. dicto, ſingulis proprias excellentias, & menſuras earundem. At non ordinans ſe, & omnia ſua in Deum, vt in finem ſupernaturalem, vt præciſe per hoc delinquitur contra charitatis præceptum conſideratum quoad id, quod expreſſe, & formaliter dictat, diligit ſe ipſum ſuper omnia: quia diligendo ſe per modum vltimi finis, præponit ſe ipſum Deo, vt habet rationem vltimi finis (vt ſic dicamus) amicabilis, & per ſe inſpecti à charitate, ſecundùm id, quod expreſſe, & formaliter dicit.

§. VI. *Enodatio huius ſecundæ obiectionis ex prædictis animaduerſionibus.*

128 His ergo ſuppoſitis, non difficulter occurritur huic ſecundæ obiectioni ex Suarez, & ex alijs deductæ, admittendo quatuor ſolutiones inter proponendũ eandem obiectionem, adductas, iuxta dicta tamen in tribus animaduerſionibus præcedentibus intellectas. Vnde ſuſtinendo priorem ſolutionem ex illis, dicimus, dilectionẽ, qua Angelus dilexit ſuam beatitudinem naturalem abſque ordinatione in Deum authorem ſupernaturalem, fuiſſe peccatum commiſſionis, & ſuperbiæ, quatenus fuit cauſa omiſſionis ordinationis in Deum finem ſupernaturalem: ad hunc tamen ſenſum, quod ly *quatenus* non ſumatur reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè, ideſt, quod actus ille, qui fuit cauſa prædictæ omiſſionis, fuerit commiſſionis, & ſuperbiæ, licèt id non habuerit præcisè & formaliter ex eo quod fuerit cauſa prædictæ omiſſionis: & inſuper, ita vt prædictus actus non fuerit cauſa illius ex eo capite precisè quod terminatus ſit ad beatitudinem naturalem ſecundùm ſe, & ſua merita ſumptam, ſed ex eo quod Angelus diligendo ſuam beatitudinẽ naturalem abſque ordinatione in Deum authorem ſupernaturalẽ, vt prædicta ordinatio eſt menſura propriæ excellentiæ Angelicæ, fuerit cauſa omittendi eandem ordinationem, ſecundũ quod dictatur à charitate ſumpta quoad id, quod expreſſè, & formaliter dicit: quia reuerà dilectio, qua Angelus dilexit excellentiam ſuę beatitudinis naturalis cum omiſſione ordinationis charitatis in Deum, quoad id, quod de materiali dictatur à præcepto charitatis, ſeu vt erat mẽſura proprię excellẽtię dictata modo dicto à charitate, fuit ratio omittẽdi eandẽ ordinationẽ charitatis in ipſummet Deũ, vt eſt obiectũ amicabile, vt ex his, quę n. 210. hu-

Ex prædictis animaduerſionibus occurritur obiectioni, admittẽdo datas ſolutiones inter arguendum

ius disputationis dicemus amplius patebit.

Dilcitur prima & secunda impugnatio prioris solutionis.

129 Neque contra hanc solutionem sic intellectam obest triplex illa impugnatio à Suarez adducta. Non quidem prima, aut secunda. Quoniam non asserimus, actum illum esse commissionis, & superbiæ, præcisè & formaliter quia est causa omissionis prædictæ, sed quòd ille actus, qui est causa, est aliunde peccatum commissionis, & superbiæ, vt ex his, quæ in defensione quartæ solutionis huius obiectiones afferemus, magis patebit.

Occurritur tertiæ.

Nec etiam tertia. Quoniam non asserimus, actum delectionis, prout præcisè terminatur ad excellentiam propriæ beatitudinis naturalis secundùm se sumptam, esse incompossibilem cum ordinatione ipsius in finem charitatis, consideratæ quoad id, quod expressè, & formaliter dicat, sed quòd prædicta dilectio cum carentia debitæ ordinationis charitatis, vt est mensura propriæ excellentiæ Angelicæ, ac proinde prædicta dilectio, vt est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, est incompossibilis cum eadem ordinatione charitatis, quoad id, quod expressè, & formaliter dicit, seu vt formaliter tendit in Deũ, vt obiectum amicabile.

Explicatur secunda solutio, & soluitur impugnatio eius.

130 Deinde admittendo secundam solutionem: ita quidem, vt omissio, quæ ponitur tanquam signum peccati commissionis superbiæ, sit omissio ordinationis charitatis in Deum, vt constituit peccatum puræ omissionis contra præceptum charitatis quoad id quod expressè, & formaliter dicit, seu omissio ordinationis amicabilis, formaliter vt talis, non verò sit omissio ordinationis charitatis, vt est mensura propriæ excellentiæ Angelicę (sic enim vnà cum dilectione eiusdem excellentiæ constituit peccatum commissionis superbæ eiusdem Angeli) tunc dicendum est, satis esse ad hoc vt Angelus dilexerit super omnia suam beatitudinem naturalem virtualiter, & implicitè, ac interpretatiuè, quod eodem modo dilexerit illam, vt finem omninò vltimum: quia amor finis vltimi omninò est amor super omnia. Constat autem ex dictis, quòd hoc ipso quòd Angelus dilexerit suam beatitudinem naturalem, quiescendo omninò in illa, ac proinde absque ordinatione in Deum finem supernaturalem, quam tunc debebat habere, voluit implicitè, & virtualiter, ac interpretatiuè propriam excellentiam suæ beatitudinis naturalis permodum vltimi finis.

Enodatur impugnatio tertiæ solutionis.

131 Vlteriùs, tuendo tertiam solutionem huius obiectionis iuxta dicta in præcedenti §. tunc dicendum est, satis patere ex dictis, Angelum non ea præcisa ratione quieuisse in dilectione excellentiæ propriæ beatitudinis naturalis, seu voluisse illam per modum finis omninò vltimi, quia non ordinauit illam in finem supernaturalem ordinatione charitatis, secundùm id, quod charitas expressè, & formaliter tunc dictat, sed quia (vt iam diximus, & dubio 7. huius disputationis dicemus) priùs dilexit eandem beatitudinem non ordinando illam in Deum authorem supernaturalem, prout prædicta ordinatio erat mensura propriæ excellentiæ: ac proinde priùs implicitè, & interpretatiuè voluit non subijcere illam Deo, vt vltimo fini omnium excellentissimo excellentia supernaturali, & supremo distributori omnium excellentiarum. Et ita (vt iam explicuimus, & in sequẽti solutione magis explicabimus) diligendo sic beatitudinem naturalem, non peccauit peccato omissionis, sed peccato commissionis, & superbiæ. Quoniam iuxta communem Theologorum sententiam, quãdo materia, circa quam versatur actus, est materia propriæ excellentiæ, tunc appetere illam absque debita mensura, est peccatum commissionis superbiæ.

Explicatur vltima solutio,

132 Tandem sustinendo posteriorem solutionem, quæ absque dubio est D. Thomę loco ibidem citato, & in alijs locis, estque communis inter Thomistas, potest addi, vt magis explicetur, quomodo peccatum illud nõ fuerit omissionis, sed commissionis, quòd ad hoc vt aliquod peccatum sit omissionis, non satis est, vt circa aliquam materiã omittatur modus, aut circunstantia debita, sed oportet, vt omittatur actus ipse, qui versatur circa talem materiam: vt v.g. circa celebrationem, aut auditionem Missæ peccatur præcisè peccato omissionis, siquis non dicat, aut audiat eam, quando ad id tenetur: si autem dicat illam absque vestibus sacris, aut sine debita præparatione, & modo, quibus oportet, aut audiat illam absque debita attentione, non est omissionis peccatum, sed commissionis sacrilegæ. Et ita vniuersaliter loquendo quando nõ omittitur actus, sed circunstantia circa aliquam materiam, tunc peccatur peccato commissionis pertinente ad speciem talis materiæ. Ideoque, cum Angelus circa materiam iam dictam, nempe excellentiam suam naturalem, non omiserit actum dilectionis illius, sed modum & mensuram eiusdem, tunc commisit peccatum pertinens ad talem materiam suæ propriæ excellentiæ, quod non est aliud quàm peccatum superbiæ. Et ratio est proportionaliter eadem in exemplis adductis, & in re, de qua loquimur. Quia nimirum celebrando v.g. Missam sine vestibus sacris, tunc irreuerenter fit illa celebratio sacra, ac proinde delinquitur peccato cõmissionis contra religionem. Et appetendo (vt modò dicebamus) propriam excellentiam sine debita mensura, appetitur maior excellentia, quam ea, quæ conuenire debet appetenti.

Vindicatur hæc solutio ab impugnationibus.

133 Nec ea, quæ contra solutionem istam obijcit

obijcit Suarez, vrgent. Iam enim conſtat ex dictis, quomodo præceptum charitatis ſupernaturalis, vt de materiali præſcribebat menſuram & modum in eo inſtanti propriæ excellentiæ, dictabat etiam de materiali prædictam dilectionem charitatis, & circunſtantiam, & modum eiuſdem excellentię, ly *vt* ſumpto ſpecificatiuè, iuxta ea, quæ n. 128. dicebamus, & ad ſenſum iam explicatum, nimirum, quòd præcipiendo actum charitatis etiam quoad rationem menſuræ, & modo dicto, tunc præceptum ipſum eſt eodem modo præfixio quædam, & veluti intimatio, & declaratio, per quam declaratur, & ſtabilitur, quænam ſit menſura propriæ excellētiæ omninò neceſſaria in eo inſtanti: & ita eo ipſo (vt n. 123. dicebamus) dilectio propriæ excellentiæ beatitudinis naturalis abſque illa regula & menſura, erat materia, ad quam extendebatur præceptum negatiuum ſemper, & pro ſemper obligans, quo prohibetur appetitus propriæ excellentiæ abſque debita menſura vt tali: atque adeò ibidem deficiente prædicta ordinatione charitatis, non adeſt ſola omiſsio oppoſita præcepto charitatis, quoad id, quod de formali, & expreſſe dictat, ſed etiam peccatum commiſsionis contra prædictum præceptum negatiuum.

Ad primam confirmationem, ſiue explicationē.

Ad declarationem verò priorem ab eo dem Suarez allatam fatemur, quod ſi Angelus tunc non diligeret excellentiam propriā ſuæ beatitudinis naturalis, ſed ſolùm haberet actum charitatis, ſatisfaceret ſuæ obligationi dictatæ tunc à charitate. Hinc tamen non fit, obligationem ſupernaturalis amoris per modum menſurę propriæ excellentiæ cō ſiderati, non fuiſſe etiam de illo, vt de circunſtantia modo dicto amoris naturalis prędictę excellentiæ, ly *vt* in ſenſu ſpecificatiuo ſumpto. Quod etſi quoad id, quod prædicta obligatio, & præceptum charitatis formaliter, & expreſſe dictat, non ſit de illo actu, vt menſura, ſpecificatiuè loquendo; eſt tamen quoad id, quod de materiali importat, de eodem quoad rationem mēſuræ, quā affert. Et ideò, licèt omiſſo actu dilectionis propriæ excellentiæ ſatisfaceret Angelus plenè obligationi amoris ſupernaturalis, eliciendo actum charitatis, quia eliceret illum tam quoad formale, quàm quoad materiale: attamen ſi haberet ſimul actum appetendi propriam excellentiā ſuæ beatitudinis naturalis ſine actu dilectionis ſupernaturalis, peccat peccato commiſſionis ſuperbæ: non quia præciſè omittit actum illum dilectionis, qui erat menſura appetitionis propriæ excellentiæ, ſed quia appetit excellētiam propriam abſque debita menſura, quam adhibere tenebatur, ac proinde delinquit contra præceptum negatiuum, non appetendi propriam excellentiam ſine prædicta menſura.

Ad ſecundā

Ad ſecundam verò confirmationem, & explicationem reſpondetur, quòd etſi omittens actum charitatis, & ordinationis in Deū, non ideò peccet in omni actu, quem elicit in eo inſtanti, in quo debebat ex charitate diligere: peccat tamen eliciendo actum ſine ordinatione charitatis, quando charitas, & ordinatio illius habet ſe reipſa per modum menſuræ debitæ ineſſe, & adeſt præceptum non eliciendi illum actum ſine debita menſura, vt in præſenti contingit.

§. *VII. Replica animadverſione digna contra dicta in ſolutionibus præcedentis obiectionis, & reſponſio ad illam.*

Replica notanda contra omnia prædicta.

134 NEC obeſt, ſi contra rationem, & fundamētum omnium, quæ in his ſolutionibus diximus, ac proinde contra omnes illas obijcias, falſum eſſe, quòd per præceptum charitatis in illo inſtanti vrgens, præcipiatur actus charitatis, & ordinatio in Deum authorem ſupernaturalem, vt eſt mēſura, adhuc ſpecificatiuè, propriæ excellentiæ Angelicæ, etiamſi prædictum præceptum cō ſideretur quoad id, quod de materiali dicit: ergo, &c. Antecedens probatur. Tum primò. **Probatio prima.** Quia per accidens eſt ad dilectionem præſcriptam per præceptum charitatis, quòd ſit, vel non ſit, adhuc ſpecificatiuè, menſura proprię excellentiæ Angelicæ. Et ideò quamuis non eſſet talis excellentia, nec charitas eſſet menſura illius, nihilominùs eſſet eiuſdem rationis: ex eo quòd reſpiceret Deum, vt eſt proprium eiuſdem charitatis obiectum.

Secunda. Tum ſecundò. Quia illa virtus præcipit, aut elicit menſuram alicuius actus, cui opponitur actus exercitus abſque tali menſura & regula: vt patet in temperantia, quæ præcipit menſurā ciborum, quia illi opponitur actus veſcēdi abſque tali menſura. Cōſtat autē, actū appetendi propriā excellentiā abſque debita menſura non opponi charitati, ſed humilitati: ergo regula, & menſura illius nulla ratione præcipitur, adhuc materialiter, à charitate, ſed à ſola humilitate.

Tertia, Tum tertiò (& eſt confirmatio præcedentis probationis.) Quia alioqui appetens propriam excellentiam abſque menſura præſcripta à charitate, non peccaret contra humilitatem, ſed contra charitatem, vel ſaltem magis contra hanc delinqueret: ſiquidem prætergrederetur menſuram à charitate præſcriptam. Maximè, quia hoc ipſo, quòd charitas præſcribat ordinationē illam, ſeu actum charitatis tanquam menſuram, præſcribit, ne fiat appetitio propriæ excellentiæ, aut cuiuſuis alterius rei abſque hac ordinatione. Et ideò, ſicut ex hoc, quòd prætermitteretur ordinatio alterius rei per charitatem, tunc ſolummodò

aut præcipuè peccaretur contra charitatem: ita etiam ex hoc, quòd diligatur propria excellentia absque eadem ordinatione, tantummodò, vel potissimè contra eandem charitatem delinqueretur.

Quarta. Tum quartò (per quod præcedens probatio magis elucidatur.) Quia si Angelus appeteret propriam excellentiam cum hac mẽsura, nempe actu charitatis, non ideò eliceret actum humilitatis: quia illa mensura charitatis, vt talis, non dictatur ab humilitate: ergo appetendo excellentiam suæ beatitudinis absque hac mensura, non deliquit contra humilitatem: quandoquidem contrariorum eadem videtur esse ratio.

Vltima. Tum denique. Quia si charitas de materiali præciperet amorem, vt mensuram propriæ excellentiæ, præciperet etiam de materiali, quòd simul eliceretur actus humilitatis, cuius proprium est velle prædictam mensuram: quod tamen, satis constat, esse falsum. Et ideò satis fuit Angelis bonis, ad hoc vt in illo secundo instanti non peccarent, quòd eliciant actum charitatis supernaturalis, licèt non habuissent actum humilitatis formaliter sumptæ.

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam si Angelus eliceret tunc actum humilitatis formaliter talem, absque eo quòd exerceret actum charitatis supernaturalis, non delinqueret superbè, nec appeteret propriam excellentiam suę beatitudinis absque debita mensura: ergo signum est, mensuram petitam ad appetitum propriæ excellentiæ non esse vlla ratione actum illum charitatis: alioqui appetitio talis excellentiæ absque actu prædicto charitatis esset appetitio illius absque debita mensura.

Enodatur replica, & prima probatio 135 Respondetur enim, negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum est, non esse per accidens ad dilectionem præscriptam per præceptũ charitatis, quoad id, quod implicitè, & de materiali præceptum ad eam obligans importat, & ipsa charitas eodem modo sumpta affert, quòd dicat rationem mensuræ propriæ excellentiæ, materialiter etiam consideratam, ideſt, mensurã in *esse* rei, seu illud, quod reuerà est mensura, licèt non importetur formaliter quia mensura, sed quia conuersio in Deum, vt est obiectum charitatis. Et ita, si charitas per impossibile id non haberet, colligeremus, non esse eiusdẽ prorsus rationis, ac modò est: quia charitas, quæ modò inuenitur, necessariò affert rationem istam secum identificatam, & ab eadem petitam. Et propterea præceptum charitatis vrgens ad id, quod in *esse* rei necessariò conuenit charitati, quodque semper ab ea petitur, præscribit etiã aliquo modo actũ charitatis, vt modo explicato dicit mensuram propriæ excellentiæ omninò necessariam in illo instanti.

Ad secundam verò probationem eiusdem antecedentis dicendum est, quòd illa virtus, cui opponitur actus elicitus absque debita mensura, præcipit illam, vt applicatã illi materiæ: & insuper præceptum illius virtutis secundùm id, quod expressè, & formaliter dicit, potest præscribere prædictam regulam & mensuram, non solùm de materiali, sed etiã de formali consideratam. Cæterùm non est contra rationem alterius virtutis præcipere de materiali actum, qui in *esse* rei, & de materiali, & modo explicato habeat rationem mẽsuræ respectu v.g. propriæ excellentiæ, & taliter, vt hoc præceptum se habeat per modum conditionis ad hoc, vt obliget præceptũ alterius virtutis negatiuum, scilicet non appetendi propriam excellentiam absque debita mensura, ac proinde ad hoc, vt appetitio propriæ excellentiæ absque hac mensura sit materia comprehensa, & vetita à prædicto præcepto negatiuo. Maximè, quia (vt in solutione ad tertiam probationem dicemus) non præcipit illam mẽsuram, vt applicatam huic materiæ, sed solùm opere, & præcepto ipso quoad id, quod de materiali affert, intimat, quænam sit mensura seruanda in dilectione propriæ excellentiæ. Respõdetur ad secũdam probationẽ

136 Ad tertiam autem probationem neganda est sequela. Quia (vt ex dictis constat) quando omittitur regula & mensura alicuius materiæ, & elicitur actus circa materiam illam absque debita regula & mensura, tunc ille actus absque prædicta regula pertinet ad speciem materiæ, circa quam versatur, vt de celebrante Missam absque vestibus sacris dicebamus. Et ideò appetitus ille propriæ excellentiæ absque debita mensura spectabit ad illam speciem vitij, ad quam pertinet propria sui excellentia, nempe ad superbiã: & ille actus opponetur formaliter humilitati, quamuis ibidem admisceatur aliqua oppositio cum charitate, modo dicto præscribente mensuram. Et ideò charitas adhuc modo dicto non præscribit illam mensuram, vt mensurantem propriam materiam, sed vt modo explicato est mensura materiæ alterius virtutis, & vitij eidem virtuti oppositi. Ad tertiam prior solutio.

Ad id autem, quod in eadem probatione additur, patet ex dictis, negandum esse, quòd hoc ipso, quòd per charitatem præcipiatur ordinatio illa in Deum, seu amor Dei super omnia, dictetur ab eadem charitate totum hoc coniunctũ, scilicet, ne appetatur aliquod bonum in eodem instanti sine prædicto amore charitatis, vt circunstantia, & modo illius appetitionis, ac proinde dictetur etiam totum hoc coniunctum, nempe, quòd non appetatur propria excellentia sine actu charitatis, vt mensura. Quoniã charitas præcisè præcipit actũ amoris super omnia, & illũ præcipiendo, quasi intimat, & præfigit, quænam sit mensura pro-

ra propriæ excellentiæ, & quomodo hæc de beat dicere ordinationem ad Deum conſiſtentem in ipſo actu charitatis. Vnde, ſi alicui homini adulto præciperet Deus, vt in hoc inſtanti eliceret ordinationem illam omnium ſuorum in Deum, conſiſtentem in dilectione eiuſdem Dei ſuper omnia, tunc, ſi non eliceret prædictum actum, recitaret tamen in eodem inſtanti diuinum officium, cuius recitatio eſt incõpoſsibilis cum actu illo interno charitatis, peccaret peccato omiſsionis contra charitatem, non tamen actus ille recitandi eſſet formaliter peccatum. Cuius nulla alia aptior ratio reddi poteſt, niſi quòd à charitate non præcipitur totum hoc coniunctum, nimirum, ne recitetur tunc ſine actu dilectionis: atque adeò nec præcipitur dilectio, vt circunſtantia recitandi, ſed ſolùm ipſa dilectio, cui, & cuius omiſsioni, vt præceptæ, per accidens coniungitur recitatio. Vnde per charitatem ad ſummum præcipitur, ne tunc fiat aliquid incompoſsibile cum illo amore.

Poſterior eiuſdem enodatio.

Adde, quòd gratis permiſſo, ſed non admiſſo, dictari totum hoc à charitate, nempe non appetendam eſſe propriam excellentiã, ſicut & quamlibet aliam rẽ abſque ordinatione eiuſdem charitatis in Deum, tunc appetens propriam excellentiam appetitione oppoſita huic præcepto charitatis. peccaret contra illam, quia appeteret prędictam excellentiam abſque charitate, vt præciſè eſt ordinatio in Deum, quatenus eſt obiectum amicabile: quia peccaret eadem ſpecie peccati, ac ſi appeteret aliquod aliud bonum: quia illa prohibitio eſſet prohibitio generalis non appetendi aliquid ſine ordinatione charitatis ideoque non appeteret propriam excellentiam quia talem, ſed ſub alia ratione: nec peccaret, quia appeteret propriam excellentiam ſine ordinatione charitatis, adhuc vt de materiali dicit menſuram propriæ excellentiæ; ſed ratio hæc per accidens ſe haberet, vt ibidem delinquitur directè contra charitatem. Et ita relinqueretur locus ad hoc, vt tunc appetens propriam excellentiam, vt talem, delinqueret contra humilitatem, quæ hoc ipſo, quòd ſupponatur per modum conditionis præceptum charitatis prefigens de materiali menſuram charitatis, vt ſpecificatiuè habet rationem menſuræ, dictat per ſuum præceptum negatiuum, ne appetatur prædicta excellentia abſque hac menſura, vt habet rationem menſuræ.

Ad quartã, 137 Ad quartam probationem reſpõdetur, cõcedendo antecedẽs, & negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt. Quoniam ad eliciendum formaliter actum alicuius virtutis, non ſatis eſt attingere materiam propriam illius virtutis ſeruata menſura, & mediocritate materiæ eiuſdem, ſed inſuper deſideratur, quòd attingãtur iſta formaliter, ſiue ſub motiuo, & ratione formali proprijs illius virtutis: licèt hoc nõ requiratur ad ſeruandũ præceptum, quòd precisè præſcribit materiã alicuius virtutis, & ponit actum in materia eiuſdem virtutis, ita vt quantum eſt ex parte illius præcepti affirmatiui nihil deſit ad hoc, vt operans operetur propter motiuum, & rationem formalem, intra cuius materiã actus præceptus ponitur. Cæterùm, quia minùs requiritur ad malum, quàm ad bonum, & ad volitionem illius, quàm iſtius: idcircò in alijs vitijs non eſt neceſſe, vt per ſe intendatur oppoſitio ad virtutem, ſed ſatis eſt, quòd reipſa nõ ſeruetur mediocritas ab illa petita. At (vt dubio 1. diximus, & infrà etiam dicemus) in ſuperbia hoc eſt peculiare, vt in ea formaliter ſumpta intendatur oppoſitio ad humilitatem, & hæc ab Angelo intenta eſt, hoc ipſo quòd appetijt propriam excellentiam ſuæ beatitudinis naturalis abſque debita menſura & regula, quia ibidem per ſe voluit abiectionem ſubiectionis ad Deum, vt dictum eſt.

Ad vltimã.

Ad vltimam probationem patet ex dictis, negandum eſſe antecedens. Quia præceptum charitatis non præſcribit, niſi tantùm menſuram propriæ excellentiæ in *eſſe* rei conſideratam, ideſt, quòd eliciatur actus charitatis ab eadem charitate, qui hoc modo ſit menſura propriæ excellentiæ: ita vt per hoc præceptum opere, & reipſa intimetur, quænam ſit menſura propriæ excellentiæ tunc ſeruanda, non tamen præcipit menſuram hanc, vt actu applicatam materiæ propriæ excellentiæ, vt modum, & circunſtantiam illius: ac proinde nec charitas præcipit illam menſuram ſuæ ordinationis ſub motiuo humilitatis: quamuis ſeruata prædicta menſura in appetitu propriæ excellentiæ, eo ipſo non delinquatur contra humilitatem, & ea non ſeruata, delinquatur contra eam. Vnde (vt ſæpe diximus) præceptum charitatis concurrit per modum cõditionis ad hoc, vt appetitio propriæ excellentiæ abſque debita illa menſura ſit materia, ad quam prædictum præceptum negatiuum non ſuperbiendi extendatur: ac proinde præceptum charitatis quodammodò, ideſt, per modum cõditionis integrat materiam præcepti negatiui humilitatis.

Ad confirmationem.

138 Ad confirmationem vero reſpondetur, in eo inſtanti, in quo vrgebat reſpectu Angeli præceptum charitatis ſecundùm omnia, quæ indiſpenſabiliter affert, non potuiſſe exercere actum humilitatis formaliter talem, per quem ſe, & ſuam illam excellentiam ſimpliciter, & ea ratione, qua debebatur, ſubderet, & ſubijceret Deo authori ſupernaturali, niſi ſimul eliceret actum charitatis: & hoc ipſo, quòd hunc non eliceret, eo ipſo conuincebatur non ſubijcere ſe,

& excellentiam suæ beatitudinis naturalis simpliciter,& eo modo,quo tenebatur, prædicto fini.

Et ratio est. Nam sicut dū taxatur à Principe venditio tritici sub determinato pretio v.g. quatuordecim drachmis, tunc si maiori pretio vendebatur, eo ipso peccabatur contra præceptum negatiuum vendendi merces vltra debitum pretium & mensuram: cùm verò iam taxatio Principis extensa est vsque ad decem, & octo drachmas, non delinquitur contra prædictum præceptum, ex eo quòd vendatur triticū vltra quatuordecim drachmas: ita dum vrget per modum mensuræ & regulæ omninò necessariæ in appetitione propriæ excellentiæ determinata aliqua mensura,eaque strictior,vtpotè magis cohibens,& reprimens apppetitum propriæ excellentiæ, nempe mensura conuersionis in Deum per actum charitatis, qualiter in primo illo instāti,suppositò præcepto charitatis, vrgebat, tunc delinquitur contra præceptum negatiuum non appetendi propriam excellentiam vltra debitam mensuram,si appetatur absque prædicta conuersione charitatis. Cùm verò non vrget, nec præcipitur mensura ista adeò stricta,tunc non delinquitur contra præceptum negatiuum non appetēdi propriam excellentiam vltra debitam mensuram,etiamsi appetatur absque conuersione,& ordinatione in Deum,quæ fit per actum charitatis.

§. VIII. *Ratio tertia assertionis, & confirmatio illius.*

139 TErtia,& principalis ratio assertionis insinuatur à D. Thoma 2.2.quæst.163.art.1.& 1.2. q.89. Vt autem hæc clarius tradatur, animaduertendum est, primum Angeli peccatum debuisse esse circa finem,non verò circa media. Tum, quia sicut primum, quod se illi offert,est suus finis in particulari,nō verò media: ita primum,circa quod benè, vel malè moraliter se gessit in illo primo instāti suæ plenæ libertatis,in quo proinde peccare potuit,debuit esse finis,non verò media. Vnde S. Thomas loco nuper citato ex 2.2. inquit propter hanc rationem primum primi hominis peccatum debuisse esse circa finem, & non circa media, his verbis: *Ille motus habet rationē primi peccati, in quo prius inordinatio inuenitur. Manifestum est autem, quòd primò inuenitur inordinatio in motu interiori animæ, quàm in actu exteriori corporis. Inter motus autem interiores prius mouetur appetitus in finem, quàm in id, quod quæritur propter finem: & ideò ibi fuit primū peccatum hominis, vbi potuit esse primus appetitus inordinati finis.*

Animaduersio pro tertia ratione fundamentali. *D. Thom.*

Tum etiam. Quia Angelica voluntas, secundùm quòd in illo instanti respiciebat finem vltimum in particulari sumptum,vel habuit debitam rectitudinem circa illum, vel non? Si primum,consequēs erit, vt etiam debitè se habuerit circa media, atque adeò nulla ratione peccauerit: siquidem volūtas rectificata circa finem vltimum in particulari,& perconsequens efficaciter volens illum, nequit in illo instanti non versari rectè circa media. Et ita,si volitio horum tunc vrgeat, debet in eodem instanti efficaciter, & ordinato modo circa illa versari. Si autem secundum asseratur: ergo cùm priùs versetur circa prædictum finem,quàm circa media,oportebit, vt primò careat debita rectitudine circa illum: atque adeò quòd primū eius peccatum circa prædictum finem debeat esse.

Tum deinde. Quia sicut in speculabilibus priùs habemus assensum circa principia,quā circa conclusiones, & ratione illorum assentimur istis:& propterea omnis defectus circa assensum conclusionum refunditur in defectum,qui priùs fuerit circa principia: ita etiā in practicis volumus media ratione ipsius finis priùs voliti. Et ita non contingit, quòd in aliquo instāti sit defectus circa media,quin præcesserit præcedentia naturæ aliquis defectus circa finem. Imò si illud instans fuerit tale,vt in illo vrgeat deliberare circa finem vltimum in particulari,& modo debito præfigere sibi illum, tunc nequibit esse defectus circa media, quin præcesserit defectus circa finem,non qualitercūque, ideſt,quatenus influit in malam electionem, sed quatenus non præfigitur debitus finis, aut quatenus prædictus finis non præfigitur modo debito,vt dubio 3. huius disputationis tetigimus.

140 Hinc ergo sequens deducitur ratio ex Angelico Præceptore deprompta. Quoniam obiectum excellens, circa quod Angelus primò peccauit, debuit esse vltimus finis eiusdem Angeli,vtex præcedenti animaduersione patet: ergo cùm beatitudo naturalis ipsius habeat rationem vltimi finis respectu illius,debuit Angelus,hoc ipso quòd peccauerit,habere pro obiecto sui primi peccati prædictam beatitudinem,& eius excellentiam: ergo ea dumtaxat ratione primò circa illam,& eius excellentiam superbè deliquit, quia appetijt ipsam,& excellentiam ipsius non seruato modo & mensura à Deo taxata, & consistente in ordinatione, & subiectione ipsius ad Deum, vt finem supernaturalem: quia eo ipso primò deliquit circa illam appetitu superbiæ, qui nihil est aliud, quā inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.

Ex prædicta animaduersione conficitur ratio pro conclusione.

Confirmatur ratione tacta ab eodem S. Doctore. Nam hoc ipso,quòd primum peccatum Angeli debuerit esse circa vltimum finem ipsius in particulari sumptum,debuit vtique,hoc ipso quòd superbè peccauerit, primò delinquere in sua superbia circa beatitudinē naturalē, vel supernaturalem, vel circa vtram-

Cōfirmatio

vtrumque simul, appetendo nimirum inordinato modo excellentiam alicuius ex illis, vel vtriusque simul, vt ex se constat: ergo saltem obiectum excellens, circa quod primò superbè deliquit, fuit sua beatitudo naturalis, appetendo illam modo inordinato iam dicto.

141 Patet consequentia. Tum, quia (vt nuper dicebamus) proprium est superborum magis affici ad bona propria, & ipsis connaturalia, quàm ad alia bona. Et propterea superbi vocãtur 2. Petri c. 2. n. 10. *Sibi placentes*; quia proprium est eorum circa propria bona, ac proinde circa se ipsos gloriari, in hocque magis propendunt. Constat autem, beatitudinem naturalem Angeli connumerari inter bona propria ipsius.

2. Petri c. 2.

Tum etiam. Quia Angelus habet maiorem propensionem in suam beatitudinem naturalem, & excellentiam eius, quàm in beatitudinem supernaturalem: imò in hanc non propendit naturaliter: ergo hoc ipso, quòd in primo peccato suæ superbiæ debuerit delinquere circa obiectum excellens, quod sit beatitudo & finis vltimus illius, consequens est, vt primò deliquerit circa beatitudinem naturalem, & excellentiam eius, non appetendo eam modo debito iam explicato. Nam sicut proprium est superborum affici ad propria bona excellentia, in illisque gloriari: ita est proprium eorum gloriari in illis bonis excellentibus, inque valdè propendũt.

Tum denique. Quia facta collatione inter beatitudinem naturalem, & supernaturalem, tunc reperietur, quòd Angelo in illo instanti viæ, in quo peccare potuit, fuit euidenter nota sua beatitudo naturalis, secùs verò supernaturalis: ergo hoc ipso, quòd eius primũ peccatum consistens in affectu superbiæ debuerit esse circa suam beatitudinem, oportuit, vt saltem sit primo circa beatitudinem naturalem, & eius excellentiam. Nam quemadmodum est proprium superborum maximè affici ad propria, & excellentia bona, & inter hæc ad ea, ad quę magis propendunt: sic etiam proprium est illorum affici, & gloriari in istis potiori ratione, quando sunt illis euidenter nota: quia eo ipso inde sumunt maiorem occasionem gloriandi se vanè in illis.

Obiectio cõtra rationẽ factam,

142 Nec refert si contra rationem hanc obijcias, ex ea potius sequi, obiectum excellens, circa quòd Angelus primò superbijt, fuisse beatitudinem supernaturalem: siquidem ista est finis omninò vltimus Angeli, & beatitudo naturalis cum hac supernaturali collata, habet rationem cuiusdam medij ad eam ordinati: ergo, &c.

Solutio.

Respondetur, negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, beatitudinem naturalem non ordinari per se, & ex natura sua ad beatitudinem supernaturalem, licèt per accidens, siue suppositа elevatione Angeli in finem supernaturalem per dona gratiæ ordinetur in illam: & ideò nõ oportuit, quòd obiectum excellens, circa quod Angelus primò peccauit, fuerit vltimus finis supernaturalis, bene tamen vltimus finis naturalis, nempe sua naturalis beatitudo, quæ per se, & ex natura rei debebat esse vltimus finis per se petitus ab Angelo. Quamuis cum hoc stet, Angelum non deliquisse circa hunc naturalem finem, tanquam circa obiectum expressè volitum, nisi quia voluit illum implicitè sine debita mensura supernaturali. Cæterùm in præsenti non inquisiuimus, nisi de obiecto excellenti expressè, & formaliter volito, circa quod Angelus superbijt.

Obiectio cõtra confirmationem rationis.

143 Deinde nihil etiam obest, si contra confirmationem prædictæ secundæ rationis (quatenus in ea intulimus, obiectum excellens, circa quod Angelus primò superbijt, fuisse suam beatitudinem naturalem: quia nimirum proprium est superborum magis affici ad bona propria, & ipsis connaturalia, quàm ad alia bona) sic obijcias, quòd potiùs proprium est superborum, & præcipuè eorum, qui valdè superbiunt, affici ad bona omnium excellentissima, vbicumque illa sint: quia ex his maior occasio arripitur ab illis ad magis superbiendum, & tumescendum: ergo, &c.

Responsio.

Respondetur, negando antecedens, saltem quando bona propria, eaque valdè excellentissima sunt superbo euidenter nota, & est naturaliter inclinatus & determinatus ad dilectionem eorũ, ac tandẽ quãdo ex vi modi apprehendẽdi, & appetẽdi illa appetũtur per modum bonorũ inter omnia excellẽtissimorum, ex eo quòd apprehenduntur, & appetuntur per modum finis omninò vltimi: quia tunc cõuenit superbus in suis proprijs bonis excellentiam, quę in alijs bonis superioribus secundùm se sumptis reperitur: & insuper arripit maiorem occasionem tumescendi, ex eo quòd bona illa excellentia sic apprehensa, & appetita sunt bona ipsius superbi, & per hoc eius excellentia magis augetur. Quare, cũ beatitudo naturalis Luciferi fuerit illi in illo instanti euidenter nota, non verò beatitudo supernaturalis, habueritque inclinationẽ naturalem, & determinationem ad illam, non verò ad istam; & deinde ex vi modi apprehendendi ipsam, apprehensa sit per modum finis omninò vltimi, & eodem modo ex vi modi appetendi appetita fuerit, ex eo quòd fuit volita absque ordinatione debita in vlteriorem finem, & apprehensa absque debita apprehensione practica prędictæ ordinationis: ac tandem prędicta beatitudo, & eius excellentia sit propria Angeli, & ei debita: idcircò beatitudo ista naturalis sic volita ab Angelo, meritò, & potissimè reputatur

inter

inter illa bona, ad quæ magis affici est proprium superborum.

§. IX. *Vltima ratio assertionis, & confirmatio illius.*

Vltima ratio veræ sententiæ. *D. Thom.*

144 VLtima tandem ratio (per quam duæ præcedentes explicantur, & confirmantur) ex parte innuitur ab eodem Angelico Doctore 1.2.q.89. & ex parte locis citatis ex 3. contra Gentes, & ex quæstione ista, potestque sub hac forma proponi. Quoniam Angeli in primo instanti suæ plenæ libertatis habuerunt præceptum conuertendi se ad Deum obiectum beatificum, & finem supernaturalem, ac proinde referendi se, & suam beatitudinem naturalem in prædictũ finem: at Lucifer, & eius sequaces præceptum hoc violauerunt in prædicto instanti, vt ex se constat: ergo superbè deliquerunt circa appetitum suæ beatitudinis, & excellentię naturalis, appetendo illam vltra debitam mensuram: & per consequens obiectum excellens, circa quod Angelus in suo primo peccato superbiuit, fuit prædicta beatitudo naturalis appetita sine subiectione & ordinatione ad Deum authorem supernaturalem.

Obiectio contra rationem.

Suadetur maior primò.

145 Maior suadetur. Tum ex eo, quòd illud instans, in quo Lucifer, & eius sequaces peccauerunt, erat primum instans plenæ libertatis Angelorum: quia in instanti, quod præcesserat, in quo à Deo conditi sunt, non potuerunt peccare, vt ex dicendis art. 5. huius quæstionis patebit: & ideò in illo instanti, in quo fuerunt creati, non habuerunt plenam libertatem, tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem actus, secùs verò in hoc secundo instanti: & ita instans istud fuit primum plenæ libertatis eorundem. At creatura intellectualis elevata ad finem supernaturalem, & illum cognoscens, vt in Angelo contingit, tenetur in primo instanti suæ plenæ libertatis conuerti ad Deum, vt est finis supernaturalis, & referre & subijcere illi se, & omnia sua, & per consequens suam beatitudinem naturalem, vt constabit ex illis, quæ 1.2. quæst. 89. artic. 6. dicemus. Et propterea Angelicus Præceptor ibidem in corpore articuli, & in solutione ad vltimum docet, hominem in primo instanti vsus rationis teneri ad conuersionem in Deum, & huius rationem reddit his verbis: *Dicendum, quòd ab alijs peccatis mortalibus potest puer incipiens habere vsum rationis per aliquod tempus abstinere: sed à peccato omissionis prædictæ* (nempe conuersionis in Deum, de qua ibi loquitur) *non liberatur, nisi, quàm citò potest, se conuertat ad Deum. Primum enim, quod occurrit homini discretionem habenti est, quòd de se ipso cogitet, ad quem alia ordinet sicut ad finẽ: finis enim est prior in intentione. Et ideo hoc est tempus, pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmatiuo, quo Dominus dicit: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, Zacharia 1.*

Ang. Præceptor.

Secundo.

Tum etiam. Quia illud idem primum instans plenæ libertatis, non solùm fuit primum prædictæ libertatis, sed etiam fuit vltimum viæ, vt ex infrà dicendis disput. 12. num. 72. patebit: at Angelus sicut tenetur in primo instanti plenè vsus suæ rationis, & libertatis conuerti ad Deum finem supernaturalem, sic etiam in vltimo instanti viæ ad id obligatur: quia hinc, vt ex prima, & vltima radice plenè libera pendet sui, & suorum omnium in perpetuas æternitates ordinatio ad Deum, tanquam ad finem supernaturalem: non enim ad hoc erat satis actus conuersionis, quem elicuit in primo instanti suę creationis, quippequi (vt articulo 5. dicemus) Deo, vt agenti particulari, & peculiari ratione ad illum applicanti, tribuitur: & ideò per hunc actum in primo instanti exercitum potiùs mouetur, quàm se omninò moueat, & conuertat in Deum.

Probatur prima ratio nis consequentia.

146 Minor autem primi syllogismi huius rationis non indiget probatione. Primæ verò consequentia, ex qua secunda pendet, ex vtraque præmissa videtur patere. Quoniam hoc præceptum conuersionis, & ordinationis in Deum authorem supernaturalem, licèt per se primò, & directè præcipiat prædictam ordinationem, vt est actus charitatis, & dilectionis Dei authoris supernaturalis; attamen consequenter, secundariò, & indirectè apponit modum & mensuram necessariò seruandam in illo instanti in appetitu beatitudinis naturalis, & excellentiæ eius, nempe, modum subordinationis, & subiectionis illius ad Deum obiectum beatificum, & finem supernaturalem, ac proinde ad superiorem & excellentiorem aliam beatitudinem consistentem in visione clara, & intuitiua Dei. Nam sicut creatura intellectualis appetens sine prædicta ordinatione, & subiectione, siue ea reiecta, *esse* beatificum per beatitudinem naturalem, appetit (saltem ex vi modi appetendi) maiorem excellentiam quàm sibi conueniat, aut conuenire possit: ex eo quòd hic modus beatitudinis, & excellentiæ consistens in hoc, quòd sit beata absque ordinatione, & subiectione ad alium, vt ad obiectum beatificum, ac proinde absque subiectione ad aliam superiorem & excellentiorem beatitudinem, soli Deo potest conuenire: ita præceptum dictans in primo instanti conuersionem, & subiectionem appetitus beatitudinis naturalis, & excellentiæ eius in ordine ad Deum authorem supernaturalem, & beatificum, præscribit (saltem ex consequenti,

quenti, & indirectè) modum & mensuram in appetitu excellentiæ prædictæ beatitudinis naturalis: qua mensura seruata, appetens excellentiam illã non appetit (adhuc ex vi modi appetendi) excellentiorem modum beatitudinis, aut maiorem excellentiam in illa, quàm sit ea, quæ creaturæ intellectuali conuenire potest. Ergo hoc ipso, quòd Angelus in illo instanti appetijt excellentiam suæ beatitudinis naturalis absque prædicta subordinatione & subiectione, atque adeò absque debita mensura, deliquit superbè in tali appetitu.

147 Patet hæc consequentia. Tum quia iuxta D. Thomam 2. 2. quæst. 162. artic. 2. superbia in hoc consistit: & ideò Paulus, vt hoc vitium procul ab eo esse ostenderet, inquit. 2. ad Corinthios 10. *Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus.* Tum etiam. Quia materia, & obiectum talis appetitus erat materia propriæ celsitudinis & excellentiæ: & in appetitu illius non seruata est debita mediocritas: ac proinde eo ipso fuit ibi inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, in quo superbia consistit. Non secùs (proportione tamen seruata) ac dũ materia, circa quam actus versatur, est cibus, vel potus, tũc, si detur præceptum, siue per se primò, siue secundariò, & indirectè apponens mensuram tantam, vel tantam in vsu prædictę materiæ, mensura illa non seruetur, committitur peccatum intemperantiæ circa cibum, vel potum: quia est ibidem vsus cibi, & potus vltra debitam mensuram, & vsus iste est propria materia temperantiæ, vel intemperantiæ circa illum.

2. *Corinthior.* 10.

Secunda verò consequentia eiusdem primi syllogismi ex hac priori videtur satis constare. Nam supposito prędicto præcepto, sicut primum quod Angelus omninò deliberatè fecit, fuit vel dilectio sui, & excellentię suæ beatitudinis naturalis cum prædicta ordinatione, vel dilectio eiusdem excellentiæ absque tali ordinatione debita: ita, si semel dilexit prędictam excellentiam absque ista ordinatione & mensura, tunc excellentia hęc suæ beatitudinis naturalis fuit primum obiectum excellens, quod inordinatè, atque adeò superbè dilexit. Sed hæc ampliùs infrà a nu. 154. vsque ad num. 160. & ex dicendis dubio 7. elucidantur.

Suadetur secunda consequentia primi syllogismi.

148 Confirmatur, & explicatur ratione insinuata à D. Thoma locis relatis, quæ potest ad hanc formam redigi. Quoniã hoc ipso, quòd Angelus dilexerit propriam celsitudinem prouenientem sibi ex sua beatitudine naturali, non ordinando & subijciendo illam Deo, vt authori supernaturali, appetijt longè maiorem excellentiam, quàm sibi conueniebat: & insuper per se voluit quodammodò non seruare regulam & mensuram sibi à Deo prefixam in appetitu prædictæ excellentiæ, sed potiùs eam regulam abijcere & contemnere: ac tandem per se voluit quodammodò non subijci Deo. Ergo eo ipso in appetitu prædictæ beatitudinis superbè deliquit. Et per consequens, cùm hoc obiectum excellens habeat conditiones in rationibus præcedentibus dictas, consequens est, illud non vtcumque fuisse obiectum superbiæ Angelicæ, sed primum, circa quod superbijt.

Confirmatur, & explicatur.

Hæc secunda consequentia ex priori satis liquet. Prior verò ex antecedenti. Quoniam proprium est superbi appetere propriam celsitudinem vltra mensuram à Deo præfixam, vt ex dictis constat, & in illo appetitu per se velle non subijci Deo, & eius regulæ, sed potiùs ab eo, & ipsius regula auerti, eamque à se abijcere & contemnere, vt docuit Angelicus Præceptor 2. 2. quæst. 162. artic. 6. cuius verba suprà dubio 1. huius disputationis num. 12. retulimus.

Antecedens autem quoad primam partem, nempe, quòd in prædicto euentu Angelus dilexit longè maiorem celsitudinem, quàm sibi conueniebat, patet ex nuper dictis. Quia appetendo propriam excellentiam suæ beatitudinis naturalis, tanquam propriam, & sibi debitam (vt reuerà sibi debebatur) ita quidem, vt simul appeteret eandem non ordinando & subijciendo ipsam (vt debebat) alteri, vt auctori supernaturali, nempe Deo, & per consequens alteri excellentiori beatitudini: voluit (saltem ex parte modi volendi) tanquam quid sibi debitum habere quodammodò excellentiam propriam Dei: quandoquidem ipsi soli conueniebat sic esse beatum, & habere hanc excellentiam in beatitudine sibi connaturali.

Suadetur antecedens quoad primã partem.

149 Et deinde (id, quod ex præcedenti deducitur) etiam appetijt quodammodò, saltem radicaliter, quòd sua beatitudo naturalis, & ipsemet esset vltimus finis cuiusuis alterius excellentiæ, quam posset habere, hocque esset sibi debitum. Quoniam excellentia propriæ beatitudinis naturalis appetita ex parte modi volendi per modum excellentiæ non subordinatæ nec subiectæ alteri superiori excellentiæ, & fini vltimo formali, & *quo*, appetitur ex vi eiusdem modi appetendi, saltem radicaliter, per modum excellentiæ omnium supremæ, & per modum finis omninò vltimi formalis, & *quo*, cui omnes aliæ excellentiæ, & fines subijciuntur, & (vt sic dicamus) caput inclinant. Et per consequens Angelus, cuius est propria illa beatitudo & excellentia, cuique est debita, diligitur ex vi eiusdem modi volendi tanquam

finis

finis vltimus cuiusuis alterius excellentiæ, quam potest habere, & non vtcumque, sed ita vt sic diligatur tanquam quid huic dilectione ex se dignum, cuique hic modus dilectionis debeatur.

Neque hic quieuit Angelus, sed insuper (quodque ex præcedenti etiam sequitur) adeò in se, & in sua beatitudine naturali sic ex parte modi volendi dilecta complacuit, vt saltem radicaliter voluerit ex parte eiusdem modi volendi, quòd beatitudo supernaturalis, cuius erat capax, subijceretur & subderetur suæ beatitudini naturali, vt excellentiori, ipsaque beatitudo naturalis, & excellentia illius esset vltimus finis formalis, & *quo* beatitudinis supernaturalis: ac proinde radicaliter saltem, arrogauit sibi, & suæ beatitudini naturali excellentiam, quæ est propria beatitudinis supernaturalis: hocque sibi ex parte modi volendi adscripsit, tanquam quid debitum, sicut & excellentia propriæ beatitudinis naturalis erat sibi debita.

150 Et præterea inter alia quodammodò voluit ex parte eiusdem modi volendi, saltem radicaliter, quòd à se in alios Angelos, & creaturas intellectuales deriuaretur aliquo modo propria beatitudo, ipseque esset regula eorundem, & illis præesset, & non vtcumque, sed ita vt omnia ista essent sibi debita. Nam hoc ipso, quòd ex parte modi voluerit suam beatitudinem naturalem, & excellentiam eius sibi propriam, & debitam per modum excellentiæ non subditæ nec subordinatæ alteri superiori excellentiæ, alterique excellenti supernaturali, voluit quodammodò ex parte eiusdem modi volendi illam, & seipsum vt supremum & primum excellens, & vt vltimum finem aliarum excellentiarum: ac proinde voluit etiam quodammodò se ipsum tanquam excellens talis conditionis, vt ab eo aliæ excellentiæ creatæ quodammodò deriuarentur, voluitque se ipsum, vt primam quodammodò regulam aliarum excellentiarum, & cæterarum excellentium, atque adeò illis præesse, vt D. Thomas 3. contra Gentes c. 109. deduxit. Et ita postquam dixit, Angelum superbè deliquisse, *Ex hoc, quòd proprium bonum, & perfectionem in vltimum finem non ordinauit, sed inhæsit proprio bono, vt fini*: statim addidit: *Et quia ex fine necesse est, vt regulæ actionis sumantur: necesse est, vt ex seipso, in quo finem constituit, alia regulariter disponeret, & vt eius voluntas ab alio superiori non regularetur: hoc autem soli Deo debetur. Et secundùm hoc intelligendum est, quòd appetijt Dei æqualitatem, non quidem vt bonum suum esset diuino bono æquale: hoc enim in intellectu eius cadere non poterat, & hoc appetendo appeteret se non esse: cùm distinctio specierum secundùm diuersos gradus rerum proueniat, vt ex suprà dictis apparet: velle autem alios regulare, & voluntatem suam à superiori non regulari, est velle præesse, & quodammodò non subijci, quod est peccatum superbiæ.*

D. Thom.

Et tandem inter alia voluit, saltem radicaliter ex parte eiusdem modi volendi, beatitudinem supernaturalem, vt consequendam proprijs viribus. Quoniam ex parte modi volendi voluit illam, tanquam complementum ordinatum ad suam beatitudinem naturalem, vt ad finem vltimum. Constat autem, complementum ordinatum ad finem consequendum proprijs viribus, & appetitum, quatenus sic consequendum, appeti saltem ex parte eiusdem modi volendi, vt adipiscendum etiam ex proprijs viribus. Per quæ omnia satis liquidò patet id, quod in prima parte antecedentis continetur, nempe, Angelum appetendo suam beatitudinem naturalem absque conuersione & subiectione ad Deum finem supernaturalem, appetijsse longè maiorem excellentiam, quàm sibi conueniebat, imò & conuenire poterat.

151 Secunda verò eiusdem antecedentis pars, nimirum, Angelum per se voluisse quodammodò non seruare regulam & mensuram sibi à Deo præfixam in appetitu propriæ excellentiæ beatitudinis naturalis, imò & per se quodammodò voluisse eam abijcere & contemnere, à Deoque, & eius regula auerti, probatur: tum ex dictis dubio 1. huius disputationis numero 12. Tum etiam sequenti probatione, quæ nihil est aliud quàm maior quædam explicatio probationis ibidem adductæ. Quia Angelus appetendo inordinatè, & vltra debitam mensuram prædictam excellentiam, non deliquit ex eo, quòd fuerint ab illo formaliter, & expressè ex parte rei volitæ appetita abiectio diuinæ regulæ, auersioque à Deo, & eius regula, & contemptus eiusdem: & per consequens nec deliquit ex eo, quòd omnia illa, quæ in prima parte antecedentis retulimus, fuerint ab illo ex parte rei volitæ, expressè, & formaliter appetita, vt dubio citato huius disput. asseruimus, sed solùm ex parte modi volendi, implicitè saltem, & virtualiter, quatenus appetijt propriam excellentiam, & celsitudinem suæ beatitudinis naturalis non seruata subiectione ad regulam & mensuram, quam seruare debebat, scilicet, non ordinando illam in finem supernaturalem, nec subijciendo ipsam Deo authori supernaturali: nam eo ipso ex parte modi volendi voluit, saltem implicitè, & virtualiter, non seruare prædictam regulam, sed eam à se abijcere, ab eaque, & à Deo illam tradente auerti, & ipsam, & Deum

Suadetur antecedens cõsi mationis quoad secũdã partem.

& Deum contemnere. At hæc non ſunt volita ab Angelo ex parte modi volendi per accidens, & præter intentionem, ſiue per aliud, & ex conſequenti, ad eum ſanè modum, quo in alijs peccatis v.g. furti, eſt volita auerſio à Deo, & contemptus diuinæ legis, ex eo ſcilicet quòd eſt volitum per modum obiecti expreſsè, & formaliter voliti aliquod bonum apparens talis conditionis, vt nequeat componi cum ipſo, & volitione eius ſubiectio ad diuinam legem tunc vrgentem.

152 Et ratio eſt. Quia cùm obiectum ex parte rei volitæ expreſsè, & formaliter ab Angelo appetitum, fuerit ſua beatitudo naturalis, ex ſe (adhuc poſito illo præcepto) bona, & honeſta, qua proinde liberè volita, non idcircò cum ea & volitione ipſius erat incõpoſsibilis ſubiectio ad diuinam regulam; ſed potiùs adhuc tali volitione tam ſecundùm ſpeciem, quàm ſecundùm numerum data, poſſet cum ea componi prædicta ſubiectio: conſequens eſt, vt abiectio prædictæ regulæ, & cõtemptus illius ibidem ex parte modi volendi inuentus, non fuerit (adhuc ex parte ipſius modi volendi) volitus per accidens ad volitionem alicuius boni apparentis incompoſsibilis cum ſubiectione ad legẽ, & eo modo, quo in alijs peccatis contingit; ſed debuerit eſſe ex parte modi volendi quodammodò per ſe volitus: quandoquidem, quicquid ſiue ex parte rei volitæ, ſiue ex parte modi volendi eſt quodammodò volitum, debet etiam quodammodò eſſe volitum aut per accidẽs, ſiue per aliud, aut tandem per ſe.

§ X. *Obiectio duplex contra hanc poſteriorem rationem, & eius confirmationem, & reſponſio ad vtramque.*

Prima obiectio contra rationẽ factam.

153 NEc obeſt, ſi contra rationem hanc obijcias, totam illã innitiin hoc, quòd tunc vrgebat reſpectu Angeli præceptum conuerſionis per charitatem tanquam menſuram, vltra quam non erat tũc appetenda propria excellentia beatitudinis naturalis: hoc autem eſt falſum: ergo, &c. Minor probatur. Nam cùm Angelus in primo inſtanti ordinauerit ſuam excellentiam beatitudinis naturalis per actum charitatis in Deum, non eſt cur in ſequenti inſtanti vrgeat Angelum prædicta ordinatio, ſiue ſecundùm ſe, ſiue tanquam menſura propriæ excellentiæ: ſiquidem in ſecundo inſtanti, ſaltem virtualiter, perſiſtebat precedens illa ordinatio,

Solutio.

Nec ſatis erit, ſi dicas, in primo inſtanti non fuiſſe ordinatam illam excellentiam per actum charitatis perfectè liberum, ideſt, tam quoad exercitium, quàm quoad ſpecificationem, vt articulo 5. dicetur: & ideò in ſecũdo inſtanti vrgere præceptum huius ordinationis perfectè liberæ.

Contra inſurgitur.

Nam contra hoc eſt, quòd libertas non creſcit in perfectione, quia ſit libertas quoad ſpecificationem reſpectu boni, & mali, ſedſolùm quia ſit libertas quoad ſpecificationem reſpectu diuerſorum bonorum ſpecie diſtinctorum: & propterea, licèt prior illa libertas quoad ſpecificationem non reperiatur in Deo, aut in Chriſto Domino, non propterea deeſt ibidem aliqua perfectio libertatis. Ergo licèt Angelis defuerit in illo primo inſtanti libertas quoad ſpecificationem reſpectu boni, & mali, non tamen ideò non habuerunt ordinationem illam charitatis perfectè liberam.

Diluitur obiectio, & vindicatur ſolutio data.

154 Reſpondetur, admittendo ſolutionem datam, in hunc tamen modum explicatam. Primò quidem, quòd nomine *libertatis perfectæ* non intelligatur libertas, cui accreſcat aliquid perfectionis propriè, & formaliter ſumptæ, ex hoc quòd poteſt extendi ad malum, ſed quæ habeat maiorem aliquam vniuerſalitatem ex eo, quòd ad illud poſsit extendi. Nam hæc maior vniuerſalitas habet ſpecimen cuiuſdam maioris potentiæ, ac proinde & perfectionis, quamuis reuerà ex hoc capite nihil perfectionis dicat. Vnde propriè & in rigore loquendo, Angelus in ſecundo inſtanti habuit libertatem cum omni plenitudine, quæ ſibi conuenire poterat: & ideò in eo primo inſtanti ſuæ plenæ libertatis tenebatur ordinare ſe, & omnia ſua per ordinem charitatis.

Illuſtratur vlterius.

Deinde eadem ſolutio ſic poteſt explicari, nempe, quòd Angelus non potens in primo inſtanti velle bonum, & malum, non habuerit perfectam libertatem propriè loquendo: non quidem ex hoc præciſo capite, nempe, quia illi defuit libertas ad bonum, & malum; ſed quia carentia huius libertatis fuit in Angelo inſeparabiliter coniuncta cum carentia alterius perfectionis in prædicto inſtãti ſibi non debitæ, ſcilicet, quòd poſſet tũc, & pro tũc mouere ſeipſum circa vltimũ finem, abſque eo quòd peculiari ratione moueretur, & applicaretur à Deo tanquam ab agẽte particulari ad dilectionẽ prædicti finis. Quia (vt art. 5. dicemus) Angelus non omninò ſe ipſum mouit, aut mouere potuit tunc in prædictum finem; ſed debuit tendere in illum motus ab alio, nempe à Deo, vt à particulari agente: ideoque prædicta dilectio ipſi Deo peculiariter tribuitur. Quia ergo præceptum charitatis vrget in eo inſtanti, in quo Angelus poteſt ſe ipſum libere mouere non motus ab alio, vt à particulari agente, & motore, ſiquidem tunc ſolùm cum pleno & perfecto dominio ſui actus liberè vult: idcircò Angelum vrgebat in ſecundo inſtanti præ

dictum charitatis præceptum, licèt in primo actum charitatis non ita liberum elicuerit, & in eo eidem charitati tunc etiam vrgenti ad amandum Deum cum ea libertate, quæ tunc erat in eodem Angelo, correſponderit. Et propterea reſpectu Chriſti Domini fuit præceptum charitatis diligendi, & ordinãdi ſe, & omnia ſua in Deum, tum in primo inſtanti ſuę productionis in ratione hominis, in quo humana eius voluntas ita ſe mouebat in vltimum finem, vt indigeret peculiariter motione Dei, vt agentis particularis: tum etiam in ſecundo inſtanti, ſiue tempore immediatè ſequenti, in quo eadem voluntas humana ſe ipſam poterat mouere, abſque eo quòd moueretur a Deo peculiari hac motione.

Obiectio ſecunda contra cõfirm. rationis D. Thomæ.

155 Nec etiam obeſt, ſi obijcias contra confirmationem huius poſterioris rationis, non benè in ea inferri, Angelum appetẽtem propriam excellentiam ſuæ beatitudinis naturalis abſque debita menſura, nempe abſque prædicta conuerſione, per ſe appetijſſe abiectionem diuinæ regulæ: ex eo quòd non eſt conuerſus ad aliquod bonum apparens, & incompoſibile cum prædicta menſura, ad cuius volitionem eſſet per accidens volita abiectio talis regulæ; ſed ſolùm fuit volitum bonum verum, & ex ſe honeſtum compoſibileque cum menſura præfixa à Deo.

Nam contra hoc eſt. Tum, quòd illa abiectio diuinæ menſuræ, licèt non fuerit volita per accidens ex vi volitionis beatitudinis naturalis, potuit eſſe per accidens volita ex eo, quòd in illo inſtanti virtualiter eſt volitum experimẽtum propriæ libertatis quoad hoc, quod eſt non apponere in appetitu propriæ excellentiæ illam menſuram: hoc autem experimentum eſt bonum quoddam apparens, & incompoſibile cum ſubiectione ad diuinam regulam tunc præfixam, ad cuius proinde volitionem fuit per accidens volita abiectio eiuſdem regulæ. Tum etiam. Quia ſicut non auditio Sacri, quando obligat præceptum audiendi illud, poteſt eſſe volita per ſe ſecundùm ſuam ſubſtantiam, & nihilominùs eſſe volita per accidens, vt eſt tranſgreſſio præcepti: ita etiam illa nõ conuerſio in Deũ per charitatem potuit eſſe per ſe volita ſecũdùm ſuam ſubſtantiam, ſeu quatenus eſt præciſè carentia prædictę conuerſionis, non curando an omiſsio illa ſit tranſgreſſio diuinæ menſuræ, & deinde poterit eſſe per accidens volita, ſecundùm quòd concipitur ſub conceptu tranſgreſſionis diuinæ menſuræ, ſub quo dicit aliquam rationem quodammodò poſteriorem ſeipſa ſecundùm ſuam ſubſtantiam conſiderata.

Confirmatur.

Confirmatur. Quia cùm quis vult celebrare Miſſam abſque veſtibus ſacris, tunc volitio illa, quatenus terminatur ad celebrationem Miſſæ, quæ eſt obiectum per ſe primò volitum, habet terminari ad obiectum honeſtum; & inde præciſè nec per ſe, nec per accidens poteſt eſſe volita abiectio diuini præcepti: & nihilominùs, quia cum ea coniungitur modus repugnans diuinæ legi, idcirco ad volitionem celebrationis Miſſæ eſt per accidens volita malitia illius tranſgreſſionis: ergo eadem ratione, licèt dilectio, qua Angelus voluit propriam excellentiam ſuæ beatitudinis naturalis, non fuerit nec per ſe, nec per accidens volitio abiectionis regulæ diuinæ: attamen quia illi admiſcetur ille modus, ſiue circunſtantia non ordinationis in Deum per charitatem repugnans diuinæ menſuræ, poterit eſſe ex parte modi volendi volitio per accidens abiectionis prædictæ regulæ. Quia licèt ſecundùm ſe, & ſecundùm ſuam ſpeciem illa volitio non ſit incompoſibilis cum diuina regula: nihilominùs hic, & nunc, ac in individuo, & cum omnibus circunſtantijs conſiderata, eſt incompoſibilis cum prædicta regula.

Animadueſſio pro ſolutione obiectionis.

156 Reſpondetur, recolendo in memoriam id, quod dubio primo huius diſputationis latiùs explicuimus, ſcilicet, hoc quod eſt velle non ſubijci Deo, & eius regulæ, poſſe dupliciter eſſe per ſe volitum. Primò quidem obiectiuè, ideſt, quando expreſsè eſt volitum per modum obiecti hoc quod eſt non ſubijci Deo, & eius regulæ, aut ſaltem eſt modus obiecti ex preſsè volitus vnà cum obiecto, vt ſi quis velit aliquid cum hoc expreſſo modo non ſubiectionis. Secundò verò modaliter, quando non eſt res, aut modus expreſsè volitus, ſed eſt modus ipſius appetitionis: vt cùm quis appetens aliquod bonum, omittit modum taxatum à diuina regula: vt ſi appetens beatitudinem naturalem, appetat illam omittendo propter ſuam inconſiderationem modum ordinationis in Deum authorem ſupernaturalem præſcriptum à diuina regula: tunc enim iſta priuatio ordinationis & ſubiectionis ad legem eſt modus ipſius actus appetendi, quanuis (vt loco citato diximus) inde virtualiter, & implicitè, ac interpretatiuè deriuetur in obiectum volitum: & propterea ibidem aſſeruimus, tenere ſe principaliter ex parte actus appetendi.

Ex prædictis emendatur obiectio primo.

Hinc ergo ad obiectionem primò dicimus, Angelum non potuiſſe ſic appetere illam non ordinationem, vt in hac obiectione deſcribitur. Quia appetere ſic illam, videtur eſſe appetere, vt obiectum inhoneſtũ expreſsè volitũ: nã videtur obiectũ diſcordãs tunc expreſsè à recta ratione: quo pacto nõ potuit Angelꝰ primò delinquere, vt dub. 8. dicemꝰ.

157 Se-

Secundo

157 Secundo reſpondetur, quod ſicut adhoc, vt aliquid cenſeatur eſſe virtualiter volitum, deſideratur, quod ſit aliquod fundamentum in rebus ipſis huius prudentis iudicij: ita adhoc, vt iudicetur eſſe, non vtcumque, ſed per ſe, virtualiter, ac implicitè volitum, requiritur debitum fundamentum. In præſenti autem non adeſt ad hoc ſufficiens fundamentum, vt prudenter iudicetur, Angelum per ſe virtualiter voluiſſe carentiam illam ordinationis in Deum, vt præcisè erat exercitium liberum ſuæ libertatis, & tantum per accidens voluiſſe illam, vt eſt carentia ſubiectionis debitæ ad diuinam regulam, ſed potius res ipſæ oppoſitum præbent fundamentum.

Firmatur ratione,

Et ratio eſt. Nam cùm carentia prædictæ ordinationis fuerit per ſe volita, tanquã modus ipſius appetitionis, & appetitio ipſa fuerit appetitio per ſe obiecti excellentis, vt talis, tum quia fuit appetitio beatitudinis naturalis, vt finis vltimi ordinantis ad ſe cætera alia, & vt præeminentis inter illa: tum etiam, quia eſt valdè connaturale naturę excellentiſsimæ, qualis eſt Angelica, vt hoc ipſo, quòd delinquat, ſit circa obiectum excellens, vt tale: inde eſt, vt prædicta non ordinatio, hoc ipſo quod per ſe fuerit volita, habuerit eſſe ſic volitam ſecundùm id excellentiæ, quod affertur, in hoc quod eſt non ordinari & ſubijci alteri: ac proinde non fuit volita per ſe ſecundum aliquam aliam rationẽ, ita vt ſecundum iſtam ſolùm per accidens ſit volita: quia modi per ſe voliti debent eſſe ſic voliti ſecundùm illam rationem potiſsimam, ſecundum quam ſunt modi, & pertinent ad materiam obiecti, vel actus modificati. Conſtat autem, quod ſicut conuerſio in Deum per charitatem potiſsimè modificabat excellentiam Angeli, vt modo dicto erat ratio ſubijciendi Deo excellentiam Angelicam: ita etiam non ordinatio eſt modus appetitionis, quatenus ex vi modi appetendi non ſubijcitur prædicta excellentia, ſed eſt quodammodo volita maior excellentia conſiſtens in hoc, quod eſt non ſubijci illi regulæ.

Vlterius roboratur.

158 Adde, quod hoc ipſo, quod illemodus non ordinationis per charitatem in Deũ ſit per ſe volitus, tanquam modus appetitionis, oportet, vt ſit per ſe volitus ſecundùm eã rationem, ſecundùm quam conſtituit peccatum commiſsionis cum appetitione, quam modificat. Conſtat autem, quòd vt præcisè eſt virtualiter exercitium liberum voluntatis Angelicæ, aut ſecundùm quòd ſolùm dicit omiſsionem actus charitatis oppoſitam præcepto eiuſdem charitatis, ſecundum id, quod per ſe primò, & formaliter dicit, non conſtituit peccatum commiſsionis, vnà cum dilectione naturalis beatitudinis Angelicæ, ſed per accidens eſt ad illam non ordinationem, vt oppoſitam præcepto charitatis ſic ſumpto, quòd ibidem interueniat prædictus actus, & ideò ſiue ſit, ſiue non ſit vna cum ipſa talis actus, ſolum delinquitur peccato omiſsionis: ſecùs verò ſi talis non ordinatio conſideretur, vt modo dicto habet rationem modi & circunſtantiæ dilectionis propriæ excellẽtię, necnon & priuationis debitæ menſuræ illius. Et ita hoc ipſo, quòd prædicta non ordinatio ſit per ſe volita, tanquam modus dilectionis beatitudinis naturalis, debet eſſe per ſe volita, vt eſt priuatio menſuræ & regulæ à Deo præſcriptæ circa appetitum propriæ excellentiæ, ac proinde debet eſſe per ſe volita, vt eſt abiectio ſubiectionis ad diuinam regulam.

159 Ex quo ad ſecundam probationẽ ſatis conſtat, eſſe diſparem rationem. Nam illa omiſsio ſacri habet rationem obiecti voliti, ſaltem virtualiter, & interpretatiuè: & ideò poteſt ſecundùm ſe, & ſuam ſubſtantiã (modo tamen in tomo 3. in tractatibus de voluntario, & inuoluntario, & de bonitate, & malitia humanorum actuum explicando) eſſe per ſe volita, & deinde eſſe per accidens volita oppoſitio, quam habet cum legẽ. Cæterùm prædicta nõ ordinatio per charitatem eſt volita per ſe, tanquam modus appetitionis: & propterea debet eſſe volita ſecundùm rationem illam iam explicatam.

Ex quo etiam ad confirmationem ſatis liquet, concedendum eſſe antecedens, & negandam conſequentiam. Et ratio diſparitatis conſtat ex nuper dictis, necnon ex eo, quod celebratio illa Miſſæ ſine veſtibus ſacris volita eſt expreſſè per modum obiecti, ita vt obiectum volitum ſit ipſa celebratio Miſſæ, & celebrationem illam fieri ſine veſtibus ſacris, eſt modus eius expreſſè etiam volitus. Et quia prædictus modus poteſt habere bonitatem naturalem diſtinctam à malitia obiectiua, quæ illi coniungitur ratione præcepti Eccleſiaſtici prohibentis illum: ideò volita celebratione Miſſæ, & hoc modo, vt eſt quid ex parte illius ſe tenẽs, eſt volita per accidens tranſgreſsio illius præcepti. At in dilectione Angelica beatitudinis naturalis & excellẽtię ſuę abſque debito modo & menſura, non eſt volitus ille modus, niſi vt modus appetitionis ex parte illius principaliter ſe tenens: & non eſt volitum aliquod aliud obiectum, aut modus, qui ex parte eiuſdem obiecti principaliter ſe teneat, quiqueha beat annexam oppoſitionem cum diuina mẽſura, ſed ſolùm eſt ibidem modus ipſius appetitionis, vt talis, cuius apparẽs bonitas, quatenus eſt modus appetitionis, conſiſtit in excellentia, quæ reperitur in hoc, quod eſt non ſubijci diuinę regulæ: & ideò non eſt ibidem aliquid,

Solutio cõfirmationis

aliquid, ad cuius volitionem sit per accidens volitum, quod habeat oppositionem cum diuina regula tunc vrgente, sed prædictus modus appetitionis debet esse per se volitus quo ad id, quod est proprium illius, nempe, quo ad excellentiam splendentē in hoc, quod est non subijci diuinæ regulæ.

160 Nec verum est id, quod in fine huius confirmationis dicitur, nempe, dilectionem propriæ excellentiæ beatitudinis naturalis secundum se sumptæ, vt hic, & nunc, ac in in diuiduo elicitam, esse incomposibilem cū diuina regula. Quoniam volitio illa, vt præcise terminatur ad excellentiam illam secundùm se sumptam, est eadem secundum speciem, & numerum, ac erat in primo instāti, estque omnino necessaria, tam quoad specificationem, quam quoad exercitium: & propterea secundùm hanc eius rationem cōsiderata, non opponitur diuinæ regulæ; sed adhuc ea posita, & in eo instanti vrgente, posset illa volitio sic sumpta componi cum eadem regula, vt in Angelis sanctis composita est. Vnde prædicta dilectio propriæ excellentiæ solùm est incomposibilis cum diuina regula, si sumatur adæquatè, nempe, vt habet modum illum appetitionis, qui per accidens illi secundum se sumptæ adiungitur, quique, hoc ipso quod ei adiungatur, est talis conditionis, vt ipse ex se habeat, quòd sit modus per se volendi prædictam non subiectionem, & ipsamet volitio propriæ excellentię semel composita cum prædicto modo sit, vt illum habet, & ratione illius incomposibilis cum diuina mensura, tendatque ad propriam excellentiam, vt in *esse* obiecti distinguitur à se ipsa, vt terminante dilectionem illam secundùm se sumptam: ex eo quòd modus ille tenens se ex parte appetitionis, refunditur in propriam excellentiam dilectam, ac proinde appetitur vltra debitam mensuram.

§. XI. *Prior aduersariorum opinio, eius fundamenta, & illorum solutiones.*

Contraria opinio *Arrubal. Torres Cōplut. Suarez. Esthius. Molina. Becanus.*

161 CONtrariam tamen ex diametro nostræ assertioni sententiam tuētur Arrubal in præsenti disput. 178. c. 3. Torres Complutensis disput. 61. dubio 5. Suarez in suo tomo de Angelis libro 7. c. 10. Esthius in 2. sententiarū dist. 5. Molina ad ar. 3. huius quæstionis, Becanus tractatu 3. de Angelis c. 4. q. 7. & alij. Licèt autem præcipua fundamenta, quibus hæc sententia nititur, adducta, & soluta à nobis sint in hoc dubio explicantibus rationem Diui Thomæ, nihilominùs potest insuper sic primò proba

Primum fundamentum. ri ex Anselmo relato à D. Thoma in lib. de Casu Diaboli, vbi ait, Diabolum in suo primo peccato, *id appetijsse, ad quod peruenisset, si stetisset*: At ad beatitudinem suam naturalē non peruenisset, sed iam tunc peruenerat, seu potiùs cum ea conditus fuit: ergo prædicta beatitudo non fuit obiectum excellens, circa quod Angelus primo superbijt.

Diluitur. Respondetur, mentē Anselmi nō esse, Diabolum appetijsse illud ipsum omninò, ad quod peruenisset, si stetisset: siquidem etiam si asseratur, quod obiectum appetitum ab illo fuit sua beatitudo supernaturalis, ad quam sanè peruenisset, si stetisset; nihilominus etiā si stetisset non peruenisset ad eam secundum eam rationem formalem, secundū quam ab eodem esset appetita: quoniam peruenisset ad ipsam, formaliter vt habet rationem supernaturalis, & vt obtentam ex diuina gratia, cùm tamen non sic ad ipsam Diaboli appetitus terminatus fuerit. Et ita mens Anselmi tantum est, rem appetitam à Diabolo fuisse vltimam suam beatitudinem & fœlicitatem, ita vt ex parte modi volendi fuerit appetita per modum fœlicitatis omninò vltimæ, & quod si stetisset, ad eam fœlicitatē, & beatitudinem omninò vltimam peruenisset, licèt nō eodem modo. Nam si stetisset, peruenisset ex Dei gratia ad beatitudinem vltimam formaliter supernaturalem: peccando autem voluit ex parte modi volendi beatitudinem omninò vltimam, sed naturalem, & ex virtute propria habendam. Desumiturque hæc solutio ex Caietano art. 3. huius quæstionis, quam ipse his verbis explicat: *Anselmus interpretandus est, quod illud, ad quod peruenisset, non facit demonstrationem personalem, sed simplicem, ideſt, demonstrat beatitudinem vltimam, & non hanc vel illam. Constat enim, quod si stetisset, ad vltimam beatitudinem peruenisset.* *Caietanus*

Secundum fundamētū 162 Secundò probatur eadem sententia. Quoniam beatitudo naturalis appetita est ab Angelo per appetitionem omninò naturalem, ideſt necessariam, tam quoad specificationem, quàm quoad exercitium, vt ex dictis disputat. præcedenti dub. 2. & 3. constat: ergo in dilectione celsitudinis & excellentiæ suæ naturalis beatitudinis non potuit delinquere: ac proinde obiectum excellens, circa quod in suo primo peccato superbè deliquit, non fuit propria celsitudo suæ beatitudinis naturalis. Prima consequentia, ex qua hæc secunda liquet, satis ex antecedenti constat: quoniam dilectio omninò necessaria nequit formaliter esse mala-

Dissoluitur ex D Tho. et Ferr. Respondetur ex D. Thoma quæstione 22. de Veritate articul. 2. & ex Ferrara 3. contra Gentes c. 109. §. *Aduertendum secundo*, quòd licèt Angelus sit omninò determinatus ad dilectionem suæ beatitudinis naturalis

naturalis ſecundùm ſe, & ſigillatim ſumptæ, ſeu vt præcisè regulanda eſt per dictamen rationis naturalis, vt talis: nihilominùs eſt liber ad appetitionem illius cum ordinatione per charitatem ad Deum finem ſupernaturalem, vel ad appetitionem ipſius vnà cum priuatione prædictæ ordinationis ex parte modi volendi ſe tenentis: & ideò illa appetitio non fuit peccatum, quia præcisè terminata eſt ad beatitudinem naturalem ſecundùm ſe ſumptam, ſed quia terminata eſt ad illam abſque prædicto ordine, & ex parte modi volendi illum abiecit. Vnde propter hanc rationem optimè dixit Angelicus Doctor 3. contra Gentes cap. 109 quòd in Angelo fuit primum peccatum, ex eo quòd proprium bonum non ordinauerit in vltimum finem, ſed illi vt fini inhæſerit, ideſt, ex eo quòd ſuam naturalem perfectionem amauerit, non propter amorē vltimi omninò finis, qui eſt Deus, vt obiectum beatificum, ſed propter ſe ipſam, & ea, quæ ad illam pertinent, vltimatè in eiſdem complacendo, cùm tamen deberet aliquod vlterius bonum vltimatè amare, & ad ipſum tanquam ad vltimum omninò finem ſuam naturalem beatitudinem ordinare.

Angel. Præcept.

Tertiũ fundamentum

163 Tertiò probatur eadem ſententia. Quoniam ſicut intellectus, vt eſt ſpeculatiuus, non eſt falſus, ac proinde nec inordinatus deordinatione pertinente ad cognitionem, ex eo quòd eorum, quæ in re ſunt coniuncta, cognoſcat vnum ſine altero, niſi poſitiuè exiſtimet eſſe vnum ſine alio: ita nec appetitus erit inordinatus deordinatione pertinenti ad lineam appetitionis, ſi ex illis, quæ in re habent eſſe cõiuncta, velit vnũ ſine alio, niſi eius volitio ſit talis, vt appetat ex parte obiecti habere vnum ſine altero. At Angelus non appetijt ex parte obiecti habere beatitudinem naturalem ſine ſupernaturali, ac proinde ſine ordinatione ad Deũ authorem ſupernaturalem. Ergo non deliquit ſuperbè circa ſuam beatitudinem naturalem: ac proinde propria excellentia beatitudinis naturalis non fuit obiectum excellens, circa quod in ſuo primo peccato ſuperbijt.

Enodatur.

Reſpondetur, eſſe diſparem rationem. Quoniam intellectus ſpeculatiuus non debet ferri ad rem cum omnibus ſuis circunſtantijs: & ideò hoc ipſo, quod vna quidditas non ſit alia, poteſt quælibet ex illis abſque falſitate intelligi ſpeculatiuè ſine alia. Voluntas verò fertur ad res, prout ſunt à parte rei cum ſuis circunſtantijs, & multoties debet tendere ad illas cum prædictis circunſtantijs: & ideò ſi ſic non tendat in eaſdem, non tendit rectè, & ordinatè, ſed inordinatè.

Adde, quòd ſicut intellectus eſſet falſus, ſi poſitiuè, formaliter, aut virtualiter, ac interpretatiuè iudicaret, quòd eorum, quæ ſunt coniuncta, vnum eſt ibidem ſine alio: ita voluntas erit deordinata, ſi virtualiter ſaltem ex parte modi appetendi appetat habere vnum ſine altero, quando tenetur non appetere habere vnum ſine alio.

§. XII. *Alia aduerſariorum ſententia, cum ſuo fundamento, & reſponſione ad illud.*

Alia opinio partim cõtraria noſtræ aſſertioni.

164 POſterior ſententia aduerſariorum aſſertioni noſtræ ex diametrò non opponitur, ſed partim cum illa conuenit; partim verò ab ea differt. Conuenit quidem, quatenus aſſerit, obiectum excellẽs, circa quod Angelus primò peccauit, potuiſſe eſſe propriam celſitudinem ſuæ beatitudinis naturalis. Differt autem, primò: quia cenſet, non eſſe ſufficiens fundamentum ad aſſerendum, prædictam excellentiam propriæ beatitudinis naturalis fuiſſe reipſa, & defacto obiectum ſuperbiæ Angelicæ. Secundò, quia putat, Angelum ideò potuiſſe circa prædictam beatitudinem ſuperbire, quia potuit ita ei placere ſua beatitudo naturalis, vt haberet actum, quo expreſsè diſpliceret ipſi beatitudo ſupernaturalis, quatenus potuit ei diſpplicere, ſe alia perfectione ſupernaturali, & extrinſeca indigere, quam à Deo per merita deberet expectare, quamuis prædicta diſpliacentia non ſit per actum efficacem, ſed per ſimplicem affectum. Ita Vazquez in præſenti diſp. 235. cap. 5. & refertur pro hac eadem ſententia Ægidius in 2. diſtinct. 5. quæſt. 1. art. 2.

Vazquez. *Ægidius.*

Fundamẽtũ pro prima parte opinionis.

165 Probaturque à Vazquez quoad primam partem, nimirum, non eſſe ſufficiens fundamentum ad aſſerendum, quòd defacto Angelus ſuperbierit in ſuo primo peccato circa propriam celſitudinem ſuæ beatitudinis naturalis. Quoniã, etſi ex Scriptura, & Patribus ſatis veroſimiliter colligatur, Angelum primò peccaſſe peccato ſuperbiæ, non tamen ab eiſdem traditur, quodnam ſit determinatum obiectum, circa quod defacto ſuperbierit: ergo nõ eſt ſufficiẽs fundamentũ ad aſſerendum, quòd obiectum excellens, circa quod primò ſuperbijt, fuerit ſua beatitudo naturalis. Patet conſequentia. Quoniam cùm hæc res ſit res facti, & facti liberi, nobiſque abſconditi, nequit cum ſufficienti fundamento affirmari, niſi ex Scriptura, & Patribus deducatur.

Reſpondetur.

Reſpondetur, negando antecedens. Nam, vt n. 106. diximus, ſatis fundamenti habetur in Scriptura, & Patribus ad affirman-

dum, Angelum de facto peccasse circa suam beatitudinem naturalem, vt ex testimonijs ibidem adductis liquet: & deinde id etiam constat ex rationibus pro assertione allatis.

Aliud fũdamẽtũ prosecũdæ partis. 166 Secundo probatur à Vazquez eadẽ sententia quoad posteriorem partem, secundùm quam à nostra differt. Quoniam integrum fuit Angelo ita complacere in sua beatitudine naturali, vt illi formaliter, & expresse displiceret indigere supernaturali, aut illam ex meritis expectare: sed sic appetita ab Angelo beatitudine naturali, committeretur ab eo peccatum superbiæ: ergo potuit peccatum hoc circa beatitudinem naturalẽ committere, appetendo illam modo isto. Maior probatur. Quia ad appetendam beatitudinem naturalem cum hac displicentia alterius beatitudinis, nempe supernaturalis, satis esset, quòd apprehenderetur sub aliqua ratione mali hoc, quod est indigere præter beatitudinem naturalẽ aliqua alia beatitudine: hoc autem potuit sic apprehendi: quia in hoc inuoluitur, beatitudinem naturalem non habere sufficientem, & consummatam excellentiam sine extrinseca, siue de foris adueniente perfectione. Minor verò etiam cõstat. Quia appetere excellentiam propriè beatitudinis naturalis cum hac expressa displicentia beatitudinis supernaturalis, est appetere propriam excellentiam vltra debitum, & mensuram conuenientem Angelo, estque appetere longe maiorem excellentiam, vt sibi debitam, quam sit illa, quæ sibi debeatur: siquidem est appetere propriam excellentiam suæ beatitudinis naturalis, tanquam excellentiam omninò consummatam, & non indigentem alia vlteriori excellentia, & beatitudine.

167 Nec obest, inquit Vazquez, ad negandam possibilitatẽ huius appetitionis Angelo in primo suo peccato, quod ad appetitionem istam requiratur præuius error in intellectu Angelico, & hic ante primum peccatum esse nequit in illo. Nam contra hoc arguit, sufficere ad hanc appetitionem, quippe non efficacem, sed simplicem quoad prædictam displicentiam, quòd præcedat simplex quædam apprehensio, qua proponatur voluntati conuenientia beatitudinis naturalis cum displicentia supernaturalis. Constat autem, in simplici apprehensione non reperiri veritatem, falsitatem, aut errorem, vt patet ex communi illo proloquio, nẽpe, quòd apprehendentium non est mendacium.

Solutio. Respondetur, optimam esse solutionẽ traditam. Ad cuius impugnationem dicendum est, ad mouendam voluntatem ad prosecutionem, vel displicentiam alicuius, quantumuis simplicem, non sufficere simplicem apprehensionem absque iudicio de conuenientia, vel disconuenientia boni, vel mali amplectendi, vel respuendi: quantuis tale iudicium non debeat esse per compositionem cognitionum, sed ad id satis sit simplex rei cognitio, simplexque iudicium. Quæ omnia satis constãt ex illis, quæ in lib. de Anima communiter à Philosophis traduntur, & ex illis, quæ nos in 1. tomo tractatu 5. disputat. 2. num. 52. diximus. Semel autem dato, ad mouendam voluntatem ad aliquem actum complacentiæ, aut displicentiæ, quantumuis simplicis, requiri præuium iudicium de conuenientia, vel disconueniẽtia obiecti, planum est, quod ad hoc, vt in voluntate Angelica daretur, aut posset dari displicentia illa de beatitudine supernaturali, necessariò requirebatur dari, aut posse dari præuium errorem, quo iudicaretur, esse disconuenientem Angelo beatitudinem supernaturalem, aut esse conuenientem ipsi naturalem, non expectata, sed reiecta supernaturali.

Replica D. Thom. 168 Nec refert, si vrgeas, Angelicum Præceptorem articul. 3. huius quæstionis explicantem, quomodo Angelus in primo suo peccato superbierit circa beatitudinem naturalem, sic loqui: *Sed in hoc appetijt esse similis Deo: quia appetijt, vt finem vltimũ beatitudinis id, ad quod virtute suæ naturæ poterat peruenire, auertens suum appetitũ à beatitudine supernaturali, quæ est ex gratia Dei.* In quibus verbis satis expressisse videtur Angelicus Doctor, quomodo Angelus non solùm potuerit, sed etiam de facto superbijt circa beatitudinem naturalem, auertendo actu suum appetitum à beatitudine supernaturali. Ex quo infert Vazquez, suam sententiã esse iuxta mentem D. Thomæ in hoc articulo.

Solutio. Respondetur facilè ex dictis, Angelicũ Præceptorem solùm loqui de auersione ex parte modi appetendi, ratione cuius ex parte eiusdem modi appetendi auertit se Angelus virtualiter, implicitè ac interpretatiuè à beatitudine supernaturali.

DVBIVM

DVBIVM VI.

Vtrùm obiectum excellens, circa quod Angelus in primo ſuo peccato ſuperbijt, fuerit etiam beatitudo ſupernaturalis? & quomodo circa illam ſuperbè deliquerit?

CONSVLTO In titulo nõ inquirimus, an obiectum excellẽs ſuperbiæ Angelicæ fuerit ſola beatitudo ſupernaturalis? Siquidem conſtat ex dubio præcedenti, Angelum in ſuo primo peccato ſuperbijſſe circa beatitudinem naturalem. Sed an ſimul ſuperbierit in ſuo primo peccato circa ſupernaturalem beatitudinẽ? licèt etiam tangemus, an ſit probabile, quòd Angelicæ ſuperbiæ obiectum primum ſolũmodò fuerit ſua beatitudo ſupernaturalis, inordinatè tamen apppetita? Inquirimus etiã in titulo de modo, quo circa beatitudinem ſupernaturalem ſuperbijt, vt tota res hæc radicitus explicetur.

§. I. *Difficultas dubij ex mente D. Thomæ expeditur.*

Aſſertio. 169 DIcendum eſt ergo, quòd etſi probabilius ſit, quòd obiectum excellens, circa quod Angelus in ſuo primo peccato ſuperbè deliquit, non fuit beatitudo ſupernaturalis: nihilominùs ſatis probabile eſt, ipſum in prædicto peccato ſuperbijſſe ſimul circa beatitudinem naturalem, & ſupernaturalem: ita tamen, vt circa hanc ſuperbè deliquerit, ex eo quòd ex parte modi appetendi appetijt ipſam vt habendam proprijs viribus. Aſſertio hæc quoad priorem partem ſatis conſtat ex illis, quæ dubio præcedenti latè diximus. Quoad poſteriorem verò videtur ſatis probabiliter colligi ex illo Ezechielis 28. & Iſaiæ 14. dubijs præcedentibus adducto, vbi explicatur peccatum Luciferi, & eius ſequacium, & in aliquibus verbis explicatur, ſuperbijſſe in bonis, quæ actu habebat, vt conſtabit legẽti teſtimonium Ezechielis dubio præcedenti num. 106. adductum, & nos ibidem explicuimus. Et ita in hoc modo loquendi, & alijs circunſtantijs ibidem adiunctis ſatis denotatur, ſuperbijſſe circa beatitudinem naturalẽ, vt ex ibidem dictis conſtat. In alijs autem verbis innuitur, quòd obiectum excellens, circa quod Angelus tunc etiam ſuperbijt, non habebatur actu ab eo, vt patet ex verbis relatis ex Iſaiæ 14. vbi dicitur. *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer? qui dicebas in corde tuo: In cœlum aſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo &c. Similis ero Altiſſimo* Quæ verba, licèt etiam habeant ſenſum à nobis dubio præcedenti n. 110. traditum, nihilominus ſatis probabiliter dici poteſt, per ea ſignificari, etiam beatitudinem ſupernaturalem, quæ nondum habebatur, fuiſſe obiectum excellens, circa quod Angelus ſuperbijt: ſiquidem per beatitudinem ſupernaturalem hæc omnia haberet, ſi illam conſequeretur, licèt non haberet ea modo illo, quo Lucifer prædicta appetijt. Sicut etiam ibidem ſignificatur modus ſuperbus, quo appetita eſt ab ipſo beatitudo ſupernaturalis, nempe vt habenda ex proprijs viribus: hanc enim emphaſim habere videntur illa verba. *Aſcendam, Exaltabo, Sedebo, ſimilis ero Altiſſimo*: quia per illa ſignificatur modus ſuperbus appetendi beatitudinem ſupernaturalem, vt nuper dicebamus: & hic fuit ſitus in modo appetendi illam ex proprijs viribus, vt ex ſtatim dicendis patebit: nam appetitio eiuſdem, vt habenda ex meritis diuinæ gratiæ, eſſet actus valdè honeſtus.

170 Vnde aſſertionem hanc, vt probabilem quoad hanc poſteriorem partem, imò & priorem vt probabiliorem tuetur D. Thomas art. 3. huius quæſtionis, vbi poſtquam aſſeruit, Angelum in primo ſuo peccato ſuperbijſſe circa beatitudinem naturalem vt conſtat ex verbis in fine dubij præcedentis à nobis allatis, ſtatim addidit: *Vel ſi appetijt vt vltimum finem illam Dei ſimilitudinẽ, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem ſuæ naturæ, non ex diuino auxilio ſecũdum Dei diſpoſitionem. Et hoc conſonat dictis Anſelmi, qui dicit, quod appetijt illud, ad quòd peruenire poſſet, ſi ſtetiſſet. Et hæc duo quodammodò in idem redeunt: quia ſecundum vtrumque appetijt finalem beatitudinem per ſuam virtutem habere, quod eſt proprium Dei*

D. Thom.

In quo teſtimonio ex his duobus diuerſis modis (in idem tamen quodammodò redeuntibus) explicandi obiectum excellens, circa quod Angelus in ſuo primo peccato ſuperbijt, in quorum primo habetur, prædictũ obiectum excellens fuiſſe beatitudinem naturalem inordinatè volitam, in ſecundo verò eſſe beatitudinem ſupernaturalem ex vi modi appetendi appetitam, vt ex propria virtute habendam, eligit S. Doctor primum abſolutè & ſimpliciter, & vt de facto inuentum in Angelo, vt ex verbis adductis liquet: ſecundum verò non, niſi ſub conditione

tantummodo: & propterea poſt primum, ſtatim addidit: *Vel ſi appetijt, vt vltimũ finem illam Dei ſimilitudinem, quæ datur ex gratia &c.* Vt innueret, ſe illum priorem modum dicendi, vt veriorem, & ſuæ menti magis cõſonum eligere, iſtum verò, ſolùm vt ſatis probabilem ibidem tradere. Cumque, vt ex dictis dubio præcedenti conſtat, Angelus iuxta eiuſdem S. Doctoris mentem ſuperbè primò deliquerit circa beatitudinem naturalẽ, imò hoc ipſo, quòd ſuperbierit, debuerit ſecundùm communem & regularem curſum ſic delinquere circa eandem beatitudinem naturalem, oportet, vt iuxta eiuſdem Angelici Præceptoris doctrinam melius dicatur, quod ſi Angelus circa beatitudinem ſupernaturalem in illo primo ſuo peccato ſuperbijt, non ſuperbierit circa illam præcisè ſumptã, ſed ſimul circa beatitudinem ſupernaturalẽ: ac proinde omnia, quæ in hoc teſtimonio à D. Thoma dicuntur, in vnum colligendo, inuenietur in illo totam noſtram aſſertionẽ contineri.

171 Eandem etiam aſſertionem docuit idem D. Thomas q. 16 de Malo art. 3. vbi ſic inquit: *Angeli autem omnes ſic conditi ſunt vt quicquid pertinet ad naturalem perfectionem eorũ ſtatim à principio ſuæ creationis habuerint: tamen erant in potentia ad ſupernaturalia bona, quæ per Dei gratiam conſequi poterant. Vnde relinquitur, quod peccatum Diaboli non fuerit in aliquo, quod pertinet ad ordinem naturalem* (intellige cum præciſione ſumptum, non verò vt quodammodò dicit ordinem ad ſupernaturalia, vt ex ſupra dictis ex eodem S. Doctore conſtat) *ſed ſecundum aliquid ſupernaturale. Fuit ergo primũ peccatum Diaboli in hoc, quod ad conſequendum ſupernaturalem beatitudinẽ, quæ in plena Dei viſione conſiſtit, non ſe erexit in Deũ, tanquam finalem perfectionem ex eius gratia deſiderans cum Angelis ſanctis, ſed eam conſequi voluit per virtutem ſuæ naturæ, non tamen ſine Deo in naturam operante, ſed ſine Deo gratiam conferente.* D. Thom.

Et ad hoc intentum adducit D. Thomas Auguſtinum in lib. de libero arbitrio, & in 4. ſuper Geneſ. ad litteram his verbis: *Vnde Auguſtinus in lib. de libero arbitrio peccatum Diaboli in hoc ponit, quòd eſt ſua poteſtate delectatus. Et in 4. ſuper Geneſ. ad litteram dicit, quòd ſi ad ſe natura Angelica conuerteretur, ſæpe Angelus amplius delectaretur, quam eo, cuius participatione beata eſt, intumeſcens ſuperbia caderet.* Et iuxta hęc explicat in ſolutione ad 2. & tertium duo teſtimonia, quæ ex Dionyſio, & Anſelmo attulerat.

Idem etiam docuit Angelicus Præceptor art. 2. eiuſdem quæſtionis in ſolutione ad 4. vbi ſic inquit: *Dicendum, quod ſecundum Auguſtinum in lib. de natura boni, malum nõ ſolum conſiſtit in priuatione ſpeciei, ſed etiam in priuatione modi, & ordinis: vnde malum in actu voluntatis non ſolum eſt ex obiecto, quod dat ſpeciem actui, per hoc quod aliquis velit malum, ſed etiam ex ſubtractione debiti modi, vel ordinis ipſius actus: puta, ſi aliquis in hoc ipſo, quod vult bonum, non ſeruat debitum modum & ordinem: & tale fuit Dæmonis peccatum, quo factus eſt malus. Non enim appetijt aliquod malum, ſed quoddam bonum ſibi conueniens: inordinatè tamen, & immoderatè illud appetijt: quia ſcilicet non appetijt illud, vt aſſequendum per diuinam gratiam, ſed per propriam virtutem, quod excedebat modum ſuæ conditionis, vt Dionyſius dicit c. 4. de diuinis nominibus.*

172 Et tandem hoc ipſum docuit idẽ D. Thomas in 2. diſt. 5. q. 1. art. 2. vbi loquens de eo, quod Angelus appetijt, ſic ait: *Dicendum, quod non appetijt æqualitatem ſimpliciter quantum ad ſubſtantiam deſiderati, vt ſcilicet vellet tantam bonitatem habere, quantã Deus habet: ſed tamen appetijt æqualitatem ſecundùm quid, quantum ad modum habendi. Bonitas autem, ſiue beatitudo eſt in Deo, quã habet per ſuam naturam, & à qua omnis creatura beatitudo, & bonitas tranſfunditur. Videns ergo Angelus dignitatẽ naturæ ſuæ, qua creaturis cæteris præeminebat, voluit à ſe beatitudinem, & bonitatem in omnia inferiora deriuari, voluit etiam per ſua naturalia in perfectionem beatitudinis peruenire.* Quæ verba, ſicut & illa, quæ in duobus teſtimonijs immediatè præcedentibus adduximus, ſi coniungantur cum illis, quæ ex eodem S. Doctore dubio præcedenti, & in 1. teſtimonio huius dubij retulimus, ſatis aſſertionem hãc quoad iſtam ſecundam partem teſtantur. Vnde optimè notarunt plures diſcipuli D. Thomæ, de quorum numero ſunt Nazarius in hac q. controuerſia 3. ſuper articulum 3. Zumel in eodẽ articulo q. 2. concluſione 5. 6. & 7. quique hanc eandem aſſertionem tuentur, quòd duo illi modi explicandi obiectum excellẽs, circa quod Angelus ſuperbijt, quos ex D. Thoma in priori illo teſtimonio ex art. 3. huius quæſtionis deſumpto adduximus, nõ diſtinguuntur diſtinctione (vt aiunt) excludentis, & excluſi, ita vt ſenſus ſit, quòd Angelus ſuperbierit, vel circa ſolam beatitudinem naturalem, vel circa ſolam ſupernaturalem, ſed diſtinctione includentis, & incluſi: ita vt iuxta priorem, & probabiliorem dicendi modũ ſola beatitudo naturalis fuerit obiectum excellẽs, circa quod prædictus Angelus ſuperbijt: iuxta poſteriorem verò, tam iſta, quàm beatitudo ſupernaturalis, modo tamen ſtatim explicando, Nazarius Zumel

§. II.

§. II. *Præcedens dubij deciſio ex Angelico Doctore explanatur.*

Senſus cõclusionis aperitur.

173 LIcet autem aſſertionis noſtræ intelligentia ex dictis tam in hoc, quàm in præcedenti dubio colligatur: nihilominùs placuit maioris claritatis gratia, illam priùs explicare, quàm rationibus ſuadere. Etenim ſenſus illius quoad ſecundam partem non eſt, quòd beatitudo naturalis, & ſupernaturalis fuerint æquè, & per ſe primò, ac proinde abſque aliquo ordine prioris, & poſterioris, materia, ſiue obiectum excellens, circa quod Angelus in ſuo primo peccato ſuperbijt, ſed quòd fuerit ordo ſecundùm naturam inter prædictas beatitudines, & earum celſitudines, vt ab Angelo appetitas: ita quidem, vt fuerit per ſe primò volita beatitudo naturalis, & eius excellentia; & deinde beatitudo ſupernaturalis, vt ſubordinata, & ordinata ad beatitudinem naturalem: ex eo quòd ex parte modi volendi fuit volita per modum complementi, aut quaſi complementi ordinati ſecundùm hanc rationem ad eandẽ beatitudinem naturalẽ.

Et ratio deſumitur, tum ex illo Ezechielis 28. vt ex dictis dubio 1. n. 106. liquet, tũ ex D. Thoma locis dubio præcedenti relatis & 1. 2. quæſt. 1. art. 5. & in hac 1. p. q. 58. art. 2. tum, quia ſicut intellectus Angelicus non poteſt ſimul cognoſcere plura, vt plura, niſi habeant inter ſe aliquem ordinem: ita nec vel le illa abſque prædicto ordine, qui quidem in præſenti conſiſtit in eo, quod diximus. Ex eo quòd, cùm beatitudo naturalis, & eius excellentia ſecundùm ſe conſiderata, ſit obiectum habitum ab Angelo, nequit appeti beatitudo ſupernaturalis vt medium ad illam ſic ſumptam comparandam: ſicut etiam non eſt concupita per modum medij ad primò habẽdam eandem beatitudinem naturalem ex parte modi appetendi tanquam finem omninò vltimum: quia ad hoc non eſt neceſſaria, nec ad illam ſic primò habendam conducit. Et ita ſolùm eſt inter illas modus ſubordinationis iam dictus, nempe, quòd appetatur beatitudo ſupernaturalis, non vt medium ad beatitudinem naturalem duobus modis nuper dictis conſideratam ſimpliciter, & abſolutè habendam, ſed vt complementum, & exornatio illius, & vt ad illam ex parte modi appetendi per modum complementi, & exornationis ordinatur.

Tum etiam. Quia cùm beatitudo naturalis fuerit volita ex parte modi volendi à Lucifero, & eius ſequacibus per modum finis omninò vltimi: oportet, vt ſi ſimul cum ea ſic volita appetierit ſuam beatitudinem ſupernaturalem, quòd formaliter loquendo & ex parte eiuſdem modi volendi non appetat illã per modum finis omninò vltimi, ſed per modum alicuius aliquomodo ſubordinati priori illi fini, nẽpe beatitudini naturali, quæ modo dicto fuit vt finis omninò vltimus ab eodem volita: ne ſimul, & ſemel duo fines omninò vltimi, vt formaliter tales appetantur ab Angelo, quod D. Thomæ Doctrinæ, & communi Theologorum conſenſui repugnat.

Tum denique. Quia vtraque beatitudo nõ fuit appetita vno & eodem actu, ſed diuerſis: vno quidem dilectionis inordinatæ verſante expreſsè circa beatitudinem naturalẽ; alio verò deſiderij tendente expreſsè ad beatitudinem ſupernaturalem, vt ad beatitudinem non habitam. Et ita oportet, vt prædicti actus habeant inter ſe ordinem prioris, & poſterioris ſecundùm naturam, debitamque ſubordinationem. Cumque actus ille dilectionis circa beatitudinem naturalem debeat eſſe prior, vt ex dictis dubio præcedenti conſtat, ac proinde peccatum Angeli priùs fuerit terminatum ad hanc beatitudinem: inde eſt, vt alter actus deſiderij fuerit poſterior, & per illum ſecundario, & poſteriùs circa beatitudinem ſupernaturalẽ ſuperbè deliquerit.

Obiectio contra datã explicationem.

174 Nec obeſt, ſi contra explicationẽ iſtam objicias verba nuper adducta Angelici Doctoris art. 3. huius quæſtionis vbi ſic inquit: *Vel ſi appetijt, vt vltimum finem illã Dei ſimilitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem ſuæ naturæ.* In quibus ſatis expreſsè videtur docere, Angelum, iuxta hunc dicendi modum in ſecunda aſſertionis parte adductum, appetijſſe ſuam beatitudinẽ ſupernaturalem, tanquam finem omninò vltimum: ac proinde explicatio à nobis tradita non erit conſona menti D. Thomæ: ſiquidẽ aſſerimus, fuiſſe prædictam beatitudinem appetitam ab Angelo ex parte modi volendi per modum complementi beatitudinis naturalis: quod quidem cum re appetita, adhuc ex parte modi volendi per modum finis omninò vltimi pugnat.

D. Thom.

Reſpondetur enim, S. Doctorem ſolùm voluiſſe, quòd dum ab Angelo fuit ex parte modi volendi appetita beatitudo ſupernaturalis, vt habenda ex proprijs viribus, fuit in *eſſe* rei, & materialiter vltimus omninò finis id, quod ab eo appetebatur; nõ tamẽ formaliter, & in ratione obiecti formaliter ſumpti. Sicut etiam, licèt prædicta beatitudo, quæ datur ex gratia Dei, ſit ſupernaturalis, in *eſſe* rei, & materialiter ſumpta: attamen in *eſſe* obiecti tunc appetiti non habet formaliter rationem ſupernaturalis: ſiquidẽ ex parte modi volendi attingitur, vt adipiſcenda viribus naturæ, atque adeò formaliter vt quid naturale per refuſionem prædicti modi volendi in ipſam: ad eum proportionalem modũ, quo ſuppoſita reuelatione beatitudinis ſupernaturalis conſiſtentis in viſione beatifica, integrum eſt vnicuique eam per actum naturalem, & vt

Diluitur.

in

in *esse* obiecti vestitur ratione *sub qua* naturali, appetere. Et similiter ad eum modum, quo hæreticus assentitur alicui veritati fidei supernaturalis: in quo assensu obiectum in *esse* rei, & naturaliter est quid supernaturale; cùm tamen ratio assentiendi sit naturalis, ac proinde & ratio formalissima obiecti in *esse* obiecti. Semel autem dato, prædictam beatitudinem supernaturalem in *esse* obiecti appetiti formaliter sumpti esse quid naturale, non est cur non possit subordinari ex parte modi appetendi beatitudini naturali eiusdem Angeli, quæ ex parte modi volendi appetita est ab ipso per modũ finis omninò vltimi, quæque per cõsequens in *esse* obiecti appetiti formaliter sumpti habet per refusionem modi appetendi in ipsam, quòd appetatur tanquã finis omninò vltimus.

Alia obiectio contra idem.

175 Neque etiam obest, si secundò obijcias, quòd ideò iuxta hunc modũ satis probabile intelligendi mentẽ D. Thomæ quoad obiectum excellens, circa quod Angelus superbijt, asseritur, prædictum obiectũ fuisse tã beatitudinem naturalẽ, quàm supernaturalẽ, vt explicetur præcisè primũ peccatũ Angeli. Ergo iuxta hunc modum intelligendi S. Doctorem non est dicendum, beatitudinem naturalem, & eius excellentiam solummodò fuisse per se primò inordinatè appetitam ab Angelo, & beatitudinem supernaturalem, illiusque celsitudinẽ solùm secũdariò: sic enim nõ explicaretur præcisè primũ peccatũ Angeli, sed tã primũ, quàm secundũ: & appetitio beatitudinis supernaturalis solùm deseruiret ad explicãdũ secũdũ, nõ verò primũ eius peccatũ.

Enodatio.

Respõdetur enim, quòd iuxta hunc modũ dicendi, ideò asseritur, obiectũ excellẽs, circa quod Angelus superbijt, fuisse vtramque beatitudinẽ, & vtriusque excellentiam modo dicto, vt explicetur primum eius peccatũ non qualitercũq; sumptũ, idest, præcisè secũdùm sua essentialia, sed vt est quodãmodò consummatũ, & completũ per primum complemẽtũ eidem superadditum, & pertinens ad latitudinem superbiæ. Constat autẽ, quòd ad primum peccatum superbiæ sic consummatũ, sicque cõsideratum in ratione primi non obest, quòd beatitudo supernaturalis fuerit secundariò appetita inordinatè ab Angelo: quia fuit sic appetita ex parte modi volendi, non qualitercunque, sed vt primũ complemẽtũ beatitudinis naturalis, pertinens ad prædictam beatitudinem: contra cuius rationem, ac proinde primi peccati, vt primò completi per illud, non est, quòd sit secundariò appetitum, sed solùm quòd inter illa, quæ intra latitudinem superbiæ complent primam superbiã Angelicã quoad essentialia sumptã, nullũ sit aliud, quod perprius fuerit appetitum, & quòd prima illa superbia quoad essentialia, & indispẽsabilia cõsiderata indiguerit appetitione inordinata beatitudinis supernaturalis, ad hoc vt haberet primũ cõplemẽtũ ad latitudinẽ superbiæ pertinẽs, distinctum à se ipsa, & ad eandẽ latitudinẽ superbiæ spectãs.

§. III. *Ratio assertionis ex D. Thoma desumpta.*

Explicatur sic assertio probatur ratione quoad primam partem.

176 RAtio autem assertionis quoad primã partem, scilicet, esse probabilius, Angelũ in primo suo peccato solùm superbijsse circa beatitudinẽ naturalem, & eius excellentiã, constat ex illis, quæ dubio præcedẽti latè diximus: ex quibus satis liquet, quomodo pars hæc sit magis consona, tũ testimonijs Scripturæ, & Patrum ibidem adductis, tum etiam naturæ, & modo procedendi superborum, qui magis afficiuntur ad superbiẽdum circa propria, & ipsis debita, quàm circa aliena. Et propterea optimè dixit Caietanus artic. 3. huius quæstionis in fine illius, quòd appetitus circa propria est Angelo naturalis, & quòd natura magis impellit occasionaliter superbum ad superbiendum circa propria, quàm circa aliena: vt etiam in nobis experimur, dum superbè vellemus in nostris quiescere, diuina Deo relinquendo. *Caiet.*

Probatur etiam quoad secundã partem.

177 Ratio verò eiusdẽ assertionis quoad secundã illius partẽ insinuatur à D. Thoma locis citatis, potestque ad hanc formam redigi, Quoniã satis probabile est, illud fuisse vnà cum beatitudine naturali obiectum excellẽs, circa quod Angelus in suo primo peccato superbijt, quod est obiectum valdè excelsum, quodque est satis credibile fuisse simul appetitum ab eodem Angelo, ac tandẽ quòd inordinato modo ab eo est appetitũ, vt ex terminis ipsis constare videtur: sed tale fuit beatitudo supernaturalis: ergo satis probabile est, illam fuisse obiectum excellens, circa quod Angelus in primo suo peccato superbijt.

Minor quoad primam partẽ, nempe, quoad maximã excellentiam & celsitudinẽ beatitudinis supernaturalis, non indiget probatione. Quoad secundã verò partem, nimirũ, satis probabiliter iudicari, prædictã beatitudinẽ, & maximã eius celsitudinẽ fuisse tunc appetitam ab Angelo, etiam constat. Quoniã in instanti immediatè præcedenti habuerat certã cognitionẽ per fidem beatitudinis supernaturalis, & eius eximiæ excellentiæ præ beatitudine naturali, & quomodo sola ipsa sit satis ad satiandam capacitatem, quæ eidẽ Angelo inest in ordine ad beatitudinem, ac proinde quomodo naturalis beatitudo ad hoc nõ sufficiat: ac tãdẽ in eodẽ instanti Angelus beatitudinẽ supernaturalẽ ardẽtissimè, & præommibus alijs rebus creatis dilexit. Ergo valdè credibile est, ipsum in instãti immediatè sequenti nõ fuisse omninò oblitũ prædictæ beatitudinis supernaturalis: quin potiùs illã, & eius maximam excellentiam appetijsse in prædicto instanti, in quo idem Angelus to-

tus

tus erat in appetenda excellentia & celſitudine, ad quãque, vehementiſsimè afficiebatur: vt ita eius ſuperbia ex omni capite eſſet maior, & in eo gradu adeò magno, in quo à Patribus valdè ſuperbiam hanc prædicantibus depingitur, vt quodãmodò eam veluti exaggerare videantur.

Quoad vltimam verò partem, nempe, prædictam celſitudinem & excellentiam volitam eſſe ab Angelo inordinato modo, etiã liquet. Namex parte modi volendi volita eſt, vt acquirenda per virtutem propriæ naturæ. Tum quia (vt nuper dicebamus) volita eſt ex parte eiuſdem modi volendi, vt quaſi cõplementũ, & exornatio quædã ordinata ad beatitudinẽ naturalem, quæ per vires naturæ habetur: & ita eo ipſo volita eſt ex parte eiuſdẽ modi volendi, vt habenda per vires propriæ naturæ: ſi quidem per eaſdem vires acquiritur finis omninò vltimus, & complementa, aut quaſi cõplementa ipſius, ſiue id, quod ipſum exornat. Et ita, qui vult habere prædictum finem per vires naturę, eodem modo vult complementa, aut quaſi complementa, ſiue ornatũ illius per eaſdem vires acquirere.

Tum etiam. Quia ſicut Lucifer appetens beatitudinem naturalem non apponẽdo debitum modum & menſurã excellentiæ illius, nimirum ordinationem, & ſubiectionem debitam in Deum finem ſupernaturalẽ, conuincitur voluiſſe implicitè, virtualiter, ac interpretatiuè illam ſine prædicta menſura, ſeu cũ abiectione illius: ita etiam appetens beatitudinem ſupernaturalem non apponendo debitum modum, nempe vt habendã ex Dei miſericordia, & gratuita diſpoſitione, ac auxilio gratiæ ſupernaturalis, etiam conuincitur voluiſſe implicitè, & interpretatiuè habere illam, & nõ ex viribus gratiæ, ac proinde ex viribus propriæ naturæ. Ergo ſic appetendo beatitudinem ſupernaturalem, appetijt illam inordinato, & ſuperbo modo, vt ex ſe cõſtat, quamuis res appetita fuerit optima. Et propterea D. Thomas art. 3. quæſtionis 16. de Malo, explicans, quomodo Angelus appetendo beatitudinem ſupernaturalem appetierit excellentiã eius inordinato, ac ſuperbo modo, ſic concludit: *Et hoc etiam congruit ei, quod ſuprà dictum eſt, quòd Diabolus non peccauit appetendo aliquod malum, ſed appetendo aliquod bonum, ſcilicet finalem beatitudinem, non ſecundùm ordinem debitum, ideſt, non vt conſequendum ſecundum gratiam Dei.*

D. Thom.

Cõfirmatur 178 Confirmatur. Quoniã hoc ipſo, quòd ſit latis verõſimile, Angelũ in ſecundo inſtãti appetiſſe ſuam beatitudinẽ ſupernaturalem, cõſequẽs eſt, vt benè ſe geſſerit in illo inſtãti circa illã, vel malè. Non quidem primũ, vt ex ſe conſtat: alioqui non peccaſſet in illo ſecũdo inſtanti. Ergo dicendũ erit ſecundum: ac proinde quòd cùm tunc valdè ſuperbè deliquerit, & beatitudo ſupernaturalis ſit adeò excellens, oportuit, vt obiectũ excellens, circa quod deliquit, fuerit etiã prædicta beatitudo, & quòd ſuperbierit circa illã, ex eo quòd appetierit eandem ex parte modi appetendi, vt habendam proprijs viribus: tum, quia non apparet alius modus aptior ad explicãdum, quomodo ſuperbierit circa eam, quàm iſte: tũ etiam, quia ſic declaratur optimè, quomodo apppetitus eius, vt terminatus etiam ad prædictam beatitudinem, fuerit æqualitatis cum Deo ſecũdùm modũ habendi beatitudinẽ, nimirũ, quòd ſicut Deus illam habet per vires naturæ, ita etiam ipſe per ſuas naturæ vires hãc ſupernaturalẽ beatitudinẽ adipiſceretur.

§. IIII. *Obiectio duplex contra rationem D. Thomæ, & reſponſio ad vtramque.*

179 SEd obijcies primò contra rationẽ factã pro hac ſecũda parte aſſertionis, malè in illa colligi in prima probatione minoris, Angelũ appetijſſe beatitudinem ſupernaturalẽ ex parte modi volẽdi inordinato modo, & pertinente ad ſuperbiã, ex eo quòd appetijt illam vt complementum beatitudinis naturalis. Quoniam velle hoc inordinato modo beatitudinẽ ſupernaturalẽ, non videtur pertinere ad ſuperbiam: ergo ex hoc, quòd Angelus ſic deliquerit circa beatitudinem ſupernaturalẽ, nõ colligitur, ſuperbijſſe circa illam. Antecedẽs probatur. Quoniã modus appetendi propriam excellentiã, qui ſit ſuperbus, ſemper refunditur in maiorẽ excellentiã appetitã, quàm ſit illa, quæ appetentem decet: beatitudo autẽ ſupernaturalis appetita per modum cõplementi beatitudinis naturalis, non eſt maior excellẽtia, quàm ea, quæ decebat Angelum, quin potiùs longè minor: ſiquidẽ prędicta beatitudo ſic appetita deperdit, quãtũ eſt ex vi modi appetẽdi, ratione finis omninò vltimi, & eius excellentia in ratione obiecti appetiti valdè minuitur: cũ tamẽ Angelus ſit capax illius, ſitque eleuatus adeã, vt habet rationẽ finis omninò vltimi.

Prima obiectio contra rationẽ nũc factam.

Reſpondetur ex dictis, Angelum ſic appetentẽ beatitudinem ſupernaturalem appetiſſe formaliter loquendo ſibi totã illam excellentiam, quæ eſt in hac beatitudine, licèt non apetierit illam ex vi eiuſdem modi appetẽdi, vt erat in illa determinata materia beatitudinis ſupernaturalis: & deinde appetiſſe formaliter loquendo hanc eandem excellentiam, vt maiorem. Et ratio horum omniũ eſt. Quia formaliter loquẽdo, quod eſt maximæ excellentiæ in beatitudine ſupernaturali præſcindẽdo à materiali, in quo reperitur, eſt ratio finis omninò vltimi: & hæc appetita eſt ab Angelo appetendo ſuã beatitudinẽ naturalẽ per modũ finis omninò vltimi, & ſupernaturalẽ

Diſſoluitur

per

per modum complementi respectu naturalis: & deinde rationē hanc appetijt ex parte eiusdem modi volendi, vt debitam: & similiter beatitudinem supernaturalem appetitā, vt complementum naturalis voluit ex parte eiusdem modi volendi sibi deberi, sibique esse connaturalem. In quibus appetijt aliquid maioris excellentiæ, quàm appeteret appetēdo (vt debebat) supernaturalem beatitudinem: siquidem excellentia, per hoc quod sit propria, & debita, non parum crescit.

Secūda obiectio.

180 Secundò obijcies, quòd si prædicta probatio minoris propositionis contenta in ratione D. Thomæ aliquid probaret, suaderet etiam, Angelum non solùm ex parte modi volendi, sed etiam ex parte rei volitæ, ac expressè voluisse beatitudinem supernaturalem, vt habendam proprijs viribus. Quoniā hoc ipso, quòd prædicta beatitudo fuerit voliti per modum complementi beatitudinis naturalis, præsupponitur volitio beatitudinis naturalis, tanquā obiecti per se primò volita absque debita mensura: ergo eo ipso præsupponitur, eundem Angelum priùs superbijsse circa prædictam beatitudinem naturalem: ergo si posteà voluit beatitudinem supernaturalem, vt habēdam proprijs viribus, voluit vtique illam sic, non solùm ex parte modi volendi, sed etiam ex parte rei volitæ, & tanquam quid expressè volitum. Patet hęc vltima consequentia. Quoniam tota ratio, propter quam asseritur, Angelum solùm ex parte modi volendi voluisse beatitudinem supernaturalem, vt habendam ex viribus naturæ, & non ex parte rei volitæ, est, quia ante primum peccatum non potuit esse in Angelo error, & per consequens non potuit expressè appetere beatitudinem supernaturalem, vt complementum beatitudinis naturalis, & vt habendam proprijs viribus, ex eo quòd ad hanc volitionem prærequiritur error. Ergo si iam præsupponitur peccatum Angeli circa beatitudinem naturalem, non est cur non potuerit errare circa illam: imò non est cur errando circa eam, non appetierit illam expressè, vt habendam proprijs viribus: siquidē est valdè credibile, quòd præ nimio affectu ad propriam excellentiā superbijt appetēdo expressè totā illam excellentiam, quā tunc cognouit, quamque expressè appetere potuit.

Enodatur,

Respondetur, quòd etsi supposito peccato Angeli, quo primò superbijt circa beatitudinem naturalem, potuerit ex hoc capite errare: nihilominùs non potuit in illo instanti in errorem labi, putans se posse proprijs viribus supernaturalem beatitudinem adipisci. Quoniam in eo instanti certus erat per fidē, quam tunc habebat, beatitudinem supernaturalem non esse proprijs viribus, sed solùm ex auxilio diuinæ gratiæ acquisibilem, hocque actu aduerit, tum, dū illi (vt §. sequenti dicemus) interiùs intimatum est præceptū tunc vrgens de sperāda medio auxilio diuinæ gratiæ eadē beatitudine à Deo: tum etiam, quia hoc ipso quòd in eo instanti per eandē fidem cognouerit, prædictam beatitudinē esse ordinis supernaturalis, cognitione perfecta, qualis Angelū decebat, cognouit vtique, eā esse super excedentem respectu virium naturaliū illius: & ita nequiuit simul cum hoc actu fidei habere errorē, quo oppositum iudicaret.

§. V. *Alia obiectio ex Suarez, Vazquez, Becano, Molina, & alijs, & prima eius solutio.*

Tertia obiectio ex Suarez, & Vazquez, & alijs.

181 TErtiò ex Suarez, Vazquez, & alijs in hoc eodem dubio referendis, contra eandē rationem, quatenus ex eo, quòd Angelus non voluit beatitudinem supernaturalem expressè ex auxilio diuinę gratiæ, colligitur in secunda probatione minoris, illum voluisse eandem beatitudinem ex parte modi volendi, vt habendā ex suis viribus, sic obijcies. Quoniā nulla fuit ratio, aut obligatio, ob quam Angelus teneretur in illo secundo instanti ad appetendam beatitudinem supernaturalem ex auxilio diuinæ gratiæ expressè: ergo non est cur ex defectu huius expressæ volitionis colligatur, illum voluisse ex parte modi volendi prędictam beatitudinem vt habendā ex proprijs viribus. Consequentia videtur legitima. Quoniam quòd Angelus ex parte modi appetendi appetierit prædictam beatitudinem, vt habendā viribus naturę, solùm verificatur, quia virtualiter & interpretatiuè sic illā voluerit, hoc ipso quòd non appetierit eā expressè, vt habendam ex auxilio diuinæ gratiæ: & istud solūmodò potest fundari in hoc, quòd debuerit eā sic expressè appetere, & id nō præstiterit. Ergo si nō est ratio, aut obligatio tūc appetendi expressè beatitudinē, vt habēdā ex auxilio diuinę gratię, nō est cur ex defectu huiꝰ expressæ volitionis colligatur, voluisse illā vt suis viribus habēdam.

Antecedēs autē probatur. Tum, quia vt aliquis debitè appetat aliquē finē honestū, v. g. humilitatē ex se bonā, nō est necesse, vt cogitet expressè de medijs. Tū etiā. Quia nos sæpè appetimus beatitudinē supernaturalē, absque eo quòd expressè cogitemus de medijs, nēpe de auxilijs diuinæ gratiæ, quibꝰ est obtinēda: & tamen nō ob id virtualiter volumꝰ ex parte modi volendi acquirere illā ex proprijs viribꝰ. Tū deinde. Quia hoc ipso, quòd expressè nō appetatur prędicta beatitudo, vt ex viribus naturæ habēda, potiùs colligitur appeti, nō vt ex viribus adipiscenda, sed vt ipsa petit acquiri. Tū denique. Quia nō est vlla obligatio ad nō appetēdū aliquod bonū sub ea ratione, sub qua bonū honestū, & appetibile est: at beatitudo supernaturalis secūdùm se est bonū honestū, & quid appetibile: ergo nō

erit

erit obligatio ad appetẽdum eam expreſsè, vt habendam ex viribus gratiæ, ſeu ad non appetendam illam, niſi expreſsè, vt ex eiſdem gratiæ viribus obtinendam.

Solutio. 182 Nec obeſt, ſi dicas, vrgere in eo inſtanti præceptum appetendi beatitudinem ſupernaturalem, vt habendam ex viribus gratiæ: ex eo quòd obligabat in eo inſtanti præceptum ſpei dictans appetitionem prædictæ beatitudinis, vt conſequendæ ex diuina miſericordia & auxilijs ſuæ gratiæ.

Impugnatur ab auctoribus prædictis primò. Nam contra hoc inſurgunt prędicti auctores. Tum, quia non eſt cur ponatur in eo inſtanti hæc ſpecialis obligatio. Quoniã nec conſurgit ex aliquo præcepto purè poſitiuo liberè à Deo impoſito: ſiquidem de impoſitione prędicti præcepti non eſt ſufficiens fundamentum, vnde colligatur, ſed gratis id aſſeritur. Nec tale præceptum fuit connaturale gratiæ viatoris, ac proinde intra ordinem gratiæ (vt ſic dicamus) naturale: quoniam ea dẽ ratione poſſent multiplicari multa alia præcepta virtutum ſupernaturalium, quæ pro tunc vrgerent: quæ tamen iuxta communem Theologorum ſententiam non admittuntur.

Secundò. Tum etiam. Quia adhuc dato, admittendum eſſe prędictum præceptum ſpei tunc vrgens, non inde haberetur id, quod in hac ratione D. Thomæ haberi intenditur, ex eo quòd Angelus appetierit ſuam beatitudinem ſupernaturalẽ, & non ex auxilio diuinæ gratiæ, nempe, quòd ex hoc capite commiſerit peccatum ſuperbiæ, & multò minùs, quòd hoc peccatum ſuperbię fuerit primum Angeli peccatum. Quoniam ex hoc, quòd tunc præceptum ſpei vrgeret ad appetendam beatitudinem ſupernaturalem, vt habendam ex auxilio diuinę gratiæ, & Angelus non cogitauerit de prædicto auxilio, neque habuerit actum ſpei, ad ſummum ſequitur, peccaſſe peccato omiſſionis contra ſpem; non verò peccato commiſsionis, & ſuperbię, & multò minus, quòd hoc fuerit primum Angeli peccatum in collatione ad alia peccata: ſiquidem, (vt diximus) peccatũ primũ non ſimpliciter, ſed in comparatione ad alia peccata fuit peccatũ etiã ſuperbię, & complementum primę omninò ſuperbiæ, quam Angelus habuit.

Confirm. 1. 183 Confirmatur primò. Quia eſto daretur, hinc haberi, Angelum peccaſſe peccato commiſsionis, ex eo quòd non ſe habuerit purè omiſsiuè, ſed appetierit beatitudinẽ ſupernaturalem abſque debita illa circunſtantia ſpei, ſiue abſque eo, quòd illam appetierit ex auxilio diuinæ gratiæ: nihilominùs inde ad ſummum colligeretur, peccaſſe peccato commiſsionis, quod ſit prędumptio, quę quidem commiſsiuè opponitur ſpei, ex eo quòd tendit ad bonum vltra facultatem appetentis. Ergo, &c. Antecedens probatur. Quia reuera tunc appetijſſet bonum illud ſupernaturalis beatitudinis, vt habendum ex ſuis viribus, cùm tamen eas excedat, & ſolùm ex auxilijs gratioſè collatis poſsit haberi: ac proinde hinc ad ſummum ſequitur, peccaſſe peccato prędumptionis commiſsiuè oppoſito ſpei: ex eo quòd tendere in bonum vltra facultatem appetentis, eſt vitium prędumptionis, ſpei commiſsiuè oppoſitum.

Secundò. 184 Confirmatur ſecundò. Quia adhuc id, quod in probatione immediatè prędicti gratis dabatur, non ſequitur reuerà ex hoc, quòd in eo inſtanti vrgeret prędictum ſpei Theologicæ. Quia Angelus appetendo beatitudinem ſupernaturalem, & non expreſsè ex auxilio diuinæ gratię, non ideò peccauit peccato prędumptionis contra ſpem Theologicam, quanuis daretur quòd non appetendo illam cum hac expreſsione diuini auxilij voluit illam virtualiter, & interpretatiuè, vt habendam ex viribus proprijs. Quoniam prędumptio oppoſita virtuti ſpei Theologicę non conſiſtit in hoc, quòd appetatur bonum illud, vt habendum ex proprijs viribus, hoc enim non opponitur ſpei Theologicæ, ſed ſpei, quæ eſt virtus quædam moralis, quæque coincidit cum magnanimitate: quandoquidẽ prædumptio oppoſita ſpei Theologicæ conſiſtit in hoc, quòd appetatur bonum, vt habendum ex gratia, non tamen ſecundùm eum modum, ſecundùm quem poſsibile eſt haberi per illam: vt ſiquis à Deo ſperaret remiſsionem peccatorum ſine pœnitentia, aut gloriã ſine meritis ex gratia habitis, peccaret contra ſpem Theologicam, ex eo quòd ſpes Theologica, ſicut quia talis reſpicit Deum, vt formale obiectum, ita vitium prædumptionis ei oppoſitum debet reſpicere Deum tanquam id, à quo bonum illud ſperatur, ad hoc vt cum ſpe Theologica peculiari ratione habeat opponi. Vnde D. Thomas 2.2.q.21.art.1. hęc explicans, ſic inquit: *Circa ſpem, per quam aliquis de propria virtute confidit, attenditur prædumptio ex hoc, quod aliquis tendit in aliquod bonum, vt ſibi poſsibile, quod ſuam facultatem excedit, ſecundùm quòd dicitur Iudith 6. Præſumentes de ſe, humilias. Et talis prædumptio opponitur virtuti magnanimitatis, quæ medium tenet in huiuſmodi ſpe. Circa ſpem autem, qua aliquis inhæret diuinæ potentiæ, poteſt per immoderantiam eſſe prædumptio in hoc, quòd aliquis tendat in aliquod bonum, vt poſsibile, per virtutem, & miſericordiam diuinam: quod poſsibile non eſt. Sicut cùm aliquis ſperat, ſe veniam obtinere ſine pœnitentia, vel gloriam ſine meritis.* Quod etiam docuit idem Angelicus Præceptor in eadem 2.2.q.130.artic. 2. D. Thom.

Tertiò. 185 Confirmatur tertiò. Quia pari ratione, imò & potiori dicendũ eſt, quod adhuc non ſequitur id, quod in hac vltima probatione gratis ſimiliter dabatur, Angelum tunc peccaſſe peccato prædumptionis cõtra magnanimita-

mitatem. Quoniam ad hoc desiderabatur id, quod reuerà quoad præsens nõ inuenitur, scilicet, vt vrgeret pro illo instanti præceptum affirmatiuum magnanimitatis: quia nisi adesset obligatio sperandi, siue appetendi beatitudinem tunc ex auxilio alterius, non esset sufficiens fundamentum ad hoc, vt Angelus virtualiter, ac interpretatiuè existimaretur velle beatitudinem supernaturalem ex proprijs viribus, ex eo quòd præcisè voluerit illam, & non expresè cum hac circunstantia, & modo adipiscendi eandem ex alienis viribus.

Prima solutio obiectionis.

185 Respondetur primò ad hanc obiectionem, nõ esse necessariũ recurrere ad præceptum spei Theologalis in eo instanti vrgens, sed satis esse, quòd tunc vrgeat præceptum nõ superbiendi, seu non appetendi propriã excellentiam absque debita mensura & subiectione, ac proinde non appetendi propriam excellentiam beatitudinis supernaturalis, vt acquisibilem proprijs viribus, cùm tamen non sit nisi ex diuina gratia adipiscenda: nam, sic illam appetendo, non appetitur cum debita mensura, debitaque subiectione ad Deum, ex cuius gratia adipiscenda est. Et ad probationem in contrarium dicendũ est, esse disparem rationem. Nam in Angelo est sufficiens fundamentũ, quãtus non vrgeat prædictum præceptum spei, ad hoc vt interpretemur appetere beatitudinem supernaturalẽ, vt acquirendam proprijs viribus, seu (quod in idem quoad præsens redit) ac si illis esset acquisibilis hoc ipso quòd non appetat eam ex diuina gratia habendam. Quia cum appetat illam in eo instanti, in quo appetijt beatitudinem naturalem, & istam appetierit ex parte modi appetendi, vt finem omninò vltimum, ac proinde & illam, vt subordinatam isti: cõsequens est, vt appetierit supernaturalem, vt complementum naturalis: atque adeò vt ex parte prædicti modi volendi voluerit illam, vt habendam ex eisdem viribus, quibus beatitudo naturalis.

§. VI. *Alia solutio eiusdem obiectionis.*

Secundò respondetur admittendo solutionem inter arguendũ datam

187 Secundò respondetur admittendo solutionem inter arguendũ datam, iuxta ea tamen, quæ dubio præcedenti diximus, intellectam. Et ad primam probationem in contrarium dicendum est, hanc obligationem oriri nõ ex præcepto positiuo, sed ex præcepto connaturali ipsi gratiæ. Nã cum illud instans fuerit primum plenæ deliberationis Angelorum, & vltimum suæ viæ: ideò, vt cum tunc vrgebat præceptũ dilectionis super omnia, ita etiam præceptа fidei, & spei supernaturalis. Nec inde sequitur (vt in hac probatione obijcitur) vrgere tunc alia præcepta affirmatiua cæterarum virtutum supernaturalium. Quoniam adhuc dato, non vrgere tunc alia præcepta affirmatiua (de quo alibi) nihilominùs virtutum Theologalium præcepta, quia versãtur immediatè circa Deum vltimum finem, peculiariter vrgent, & cadunt sub præcepto in primo, & in vltimo instanti viæ plenè libero, in quo cum hac plena libertate vrget deliberare, & curare de vltimo fine sibi ab vnoquoque præfigendo. Et propterea iuxta Angelici Præceptoris doctrinam 1. 2. q. 89. tradendam, tenemur nos per se loquendo in primo instanti perfecti vsus rationis ad hos actus eliciendos. Et ob hanc rationem Paulus dixit: *Accedentem ad Deum, oportet credere, quòd sit, & quod remunerator sit*: vt ita innueret obligationem credendi, & simul etiã sperandi æternam remunerationem. Nam ideò inter alia petitur fides Dei, vt remuneratoris, vt æterna illius remuneratio simul speretur.

Ad primam impugnationem. *D. Thom.* *Ad Heb. 11.*

Ad secundam verò probationem respondetur, non solum deduci, quòd ponit posito hoc præcepto sperandi in eo instanti vrgente, deliquerit Angelus peccato omissionis contra spem Theologalem, sed etiam peccato commissionis superbiæ.

Ad secũdã in pugnationem.

Et ratio horum sumitur ex dictis dubio præcedenti à n. 120. vsque ad n. 134. Nam sicut præceptum charitatis in eo instanti vrgens, licèt de formali & expresè solùm præscriberet amorem Dei super omnia vt obiectiui eiusdem charitatis, tamen de materiali, & implicitè præscribebat modum & regulam tunc omninò necessariam respectu propriæ excellentiæ: & ideò illud præceptum charitatis erat simul veluti quædam promulgatio, qua declarabatur, quænam esset mensura & regula propriæ excellentiæ vrgens in eo instanti, ac proinde erat simul præfixio & stabilitio prædictæ mensuræ: ita etiam præceptũ spei supernaturalis in eo instanti vrgens dictabat formaliter, & expresè, ac omninò directè actum sperandi, vt respicit Deum tanquam obiectum formale eiusdem spei: cùm tamen consideratum secundùm id, quod implicite, & de materiali affert, præfigeret simul modum & regulam seruandam in appetitione propriæ excellentiæ beatitudinis supernaturalis. Quia dum vrget prædictum præceptum, appetitur propria excellentia secundùm debitum modum & mensuram, si appetatur vt habenda ex auxilio diuinæ gratiæ, & cum subiectione, saltem virtuali, ad Deum, vt ad illum, ex cuius gratia & misericordia est habenda. Sicut è contrà, dum in eo instanti sic non appetitur, eo ipso arguitur, appetentem velle, virtualiter saltem & implicitè,

citè, propriam excellentiam suæ beatitudinis supernaturalis, non secundùm debitum modum, & mensuram. Et ideò hoc ipso, quòd appeteretur hæc excellentia absque prædicta mensura tunc vrgente, appetebatur longè maior excellentia, quam ea, quæ Angelo conueniebat, aut conuenire poterat, vt ex D. Thoma quæst. 16. de Dæmonibus art. 3. dicebamus: siquidem appetebatur virtualiter & interpretatiuè ex parte modi appetendi habere beatitudinem supernaturalem, vt non ex Dei gratia consequêdam, atque adeò absque subiectione ad Deum, vt ad eum, ex cuius gratia & misericordia esset habenda. Constat autem, Angelum appetendo sic supernaturalem beatitudinem, & eius excellentiam, appetijsse longè maiorem excellentiam, quàm sibi conueniebat, conuenireuè poterat. *D. Thom.*

Vnde, quemadmodum posito tanquam conditione præcepto charitatis tunc vrgente, & præscribente mensuram propriæ excellentiæ, delinquitur peccato superbiæ appetendo propriam excellentiam absque prædicto actu charitatis: ex eo quòd posito prædicto præcepto per modum conditionis, appetitio prædictæ excellentiæ sine illa ordinatione charitatis sit materia contenta sub illo præcepto negatiuo, nempe non appetendi propriam excellentiam absque debita mensura: sic posito tanquam conditione præcepto spei supernaturalis in eodem instanti vrgente, & modo dicto præfigente mensurã & modum propriæ excellentiæ in eo instanti omninò necessarium, peccatur peccato superbiæ appetendo propriam excellentiam beatitudinis supernaturalis absque hac mensura: quia eo ipso quòd ponatur prædicta conditio, appetitio ista redditur materia cõtenta sub præcepto non superbiendi, seu non appetendi sibi excellentiam absque debita mensura.

188 Ad id autẽ, quod in eadẽ probatione subiungitur, nimirum, ex eo quòd tunc vrgeat præceptum spei, non sequi id, quod D. Thomas intendit, scilicet, Angelum non solùm deliquisse superbè, sed etiam superbiam fuisse primum eius peccatum in comparatione ad alia peccata, quæ non sint superbiæ, dicendum est, reuerà vtrumque inde sequi. Et de primo satis ex nuper dictis liquet. De secundo verò etiam ex ijs, quæ diximus, in hũc tamen modum expensis, patet. Nam sicut posita & stabilita mensura propriæ excellentiæ per præceptum charitatis, Lucifer, & eius sequaces deliquerunt in eo instanti, tum peccato omissionis contra præceptum charitatis, secundùm id, quod expressè, & formaliter dicit, tum peccato commissionis superbiæ contra humilitatem, & priùs deliquit peccato superbiæ commissionis, quàm omissionis prædictæ, vt dubio præcedenti diximus, & dubio sequenti amplius dicemus: ita posita tãquam conditione illa præfixione mensuræ excellẽtiæ per præceptum spei supernaturalis, deliquit tunc Lucifer cum suis sequacibus, tam peccato omissionis contra spem, quàm peccato superbiæ commissionis contra humilitatem, & priùs commisit superbè, quàm omiserit adimplere præceptum sperandi quoad id, quod præceptum istud expressè, & formaliter dictat. Quia (vt ex dictis dubio præcedẽti n. 123. ad præsens tamen proportionabiliter applicatis constat) sicut vice versa se gessit Lucifer circa præceptum charitatis, prætergrediendo nimirum primo loco id, quod de materiali ab eo præscribebatur, & deinde id, quod de formali, & expressè ab eodẽ dictabatur, quamuis primum illud præstiterit non delinquendo præcisè contra charitatem, sed delinquendo contra humilitatem per se primò, & directè, & indirectè contra eandẽ charitatem præscribentem modum & mensurã propriæ excellentiæ: ita eodem modo deliquit contra humilitatem, & spem. Ac proinde facta collatione inter duas illas rationes inuentas in carẽtia, seu priuatione actus spei tunc vrgentis, nempe, vt correspondet præcepto spei quoad id, quod de formali dictat, & quoad rationem mensuræ de materiali, & implicitè dictatam, priùs voluit beatitudinẽ supernaturalem cum carentia spei, vt habet rationem mensuræ, quàm velit carentiam eiusdem spei, vt correspondet præcepto spei quoad id, quod de formali, & expressè præscribit. Sed de hoc, vt nuper innuebamus, in sequenti dubio sermo redibit, vbi hoc latiùs explicabimus.

§. VII. *Confirmationibus eiusdem tertiæ obiectionis occurritur.*

189 AD primam confirmationem constat ex modo dictis, Angelum deliquisse peccato commissionis, & superbiæ. Quia loquendo de primo eius peccato quoad primam malitiam, quæ in eo inuẽta est quoad appetitionẽ beatitudinis supernaturalis, appetijt illã priùs absque actu spei, vt spes erat mensura propriæ excellentiæ, quàm delinqueret omissiuè contra spem secundùm id, quod præceptum ipsius expressè, & formaliter dictat, ac profundè secundùm, quòd respicit Deum, vt præcisè formaliter, ac expressè est obiectum spei. Vt autem priùs delinqueret peccato præsumptionis contra spem, quàm superbiæ contra humilitatẽ, oportebat, vt affectus Angeli, vt versabatur circa beatitudinem supernaturalem, non esset priùs circa illam, & eius excellentiam tanquã circa obiectum excellens, appetitum ex parte modi appetendi absque debita mensura. Refpõdetur ad primam cõfirmationem.

Explicatur primus modus appetẽdi aliquam excellẽtiã, vt proprijs viribus ac quitẽdam

Ad id autem, quod in ea probatione dicr-

dicitur, nempe, quòd tendere ad bonum vltra facultatem appetentis, est peccatum præsumptionis contra spem, facilè constabit, notando priùs, quòd dupliciter potest appeti bonum aliquod excellens, vt acquirendum proprijs viribus, cùm tamen eas superet. Primò quidem, ita vt tẽdentia in bonum illud, vt ex virtute propria adipiscendum, terminetur tanquam ad obiectum, & motiuum formale ad excellentiam, siue magnitudinem indebitam propriarum operationũ in materia determinata honorum, seu ita vt obiectum formale illius appetitionis sit illa celsitudo, siue magnitudo propriæ operationis in materia honorum, excedens facultatem appetẽtis, ac proinde eo ipso indebita, & immoderata: & hæc appetitio est formaliter, & directè vitium præsumptionis contrarium spei, non quidem illi, quæ est virtus Theologalis, sed ei, quæ est virtus moralis, nempe magnanimitati, & opponitur illi per excessum: nam proprium est magnanimitatis respicere moderantiam magnitudinis & celsitudinis propriæ operationis in materia determinata honorũ, vt testatur D. Thomas 2.2.q.129.art. 2. Et ita præsumptio, magnanimitati per excessum directè, & formaliter opposita, & vt distinguitur ab ambitione, & inani gloria, quæ eidem magnanimitati ratione materiæ, circa quam versantur, per excessum contrariantur, habet respicere formaliter immoderantiam in celsitudine & magnitudine prædictarum operationum in materia determinata honorum.

D. Thom.

Explicatur magis, & roboratur hoc testimonijs D. Thomæ.

190 Quod quidem, necnon & in quo consistat hæc immoderantia, optimè explicuit idem Angelicus Præceptor, tum 2.2.q. 130.art.2. his verbis: *Dicendum, quod magnanimitas consistit in medio, non quidem secundùm quantitatem eius, in quod tendit, quia tẽdit in maximum: sed constituitur in medio secundùm proportionem ad propriam facultatẽ: Non enim in maiora tendit, quàm sibi conueniant. Præsumptuosus autem quantum ad id, in quod tendit, non excedit magnanimum, sed multùm quandoque ab eo deficit. Excedit autem secundùm proportionem suæ facultatis, quam magnanimus non transcendit: & hoc modo opponitur præsumptio magnanimitati per excessum.*

Tum etiam in eadem 2.2.q.131.art. 2. ad 1. vbi & finem proprium, siue obiectum formale magnanimitatis, & materiam, circa quã versatur, necnon & oppositionem tam præsumptionis oppositæ directè, & formaliter per excessum magnanimitati, quàm ambitionis, ac inanis gloriæ, vt eidem magnanimitati contrariarum, sic exposuit: *Dicendũ, quod magnanimitas ad duo respicit: ad vnum quidem sicut ad finem intentum, quod est aliquod magnum opus, quod magnanimus attentat secundùm suam facultatem: & quantum ad hoc opponitur magnanimitati per excessum præsumptio. Præsumptio enim attentat aliquod magnum opus supra suam facultatem. Ad aliud autem respicit magnanimitas, sicut ad materiam, qua debitè vtitur, scilicet ad honorem: & quantum ad hoc opponitur magnanimitati per excessum ambitio. Non est autem incõueniens secundum diuersa esse plures excessus vnius medij.*

D. Thom.

191 Secundò potest appeti bonũ aliquod excellẽs, vt adipiscẽdũ proprijs viribus, ita vt obiectum, & motiuum formale sit excellentia & celsitudo simpliciter ipsius appetentis, & persona ipsa appetens ingrediatur intra rationem prædicti obiecti formalis, ex eo quòd obiectum, & motiuum formale sit persona, vt excelsa celsitudine simpliciter, & talis appetitio est actus superbiæ oppositus directè humilitati. Nam sicut est propriũ humilitatis tendere formaliter ad moderantiam, & debitam subiectionem in propria excellentia simpliciter, propriumque obiectum eius est persona ipsa vt simpliciter subiecta: ita propriũ est superbiæ per excessum humilitati oppositæ tendere formaliter ad immoderantiam in propria excellentia simpliciter, ita vt obiectum, & motiuum eius formale sit persona ipsa, vt excellens excellentia simpliciter. Vnde quæuis excellentia particularis (qualis est v.g. illa, quæ attenditur penes hoc, quòd appetatur bonum aliquod excellens, vt virtute propria acquirendum, cùm tamen eam superet) si appetatur sub hoc motiuo & ratione formali celsitudinis simpliciter, ita vt persona ipsa, quatenus sic excelsa, sit obiectum formale, non spectat secundùm hanc rationem ad vitium præsumptionis oppositæ directè magnanimitati, sed ad superbiam directè contrariam humilitati. Quæ omnia optimè explicuit Caietanus ex mente D. Thomæ 2.2.quæst. 162. artic. 1. vt statim dicemus, quæque animaduersione sunt digna: nã ex defectu intelligentiæ obiectorum formalium harum virtutum, & vitiorum eis oppositorum, solent plura non ita rectè, sed satis dissonè menti D. Thomæ ab aliquibus ex Iunioribus dici.

Secundus modus appetendi aliquam excellentiam.

Caiet.

192 Hinc ergo ad id quod in hac confirmatione dicebatur, nimirũ, appetitionem illam, qua Angelus appetijt suam beatitudinem supernaturalem ex parte modi appetendi, vt habẽdam proprijs viribus, pertinere ad summum ad vitiũ præsumptionis cõtra spẽ, non verò formaliter ad superbiam, satis constat ex modò dictis, id esse negandum: ex eo quòd obiectum, & motiuum formale illius appetitionis fuit celsitudo simpliciter propria Angeli, ipseque, vt excelsus hac celsitudine simpliciter. Ideoque loquẽdo de primo eius peccato, & de prima ratione, quæ in eo in-

Ex duobus prædictis modis appetendi excellentiã enodatur vis cõfirmationis

co inuenta eſt, non abſolutè, ſed vt verſabatur circa beatitudinem ſupernaturalem, non fuit prima illius ratio peccatum præſumptionis contra ſpem, ſed peccatum ſuperbiæ directè oppoſitum humilitati, quod quidem ſuperba quędam prędumptio reſpiciens celſitudinem ſimpliciter optimè dici poteſt.

Et hoc eſt ſatis conſonum ipſis naturis rerum, nempe, quòd ſi Angelus in primo illo peccato voluit ex parte modi volendi beatitudinem ſupernaturalem, vt proprijs viribus adipiſcendam, tunc motiuum & obiectum formale ſit propria excellentia ſimpliciter reſpectu illius appetitionis, qua primò appetijt beatitudinem ſupernaturalem, primoque ſaltem circa illam deliquit: quoniam tale motiuum, quantum eſt ex naturis rerum, debet præcedere aliud, quod eſt excellentia ſecundùm quid, quale eſt motiuum prędumptionis oppoſitæ magnanimitati, quæ reſpicit excellentiam determinatam, & non excellentiam ſimpliciter & abſolutè: quia reſpicit celſitudinem determinatè in operibus magnis cum immoderantia iam dicta in illis: & propterea non extenditur ad omnem, & quamuis celſitudinem ſub ratione celſitudinis & excellentiæ ſimpliciter, ſicut extenditur ſuperbia immoderatè per exceſſum eam appetendo.

Ad ſecundã confirmationem.

193 Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, verum eſſe, quòd Angelus non peccauit peccato præſumptionis contra ſpẽ Theologalem. Quia, vt benè in eadem probatione dicitur, ad hoc deſiderabatur, quòd appeteret bonum beatitudinis ſupernaturalis, vt ex diuina gratia habendum, non tamen ſecundùm modum & ordinem à Deo præfixum. Cæterum negari non poteſt, quin ſemel dato (vt dandum eſſe diximus) quòd in eo inſtanti vrgebat præceptum ſpei Theologalis, deliquerit contra illud peccato omiſſionis, non eliciendo (vt reuerà non elicuit) actum ſpei Theologalis, ad quem tunc tenebatur. Et hoc ſatis eſt ad hoc, vt inde à poſteriori (vt innuimus) colligatur, ipſum priùs peccaſſe peccato ſuperbiæ, appetendo propriam excellentiam beatitudinis ſupernaturalis abſque debita menſura & modo.

Ad vltimã confirmationem.

194 Ad vltimam verò confirmationem dicendum eſt, quòd etſi Angelus, circa beatitudinem ſupernaturalem priùs deliquerit peccato ſuperbiæ formaliter talis, ſeu peccato illo ſuperbæ prædumptionis directè oppoſitæ humilitati: nihilominùs etiam peccauit ſimul, poſteriùs tamen natura, circa illam præſumptionem oppoſitam directè, formaliter, & per exceſſum magnanimitati: nam hæc præſumptio (ſicut & alia vitia) ſolet ducere ortum ex ſuperbia, ſoletque eſſe eius filia: quia appetitus inordinatus excellentiæ ſecundùm quid communiter ducit ortum ex appetitu inordinato excellentiæ ſimpliciter: ſicut in alijs id, quod eſt tale, ſecundùm quid, oritur ab eo, quod eſt tale ſimpliciter.

Nec contra hoc vrget id, quod in hac eadem probatione dicitur, ſcilicet, in eo inſtanti non obligare præceptum magnanimitatis. Quia etſi tunc non obligauerit præceptum affirmatiuum illius, vrgebat tamen præceptum negatiuum eiuſdem, nempe, non appetendi bonum excellens per proprias vires adipiſcendum, quod tamen eaſdem vires ſuperat: quod quidem præceptum ſemper, & pro ſemper obligat. Ad hoc autem (quod no tandum eſt) vt iudicemus, Angelum appetijſſe tunc virtualiter & implicitè ex vi modi appetendi beatitudinem ſupernaturalem vt proprijs viribus adipiſcendam, atque adeò appetitionem illam fuiſſe materiam contentam ſub præcepto negatiuo nuper dicto, ab eoque vetitam, ſatis eſt, quòd in eo inſtanti vrgeret præceptum affirmatiuum ſpei Theologalis, quo præſcribebatur ipſi, vt appeteret beatitudinem ſupernaturalem ex Dei gratia habendam. Nam omittens hunc actum, ad quem tenebatur, voluit iuxta iam dicta virtualiter & interpretatiuè habere illam, non ex Dei miſericordia: ac proinde ex conſequẽti voluit etiam implicitè & virtualiter eandem adipiſci ex proprijs viribus: & ita talis volitio facta fuit materia contenta ſub præcepto negatiuo magnanimitatis, prohibente prædumptionem, eidem directè & formaliter oppoſitam.

§. VIII. *Replica quædam contra dicta in ſolutione præcedentis obiectionis, & confirmationum eius.*

Replica prima contra omnia dicta in his ſolutionibus.

195 NEC refert, ſi vrgeas, tum quòd commune eſt alijs vitijs (vt præſumptioni, & ambitioni) reſpicere perſonam appetentis vt obiectum. Nam ambitioſus vult ſe ipſum, vt excelſum dignitatibus & honoribus: præſumptuoſus, vt excelſum magnis operibus. Ergo actus ille, quo Angelus ex vi modi appetendi appetijt beatitudinem ſupernaturalem, vt adipiſcendam proprijs viribus, non deſinit eſſe quoad primam eius rationem actus præſumptionis contra magnanimitatem, ex eo quòd non habuerit pro obiecto ipſum præſumptuoſum, vt magnum magnitudine illius operis.

Secunda

Tum etiam, quòd prędumptio directè oppoſita humilitati videtur diſtingui ſpecie à ſuperbia: quoniam ſpectat ad primam ex quatuor ſpeciebus ſuperbiæ relatis à D. Thoma 2.2. quæſt. 162. artic. 4. qua quis credit habere à ſe bonum aliquod: ſiquidem

D. Thom

dam, quod proprijs viribus aliquis acquirit, habet illud à se. Ergo non potest habere pro obiecto & motiuo formali celsitudinem simpliciter: quia hoc est proprium solius superbiæ, vt distinctæ ab alijs vitijs, & speciebus illius.

Enodatur prima replica. Caietan.

196 Non itaque hoc obest. Nam ad primam ex his impugnationibus optimè respõdet Caietanus 2.2.q.162.art. 1. cuius verba, quia ad plures difficultates, quæ hic ebullire solent, dissoluendas non parùm conducunt, placuit in præsenti adducere, quæquidem sic se habent. *Commune siquidem est omni virtuti, & vitio, quòd respiciat propriam personam, vt subiectum. Nam virtus est, qua bonum reddit habentem. Similiter commune videtur saltem multis, quod respiciant propriam personã, vt terminum commensurationis obiecti, seu materiæ, v.g. temperantia respicit propriam personam, vt terminum commẽsurationis ciborum. appetit enim cibum, prout recta ratio dictat: recta autem ratio dictat secundùm commensurationem ad propriam personã. Et similiter magnanimus appetit magna opera, commensurata tamen personæ propriæ. Et similiter præsumptuosus appetit magna incommensurata sibi: & ambitiosus magnos honores improportionatos, &c. Superbia autem, licèt communicet cum alijs in his, habet tamẽ hoc proprium, quòd respicit propriam personam vt obiectum. Et propterea author in diffinitione superbiæ posuit ly propriæ dicendo, quod est appetitus excellentiæ propriæ: ita quod obiectum propriũ superbi vt sic, est ipsemet excelsus, seu celsitudo sui: & in hoc differt à præsumptuoso, & cæteris habentibus pro obiecto magnitudinem talis materiæ, puta operũ, honoris, gloriæ. Magnanimus quoque habet magnitudinem operum pro obiecto proprio, & magnitudinem honoris, & gloriæ vt materiæ. Superbus autem habet magnitudinem sui pro primo obiecto. Et quia ad magnitudinem sui ordinari possunt bona, & mala virtutum, & vitiorum: ideò & virtutes, & vitia, & eorũ materiæ sunt materia superbiæ. Ex omnibus enim superbus tumere vult, Ita quòd, sicut magnitudo operis, vt superiùs patet, dupliciter consideratur, scilicet vt conditio operis, & sic spectat ad quamlibet virtutẽ; & vt transit in rationem formalem obiectiuã, & sic constituit magnanimitatem: ita magnitudo propriæ personæ dupliciter consideratur: vt effectus virtutis, & cuiuscumque alterius reddentis habentem potentem, seu facientem magnum, & sic spectat ad quamlibet virtutem: alio modo, vt transit in rationem formalem obiectiuam, & sic constituit superbiam. Et sicut celsitudo sui est proprium obiectum superbiæ: ita abiectio sui est proprium obiectum humilitatis.*

Explicatur magis.

Confirmat, & magis explicat hoc ipsũ Caietanus testimonio Christi Domini, qui humilitatem, & superbiam explicuit per actus habentes pro obiecto se ipsum, dicẽdo, *Qui se humiliat, Qui se exaltat*: & auctoritate D. Benedicti in 5. & 7. gradu humilitatis, nẽpe, *credere, & pronuntiare se omnibus viliorẽ. credere, ac confiteri se ad omnia inutilem, & indignum*: necnon ex D. Thoma pluribus in locis: ac tandem ex consonantia huius cum regula humilitatis, & ita inquit: *Consonat autem, & optimè quadrat regulæ humilitatis, scilicet æstimatio sui ex collatione eius, quod suum est ad Deum, & ad id, quod Dei est. Huic enim æstimationi conformis appetitus est appetitus sui ipsius vt subditi, qui est humilitatis quod quid est. Contrarius per excessum est appetitus sui ipsius vt celsi, qui in quod quid est superbia habetur. Contrarius autem per defectum est appetitus sui ipsius, vt nimis subditi. Et quoniam diuina reuerentia radix est humilitatis, subaudiendus est in his ordo diuinæ reuerentiæ: ita vt humilitas sit virtus, qua homo ex diuina reuerentia se conferens Deo, in omnibus se habet vt subditus. Superbia verò vitium, quo homo diuina abiecta reuerentia, in omnibus, seu communiter se habet vt celsus.* Caietanus

Enodatur secunda replica.

197 Ad secundam verò impugnationẽ dicendum est, quod, vt innuit D. Thomas q. 8. de Malo art. 4. in solutione ad vltimum, species superbiæ à Gregorio enumeratæ non constituunt superbias specie essentiali distinctas, sed vnicam & eandem speciem atomam eiusdẽ habitus superbiæ per distinctos actus antecedentes, & consequentes explicãt: nam omnes illę species solùm consistunt essentialiter in quadam animæ præsumptione, siue elatione simpliciter, qua propria excellentia simpliciter appetitur.

Et ratio est iam tacta, nempe, quod quæuis superbia quærit excellentiam simpliciter inordinato modo, seu abiecta diuina mẽsura & regula. Et ita, sicut in nobis non datur duplex voluntas specie distincta, sed vnica, quia voluntas respicit bonum simpliciter cùm tamen dentur plures habitus virtuosi respicientes bona particularia, & determinata: ita nequibunt dari in illa plures superbiæ secundùm speciem, quia quæuis ex illis respicit excellentiam simpliciter: cùm tamen possint plurificari in eodem homine alia vitia respicientia peculiares, & determinatas excellentias, vt ambitio, inanis gloria, &c.

Quare, sicut voluntas, vt dicit vim ad amandum verbi gratia Deum, tantum denotat munus quoddam inadæquatum ipsius, quod tendit in quoddam obiectum sibi inadæquatum, & materiale in collatione saltem ad obiectum adæquatum: & ita tendit in illud sub ratione formali sui obiecti

ci adæquati, nempe, sub ratione boni simpliciter ita præsumptio habitualis directè oppositâ humilitati dicit rationem quandam inadequatam superbiæ, quâ tendit in bonum excedens propriam virtutem, ac si non excederet, quod quidem habet se per modum obiecti inadæquati, & materialis, saltem in collatione ad obiectum adæquatum, & formale eiusdem superbiæ, nempe excellentiæ simpliciter. Et ideò præsumptio habitualiter sumpta, vt peculiariter dicit hanc rationem inadæquatam, non verò vt sumitur generaliter pro quauis ratione inadæquatâ superbiæ, vt à D. Thoma loco nuper citato accipitur, nihil aliud dicit, quàm superbiam secundùm quandâ rationem sui inadæquatâ, secundùm quàm connotat obiectum materiale iam dictum, sub ratione tamen formali, & obiectiua superbiæ.

Præcluditur tacita obiectio.

198 Neque hinc fit (vt ita alia obiectio, quæ hic fieri poterat maneat soluta) quòd duo illi actus, quibus diximus appeti ab Angelo beatitudinem naturalem, & supernaturalem, ita vt primo eorum illa, posteriori verò ista appetatur, sint solo numero distincti. Non igitur ex dictis hoc sequitur. Quoniam benè stat, habitum superbiæ esse tantùm vnũ secundùm speciem, & nihilominùs actus inadæquatos respectu prædicti habitus distingui in specie secundùm se sumptos, licèt non vt specificant habitum. Et ita prædicti actus, quibus modo dicto beatitudo naturalis, & supernaturalis appetita est, possunt secundùm se sumpti specie distingui: tum, quia primus illorum, qui versatur circa beatitudinem naturalem, est dilectionis inordinatæ, secundus verò, qui est circa beatitudinem supernaturalem, est actus desiderij, & non qualiscumque, sed versantis circa distinctum obiectum: tum etiam, quia prior ille actus respicit distinctam mensuram propriæ excellentiæ, ac illa, quæ respicitur à posteriori: quia prior actus habet respicere mensuram taxatam à præcepto charitatis, cùm tamen à posteriori actu respiciatur mensura, quæ præscribitur per præceptum spei Theologalis.

Exemplũ.

Potestque hoc explicari exemplo potentiæ volitiuæ respicientis bonum simpliciter, quæ licèt per modum potentiæ sit vna & eadem, nihilominùs habet plures actus specie distinctos: quatenus vnus v. g. est actus amoris huius obiecti, nempe Dei, & alter actus desiderij alterius obiecti: quamuis vterque, vt formaliter respicitur à voluntate, illamque specificat, non consideretur vt respicit suum proprium obiectum distinctum ab obiecto alterius actus, sed vt est volitio boni simpliciter: & ideò respiciunt sua peculiaria obiecta, vt subordinata huic rationi vniuersaliori.

§. IX. *Occurritur breuiter cuidam interrogationi.*

Interrogatio.

199 SED inquires, an iuxta mentem D. Thomæ sit probabile, quòd Angelus primò deliquerit circa solam beatitudinem supernaturalem.

Resolutio.

Respondetur affirmatiuè. Quamuis, vt suprà dicebamus, probabilius sit in via S. Doctoris, Angelum solùm superbijsse circa beatitudinem naturalem, vel saltem simul circa beatitudinem naturalem, & supernaturalem: circa illam quidem perprius, circa hanc verò perposteriùs. Qui modus dicendi, licèt non sit ita probabilis, sicut ille prior constituens primum peccatum Angeli circa solam beatitudinem naturalem, est tamen in via Angelici Doctoris probabilior, quàm ille, secundũ quem asseritur, Angelum primò peccasse circa beatitudinem supernaturalem tantummodò. Et ratio huius responsionis est. Quod Angelicus Præceptor quæstione citata de Malo, & in 2. Sentent. distinctione relata, protulit hunc modum dicendi, non exprimendo, an simul Angelus deliquerit appetendo beatitudinem naturalem. Et in art. 3. huius q. saltem sub conditione dixit, quòd si Angelus appetijt beatitudinem supernaturalem, & in hoc appetitu deliquit, voluit hoc habere per virtutem suæ naturæ: & tamen nõ expressit, fuisse in eo simul peccatum superbiæ circa beatitudinem naturalem. Et propterea non videtur improbabile in via S. Doctoris, quòd obiectum excellens, circa quod Angelus primò superbijt, fuerit sola beatitudo supernaturalis, vt benè notauit Nazarius art. 3. huius q. cõtrouersia 3. Nec obest, quòd hic modus dicendi non sit ita consonus alijs testimonijs Angelici Doctoris, quæ ab eodem frequentiùs traduntur. Quia hinc ad summũ sequitur, non esse ita probabilem in schola Thomistarum, ac oppositum. Nam integrũ erat S. Doctori, sicut & cuilibet alteri, proponere duos oppositos dicendi modos circa rem hanc, quorum vnus, quippe non ita probabilis iuxta suam mentem, opponeretur pluribus alijs testimonijs, in quibus alium vt probabiliorem sectatur.

D. Thom.

§. X. *Opposita sententia, cum suis fundamentis & eorum enodationibus.*

Oppositâ sententia.

200 OPpositam tamen sententiam, nempe, vel quòd obiectum excellens, circa quod Angelus superbijt, non fuit beatitudo supernaturalis, vel quòd, si circa hanc deliquit, non ideò superbijt circa eandem, quia cùm potuerit, & debuerit appetere eam ex auxilio diuinæ gratiæ, appetijt illã præter missõ

missō auxilio, ac proinde virtualiter & interpretatiuè vt habendam ex viribus naturæ, tuentur plures auctores. Nam quoad vtramque partem illam tenent Suarez in suo tomo de Angelis lib. 7. c. 11. Molina ad articulum 2. & 3. huius quæstionis membro 5. Becanus lib. 3. de Angelis c. 4. q. 7. Quoad secundam verò partem defendunt eam Vazquez in præsenti disp. 235. c. 2. Torres Compl. disp. 61. dub. 4. Arrubal disp. 178. c. 3. & 4. Valentia disput. 4. in 1. partem quæst. 14. puncto 3.

Suarez. *Molina.* *Becanus.* *Vazquez.* *Torres* *Complut.* *Arrubal.* *Valentia.*

Probatur primò. Quoniam si Angelus appetijt suam beatitudinem supernaturalem in secundo instanti, appetijsset vtique illam per modum finis omninò vltimi: ergo non deliquisset superbè circa ipsam, immò nec circa beatitudinem naturalem. Consequentia videtur legitima, Quia appetendo beatitudinem supernaturalem per modum finis omninò vltimi, ita se habebat in appetitione illius, sicut se debebat habere: & ita sic appetendo ipsam nullum peccatum committitur circa eandem, sicut nec circa beatitudinem naturalem: siquidem eo ipso beatitudo ista non diligeretur tunc per modum finis omninò vltimi, sed per modum finis subordinati alteri fini superiori & excellentiori: qui modus diligendi beatitudinem naturalem est optimus. Antecedens autem probatur. Quoniam si Angelus tunc appetijt prædictam beatitudinem supernaturalem, appetijsset illam eo modo, quo ipsi proposita est per fidem: per hanc autem proposita est per modum finis omninò vltimi.

Primū fundamentum.

201 Confirmatur. Quoniam si Angelus tunc appetijsset beatitudinem supernaturalem, voluisset illam tanquam finem supernaturalem efficaciter dilectum, & appetitione itidem supernaturali: ergo dilexisset illam vt habendam, non ex viribus naturæ, sed ex viribus gratiæ: ac proinde non deliquisset superbè circa illam. Hæc secunda consequentia ex priori patet. Prior verò ex antecedenti. Quia dilectio efficax beatitudinis supernaturalis inuoluit virtualiter saltem volitionem mediorum, nempe auxiliorum, & virium gratiæ. Antecedens autem probatur. Quia appetitio finis vltimi est appetitio efficax: ac proinde, si ipse est finis supernaturalis, tunc appetitio illius erit appetitio supernaturalis, & terminata ad ipsum per modum finis itidē supernaturalis, ex eo quod sola ista appetitio potest esse efficax respectu prędicti finis.

Confirm. 1.

Confirmatur secundò. Quoniam Angelus in illo instanti cognouit per fidem, esse sibi impossibilem acquisitionem beatitudinis supernaturalis per vires naturæ: & per consequens medium vnicum ad illam acquirendam esse vires, & auxilia gratiæ: ergo si semel appetijt eandem beatitudinem supernaturalem, non appetiuit ipsam, vt habendam ex viribus naturæ, sed ex viribus gratiæ: atq; adeò non superbijsset tunc circa ipsam.

Confirm. 2.

Confirmatur tandem ex Suarez. Quoniam vel Angelus totaliter fuit absorptus in cognitione, & appetitione beatitudinis supernaturalis, ita vt nihil prorsus cogitaret de medijs, & viribus, quibus acquirenda erat? vel considerauit media necessaria? Primum dici non potest. Tum, quia talis modus intelligendi, & volendi non est ita consonus naturæ Angeli, quieodem actu intelligit finem, & media, ac intendit illum, & eligit ista. Tum etiam. Quia eo ipso affectus inde secutus, nempe, quòd appetierit beatitudinem supernaturalem, absque eo quòd appeteret eam vt habendam ex viribus gratiæ, non esset culpabilis: siquidem nulla præcedente consideratione, aut cogitatione de appetenda prædicta beatitudine, vt acquirenda per hoc medium, non erat in potestate Angeli sic illam appetere,

Vltima confirmatio.

Tum denique. Quia vel illa inconsideratio fuit vincibilis, & voluntaria? vel inuincibilis, & inuoluntaria. Si inuincibilis, etiam erit inuoluntaria illa appetitio eiusdem beatitudinis quoad hoc, quod est non appeti vt habenda ex auxilio diuinæ gratiæ. Si autem fuit voluntaria, & vincibilis, iam primū peccatum Angeli non fuisset peccatum superbiæ, sed inconsiderationis, seu defectus considerationis debitæ. Si autem secunda pars primi dilemmatis huius cōfirmationis eligatur, nempe, Angelū cogitasse de medijs, quibus beatitudo supernaturalis acquirenda erat, tunc cùm non valeret iudicare, se posse illam acquirere viribus naturæ, ne erraret, iudicauit vtique, esse acquisibilem solummodò ex viribus gratiæ. At stante hoc iudicio, videtur valdè difficile, quòd appetierit illam merè negatiuè se habendo circa auxilia gratiæ, propter naturalem sympathiam & correspondentiam, quæ est inter intellectum, & voluntatem, maximè si voluntas sit valdè perfecta, quę ob sui perfectionem exigit, vt quicquid intellectus proponit, vel actu amplectatur, vel actu respuat, & non se habeat cum mera suspensione circa illud.

Euertitur fundamentum.

202 Respondetur, negando antecedēs. Quoniam etsi beatitudo supernaturalis sit aliàs finis omninò vltimus, non tamen à Lucifero, & eius sequacibus appetita est formaliter per modum finis omninò vltimi. Et ad probationem in contrarium dicendum est, Luciferum appetijsse prædictam beatitudinem, non quidem eo modo, quo per fidem speculatiuè sibi proposita est, sed iuxta modū propositionis practicæ, quo habuit proponi: at practicè non est illi proposita formaliter per modum finis omninò vltimi, sed potiùs per modum complementi beatitudinis naturalis. Hoc autem non ideò contigit, quia expresse

preſsè ex parte intellectus hoc ſibi propoſitũ fuiſſet, alioqui præceſsiſſet error ex parte illius ad primum peccatum, ſed ſolùm ex parte modi proponendi, & hoc virtualiter tantummodò, ac interpretatiuè: quatenus, cùm Angelus potuiſſet, & debuiſſet habere cognitionem practicam, & imperium ſaltem virtuale (modo tamen dubio vltimo huius diſputationis num. 256. explicando) quo imperaret appetitionem beatitudinis ſupernaturalis ex auxilio gratiæ, non habuit prædictã cognitionem practicam, & imperium: & ita virtualiter ac interpretatiuè cenſetur ex parte modi proponendi proponere practicè, & voluntariè prædictam beatitudinem, non vt adipiſcendam ex viribus gratiæ, ſed ex viribus naturæ. Siquidem quoties adeſt potentia, & obligatio cum debitis requiſitis ad volendum, aut proponendum aliquid practicè, & omittitur volitio, aut propoſitio illius practica, eo ipſo meritò interpretamur, dari ibidem volitionem oppoſitam, ac proindè propoſitionem interpretatiuam, & practicã oppoſitam propoſitioni illi practicæ, ex quâ ſequendus erat actus, qui omittitur, quique non omitti debebat.

Solutio ad primã confirmationẽ.

Ad primam confirmationem reſpondetur, quòd etſi obiectum illud propoſitum ſit materialiter, ſiue in *eſſe* rei ſupernaturale, non fuit Angelo propoſitum practicè per modum finis ſupernaturalis formaliter ſumpti; ſed per modum cuiuſdam magni boni, aut ſub aliqua alia ratione *ſub qua* naturali: & ita neq; appetita eſt appetitione ſupernaturali, nec appetitione reipſa efficaci ad prædictam beatitudinem conſequendam (quamuis ex parte modi appetendi ſic ſe habuerit, modo tamen alibi tacto, ac ſi efficaciter eſſet proprijs viribus acquirenda.) Nec tandem volita eſt per modum finis omninò vltimi: & ideò non dilexit illam, adhuc virtualiter, vt habendam ex viribus gratiæ: quoniam virtualis ita dilectio non reperitur niſi in appetitione, qua appetitur beatitudo ſupernaturalis per modum finis itidem ſupernaturalis, & formaliter ſumpti, & efficaciter ſic dilecti, imò vt appetiti per modum finis omninò vltimi.

203 Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, conuincere, Angelum non appetijſſe expreſsè & formaliter, & tanquam obiectum ſic volitum, beatitudinem ſupernaturalem vt habendam ex proprijs viribus, non tamen quòd ex parte modi volendi, implicitè, & virtualiter nõ appetierit ſic illã, ſeu quòd ex parte modi volendi nõ ſic ſe habuerit, ac ſi illã ex proprijs viribus vellet adipiſci. Quoniã ad hoc vt ex parte modi volẽdi, implicitè, ac virtualiter voluerit acquirere illã ex proprijs viribus, non obeſt, quòd habuerit cognitionẽ ſpeculatiuã, qua certò per fidem cognoſceret, prædictã beatitudinẽ ex ſolo auxilio gratiæ eſſe acquiſibilem: ſed ſatis eſt, quòd hoc non obſtante appetierit illam, non habendo actum, quo ſimul voluerit ipſam ex auxilio diuinæ gratiæ, cùm tamen potuiſſet, & debuiſſet ſic appetere illã: atque adeò ſatis eſt, quòd cum illo iudicio ſpeculatiuo habeat inconſiderationem practicam neceſsitatis prædicti auxilij, & defectum imperij, quo poterat, & debebat imperare appetitionem prædictæ beatitudinis ex auxilio diuinæ gratiæ: quod quidem cohærere poteſt cum iudicio illo ſpeculatiuo fidei, quo Lucifer iudicabat, ſe non poſſe conſequi beatitudinem ſupernaturalem abſque auxilio diuinæ gratiæ. Hoc autem iudicium vocatur ſpeculatiuum quoad preſens: non quia per illud non proponatur voluntati beatitudo ſupernaturalis, vt ſolùm conſequenda per auxilia diuinę gratiæ: ſed quia non proponit illam per cognitionem practicam habentem efficacitatem ad infallibiliter mouendam voluntatem ad appetendam beatitudinem ſupernaturalem ex diuino auxilio, ſicuteam habet (ſeruata tamen libertate eiuſdem voluntatis vt in 1. tomo tractatu 5. diſp. 2. num. 84. diximus) iudicium, aut imperium efficax ſubſecutum ad electionem efficacem voluntatis. Et ita ab aliquibus ſolet, & non immeritò, hoc poſterius iudicium appellari iudicium practicum practicè, & illud prius nuncupari iudicium practicum ſpeculatiuè, ideſt, non habens modum illum efficacitatis iudicij practici, ſed modum iudicij ſpeculatiui quoad hoc, quod eſt carere prædicta efficacitate.

Ad vltimã

204 Ex quo ad vltimam confirmationem reſpondetur, eligendo poſteriorem partem primi dilemmatis, ſcilicet Angelum per fidem ſupernaturalem cognouiſſe, beatitudinem ſupernaturalem ſolùm eſſe acquiſibilem ex auxilio gratiæ. Hinc tamen non ſit, non potuiſſe, ſiue eſſe difficile appetere beatitudinem ſupernaturalem, abſque eo quòd appeteret illam, vt habendam ex auxilio gratiæ. Neque oppoſitum conuincit naturalis ſympathia & correſpondentia, quæ eſt inter intellectum, & voluntatem Angelicam, aut magna perfectio eiuſdem voluntatis. Quoniam illã correſpondentia ſolùm reperitur inter intellectum practicum, & habentem iudicium itidem practicum, & imperium ſubſecutum ad electionem ex vna parte, & voluntatem ex alia, non verò inter intellectum ſpeculatiuum, ſiue (vt ſic dicamus) practicum ſpeculatiuè, & inter voluntatem ex alia. Quare, cùm iudicium illud fidei, proponens auxilia gratiæ vt media ad acquirendam beatitudinem ſupernaturalem, fuerit ſpeculatiuum, ſiue practicum ſpeculatiuè, non verò practicum practicè, quippe non pertingens vſque ad imperium: conſequens eſt, vt

non

non debeatur illi ex parte voluntatis prædicta correspõdentia, & infallibilis nexus appetitionis beatitudinis supernaturalis per prædicta media cum eodem iudicio. Sicut etiam perfectio voluntatis Angelicæ solùm exigit, quòd habeat proportionatam efficacitatem ad intentionem finis, & electionem mediorum, necnon executionem aliorum ad eamdem spectantium; non verò quòd exeat in actum secundum absque debitis actibus practicis sui intellectus practici.

Vnde ex naturali sympathia inter intellectum, & voluntatem Angelicam potiùs videtur sequi, voluntatem Angeli mali fore appetituram ex parte modi appetendi virtualiter ac interpretatiuè beatitudinem supernaturalem, vt habendam ex viribus naturæ, non verò ex auxilio gratiæ. Quoniam in intellectu Luciferi, & eius sequacium præcessit ex parte modi proponendi quædam inconsideratio practica, quidamque defectus imperij, qui virtualiter ac interpretatiuè ex parte modi proponendi, & se habendi censetur esse imperium quoddam respectu appetitionis beatitudinis supernaturalis, vt ex parte modi appetendi virtualiter ac interpretatiuè terminabatur ad eamdem, vt acquisibilem non ex viribus gratiæ, sed naturæ: quia vnà cum imperio de appetenda prædicta beatitudine, vt obiecto *quod*, præcessit defectus imperij debiti, quo imperaretur appetitio debito modo ex viribus gratiæ, quodque erat omninò requisitum ad hoc, vt ex eisdem viribus gratiæ appetereturtae proinde defectus illius censetur esse virtualiter & interpretatiuè imperium quoddam appetendi beatitudinem, non ex viribus gratiæ, sed naturæ. Et ita ex propositione beatitudinis supernaturalis vt obiecti *quod*, cum defectu tamen huius imperij debiti, siue cum defectu propositionis per illud, optimè sequitur appetitio illius absolutè, siue per modum obiecti *quod*, cum defectu appetitionis eiusdem quoad modum appetendi scilicet ex viribus gratiæ, & per consequès cum volitione eiusdem ex parte modi volendi, virtualiter, & interpretatiuè, vt acquirendę ex viribus naturæ.

Ad illud autem, quod in eadem confirmatione adducitur, nempe, quòd si illa inconsideratio Angeli fuit vincibilis, & voluntaria, tunc in ea situm esset primum peccatum Angeli, non verò in superbia ipsius, quod quidē potest retorqueri contra nos quoad inconsiderationem practicam, quam Angelo tribuimus, dicendum est, inconsiderationem prædictam non esse peccatum, vsque dum intelligatur accedere peruersio superba Angeli cæ voluntatis, quæ saltem in aliquo genere causæ sit prior, quàm ipsa, quamuis in alio genere sit posterior. Sed de hoc latiùs in vltimo dubio huius disputationis, vbi hæc res magis explicabitur.

205 Secundò principaliter probatur prædicta sententia ex eodem Suarez. Quoniam si Angelus in suo primo peccato deliquisset circa beatitudinem supernaturalem, ex eo quod non appetijsset illam expressè ex auxilio gratiæ, tunc solùm deliquisset peccato omissionis, non verò commissionis, & superbiæ: hoc autem falsum est, vt ex dictis constat: ergo, &c. Sequela probatur. Quia amor beatitudinis simplex (vt sic dicamus) seu absolutus, & præcisus à volitione mediorum, per quæ acquirenda est, nõ est de se malus: ergo si aliquādo quis peccat sic amādo beatitudinē, non peccat in eo, quod agit, sed in eo, quod non agit, quando plus agere tenebatur, nimirum amare illam volendo simul media, scilicet auxilia diuinæ gratiæ: ergo peccat peccato omissionis, & non commissionis. Sicut qui soluit quinque, cùm septem soluere deberet, omittendo tantùm peccat ex eo, quòd non in eo, quod facit, sed in eo, quod non agit, delinquit. Secundũ fũdamentum oppositæ sententiæ.

Nec obest, si occurras, appetitionem auxilij gratiæ debuisse apponi per modum circunstantiæ illius actus appetendi beatitudinem supernaturalem: & ideò appetendo eam sine hac circunstantia, deliquisse peccato commissionis. Nam contra hoc est, quod volitio mediorum non est circunstantia volitionis finis, sed potiùs effectus illius. ergo respectu volitionis beatitudinis supernaturalis, quæ est finis vltimus Angeli, non se habet per modum circunstantiæ volitio auxiliorum gratiæ, quę sunt media in ordine ad consequendam prædictam beatitudinem. Solutio. Contra instatur.

Respondetur, admittendo solutionem datam. Et ad probationem dicendum est, quòd dum volitio mediorum vnà cum fine apponit mensuram propriæ excellentię appetitæ per modum finis, tunc, licèt volitio mediorum sit effectus, aut quasi effectus volitionis finis, nihilominùs habet se simul per modum circunstantiæ, & modi respectu intentionis finis: & propterea intentio illius absque prædicta circunstantia potest esse peccatum commissionis, & superbiæ, vt in præsenti contingit. Diluitur argum. & vltima dicta tradita solutio.

(*)

DVBIVM VII.

Virùm Angelus potuerit primò peccare alio peccato, quàm peccato superbiæ?

206 SEMEL explicato, primum peccatum Angeli fuisse superbiam, necnõ quod fuerit obiectum excellens, circa quod prædictum peccatum versatum est, protinus se offert inquirendum, an prædictum primum Angeli peccatum non solùm fuerit, sed etiam debuerit esse superbiæ, ita vt non potuerit alio peccato, quàm superbiæ primò delinquere. Cæterùm cùm inquirimus de hac impotentia Angeli ad primò peccandum aliter, quàm superbiendo, non loquimur de impotentia Metaphysica, quæ ex se affert implicationem contradictionis eius, quod per illam impossibile esse dicitur, sed ab hac impotentia præscindentes, de impotentia physica, quæque inuenitur in rebus secundùm communem & regularem cursum eiidem consentaneum fieri censemus. Ac proinde sensus tituli est, an Angelus habeat hanc impotentiam ad primò peccandum alio peccato, quàm superbiæ? an verò habeat potentiam huic impotentiæ oppositam ad primò delinquendum alio delicto, præter quam superbiæ.

§. I. *Expeditio dubij ex Angelici Præceptoris mente, & ratio fundamentalis pro ea.*

Dubium decidi tur vnica conclusione.

207 DIcendum ergo est, Angeli primum peccatum debuisse esse superbiæ, ita vt saltem secundùm potentiam physicam, seu secundùm cõmunem & regularem cursum nequiuerit alio peccato quàm superbiæ delinquere. Ita Angelicus Præceptor in hac q. art. 2. his verbis: *Vnde peccatum primum Angeli non potest esse aliud, quàm superbia.* Quem sequuntur eius discipuli, vt Capreolus in 2. dist. 4 q. 1. Cajetanus art. 2. nuper citato, Nazarius ibidem controuersia 2. & alij quàm plures.

Ang. Præceptor. Capreolus Caietanus Nazarius

Ratio fundamentalis.

Ratio autem fundamentalis huius assertionis, quam dubio 1 huius disputationis tetigimus, desumitur ex D. Thoma 2. 2. q. 162. art. 1. potestque sub hac forma proponi. Quoniam primum Angeli peccatum debuit consistere in affectu quodam prosecutionis circa bonum spirituale habens rationem finis non qualiscumque, sed finis vltimi: ergo debuit esse peccatum superbiæ.

Probatio antecedentis quoad primam partem.

208 Antecedens quia plures continet particulas, ex quarum quilibet plures obiectiones solui possunt, ideò sigillatim quoad singulas probandum est. Et in primis quoad primam, nempe, debuisse consistere in affectu quodam prosecutionis, suadetur, tum ex his, quæ suprà diximus, nimirum, bonum, tam secundùm se, quàm vt est obiectum voluntatis, esse prius, quàm malum: & ideò prius debet esse actus prosecutionis tendens ad bonum, quàm fugæ, & nolitionis, qua respuimus malum: quia omnis nolitio alicuius mali est in virtute prosecutionis boni oppositi, & quodammodò prius dilecti. Ergo primum Angeli peccatum non potuit esse nolitionis, ac fugæ mali, sed prosecutionis alicuius boni prius dilecti, in cuius virtute malum illud fugit, & respuit. Et propterea (vt loco citato diximus) Angelicus Præceptor 1. 2 quæst. 25. artic. 2. constituit hunc ordinem, adhuc in actibus appetitus sensitiui, ex eo quòd bonum naturaliter est prius malo: & ita passiones, quarum obiectum est bonum, naturaliter sunt priores passionibus, quarum obiectum est malum, vnaquæque scilicet sua passione opposita: redditque ad hoc rationem à nobis adductam his verbis: *Quia enim bonum quæritur, ideò refutatur oppositum malum.*

Ang. Præceptor.

Tum etiam (per quod præcedens probatio explicatur.) Quia ex vltima particula in eodem antecedenti posita, videlicet, obiectum prædicti peccati debere esse finem, non qualemcumque, sed vltimum, idem antecedens quoad primam particulam videtur colligi. Quoniam malum, quod est obiectum actus fugæ & nolitionis, non potest esse finis, sed ad sumlum medium in ordine ad consequendum aliquem finem intentum: ergo si actus, in quo primum Angeli peccatum consistit debuit primo esse circa finem, non potuit esse nolitionis, sed necessariò debuit esse prosecutionis.

Quoad secundam partem.

Quoad secundam verò particulam, nempe, prædictum affectum prosecutionis debere esse circa bonum, idest, non circa bonum vtcumque, sed circa bonum honestum, seu quòd obiectum illius expresè volitum non sit ex se malum, sed quantum est ex se habeat esse honestum, ac proinde ex hoc præciso capite nequeat actus ille prosecutionis vitiari, constat ex sæpè dictis, & ex dubio sequenti dicendis, nempe, Angelum non habuisse, nec potuisse habere errorem speculatiuum, aut practicum ante suum primum peccatum. At si primò deliquisset appetendo, & prosequendo aliquod obiectum, quod ex se

esset

esset malum, tunc non posset non habere errorem saltem practicum in intellectu, quo proponeretur sibi vt conueniens, amplecti obiectum illud relicto opposito, vt loco citato magis explicabimus.

Quod tertiam. 209 Quoad tertiam autem particulam, scilicet, prædictum bonum debere esse spirituale, etiam liquet idem antecedens. Quoniã bonum corporale, vt tale, non est proportionatum naturæ Angelicæ, & ita non potest ad illud affici: & per consequens nequit peccare per affectum prosecutionis ad ipsum. Quoad vltimam verò partem prædictum antecedens constat ex dictis dubio 3. & 5. huius disputationis. Nã id, quod primò occurrere debuit Angelo in secundo instanti, in quo peccare potuit, tanquam quid, de quo erat deliberandum, non fuit aliquod medium, sed finis vltimus, quia ab eo deliberatio circa cætera alia pendebat: ergo primum peccatum Angeli solùm potuit esse circa prædictum finem, ex eo quòd indebito modo circa illum se habuerit, prosequendo ipsum, non secundùm modum, secundùm quem debebat illum prosequi.

Ex quibus consequentia primi, & principalis enthymematis huius rationis probatur à D. Thoma. Quoniam appetitus prosecutionis bonorum spiritualium, & ex se honestorum, & maximè vltimi finis itidem spiritualis, & honesti, non potest esse peccatum, nisi sit talis, vt in eo superioris regula non seruetur: ergo nequit esse aliud peccatum præter quam superbiæ: quia proprium est superbiæ, vt per eam quis non subdatur superiori in eo, in quo debuit subdi.

Quam rationem sub breuiori forma, virtute tamen includente cuncta, quæ diximus, adduxit D. Thomas artic. 2. huius q. his verbis: *Secundùm affectum verò illa solùm peccata in malis Angelis esse possunt, ad quæ contingit affici spiritualem naturam. Spiritualem autem naturam affici non contingit ad bona, quæ sunt propria corpori. sed ad ea, quæ in rebus spiritualibus inueniri possunt: nihil enim afficitur, nisi ad id, quod suæ naturæ potest esse quodammodò conueniens. In spiritualibus autè bonis non potest esse peccatum, dum aliquis ad ea afficitur, nisi per hoc, quòd in tali affectu superioris regula non seruatur: & hoc est peccatum superbiæ, non subdi superiori in eo, quo debet. Vnde peccatum primum Angeli non potest esse aliud, quàm superbia.* D. Thom.

§. II. *Responsio triplex ad rationem D. Thomæ, & impugnatio eius.*

Duplex ef. fugi in Valentiæ. 210 Licèt autem hæc ratio D. Thomæ sit satis efficax ad intentum, nihilo minùs pluribus Doctoribus videtur inefficax: & propterea ex diuersis capitibus diuersos in ea defectus deprehendere sibi videntur. In primis ergo Valentia, cui tam assertio, quàm ratio D. Thomæ displicet, duplici via prædictæ rationi occurrit. Prima quidem, ex ea non probari, peccatum Angeli debuisse committi actu prosecutionis, & non per aliquam omissionem. Et ita adhuc dato, omnem nolitionem & fugam, quæ est actus positiuus, debere fundari in actu prosecutionis: non tamen id est necessarium de omissione. Secunda autem. Quia ratio D. Thomæ supponit, primum peccatum Angeli debuisse committi aliquo actu prosecutionis. Cæterùm hæc prosecutio (inquit prædictus Auctor) non debet esse necessariò, ac proinde ex se mala; atque ita potuisset primò Angelus peccare ex eo, quòd nollet obedire Deo exequendo aliquod præceptum sibi in aliquo instanti impositum, quia vellet in eo instanti occuparе se in sua tantùm perfectione amanda, vel contemplanda, vel in aliquo alio per se bono.

Euertitur primum effugium. Cæterùm hæc solutio vim rationis Angelici Præceptoris non infringit. Nam in primis falsum est id, quod primò loco in ea dicitur, scilicet, rationem S. Doctoris non probare, primum peccatum Angeli non potuisse esse omissionis. Quia siquæ posset esse omissio prima Angeli, per quam ipse primò delinqueret, maximè illa, qua diligeret se, & suam beatitudinem naturalem non ordinando illam in finem supernaturalem: at peccatum hoc non est omissionis, sed commissionis, & prosecutionis: ergo Angelus non potuit primò peccare per omissionem. Maior videtur certa. Nam ille actus habet, quòd sit primus, qui reperitur in Angelo, quippe omninò necessarius secundùm suam substantiam, tam quoad specificationem, quam quoad exercitium, & quòd sit valdè intimus eidem Angelo, & veluti corollariũ suæ naturæ, ac constituens illam in actu primò, & completo ad se mouendum in ordine ad suas operationes naturales, vt disputatione præcedenti dubio 3. n. 57. diximus: & ex alia parte Angelũ tunc vrgebat præceptum non diligendi eamdem beatitudinem naturalem, nisi ordinãdo eam in finem supernaturalem, ac proinde non eliciendi prædictum actum nisi coniunctũ cum hac ordinatione, vt dubio 5. n. 120 diximꝰ, & in ordine ad istam coniunctionem est omninò liber: & ita oportet, vt si quę esset prima omissio, in qua Angelus primò delinqueret, non sit alia præter istam: siquidem ille primus actus debuit elici, vel coniunctus cum prædicta ordinatione, & sic nulla esset omissio, vel sine illa, secundùm quam rationem videbatur esse ibi omissionem, primamque omissionem.

Maior autem constat ex illis, quæ ibidem num. 128. diximus, nempe, dilectionem beatitu-

beatitudinis naturalis absque prædicta ordinatione in finē supernaturalē non esse peccatū omissionis, sed cōmissionis, & prosecutionis: ex eo quòd illa omissio est modus quidā actus prosecutionis, quo diligitur prædicta beatitudo, & excellentia eius absque debita mensura: & ideo ille actus cum ea omissione cadit sub præcepto illo, quo prohibetur dilectio propriè excellentiæ absque debita mensura, nempe, sub præcepto negatiuo non superbiendi. Sicut dum quis vult celebrare absque vestibus sacris, committit peccatum cōmissionis per actum prosecutionis tendentē ad celebrationem absque prædictis vestibus.

Confirmatur. 211 Confirmatur. Nam ex vi rationis D. Thomæ habetur, peccatum Angeli debuisse esse circa finem vltimum, & potissimè circa finem vltimum naturalem, vt ex dictis dubio 5. num. 102. liquet: at circa finem istū nequiuit Angelus primò delinquere ex eo præcisè, quòd illum secūdùm se sumptum diligeret, neque ex eo, quòd expresè vellet illum, vt superuestitum aliqua circunstantia mala: ne ante primum peccatum Angeli præcedat aliquis error in eius intellectu. Ergo ea præcisè ratione circa illum deliquit, quia dilexit ipsum cum omissione alicuius circunstantiæ, cum qua eum diligere tenebatur. Ergo si versari sic circa prædictum finem, est actus prosecutionis, habebitur ex vi eiusdem rationis, primum Angeli peccatum debere esse per actum prosecutionis.

Præcluditur secundum effugium Valentiæ. Ex quo etiam secūda via, qua Valentia solet eandem rationem, facilè impugnatur. Nam præterquamquòd id, quod supponit, videlicet, actum nolitionis non debere necessariò præsupponere malam prosecutionem, sed posse etiam præsupponere bonam, vt dum quis propterea vult nō obedire, quia vult orare, est falsum, vt benè notauit Nazarius art. 2. huius quæstionis controuersia 2. §. *secundo notandum est*. Quādoquidem hoc ipso, quòd quis tenetur aliquid operari, peccat aliud agere volens: quia recta ratio, & circunstantia rerum, ac temporum oppositum exposcunt: & ideò tunc illa prosecutio v. g. volitio orandi est inordinata, & mala, quippe carens debito ordine rationis, & bonitate ex circunstantijs. Præterquam quòd igitur hoc falsum est: nihilominùs potest hæc via ex vi rationis D. Thomæ, & ex illis, quæ dubio 3. & 5. huius disputationis diximus, præcludi. Nam licèt adhuc dato, quòd dum peccatum versatur circa media, possit esse bona prosecutio finis, & deinde ex abusu voluntatis mala electio, & fuga alicuius ad consequendum illum finem: attamen si peccatū debet esse immediatè circa ipsum vltimum finem, vt in præsenti contingere ex ratione D. Thomæ habetur, tunc, hoc ipso quòd ibi dem debeat interuenire prosecutio, nequibit peccatum illud consistere in aliqua nolitione, sed in ipsa prosecutione: quia eo ipso nequit ibidem dari nolitio prædicti finis: alioqui darentur simul volitio, & prosecutio prædicti finis, necnon & nolitio, & fuga ab eodem.

Nazar.

212 Secūdò occurri potest ex alijs, falsum esse antecedēs rationis D. Thomæ quoad tertiam particulam illius, nēpe, quòd obiectum primi peccati Angeli debuit esse bonum non qualecumque, sed spirituale. Quia Angelus potest etiam delinquere circa rem corpoream, vt talem: tum quia Dæmones committunt per se ipsos peccatum homicidij, quod quidem versatur circa rem corporalem, vt talem: tum etiam, quia cùm suadent hominibus peccata luxuriæ, aut gulæ, committunt idem peccatum secundùm speciem, ac homines luxurioſi, & guloſi: ac proinde afficiuntur ad res venereas, necnon & ad delectabilia secundùm gustum, quæ sunt aliquid corporeum, vt tale: alioqui, si non haberent idem motiuum, afficerenturque ad illa obiecta corporea, non patrarent idem peccatum secundùm speciem: tum deinde, quia saltem Angelus potest habere hunc actum conditionatum: Si per impossibile possem capere delectationes venereas ex venereis obiectis, caperem illas: & tamen tunc planum est, prædictum actum fore peccaminosum, & obiectum illius esse aliquid corporeum vt tale.

Secunda aliorū euasio.

Instātia prima pro ea.

Secunda.

Tertia.

Tum denique. Quia ira, & accidia possunt reperiri in Dæmonibus. Ira quidem: nā Apocalypsis 12. dicitur. *Væ terræ, & mari: quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam*: & Dionysius de diuinis nominibus inquit, Dæmones furorem quemdam irrationalem habere: & tandem Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 158. inquit, iram esse appetitum vindictæ, & habere rationem peccati, cùm est inordinatus: constat autem, Angelum posse inordinatè appetere sumere vindictam de aliquo. Accidia autem. Quia nihil habet Angelus, ratione cuius nequeat in ipso esse tædium, & tristitia de bonis operibus, vt referūtur in Deum. Quare, cùm ira possit habere pro obiecto vindictam indifferenter in obiectis corporeis, & spiritualibus, & similiter accidia, ex eo quòd bona operatio, de quo est tædium accidiæ, potest esse materialis, & spiritualis, & indiscriminatim terminari ad rem spiritualem, & corpoream: inde est, vt obiectum peccati Angelici potuerit indiscriminatim esse bonum, siue spirituale, siue corporale.

Vltimā. *Apoc. 12.* *Dionys.* *Ang. Præceptor.*

213 Sed hæc solutio nihil obest tationi D. Thomæ, quin potiùs ex ijs, quæ pro ea diximus, facilè corruit. Quoniam sicut appetitus sensitiuus non potest affici, nisi ad bo

Impugnatur euasio.

num conueniens naturæ sensitiuæ: ita neque appetitus Angelicus, nisi ad bonum conueniens, & proportionatum naturæ Angelicæ.

Firmatur confutatio. Adde primò. Nam dum Angelus peccat circa bona corporea, aut delinquit affectu, quo velit ea sibi? aut quo velit illa destruere, aut distribuere? Non primum. Quia velle ea sibi, esset velle eadem, vt conuenientia suæ naturæ, quod est impossibile. Si autem secundum dicatur, non peccabit circa illa secundùm eam rationem, qua sunt corporalia: quia prædicta bona, non quia corporalia, sed secundùm quamdam rationem communem sibi, & rebus spiritualibus habent posse destrui, & distribui: & adhuc tunc non sunt volita, nisi quatenus conducunt ad aliquem finem spiritualem, ex cuius affectu vult Angelus ea destruere, aut alijs tribuere, & ideò priùs peccat circa finem spiritualem. Vnde *D. Thom.* D. Thomas artic. 2. huius quæstionis notanter non dixit absolutè, naturam spiritualem non affici ad bona corporalia, sed ad bona, quæ sunt propria corpori: vt significaret, se loqui de huiusmodi bonis sumptis præcisè secundùm eam rationem, qua sunt corporalia, quia secundùm hanc sunt obiecta propria corporibus secundùm alteram verò non sunt formaliter eis propria, sed possunt etiã naturis spiritualibus conuenire.

Roboratur viterius. Adde secundò, quòd (vt constat ex dictis dubio 2. huius disput. num. 29.) nihil potest ferri, saltem appetitu prosecutionis, & per se, in obiectum impossibile, cognitum vt tale, sed ad summum appetitu per accidens ad appetitionem alterius rei possibilis, & conuenientis respectu appetentis: sed delectationes venereæ v.g. implicant capi ab Angelo, & hoc euidenter ab eo iudicatur: ergo nequibit illas appetere, saltem appetitu per se, sed ad summum per accidens ad appetitionem alicuius rei spiritualis, & conuenientis: atque adeò nequibunt prædictæ res venereæ esse obiectum primi peccati Angeli, sed id conueniet illi bono spirituali, ad cuius appetitionem per accidens appeterentur.

Euanescit prima instã tia. 214 Neque instantiæ in fauorem huius solutionis adductæ oppositum conuincunt. Non quidem prima. Quia Dæmones committentes homicidium, non committunt illud ex appetitu ad bona corporalia, quatenus talia sed ex affectu ad aliquid spirituale, quod prius intendunt: & ita peccatum homicidij connumeratur inter peccata spiritualia, vt colligitur ex D. Thoma 1 2. q. 72. & 73.

Secundo. Et similiter secunda instantia nihil obest. Quoniam Dæmones suadentes luxuriam, non peccant formaliter peccato luxuriæ: ex eo quòd ad committendum hoc peccatum formaliter desideratur, quòd ipsemet com- *Caietanus* mittens consummet illud, vt docuit Caietanus art. 2. huius q. quod tamen est impossibile Angelo, quandoquidem hæc operatio est operatio vitæ animalis, quæ formaliter nõ cõuenit Angelis. Quare Dæmones tantũ committunt prædictum peccatum causaliter, & suum peccatum tantùm est hoc modo eiusdem speciei cum peccato luxurioso: sicut etiã ob hanc eamdem rationem non dicuntur peccare secundùm affectum peccato luxuriæ: quia hic modus peccandi luxuriosè exigit peccatum luxuriæ formaliter, & non solùm causaliter tale. Nec etiam dicũtur peccare ex motiuo luxuriæ, sed ex alio motiuo spirituali: quia cùm hoc peccatum sit proprium corpori animali, non committitur ex motiuo illius, nisi ex affectu ad bonum corporeum, vt tale.

Nec etiam tertia instantia obstat. Quia, vt dubio 2. huius disputationis explicuimus, obiectũ impossibile nõ potest appeti appetitu per se, adhuc per actum simplicẽ, & conditionatum conditione se tenente præcisè ex parte obiecti, sed ad summum appetitu per accidens, & ad appetitionem alterius boni. Et ita Dæmones si habeant illum actum conditionatum venereorũ, sicut non committerent peccatum formaliter luxuriæ ex motiuo carnalis delectationis, quia non possunt illud consummare: ita nec haberent prædictum actum conditionalẽ, nisi ex motiuo alterius peccati, vt ex odio Dei, quem vellent in omnibus offendere: Tertia.

Nec tandem vltima instantia obest. Nam ad illam occurrit D. Thomas art. 2. huius q. dicens, quòd ira est cum quadam passione sicut concupiscentia, & ita in Dæmonibus nõ potest esse, nisi metaphoricè; accidia verò est quædam tristitia, qua homo redditur tardus ad spirituales actus propter corporalem laborem, qui Dæmonibus non competit. Vltima.

215 Et si contra hanc solutionem D. Thomæ obijcias ex Vazquez, quòd etsi in nobis commotio passionis habeat coniungi cum ira, non tamen tanquam aliquid per se desideratum ad eius rationẽ: ergo ex hoc, quòd in Angelo non sit prædicta commotio, male colligitur, non fore formaliter in eo iram. Antecedens probatur. Tum, quia Angelicus Doctor suprà q. 20. art. 1. ad 2. inquit, quod in ira, vt dicitur in primo de Anima, materiale est accessio sanguinis circa cor, aut aliquid huiusmodi, & formale appetitus vindictæ: & quia in hoc denotatur aliquid imperfectionis, nempe tristitia, quam supponit de malo illato, propter quod est volita vindicta, ideircò inquit, eam non conuenire formaliter Deo. In quibus verbis non solùm assignat tanquam aliquid materiale commotionem illam, sed etiam non habita mentione illius, assignat ex parte appetitus vindictæ rationem, propter quam ira non sit formaliter in Deo: Replica ex Vazquez cõtra datam solutionem. *D. Thom.*

Deo: vt per hoc denotaret, non esse attendendum ad prædictam commotionem ad tribuendam, vel remouendam ab aliquo rationem formalem iræ: ac proinde eam, aut aliquid huiusmodi non desiderari per se ad rationem illius. Tum etiam. Quia in misericordia est materiale quid, & non desideratum ad eius rationem formalem compassio, formale verò, & sufficiens est voluntas subleuandi miseriam: ergo eadem ratione ad iram non desiderabitur, nisi tantùm illud formale iam explicatum, quodque in Angelo reperitur. Sicut in accidia p̃ssumus distinguere defatigationem corporis, & tristitiam voluntatis de bono opere, vt refertur in Deum: & secundùm priorem rationem tribuere illam Angelo, licèt non secundùm posteriorem.

Enodatur. Respondetur ex Nazario art. 2. huius q. controuersia 1. hoc esse discrimen inter amorem v.g. delectationem, & misericordiam ex vna parte, & inter iram ex alia: quòd ira absolutè & simpliciter sumpta non sumitur secundùm communem modum concipiendi Philosophorum, & Theologorum pro eo solo, quod formaliter dicit, sed etiã pro illo, quod de materiali importat: & ita hoc ipso, quod non possit vtrumque reperiri in aliquo, nequit ira absolutè & simpliciter dicta in eo esse, nisi solùm metaphoricè. Econtrà verò amor, delectatio, & misericordia absolutè & simpliciter sumpta, non denotãt nisi id, quod est formale in illis, v.g. in misericordia esse rationem subleuandi miseriam: & propterea satis est hanc rationem inuenirι in aliquo, ad hoc vt ibidem propriè, & formaliter sit ratio misericordiæ. Vnde, cum in Angelo non reperiatur ira quoad materiale iam explicatum, sed solũ quoad formale, nimirũ quoad appetitum vindictæ, cum tristitia de malo illato: hinc est, vt meritò D. Thomas absolutè dixerit, non posse esse in Dæmonibus formaliter iram. Quod quidẽ cum proportione dicendum est de accidia: nam hęc absolutè & simpliciter sumpta dicit, non qualecumque tędium de bonis operibus, vt referibilibus in Deum, sed illud, quod est, & prouenit ex labore, & defatigatione corporis.

Alia replica 216 Nec obest, si vrgeas, quòd saltem illud formale, quod cum præcisione sumptum dicitur constituere iram metaphoricè talem, potest indiscriminatim versari, adhuc in Angelo, in bonis spiritualibus, & corporeis, ita vt hic affectus sit inordinatus: ergo ex hac solutione D. Thomæ sic intellecta non vitatur id, quod vitari intenditur, scilicet, primũ peccatũ Angeli non potuisse consistere in hac ira, vt specialiter versatur in bonis corporeis, atq; adeò obiectum prædicti peccati nõ posse esse circa obiectũ aliquod corporeum.

Solutio. Respondetur enim, argumentũ illud à D. Thoma allatum duo petijsse ad sui solutionem: primum quidẽ, an esset verum id, quod in eo asserebatur, scilicet, esse formaliter in Angelis iram absolutè & simpliciter dictã: secundũ verò, & in illo priori virtualiter inclusum, an saltẽ ira metaphoricè sumpta, prout dicit appetitum vindictæ iam dictum, potuerit esse primũ Angeli peccatum. Et ad illud prius, de quo expressè procedebat argumentũ, præstitit expressam solutionem, negando, irã absolutè & simpliciter dictã esse propriè, & formaliter in Angelis, ad hoc verò posteriº virtualiter & implicitè ibidem contentũ, virtualiter etiã respondit, quatenus eius solutio satis colligebatur ex ratione ab eodem S. Doctore adducta. Nam tam ira, adhuc metaphoricè sumpta, quàm accidia afferũt speciali ratione tristitiã quãdam, illa quidẽ de malo illato, ista verò, quia ratione illius retardatur quis à bono opere: & ideò speciali ratione dicunt nolitionẽ quãdam: ac proinde nequibit in eis primum Angeli peccatum consistere. I

Tertia euasio ad rationem factam pro assertione. 217 Tertiò occurri potest ad eandem rationem dicendo, falsum esse antecedens illius quoad vltimã eius partẽ, nempe, primũ peccatum Angeli debuisse consistere in affectu prosecutionis circa vltimũ finẽ Angeli: quia potuit præsupponere bonam prosecutionẽ vltimi finis, quamuis sit mala causaliter, quia nimirum fuit causa malæ electionis consistentis in aliqua nolitione mala. Et ratio huius est. Nam puer, dum peruenit ad primum instans vsus rationis, in quo aliquando peccat, habet bonam prosecutionem finis vltimi, nẽpe beatitudinis in cõmuni: & tamen primò peccat, quia in ordine ad hanc intẽtionẽ eligit mala media, nẽpe, viuere quærendo bona sensibilia, vel respuendo difficultates, & labores, qui ei proponuntur in prosecutione vitæ, & bonorum conformium rectę rationi. Et ita eadem ratione posset etiam Angelus primò peccare proportionali modo.

Impugnatur ex infra dicendis. Cęterùm neque hęc solutio vim rationis D. Thomę infringit propter apertam disparitatem, quę in puero illo, & in Angelo intercedit: quam quidem quia disputatione sequenti dubio vnico num. 52. trademus, ideò vsq; ad prædictum locum consultò abeа tradendo abstinemus, & iuxta ibidem dicenda debent intelligi ea, quæ in alijs locis circa hęc tetigimus.

§. III. *Alia solutiones ad eamdem rationem D. Thomæ.*

Quarta euasio P. Vazquez. 218 QVartò occurri potest ex Vazquez, quòd adhuc concesso antecedenti huius rationis D. Thomæ, nimirum, peccatum Angeli debuisse consistere in actu prosecutionis circa bonum spirituale, & honestũ, nẽpe, circa suum vltimum finẽ, non rectè deducitur consequentia illa, videlicet, peccatum Angeli debuisse esse superbię. Nec proba-

probatio consequentiæ hoc ipsum conuenit. Quia prædicta probatio consistit in hoc, quòd non subijci in eo, in quo quis subijci debet, pertinet ad superbiam: cùm tamen hoc sit falsum. Siquidem loquendo (vt loqui debemus) de hoc, quod est non subijci, vt constituit speciale peccatum, tunc id potiùs spectat ad inobedientiam, quam ad superbiam, quæ non est transgressio præcepti, atque adeò subiectionis debitæ alteri, vt superiori, sed mensuræ propriæ dignitatis. Et propterea D. Thomas 2. 2. q. 162. art. 1. refert ex Isidoro, superbum dici, quia supervult videri, quàm est. Congruitque cũ hoc diffinitio communis superbiæ, qua asseritur, superbiam esse appetitum excellentiæ supra debitam mensuram. D. Thom.

Explicatur amplius euasio. Potestque hęc eadem solutio ex ijs, quæ tradit ipse Vazquez, confirmari. Ex eo quòd, vel antecedens adductum ad probandam consequentiam rationis D. Thomę est falsum, vel ex eo non deducitur rectè consequentia. Quoniam antecedens consistit in hoc, quòd appetitus prosecutionis bonorum spiritualium, & maximè vltimi finis itidem supernaturalis, non potest esse peccatum, nisi sit talis, vt in eo superioris regula non seruetur. In hoc autem antecedenti, vel sumitur superioris regula pro lege eius? vel pro mensura propriæ dignitatis & excellentiæ appetentis? Si primo modo sumatur, tunc non rectè deducitur consequentia, nempe, quòd talis appetitus nequit esse aliud peccatum, quàm superbię, ex eo quòd non subdi superiori in eo, in quo quis debet subdi, spectat ad superbiam. Et ratio est. Quia non subdi superioris regulæ, vt habet rationem legis, aut est communis ratio inclusa in omni peccato, aut si hoc est per se volitum, & constituit speciale peccatum, non potest esse aliud, quàm in obedientiæ specialiter dictæ. Si autem regula sumatur secundo modo, tunc antecedens erit falsum. Quia prædictus appetitus bonorum spiritualium poterit esse peccatum, etiam si non sit talis, vt in eo non seruetur regula superioris, sumpta regula formaliter pro mensura propriæ dignitatis & excellentię: quandoquidem satis esset ad hoc, vt ille appetitus esset peccatum quòd in eo non seruaretur regula superioris, sumpta regula pro lege formaliter: atque adeò quòd committeretur ibidem peccatum inobedientię propriè & spiritualiter dictæ.

Ad hæc euasionem reducitur aliorum solutio quinta. 219 Quòd etiam spectat duplex alia solutio, quæ eidem rationi D. Thomæ adhiberi potest: alia quidem (& quinta in ordine,) quòd ad ratio em superbiæ formaliter sumptę, & maximè vt consistit, vt peccatum mortale, non satis est appetere bonum spirituale, & excellens vltra mensuram: sed requiri, vt appetatur, spreta regula & mensura: at ex vi rationis D. Thomæ non probatur, quod hoc ipso, quòd appetatur ab Angelo bonum spirituale, & excellens, debeat appetere illud, non solùm vltra mensuram, sed etiam spreta eadem regula & mensura.

Ad eãdem reducitur sexta. Posterior verò (& sexta in ordine) solutio est, quòd ad hoc vt volitio alicuius boni spiritualis & excellentis non seruata diuina regula sit peccatum superbiæ, non sufficit appeti vtcumque bonum excellens, sed bonum excellens, vt tale reduplicatiuè, quia superbia tendit ad illud sub hac ratione formali reduplicatiuè sumpta, at ex hac ratione D. Thomæ non probatur, actum illum prosecutionis boni spiritualis, & excellẽtis nõ seruata diuina regula debere esse prosecutionẽ prædicti boni, vt excellentis reduplicatiuè: & ideò nec inde probatur, peccatum illud oportuisse esse superbiæ.

Et etiã septima. Et tandẽ huc etiã pertinent tres aliæ euasiones, quæ ad euadẽdã vim rationis D. Thomæ adduci poterant. Alia quidẽ (& septima in ordine) quòd ad rationẽ superbiæ nõ satis est vtũque non subdi superiori in eo, in quo quis debet subijci, sed requiritur, vt per se sit volita illa non subiectio, & non solùm per accidẽs: quia (vt nuper dicebamus) velle per accidẽs non subijci, est cõmune omnibus peccatis. At ex hac ratione D. Thomę non colligitur, peccatũ Angeli debuisse cõsistere in volitione boni spiritualis, volendo per se hanc nõ subiectionẽ: sed potuit esse volita volitione per accidẽs. Quoniã hæc non subiectio addita legẽ constitebat in hoc, quòd fuisset volita ab Angelo sua beatitudo naturalis, & excellẽtia plus, nõ referendo & ordinãdo illã Deo, vt fini supernaturali, vt diuina lex & regula præscribebat. Hæc autẽ non ordinatio, vt precisè est omissio ordinationis, nõ verò vt opponitur diuinę legi & regulæ, potuit esse volita ab Angelo per se secundùm illã priorẽ rationẽ considerata, non verò secundũ hanc posteriorẽ: licèt secundùm istam debuerit esse volita per accidens, quia hic, & nunc est coniuncta cum defectu subiectionis ad legem & regulam à Deo præscriptam. Ad eum ianẽ modũ (proportione tamen seruata) quo Christus Dominus potuit non mori, vt est pura omissio, nõ verò vt est opposita præcepto morẽdi, quod habuit. Quãuis in hoc exẽplo, & in re de qua agimus, sit sua disparita: quatenus Christus Dominus nec per se, nec per accidens potuit non mori vt hæc omissio opponitur præcepto: secùs verò in Angelo.

Necnõ octaua. 220 Altera verò (& octaua in ordine) solutio est, quòd ex vi rationis D. Thomæ non suadetur, Angelũ non potuisse primò peccare contra preceptũ speciale, quo quæuis creatura rationalis adstringitur ad non collocandum in se ipsa suum vltimum finem, ita vt hoc sit per se, & specialiter volitum ab ipsa. Nam sicut

ticut Angelus post primũ peccatum potuit expresse, & ex parte rei volitæ velle se ipsum, & suam beatitudinem naturalem, vt vltimum finem non subordinatum alteri, vt vltimiori, & excellentiori fini: ita etiam integrum fuit ei in primo peccato velle sibi hanc eamdem beatitudinem, ita vt ex parte modi volendi vellet se ipsum, & illam, vt finem omninò vltimum, ex eo quòd non ordinauerit illam (vt debebat) in excellẽtiorẽ alium finem. Tunc autem planum est, Angelum peccaturũ contra prædictum præceptum speciale non constituendi in se vltimum finem: siquidem velle aliquid oppositum alicui præcepto, ita vt illud sit volitum, aut ex parte rei volitæ, aut ex parte modi volendi, non variat speciem peccati, pugnatque cum eodem præcepto. Et similiter tunc etiam planum est saluari vim huius rationis D. Thomæ: siquidẽ appeteretur bonum spirituale, nempe vltimus finis Angeli, non tamen seruata regula & modo præscripto à Deo. Et ita ex vi prędictæ rationis Angelici Præceptoris non infertur, primum peccatum Angeli debuisse esse superbiam.

Vltima quæque.

Vltima autem solutio huc etiam spectans, & quæ deducitur ex Scoto, est, non haberi ex hac ratione D. Thomæ, Angelum non potuisse primò peccare inordinato amore amicitiæ sui, ex eo videlicet quòd nimia delectatione complacuerit in se, suoque decore, vbi res, de qua complacuit, fuit optima, & tamen modus complacendi fuit inordinatus, quia non complacuit in ea iuxta modum & mensuram præscriptam: & ita saluatur in hoc peccato, quicquid in ratione D. Thomę continetur, scilicet, illud esse de obiecto spirituali, & optimo, non tamen volita iuxta modum à diuina lege prędscriptum: ideoque ex vi prædictæ rationis non probari, primum Angeli peccatum debuisse esse superbiam.

Cur omnes istæ reducãtur ad solutionem Vazquez.

Diximus autem, has posteriores quinque solutiones spectare ad quartam ex Vazquez desumptam: quia omnes illæ ex eodem principio corruunt, vt ex statim dicendis patebit, & omnes, excepta vltima, eodem defectu ac solutio Vazquez aliquo modo laborant.

§. IIII. *Impugnatio prioris ex his solutionibus ex Vazquez desumptæ.*

Animaduersio pro impugnatione quartæ solutionis P. Vazquez.

221 CÆterùm nulla ex his solutionibus robur rationis D. Thomæ eneruat. Non quidem prior, quæ est quarta in ordine, quæque ex Vazquez desumpta est. Cuius cõfutatio vt meliùs capiatur, prænotandum est, ad duo tantummodò vitia pertinere hoc, quod est per se velle non subijci diuinæ legi & regulæ, prout volitio non sumitur strictè pro actu prosecutionis, sed pro quouis actu voluntatis, aut modo volendi, siue ille sit per modum prosecutionis, siue per modum nolitionis & fugę. Primum est vitium specialis inobedientiæ. Secundum verò vitium superbiæ propriè, & specialiter sumptæ: aliter tamen, & aliter. Nam per inobedientiam, vt est speciale vitium, est per se volita non subiectio ad legem, vt lex est formaliter, & respicitur Deus vt superior, & legislator: & deinde hæc eadem non subiectio non est volita per modum prosecutionis & volitionis, prout volitio est idem ac prosecutio, sed per modum fugæ & nolitionis. At verò per superbiam est volita non subiectio diuinæ legi, non vt lex est formaliter, sed vt est mensura dignitatis & excellentiæ respectu appetentis: ac proinde non respicitur Deus formaliter vt legislator, sed vt est primum excellens, mensuratè distribuens excellentiam singulorum: & ita est volita non subiectio ad illum, vt ad primum excellens: ac tandem totum hoc est volitum per modum prosecutionis, non verò per modum fugę & nolitionis: quia est volitum propter excellentiam, quæ splendere videtur in hoc quod est non subijci alteri, quæ quidem ex se terminat volitionem, siue modum volendi per modum prosecutionis.

Ratio autem, propterquam his dumtaxat vitijs competit per se velle non subiectionem ad Deum, & diuinam legem, siue regulam, est illa, quam ex parte tangit Caietanus 2. 2. q. 162. art. 5. quamque nos suprà innuimus, nempe, quia sicut est proprium obedientię, vt est specialis virtus, per se velle subiectionem ad diuinam legem, vt lex est formaliter: ita etiam est proprium vitij ei directè oppositi per se velle non subiectionem ad eandem legem, vt talem. Et similiter quemadmodum humilitas appetitum tendentem in excelsa per se moderatur, apponendo illi modum diuinæ subiectionis: ita superbia appetitui propriæ excellentiæ apponit per se immoderantiam aspernantem diuinam subiectionem: cùm tamen per alia vitia solùm per accidẽs, & ex consequenti sit volitum hoc, quod est nõ subijci Deo, ex eo quòd est volitũ aliquod bonũ v.g. delectabile, cui est annexa prædicta nõ subiectio, vt cõstat in luxuria, gula, & alijs. *Caietanus*

Ex his impugnatur solutio.

222 His ergo suppositis, prior ex solutionibus præcedenti §. adducta, & ex Vazquez desumpta facilè impugnatur. Quoniam hoc ipso, quòd primum peccatum Angeli debuerit consistere in prosecutione alicuius obiecti spiritualis, & quantum est ex se honesti, nempe vltimi sui finis, voliti tamen ex parte modi volendi non secundùm eum modũ & mensuram, quæ à diuina regula præscribitur, sed potius absque subiectione ad illam: oportet, tum quòd modus volendi prędictum obiectum, sit per modum prosecutionis, tum etiam, quòd ex parte modi volendi sit per se volitum per modũ prosecutionis hoc, quod

est non subijci diuinæ regulæ: ergo etiam oportebit, prædictum primum peccatum non esse inobedientiæ specialiter dictæ, sed superbiæ propriè & peculiariter sumptæ.

Consequentia videtur legitima ex notabili nuper posito. Quoniam tantùm sunt duo vitia per se versantia circa hoc, quod est non subijci Deo, nimirum, specialis inobedientia, & superbia: cumque inobedientia versetur circa illud per modum fugæ & nolitionis, superbia verò per modũ prosecutionis, cõsequẽs est, vt si primũ peccatũ Angeli debuerit cõsistere in prosecutione boni spiritualis cum hoc modo per se volendi per modum prosecutionis prædictam non subiectionem, non debeat pertinere ad inobedientiam specialiter dictam, sed ad superbiam propriè, & peculiariter sumptam.

Probatur primo antecedẽs quoad secundã partem,

Antecedens autem quoad primam partem videtur certum. Quia modus volendi debet esse iuxta naturam volitionis, quam modificat: & ita si volitio est per modum prosecutionis, etiam modus volendi erit per modum prosecutionis. Quoad secundam verò partem, nempe, tunc esse volitam per se, saltem ex parte modi volendi, illam non subiectionem ad Deum, & diuinam regulam, probatur. Tum ratione suprà n. 14. adducta, scilicet, quòd hoc ipso, quòd obiectum volitum, & quæuis conditio ex parte eius se tenens sit quid honestum, necesse est, vt inde non refundatur aliquid malitiæ in modum volendi: & ita malitia in eo reperta ex eo, quòd sit modus volendi non subiectionem respectu Dei, non conueniet ei, quia per accidens velit non subijci, vt in alijs peccatis contingit, id est, ex eo quòd velit aliquod obiectum malum sub ratione aliqua v.g. delectabili, ad cuius volitionem per accidens est volita non subiectio, quia est coniuncta cum prædicto obiecto, vt quid illatum ex ipso, sed quòd per se velit prædictam non subiectionem: quippe quæ non est volita, adhuc ex parte modi volendi, quia sit volitum aliquod obiectum, cum quo est coniuncta, quodque illam affert, ac proinde est volita per se, & ratione sui.

secundo. 223 Tum etiam. Quia Angelus in suo primo peccato nec peccauit ex ignorantia, aut errore, hoc ipso quòd appetijt ex parte rei volitæ obiectum honestum: aut ex infirmitate, quia hoc derogat suæ perfectioni, & integritati, quam habuit ante peccatũ: nec tandem ex malitia ideſt, ex actu, vel habitu vitioso tendente in minus bonum præpositum maiori bono. Et ita nec voluit illam non subiectionem, adhuc ex parte modi volendi, per accidens, sed per se, quia velle per accidens adhuc ex parte modi volendi, prædictam non subiectionẽ, & non per se solum potest oriri ex

Tertio. aliquo ex his capitibus.

Tum deinde. Nam Angelus iuxta suum modum operandi connaturalem, sicut non tendit ad bonum particulare ordinatõ modo, nisi ex conuersione ad vltimum finem qui ex se est ratio volendi omnia media, & bona particularia: ex eo quòd hoc est proprium naturæ perfectæ, & intelligentis, ac volentis res, prout ipsæ petunt intelligi, & esse volitæ: ita non tendit ad bona particularia inordinatè, nisi ex auersione ab vltimo fine per se volita: quia hæc est potissima radix tendendi inordinatè ad particularia bona. Et ita primum eius peccatum debet esse auersio ab vltimo fine per se volita, seu velle per se nõ subiectionẽ ad Deum, & diuinã regulam, in quo prædicta auersio consistit.

Tum denique (per quod magis explicatur præcedens probatio.) Quoniam Angelus ex natura sua habet firmissimè adhærere bono, vel malo semel electo: atque adeò adhæret illi ex firmissimis causis, & radicibus intra lineam boni, & mali, seu intra lineam conuersionis, & auersionis: cõstat autem intra lineã auersionis esse firmiorẽ auersionẽ per se volitam pertinentem ad superbiam, quã auersionẽ volitam per accidens spectantem ad alia vitia: ac proinde Angelus inordinatè volens bonum ex firmissimis causis, debuit eo ipso velle per se auersionem à Deo, seu velle per se non subiectionem ad ipsum, & eius regulam, in quo consistit auersio, de qua loquimur

Vltimo.

Confirmatur. Nam hoc ipso, quòd primum peccatum Angeli debuerit consistere in prosecutione alicuius boni honesti ex parte rei volitæ, & in modo per se volendi per modum prosecutionis prædictã nõ subiectionem, oportet, vt sit per se volita propter aliquam bonitatem illi intrinsecam, & non ponentem in numero cum ipsa: alioqui non esset volita, nisi tantùm per accidens, nempe ad volitionem alicuius alterius boni. Ergo prædicta non subiectio erit per se volita propter excellentiã, quæ apparere videtur in hoc, quod est non subijci alteri. Ergo eo ipso prædictum peccatum debet esse superbia, quæ consistit in inordinato appetitu propriæ excellẽtiæ, qualis est ille, quo quis nõ vult subijci Deo. & ejus regulæ propter excellẽtiam, quæ splendere videtur in hoc, quod est non subijci.

Confirmatur.

Euertitur etiam confirmatio, & explicatio eiusdem solutionis.

224 Ex quo etiam facilè impugnatur confirmatio, & explicatio huius solutionis petita ex dilemmate illo, an nimirum in probatione consequentiæ rationis D. Thomę sumatur regula pro lege formaliter, an verò pro mensura proprię dignitatis, & excellentiæ? Dicimus enim, sumi materialiter pro lege, & formaliter pro mensura propriæ dignitatis & excellentiæ. Quia Angelus appetens bonum ex parte rei volitæ honestum, cum hoc tamen modo volẽdi inordinato, scilicet prædictę nõ subiectionis ad diuinam regulam, vult non subijci illi, non quidem formaliter, vt auertatur ab ea vt tali, & respuat ipsam, sed vt auertendo se ab ea, ac

qui-

quirat illam excellentiam & celſitudinem, quæ ſplendere videtur in hoc, quod eſt non ſubijci prædictæ legi: & ita auertitur ab ea materialiter, vt eſt lex; formaliter verò, vt eſt menſura propriæ dignitatis: quia lex illa ſic conſiderata apponit modum & menſuram neceſſariò ſeruãdam in appetitione propriæ excellentiæ, propriæque beatitudinis cuiuſcumque creaturæ, nimirum, vt non appetatur cum abiectione ſubiectionis ad Deum, & ad diuinam regulam, atque adeò propter excellentiam in hoc ſplendentem: quia hæc excellentia non poteſt eſſe conueniens creaturæ, & per eam valdè derogatur excellentiæ & celſitudini diuinæ: ex eo quod Angelus appetens per ſe hanc non ſubiectionem ex parte modi volendi, plus excellentiæ tribuit ſibi, quàm debuit; Deo autem minùs, quàm ei debebatur: Et ideò Angelicus Doctor 3. cõtra Gent. c. 110. in ſolutione ad 6. loquens de peccato Angeli, ſic inquit: *Patet etiam quòd medium virtutis etiam prætermiſit, in quantũ ſe ſuperiori non ſubdidit: & ſic plus dedit ſibi, quàm debuit: Deo autem minùs, quàm ei debebatur, cui omnia debent eſſe ſubiecta, vt primæ regulæ ordinanti.*

Ang. Doctor.

Vnde ſic intellecto antecedenti illo, quo probabatur conſequentia rationis D. Thomæ, nimirum, quòd appetitus proſecutionis bonorum ſpiritualium ex ſe honeſtorum, & maximè vltimi finis itidem ſpiritualis, & honeſti, non poteſt eſſe peccatum, niſi ſit talis, vt in eo ſuperioris regula non ſeruetur, eſt verum, & ex eo legitimè deducitur conſequentia ibidem illata, nempe, quòd illud peccatũ non poteſt eſſe aliud, quàm ſuperbiæ, per quã non ſubditur quis in eo, in quo debet ſubijci. Siquidẽ planum eſt, quòd peccatum conſiſtens in abiectione diuinæ regulæ, prout lex eſt materialiter, & prout eſt menſura propriæ dignitatis & excellentiæ formaliter, nequit eſſe aliud, quàm ſuperbiæ: quia eo ipſo eſt appetitus inordinatus propriæ excellentiæ. Sicut etiam perſpicuum eſt, appetitum per modum proſecutionis boni ex ſe honeſti non eſſe peccatum, niſi ſit talis, vt in eo ſuperioris regula non ſeruetur, ſumpta regula pro lege materialiter, & formaliter pro ipſa, vt eſt mẽſura propriæ dignitatis & excellentiæ: quia (vt nuper dicebamus) eo ipſo eſt volita, ſaltem ex parte modi volendi, illa nõ ſubiectio ad diuinam regulam, & non vteũque, ſed per modum proſecutionis: appetitus autem per modum proſecutionis boni ſpiritualis, & honeſti, quo ex parte modi volendi eſt per ſe volita prædicta non ſubiectio, non poteſt eſſe peccatum, niſi ſuperioris regula nõ ſeruetur, ſumpta regula materialiter pro lege, & formaliter pro menſura propriæ dignitatis & excellentiæ: ex eo quòd nequit illa non ſubiectio eſſe per ſe volita per modum proſecutionis, niſi ſit volita (vt modò dicebamus) propter excellentiam, quæ ſplendere videtur in hoc, quod eſt non ſubijci, ac proinde niſi ibidem non ſeruetur diuina regula, vt eſt mẽſura propriæ dignitatis & excellentię, præſcribitque modum & menſuram in appetitione propriæ excellentię.

225 Nec id, quòd ibidem â Vazquez adducitur ad probandum prædictum antecedens eſſe falſum, conuincit intentum. Nam in antecedenti fit ſermo de appetitu proſecutionis, tam ex parte volitionis, quàm modi volendi, quo per ſe ſit volita ex parte prædicti modi volendi non ſubiectio ad diuinam regulam. Hic autem ſicut non poteſt eſſe actus inobedientiæ, prout eſt ſpeciale vitium, ſiquidem iſta eſt per modum fugæ & nolitionis, non verò proſecutionis: ita non poteſt eſſe peccatum, ex eo quòd non ſeruetur regula ſuperioris, vt eſt lex formaliter: quia ſic ſolùm reſpicitur ab inobedientia, vt eſt ſpeciale peccatum: & ideò debet eſſe peccatum, quia in eo non ſeruatur ſuperioris regula, vt materialiter eſt lex, & vt formaliter eſt menſura dignitatis & excellentiæ, quandoquidem prædicta non ſubiectio ad diuinam regulam ſolùm poteſt eſſe per ſe volita inordinatè, vel prout eſt formaliter lex, vel prout formaliter eſt menſura propriæ dignitatis & excellentiæ, ſolumque poteſt eſſe (vt nuper dicebamus) vel actus ſpecialis inobedientiæ reſpiciẽtis legem, vt eſt lex formaliter, vel ſuperbię deuiantis à lege, vt formaliter eſt menſura propriæ dignitatis & excellentiæ.

Adde quòd licèt verum ſit, poſſe Angelum verſari circa bona ſpiritualia ex ſe honeſta, cum tranſgreſſione tamẽ diuinæ legis, vt lex eſt, ex eo quòd reſpueret illa, vt opponeretur eidem legi, vt formaliter habet rationem legis, qui quidẽ actus eſſet inobedientiæ, vt eſt ſpeciale vitium: nihilominùs prædictus actus non poteſt eſſe primũ peccatum Angeli: quia cùm ſit per modũ nolitionis & fugæ, nequit in eo conſiſtere primum peccatum, vt ex dictis in ratione D. Th. liquet. Et ita debet præcedere aliud peccatũ per modũ proſecutionis, quod quidem (vt nũc dicebamus) nequit eſſe aliud, quàm peccatum, quo diligitur bonũ ſpirituale ex ſe honeſtũ, non ſeruando tamen in modo diligendi ſubiectionem ad diuinam regulam, vt eſt materialiter lex, & vt formaliter habet rationem menſurę proprię dignitatis & excellentiæ.

226 Imò & hinc ſumitur maior impugnatio huius ſolutionis à Vazquez adductæ. Nã hoc ipſo, quòd primum peccatum Angeli debeat eſſe tale, vt in eo non ſeruetur ſuperioris regula, vt eſt mẽſura propriæ dignitatis & excellẽtiæ, eſt volita nõ ſubiectio ad Deũ, nõ quidẽ formaliter vt eſt legislator, & præcipiens, ſed vt formaliter habet rationem primi ex-

Retorquentur contra Vazquez ea quæ pro ſe adducit.

cellentis, mensuratè distribuens vnicuique suam excellentiam, & vt præscribit per modum primi excellentis mensuram excellentiæ vniuscuiusque: ergo eo ipso est per se volita nõ subiectio directè oppositæ virtuti humilitatis: atque adeò prædictus actus debebit esse superbiæ propriæ & specialiter dictæ. Hæc secunda consequentia ex priori, & ex illis, quę in notabili nu. 120. posito diximus, apertè patet. Prior verò ex antecedenti. Quia proprium est humilitatis, per se apponere in suo actu modum subiectionis ad Deum, vt ad primum excellens, per quam moderetur appetitum propriæ excellentiæ: & ita per se velle hanc non subiectionem, erit directè oppositum modo subiectionis, ad quem per se tendit humilitas.

Antecedens autem probatur. Quoniam sicut inobedientia dicit non subiectionem ad Deum, vt legislatorem, quia dicit nõ subiectionem ad eius legem, vt lex est, & hæc sic formaliter sumpta subordinatur ipsi, oriturque ab eo, vt est formaliter legislator: ita actus, quo ex parte modi volendi est per se volita non subiectio ad diuinam regulam, vt formaliter est mensura propriæ dignitatis & excellentiæ, dicit non subiectionem ad Deum, vt formaliter est primum excellens mensuratè distribuens vnicuique suam excellentiam: ex eo quòd lex illa formaliter est mensura propriæ dignitatis & excellentiæ respectu appetentis, subordinatur Deo, oriturque ab illo materialiter, vt est legislator, formaliter verò vt habet rationem prædicti primi excellentis.

227 Ex quibus omnibus satis constat, nihil prodesse huic solutioni id, quod primo loco ad eam explicandam ex Vazquez adductum est, nempe, testimonium illud Isidori, in quo habetur, superbum dici, quia super vult videri, quàm est, & communem diffinitionẽ superbiæ, qua dicitur, superbiam esse appetitum propriæ excellentiæ supra debitam mensuram. Ex dictis igitur constat, hoc nihil prodesse prædictæ solutioni. Nam appetenti bonum spirituale, volendo ex parte saltem modi volendi nõ subijci legi, vt est lex materialiter, & formaliter vt habet rationem mensuræ, competunt illa duo, nimirum, quòd super vult videri, quàm est, siquidem quantum est ex parte sui modi volendi vult videri nõ subiectus legi, & similiter etiam vult propriam excellentiam vltra debitam mensuram, quippe qui vult hanc excellentiam, quæ videtur splendere in hoc, quod est non esse subiectum legi, & hæc excellentia est supra ipsam legẽ, vt formaliter est mensura propriæ dignitatis & excellẽtię. Potestque hoc explicari exẽplo eius, qui per modum prosecutionis vellet non subijci legibus Dei, aut illius Reipublicæ, cuius esset ciuis: nam huic competeret illa duo, hoc ipso quod sic vellet non subiectionem ad prædictas leges.

§. V. *Euersio aliarum solutionum.*

Refutatur ex dictis quinta solutio.

228 EX quibus omnibus facile corruũt ęqui ræ solutiones ad rationẽ D. Thomæ, quas n. 219 vsque ad n. 221. adduximus. Nam in primis ea, quæ immediatè sequitur post solutionem ex Vazquez desumptam, & modò impugnatam, quæ est quinta in ordine, facilè euanescit ex dictis. Nam hoc ipso, quòd Angelus debuerit in suo peccato per se velle ex parte modi appetendi nõ subiectionem ad diuinam regulam, in appetitu suæ beatitudinis naturalis & excellẽtiæ illius (vt dictum est) debuit etiã per se velle suã excellentiã spreta eadem regula. Nã, vt optimè notauit Caietanus 2. 2. q. 162. art. 6. nihil est aliud in superbia contẽptus regulę, quàm per se velle ei non subijci: quoniã qui per se vult auerti à Deo, & ab eius subiectione, contẽnit subijci illi. Et ita si Angelus debuit velle illud prius in suo peccato, oportet, quòd voluerit hoc posterius: & per consequens ex hoc capite nihil obstabit, quominùs primum peccatum Angeli debuerit esse superbiæ. *Caiet.*

Impugnatur sexta solutio.

Et deinde 6. solutio facilè etiam impugnatur ex dictis. Quoniã hoc ipso, quòd Angelus per se voluerit non subiectionem ad diuinam regulã ex parte solius modi volẽdi, ac proinde tanquã modũ suæ volitionis: oportet, vt sub ea ratione volitio modificata per prædictũ modũ prosequatur obiectũ excellens, sub qua modus iste vult per se prædictã non subiectionẽ. Cũque talis modus volendi per se velit hãc nõ subiectionẽ propter excellẽtiã, quę splendere videtur in hoc, quod est nõ subijci, vt ex dictis constat: oportet, vt actus ille modificatus per eundem modum volendi, & terminatus ad obiectum illud excellens, nẽpe ad propriam beatitudinem Angeli, terminetur ad illam, vt est obiectũ excellens. atque adeò hinc nihil obsit, quominùs prædictum primum peccatum debuerit pertinere ad superbiam propriè & specialiter sumptam.

Elucidatur amplius.

Potestque hoc confirmari, & explicari ex eo, quòd Angelus volẽs per se ex parte modi volendi prædictam non subiectionem, per se etiã voluit ex parte eiusdẽ modi volẽdi nõ ordinare suam beatitudinem naturalẽ in beatitudinẽ supernaturalem, vt in excellentiorẽ, & in Deum vt est obiectum beatificũ: ac proinde eo ipso virtualiter & interpretatiuè præposuit ex parte modi volendi suam beatitudinẽ naturalem supernaturali, tanquã excellẽtiorem. Nam sicut ordinatio beatitudinis naturalis in supernaturalem denotat appretiationẽ huius supra illam: ita per se velle non ordinare, nec subijcere beatitudinem naturalẽ supernaturali, dũ potest, & tenetur innuit virtualẽ & interpretatiuã appretiationem

nem beatitudinis naturalis supra supernaturalem, tanquam beatitudinis excellentioris. Constat autem, hoc satis indicare appetitum illum ferri in beatitudinem sub ratione boni excellentis.

Impugnatur septima solutio.

229 Similiter autem septima solutio ex dictis etiam facilè euanescit. Quoniam ex eis satis constat, quomodo prædicta non subiectio ad Deum, & eius regulâ debuerit ex parte modi volendi esse volita ab Angelo in primo suo peccato. Nec id, quod in eadem solutione adducitur in contrarium, nempe, illam omissionem ordinationis beatitudinis naturalis in Deum per actum charitatis præcisè fuisse volitam per se, vt erat pura omissio actus charitatis, & ordinationis per illam, intentum conuincit, vt constat ex illis, quæ in hac disputatione dubio 6. n. 187. diximus. Nam illa non ordinatio est per se voluntaria tantummodò ex parte modi volendi, seu tanquam modus actus prosecutionis, quo Angelus appetijt suam excellentiam, & vt constituit vnicum peccatum commissionis cum illo: at, vt præcisè est pura omissio charitatis, & ordinationis illius, non est modus prædictæ prosecutionis, nec constituit cum illa vnicum peccatum commissionis, sed vt est omissio eiusdem ordinationis, quatenus est mensura & modus seruandus in dilectione propriæ excellentiæ, per quem beatitudo naturalis tunc appetita appetitur cum debita subiectione ad Deum, vt ad finem supernaturalem. Et ideò, si per se est volita illa non ordinatio, vt modus illius actus prosecutionis, quo Angelus voluit suam excellentiam naturalem, erit per se volita ex parte modi volèdi, secundũ quòd est modo dicto carentia debitę subiectionis ad Deũ, vt est finis supernaturalis

Refutatur alia via.

Adde, quòd etiamsi dicatur, omissionẽ ordinationis per charitatem secundùm id, quod charitas expressè & formaliter dicit, esse modũ illius actus, quo Angelus suam excellentiã naturalem dilexit, tunc id tantùm potest verificari in sensu identico, ex eo quòd identificatur cum eadem omissione ordinationis, vt est mensura propriæ excellentiæ, non verò per se, & formaliter, sic enim solùm cõstituit peccatũ omissionis. Cæterùm secundùm alterã rationẽ est formaliter modus prædicti actus, estque voluntaria tanquã modus illius: & ita secundum hanc rationẽ priùs debet esse coniuncta cum illo actu, priusque debet esse voluntaria: siquidem vniuersaliter loquendo id, quod coniungitur cũ altero ratione alicuius, cũ quo identificatur, non coniungitur illi immediatè, sed mediante eo, cum quo habet idẽ tificari: ac proinde illa omissio secundùm eã rationem, secundùm quam est formaliter modus, erit per priùs, & per se voluntaria, & secũdùm alteram rationẽ solùm per posteriùs, & per accidens habebit esse voluntaria.

230 Nec refert, si vrgeas, quòd dũ datur ordinatio per charitatem beatitudinis naturalis, tunc priùs est illa ordinatio secundùm id, quod expressè & formaliter dicit, quàm secundùm id, quod de materiali importat, nempe, vt est mensura appetitus propriæ excellẽtiæ beatitudinis naturalis: ergo eadem ratione, dum datur omissio illius, priùs erit omissio ordinationis charitatis secundũ id, quod charitas expressè & formaliter dicit, quàm omissio eiusdẽ quoad id, quod de materiali importat, nempe, quoad prædictam rationẽ mensuræ.

Replica.

Respondetur enim, negando consequentiam. Et ratio disparitatis est. Quoniam ordinatio per charitatem secundùm vtramque rationem est voluntaria per modum actus positiui, ac proinde per se, & ratione sui: & ideò potest in ea seruari idem ordo in ratione voluntarij, quem rationes illius secundùm se seruant, qualis est ille, qui in antecedenti huius obiectionis depingitur. Cæterùm omissio tantùm est voluntaria ratione alterius, ideſt, vel ratione actus, qui est causa, vel occasio illius, vel quia est modus alicuius actus positiui, & cum eo constituit vnicum actum, qui hoc ipso, quòd sit voluntarius, debent ratione illius esse voluntarij modi priuatiui ad eius integram constitutionem concurrentes. Et ita prædicta omissio per prius erit voluntaria, vt formaliter habet rationem modi talis actus, quàm secundùm quòd solùm identicè illum modificat, nempe, secundùm quòd est omissio charitatis quoad id, quod charitas expressè & formaliter dicit.

Solutio.

231 Ex quibus etiam satis constat, corruere octauam solutionem. Nam etsi daremus, posse volentem aliquod bonum rationi dissonũ constituere ex parte modi volendi suũ vltimũ finem in illo, & in semetipso, ita vt ille modus volèdi esset talis conditionis, quòd ratione illius delinqueret contra præceptum speciale non volendi aliquid vltra Deum per modum vltimi finis: non tamen quando appetens in suo primo peccato vult aliquod bonũ spirituale, & ex se honestum, nempe suum vltimũ finem naturalem, vt in præsenti contingit: tunc enim ex parte solius modi volèdi nequit ibidem primò delinquere contra præceptum illud speciale nõ cõstituendi in alio, præterquam in Deo, suũ vltimum finem, sed primũ illud peccatũ necessariò debet esse superbiæ, (siquidem, vt nunc dicebamus) debet ex parte modi volendi esse per se volita non subiectio ad diuinã regulã in sensu explicato, & hoc peccatũ necessariò debet esse superbię

Impugnatur octaua solutio.

232 Et tandem ex dictis etiam liquet, euanescere vltimam solutionem ex Scoto desumptam. Quoniam amor amicitiæ non est inordinatus, nisi vel bonum concupitum amico sit rationi dissonum, vel modus volendi

Præcluditur vltima euasio.

volendi sit talis, vt non seruetur subiectio ad diuinam regulam. At si primum inueniatur in illo amore, erit inordinatus inordinatione pertinente ad speciem boni inordinatè concupiti: vt siquis sibi appetat delectationes venereas, tunc ille amor, vt terminatur ad volentem, habet rationem amicitiæ inordinatæ per inordinationem veneream, talisque amicitia respectu sui est (vt sic dicamus) amicitia venerea, vt constat ex illis, quæ n. 21. huius disputationis diximus. Si verò bonum volitum sit ex se honestum, & ille actus amicitiæ solùm ex parte modi volendi fuerit deordinatus, talisque deordinatio fuerit prima, per quam appetens delinquit, tunc illa amicitia erit (vt sic dicamus) amicitia superba, habebitque deordinationem pertinentem ad superbiam propriè & specialiter dictam: si quidem, vt ex dictis liquet, eo ipso modus ille volendi nõ subijci diuinæ regulę per modum prosecutionis, esset modus per se volendi eandem non subiectionem propter excellentiam, quæ apparere videtur in hoc, quod est non subijci alteri, quodquidem (vt constat) est peccatum superbiæ,

Roboratur primò ex Caietano.

Adde primò, quòd vt n. 21. dicebamus ex Caietano, sicut delectabile non potest esse primum appetitum, sed appetitus delectabilis sequitur naturaliter appetitum conuenientis, quemadmodum ipsa delectatio est quies in bono conuenienti comuncto: ita prima deformitas in appetitu alicuius obiecti non est deordinatio appetitus boni delectabilis, sed illius boni, ad quod consequitur ratio delectabilis.

Secundo ex eodem.

Adde secundò, quòd (vt ex eodem Caietano ibidem dicebamus) delectatio bonorũ spiritualium ex se honestorum, quantumuis sit intensa, nihilominùs non ob id est deordinata. Quia talis est delectatio, quale est obiectum, circa quod versatur: & propterea delectatio non constituit speciale vitium, sed iuxta diuersitatem obiectorum, circa quæ versatur, habet esse huius, vel illius speciei, vt patet in delectatione venereorum, aut ciborum.

§. VI. Enodatio triplicis obiectionis ex dictis deducitur.

Obiectio prima contra rationẽ supra factã pro assertione.

233 EX his etiam colligitur solutio triũ obiectionum, quę contra assertionem, & eius rationem fieri poterant. Prima est, quòd primum peccatum Angeli, esto debuerit esse circa obiectum spirituale, nihilominùs non ideò debuit esse superbiæ, sed potuit esse hæresis, infidelitatis, aut idololatriæ, vel iniustitiæ, aut odij Dei, & proximi, inuidiæ, pertinaciæ, discordiæ, accidię, iræ, vel præsumptionis, inanis glorię, ambitionis, aut pusillanimitatis, aut alterius affectus versantis circa corporea sub ratione aliqua spirituali: siquidem omnia ista peccata potest Angelus committere, & in primo instanti, & in secundo, in quo peccare potuit, liberè ab illis abstinuit.

Soluitur ex dictis.

Ex dictis igitur ad hanc obiectionem patet solutio. Nam in primis infidelitas, hæresis, & idololatria nequeunt esse primum Angeli peccatum: quia omnia hæc includunt speciali titulo nolitionem, nempe, vel assentiendi veritatibus reuelatis, vel exhibẽdi Deo singularitatem in cultu, & honore. Et similiter peccata odij Dei, & proximi, aut inuidię, in quibus speciali titulo nolitionem reperiri notum est: siquidem primum peccatum Angeli debuit consistere in actu prosecutionis, nõ verò in actu nolitionis, aut in actu speciali titulo illam includente, & ratione eius præcisè habente rationem peccati, vt in prædictis peccatis, necnon & in alijs (de quibus statim dicemus) contingit. Sicut etiã prædicta peccata necnon & iniustitia nequeunt esse primum peccatum Angeli: ex eo quòd non versantur circa obiectum quantum est de se moraliter bonum: & ideò supponunt errorem in intellectu, qui tamen (vt diximus) non potuit esse in Angelo ante suum primum peccatũ. Et deinde pusillanimitas non potuit esse primum peccatum: quia, vt docet D. Thomas 2.2.q.133. specialiter importat actum nolitionis, qua recusamus tendere in ea, quæ sunt nobis commensurata. Et ob eandem causam excludenda sunt peccata pertinaciæ, & discordiæ, quæ (teste D. Thoma 2.2.q.132.art. 5) nolitionem, vel credendi sententiæ meliori, vel discedendi â propria voluntate important. Nec non & peccata accidiæ, & iræ, quæ cùm tristitiam quãdã includant, vt docet D. Thomas 2.2.q.35.art.1. & q. 158 art. 2. ad 3. speciali quoque titulo actũ nolitionis afferunt. *D. Thom.*

234 Et deinde ex dictis etiã constat, cur primum peccatũ Angeli nõ potuerit esse præsumptio, ambitio, aut inanis gloria: quia omnia hæc oriuntur ex superbia propriè dicta, & ad finẽ illius ordinantur, ex eo scilicet quòd quis inordinatè appetit propriã excellẽtiã, vt de præsumptione docet D. Thomas 2.2.q.21.art.4. & q. 132. art. 5. & de inani gloria ibidẽ, & art. 4. & q. 37. art. 2. ac tandẽ de ambitione q. 131. art. 1. & ideò non potuĩt esse prima peccata Angeli, siquidem iã diximus primum Angeli peccatũ debuisse esse circa finẽ vltimũ: & cùm hæc ex inordinato amore proprię excellentiæ oriantur, nullatenus eorũ obiecta per modum finis, sed solùm in ordine ad alium finem, nẽpe propriam excellentiã priùs volitã, potuerunt ab Angelo appeti. Sicut etiam ob hanc eandẽ rationem pertinacia, & discordia relegantur iterum à ratione primi peccati Angelici: quia hęc duo peccata (teste D. Thoma 2.2.q.132. art. 5. & q. 37. art. 2.) oriuntur à superbia. *D. Thom.*

Et si-

Et similiter alij affectus, quibus Angelus potest tendere in obiecta corporea, non vt corporea, sed secundùm aliquam rationem ipsis cum rebus spiritualibus communem, vel quatenus ad res spirituales ordinantur, debent reijci à ratione primi peccati Angelici, cuiusmodi sunt affectus iniustè destruendi bona corporalia, vel illa lædendi, quatenus talis destructio, vel læsio essent quid conueniens ad aliquem finem spiritualem à se intentum, vel affectus constituendi, aut detinendi rem corpoream in aliquo loco, vt spiritualis alicuius hominis salus impediatur, vel voluntas acceptãdi sacrificia corporea, vel alias operationes corporeas, vt sunt signa diuini honoris sibi exhibiti, & alij similes: quia obiectum horum omnium affectuum non est aliquid volitum per modum finis vltimi, & rationis sui, sed tanquam medium in ordine ad aliquem spiritualem finem priùs intentum.

Secũda obiectio, Vazquez.

235 Secunda obiectio ex Vazquez desumpta est, quòd si ratio D. Thomæ aliquid probaret, suaderet vtique, Angelũ nunquam posse peccare, nisi peccato superbiæ: hoc autem est apertè falsum, vt constat: ergo &c. Sequela probatur. Quoniam quoduis peccatum Angeli debet esse circa aliquid spirituale, non seruando debitam regulam: & ita si hoc sufficit ad peccatum superbiæ, vt in ratione D. Thomæ dicitur, consequens erit, vt nunquam possit peccare, nisi peccato superbiæ.

Enodatur.

Respondetur enim ex dictis, negando sequelam, si sensus illius sit (vt reuerà est) quòd Angelus tantùm possit delinquere superbè, adhuc post primum peccatum: secùs verò si sensus fuerit, quòd omne aliud peccatum subsecutum ad primũ debet oriri ex illo, ac proinde ex superbia. Et ad probationem in contrarium dicendum est, quòd etsi dum Angelus debet versari in suo peccato circa suum finem vltimum spirituale, & absque aliquo errore, qualiter in primo peccato potuit contingere, tunc debuit peccare peccato superbiæ, vt dictum est, non tamen ob id non poterit posteà alijs peccatorum speciebus delinquere: quia postquam semel primò deliquit circa suum vltimum finem, potest posteà peccare circa media, & per actum nolitionis & fugæ, & præcedente errore: & ita non est necessarium, quòd ex eo, quòd delinquat adhuc tunc circa aliquid spirituale, quòd peccet solùm peccato superbiæ, sed potest alijs peccatis spiritualibus delinquere.

Adde, quòd postquam semel superbè peccauit, potest etiam delinquere circa obiecta corporea, vt iniustè occidendo homines, vt ex se constat. Et licèt hanc occisionem exequatur ad consequendum aliquem finem spiritualem à se intentum, non tamen ob id desinit esse reus peccati homicidij.

236 Tertia obiectio est, quòd ex hac ratione D. Thomæ solùm videtur sequi, non potuisse Angelum per potentiam moralem aliter primò delinquere, quàm peccato superbiæ, non verò per potentiam physicam: ergo, &c. Antecedẽs probatur. Quia alioqui oppositum naturaliter repugnaret: hoc autem videtur nimis durum: siquidem fuit liber in eo instanti ad committendum quoduis peccatum in quocumque signo illius. Tertia obiectio.

Ad hanc obiectionem respondent aliqui, concedendo antecedens. Attamen, vt ex dictis constat, negari debet, saltem loquendo de impotentia physica respectu Angeli operãtis defectuosè iuxta modum deficiendi magis (vt sic dicamus) proportionatum suæ naturæ defectibili, & defectui ordinis, quem suus primus actus ex se exigit. Et ad probationem dicendum est, verã esse maiorem, sed iuxta dicta falsam minorem. Ad cuius subsumptã probationẽ patet ex dictis, quomodo licèt in quouis signo *in quo* potuerit cõmittere alia peccata, attamen non in quouis signo *à quo*, sed dependenter ab alio priori peccato, nempe à peccato superbiæ priùs commisso. Solutio.

Potestque hæc repugnantia, quam modo dicto habet Angelus, vt secundùm communẽ cursum aliter primò delinquat, quã superbè, explicari ratione desumpta ex suprà dictis ex Angelico Præceptore, in hunc tamen modũ expensis. Quoniam actus, quo Angelus dilexit suam beatitudinem naturalem, & eius excellentiam, fuit diuersimodè consideratus primus actus necessarius, primusque actus liber suæ voluntatis: ergo in eo debuit cõsistere primũ eius peccatũ, ex eo quòd elicuerit illũ absque debita ordinatione in Deũ finẽ supernaturalẽ: ergo tale peccatũ debuit esse superbiæ.

237 Antecedens probatur, & explicatur. Nam seorsim, & secundùm se consideratus fuit necessarius, tã quoad specificationẽ, quã quoad exercitium, vt disput. præcedẽti n. 57. & deinceps dicebamus. Et deinde fuit primus actus necessarius: quia per illum constituitur voluntas Angelica in actu primo in ordine ad se mouẽdũ ad reliquas operationes naturales, vt ibidem ostẽdimus. Et tãdẽ, vt est elicibilis vnà cum ordinatione per charitatem in Deũ finẽ vltimum supernaturalẽ, vel cũ priuatione illius, est actus (vt ex se constat) liber, & primus inter actus liberos: ex eo quòd primũ exercitiũ liberũ, quod per hunc actũ, secũdùm quòd est quoad suã substantiam necessarius; potest volũtas Angeli habere, est, vel elicere illũ vnà cũ debita illa ordinatione, vel sine illa, ac proinde elicere illũ, vel simpliciter rectũ, vel simpliciter, & absolutè deordinatum & obliquum.

Prima consequentia ex antecedenti constat. Nã hoc ipso, quòd prædictus actus secũdùm hanc posteriorẽ rationem nuperdictam

deb. 15

debeat esse primus actus liber voluntatis Angelicæ, nõ potest non prædicta voluntas, vel elicere illum cum ordinatione iam dicta per charitatem ad Deum finem supernaturalem, & sic nulla ratione tunc peccasset, vel sine illa, & ita primum peccatum illius solummodò reperiretur in primo actu iam dicto, quia fuisset elicitus absque tali ordinatione.

Ex quo secunda consequentia patet. Quia hoc ipso, quòd ille actus sit primò deordinatus per hoc, quòd nõ referatur, & subijciatur excellentia beatitudinis naturalis per eum appetita in finem supernaturalem, diligitur illa excellentia absque debita mensura, subiectione, & modo à Deo præscripto: ac proinde prima deordinatio in eo inuenta non erit alia, quàm appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, in quo ratio superbiæ consistit.

DVBIVM VIII.

Vtrùm ad primum peccatum Angeli debuerit in intellectu eius præcedere aliquis error, vel aliqua inconsideratio?

QVIA sæpiùs diximus, ante primum peccatum Angeli non potuisse in intellectu eius præcedere aliquē errorem, & Angelicus Præceptor locis statim referendis docet, debuisse præcedere aliquam inconsiderationem, idcircò ad hoc discutiendum, & ad explicandum ex omni capite primum Angeli peccatum, idest, tam ea, quæ ex parte voluntatis, quàm ex parte intellectus concurrerunt, oportuit dubium hoc excitare.

§. 1. *Assertio prior ex Angelici Doctoris mente vnà cum ratione illius.*

Prima conclusio.

238 DIcendum ergo est primò, non potuisse ante primum Angeli peccatum præcedere in intellectu eius aliquem errorem. Ita D. Thomas art. 1. huius q. in solutione ad 4. vbi sic habet: *Dicendum, quod peccatum mortale in actu liberi arbitrij contingit esse dupliciter Vno modo ex hoc, quòd aliquod malum eligitur: sicut homo peccat eligendo adulterium, quod secundùm se est malum. Et tale peccatum semper procedit ex aliqua ignorantia, vel errore: alioquin id, quod est malum, non eligeretur vt bonum. Hoc autem modo in Angelo peccatum esse non potuit.* Et 3. contra Gentes c. 110. in solutione ad 1. rationem his verbis. *Non enim cogimur dicere, quòd error fuit in intellectu substantiæ separatæ, iudicando aliquid bonum, quod bonum non sit:* necnon in hac 1. p. q. 58. art. 5. & q. 16. de Dæmonibus art. 6. ac tandem in 2. dist. 11. q. 1. art. 5. ad 4. vbi sic ait: *Dicendum, quòd quamuis in Angelis non possit esse falsa opinio, &c.* Vnde S. Doctorem sequuntur communiter eius discipuli, vt Caietanus, Bañez, Nazarius, Ripa, & Zumel ad art. 2. & 3. huius q. Capreolus in 2. sentent. dist. 4. q. 1. ad argum. contra 1. conclus. Medina 1. 2. q. 77. art. 2. & ibidem iterùm Caietanus, Conradus q. 75. art. 1. & hoc ipsum tuētur aliqui antiquiores Theologi, quos refert Vazquez disp. 235. c. 2. & tandem alij ex Iunioribus, vt Suarez in suo tomo de Angelis lib. 7. c. 4. & 10.

Caietanus *Bañez.* *Nazarius* *Ripa.* *Zumel.* *Capreolus* *Medina.* *Caietanus* *Conrad.* *Vazquez.* *Suarez.*

239 Ratio autem fundamentalis huius assertionis desumitur ex D. Thoma locis citatis, & præcipuè q. 16. de Dæmonibus art. 6. iam relato, potestque sub hac forma proponi. Quoniam omnis falsa æstimatio, seu error procedit ex defectu alicuius principij cognoscendi: sed in Angelo ante suum primum peccatum non potuit esse defectus alicuius principij cognoscendi, tam respectu obiectorum naturalium, quàm supernaturalium, supposita eleuatione illius in finem supernaturalem: ergo ante prædictum peccatum non potuit in eo esse aliquis error. Consequentia nõ indiget probatione. Maior autem probatur ab Angelico Doctore in dicto articulo 6. sic: *Falsa opinio (siue error) est quadam defectiua operatio intellectus, sicut partus monstruosus est quadam defectiua operatio naturæ. Vnde Philosophus dicit in 6. Ethicorum, quòd malum intellectus est falsum. Defectiua autem operatio semper procedit ex defectu alicuius principij: sicut ex aliquo defectu seminis procedit monstruositas partus, vt dicitur in 2 Physicorum. Vnde necesse est, quòd omnis falsa æstimatio procedat ex defectu alicuius principij cognoscendi, sicut in nobis falsa opinio accidit plerumque ex indebita ratiocinatione.* *D. Thom.*

Ratio fundamentalis.

Minor autem quoad primam partem, nempe, quod non possit in Angelo esse defectus alicuius principij cognoscendi respectu obiectorum naturalium, suadetur ab eodem Angelico Præceptore. Tum, quia nihil potest deficere quantum ad id, ad quod semper est in actu secundùm suam naturam; sed in eo aliquid deficere potest, respectu cuius est in potentia: nam id, quod est in potentia, potest subijci, & perfectioni, & priuationi: actus autem opponitur priuationi, ad quam pertinet

omnis

omnis defectus. Sed Angelus secundùm conditionem suæ naturæ actu habet perfectam notitiam omnium eorum, ad quę vis sua cognoscitiua naturaliter se extendit. Ergo nõ potest habere defectum alicuius principij cognoscendi prædicta obiecta naturalia. Tum etiam. Quia Angelus non discurrit à principijs ad conclusiones, sed statim in ipsis principijs notis conclusiones videt. Vnde, sicut in nobis nõ potest esse defectus alicuius principij cognoscendi circa prima principia naturaliter nobis nota, ita neque in Angelo.

240 Quoad secundam verò partem, nimirum, non posse in Angelis ante primum peccatum esse defectũ in principijs cognoscendi obiecta supernaturalia, probatur eadẽ minor. Quoniam licèt respectu horum obiectorum, quippe superexcedentium, sit Angelus in potentia, & propterea indigeat confortari lumine supernę gratię: nihilominùs quia ante primum peccatum voluntas Angeli nõ est deordinata, ideò nequit esse defectus ex parte principij cognoscendi prædicta obiecta: quandoquidem ex voluntate deordinata prouenit applicare suum intellectum ad iudicandum de illis, quæ cognitionem eius, & vim suorum principiorum excedunt, itavt attentis omnibus sit aliquod periculum errãdi, si intellectus iudicet de illis.

Et propterea Angelicus Doctor, postquã ex excessu obiectorum supernaturalium supra intellectum Angeli intulit, illum esse in potentia ad eorum cognitionem, indigeregue ad ista illustratione diuinæ gratiæ, ac tãdem respectu huius cognitionis gratuitę posse in quolibet Angelo aliquem defectum dari, statim addit: *Aliter tamen, & aliter: Nam in bono Angelo potest quidem respectu huiusmodi cognoscibilium esse defectus, sed simplicis negationis* (ideſt, quia non cognoscunt illa) *secũdùm quod Dionysius dicit 7. capite Ecclesiasticæ Hierarchiæ, quòd à nescientia purgantur: non autem potest in eis esse defectus falsæ opinionis: quia cùm voluntas eorum sit ordinata, non applicant suum intellectum ad indicandum de illis, quæ cognitionem eorum excedunt. Sed in malis Angelis propter inordinatam, & superbam voluntatem, potest esse respectu huiusmodi cognoscibilium etiam defectus falsæ opinionis, in quantum exhibent præsumptuosè suum intellectum ad indicandum de his, quæ eos excedunt.* D. Thom.

§. II. *Solutio prior rationis Angelici Præceptoris.*

Prior solutio ad rationẽ factam. 241 NEc obest, si occurras ex doctrina aduersariorũ, quos infrà in hoc eodem dubio referemus, falsam esse minorẽ huius rationis D. Thomæ quoad primã eius partem, scilicet, nõ posse in Angelo esse defectũ in principijs cognoscendi res naturales, ac proinde potiori iure nõ esse admittẽdã eãdẽ minorẽ quoad posteriorẽ partẽ de obiectis supernaturalibus. Nec probatio prioris partis eiusdem minoris est vera. Si quidem adhuc respectu obiectorũ naturaliũ nõ semper Angelus est in actuali cognitione omniũ illorũ: alioqui quæuis cognitio eorũ mensuraretur æuo, nõ verò instãtibus discretis, aut tempore Angelico: sicut cognitio, qua Angelus suã substantiã cognoscit, ideò mensuratur æuo, quia semper & indefectibiliter est in actuali cognitione sui.

Eneruatur. Nõ igitur hæc solutio obest. Quoniã vis rationis D. Thomæ, & minoris propositionis in ea sumptæ nõ cõsistit in hoc, quòd Angelus semper habeat actu perfectã notitiã omniũ eorũ, ad quæ vis sua cognoscitiua naturaliter se extẽdit, prout habere actu perfectam notitiã dicit habere actualẽ, & perfectam cõsiderationem omniũ eorũ, sed solùm, prout denotat actualẽ, & perfectã notitiã per modũ habitus, & est mediũ quoddam inter esse in actuali consideratione perfecta prædictorũ obiectorũ, & esse in potentia ad illa. Sed Angelus semper est per modũ habitus in actuali, & perfecta notitia omniũ obiectorũ, ad quæ eius cognitio naturaliter se extendere potest. Ergo respectu eorũ nõ potest in eo esse defectus ex parte alicuius principij cognoscendi: & per consequens nec aliqua falsa existimatio, seu error. Consequentia est legitima, vt ex statim dicendis magis patebit. Minor autẽ etiã liquet. Quoniã intellectus Angeli à primo instanti suæ cõditionis habuit actu habitualem scientiã omniũ obiectorũ naturaliũ, ad quæ sua cognitio naturaliter se extẽdere potest: quia ratione excessus in gradu suæ immaterialitatis distinguitur ab intellectu nostro, qui secundùm se, & in initio suę productionis est in pura potentia respectu omnium intelligibilium adhuc naturalium, caretque scientia habituali eorumdem, & discursu temporis illam acquirit.

Maior autẽ, in qua est difficultas, probatur. Quoniã Angelus nõ solùm habet congenitã sibi scientiã habitualẽ vtcũque prædictorũ obiectorũ, sed omninò perfectã, & habitualiter extensam ad omnia illa: quia hoc exigit maxima perfectio sui intellectº, vt ex se videtur cõstare. & ex statim dicendis amplius patebit. Sed cũ hac sciẽtia nequit cohęrere aliquis defectus in principijs cognoscẽdi prædicta obiecta, sicut nec cum actuali, & perfecta consideratione scientifica eorũdẽ: vt patet in nobis, qui nõ solùm dũ sumº in actuali cõsideratione sciẽtifica alicuiº obiecti, nõ possumº deficere in cognitione illiº, siue errare, sed etiã dũ sumº in habituali, & habitualiter extẽsa ad illud: quoniã talis sciẽtia ita illuminat, & cõfortat intellectũ habitualiter, vt nequeat cũ ea cõponi defectus in principjs cognoscendi prædictũ obiectum,

& per conſequens nec falſa exiſtimatio, ſiue error circa illud.

Confirmatur 1. 242 Confirmatur. Quoniam hoc ipſo, quòd nos habeamus habitum primorũ principiorum, non poſſumus habere defectum in principijs cognoſcendi prædicta principia, etiamſi non ſimus in actuali conſideratione eorumdem: ergo eadem ratione, hoc ipſo quòd Angelus ſit in actuali, & perfecta notitia per modum habitus eorumdem obiectorum, ad quæ ſua cognitio naturaliter ſe extendere poteſt, nequibit in eo eſſe defectus in principijs cognoſcendi eadẽ obiecta, atque adeò nec falſa exiſtimatio illorum. Conſequentia patet, tum ex paritate rationis: tum etiam, quia Angelus non cognoſcit per diſcurſum ex principijs concluſiones, ſed in ipſis principijs naturaliter cognitis, poteſt eodem intuitu attingere prædictas concluſiones. Et ideò, ſicut in nobis non poteſt ineſſe falſa opinio circa prima principia naturaliter nobis nota: ita neque Angelo poteſt ineſſe falſa opinio circa concluſiones, quæ naturali eius cognitioni ſubſunt.

Confirmatur 2. Confirmantur tandem cuncta iſta. Quoniam ſicut actus hæreſis per ſe opponitur, tã cũ actu, quàm cum habitu fidei, & ideò non poteſt cũ aliquo illorũ cohærere: ita error actualis circa aliquod obiectũ ex his, quæ Angelus naturaliter cognoſcere poteſt, per ſe opponitur cũ ſcientia actuali, vel habituali cũ eodem Angelo cõgenita, & propterea nequit cũ aliquo iſtorũ cohærere, quippe qui per ſe, & ab intrinſeco eſt deſtructiuus illorũ, & ècontrà: ac proinde hoc ipſo, quòd Angelus debeat ſemper, & inceſſanter habere ſibi cõgenitũ habitũ ſciẽtię omniũ obiectorũ, ad quæ naturaliter poteſt ſe extẽdere, nequibit eſſe in eo aliquis error, ſiue aliquis defectus in principijs cognoſcendi prædicta obiecta, qui quidem ad errorẽ neceſſariò deſideratur.

243 Quæ omnia cõplexus eſt D. Thomas in eadẽ q. 16. articulo citato in ſolutione ad 4. vbi cùm ſibi ſic obieciſſet: *Vbicumq; poteſt inueniri potentia ſine actu, ibi poteſt eſſe malũ vt patet per Philoſophũ in 9. Metaphyſicorum. Sed in intellectu Angelico etiã quantum ad naturalẽ cognitionem poteſt eſſe potentia ſine actu. Non enim ſimul actu conſiderant omnia, ad quæ eorũ naturalis cognitio ſe extendit: alioqui non mutarentur per tẽpora, vt Auguſtinus dicit in 8. ſuper Geneſ. ad litter. Ergo in intellectu Angeli poteſt eſſe malum. Sed malum intellectus eſt falſum, vt dicitur in 6. Ethicorum. Ergo &c.* Cùm igitur S. Doctor ſic ſibi obieciſſet, reſpõdet in hæc verba: *Ad quartum dicendum, quòd habere notitiã in actu, dicitur dupliciter. Vno modo, quãtum ad actualem cõſiderationẽ. & ſic non intelligitur, quòd Angelus habeat actualem notitiam* (intellige perfectam, vt conſtat ex corpore eiuſdem articuli) *omniũ, ad quæ ſua naturalis cognitio ſe extendit. Alio modo, quantũ ad habitualẽ notitiã: quia, vt dicitur 2. de Anima, & in 8. Phyſicorũ, aliter dicitur aliquis eſſe potentia ſciens ante addiſcere, quando ſcilicet nondũ habet habitũ ſcientiæ; & aliter ante conſiderare. Et hoc modo Angelus habet actualẽ notitiam reſpectu omnium, quæ naturaliter cognoſcere poteſt: & iſtud ſufficit ad repellendã falſitatẽ contrariã. Nõ enim nos ſemper actu conſideramus principia, ſed ipſe habitus principiorum ſufficit ad repellẽdum omnem contrarium errorem cum ipſa.*

D. Thom.

§. III. *Poſterior ſolutio eiuſdem rationis Angelici Præceptoris.*

Secunda ſolutio ad rationem factam. 244 NEque etiam obſtat, ſi ſecundò occurras, falſam eſſe minorem propoſitionem eiuſdẽ rationis D. Thomæ, nempe, non poſſe in Angelo eſſe aliquẽ defectum ante ſuũ primũ peccatum in principijs cognoſcendi obiecta ſupernaturalia. Nec probatio ex eodẽ Angelico Doctore deſumpta ſuadet intentum. Quoniã aliud eſt. an Angelus in ſenſu cõpoſito, in quo eſt bonus, atque adeò in eo inſtanti, in quo habet omninò ordinatam ſuã voluntatẽ, nequeat applicare propriũ intellectũ adiudicandũ de his obiectis ſupernaturalibus, circa quæ attentis omnibus, quæ tunc occurrunt, adeſt periculum errandi: aliud verò, an Angeli, qui in primo inſtanti ſunt boni, non poſſint in ſecundo deſinere eſſe boni, & in aliquo priori, antequam amittant bonitatem, & ordinationẽ ſuę volũtatis, nequeant applicare ſuũ intellectũ ad iudicandũ de prædictis obiectis, circa quæ adeſt illud periculum errandi. Etſi ergo primũ illud ſit omninò verũ; ſecùs tamẽ hoc poſterius. Et ita Lucifer, & eius ſequaces potuerũt optimè in ſecundo inſtãti, & in aliquo ſigno priori illius applicare ſuum intellectũ adiudicandum de prædictis obiectis ante ſuũ primum peccatum.

Et ratio diſparitatis inter vnam, & alterã partẽ dilemmatis nunc propoſiti videtur eſſe in prõptu. Quoniã Angeli boni, in ſenſu cõpoſito quòd ſint boni, ac proinde pro eo inſtanti, pro quo ſupponũtur eſſe boni, nẽpe pro ſecũdo inſtãti, debẽt pro toto illo habere omnimodè ordinatã ſuã voluntatẽ: & ideò nequeũt applicare propriũ intellectum ad illud iudiciũ, quia hæc eſſet deordinata applicatio. Cæterùm Angeli, qui in ſecũdo inſtanti, pro aliquo ſigno illius amiſſerunt ſuã rectitudinẽ, hi in nullo illius ſigno habuerũt debitã ſubordinationẽ ſuæ volũtatis: & ideò non habuerũt, vnde neceſſariò deberent cõpeſcere ſuam voluntatem, ne applicaret proprium intellectum adiudicandum de his obiectis ſupernaturalibus, circa quæ attentis omnibus aderat periculum errandi.

Roboratur ſolutio.

245 Poteſtque hæc ſolutio iuuari, tum ex eo, quod voluntas Angeli, quia eſt facta ex nihilo, poteſt in ſecundo inſtanti deficere in ſua operatione: ergo eadem ratione intellectus Angelicus, hoc ipſo quòd ſit etiam factus ex nihilo, poterit in propria operatione deficere, ac proinde errare. Tum etiã. Quia non minùs eſt diſconueniens voluntati Angelicæ defectus ſuæ operationis, conſiſtens in operatione peccaminoſa, quàm intellectui defectus propriæ operationis, qui eſt error: at cum voluntate Angelica poteſt immediatè coniungi operatio peccaminoſa: ergo eadẽ ratione cum intellectu Angeli immediatè, ideſt non mediante primo peccato, ſed ante illud poterit coniungi error.

Impugnatur hæc etiã euaſio.

Non itaque hoc obeſt. Quoniam in contrarium vrget, quòd quiuis error, adhuc circa ſupernaturalia, eſt diſpoſitio quædam, & defectus poſitiuus ex natura ſua valdè diſcõueniens intellectui: & propterea ab Ariſtotele 6. Metaphyſic. text. 8. & 6. Ethicorum, necnon & ab Angelico Præceptore dicitur eſſe malum intellectus. Cumque ſecundùm ſe ſumptus non ſit malum culpæ, vt ſe cõſtat, oportet, vt in natura perfecta, & ex ſe nõ infirma, qualis eſt Angelica, ſit malum pœnæ: ac proinde quòd præſupponat aliquod malum culpæ: & ita ante primum peccatum Angeli, independenterque ab eo, nequibit dari in intellectu Angelico. Vnde Auguſtinus, loquens adhuc de primo homine lib. 3. de libero arbit. cap. 24. circa finem, inquit: *Approbare vera pro falſis, non eſt naturæ inſtituti hominis, ſed pœnæ damnati.* Quæ probatio deſumitur etiam ex D. Thoma 1. p. q. 94. art. 4.

Ariſtot. Ang. Præceptor.

Auguſt.

D. Thom

Confirmatur.

246 Confirmatur. Quoniam ſicut ſenſus circa proprium ſenſibile non decipitur per ſe, ſed ſolùm per accidens: ita intellectus circa proprium obiectum ſemper eſt verus per ſe loquendo, & ad ſummum per accidens decipitur, propter paſſionem tunc inſurgentẽ, aut actum, vel habitũ vitioſum, ratione quorum iudicium intellectus perturbatur: vel tandem ex aliquo inferiori, puta phantaſia, vel aliquo huiuſmodi. Sed in Angelo nullæ ſunt paſſiones, nec ante primum peccatum præceſſit in eo aliquis actus, aut habitus vitioſus, quo perturbetur, aut excæcetur ſuus intellectus. Nec tandem eſt in eo phantaſia, aut aliquid huiuſmodi. Ergo non eſt vnde ante prædictum peccatum poſſit errare.

Quam confirmationem quoad primum hominem in ſtatu innocentiæ adduxit D. Thomas loco nuper citato his verbis: *Manifeſtum eſt autem ex præmiſſis, quod intellectus circa proprium obiectum ſemper verus eſt. Vnde ex ſeipſo nunquam decipitur, ſed omnis deceptio accidit in intellectu ex aliquo inferiori, puta phantaſia, vel aliquo huiuſmodi. Vnde videmus, quòd quando naturale iudicatorium non eſt ligatum, non decipimur per huiuſmodi apparitiones; ſed ſolùm quando ligatur, vt patet in dormientibus. Vnde manifeſtum eſt, quòd rectitudo primi ſtatus non compatiebatur aliquam deceptionem circa intellectũ. Quod etiam in ipſa rectitudine primi ſtatus apparet, quandiu anima manebat Deo ſubdita, tandiu in homine inferiora ſuperioribus ſubdebantur, nec ſuperiora per inferiora impedirentur.* Si ergo in primo homine non potuit eſſe aliqua deceptio in intellectu ante primum peccatum, ob perfectionem & integritatem illius ſtatus: quantò minùs in intellectu Angeli habentis longè maiorem integritatem & perfectionem, poterit ante ſuum primum peccatum dari aliquis error & deceptio? Circa hanc tamen rationem videatur Caietanus ibidem, qui benè illam explicat.

D. Thom.

Roboratur cõfirmatio.

Adde, quòd circa obiecta ſupernaturalia dupliciter poteſt intelligi Angelũ errare. Primò quidẽ, iudicando eſſe falſa ea, quæ à Deo reuelata ſunt, quæque ipſi ſufficiẽter ſunt propoſita: & hoc modo Angelus nequit ante ſuũ primũ peccatũ errare: Tum, quia (vt dubio præcedenti dicebamus) hæreſis, aut infidelitas nequit eſſe in Angelo ante aliud peccatũ priùs in eodẽ exiſtens: ex eo quòd ſpeciali ratione includit nolitionẽ, & fugã, ad quã debet precedere actus proſecutionis, ex quoducat ortũ, a quoque imperetur: tum etiã. Quia hæreſis, aut infidelitas præſupponũt malã voluntatẽ applicãtẽ ad illud iudiciũ falſum, quę ſit peccatũ, ſicut actus credendi ſupponit piã affectionẽ volũtatis applicãtis ad fidẽ. Secũdò autẽ iudicando de eiſdẽ obiectis ſuperna turalib⁹ aliquid, quod nõ eſt reuelatũ à Deo, nec per euidentẽ conſequẽtiã ex reuelatis deducitur: & tunc, ſi iudicet aliter, quã res eſt, nõ poteſt id facere ſine aliquo peccato, quãdoquidẽ eſt aliquod temeritatis, & præcipitij genus, de obiecto ſuperexcedenti abſque ſufficienti fundamẽto iudiciũ illud ferre: ac proinde nõ aderit illud iudiciũ erroneũ ante peccaminoſam volũtatẽ applicãtẽ ad illud. Cumque hæc peccaminoſa volũtas debeat præſupponere aliã volũtatẽ peccaminoſam, nimirũ illã, qua ab Angelo eſt volita ſua beatitudo naturalis abſque debita ordinatione in Deũ finẽ ſupernaturalẽ, vt ex dictis dubio præcedenti in fine conſtat: fit inde vt nullus error Angelicus poſſit in eo eſſe, non ſolùm ante peccaminoſam illã voluntatẽ, verùm neque ante peccatũ ſuperbiæ, quo propriam excellentiam ſuæ beatitudinis naturalis abſque debita ordinatione & menſura appetijt.

247 Ex quibus fit, nihil obeſſe diſparitatẽ illã inter priorẽ, & poſteriorem partem illius dilemmatis, quã pro hac ſolutione adduximus. Nam ex ea ad ſummũ ſequitur Angelos bonos, in ſenſu compoſito quòd perſiſtãt boni, nõ poſſe in aliquo ſigno illi⁹ inſtã-

tis,ac dependenter à quouis alio in eodē inſtanti reperto errare: reliquos verò Angelos potuiſſe in ſecundo inſtanti errare,non tamē pro quouis ſigno,& independenter à quouis alio in eodē inſtāti inuēto,nēpe,independenter à ſuo primo peccato,ac proinde ante illud,ſed ſolùm poſt ipſum,propter neceſſariā ſubordinationem,& dependentiam, quæ eſt in malo pœnæ à malo culpæ.

Et ſimiliter nihil obſunt alia duo, quę ad iuuandam hanc ſolutionem allata ſunt: Non quidem primum. Nam ſicut,quòd voluntas Angeli ſit facta ex nihilo, conuincit, poſſe peccare tam circa ſupernaturalia, quàm circa naturalia,aliter tamen,& aliter,nimirum, circa ſupernaturalia per ſe primò,& directè; circa naturalia verò non niſi ex cōſequenti, & dependenter ab eo,quòd primò deliquerit circa ſupernaturalia,vt diſputat.præcedēti,dubio 1.& 2,latè diximus:ita quòd intellectus ſit factus ex nihilo,probat,illum poſſe deficere in ſua operatione, & per conſequens errare;non tamen quòd hoc ei conueniat,antequam voluntas deficiat,& peccet, ne in eo(vt dicebamus)detur malum pœnæ abſque præuio malo culpæ.Ex quo etiam patet,nihil obeſſe id,quod vltimo loco pro iuuanda hac eadem ſolutione adduximus. Nā malum culpæ poteſt in ſecundo inſtanti coniungi immediatè cum volūtate Angeli, ideſt non mediante alio malo ſimpliciter priori, non tamen malum pœnæ.

§. IIII. *Aſſertio ſecunda ex D.Thoma deprompta.*

Secunda aſſertio.

248 DIcendum eſt ſecundò, ante primum Angeli peccatum debuiſſe præcedere inconſiderationem quandam, ſeu aliquod iudicium inconſideratum. Ita D. Thomas art.1.huius quæſt. in ſolutione ad 4.vbi poſtquam excluſit, Angelum primò peccaſſe ex ignorantia, vel errore, inquit: *Alio modo contingit peccare per liberum arbitrium, eligendo aliquid, quod ſecundùm ſe eſt bonum, ſed non cum ordine debita menſuræ, aut regulæ: ita quòd defectus inducens peccatum ſit ſolùm ex parte electionis, quæ non habet debitum ordinem, niſi ex parte rei electæ: ſicut ſi aliquis eligeret orare, non attendens ad ordinem ab Eccleſia inſtitutum. Et huiuſmodi peccatum non præexigit ignorantiam, ſed abſentiam ſolùm conſiderationis eorum, quæ conſiderari debent. Et hoc modo Angelus peccauit, conuertendo ſe per liberum arbitrium ad proprium bonum abſque ordine ad regulam diuinæ voluntatis.* Idem etiam docuit 3.contra Gentes cap.110.in ſolutione ad 1.obiectionem, vbi ſic ait: *Non enim cogimur dicere, quòd error fuit in intellectu ſubſtantiæ ſeparatæ, iudicando aliquod bonum, quod bonum non ſit, ſed non conſiderando bonum ſuperius, ad quod proprium bonum referendum erat.* D.Thomas

Et quæſt.16.de Malo art.2.ad 4. hoc ipſum docet his verbis: *Semper autem in peccato defectus intellectus, vel rationis, & voluntatis proportionabiliter ſe concomitantur. Vnde non oportet ponere in primo peccato Dæmonis talem defectum intellectus, vt aliquid falſum exiſtimauerit, puta aliquod malum eſſe bonum, ſed in hoc, quòd defecit ab apprehēſione ſuæ regulæ, & ordinis eius.* Et in eodem articulo in ſolutione ad 7.his verbis: *Dicendū, quòd peccatum Dæmonis non prouenit ex defectu rationis, qui haberet rationem contrarietatis: non enim approbauit malum pro bono, nec verum pro falſo; ſed ſolùm ex defectu, qui habuit rationem negationis, in quantum ſcilicet volūtas eius non fuit regulata regula diuini regiminis. Qui quidem defectus poteſt habere locum in natura intellectuali contrarietate carente.* Et tandem 1.2.q.77.art.2.quem ſequuntur eius diſcipuli aſſertione præcedenti relati: idemque plures alij ibidem etiam adducti tuentur.

Ratio fundamentalis ex D. Thoma deſumpta,

249 Ratio autem fundamentalis huius aſſertionis deducitur ex D.Thoma locis citatis,& peculiariter ex 1.2.q.& articulo relatis,poteſtque ſub hac forma proponi. Quoniam omnis defectus ex parte voluntatis præſupponit aliquem defectum ex parte intellectus: ſed ad primum Angeli peccatum non fuit præſuppoſitus defectus erroris, vt aſſertione præcedenti oſtendimus, nec defectus ignorantiæ,quia fuit plenè inſtructus de omnibus his,quæ ei neceſſaria erant, ad hoc vt ex ignorantia nō peccaret: & propterea eius intellectus fuit perfuſus lumine fidei,alijſque donis, quibus ſatis cognoſcebat, quid ſibi amplectendum,quidvè fugiendum erat: ergo debuit ad prædictum peccatum præcedere defectus conſiderationis,ſeu iudicium incōſideratū. Siquidem vltra duos illos defectus, nimirum ignorantiæ. & erroris, non reſtat aliquis,qui primum Angeli defectum ex parte voluntatis in eo exiſtentem præcedat in intellectu illius.

Maior huius rationis, quæ ſola indiget probatione, ſuadetur,tum ex ſympathia & proportione,quæ eſt inter intellectum,& voluntatem: tum etiam, quia voluntas, cum ſit potentia cæca,ſequitur ductum intellectus: & ita,ſi abſque omni defectu ducatur ex parte intellectus, ſequitur ductum illius abſque defectu: ac proinde,ſi ipſa defectuosè vult,ſignum eſt,quòd intellectus cum aliquo defectu ex parte ſui propoſuit illi obiectum ſequendum. Tum denique. Quia ſicut non poteſt ex parte voluntatis dari libertas formalis,quin ex parte intellectus detur libertas radicalis,& hoc propter magnam cōnexionē, quæ eſt inter vtramque potentiam, necnon

quia

D. Thom. quia (vt docet D. Thomas in hac 1. part. q. 79.) voluntas fluit ab anima medio intellectuita ob eandem rationem nequit eſſe aliquis defectus in volitione libera eiuſdem voluntatis, quin ſimul ſit aliquis defectus ex parte intellectus; qui quodammodò præcedat, ſitvè occaſio defectus ex parte voluntatis.

Confirmatur. *D. Thom.* Confirmatur ratione deprompta ex eodē S. Doctore art. citato ex quæſt. 16. de Malo in ſolutione ad 4. Quoniam (vt modò dicebamus) defectus ex parte intellectus, & ex parte volūtatis proportionabiliter ſibi correſpondent: ſed defectus repertus in Angelo ex parte ſuæ volūtatis in primo peccato fuit per hoc, quòd dilexit vel beatitudinem ſupernaturalem, vt habendam ex parte modi diligendi ex proprijs viribus, vel propriam beatitudinem naturalem, & excellentiā eius; non ordinando eam in ſuperiorem & excellentiorim finem, videlicet finem ſupernaturalem; cùm tamen poſſet, & deberet illam ſic ordinare: ergo defectus ex parte intellectus, correſpondens prædicto defectui ex parte voluntatis, debuit eſſe iudicium, ſiue actus intellectus inconſideratus quo Angelus propoſuit ſuæ voluntati v.g. propriam beatitudinem naturalem, & excellentiam eius, non cōſiderata diuina regula, qua eidem præſcribebatur, ne abſque prædicta ordinatione beatitudinem naturalem, & excellentiam eius diligeret.

Occurrunt Scotus, Molina, Radda & Valentia 250 Nec obeſt, ſi occurras ex Scoto, Molina, Radda, & Valentia infrà referendis, nō eſſe neceſſarium, ad hoc vt voluntas Angeli parte ſua deficiat, quòd præcedat aliquis defectus, adhuc inconſiderationis ex parte intellectus; ſed poſſe deficere ex induſtria, & cū plena conſideratione, eligendo bonum aliquod verè ſibi delectabile, poſtpoſito bono honeſto conſentaneo rectæ rationi. Tum, quia homo poteſt ſic deficere ex parte ſuæ voluntatis abſque præuio errore, ignorantia, aut inconſideratione, puta cùm vult aliquid ſibi delectabile, de quo certò ſcit, certoque conſiderat, & eſſe ſibi delectabile, & eſſe contrariū rectæ rationi. Tum etiam. Quia quātunuis intellectus cum actuali inconſideratione cuiuſcumque circunſtantiæ, aut modi &c. proponat aliquod obiectum: nihilominùs hoc ipſo, quòd voluntas maneat libera, poteſt pro ſua libertate poſtpoſito illo obiecto, quod ſupponitur eſſe bonū, & benè propoſitum, amare oppoſitum, alioqui non maneret libera. Tum denique. Quia id videtur ſtabilitum in articulis Pariſienſibus, in quorum vno dicitur, quòd intellectu exiſtente in apice rationis, poteſt voluntas in oppoſitū: ac proinde datò, quòd Angelus ſummè conſideraſſet, potuit per voluntatem elicere actū conformem, vel deformem.

Non itaque hoc obeſt. Quoniam dum dicitur, Angelum poſſe ex induſtria primò delinquere, eligendo prædictum bonum delectabile: vel tunc conſideraret actu, tale bonū eſſe contra diuinam regulam, vt amplectendam hic, & nunc cum omnibus ſuis circunſtantijs? vel id actu non conſideraret? Si hoc ſecundum dicatur, habetur intētum, nempe, ad illum defectum voluntatis Angelicæ præceſsiſſe ex parte intellectus defectum conſiderationis actualis. Si autem primum aſſeratur, planum eſt, præceſsiſſe aliquem errorem, ac proinde aliquem defectum ex parte intellectus Angelici ad defectum illum peccaminoſum ſuæ voluntatis: quandoquidem ad illum debuit præcedere actus intellectus, quo iudicaret, eſſe ſibi abſolutè & ſimpliciter tūc conueniens præeligere bonum illud delectabile contrarium rationi, & bono honeſto rationi conſono, ne ſi hoc iudicium non præcedat, tunc voluntas quippe potentia cæca, & ſolùm ſe extendens ad id, ad quod intellectus eam ducit, deſinat præeligere inter vtrumque bonum, maneatque ſuſpenſa inter illa.

Impugnatur hæc ſolutio.

251 Poteſtque hæc impugnatio confirmari, & elucidari ex illis, quæ ex D. Thoma adducit Nazarius in hac q. art. 3. controuerſia 1. ſupponendo tamen priùs cum ipſo, & præcipuè cum Angelico Doctore electionē, quæ circa bonum aliquod ſingulare verſatur, cōſequi ad intellectū practici diſcurſum, ſiue virtualem, ſiue formalem, qui ex duabus conſtat præmiſsis, altera vniuerſali, puta, *bonum eſſe agendum*, & altera particulari, ſcilicet, *hæc actio hic, & nunc exercita eſt bona*, ex quibus ſequitur concluſio, quæ eſt vltimum iudiciū intellectus, nempe, *ergo bonū eſt hic, & nunc operationem hanc exercere*, & ex hoc iudicio ſequitur electio, & operatio. *Nazarius*

Confirmatur. Hinc ergo ſequens deducitur cōfirmatio. Nam vel ſecunda propoſitio ſingularis, quæ ſub vniuerſali ſumitur, eſt vera, vel falſa? Si vera eſt, aut hoc ideò contingit, quia actio cum omnibus ſuis circunſtantijs verè bona eſt, & vt bona cum omnibus ſuis circunſtantijs apprehenditur ab intellectu, & ita iudicium conſequens verū eſt, & electio, ac operatio bona. Vel ideò vera eſt, quia licèt actio hæc ſecundùm vnam aliquam circunſtantiā mala ſit, ea tamen ab intellectu non conſideratur: ac proinde vera eſt propoſitio affirmans, actionem illam ſingularem, ſecundùm circunſtantias per intellectum apprehenſas, & conſideratas bonā eſſe. Et ideò etiam iudicium de illa actione eligenda, & exercenda, ſecundùm illas præcisè circunſtantias non eſt falſum, ſed verum formaliter & obiectiue loquendo. Ac proinde iudiciū illud, ex quo ſequitur electio mala, ſolū habet incōſiderationem quoad illam vnam circunſtan-

tiam, ex qua redditur electio, & actio mala moraliter. Si autem subsumpta propositio singularis est falsa, iam in intellectu Angeli ponitur error ante primum peccatum, cuius oppositum assertione prima ostendimus.

252 Nec duo illa, quæ in fauorem huius solutionis adducta sunt, obsunt: tum propter modò dicta: tum etiam, quia (vt supra asserebamus) voluntas est potentia cæca, & ideò nequit velle nisi iuxta ductum intellectus: ac proinde ad hoc, vt ipsa simpliciter & absolutè se determinet ad eligendum vt sibi conueniens hoc potiùs, quàm illud, non sufficit, quòd hinc proponatur illi delectabilitas v.g. alicuius obiecti, & illinc contrarietas eius ad rationem, & istinc honestas boni oppositi: sed requiritur ductus intellectus iudicantis, esse sibi protunc simpliciter & absolutè conueniens se determinare ad prosequẽdum v.g. obiectum illud delectabile, non obstante quod sit contrariũ rationi, & respuere oppositũ rationi consonũ: & per consequẽs debet ibidem iuxta dicta interuenire error, aut ignorantia, vel inconsideratio aliqua. Quare, cùm cõmuniter dicitur, esse integrũ voluntati prosequi id, quod habet minus bonitatis, relicto eo, quod est magis bonũ, debet intelligi de ipso bono secundũ se, & quasi speculatiue sumpto, non tamẽ prout hic, & nunc consideratur practicè cum omnibus circũstãtijs tunc occurrẽtibus, inter quas cõputãdũ est ipsummet exercitiũ libertatis, quod tanquam valde bonũ considerari queat. Et propterea, ad hoc vt volũtas prosequatur id, cui secundũ se inest minus bonitatis, & per modũ talis speculatiuè concipitur, oportet intellectum iudicare, cõuenientius sibi tunc esse amplecti pro tunc in particulari illud minus bonũ, vel quia concipit vt magnum bonum exercere in hoc libertatem voluntatis, vel ob aliquam aliam rationem.

Nec tandem id, quod de articulis Parisiẽsibus adducitur, obest: tum, quia (vt benè notauit Nazarius) articuli isti, quatenus tangũt doctrinam D. Thomæ, fuere reuocati: tum etiam, quia (vt idem Nazarius admonet) articulus ille intelligendus est de intellectu existente in apice rationis quoad vniuersalia principia, non autem quoad particularia: vel quoad vniuersalia, & particularia in habitu, non in actu: vel de intellectu existente in apice rationis speculatiuè, non autem practicè: vel de intellectu stante in apice rationis per modum consilij, non autem per modum imperij. De quo videri possunt Caietanus. & alij expositores 1.2. quæst. 77. articul. 2. alias glossas adducentes.

Nazarius

Caietanus

§. V. *Prior aduersariorum opinio, fundamenta, & responsiones ad illa.*

253 CONtrariam tamen nostræ priori assertioni sententiam, nempe, posse dari in intellectu Angeli ante suum primum peccatum aliquem errorem, tuetur Ægidius in 2. dist. 5. q. 1. art. 2. quam vt probabiliorem amplectitur Pesantius relatus à Nazario art. 3. huius q. Controuersia 1. in principio illius. Probatur primò testimonio D. Thomæ in 2. ad Annibaldũ dist. 5. q. 1. ar. 1. ad 1. vbi inquit, primum peccatum Angeli præcessisse errorem circa circunstantias eligibilium.

Sententia præmissa nicontrat. *Ægidius Pesantius Nazarius*

Primum fũdamentum

Respondetur, Angelicum Præceptorem intelligendum esse de errore interpretatiuo, non verò formali. Nam hoc ipso, quod voluit suam beatitudinem naturalem absque debita consideratione circunstantiarum, vel beatitudinem supernaturalem absque eadem consideratione, perinde se habuit, ac si expresse & formaliter iudicasset, esse sibi conueniens velle v.g. beatitudinem supernaturalem absque debitis circunstantijs, & modo præscripto à diuina regula. Quomodo autẽ hæc inconsideratio, & error interpretatiuus præcedat primũ peccatũ Angeli, infrà in hoc eodem dubio n. 269. explicabitur.

Soluitur

Esse autem hanc mentem D. Thomæ, potest colligi ex verbis, quæ præmisit, antequã assereret, dandum esse prædictum errorẽ in intellectu Angelico, nimirũ, *quod intellectus Angeli, licèt in eligendis non possit ligari passione, sicut in nobis accidit, potest tamen impediri à recto iudicio eligibilis per omissionẽ aliquorum, quæ considerandа sunt: nõ enim naturali cognitione omnia simul cognoscit. Aliquid autem secundum se consideratum est eligibile, quod consideratis alijs eligibile non est.* Et ex hoc colligit, quòd circa iudicium eligibiliũ in Angelo error esse potuit, quanuis non circa absolutam cognitionem eorum, ad quæ naturalis cognitio se extendit, v.g. circa beatitudinem naturalem tunc dilectam. Cõstat autem, quod ad saluandum errorem proueniẽtẽ præcisè ex inconsideratione, satis est, quod error ille sit interpretatiuus, & fundatus in ipsa inconsideratione, ratione cuius præbetur sufficiens fundamentum ad iudicandũ, eum, qui sic se habet, perinde se gerere in volitione illius obiecti sine debitis circunstantijs, ac si erraret circa illas.

D. Thom.

254 Secundò probatur eadem sententia. Quoniã si ob aliquã rationẽ non posset dari in Angelo error ante primũ peccatum, maximè, quia iste est malum pœnæ, quod proinde nõ potest præire culpã: sed hęc ratio est nulla: ergo &c. Minor probatur. Quia etiam inconsideratio

Secundũ fũdamentum

ſideratio eſt malum naturæ Angelicæ: & nihilominus admittitur in Angelo ante culpã: ergo &c.

Confirmatio. Confirmatur. Quoniam inconſideratio eſt fundamentum, & ratio erroris interpretatiui, vt modo dicebamus: ergo eſt malum naturæ Angelicæ: & per conſequens, ſi malum iſtud poteſt eſſe in illa ante peccatum, nõ eſt cur non poſsit dari in eadem ante prædictũ peccatum aliquis error.

Diluitur Reſpondetur, inconſiderationem ſecundũ ſe, & præcisè ſemptam non habere rationem mali reſpectu naturæ Angelicæ, ſed eſſe iuxta naturalem eius conditionẽ, quod non ſemper ſit in actuali, & omninò perfecta conſideratione omniũ rerum: ac proinde prædicta inconſideratio ſolum habet rationẽ cuiuſdã nudæ, & puræ negationis: eo proportionali modo, quo limitatio in creaturis ſecundũ ſe, & præcisè ſumpta, non habet rationem mali ſed eſt iuxta naturalem conditionẽ earundẽ creaturarum, habetque rationem nudæ & puræ negationis reſpectu illarum. Cæterum error comparatur per modum mali propriè dicti reſpectu naturæ Angelicæ: ex eo quòd eſt diſpoſitio quædam poſitiua, & diſconueniẽs ſuæ naturę perfectæ intellectuali, vt ſuper dicebamus. Et propterea error, quippe qui ſecundùm ſe eſt malum pœnæ reſpectu prædictæ naturæ perfectæ, non poteſt eſſe ante malum culpæ, & independenter ab eo, bene tamen prædicta inconſideratio ſecundùm ſe, & præcisè ſumpta.

Diximus, *ſecundum ſe, & cum præciſione ſumpta.* Nam ſi conſideretur ſecundum id, quod aliunde habet, nempe, vt eſt voluntaria, ſeu quatenus habens illã inconſiderationem vult cum ea procedere ad opus, ad quod recte exequendum requiritur conſideratio oppoſita prædictæ inconſiderationi, planũ eſt, inconſiderationem illam non eſſe purè negationem, ſed priuationem, habereque rationem mali. Cæterùm tunc iam præſupponit in aliquo genere cauſæ peccatũ voluntatis: & ita malum hoc non eſt ante primũ peccatum, vt ſtatim magis explicabimus.

Ad confirmationem Ex quo ad confirmationẽ reſpondetur, inconſiderationem ſecundùm ſe, & præcisè ſumptã, non præbere ſufficiens fundamentũ ad hoc, vt cordatè interpretemur, habentem illam velle virtualiter & implicitè errare, benè tamen, ſi conſideretur ſecundùm adiũcta, ideſt, vt eſt voluntaria: ex eo quod volens cũ illa procedere ad opus, ad quod requiritur oppoſita conſideratio, perinde ſe habet non conſiderando, ac ſi erraret: & ideò interpretatiuè & virtualiter dicitur errare.

Tertium ſũdamentum 255 Tertiò ſuadetur eadem ſententia. Quoniam ſi primum Angeli peccatum non præceſſiſſet aliquis error, ſed ſola inconſideratio, tunc primum peccatũ non eſſet ſuperbiæ formaliter talis, ac propriè, & ſpecialiter dictæ, ſed aliud peccatum, quod ad ſummum reductiuè pertineret ad ſuperbiam: hoc autem eſt contra dicta dubijs præcedentibus: ergo, &c. Maior probatur. Nam ſicut ille qui per ignorantiam culpabilem occidit hominem, non peccat peccato homicidij formaliter talis, propriè, & ſpecialiter dicti, ſed ad ſummum reductiuè pertinentis ad ſpeciem homicidij, & directè ad vitium oppoſitum virtuti ſtudioſitatis (niſi talis ignorãtia fuerit affectata) ex eo quòd inconſideratio illa tollit rationem formalem obiecti: ita qui per inconſiderationem non apponit debitam menſuram & modum in appetitu ſuæ propriæ excellentiæ, non videtur peccare peccato ſuperbiæ formaliter ſumptæ, ac propriè, & ſpecialiter dictæ, ſed ad ſummum reductiuè: ſiquidem inconſideratio circa rem operabilẽ tollit rationem cognitionis, & conſiderationis formalis obiecti.

Confirmi. Confirmatur. Quoniam qui delinquit per inconſiderationem, ſiue per iudicium inconſideratum, ſolùm habet in intellectu defectũ conſiſtentem in illa omiſsione conſiderationis: quia iudicium quoad id, quod habet de conſideratione v. g. beatitudinis naturalis appetendæ, optimum eſt. Ergo ex parte voluntatis ſolùm correſpondebit defectus in omiſſione quadam conſiſtens: & per conſequens ille defectus non erit ſuperbiæ formaliter ſumptæ, quæ in actu commiſsionis ſita eſt.

Enodatur fundamẽtũ. 256 Reſpondetur, negando maiorem. Et ad probationem dicendum eſt, quod adhuc dato, occidentem hominem per ignorãtiam non peccare peccato homicidij formaliter ſumpto, ſecus tamen aſſerendum erit de occidente illum per ſolam inconſiderationẽ: maximè ſi adſit tunc conſideratio ſpeculatiua homicidij, & ſolùm ſit defectus conſiderationis practicæ, eò quòd non habuit debitũ iudicium practicum, debitumque imperium, quo cohiberet voluntatem, & membra externa, ne prorumperent in executionem prædicti homicidij: quia cùm in omni peccato debeat interuenire defectus huius conſiderationis practicæ, necnon & imperij, non poteſt ob hunc defectum actus ille deſinere eſſe formaliter illius ſpeciei peccaminoſæ, v. g. homicidij, ad quam eius materia pertinet. Quare, cùm in Angelo non fuerit ignorantia ante primum peccatum, ſed defectus conſiderationis, & non qualiſcũque, nempe ſpeculatiuæ, ſed practicæ, necnon & debiti imperij, vt dubio 5. dicebamus: inde eſt, vt ſuum peccatum non ob id deſinat eſſe formaliter ſuperbiæ: ſiquidem ex parte materiæ nihil deeſt, quominùs ſit ſuperbiæ, vt intuenti conſtabit.

Adde, quòd ſuperbia Angeli, vt diximus, non fuit ex parte obiecti, ſed ſolùm ex parte modi,

modi, quo interpretatiuè contemplit ordinẽ præscriptum diuinæ regulæ, qui quidem modus refunditur in obiectum. Et quia inaduertentia non tollit istum modum contemptiuum, sed potiùs causat: inde est, quòd inaduertentia non tollit formalem speciem superbiæ, sed potiùs est causa eius. Alia verò peccata sumuntur ex parte obiecti, & non ex modo, & ideò non mirum, quòd ignorantia tollat speciem formalem peccati propter rationem in hoc argumento traditam.

Enodatur cõfirmatio. Ad confirmationem respondetur ex suprà dictis, defectum illum inconsiderationis non esse puram omissionem cõsiderationis, sed iudicium considerans cõuenientiam, quę est in appetitu propriæ beatitudinis naturalis excellentiæ eius, modificatum tamen per inconsiderationem practicam ordinationis v.g. in finem supernaturalem, ita vt prædicta inconsideratio constituat cum illo vnum, & eundem actum, quem vocamus iudicium inconsideratum. Et similiter ex parte voluntatis debet illi correspondere non pura omissio ordinationis, sed prosecutio beatitudinis naturalis & excellentiæ eius, modificata per omissionem debitæ ordinationis, & subiectionis eiusdem excellentiæ in superiorem alium finem, ita vt prædicta omissio constituat vnicum, & eundem actum cum ista prosecutione. Constat autem ex dictis, prædictũ actum sic sumptum esse commissionis, & superbiæ: quia eo ipso est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.

Explicatur 257 Potestque hoc explicari. Quia peccatum Angeli non fuit ex eo, quòd non consideravit actu regulam, sumpta inconsideratione secundùm se, sed ex eo quòd voluit procedere ad opus, siue ad dilectionẽ propriæ excellentiæ, non attendendo ad regulam, nec ea vtendo. Quia, vt D. Thomas quæst. 1. de Malo art. 3. docuit: *Hoc ipsum, quod est non attẽdere actu ad talem regulam, in se consideratum non est malum, nec culpa, nec pœna: quia anima non tenetur, nec potest attendere ad huiusmodi regulam semper in actu: sed ex hoc accipit primò rationem culpæ, quòd sine actuali consideratione regulæ, procedit ad huiusmodi electionem. Sicut artifex non peccat in eo, quòd non semper tenet mensuram; sed ex hoc, quòd nõ tenens mensuram procedit ad incidendum. Et similiter culpa voluntatis non est in hoc, quòd actu non attendit ad regulam rationis, vel legis diuinæ: sed ex hoc, quòd non habens regulam, vel mensuram huiusmodi, procedit ad eligendum.* D. Thom.

Hoc autem satis indicat, peccatum illius fuisse commissionis. Nam sicut artifex inciden sine regula, seu non attendendo ad illã, non solùm incidit sine regula negatiuè, sed etiam incidit obliquè, & contra regulam: & similiter iudex, licèt non peccet ex eo præcisè, quòd non attendat semper ad leges, peccat tamen commissiuè, si procedat ad iudicãdum, non attendendo ad leges, quibus debet regulari: quia eo ipso iniuste iudicat: ita etiam Angelus volens procedere ad dilectionem excellentiæ propriæ beatitudinis naturalis non attendendo ad regulam, non solùm dilexit absque regula negatiuè, sed etiam cõtra regulam, non quidem ex parte rei volitæ, sed ex parte modi volendi: fuitque dilectio illa peccatum commissionis, & superbiæ, vt nuper dicebamus: quia eo ipso appetijt propriam excellentiam absque debita mensura & regula. Et ratio horum omnium est eadẽ. Quia in his, in quibus vnum debet esse regula & mensura alterius, bonum in mensurato est ex hoc, quòd mensuratum & conformatur regulæ; malum verò ex hoc, quòd non reguletur. Et ideò hoc ipso, quòd actus sit volitus absque regula, & attentione ad illam, habet positiuè eam deordinationem, cuius materia illa est in ordine ad prædictam regulã capax: ac proinde quoad præsens actus, quo Angelus dilexit suam beatitudinem naturalem, & excellentiam eius absque regula & mensura debita, habebit positiuam deformitatem, cuius materia illa est capax, nempe deformitatem superbiæ.

258. Quam rationem innuit idẽ S. Doctor in eodem articulo his verbis: *In omnibus enim, quorum vnum debet esse regula & mensura alterius, bonum in regulato, & mensurato est ex hoc, quòd regulatur, & conformatur regulæ, & mensuræ: malum verò ex hoc, quod est non regulari, vel mensurari. Si ergo sit aliquis artifex, qui debeat aliquod lignum rectè incidere secundùm aliquam regulam, si non directè incidat, quod est malè incidere, hæc mala incisio causabitur ex hoc defectu, quòd artifex erat sine regula, & mensura. Similiter delectatio, & quòdlibet aliud in rebus humanis est mẽsurandum, & regulandum secundùm regulam rationis, & legis diuinæ. Vnde non vti regula rationis, & legis diuinæ, præintelligitur in voluntate ante inordinatam electionem:* ac proinde actus ille erit inordinatus iuxta materiam illius, & regulam, cui exit deformis: & per consequens quoad præsens erit deordinatus deordinatione commissionis, & superbiæ, vt explicatum est. Sicut ex eo, quòd artifex incidat absque conformitate ad regulam, peccat peccato commissionis contra artem: quia sic peccare, est cõtra materiam illius actus, necnon & regulæ, qua mensuratur. Sed de his iterùm redibit sermo in hoc dubio nu. 269. & deinceps, vbi explicabitur, quomodo hæc cõsideratio sic volita præcedat, & simul subsequatur in diuerso genere causæ ad actum voluntatis, quo habens illam incõsiderationẽ vult procedere ad opus, & à quo actu intellectus regulatur illa voluntas, qua quis sine illa con- D. Thom.

la conſideratione vult operari, necnõ & alia huc ſpectantia.

Vltimũ fundamentum. 259 Vltimò probatur prædicta ſententia. Quoniam Angelus in ſecundo inſtanti habuit maiorem deliberationem, quàm in primo, vt communiter ſolet dici: ergo habuit maiorem conſiderationem omnium circunſtantiarum tunc occurrentium, quàm in primo: ſiquidem hæc maior conſideratio ad maiorem deliberationem pertinet, & defectus conſiderationis arguit defectum aliquem deliberationis: ergo Angelus non peccauit per defectum conſiderationis, ſed per defectum erroris, quo aduertenter iudicauit, eſſe ſibi conueniens intumeſcere v.g. de propria beatitudine naturali, & excellentia eius.

Soluitur. Reſpondetur, ſenſum communis ſententiæ tantum eſſe, Angelum in ſecundo inſtanti habuiſſe libertatem magis extenſam, quatenus in eo potuit peccare, ſecùs tamen in primo: non tamen quòd habuit maiorem deliberationem, ideſt, maiorem quaſi conſultationem, ſeu perpenſionem, & penetrationem rerum omnium, & circunſtantiarũ ad illud inſtans pertinentium: quia ad extenſiorem illam libertatem ſufficientem habuit conſiderationem: & ea, qua caruit, quamque habere tenebatur, fuit etiam in eius poteſtate, atque adeò culpabiliter eam omiſit. Vnde ſimul cũ hac inconſideratione, plena in ſenſu dicto libertas, in qua maior illa deliberatio cõſiſtit, rectè cohæret.

§. VI. *Poſterior aduerſariorum ſententia, duo priora fundamenta, & ſolutio eorum.*

Sẽtẽtia oppoſita ſecundæ aſſertioni. *Henric. Gabriel Maior. OKam. Marſilius Aureol. Valent. Molin. Vazquez. Rada. Scotus.*

260 POſterior aduerſariorum ſentẽtia contra noſtram ſecundam aſſertionem pugnans, nempe, non eſſe neceſſarium, quòd ante primum peccatum Angeli præcedat aliquis defectus actualis inconſiderationis ex parte intellectus Angelici, defenditur ab Henrico quodlibeto 1. q. 17. & quodlibeto 10. q. 10. à Gabriele in 2. diſt. 6. art. 3. à Maiore q. 3. ab OKam q. 12. art. 3. q. 2. principali, à Marſilio in 2. q. 16. art. 2. in fine ad 3. contra 4. concluſionem, & toto artículo 5. ab Aureolo in 2. diſt. 4. art. 3. à Valẽtia in 2. tomo diſp. 6. q. 8. puncto 1. & 2. & tomo 1. diſp. 4. q. 14. puncto 3. & à Molina 1. p. q. 63. membro 5. necnon & à Vazquez in præſenti, à Rada controuerſia 11. Et tandem ab Scotiſtis cum Scoto in 2. diſt. 6. q. 1.

Primũ fundamentum. *D. Bern. Gregor. Iſidorus*

Probatur primò. Quoniam iuxta D. Bernardum in ſermone 1. de Aduentu, & Gregorium lib. 4. Moralium c. 12. & aliàs 10. Et Iſidorum lib. 1. de Summo bono c. 12. & alios Patres, idcircò Angelus non fuit admiſſus ad pœnitentiam, benè tamen homo, quia iſte ex infirmitate, ille verò non ex infirmitate, ſed ex malitia peccauit. Ergo Angelus non deliquit ex aliqua inconſideratione, ſed omninò ſciens, & prudens, ac ex induſtria. Patet conſequentia. Quia alioqui non ſtaret hæc ratio Patrum: quia inconſideratio potiùs ad ignorantiam, vel infirmitatem, quàm ad malitiã reduci debet: vel ſaltem non minùs per eam excuſatur peccans ab hoc, quod eſt peccare ex malitia, quàm per infirmitatem: & ideò nõ eſſet cur homo peccans ex infirmitate, admitteretur propter hoc ad pœnitentiam, ſecùs tamen Angelus ex inconſideratione delinquens.

Euertitur. Reſpondetur, hos Patres tantùm velle, Angelum peccaſſe ex inconſideratione, ita tamen, vt hæc inconſideratio oriatur ex pura malitia, ideſt, non fundata in infirmitate carnis, modo tamen in ſolutione vltimi explicãdo, hominem verò deliquiſſe etiam ex incõſideratione, orta quidem, non ex pura malitia, ſed fundata in infirmitate carnis cum ipſo congenitæ: & ideò iſte quodammodò fuit dignior venia, non verò Angelus. Quæ explicatio deſumitur ex D. Gregorio libr. 4. Moralium c. 9. his verbis: *Duas ad intelligendum ſe creaturas Deus fecerat, Angelicam videlicet, & humanam. Vtramque verò ſuperbia perculſit: ſed vna tegmen carnis habuit, alia verò nihil infirmum de carne geſtauit. Miſſertus ergo creator, illam ad ſe debuit reducere, quam in perpetratione culpæ ex infirmitate aliquid conſtat habuiſſe: & eò amplius debuit apoſtatã Angelum repellere, quò cùm à perſiſtenti fortitudine corruit, nihil infirmum ex carne geſtauit.* *D. Greg.*

Secundum fundamẽtũ. 261 Secundò probatur eadem ſententia. Quoniam eadem videtur eſſe ratio de primo peccato Adami, & Euæ, ac de primo peccato Angelorum: ſed ad illud nulla præceſsit inconſideratio: ergo neque ad primum peccatum Angelicum. Minor probatur. Nã Eua admonita eſt ab ipſa Serpente de diuino præcepto, dum ei dixit: *Cur præcepit vobis Deus, & c.* Adamus verò, vt docuit Paulus 1. ad Timotheum 2. *Non eſt ſeductus*: ac proinde non fuit in eo inconſideratio, quæ deceptionem illam induceret. *Geneſ. 3.* *1 Ad Tim 2.*

Confirmatur. Quia tam Lucifer, quàm eius ſequaces fuerunt à S. Michaele, alijſque Angelis bonis, cum quibus ſpiritualem pugnam medijs rationibus, & conſiderationibus inierunt, ſatis admoniti de eo, quod conſiderare debebant, dum eis dictum eſt, *quis vt Deus?* Ergo nequaquam ex inaduertẽtia, aut inconſideratione delinquere potuerunt. Cõſequentia videtur perſpicua. Antecedens autem etiam conſtat. Quoniam illis verbis ſatis admoniti ſunt, ne ſuperbè diuinam ſimilitudinem in appetitu propriæ excellentiæ appererent: hoc autem eſt, quod tunc conſiderare debebant. Confirmatur.

Reſ-

Respõdetur ad fundam. *Nazar.* Respondetur, falsam esse minorem. Et ad probationem illius quoad Euam respondet Nazarius, illam diabolo proponente considerasse præceptum: sed cùm ad Dei similitudinem à Dæmone propositam perscientiam boni, & mali consequendam inclinauit affectum, præcepti considerationem abiecit: atque ideò diuinam appetendo similitudinem, cùm tali inconsideratione peccauit. Quod *D. Thom.* videtur esse cõsonum D. Thomæ 2.2.q.63. art. 1. & 4.

Deinde addimus, quòd etsi in illo instãti, in quo deliquit, habuisset actualem considerationem præcepti, non ideircò desineret peccare per inconsiderationem: quia illa cõsideratio (vt nuper de Angelo dicebamus) tãtùm esset speculatiua deesseteque illi consideratio practica, imperiũque intellectus, quod quidem non ad partem speculatiuam, sed ad practicam spectat,

Idem. Ad illud autem de Adamo, & ad locum Pauli dupliciter respondet D. Thomas, explicans illud testimonium ibidem lectione 3. primò quidem his verbis: *Ordo enim generationis, & corruptionis est contrarius: quia quod est primum in generatione, est vltimum in corruptione. Peccatum autem est corruptio naturæ: & ideò generatio incipit primò ab Adam, sed corruptio à muliere. Vnde dicit, Adam non est seductus, scilicet primò, quia fortior erat: sed tentator incepit à debiliori, vt facilius seduceretur fortior: alludit autẽ ad verbis Actæ Geneſis 3. cùm enim Dominus reprehẽdit Adam, dixit: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, &c. Et ideò dicit, Adam nõ est seductus, sed mulier.*

Idem. 262 Secundò respondet idem S. Doctor ibidem in hæc verba: *Seductio autem duplex est, scilicet in vniuersali, & in particulari eligibili, quæ est ignorantia electionis. Quicumque ergo peccat, seducitur ignorantia electionis in particulari eligibili. Mulier autem fuit seducta ignorantia in vniuersali, quando scilicet credidit quod serpens dixit: sed vir non credidit hoc, sed deceptus fuit in particulari, scilicet, quòd gerendus esset mos vxori, & cum ea comedere deberet, & inexpertus diuinæ veritatis, credidit, quòd facile ei remitteretur.* Addit tamẽ S. Doctor, quòd seductio ista non præcesserit primum peccatum v.g. Euę: quia statim ad verba serpentis fuit elata, & ex illa elatione seducta est, ac proinde elatio præcesserit.

Ad cõfirm. Ad confirmationem verò respondetur, admonitionem illam factam per Sanctum Michaelem, & alios Angelos bonos, fuisse saltẽ posteriorem natura, quàm primum peccatũ Luciferi, & eius sequacium: quia fuit facta post visam eorum superbiam, & resistentiam. Et ita nihil potuit prodesse ad euitandum, quin Lucifer, & eius sequaces deliquerint ex inconsideratione. Adde, quòd consideratio, quam Angeli mali habuerunt ex vi illius admonitionis, tantùm fuit speculatiua, non practica, & imperatiua: & propterea semper saluatur, deliquisse ex inconsideratione.

§. VII. *Vltimum fundamentum eiusdem sententiæ, & enodatio illius.*

263 VLtimò (relictis alijs argumentis adductis à Vazquez, quę ex dictis in hoc dubio, nec non dubio 5. huius disputationis per totum manent soluta) probatur prædicta sententia. Quoniam si ad primum peccatum Angeli debuit præcedere inconsideratio, & defectus voluntatis Angelicæ debuit causari ex defectu considerationis, tunc, vel illa inconsideratio esset purè negatiua, & merè naturalis? vel priuatiua, culpabilis, & voluntaria? Si primum: ergo actus voluntatis inde causatus, & defectus illius erit purè negatiuus, & merè naturalis, non vero priuatiuus, & culpabilis: quia ex inconsideratione merè negatiua, ac proinde inculpabili, nequit oriri in voluntate defectus priuatiuus, & culpabilis: sicut defectus, qui causatur in voluntate humana ex ignorantia omninò inculpabili, & merè naturali, non potest esse priuatiuus, & culpabilis, sed solùm negatiuus. Si autem secundum dicatur, tunc rursus inquirimus, an illa inconsideratio sit voluntaria, & culpabilis per illummet actum voluntatis regulatum per hanc eandem inconsiderationem, seu iudicium inconsideratum? vel per alium actum voluntatis priorem isto, & nõ regulatum per idemmet iudicium inconsideratum? Primum quidem dici non potest, ne euertatur id, quod saluari intenditur, nempe, quemlibet defectum voluntatis oriri ex priori defectu intellectus: siquidem si illa inconsideratio est defectuosa, & culpabilis, ex eo quòd est voluntaria per illummet actum voluntatis, qui per eam regulatur, tunc prima radix defectus voluntatis non erit defectus intellectus, sed potiùs è contra prima ratio defectus intellectus erit defectus voluntatis. Vnde propter hanc eandem rationem non potest dici secundum: quia de illo alio actu voluntatis collato cum iudicio regulante illum, potest fieri idem argumentum quoad defectum in eo repertum, & collatum cum defectu intellectus, & sic in infinitum, vt consideranti patebit. Vltimũ fundamentum.

Confirmatur. Quoniam si ad quemlibet defectum voluntatis debet præcedere defectus considerationis in intellectu, tunc quoties voluntas peccat, dabitur ibidem duplex peccatum, aliud quidem inconsiderationis, & imprudentiæ, siquidem operari absque debita consideratione, est operari imprudenter, Cõfirmatio

& præ-

& præcipitanter, aliud verò illud, quod ex defectu conſiderationis à voluntate committitur, vt v. g. peccatum ſuperbiæ. Et deinde collatis inter ſe huiuſmodi peccatis, nunquam primum peccatum eſſet illud, quod eſt proprium voluntatis, ſed illa inconſideratio, & imprudentia ad præcipitium iam dictum, ſi ſemel hoc neceſſario debet præcedere ad quemlibet defectum voluntatis.

Effugium. 264 Nec obeſt, ſi occurras cum ſchola Thomiſtica, defectum illum conſiderationis non eſſe merè naturalem, & purè negatiuum, ſed culpabilem, priuatiuum, & voluntarium per illummet actum voluntatis Angelicę, regulatum per prędictum iudicium inconſideratum. Hinc tamen non fit, iudicium illud inconſideratum, & defectum illius non eſſe cauſam defectus voluntatis, & peccati illius. Quia etſi defectus iſte voluntatis ſit prior in genere cauſæ efficientis, quàm defectus priuatiuus intellectus: attamen defectus, adhuc priuatiuus, intellectus eſt prior in genere cauſæ formalis, ſiue regulatiuæ, quæ ad formalẽ reducitur, quàm defectus volũtatis: & ita per hanc mutuam cauſalitatem in diuerſo genere cauſæ poteſt optimè ſaluari, quòd ille defectus conſiderationis ex parte intellectus ſit priuatiuus, & quòd ſit cauſa defectus priuatiui voluntatis, licèt defectus ex parte intellectus ſit priuatiuus, & voluntarius, ac proinde poſterius quid in genere cauſæ efficientis, quàm prædictus defectus voluntatis.

Contra primó. Non igitur hoc obſtat. Nam contra doctrinam hanc plura vrgent. Primò quidem. Quoniam etſi in alijs rebus hæc mutua cauſalitas in diuerſis generibus cauſarũ admitti poſsit, non tamen quoad præſens. Tum, quia ſi in præſenti eſſet admittenda, fieret inde, vt facta collatione inter electionem inordinatam voluntatis, & inter iudicium illud inconſideratum intellectus, à quo regulatur, tunc electio eſſet ſimpliciter prior, quàm prędictum iudicium: ſiquidem ponitur prior in genere cauſæ efficientis, & hæc cauſalitas ſimpliciter præcedit cauſalitatem materialem, & formalem intrinſecam aut extrinſecam à parte rei exiſtentem. At hoc admitti nequit. Ergo, &c. Minor probatur. Quia cùm voluntas non poſsit eligere, niſi iuxta ductum intellectus, ex eo quòd nihil volitum, quin præcognitum: repugnat, electionem eſſe ſimpliciter priorem illo actu, per quem volũtas ducitur ad eligendum, per quemque eius electio regulatur. Et propterea iuxta communẽ ſententiam, iudicium intellectus ponitur abſolutè & ſimpliciter prius electione voluntatis, & non è conuerſo.

265 Tum etiam. Quia iuxta probabilem plurium Thomiſtarum ſententiã, vt Caietani, & aliorum, iudiciũ intellectus cõcurrit in genere cauſæ efficientis ad actum volũtatis, & non ſolùm in genere cauſæ formalis extrinſecæ: ergo repugnantiam inuoluet, quòd in eodem genere cauſæ cauſetur ab ipſomet actu, quem cauſat.

Tum deinde. Quia quicquid eſt defectus priuatiui, culpabilis, & voluntarij in illo iudicio inconſiderato, prouenit ab electione voluntatis, qua eſt voluntarium, ac proinde eſt quid poſterius ſecũdùm iſtam rationem, quàm prædicta electio: ergo repugnat, quòd ſecundùm prædictum defectum priuatiuum ſit prædictum iudicium incõſideratum prius in aliquo genere cauſæ, quàm eademmet electio: ſiquidem ſecundùm totum *eſſe*, quod habet in ratione defectus priuatiui, & voluntarij, eſt effectus electionis, & quid poſterius illa.

Tum denique (per quod præcedens probatio cõfirmatur.) Quia etſi forma, v. g. quæ eſt prior in genere cauſæ formalis, poſsit eſſe poſterior in genere cauſæ materialis, aut in alio genere cauſæ, hoc ideò eſt, quia id, quod dicitur eſſe prius illa, non habet hoc præcisè ratione illius *eſſe*, quod eſt effectus eiuſdem formæ, ſed ratione alterius: & propterea materia, quæ quoad eſſe exiſtentiæ eſt effectus formæ, poteſt eſſe prior in genere cauſæ materialis, quàm ipſa forma, quia hanc priorita tem non habet ratione exiſtentiæ acceptę ab illa, ſed ratione ſuæ potẽtialitatis, ſecundùm quam eſt primum ſubiectum eiuſdem formę. Ergo cùm illa inconſideratio ex parte intellectus, ſeu prædictum iudicium inconſideratum habeat rationem defectus priuatiui, culpabilis, & voluntarij, præcisè quia eſt effectus cauſatus ex defectu illius electionis: conſequens eſt, vt non poſsit in alio genere cauſę eſſe ſecundùm iſtam rationem defectus culpabilis quid prius, quàm defectus itidem culpabilis voluntatis: ac proinde nec poſsit ſic ſumptum eſſe aliquomodo cauſa illius.

Impugnatur ſecũdò. 266 Deinde contra eandem ſolutionem obſtat ſecundò. Quoniam vel illa inconſideratio eſt obiectiuè mala, vel non? Si primum: ergo iam voluntas vellet aliquid ex parte obiecti malum, quod abſque aliquo errore, quo iudicet eſſe ſibi conueniens amplecti illud obiectum malum, nequit facere. Si ſecundũ: ergo illa inconſideratio non poteſt reddi culpabilis, & priuatiua, quantumuis ſupponatur in aliquo genere cauſæ actus voluntatis, quo ſit volita, & voluntaria: ſiquidem velle illum defectum, qui non eſt obiectiuè malus, ſed habet rationem purę & nudæ negationis, nec eſt formaliter velle peccaminoſum, nec inde defectus ille redditur culpabilis, & priuatiuus, vt de alijs defectibus negatiuis, & merè naturalibus liquet.

Tertio. 267 Prætereà contra eandem ſolutionem vrget tertiò, eſſe ſatis difficile, quòd ptædicta inconſideratio ſit volutaria, ac culpabilis per eundemmet actum voluntatis, qui per iudi-

iudicium illud inconsideratum regulatur, nempe, per iudicium illud, quo dictatur dilectio naturalis beatitudinis & excellentiæ eius, nõ considerata diuina regula. Quoniam ad hoc, vt illa inconsideratio sit voluntaria, oportet præcedere iudicium, quo iudicetur conueniens non considerare diuinam regulam, etiã si procedatur ad opus, seu ad dilectionẽ beatitudinis naturalis, & excellentiæ illius: hoc autem iudicium est distinctum ab illo priori, quippe quod est de obiecto intrinsecè malo: cùm tamen iudicium illud, quo præscribitur dilectio excellentiæ propriæ beatitudinis naturalis non considerando regulam diuinã, sit de obiecto bono, nempe beatitudine naturali. Ergo etiam actus voluntatis, quo prædicta inconsideratio est voluntaria, erit distinctus ab eo, qui regulatur per illud iudicium incõsideratum, quo dictatur dilectio excellentiæ propriæ beatitudinis naturalis non considerando diuinam regulam.

Quarté, & vltimo.

268 Ex quo etiam tandem contra eandem solutionem vrget, non saluari per eam id, quod saluari intenditur, nempe, debere ad quemlibet defectum priuatiuum voluntatis præcedere defectum itidem priuatiuum intellectus, qui sit inconsideratio, licèt non sit necessarium, quòd prædictus defectus semper sit aliquis error. Quoniam sumpta inconsideratione ex parte intellectus practici circa rem operabilem, necessariò sequitur iudicium practicum erroneum: ergo, &c. Antecedens probatur. Nã hoc ipso, quòd ibidem sit admista inconsideratio diuinæ regulæ & mensuræ in dilectione propriæ excellentiæ, quam tenebatur considerare, oportet, vt practicè consideraret, esse sibi conueniens hîc, & nũc operari, & diligere prædictam excellentiam absque tali consideratione: quod quidem est iudicium practicum erroneum, & appetitui recto difforme.

Vindicatur solutio tradita inter arguendũ, & elucidatur.

269 Respondetur, admittẽdo solutionem inter arguendum traditam. Nam reuerà iudicium illud inconsideratũ est regula & mẽsura actus voluntatis inde secuti, nimirum dilectionis propriæ excellentiæ beatitudinis naturalis absque debita mensura: & ita nõ potest non præcedere in genere causæ mensuratiuæ, quæ ad formalem reducitur. Etrursus, cùm voluntas sit potentia motiua quoad exercitiũ intellectus, moueatque illum, quoties ex parte intellectus præcedit aliqua prior consideratio, vnde possit voluntas excitari ad mouendum illũ ad aliquam aliam cõsiderationem, vel ad desistendum à priori, siue quoad omnia tunc considerata, siue quoad aliqua, vt in præsenti contingere statim explicabimus: inde est, vt quoad præsens attinet voluntas Angeli mouerit suũ intellectum ad habendũ illud iudicium inconsideratũ, eo ipso quod voluit procedere ad opus, seu ad dilectionẽ beatitudinis naturalis, & excellentiæ illius absque debita consideratione. Cũque hæc causalitas pertineat ad genus causæ efficiẽtis, oportet, vt actus ille volũtatis sit prior in genere causæ efficientis, quã iudiciũ illud incõsideratũ, & quòd ab eodẽ actu volũtatis reddatur formaliter voluntariũ, & culpabile.

Illustratur exemplo.

Potestque hoc explicari exẽplo primi actus fidei, quem habet adultus, & piæ affectionis existentis in voluntate. Nam primus actus fidei (vt multi volunt) est prior pia affectione in genere causæ formalis regulatiuæ: ex eo quòd actus piæ affectionis, quippe supernaturalis, debet regulari actu supernaturali intellectus, & primus actus supernaturalis inuentus in intellectu adulti debet esse actus fidei: & nihilominùs pia affectio est prior in genere causæ efficientis prædicto actu, applicans intellectum ad illum.

Respõdetur ad primam impugnationem.

270 Vnde ad primam impugnationem negandum est antecedens. Et ad primam probationẽ illius concedenda est maior, & negãda minor. Ad cuius probationem dicendum est, quòd ex hoc, quòd voluntas sequatur ductum intellectus, ac proinde, ex hoc, quòd voluntas Angeli quoad suũ primum peccatum sequatur iudiciũ illud inconsideratum sui intellectus, solùm sequitur, quantum ad præsens attinet, prædictũ iudiciũ inconsideratũ in genere causæ formalis regulatiuæ, & non vtcũque, sed vt in actu secundo infert in hoc genere volitionẽ, quoad speciẽ formaliter culpabilẽ, esse prius quid mala illa volitione per ipsum regulata, non tamen infertur, quòd prædictũ iudicium inconsideratum, vt est voluntariũ, & culpabile formaliter, vel vt est volũtariũ, & culpabile causaliter in actu secundo, non sit simpliciter posterius quid actu volũtatis formaliter culpabili, & ab eodem iudicio inconsiderato in genere causæ formalis, & regulatiuæ causato. Quoniam prædictum iudicium, quatenus est formaliter voluntariũ, & culpabile, planum est, esse simpliciter posterius, quàm actus voluntatis, à quo redditur formaliter culpabile: & similiter, quatenus in genere causæ formalis regulatiuæ est causaliter voluntariũ, & culpabile inferẽdo in actu secundo per modum causæ formalis extrinsecæ volitionem illam formaliter culpabilẽ, & voluntariam, debet etiam esse simpliciter posterius eadem volitione. Ac proinde oportet, vt prędicta volitio sit simpliciter prior: siquidem causa formalis extrinseca non causat in actu secundo aliquam operationem, nisi applicata ab eo, qui ea vtitur, producendo in genere causæ efficientis prædictam operationẽ; ita quidẽ, vt prior simpliciter sit influxus causæ efficientis in prædictam operationẽ, quàm quòd causa formalis, & regulatiua in eandẽ influat: quia causa formalis extrinseca non causat actu operationem in suo genere, nisi

quia

quia applicatur ab efficienti, vt patet in artifice, & eius idea. Et propterea N. Compl. in
N. Compl. 2 Phyſicorum diſp. 15. n. 15. poſtquam explicuerunt, quamlibet cauſam eſſe in ſuo genere priorem alia, poſteà facta collatione inter illas, & expendendo quænam ex cauſis, & prioritatibus iſtis eſſet ſimpliciter prior alia, licèt cum hac prioritate habeat admiſtam poſterioritatem, & dependentiam ſecundùm quid ab altera in alio genere, addiderũt, quòd facta collatione inter cauſam efficiẽtem, materialem, & formalem, cauſalitas efficientis eſt ſimpliciter prior, quã cauſa materialis, & formalis actu cauſantes: quãuis cauſa efficiẽs actu cauſans habeat dependentiã ab illis in ſuo genere conſideratis, tanquã à genere ſimpliciter poſteriori, ſecundũ quid autẽ priori.

Explicatur amplius ſolutio.

271 Poteſt que hoc explicari ſequenti ratione. Quoniam hac dumtaxat ratione poterat illud iudicium, vt inconſideratum, eſſe ſimpliciter prius ſecundùm ſubſtantiam (vt ſic dicamus) ſuæ inconſiderationis, quàm actus praui voluntatis Angelicæ. Quia animirum intellectus non fuerit applicatus à volũtate Angeli ad prædictam inconſiderationẽ, eo ſaltem modo, quo inconſideratio, ſiue iudicium inconſideratum, vt tale, habet cauſam petitque aliquam applicationem, qua intellectus applicetur ab aliqua cauſa: qua ratione actus intellectus, ad quem peculiari ratione Deus applicat intellectum per modum agentis particularis, vt contingit in primo actu eiuſdem intellectus, non tribuetur voluntati creatæ, vt applicanti, & eſt ſimpliciter prior volitione ſubſecuta. At videtur certum, ad iudicium inconſideratum, vt tale, ſeu quoad ſuam inconſiderationem applicari modo dicto intellectum à praua Angeli voluntate. Ergo, &c.

Minor probatur. Tum, quia Angelus in primo inſtanti habuit conſiderationem illam, quæ ei defuit in ſecũdo inſtanti: ac proinde intellectus Angelicus ad deſiſtendum ab ea conſideratione, fuit modo iam dicto applicatus ab aliqua cauſa. Cumque nõ ſit hoc modo applicatus quoad exercitium à ſe, quia ipſe non eſt prima cauſa applicans quoad exercitium: neque ab Auctore naturæ ſpeciali ratione ad id concurrente, quia applicare intellectum iam conſiderantem in vno inſtanti de aliqua re, ad hoc vt deſiſtat ab illa conſideratione, non pertinet hoc modo ad Auctorem naturæ, maximè quando eſt in poteſtate conſiderãtis deſiſtere ab illa conſideratione, vel continuare aut quaſi continuare illam: oportet, vt fuerit applicatus à voluntate.

Tum etiam. Quia illud iudicium inconſideratum inuentum in ſecundo inſtanti non potuit eſſe inconſideratum per inconſiderationem purè naturalem, & negatiuam, alioqui nequiret in illo eodem inſtanti habere (vt reuera habet) eſſe inconſideratum per inconſiderationem priuatiuam, & volũtariam: ſiquidem repugnat aliquam inconſiderationem particularem, & in individuo eſſe ſimul in eodem inſtanti purè naturalem, ac negatiuam, & eſſe ſimul voluntariam, & priuatiuã: ex eo quòd vna inconſideratio, vt habet eſſe merè naturalem, & vt eſt negatiua, dicit inconſiderationem quę actu, & formaliter non ſit mala, & illa, vt eſt priuatiua, dicit inconſiderationem actu, & formaliter malam: & ita oportet, quòd prædicta inconſideratio procedat ſecundùm ſuam ſubſtantiã, ſiue formaliter ſumpta, effectiuè à voluntate, tanquã à cauſa ſuo modo applicante ad illam: ſiquidem inconſideratio, quæ non eſt purè naturalis, debet in genere cauſæ efficientis applicatiuæ procedere à voluntate.

272 Vnde Angelicus Præceptor quæſtione nuper citata de Malo art. 3. faciens mentionem de prima radice ſimpliciter priori defectus priuatiui voluntatis, necnon & de defectu itidem priuatiui reperti in hoc, quod eſt non vti regula, ſolùm aſsignat ipſam voluntatem volentem procedere ad opus abſque vſu regulæ, ſeu volentẽ operari non conſiderando regulã, conſiderando tamen opus, quod erat faciendum cum vſu regulæ: & ita ait: *Vnde non vti regula rationis, & legis diuinæ, praintelligitur in voluntate ante inordinatam electionem. Huiuſmodi autem quod eſt nõ vti regula prædicta, non oportet aliquam cauſam quærere: quia ad hoc ſufficit ipſa libertas voluntatis: per quam poteſt agere, vel non agere.* Et vt explicaret, quomodo non attendere actu ad talem regulam ſecundùm ſe conſideratum non ſit malum, ac proinde ſic ſumptum non debeat pendere à voluntate; bene tamen non attendere actu ad talem regulam, quando proceditur ad operationem, quæ debet fieri ſecundùm regulam, & etiam quomodo tunc voluntas ſit radix ſimpliciter prior illius malitiæ, addidit verba illa ſuprà relata nempe, *quod hoc ipſum, quod eſt non attendere actu ad talem regulam, in ſe conſideratum non eſt malum, nec culpæ, nec pœnæ, quia anima non tenetur, nec poteſt attendere ad huiuſmodi regulam ſemper in actu: ſed ex hoc accipit primo rationem culpæ, quòd ſine actuali conſideratione regulæ procedit ad huiuſmodi electionem. Sicut artifex non peccat in eo, quòd non ſemper tenet menſuram, ſed ex hoc quòd non tenens menſuram procedit ad incidendum.* *D. Thom.*

Quod etiam explicuit idem S. Doctor, tum 1.2 quæſt. 75. artic. 1. vbi hanc mutuam cauſalitatem in corpore articuli explicuit, & in ſolutione ad 3. prioritatem ſimpliciter conuenientem voluntatis ſatis denotauit: tum etiam 3. contra Gentes cap. 110. *D. Thom.*

Nam postquã Angelicus Præceptor in principio capitis dixit, non fuisse necessarium, q' òd fuerit error intellectus substantiæ separatę iudicando aliquod bonum, quod bonũ non sit, sed quòd solummodò in illo præcessit defectus considerationis boni superioris, ad quod proprium bonum referendum erat, statim assignans primam huius radicem, addidit: *Cuius quidem inconsiderationis ratio potuit esse voluntas in proprium bonum intensè conuersa: est enim liberum volũtati, in hoc vel in illud, magis, vel minùs conuerti.* In quibus verbis (vt constat) satis aperte denotauit Angelicus Præceptor, quomodo volũtas intensè, siue magis conuersa in proprium bonũ fuerit prima ratio illius inconsiderationis: ideſt, (vt id obiter explicemus) quomodo ex eo, quòd Angeli voluntas voluit excellentiam propriæ beatitudinis naturalis, non ordinando illam in supernaturalem, sed potiùs quantum est ex vi modi volendi ordinando istam in illam (quod quidem est genus quoddam volendi superbè appretiatiuè, & quodammodò intensè, siue magis proprium illud bonum, quàm supernaturalem beatitudinem) idcircò ex parte eiusdem modi volendi, ac interpretatiuè, & virtualiter voluit non considerare, seu voluit procedere ad dilectionem istam propriæ beatitudinis & excellentiæ absque debita consideratione diuinæ regulæ & mensuræ.

Elucidatur vlterius, & roboratur præcedens solutio.

273 Cæterùm pro vberiori, & clariori solutione totius huius primæ probationis addi potest, quòd cũ ijs, quæ in ea dicta sunt, cohæret, imò ex iam insinuatis deducitur, quòd ante illud iudicium, vt inconsideratum, immediatè regulans volitionem illam culpabilem, præcesserit iudicium aliquomodo distinctum, simpliciter prius, & secundùm se optimum, & non habens defectum, ex quo potuit duci voluntas ad volendum beatitudinẽ naturalem eo modo, quo illã debebat velle, quodque fuit in potestate voluntatis illud cõtinuare, vel (vt sic dicamus) intersecare: ita quidem, vt prędictum iudicium quantum est ex se, potiùs inclinaret ad continuationem quàm ad intersecationem procedentem ex libera voluntatis applicatione. Vnde ex libertate, & malitia volũtatis duxit ortum, quòd iudicium illud intersecaretur, & maneret defectuosum, immediatè, & ex se regulans illã culpabilem volitionem.

Et ratio huius quoad præsens est. Quia ante illud iudicium inconsideratum, quo cogitata est excellentia beatitudinis naturalis, non curando de mensura, & regula diuina, conformiter ad quam diligenda erat, præcesserit in instanti antecedenti iudicium absque defectu debitæ considerationis impressio ab Authore naturæ, ita vt esset in potestate voluntatis conseruare, & continuare illud pro secundo, & alijs instantibus, sicut Angeli boni illud liberè continuarunt volentes liberè eius continuationem ad quam iudicium illud, quantum est ex se, inclinabat: quauis ex libertate voluntatis in Angelis malis fuerit intersecatum & ex iudicio considerato quoad omnia debita, redditum fuerit inconsideratum: atque adeò iudicium illud ex se non defectuosum, habuerit reddi malum ex malitia voluntatis, vt à prima radice, ex eoquòd non tam (vt sic dicamus) habuerit vsum quàm abusum illius.

Potestque hoc explicari in prima cogitatione, primaque volitione quam Deus nobis, vt Author naturæ, absque aliquo defectu, & per modum agentis particularis infundit in ordine ad volitionem boni in communi: quæ quidem ex se est absque aliquo defectu, & tamen sæpè ea malè vtitur voluntas, & inde deducit aliam cognitionem defectuosam regulantem immediatè volitionem inhonestam, qua vult aliquod bonum contra rationem.

Respondetur ad secundam impugnationem

274 Ad secundam verò probationem eiusdem antecedentis dicendum est, quòd adhuc dato, sed non concesso, actum intellectus concurrere efficienter ad actum voluntatis, ex eo quòd vnà cum verbo mentis effectiuè illum causat: nihilominùs potest in genere causæ, aut quasi causæ efficientis secundùm rationem iam dictam consideratus esse simpliciter posterior, quam actus voluntatis. Tum, quia actus ille intellectus inconsideratus non causaret adhuc tunc effectiuè, aut quasi effectiuè volitionem, secundùm quòd ipse est formaliter volũtarius, & culpabilis, sed secundùm id, quod ex se, & ex vi propriæ lineæ habet. Tum etiã. Quia prædictus actus intellectus in eo euentu esset vnà cum verbo causa effectiua, aut quasi effectiua, non in *esse* rei, sed in *esse* intelligibili, & vt constituit vnum principium cum verbo, tanquam cum forma apprehensa: ita quidẽ, vt ratione entitatis reverà efficeret volitionem, & ratione inconsiderationis quasi efficeret illam, & voluntas esset causa effectiua volitionis in alio ordine, ideſt, per modum causæ effectiuæ in *esse* rei. Constat autem, nõ esse inconueniens, aliquid esse prius, & posterius in eodem genere causæ, dummodò sub illo genere sint diuersæ species, aut quasi species eiusdem causæ: sicut non inconuenit, quòd in genere causæ finalis, finis *cuius gratia*, & finis *cui* habeant mutuam causalitatem, & dependentiam: quia hæc mutua causalitas non est in eadem specie causalitatis finalis, sed sub diuersis speciebus, & modis causandi intra idem genus causæ finalis. Et ita facta collatione inter finem *cui*, & finem

finem *cuius gratia*, tunc eſt ſatis probabile, quòd finis *cuius gratia* eſt ſimpliciter prior: ſi cut facta collatione inter voluntatem, & prædictam inconſiderationem, tunc computatis omnibus volũtas ſit prior ſimpliciter, quàm illa inconſideratio.

Ad tertiam impugnationem concluditur.

Ad tertiam verò probationem eiuſdem antecedentis reſpondetur, aliud eſſe, an quicquid eſt defectus priuatiui, culpabilis, & voluntarij in illo iudicio inconſiderato, dependeat ab electione voluntatis, qua eſt formaliter volũtarium, formaliterque culpabile, ità vt ſi hæc nõ adeſſet, tunc nullus defectus priuatiuus, adhuc cauſaliter, modo dicto culpabilis reperiretur in prædicto iudicio inconſiderato. Aliud verò, an tota ratio illius defectus priuatiui ſit id præcisè, quod conuenit illi ab electione voluntatis. Etſi ergo primũ illud ſit verum, non tamen hoc ſecundum. Quia illud iudicium inconſideratum connotando prædictam electionem, ſiue volitionẽ, à qua applicatur intellectus ad illud habendũ, & quòd ſimul ſit poſterius in genere cauſæ efficientis, quàm ipſa, habet ex vi ſua eſſe cauſaliter in actu ſecundo voluntariũ, & culpabile, quia in proprio genere, nẽpe per modum cauſæ formalis, & regulatiuæ, infert in actu ſecundo electionem formaliter voluntariam, & culpabilem, à qua prædictum iudicium inconſideratum habet eſſe formaliter voluntarium, & culpabile.

Poteſtque hoc explicari exemplo cauſæ finalis, & efficientis: Nam etſi cauſa efficiens dependeat quoad ſuam actionem à fine, vt à cauſa ſimpliciter priori: ac proinde itavt hoc non cauſante illa non cauſaret, ex eo quòd deeſſet prima cauſalitas finis, quæ præire deberet: attamen efficiens, connotando hanc cauſalitatem finis, hancque dependentiam ab illo, habet in ſuo genere propriam vim cauſandi, propriamque cauſalitatem priorem, non ſimpliciter, ſed cum addito, ſcilicet in genere cauſæ efficientis. Per quod etiam ad vltimam probationem eiuſdem antecedentis conſtat.

Ad ſecundam principalẽ impugnationem n. 266. adductã reſpondetur.

275 Ad ſecundam verò, & principalem impugnationem eiuſdem ſolutionis reſpondetur, quòd etſi illa inconſideratio, dum proceditur ad opus cum illa, ſit, quantum eſt ex ſe obiectiuè mala, & ideò actus, quo eſſet in eo euentu expreſsè volita eſſet malus, quia tenderet ad obiectum malum, ſiue ad obiectum modificatum malo modo obiectiuo, & ex parte obiecti ſe tenente: non tamen eſſet volita ab Angelo expreſsè, & formaliter, aut tanquam aliquid ex parte obiecti ſe tenens, ſed tantùm eſt volita virtualiter, & interpretatiuè, ac ex parte modi volendi. Et propterea non eſt neceſſarium, præcedere aliquem errorem ex parte intellectus, ſed ſatis eſt antecedere defectum conſiderationis. Sicut licèt illa non ordinatio beatitudinis naturalis in finem ſupernaturalem, quantum eſt ex ſe, fuerit in ſecundo inſtanti obiectiuè mala, & ita ſi Angelus vellet illam, vt tenentem ſe ex parte obiecti, ideſt, ſi vellet expreſsè totum hoc obiectum, nempe beatitudinem naturalem nõ ordinatam in prædictum finem; tunc ille actus eſſet malus, quia tenderet in obiectum malum, ſiue in obiectum modificatum malo modo ex parte obiecti ſe tenente; nihilominùs ſolùm ex parte modi volendi, ac interpretatiuè eſt volita: & propterea non eſt neceſſarium quòd aliquis error ad illam volitionem præcedat.

Ad tertiam impugnationem.

276 Ex quo ad tertiam impugnationẽm negandum eſt antecedens. Et ad probationem dicendum eſt, quòd ad hoc vt illud iudicium inconſideratum ſit volitum, non oportet præcedere aliud iudicium, quo iudicetur conueniens non conſiderare diuinam regulam, etiam ſi procedatur ad dilectionem beatitudinis naturalis, & excellentiæ illius, ſed ſatis eſt ad hoc, vt voluntas velit, & approbet iudicium illud de beatitudine naturali, & excellentia eius diligenda, non conſiderata tamen diuina regula, quòd præcedat in genere cauſæ formalis hoc vltimum iudicium inconſideratũ, & quòd voluntas procedat ad opus applicando intellectum ad conſiderationem practicam, & imperium dilectionis eiuſdem beatitudinis, non applicando ad conſiderationem prædictæ regulæ: cùm tamen intellectus teneatur illam conſiderare, & voluntas debeat ad illam applicare, hoc ipſo quòd ad prædictum opus procedat. Quia cùm prædictum iudicium inconſideratum non ſit volitum expreſsè, & formaliter, & ex parte obiecti, ſed tantùm virtualiter, & interpretatiuè, ac ex parte modi volendi, ſatis eſt ad hunc modum volendi, quo eſt volitum, quòd præcedat conſideratio quædam interpretatiua, & virtualis, qua virtualiter, & interpretatiuè cõſideretur vt conueniens, non cõſiderare tunc diuinam regulam, etiamſi procedatur ad illud opus. At ad hoc vt detur hoc iudicium interpretatiuum, & voluntas illud interpretatiuè approbet, ac velit, ſatis eſt, quòd operans, conſiderando beatitudinem naturalẽ, & eius excellentiam, poſsit, & debeat tunc conſiderare diuinam regulã, & non conſideret, ſed præcisè conſideret beatitudinem & excellentiã, quæ erat menſuranda per illam regulam, & quòd voluntas poſsit, & debeat velle beatitudinẽ illã cũ ordine diuinæ regulæ, poſsitque, & debeat applicare intellectum ad conſiderationem illius, & nihilominùs velit illam excellentiam non applicando intellectum ad conſiderationem regulæ.

Ad vltimã. 277 Ex quibus ad vltimam impugnationem dicendum eſt, quòd ex hoc quòd cũ iudicio illo admiſceatur prædicta inconſideratio, non ſequitur, dandum eſſe ſemper iudicium practicum formale, & expreſſum, quo iudicetur, eſſe cõueniens procedere ad opus abſque debita conſideratione, ſed ſufficit, quòd præcedat iudicium aliquod, quod virtualiter, implicitè, ac interpretatiuè ſit erroneum practicè, ita quidem, vt prima radix huius defectus ſit ipſa voluntas, vt in primo pec-
D. Thom. cato Angeli contingit. Et ita, cùm D. Thomas articulo 1. huius quæſtionis in ſolutione ad 4. dixit, quòd peccatum Angeli non proceſsit ex ignorantia, vel errore, intelligendus eſt de errore ex parte obiecti, & expreſſo, ac formali: vel ſi de errore interpretatiuo, ac virtuali, debet intelligi de eo, qui habeat ortum, vt à prima radice, ab ipſo intellectu, & antecedat omnibus modis omnem deordinationem voluntatis. Nam licèt error ille interpretatiuus præceſſerit in genere cauſæ regulatiuę prauam volitionem Angeli, habuit tamen ortum, vt à prima radice, ab eadem volitione, quia ipſa fuit prima ratio illius inconſiderationis: quoniã licèt talis inconſideratio in genere cauſæ quaſi elicitiuæ proceſſerit ab intellectu, attamen in genere cauſæ applicatiuę, ad hoc vt intellectus eliceret, habuit (vt iam diximus) procedere à voluntate.

Obiectio contra omnia prædicta. 278 Nec obeſt, ſi contra hæc omnia obijcias, quòd obiectum, & ratio formalis obiecti, ſiue id, quod in genere cauſa formalis cõcurrit ex parte obiecti, debet præcedere actũ potentiæ, cuius eſt obiectum, in omni genere cauſæ: ergo ſi iudicium practicum inconſideratum eſt ratio formalis ex parte obiecti voluntatis, oportebit, prædictum iudicium in omni genere cauſæ antecedere actũ voluntatis.

Refutatur. Reſpondetur enim, antecedens eſſe verum de potentijs purè paſsiuis, ſecùs verò de potẽtijs actiuis ſuorum obiectorum: nã iſtæ poſſunt habere ſuum actum priùs natura in genere cauſæ efficientis, quàm ſit ſuum obiectũ, alioqui non eſſent effectiuæ illius: licèt cum hoc ſtet, vt in genere cauſæ formalis præcedat prædictum obiectum, vt optimè docet
Caiet. Caietanus c. 4. de Ente, & eſſentia. Et ideò in prædictis obiectis datur, tam ratio cauſæ formalis, quàm effectus in genere cauſæ efficiẽtis: & facta collatione inter has duas rationes, priùs ſimpliciter eſt, quòd ſint effectus ſuæ cauſæ efficientis, ac proinde quòd cauſa efficiẽs eorũ ſit ſimpliciter prior illis, quàm quòd cauſent in genere cauſæ formalis extrinſecæ.

Exẽplo illuſtratur. 279 Poteſtque hoc explicari exemplo potẽtiæ calefactiuæ, cuius actus eſt prior natura in genere cauſæ efficientis, quàm ſit calidum, quod (vt multi volunt) eſt eius obiectũ formale, & ſpecificatiuum, quamuis in genere cauſæ formalis prius natura ſit calidũ, quàm calefactio, & facta collatione in ipſo calido inter has duas rationes cauſę, & effectus, priùs ſimpliciter eſt in eo, quòd ſit effectus ſuæ cauſæ efficientis. quàm quòd in genere cauſę formalis cauſet calefactionem. Et ſimiliter actus intellectus agentis, quia eſt actus potentię actiuæ, præcedit in genere cauſæ efficientis (vt plures probabiliter opinantur) vniuerſale, quod eſt eius obiectum, & ſubſequitur in genere cauſæ formalis ad illud. Ita ergo, proportione ſeruata, de voluntate philoſophandum eſt: quia per modum cauſæ applicatiuæ eſt factiua illius iudicij inconſiderati, & de facto ad illud applicuit intellectum Angeli: quia (vt ex D. Thoma vidimus) ex affectu ad propriam excellentiam applicuit intellectum ad habendum illud iudicium inconſideratum, quamuis illemet affectus habuerit dependentiam in genere cauſæ formalis ab eodem iudicio inconſiderato.

Ex quibus omnibus facilè colligitur ſolutio ad confirmationem huius vltimi argumenti n. 263. adductam. Nam cùm inconſideratio, de qua loquimur, ſit communis omnibus peccatis, non conſtituit peculiarem ſpeciem, ſed habet integrare vnum & idem peccatum cum volitione ſubſecuta ad ipſum, & pertinet ad eandem ſpeciem peccaminoſam, quæ reperitur in prædicto actu voluntatis: & ita ipſa inconſideratio ſecundùm id, quod habet in genere cauſæ regulatiuæ, ſolùm eſt cauſaliter mala, ex eo quòd in hoc genere eſt cauſa malitiæ formalis voluntatis, & ſecundùm quòd eſt ſimpliciter poſterior eadem volũtate, redditur mala formaliter ab illa volitione moraliter mala, eandem inconſiderationem informante, aut quaſi informante.

Solutio ad cõfirmationẽ nu. 263. adductam.

ARTICVLVS IIII.

Virùm aliqui Dæmones ſint naturaliter mali?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quòd aliqui Dæmones ſint naturaliter mali. Dicit enim Porphy. vt Auguſtinus introducit 10. de Ciuitate Dei, * quòd eſt quoddam genus Dæmo-

2. di. 7. q. 1. ar. 2. co Et 3 con. c. 107 vſque 111. & malo q. 16. ar. 2.

† C. 1. 11. parũm á prin.

num

num natura fallax, ſimulãs Deos, & animas defunctorum. Sed eſſe fallacem, eſt eſſe malum. Ergo aliqui Dæmones ſunt naturaliter mali.

¶ 2. Præterea. Sicut Angeli ſunt creati a Deo, ita & homines. Sed aliqui homines ſunt naturaliter mali, de quibus dicitur ſapiẽt. 17. Erat eorum malitia naturalis. Ergo & Angeli aliqui poſſunt eſſe naturaliter mali.

¶ 3. Præterea. Aliqua animalia irrationalia habent quaſdam naturales malitias: ſicut vulpes naturaliter eſt ſubdola; & lupus naturaliter eſt rapax: & tamen ſunt creaturæ Dei. Ergo Dæmones licèt ſint creaturæ Dei, poſſut eſſe naturaliter mali.

SED contrà eſt, quod Dionyſius * dicit 4. capite de diuinis nominibus, quod Dæmones non ſunt naturaliter mali.

Cap. 4. part 4. circa me diũ.

RESPONDEO dicendum, quod omne, quod eſt, in quantum eſt, & naturam habet aliquam, in bonum aliquod naturaliter tendit, vt potè ex principio bono exiſtens: quia ſemper effectus conuertitur in ſuum principium. Contingit autem alicui bono particulari aliquod malum eſſe adiunctum, ſicut igni coniungitur hoc malum, quod eſt eſſe conſumptiuum aliorum. Sed bono vniuerſali nullum malum poteſt eſſe adiunctum. Si ergo aliquid ſit, cuius natura quidem ordinetur in aliquod bonum particulare, poteſt naturaliter tendere in aliquod malum, non in quantum malum, ſed per accidens, in quantum eſt coniunctum cuidam bono. Si vero aliquid ſit, cuius natura ordinetur in aliquod bonum ſecundùm communem boni rationem, hoc ſecundùm ſuam naturam non poteſt tendere in aliquod malum. Manifeſtũ eſt autem, quod quælibet natura intellectualis habet ordinem in bonum vniuerſale; quod poteſt apprehendere; & quod eſt obiectum voluntatis. Vnde cùm Dæmones ſint ſubſtantiæ intellectuales, nullo modo poſſũt habere inclinationem naturalem in aliquod quodcumque malũ: & ideò non poſſunt eſſe naturaliter mali.

Ad primum ergo dicendum, quod Auguſtinus ibidem reprehendit Porphyrium de hoc, quod dixit, quod Dæmones erant naturaliter fallaces; dicens, eos non eſſe naturaliter fallaces, ſed propria voluntate. Porphyrius autem hac ratione poſuit, Dæmones eſſe natura fallaces, quia ponebat, Dæmones eſſe animalia habẽtia naturã ſenſitiuã. Natura autẽ ſenſitiua ordinatur ad aliquod bonum particulare, cui poteſt eſſe coniunctum malum. Et ſecundùm hoc aliquam inclinationem naturalẽ habere poſſunt ad malum: per accidens tamen, in quantum malum eſt coniunctũ bono.

Ad ſecundum dicendum, quod malitia aliquorum hominum poteſt dici naturalis, vel propter cõſuetudinem, quæ eſt altera natura, vel propter naturalem inclinationem ex parte naturæ ſenſitiuæ ad aliquam inordinatam paſsionẽ ſicut quidam dicũtur naturaliter iracundi, vel concupiſcentes: nõ autẽ ex parte naturę intellectualis

Ad tertium dicendum, quod animalia bruta ſecundum naturam ſenſitiuam habent naturalem inclinationem ad quædam particularia bona, quibus coniuncta ſunt aliqua mala, ſicut vulpes ad quærendum victum ſagaciter, cui adiungitur doloſitas. Vnde eſſe doloſum, non eſt malum vulpi, cùm ſit ei naturale: ſicut nec eſſe furioſum, eſt malum cani, ſicut Dionyſius dicit 4. capite de diuinis nominibus.

Cap 4. par. 4 parùm á medio.

Concluſio eſt negatiua.

Concil. Carthag. IIII. Bañez. Auguſt. Athanaſ. Baſilius. Damaſ. Leo Pap. Caſtro.

ET eſt de fide, diffinita in Concilio Carthaginenſi IIII. ca. 1. & in alijs adductis à Bañez in præſenti: & eam probat Auguſtinus 11. de Geneſi ad litteram cap. 21. & in Enchiridio cap. 12. q. 2. noui, & veteris teſtamenti, Athanaſius in libro de beatitudine ſi. ij Baſilius in homil. *quòd Deus non ſit author malorum*, & in homil. in aliqua loca ſcripturæ Damaſcenus 2. de Fide cap. 4. & lib. 4. cap. 21. Leo Papa ep. ſtola 21. cap. 6. Circà quam etiam poteſt videri Caſtro verbo *Diabolus* hæreſi 1. vbi veritatem, hanc multis probat.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Diabolus fuerit malus in primo inſtanti ſuæ creationis, per culpam propriæ voluntatis?

2. Diſt. 3 q. 2 & ma. q. 16 ar. 4 & Ioã. 8. lect. 6.

AD quintum ſic procedi tur. Videtur, quòd Diabolus in primo inſtanti ſuæ creationis fuerit malus per culpam propriæ voluntatis. Dicitur enim Ioannis 8. de Diabolo. Ille homicida erat ab initio.

¶ 2. Præterea. Secundùm Auguſtinum 1 ſuper Geneſ ad litteram.* Informitas creaturæ non præceſsit formationem tempore, ſed origine tantùm. Per cœlum autem, quod legitur primò creatum, vt ipſe dicit in 2. lib.* intelligitur natura Angelica informis. Per hoc autem, quod dicitur, quòd Deus dixit: Fiat lux, & facta eſt lux, intelligitur formatio eius per cõuerſionẽ ad verbũ. Simul ergo natura Angelica creata eſt, & facta eſt lux. Sed ſimul dũ facta eſt lux, diſtincta eſt a tenebris, per quas intelliguntur Angeli peccantes. Ergo in primo inſtãti ſuæ creationis quidam Angeli fuerunt beati, & quidam peccauerunt.

Lib. 1. ſuper Gen. c. 15. parum á principio & lib. 1. de Gen. ad lit. c. 5.
† Lib 2 ca. 9. parùm á princ.

¶ 3. Præterea. Peccatum opponitur merito. Sed in primo inſtanti ſuæ creationis aliqua natura intellectualis poteſt mereri, ſicut anima Chriſti, vel etiam ipſi boni Angeli. Ergo & Dæmones in primo inſtanti ſuæ creationis potuerunt peccare.

¶ 4. Præterea. Natura Angelica virtuoſior eſt, quàm natura corporea. Sed res corporalis ſtatim in primo inſtanti ſuæ creationis incipit habere ſuam operationem, ſicut ignis in primo inſtanti, quo generatus eſt, incipit moueri ſurſum. Ergo & Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis potuit operari. Aut ergo habuit operationem, rectam aut non rectam? Si rectam, cum gratiam habuerit, per eam meruerunt beatitudinem. In Angelis autem ſtatim ad meritum ſequitur præmium vt ſupra dictum eſt.* Ergo

Q. 62. art. 5

go fuiſſent ſtatim beati: & ita nunquam peccaſſent, quod eſt falſum. Relinquitur ergo, quod in primo inſtanti non rectè operando peccauerunt.

SED contrà eſt, quod dicitur Geneſ. 1. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona. Inter ea autem erant etiam Dæmones. Ergo & Dæmones aliquando fuerunt boni.

RESPONDEO dicendũ, quòd quidam poſuerunt, quod ſtatim Dæmones in primo inſtanti ſuæ creationis mali fuerunt, non quidem per naturã, ſed per peccatum propriæ voluntatis: quia ex quo eſt factus diabolus, iuſtitiam recuſauit. Cui ſententiæ, vt Auguſtinus * dicit 11. de Ciuitate Dei, quiſquis acquieſcit, non cum illis hæreticis ſapit, ideſt Manichæis, qui dicunt, quòd Diabolus habet naturam mali. Sed quia hæc opinio authoritati Scripturæ contradicit (dicitur enim ſub figura principis Babylonis de Diabolo Iſaiæ 14. Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris? Et Ezechielis 28. In delicijs paradiſi Dei fuiſti, dicitur ad Diabolum ſub perſona regis Tyri) ideò à magiſtris hæc opinio tanquam erronea rationabiliter reprobata eſt. Vnde aliqui dixerũt, quòd Angeli in primo inſtãti ſuæ creationis peccare potuerunt, ſed non peccauerunt. Sed hæc opinio etiam à quibuſdam improbatur ea ratione, quia cũ duæ operationes ſe cõſequũtur, impoſsibile videtur, quòd in eodem nunc vtraque operatio terminetur. Manifeſtum eſt autem, quòd peccatum Angeli fuit operatio creatione poſterior: terminus autẽ creationis eſt ipſũ eſſe Angeli: terminus verò operationis peccati eſt, quòd ſunt mali. Impoſsibile ergo videtur, quòd in primo inſtanti, quo Angelus eſſe cœpit, fuerit malus. Sed hæc ratio non videtur ſufficiens: habet enim ſolùm locum in motibus temporalibus, qui ſucceſsiuè aguntur. Sicut ſi motus localis ſequitur ad alterationem, non poteſt in eodem inſtanti terminari alteratio, & localis motus. Sed ſi ſunt mutationes inſtantaneæ, ſimul & in eodem inſtanti poteſt eſſe terminus primæ, & ſecundæ mutationis: ſicut in eodem inſtanti, in quo illuminatur luna à ſole, illuminatur aer à luna. Manifeſtum eſt autem, quòd operatio eſt inſtantanea, & ſimiliter motus liberi arbitrij in Angelis: non enim indigent collatione, & diſcurſu rationis, vt ex ſupra dictis patet. * Vnde nihil prohibet, ſimul & in eodem inſtanti eſſe terminum creationis, & terminum liberi arbitrij. Et ideò aliter dicendum eſt, quòd impoſsibile fuit, Angelum in primo inſtanti peccaſſe per inordinatum actum liberi arbitrij. Quanuis enim res aliqua in primo inſtanti, quo eſſe incipit, ſimul incipere poſsit operari: tamen illa operatio, quæ ſimul incipit cum eſſe rei, eſt ei ab agente, à quo habet eſſe: ſicut moueri ſurſum ineſt igni à generante. Vnde ſi aliqua res habeat eſſe ab agente deficiente, quod poſsit eſſe cauſa defectiua actionis, poterit in primo inſtanti, in quo incipit eſſe

Lib. 11. de Ciuit. Dei c. 13. circa finem to. 5.

Q. 58. ar. 3.

esse, habere defectiuam operationem: sicut si tibia, quæ nascitur clauda ex debilitate seminis, statim incipiat claudicare: agens autem, quod Angelos in esse produxit, scilicet Deus, non potest esse causa peccati. Vnde non potest dici, quòd Diabolus in primo instanti suę creationis fuerit malus.

Ad primum ergo dicendū, quod sicut Augustinus * dicit 11. de Ciuitate Dei, cùm dicitur, quod Diabolus ab initio peccat, non ab initio, ex quo creatus est, peccare putandus est; sed ab initio peccati, scilicet quia numquam à peccato suo recessit.

Lib. 11 ca 15 circa med. tom. 5

Ad secundum dicendum, quod illa distinctio lucis, & tenebrarū, secundùm quod per tenebras peccata Dæmonum intelliguntur, accipienda est secundùm Dei præscientiam. Vnde Augustdicit 11.* de Ciuit. Dei, quòd solus lucem, ac tenebras discernere potuit, qui potuit, etiã priùsquam caderent, prescire casuros.

Lib. 11. ca. 19 in med. tom 5.

Ad tertium dicendum, quod quicquid est in merito, est a Deo. Et ideo in primo instãti suæ creationis Angelus mereri potuit. Sed non est similis ratio de peccato, vt dictum est.

In corp. art.

Ad quartum dicendum, quod Deus non discreuit inter Angelos ante auersionem quorundam, & conuersionem aliorum, vt Augustinus * dicit 11 de Ciuitate Dei. Et ideo omnes in gratia creati in primo instanti meruerunt. Sed quidam eorum statim impedimentum præstiterunt suæ beatitudinis, præcedens meritum mortificantes. Et ideo beatitudine, quam meruerunt, sunt priuati.

Lib. 11. de Ciuit Dei ca. 11 & 33 tom. 5.

Prima conclusio,

Erroneum est dicere, Angelum peccasse in primo instanti.

Secunda conclusio.

Angelus non potuit peccare in primo instanti per inordinatum actum liberi arbitrij.

DISPVTATIO XI.

De incapacitate Angeli ad peccandum in primo instanti.

POSTQVAM Angelicus Præceptor explicuit, quomodo plures ex Angelis in secundo instanti peccauerint, nullusque ex illis sit naturaliter, siue ex propria natura malus, statim discutit, an hoc sit adeò verum, vt in primo instanti sui *esse* nequiuerint, adhuc peccatum propriæ voluntatis liberæ, esse mali. Vnde nos ad hoc vltimum explicandum præsentem disputationem excitamus.

DVBIVM VNICVM.

Vtrùm Angelus in primo instanti sui esse potuerit per culpam propriæ voluntatis peccare?

1 CONSVLTÒ non inquirimus, an Angelus in primo instanti per culpàm propriæ voluntatis defacto deliquerit? Sed an potuerit sic delinquere? Tum, quia ex professò probandum nobis est, eum non posse in primo instanti sui esse peccare: hincque planè fiet, illum in prædicto instanti defacto nõ deliquisse. Tum etiam: Quia communiter Patres, & Theologi docent, nullum Angelum defacto in primo instanti peccasse, vt constat ex Leone Papa epistola 93. ad Turibium cap. 6. vbi inquit, quòd *Diabolus bonus esset, si in eo quòd factus est permaneret.* Anselmus de casu duaboli cap. 3. Isidorus lib. 1. de summo bono c. 10. Damascenus lib. 2 de Fide c. 4. Gregorius homil. 1. in Ezechielem, & lib. 32. moralium cap. 18. alias 24. Origenes homil. 1. in Ezechielem, Augustinus 11. de Ciuitate c. 15 vbi sententiam, quam olim tenuerat super Genesi (quamuis non nihil hæsitans) retractat, & oppositam deducit ex illo Euangelij apud Ioannem, vbi de diabolo dicitur: *In veritate non stetit*; ideſt non perstitit in ea, quam accepit, gratia & virtute: & damnat ibi expositionem illam huius loci, quam ipse loco citato dederat; dum dixerat, quòd Angelus dicitur cecidisse non ab his bonis, quæ acceperat, sed quæ accepisset, si subdi voluisset. Tum denique. Quia in Concilio Bracharensi I. c. 17. nõ solùm anathemate percutitur asserens, Angelos natura sua esse malos; sed qui asseruerit, non priùs Angelos bonos factos fuisse, quàm caderent. Et in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. *Firmiter* vbi dicitur: *Diabolus enim, & alij Dæmones à Deo quidem creati sunt boni, sed ipsi per se ipsos facti sunt mali* Cumque in eodem instanti nequeant, saltem quoad id, quod defacto contigit, esse simul boni, & mali, necesse est, vt in primo instanti non peccauerint.

Decisio dubij quoad id quod de facto contigit.

Leo Papa. Anselm. Isidorus. Damasc. Gregor. Origenes August.

Ioan. 8. ci.

Concilium Brach. I.

Concilium Lateran.

2 Vnde decisionem hanc tuentur communiter Theologi in hac q. & in 2. dist. 3. q. 1. art. 1. & propterea Angelicus Doctor in hoc articulo, postquàm retulit oppositam sententiam, sic inquit: *Sed quia hæc opinio auctoritati Scripturæ contradicit (dicitur enim sub figura principis Babylonis de Diabolo, Isaiæ 14. Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris? Et Ezechielis 28. In deliciis paradisi Dei fuisti, dicitur ad Diabolum sub persona Regis Tyri) ideò à magistris hæc opinio tanquam erronea rationabiliter reprobata est.* Et q. 16. de Dæmonibus art. 4. postquam attulit eamdem opinionem oppositam, statim addidit: *Sed hæc positio reprobata fuit ab omnibus Magistris tunc Parisijs legentibus.* Et in 2. dist. 3. q. 1. art. 1. vbi de hac eadem opinione inquit: *Hæc autem positio vana, & erronea est, & falsa. Vana, quia non habet fundamentũ firmum, per quod probetur, cùm malitia Angeli ex voluntate eius dependeat: & ideò cùm voluntas se habeat ad vtrumlibet, ratione inueniri non potest. Erronea est, quia primæ opinioni* (nempe quòd Angelus à Deo creatus est malus) *nimis vicina est, & à Magistris damnata: falsa est: quia impossibile est, Angelum in primo instanti suæ creationis peccasse.*

Isaiæ 14. Ezech. 28 D. Thom.

Et similiter consultò in hac disputatione vnicum tantummodò dubium excitamus. Quia etsi posset discuti; tũ, an in primo instanti potuerit delinquere peccato commissionis? tum peccato omissionis? tum etiam; an in eodem instanti meruerit? Cæterũ, quia duo illa priora sunt satis inter se connexa, & ex ijs quæ circa peccatum commissionis dicemus, facilè deducemus, quid de peccato omissionis sit dicendum: ac tandem, quia de vltimo in hoc dubio, occasione postremi argumenti oppositæ sententiæ, ea, quæ ad illud pro nunc delideranrtur, adducemus: idcircò huic disputationi satis erit, si vnicum tantum modò dubium iam excitatũ discutiamus.

§. I. *Expeditio dubij ex Angelici Doctoris, & Patrum mente, & ratio fundamentalis pro ea.*

3 DIcendum ergo est, nullum Angelum posse peccare in primo instanti sui *esse*. Ita D. Thom. in hoc articulo, vbi sic concludit: *Vnde non potest dici, quòd diabolus in primo instanti suæ creationis fuerit malus.* Et q. 16. de Malo art. 4 & in 2. dist. 3. q. & articulo citatis, & super Ioan. c. 8 lectione 6. vbi loquens de Diabolo, sic inquit: *Sed dicendum est, quòd in primo instanti suæ creationis non potuit esse malus.* Idem etiam docuerunt Patres, Concilij Bracharensis, nechon & Lateranensis, quæ nuper retulimus, vt statim expendemus. Et tandem hanc eamdem sententiam tuentur Capreolus in 2. dist. 4. q. 1. art. 1. conclusione 4. Herbeus dist. 5. q. 2. art. 2. Ferrara 3. cont. Gẽt. c. 109. §. *Sed circa prædicta*, Caietanus in hoc articulo, necnon & alij Thomistæ, vt Nazarius, Bañez, Zumel, Ripa ibidem necnon & alij plures ex eadem Schola. Et consentiunt quàm

Assertio quoad possibilitatem D. Thom.

Capreol. Herbeus Ferrara. Caietanus. Nazarius. Bañez. Zumel. Ripa.

Alensis. quàm plurimi alij Scholastici, vt Alensis 2. p.
Albertus. q. 29. membro 1. art. 7. Albertus in 2. dist. 3.
Richard. art. 14. & ibi Richardus ar. 2. q. 2. Argentina
Argent. dist. 6. q. 1. art. 2. Holcoth. in 2. q. 3. ad 9.
Holcoth. Adam in 1. dist. 1. q. 8. Henricus quodlibeto
Adam. 8. q. 10. Hugo de Sancto Victore in summa
Henricus tractatu 2. c. 2. Arrubal 1. p. disput. 173. Gra
Hugo de nado in hac 1. p. tractatu 13. de Angelis dis-
S. Victore put. 4. & alij.
Arrubal.
Granado.

Ratio prior & fundamentalis.

4 Sed antè quàm priorem, & fundamentalem rationem huius assertionis adducamus, oportet prænotare, quòd cùm in eadici mus, Angelum non posse in primo instanti sui *esse* peccare, non solùm loquimur de impotētia morali, vel de impotētia physica, & secundùm communes leges, sed etiam de impotentia metaphysica, ita vt oppositum implicet contradictionem.

Hoc ergo supposito, prior D. Thomæ ratio in hoc articulo adducta potest ad suadendam assertionem eiusdem Angelici Doctoris, & nostram ad hanc formam redigi. Nam illa operatio, quæ simul incipit cum *esse* rei, est ei ab agente, à quo habet esse: ergo impossibile est, Angelum in primo instanti sui *esse* peccare. Patet consequentia. Quia si operatio, quæ incipit cum *esse* rei, est ei ab agente, à quo habet *esse*, consequens esset, vt illud peccatum Angeli esset ei à Deo, à quo habuit *esse*, ac proinde quòd prædictum peccatum tribueretur Deo: quod quidem, vt constat, est impossibile.

Antecedens autem probatur. Tum, quia operatio, quæ incipit cum *esse* rei productæ, est (vt sic dicamus) veluti corollarium quoddam secutum ex natura illius: & ita debet esse ei ab agente dante illi *esse*, sicut & alia corollaria naturæ sunt, & cōmunicantur ei ab eodem agente. Tum etiam. Quia idcirco motus grauium, & leuium ad suum locum naturalem, sunt eis à generante, quia prædictus motus incipit cum illis, quoties producuntur extra suum locum naturalem, & ita primum *esse* eorumdem grauium, & leuium est primum instans inceptionis, seu vltimum non *esse* prædicti motus. Tum denique. Quia si tibia alicuius viuentis, cùm primò habet *esse*, inciperet moueri claudicando, & defectuosè, tunc illa claudicatio esset ei à generante, illique tribueretur. Nam hæc claudicatio proueniret ex debilitate seminis eiusdem generantis, ratione cuius tibia illa nascitur clauda. Hoc autem satis indicat, actionem siue bonam, siue defectuosam incipientem cum *esse* rei, esse ei ab agente, à quo habet *esse*,

5 Quæ ratio desumitur ex Cōcilijs Bracharensi, & Lateranensi, nuper relatis: nam in eisdem asseritur, Angelos in principio fuisse bonos: & ratio huius redditur ex hoc, quòd sunt creati à Deo. Cuius rationis vis, cùm non sit fita in hoc, quòd id, quod est creatum à Deo, nequeat vnquam peccare, vt ex se constat: consequens est vt consistat in hoc, quòd id, quod est creatum à Deo, nequeat in suo primo instanti delinquere: ex eo quòd operatio incipiens cum *esse* rei debet tribui ei, à quo producitur tale *esse*, non verò aliæ operationes posteà subsequentes.

Reijcitur Valentia.

Vnde (vt id obiter dicamus) non benè Valentia in hac 1. p. q. 14. puncto 4. inquit, rationem istam D. Thomæ non desumi ex prædictis Concilijs: ex eo quòd (vt inquit ille) non asserunt, Angelos in principio fuisse bonos, quoniam sunt creati à Deo, Sed Angelos, *natura sua quidem bonos in principio fuisse, quoniam à Deo creati sunt.* Id autem non obstat quominùs potuerint in principio etiam esse mali, non natura, sed per suum liberum arbitrium. Non igitur quoad hoc benè Valentia. Nam adhuc dato, Cōcilia ista solùm dicere, Angelos natura sua quidem bonos in principio fuisse, quoniam à Deo creati sunt: nihilominùs in verbis istis ratio D. Thomę continetur. Quoniam Concilia non solùm dicunt, natura sua bonos fuisse, sed natura sua bonos in principio fuisse: vt denotarent, aliquid amplius habuisse natura sua in principio, ratione cuius boni fuerunt, quàm in alio instanti sequenti: hoc autem non potuit esse, quòd in principio non sunt naturaliter mali, secùs verò in alio instanti, ne, si malitia conueniret eis aliquando naturaliter, siue ex natura sua, refunderetur in suum authorem: ergo solùm potuerunt esse natura sua boni in principio, secùs verò posteà, quia natura sua habent naturalem determinationē ad hoc, vt nequeāt, adhuc per suum liberum arbitrium, in primo instāti delinquere, ècontrà verò posteà. Cumque ratio huius reddatur à prædictis Concilijs, ex eo quòd à Deo conditi sunt, consequens est, vt ratio D. Thomæ à nobis adducta in eisdem Concilijs contineatur.

§. II *Responsio prior ad rationem D. Thomæ, & Conciliorum, necnon eius impugnatio.*

Prior euasio ad rationem D. Thomæ. *Molina.*

6 NEC obest, si occurras primò ex Molina in hoc articulo, & alijs, quòd sola illa operatio tribuitur generanti, per quam res genita perducitur ad suam dispositionem naturalem: Angelus autem productus est à Deo in sua naturali dispositione, neque operationibus suæ voluntatis eam assequitur: & ita operationes illius in primo instanti non tribuuntur authori naturæ.

Impugnatur.

Non igitur hoc obest. Primò quidem. Quoniam si ad authorem naturę pertineret tribuere naturalem dispositionē effectui producto

ducto, & ratione huius ei tribuitur actio attingens prædictam dispositionem: consequēs est vt etiā ad eum spectet remouere in primo instanti dispositiones, quę sunt cōtra naturā effectus producti ita vt defectus huius remotionis, necnon & remotio ipsa eidē attribuantur: quia nisi totum hoc præstaret, non satisfaceret suo muneri, nempe producendi rem in sua naturali dispositione. Ergo ad authorem substantiæ intellectualis spectabit remouere in primo instanti creationis, ne aliquod peccatum ibidem per propriam voluntatem contrahatur: quia operatio illa peccaminosa est contra naturam substantię intellectualis. Et ideò sicut remotio ista, & naturalis dispositio prædictæ substantiæ eidem authori tribueretur: sic etiam defectus remotionis prædictę operationis peccaminosæ.

Confirm. 1. 7 Confirmatur. Quoniā hoc ipso, quòd ad naturalem dispositionem grauium, & leuium pertineat esse in suo loco naturali, pertinet ad generantem, non solùm constituere illa in suis locis, sed etiam remouere ipsa ab alijs, quæ non sunt iuxta naturalem dispositionem illorum. Et similiter quia ad authorem tibiæ spectat producere illam cum naturali dispositione: ideò etiam ad illum pertinet, quòd nō nascatur claudus, & cum dispositione præternaturali, & defectus in vtroque casu reperti tribuuntur generanti. Ergo eadem ratione spectabit ad authorem naturæ intellectualis ne prędicta natura oriatur cum morali claudicatione & cum dispositione contra propriam naturam, qualis est operatio peccaminosa.

Deinde. Nam ad naturalem dispositionem Angeli pro primo instanti spectat operatio naturalis, qua diligat super omnia Deum, vt authorem naturæ: etiā similiter ad dispositionem connaturalem gratiæ, aut eleuationis eiusdem Angeli ad esse supernaturale pertinet actus dilectionis super omnia Dei vt authoris supernaturalis. Ergo ad authorem naturę Angelicæ, & *esse* supernaturalis eleuantis eumdem Angelum spectabit tribuere vtrumque amorem in eo instanti: & per consequens remouere omnem actum peccati incompossibilem cum illo, & tam vterque amor, quàm defectus illius, & remotionis sui oppositi, nempe peccati pro primo instanti, tribuetur eidem authori. Consequentia videtur perspicua.

Antecedens autem quoad primum amorem nempe naturalem, constat ex illis, quę disputatione 9. dubio 3. diximus, nimirum, Angelum ratione suę actualitatis, & immaterialitatis constitui in ordine naturali in actu primo sibi debito per actum amoris super omnia sui vltimi finis naturalis, nempe Dei, vt est author naturę, necnon & per actualem cognitionem sui, & Dei, vt authoris eiusdem naturæ, ad hoc vt possit inde cognoscere & velle cætera alia: ac proinde prædictus actus amoris ad naturalem eius dispositionem pertinebit.

Roboratur. 8 Potestque hoc magis explicari ex ibidem dictis, nempe, Angelum esse in tertio gradu immaterialitatis ex his, qui recensentur à D. Thoma suprà q. 12 art. 4 quosque *D. Thom.* nos in 1. tomo tractatu 2 disput. 2. à num. 156. vsque ad num. 158 latè explicuimus, & hunc gradum petere, vt natura immaterialis ad illū pertinens, sit partim in potentia, & partim in actu, ideſt, sub aliquo ex suis actibus, ratione cuius possit in reliquos, sub quibus non est, moueri: ac proinde quòd sit sub primo, & connaturalissimo sibi actu secundo, nempe, in intellectu sub cognitione comprehensiua sui, & per consequens sub cognitione Dei, vt authoris naturæ, & in voluntate sub actu correspondente huic cognitioni, scilicet sub amore sui vltimi finis, seu Dei, qui quidem amor, hoc ipso quòd sit vltimi finis, vt talis, debet ex vi sua esse super omnia, vt ibidem explicuimus.

Ex quo etiam idem antecedens quoad secundam partem de amore supernaturali probatur. Quoniam gratia, & eleuatio ad *esse* supernaturale perficiunt subiectum iuxta modum se habendi in suis operationibus, vt docuit D. Thomas suprà quæst. 62. art. 3. ad *D. Thom.* 2. Vnde gratia, siue eleuatio ad *esse* supernaturale naturę Angelicæ intrinsecè petit, vt sit semper sub actu secundo respectu vltimi finis, proportionato illi priori actui amoris naturalis: & per hunc actum supernaturalem completè constituitur in actu primo, vt inde possit attingere alia, hicque amor prædicti finis ad connaturalem eius dispositionem pertinet.

Confirm. 2. 9 Confirmatur secundò. Nam ex eo, quòd homo spectata ad secundum gradum intellectualitatis, & immaterialitatis, nempe eorum, quæ quantum est ex se, sunt in pura potentia in ordine intelligibili, propterea in primo instanti tantùm petit, quòd constituatur in hac pura potentialitate, nec amplius exigit ad actum primum tunc illi debitum, neque ad naturalem dispositionem sui intellectus, quam pro eodem instanti debet habere: ideoque ad authorem prædictæ naturæ tantùm spectat tribuere illi hūc actum primum, hancque dispositionem. Ergo quia Angelus est in tertio immaterialitatis gradu eleuationi, scilicet eorum quæ sunt partim in potentia, & partim sub actu secundo, nempe sub actu priori, & connaturaliori, qui est amor sui vltimi finis, spectabit ad authorem naturæ Angelicæ tribuere prædictum amorem, & remouere actum peccati ei oppositum, & nisi hoc præstiterit, non satisfaciet suo muneri, & defectus

illę

ille eidem authori tribuetur.

Confirmatur tertiò ex illis, quæ disputatione 9. nuper citata dubio 3. num. 61. & deinceps diximus. Quoniam homo, adhuc tunc quando instanti prima operatione est constituendus completè in actu primo, ad hoc vt ipse se ipsum moueat in ordine ad suas operationes, debet peculiari applicatione applicari à Deo ad intentionem finis, hæcque actio debet quoad omnia sua tribui Deo, vt applicanti, & deinde quia tunc homo incipit de potentia in actum, & ab vniuersalioribus ad minùs vniuersalia, satis est, quòd tunc peculiari ratione applicetur à Deo ad intentionem boni in communi, vt inde ipse se possit ad bona particularia applicare, vt loco citato explicuimus, & D. Thomas 1.2.q.9.artic.4. docet. Ergo Angelus, respectu cuius in primo instanti suæ productionis instat operatio, debebit, ad hoc vt sit completè in actu primo ad se ipsum mouendum, & applicandum ad suas operationes, applicari peculiari applicatione ab Authore suo ad intentionem finis, hæcque actio ipsi secundùm omnia, quæ habet, vt causæ sic applicanti tribuetur. Et tandem, quia ratione suæ maximæ perfectionis in modo cognoscendi non procedit ab vniuersalioribus ad minùs vniuersalia, sed per se primò exigit, vt tendat ad cognitionem, & intentionem sui vltimi finis in particulari, nempe Dei, & non solùm in intentionem boni, & beatitudinis in communi: idcircò postulat, vt peculiari applicatione applicetur primò à Deo ad cognitionem, & amorem prædicti finis, vt inde ipse sic motus, sicque in actu primo constitutus, posit se ipsum mouere, seu liberè se applicare, & determinare ad alios actus omninò liberos, tam quoad specificationem, quàm quoad exercitium. Et per consequens prior ille actus, quo peculiariter applicatur à Deo ad intentionem sui finis vltimi, debebit ipsi Deo secundùm omnem sui rationem, vt primo applicanti, & vt ei, penes quem stat constituere completè Angelum in actu primo in ordine ad suas operationes omninò liberas, tribui. Sed de hoc iterũ infrà in hoc eodem dubio sermo redibit.

Confirm. 3

D. Thom.

Obiectio prima contra omnes istas impugnationes.

10 Nec obest, si contra has impugnationes obijcias. Tum, quòd peccatum originale est contra naturam hominis, & animæ rationalis: & nihilominùs, ex eo quòd Deus sit author illius naturæ, & animæ, necnon & naturalis dispositionis vtriusque, non idcircò debet remouere, ne prædictum peccatum in eo instanti contrahatur. Ergo eadem ratione, licèt Deus sit author naturæ Angelicæ, & dispositionis naturalis illius, non ob id spectabit ad eũ remouere peccatũ Angelicũ in eodem instanti. Ac prinde, sicut originalis contractio non tribuitur ei: sic neque peccatum, quod ab Angelo tunc committeretur.

Tum secundò. Quia doctrina tradita in priori impugnatione videtur esse, contra testimonium quoddam D. Thomæ q. 16. de Malo art. 4. vbi cùm proposuisset rationem aliquorum ad probandum, Angelum non posse in primo instanti delinquere, nempe, quia oportuit, Angelum in primo instanti suæ conditionis esse bonum, qualis à Deo creatus est, ne quid ponatur simul esse integrum, & diminutum, sic illam impugnat: *Sed hoc nullam necessitatem videtur habere, & co neque esset inconueniens dicere, quòd quantum est ex creatione Dei, Angelus in primo instanti habuit naturam omnino integram: ita tamen, quòd hæc integritas fuerit mox impedita per resistentiam Angelicæ voluntatis: sicut si radius solis impediatur, ne illuminet aerem in ipso solis exortu.* In quibus verbis satis denotat Angelicus Præceptor, non pertinere ad authorem naturę Angelicæ efficaciter impedire, ne in primo instanti resistat influentiæ sui authoris, sed satis esse, quod quantum est ex vi prædictæ influentiæ, ità habeat naturam omninò integram, vt nihil in ea sit diminutum, aut contra integritatem eiusdem naturæ

Secunda D. Thom.

11 Tum tertiò. Quoniá si Angelo esset debitus in primo instanti actus supernaturalis amoris Dei super omnia, hoc ipso quòd eleuaretur ad *esse* supernaturale, & hic actus requireretur ad constituendum illum in actu primo pro primo instanti accommodate ad suam actualitatem, & immaterialitatem: non erit cur semper non deberet habere prædictum actum: siquidem semper est illi, vt eleuato, debitum id, per quod constituitur in actu primo ad operandum in ordine supernaturali accommodatè ad suam immaterialitatem, & actualitatem.

Tertia.

Tum quartò. Quia si hic actus est debitus pro primo instanti, quia hoc ipso, quòd Angelus eleuetur, debet eleuari accommodatè ad suam naturam, debetque gratia perficere prædictum subiectum iuxta modum ipsius subiecti: consequens esset, vt esset illi debitus amor supernaturalis Dei super omnia pro omnibus, & singulis instantibus, quandoquidem illud subiectum quoad actum amoris super omnia Dei authoris naturalis, habet debitum ad habendum illum semper, & pro semper: & ita si accommodatè ad suam naturam, ideſt, accommodatè ad modum naturalem habendi se circa finem naturalem, in quo modus proprius naturæ Angelicæ splendet, est eleuandus, debebitur semper, saltẽ gratiæ ipsum eleuanti, quòd sit semper in actuali dilectione super omnia Dei authoris supernaturalis, imò & iste actus necessarius erit etiam quoad exercitium, sicut amor Dei vt authoris naturalis.

Quarta.

Tum quintò. Quia non videtur consonũ naturæ gratię Angelicę, vt ei sit debitus infallibi-

Quinta.

fallibiliter actus amoris Dei ſuper omnia, adhuc pro primo inſtanti, tanquam quid requiſitum ad hoc, vt ſit completè in actu primo: ſiquidem gratia Angelorum, & noſtra eſt eiuſdem ſpeciei, & noſtræ in primo inſtanti vſus rationis nõ eſt debitus prædictus amor, vt in paruulis baptizatis liquet.

Sexta. 12 Tum ſextò, & denique. Quia ex hoc, quòd prædictæ gratiæ eſſet debitus talis amor pro primo inſtanti, ad ſummum ſequeretur, quòd connaturaliter loquendo non poſſet Angelus in primo inſtanti delinquere; non tamen quòd implicet contradictionem, vt in aſſertione dicitur: ſiquidem poſſet Deus per ſuam abſolutam potentiam denegare illũ amorem aliàs debitum: & tunc non eſſet cur Angelus non poſſet in prędicto inſtanti contra finem ſupernaturalem delinquere.

Additamentum 1. Adde, quòd cùm dicitur, gratiæ Angelicæ debitum eſſe in primo inſtanti actum ſupernaturalẽ amoris Dei ſuper omnia, vel eſt ſenſus, quòd attendendo præcisè ad gratiam, eſt illi debitus, quamuis attendendo ad naturam Angelicam non debeatur? vel quòd ipſi naturæ Angelicæ ſit aliquo modo debitus ratione ſui? vel tandem, quòd eidem, vt eleuatæ (ly *vt* ſpecificatiuè ſumpto) debeatur, ita tamen vt ex illa, quatenus ſic eleuata, licèt non præcisè ratione eleuationis, aliquo modo oriatur debitum? Si primum dicatur, non erit cur Angelo non denegetur prædictus actus adhuc connaturaliter loquendo, ex eo quòd ex parte ſubiecti, cui non eſt debitus, ponatur aliquod impedimentum, ſicut in nobis contingit ratione prædicti impedimenti ex parte noſtra præſtiti, licèt gratiæ, quantum eſt ex parte ſua, amor ille debeatur. Secundum autem dici nequit. Quoniam dona ſupernaturalia, hoc ipſo quòd talia, non poſſunt eſſe debita alicui naturæ creatæ, aut creabili ordinis naturalis, & ſecundùm ſe ſumptę, vt communiter Theologi fatentur. Et propter eandem rationem nec poteſt dici tertium. Quoniam illud, quod natura Angelica, quatenus eleuata, ly *vt* ſpecificatiuè ſumpto, affert aliquomodo de ſuo, eſt inferioris ordinis: & ita nequit illi ratione ſui eſſe aliquo modo debitus actus amoris ſuper omnia, qui ſit ſupernaturalis. Maximè, quia licèt capacitas remota ad actum ſupernaturalem poſsit ex propria natura Angelica conuenire, non tamen debitum eiuſdem actus, quia hoc ſolum conſurgit ex eadem, vt eleuata, & ratione eleuationis præcisè: ex eo quòd naturæ, cui non eſt debita quantitas virtutis, ſeu virtus proxima ad operandum (vt contingit in Angelo reſpectu operationis ſupernaturalis) neque eſt debita ratione ſui illa operatio, ſed ſolùm ratione quãtitatis virtutis, ſeu eleuationis, quę eſt tota virtus agẽdi proxima in ordine ſupernaturali.

Additamentum 2. Adde ſecundò, quòd etiam ſi daremus, nõ eſſe debitum Angelo, adhuc vt eleuato, actũ ſupernaturalem amoris Dei ſuper omnia, nihilominùs iuxta rationem hanc D. Thomæ eſſet impeccabilis pro primo inſtanti: ergo non debet prædicta impeccabilitas reduci ad debitum huius amoris.

13 Non igitur hæc obſunt. Nam ad primam exiſtis impugnationibus dicendum eſt, eſſe diſparẽ rationem. Nam reſpectu peccati originalis contraxit puer debitũ in Adamo, & ideò non ſpectat ad auctorẽ curare de impedienda hac contractione: cæterùm in Angelo non eſt contractũ prædictum debitũ ante primum inſtans ſuæ creationis. Poteſtque hæc diſparitas explicari ex eo, quòd anima contrahit peccatum originale, quia efficitur pars humanæ naturæ infectæ; non autem cõtrahit illud per propriam operationẽ, ſicut Angelus: & ideò effectus iſte reducẽdus eſt in Adamum, qui infecit naturam; non verò in authorem eiuſdem naturæ, & donorum gratiæ. Quæ explicatio, & ſolutio deſumitur ex D. Thoma q. 16. de Malo art. 4. ad 21. his verbis: *Dicendum, quòd anima in primo inſtanti ſuæ creationis efficitur mala, non per actionem propriam, ſed per vnionem ad corpus infectum. Vnde non eſt ſimilis ratio de Angelo, qui nõ potuit fieri malus, niſi per actum proprium.*

Solutio ad primã obiectionem.

D. Thom.

Ad ſecundã. Ad ſecundam dicendum eſt, rationem relatam, & impugnatã à D. Thoma deſumi ex parte naturæ Angelicæ conditæ à Deo, ex eo nimirũ, quòd quantum eſt ex vi actionis Dei cõdita eſt ſine peccato, atque adeò integra: & ideò debuit Angelus in hac integritate pro illo inſtanti conſeruari, ne aliquid ponatur ſimul eſſe integrum, & diminutum. Hæc autẽ ratio ſic pręcisè ſumpta non inducit neceſsitatem, vt benè docet D. Thomas in hoc teſtimonio, benè tamen vt à nobis proponitur, nimirum, quia ad authorem naturæ Angelicæ ſpectat producere illam, non ſolùm quantum eſt ex vi creationis integram, ſed etiam cum repugnantia ad hoc, vt pro illo inſtanti non maneat integra: tum ob ea, quæ in impugnatione huius ſolutionis diximus: tum etiam propter illa, quæ in impugnationibus aliarũ ſolutionum dicemus. Eſſe autem verum, & genuinum ſenſum rationis impugnatæ à D. Thoma illum, quem nos explicuimus, deduci poteſt ex eodem D. Thoma ibidem vbi ſic inquit. *Quidam enim aſſignauerunt huiuſmodi rationẽ ex parte naturæ Angelicæ quæ eſt condita à Deo. Vnde dicunt, quòd oportuit in primo inſtanti ſuæ conditionis cum eſſe bonum, qualis à Deo creatus eſt: ne aliquid ponatur ſimul eſſe integrum, & diminutum, ſicut obijciebatur.* In his autem verbis (vt intuenti patebit) nihil aliud neceſſe eſt contineri, præter id, quod nos explicuimus.

D. Thom.

Ad tertiam. 14 Ad tertiam impugnationem neganda eſt paritas. Nam ille actus ſupernatu-

ralis dilectionis Dei super omnia, qui est intentio finis, duo habet: & esse liberũ quoad exercitium, & cõstituere Angelum in actu primo debito gratiæ, siue suæ eleuationi ad *esse* supernaturale in ordine ad se mouendum ad quascumque operationes, ad quas se ipsum mouere, & applicare liberè potest. Et ideò ex qua parte requiritur ad actũ primum debitum, oportet, vt tribuatur à Deo in primo instanti, ipseque Deus speciali ratione applicet ad illum, siquidem penes ipsum stat tribuere omnem actum primum in primo instanti debitum. Ex qua verò parte prædictus amor est actus liber quoad exercitiũ, ita debet tribui, vt maneat in potestate Angeli continuare illũ, vel desistere ab eo: quia hoc ipso, quòd in primo instanti Deus ad illum peculiariter applicuerit, manet Angelus sufficienter in actu primo constitutus ad hoc, vt si voluerit, perseueret in prædicto actu, & inde in secundo instanti se moueat ad alias operationes, vel si oppositum placuerit, desistat à prędicto actu, & à mouendo se ratione illius in operationes proportionatas fini supernaturali. Et ita iam Deus suo muneri satisfecit, & per Angelũ stabit, quòd non habeat actum primũ, quo se ipsum potest liberè mouere, & applicare ad prędictas operationes ordinis supernaturalis. Circa hæc tamen videantur omninò illa, quę disputatione sequenti n. 17. & deinceps addu cemus.

Ad quartã. Ad quartam impugnationem debet etiam negari paritas. Quoniam ad hoc vt Angelus eleuetur accommodatè ad suam naturam, satis est, quòd eleuetur accõmodatè ad suũ gradũ immaterialitatis, & actualitatis: ac proinde sufficiet, quòd ita eleuetur, vt eleuationi illi debitus sit pro eo instanti, in quo eleuatur, actus amoris Dei super omnia, vt est finis supernaturalis, & quòd, nisi per voluntatem Angeli steterit, possit continuare in reliquo viæ prędictum amorem, nõ verò est necesse, quòd sicut necessario necessitate, tam quoad specificationem, quàm quoad exercitium diligit Deum, vt est author naturæ, tam pro primo, quàm pro quouis instanti, sic habeat diligere Deum, vt authorem supernaturalem: siquidẽ, (vt ex dictis disput. 9. n. 3. & 35. constat) natura Angelica, & voluntas eius, licèt sint indefectibiles circa authorẽ naturalem, non tamen circa ipsum, vt est author supernaturalis: & ita potest ab amore eius supernaturali desistere. Sicut etiam, quia amor iste est superexcedens respectu illius, neque est respectu Dei clarè visi, nec requisitus ad beatitudinem eius naturalem, quam debet habere in via: idcircò prædictus amor adhuc in primo instanti, debet esse liber quoad exercitium, & propter rationem nuper traditam, in reliquo viæ est liber quoad specificationem.

Ad quintã. 15 Ad quintã negandum est antecedẽs. Et ad probationem patet ex dictis. Quoniam licèt gratia Angelorũ, & nostra sint eiusdem speciei, nihilominùs constituenda est inter vtramque distinctio secundùm numerum, & ratione huius aliqua inæqualitas secũdùm perfectionem numericã. Et ita ratione huius inę qualitatis & excessus reperti in gratia Angelica potest illi esse debitus actus amoris Dei super omnia pro primo instanti, secùs tamen gratiæ nostræ, vt statim magis explicabimus. Potestque hoc elucidari exemplo eiusdẽ gratiæ, & luminis glorię, nam ratione distinctionis numericæ repertæ inter gratiam, & lumẽ gloriæ v.g. B. Virginis ex vna parte, & inter gratiam, & lumen gloriæ filiorum Sanctæ Fœlicitatis ex alia, habet gratia B. Virginis inclinare eã ad hoc, vt diligat plus proprios parentes, quàm filios Sanctæ Fœlicitatis, & & lumẽ gloriæ illius peculiariter inclinat ad videndum ea, quæ pertinent ad proprios parentes: è contrà verò gratia filiorum Sanctæ Fœlicitatis habet inclinare ratione suæ indifferentiæ indiuidualis ad diligendũ magis (saltem cæteris paribus) propriam matrem, quàm parentes B. Virginis; & lumini gloriæ eorundem est debitus peculiari ratione concursus, quo videat ea, quæ ad Sanctam Fœlicitatem eorundem matrem spectant. Ita ergo gratiæ Angelicæ potest esse ratione suæ indifferentiæ indiuidualis debitum aliquid, quod tamen non sit debitum gratiæ nostræ, licèt vtraque sit eiusdem speciei.

Vnde, licèt Deus possit eleuare naturam humanam ad *esse* supernaturale, & non tribuere ei ab instanti, in quo manet eleuata, dona supernaturalia intrinseca, sed solùm tunc manet prædicta natura eleuata extrinsecè: attamen hoc ipso, quod eleuet naturam Angelicam à primo instãti ad *esse* supernaturale, debet (saltem secundùm communem cursum ordinis gratiæ) tribuere ei dona intrinseca supernaturalia, quibus maneat intrinsecè eleuata: vt ita in eodem instanti fiat satis debito eleuationis, qua prædicta natura Angelica eleuatur, nempe, quòd infallibiliter, liberè tamen, prorumpat in actum amoris Dei super omnia, ex eo quòd est illi debitum auxilium efficax ad hunc amorem liberum.

Ad sextam 16 Ad vltimam verò negari etiam debet antecedẽs. Et ad probationem fatemur, posse Deum de potentia sua absoluta denegare applicationem illam peculiarem, qua debet applicare gratiam Angelicam pro primo instanti ad amorem supernaturalem sui super omnia. Hinc tamen non fit, posse Angelum pro eo instanti delinquere. Quia eo ipso supposita prædicta eleuatione libere à Deo facta, tenebitur ita res disponere, vt præcaueat peccatum Angelicum pro eo instãti: vel quia tollat ab intellectu Angelico considerationẽ præceptorum supernaturalium, contra quæ

potest

poteſt delinquere, & ita pro tunc inuincibiliter illa ignoret, aut ea non conſideret, vel aliqua alia ratione ex pluribus, quæ in theſauris diuinæ ſapientiæ reconditæ ſunt.

Et ratio eſt. Nã effectus ſubſecutus ex denegatione eius, quod debetur, tribuitur cauſę deneganti id, quod debetur: & ita penes ipſam ſtat curare alia via de non ſubſecutione illius effectus, ne illi tribuatur. Et ideò, ſi Deo deneget aquę debitam frigiditatem, tribuitur ipſi, quòd aqua nõ ſit frigida, aut quòd nõ infrigidet. Et ſimiliter ſi tibia, quæ ex ſe attẽtis omnibus petebat naſci recta, naſcatur claudа, tunc claudicatio eius tribuitur generanti Quare, cùm in Deũ nõ poſsit refundi peccatũ Angelicũ pro primo inſtanti, oportet, vt hoc ipſo, quòd ſit Angelo vt eleuato debitus amor ſupernaturalis eiuſdẽ Dei ſuper omnia, per quẽ redditur impeccabilis pro illo inſtãti, curet alia via de impediẽdo illo peccato, ſi ſemel vult denegare applicationẽ debitã ad prædictum actum amoris: ne, ſi oppoſitũ præſtiterit, ſequatur, quòd prędictũ peccatũ ſit refundendũ in ipſum, quippe negantẽ id, quod debebat tribuere, quoque conceſſo prædictũ peccatum vitandum infallibiliter erat.

Ad primũ additamẽtũ

Ad id autẽ, quod primo loco additur, dicẽdũ eſt, quòd Angelo, vt eleuato ad *eſſe* ſupernaturale, debitus eſt pro primo inſtanti actus ſupernaturalis amoris Dei ſuper omnia, ly *vt eleuato* ſumpto reduplicatiuè: ita vt præcisè ratione eleuationis contrahatur hoc debitũ; non verò ratione eius, quod natura Angelica de ſuo habet: ac proinde ita vt ſoli eleuationi prædictus amor debeatur. Hinc tamẽ nõ fit, poſſe Angelũ in primo inſtãti delinquere, ſicut nos poſſumus in primo inſtãti vſus rationis adæquatè ſumpto peccare. Quoniã gratię Angelicæ, ſiue eleuationi Angeli ad *eſſe* ſupernaturale ita eſt debitus, quãtũ eſt ex parte gratiæ, actus amoris Dei pro illo inſtãti, vt ſit illi debitũ peculiari ratione, quòd ſubijciat, & taliter dominetur naturæ, & volũtati Angelicæ, vt ratione huius ſubiectionis naturæ Angelicæ ad illam, & dominationis eiuſdẽ gratiæ ſupra naturã Angelicã, nulla ratione præſtet impedimentum ad prædictum amorem, ſed potiùs ſubijciatur illi, ſimulque cum ea concurrat ad talem amorẽ, ac proinde ſit ei debitum, quòd Deus peculiari applicatione applicet voluntatem Angelicam, vt eleuatẽ, ad eundẽ amorem. Cæterùm, licèt demus, quòd gratiæ noſtræ, quantum eſt ex parte ſua præcisè ſumptæ, eſſet debitus amor Dei, non tamen ita vt ſit ei ſimul debitũ taliter ſubijcere voluntatem noſtrã, taliterque illi dominari, vt tollat ab ea, quòd actu non præſtet impedimentum ad illum amorẽ, ſed potiùs cõcurrat cum ipſa ad eum: ex eo quòd petat (ſicut gratia Angelica id exigit) quòd Deus peculiari applicatione applicet voluntatem noſtram, vt eleuatam, ad hoc vt pro primo inſtãti ſublatis omnibus impedimentis infallibiliter eliciat actum amoris ſupernaturalis pro prædicto primo inſtanti vſus rationis.

Ad ſecundũ additamẽtũ

Ad id autem, quod ſecundo loco additur, fatemur, quòd etiamſi non eſſet debitus Angelo, vt eleuato, actus amoris ſupernaturalis pro primo inſtanti, nihilominùs non poſſet peccare pro illo. Hinc tamen nõ fit, non poſſe legitimè reddi rationem huius impeccabilitatis pro primo inſtanti ex debito iã dicto amoris ſupernaturalis. Quoniã Angelus multiplici titulo eſt impeccabilis pro illo inſtãti, tum ſcilicet quia eſt ei debitus prædictus amor: & ita operatio peccaminoſa tunc incipiens cum *eſſe* Angelico, peculiari ratione tribueretur Deo, tanquam deneganti id, quod debebat tribuere ad impediendam actionem illam peccaminoſam cum *eſſe* rei incipiẽtẽ: tum etiam, quia vniuerſaliter loquendo quęuis actio incipiens cum *eſſe* rei in primo inſtãti eiuſdem *eſſe*, ſiue illa ſit recta, ſiue defectuoſa, debet tribui authori prædictæ rei, vt ex iã dictis, & magis ex impugnationibus aliarum ſolutionum in hoc eodem dubio ſubijciendis patebit.

§. *III. Solutio. 2. rationis D. Thomæ, & illius euerſio.*

Secũda euaſio ad rationẽ D. Th. *Molina. Aureolus Gregor. Valent. Beccan.*

17. Nec etiam obeſt, ſi ſecundò occurras eidem rationi D. Thomæ cũ eodem Molina loco citato, necnõ cum Aureolo, & Gregorio apud Capreolum in 2. diſt. 4. cum Valentia loco relato, & Becano tractatu de Angelis c. 4. q. 10. quòd etſi operatio naturalis, prout diſtincta à vitali, & libera, incipiens cum *eſſe* rei, debeat tribui authori eiuſdem rei, ſecùs tamen operatio vitalis, & libera, qualis eſſet operatio peccaminoſa Angeli, ſi in primo inſtanti ſui *eſſe* illam eliceret. Et ratio huius ſolutionis reddi poteſt, tum exeo, quòd iuxta doctrinã Ariſtotelis, in hoc diſtinguuntur operationes vitales à non vitalibus, quòd illæ procedunt à principio intrinſeco mouẽte ſe ipſum: & ita hoc ipſo, quòd operatio Angelica ſit vitalis, debet procedere ab intrinſeco principio Angelico mouente ſe ipſum, ac proinde debet illi tribui: ſiquidem operatio, in qua quis ſe ipſum mouet, eſt illi tribuenda. Tum etiã. Quia hoc peculiari titulo habet etiam operatio libera, vt tribuatur volũtati eliciẽti illã: ex eo quòd procedit ab ea, vt ab habẽte dominiũ illius, in cuiuſq; poteſtate eſt illã elicere, vel nõ elicere. Tũ deniq, Quia quoties natura intellectualis, vt talis operatur, toties agit propter finem, & vt ſe mouens in illũ. Quare, cùm quæuis operatio vitalis, ſiue libera Angeli procedat ab eo, vt ab habente naturam intellectualẽ, erit vtique ab illo, vt à ſe mouẽte in finẽ, & ideò ipſi eſſet tribuenda.

Roboratur ſolutio.

Præcluditur 18 Nõ itaque hęc ſecũda ſolutio obeſt. Nam in primis, licèt operatio vitalis, ſiue libera Angeli nequeat eſſe elicitiuè ab alio, præterquam ab ipſo Angelo, & eius potentijs elicitiuis illius, nihilominùs poteſt eſſe ab alio applicatiuè, indigereque peculiari applicatione alterius: ergo ex hoc capite nihil obeſt, quominùs operatio vitalis, & libera Angeli incipiens cum *eſſe* illius peculiariter tribuatur Deo, non quidem vt principio vitali elicitiuo, ſed vt principio ſpeciali ratione applicanti ad talẽ operationẽ: ex eo quòd eſt author principiorũ agendi, & eliciendi, quæ reperiuntur in Angelo, cui incumbit applicare ad operationem incipientem cum *eſſe* illius.

Conſequentia videtur legitima. Quoniam ſi operationes naturales, hoc ipſo quòd incipiant cum *eſſe* rei, tribuuntur authori illius, ſaltem tanquam applicanti peculiariter ad illas: non eſt cur operationes vitales, & liberæ non refundãtur etiam in authorem rei, à qua eliciuntur, vt in applicantem peculiari ratione ad eas, ex eo quòd eſt author eiuſdem rei, ſi ſemel non eſt contra naturam actionum vitalium, & liberarum, quod procedant à principio intrinſeco vitali, vt ab eliciente, & à principio extrinſeco, vt peculiariter applicãte. Antecedens probatur, tum ex illis, quæ ex D. Thoma 1.2.q.9.ar.4. dicebamus, nimirũ, primum actum intellectus, & voluntatis poſſe procedere peculiari ratione ab authore naturæ, ex eo quòd ſpeciali ratione ipſi incumbit ad illum applicare. Tum etiam. Quia in hoc articulo docet, claudicationem tibiæ, quæ eſt operatio vitalis effecta modo itidem vitali, licet defectuoſo, tribuendam eſſe authori eiuſdem tibiæ, ſi clauda naſcatur: ex eo quòd tribuendo tibiam defectuoſam, ſaltem remotè applicat ad claudicationem. Tũdeni que. Quia voluntas cenſetur principium extrinſecum reſpectu intellectus, & vitium ſenſitiuarum, & multò magis charitas reſpectu operationum vitalium ordinis naturalis, quæ ſunt in potentijs ſenſitiuis, aut in intellectu: & nihilominùs, licèt prædictæ operationes vitales non ſint elicitiuè à voluntate, aut à charitate, poſſunt eſſe applicatiuè ab illis.

D. Thom.

Secundò.

19 Deinde, quòd operatio voluntatis Angelicę incipiens cum *eſſe* illius, licèt ſit vitalis, & libera, non ſolùm poſsit, vt in præcedenti impugnatione dicebamus, ſed etiã debeat eſſe peculiari ratione à Deo, vt ab ſpecialiter applicante ad illã, ſic oſtẽditur. Quoniã prima cogitatio incipiẽs cũ *eſſe* Angelico debet eſſe hac ſpeciali ratione à Deo, vt ab authore naturæ Angelicæ, & principiorum, quibus intelligit, ac proinde debet eſſe abſque defectu debitæ conſiderationis: ergo etiã operatio libera conſecuta, & incipiens ſimiliter cum eodem *eſſe* rei, debebit peculiari ſtatione, nempe vt à peculiariter applicante, eſſe etiam à Deo, in ipſumque refundi, & non habere in ſe aliquem defectum.

Conſequentia videtur legitima. Quia qui actiuè, & peculiari ratione, ſeu per modũ agẽtis particularis applicat ad aliquã cogitationem practicam, & non habentẽ aliquem defectũ debitę conſiderationis, ac proinde efficaciter, & infallibiliter inferentem volitionẽ, ad quã tribuitur, debet etiã applicare ad prædictã volitionẽ ei correſpondentẽ. vt ex ſe conſtare videtur. Vide D. Thomas 3. contra Gẽtes c. 89. ratione 6. ex eo quòd non eſt abeundum in infinitũ, non ſolùm intulit primã cogitationem eſſe peculiariter à Deo, vt à primo conſiliante, & deliberãte, ſicut in articulo infrà citando queſt. 82. id collegit, ſed etiã primũ actum voluntatis eſſe eodem modo reducendũ in ipſum, his verbis: *Item argnit Ariſtoteles in 8. Eudemicæ Ethica per hũc modũ: Huius, quòd aliquis intelligat, conſilietur, & eligat, & velit, oportet aliquid eſſe cauſam: quia omne nouum oportet, quòd habeat aliquã cauſam. Si autem eſt cauſa eius aliud conſiliũ, & alia voluntas præcedens, cùm non ſit procedere in his in infinitũ, oportet deuenire ad aliquod primũ. Huiuſmodi autẽ primum oportet eſſe aliquid quod eſt melius ratione: nihil autẽ eſt melius intellectu & ratione, niſi Deus. Eſt igitur Deus primũ principiũ noſtrorũ cõſiliorũ, & volũtatũ.* Hoc autẽ eſſe nõ poſſet niſi prima illa cogitatio eſſet efficax, vt exſe patet

D. Thom.

Probatur antecedens quoad ſecũdã partem.

Antecedens autem quoad vltimam partẽ, quippe ſuaſu facilioré, nẽpe prędictã cogitationẽ debere eſſe abſque defectu debitæ conſiderationis, ſic primo loco probatur. Quoniã aliàs illẽ defectus debitæ conſiderationis repertus in prædicta cogitatione practica, ex quo oriretur inefficacia in illa reſpectu actus voluntatis, eſſet refundendus in Deũ, ſicut in illũ refundendus eſſet defectus inuẽtus in actu, aut in habitu erroris, ſi ad illum applicaret per modũm cauſæ particularis, ſecũs dum per modum agentis vniuerſalis agit.

Quoad primã verò partem probatur. Tũ primò. Quia cùm illa cogitatio omninò præcedat quẽlibet actũ volũtatis, non poteſt intellectus Angelicus applicari, & moueri à voluntate ad illã habendam. Cũque intellectus Angelicus non habeat mouere, & applicare ſe, niſi ad ſummũ quoad ſpeciem actus, non verò quoad exercitium, ſed ad hoc indigeat motione alterius oportet, vt tunc peculiariter moueatur, & applicetur ab authore naturæ, & principiorum intelligendi illius, cui peculiariter incumbit mouere, & applicare actiuè intellectum Angelicum, quoties à ſua voluntate moueri, & applicari ſic nequit.

Quoad primã probatur primo.

20 Vnde Angelicus Præceptor in hac 1.p. q.82.art.4.ad 3. cũ ſibi ſic obpoſuiſſet: *Nihil velle poſſumus, niſi ſit intellectum. Si igitur ad intelligendum mouet voluntas volendo intelli*

gere,

gere, oportebit, quòd etiam illud velle praecedat aliud intelligere, & illud intelligere aliud velle, & sic in infinitum, quod est impossibile. Non ergo voluntas mouet intellectum. Respondet in hæc verba: *Dicendum, quòd non oportet procedere in infinitum, sed statur in intellectu, sicut in primo. Omnem enim voluntatis motum, necesse est, quòd praecedat apprehensio: sed non omnem apprehensionem praecedit motus voluntatis: sed principium consiliandi, & intelligendi est aliquod intellectuum principium altius intellectu nostro, quod est Deus, vt etiam Aristoteles dicit in 8. Ethicorum. Et per hũc modum ostendit, quòd non est procedere in infinitum.*

Secundo. *D. Thom.* Tũ secundò idem antecedens videtur certum. Quoniam motus corporales reducũtur peculiari ratione in primum motum corporeum, scilicet in motum cœli, vt docuit D. Thomas in 1. dist. 8. q. 3. art. 3. ad 3. & 4. Phy sicorum lectione 17. his verbis: *Sciẽdum est, quòd vnus est primus motus, qui est causa omnis alterius motus. Vnde quaecumque sunt in esse transmutabili, habent hoc ex illo primo motu, qui est motus primi mobilis.* Ergo eadẽ ratione omnes motus, aut quasi motus intellectuales specialiter reducentur in vnum primum motum, aut quasi motum intellectualem, nempe intellectus diuini, vt ex paritate rationis cõstare videtur. Ergo in prædictis motibus intellectualibus id cõtinget ex eo, quòd Deus peculiari ratione applicat ad primam cogitationem (quod idem cum proportione de motu voluntatis dicimus). Patet hæc vltima consequentia. Nam cum isti motus intellectuales reducantur in Deum peculiari ratione iuxta naturam creaturæ intellectualis, & ista in alijs motibus intellectualibus, in quibus ex cognitione, & volitione finis mouetur ad media, agat, vt mouens, & applicans sẽ ipsam: oportet, vt motus isti non reducantur in Deum peculiari ratione, vt in applicantẽ, nisi ex eo quòd speciali ratione applicuit ad primam cogitationem, & volitionem finis: & per consequens prima illa cogitatio finis peculiariter erit à Deo, vt ab applicante.

Quæ probatio desumpta est ex D. Tho- *D. Thom.* ma 3. contra Gentes c. 89. ratione 4. his verbis: *Amplius. Perfectius inuenitur ordo in spiritualibus, quàm in corporalibus. In corporalibus autem omnis motus causatur à primo motu: Oportet igitur, quòd in spiritualibus omnis motus voluntatis à prima voluntate causetur, quæ est voluntas Dei.* Et tandem hanc eandẽ *Caiet.* probationem expẽdit Caietanus infrà q. 82. articulo nuper citato.

Obiectio 1. contra factas impugnationes. *Suarez.* 21 Nec obest, si contra illa, quæ in impugnationibus huius secundæ solutionis adduximus, primò obijcias ex Suarez, & alijs, quòd etsi hæc efficacia cogitationis non deroget libertati volũtatis Angelicæ, quoties prædicta volũtas applicat intellectum ad habẽdã illã, secus tamen quando forinsecus aduenit: quia cùm tũc nõ sit in potestate illius habere talẽ cogitationẽ, si ea semel habita infallibiliter sequeretur actus voluntatis, non remaneret in eadem voluntate libertas ad eliciendum, vel non eliciendũ prædictũ actum. Ergo cùm prima illa cogitatio Angeli forinsecus aduenit, nẽpe à Deo, vt ab agente particulari, nõ debet ei inesse prædicta efficacia, qua infallibiliter inferat volitionẽ, in ordine ad quã datur.

Respondetur, negando antecedens. Et ad probationẽ in eo inclusam dicẽdũ est, quòd sicut natura appetitus sensitiui sita est in hoc quòd iuxta naturam suã, ideſt omninò necessariò, sequatur ductum sensus manuducentis illũ: ita etiam natura appetitus rationalis cõsistit in hoc, quòd iuxta modum suum, ideſt per modũ appetitus liberi, sequatur ductũ intellectus practici: ex eo quòd vterque appetitus est potentia cæca: & ideò vtriusque natura sita est in hoc, quod non ampliùs se extendat iuxta modũ suũ, quã cognitio. Ac proinde, si appetitui rationali proponatur obiectũ cum indifferentia præcisè, ita vt non iudicetur practicè, esse potiùs sequendam hanc partẽ, quàm illam, tũc eius natura sita est in hoc, quod maneat præcisè indifferens, & potens proximè vtramlibet appetere. Si autẽ propo natur vtraque pars, & simul practicè iudicetur, quod etsi vtraque sit amplectibilis, expedit tamen tunc hanc potiùs, quàm illã amplecti, tũc natura appetitus rationalis sita erit in hoc, quod iuxta suũ modũ partem illã amplectatur, ideſt, quod amplectatur illã actu, & re ipsa, licèt maneat cum indifferentia, & potentia proxima ad oppositũ amplectendũ: & hoc est vniuersaliter verũ, siue illa cogitatio fiat mediante applicatione volũtatis, siue mediãte peculiari applicatione Dei, dummodò in illa cogitatione includatur propositio obiecti cum indifferentia iam explicata.

Enodatio.

Obiectio 2. *Vazquez.* 22 Nec etiam obest, si obijcias secundò ex Vazquez in hac 1. p. disp. 236. c. 3. cui hæc ratio D. Thomæ difficilis visa est, quòd sicut prima cogitatio incipiẽs cũ *esse* Angelico, est peculiariter à Deo; ita & prima cogitatio, quã in quouis primo negotio homo habet, debet etiam peculiariter esse à Deo: at ex hoc, quòd prima cogitatio, quę est in homine circa quodvis primũ negotiũ, sit peculiariter à Deo, nõ sequitur, operationẽ primã volũtatis inde secutam debere esse peculiariter ab ipso Deo, ac proinde moraliter bonã: ergo nec ex hoc, quòd prima cogitatio incipiens cũ *esse* Angelico, sit peculiariter à Deo, deducetur, volitionẽ ex ea secutã, & incipientem cũ *esse* eiusdẽ Angeli, debere esse peculiariter à Deo, & per consequens moraliter bonam. Minor probatur. Nam talis obiecti propositio, etiãsi fiat à Deo, modo dicto proponẽte, aut

determinante intellectum; nihilominùs liberam relinquit voluntatem, vt consentire possit, & non consentire. Et ita, licèt homo tunc peccet, non erit referenda in Deum prima illa operatio peccaminosa, sed in hominẽ abutentem prædicta cogitatione.

Confirm. 1. Confirmatur primò ex eodem Vazquez. Nam Deus interdum offert nobis cogitationes, ex quibus videt, futurum esse peccatum: & tamen illi non imputatur prædictum peccatum, nec ob id nos à culpa excusamur: quia talis cogitatio relinquit voluntatem liberã, vt ad quod velit, extendat manum: ergo eadem ratione, licèt prima cogitatio hominis, aut Angeli sit peculiariter à Deo, non idcircò operatio voluntatis subsecuta imputabitur Deo, si sit peccaminosa: ac proinde non erit cur debeat esse moraliter bona, & peculiariter procedere à Deo.

Confirm. 2. Confirmatur secundò ex eodem Vazquez loco citato. Nam potuit determinari peculiariter à Deo intellectus Angelicus, vt proponeret voluntati simul per primam cogitationem obiectum, in cuius prosecutione esset peccatum, & in fuga, & displicentia illius esset meritum: & tunc voluntas primo actu posset prosequi illud obiectum, & peccare prosequendo id, quod refutare debebat, sine eo quòd id imputetur Deo: siquidem immisit (vt iam diximus) cogitationem relinquentẽ liberam voluntatem Angelicam.

Enodatio obiectionis. *D. Thom. Caiet. Conrado. Medina. Ferrara. Victoria. Soto.*

23 Respondetur, concedendo maiorem cum D. Thoma 1.2.q.9.art. 4. Caietano q. 111.art.2.& in hac 1.p.q.82.art.4.circa solutionem ad 3. Conrado, & Medina 1.2.q.9. art.4. Ferrara 3.contra Gẽtes c.89. circa sextam rationem, Victoria relectione, *de eo, qui peruenit ad vsum rationis* parte 1. circa finẽ, Soto lib.1.de natura, & gratia c. 16. & alijs: sed neganda est minor. Ad cuius probationẽ dicendum est. quòd adhuc dato, quòd prima cogitatio peculiariter immissa à Deo homini circa aliquod negotium, relinquat saltem multoties voluntatem eius liberam in ordine ad primum actum subsecutum ad talem cogitationem, nihilominùs non ob id primus ille actus voluntatis poterit esse peccaminosus: quia cogitatio prædicta, quippe quæ est specialiter à Deo, determinat necessariò ad speciem actus boni, licèt relinquat indifferentiã quoad exercitium. Potestque hoc declarari ex dictis disput. præcedenti n. 249. Quoniam nequit esse defectus in voluntate, quin sit defectus in intellectu. Cumque in prima illa cogitatione practica immissa à Deo peculiari ratione, idest, non vt est vniuersalis causa, sed vt author, & agens particulare, non possit esse aliquis defectus, ne iste refundatur in Deũ, ac proinde ne tunc nõ influat, vt debet: oportet, vt operatio voluntatis inde secuta sit absque aliquo defectu: & per consequens, quòd prædicta cogitatio sit talis conditionis, vt omninò necessariò determinet ad speciem actus boni, quanuis relinquat indifferentiam quoad exercitium.

Ex quo ad primam confirmationem satis constat, quòd etsi in alijs cogitationibus immissis à Deo, vt ab agente vniuersali, & per modum talis applicante ad illas, possit præuideri peccatum futurum, & subsecutum ad ipsas; non tamen in primis cogitationibus incipientibus cum *esse* rei, vel datis in quouis primo negotio à Deo, vt ab applicante speciali ratione, siue hoc præstet immediatè per se ipsum, vt contingit respectu Angelorum, vel mediatè, vt sæpè accidit respectu hominum, quibus vel ministerio Angelorum, vel consilio alterius hominis, vel media alia causa naturali, quam Deus specialiter ad hoc gubernat, infundit huiusmodi iudiciũ, siue primam cogitationem practicam, vt notauit Caietanus infrà q.82.art.4.circa solutionem ad 3. Vnde ad formam huius confirmationis cõcessa maiori, & minori quoad alias cogitationes, neganda est consequentia quoad primam cogitationem. Et ratio disparitatis satis patet ex nuper dictis num. 4. Per quæ etiam ad secundam confirmationem satis liquet. Enodatio trium que cõfirmationis *Caiet.*

Obiectio tertia. *Suarez.*

24 Ex quo etiam fit, nihil referre, si tertiò obijcias ex Suarez lib.7.de malis Angelis c.20.à n.42. vsque ad 44. quòd Deus solùm habet specialiter applicare intellectum Angelicum ad cogitationem suæ naturæ, & eorum, quæ ei naturaliter insunt: postea autem voluntas excitata hac cogitatione, potest in eodem instãti applicare intellectum ad hoc, vt vtatur his, vel illis speciebus, & repræsentet illi hæc, vel illa obiecta, circa quæ in eodẽ instanti possit benè, vel malè se gerere: siquidem omnes istæ operationes sunt ordinis intellectualis, & instantaneæ: & ita possunt in eodem instanti perfici. Ergo licèt Deus immittat peculiari ratione primam cogitationem, non erit cur non possit cum *esse* Angelico incipere alia cogitatio quodammodò excitata à voluntate Angelica, aliaque volitio, per quam consentiat, vel dissentiat illi cogitationi, ita vt ibidem committatur peccatum.

Confirm. 1. Confirmatur primò. Nam obiectio præcedens peculiariter vrget in cogitationibus de naturalibus obiectis, quorum species habet Angelus naturaliter congenitas: quoniã illis maximè vti potest suo arbitrio: & hoc sufficit quoad præsens, siquidem circa hæc obiecta naturalia peccare potest.

Confirm. 2. Confirmatur secundò ex eodem. Quoniã hinc etiam sequitur, posse Angelum peccare circa supernaturalia, non obstãte quòd Deus peculiariter applicet ad primam cogitationẽ supernaturalem. Nam propositis obiectis supernatu-

pernaturalibus, potest Angelus se applicare ad cogitationes naturales, quibus ad malè vtendum reuelationibus Dei, vel ad resistendum inspirationibus diuinis inducatur, absque eo quòd imputetur Deo: ergo, &c. Antecedens declaratur, tum in primo Angelo peccante, tum etiam in alijs eius sequacibus. In primo quidem. Nam potuit Deus reuelare Christum Lucifero in primo instanti creationis, vt illi statim voluntariè subijceretur: ipse verò Lucifer in eodem momento potuit inde excitari per suæ voluntatis applicationem ad cogitandum de sua naturali excellentia supra humanam, & inde superbire in eodem momento: siquidē singula ex his in momento possunt fieri ab Angelo, & omnia ita sunt connexa, & ad vnum tendunt, ideoque possunt simul in eodem instanti fieri. Deinde in alijs Angelis sequacibus hoc ipsum declaratur, supposito prædicto peccato in supremo Angelo. Quia tunc in eodē instanti possent inferiores Angeli determinari, & moueri ad speciales cogitationes inducentes ad peccandum per locutionem, & suasionem superioris, nempe Luciferi: quia suasionem hāc potuit facere in eodem instanti, in quo ipse peccauit, & in eodem potuerunt alij consentire: ac proinde peccatum inferiorum Angelorum, licèt fieret in primo instanti, non tribueretur Deo, sed Lucifero vt suadenti, & cæteris vt consentientibus.

Ex dictis enodatur obiectio.

25 Respondetur, satis constare ex dictis disput. præcedenti num. 238. Angelum non posse primò delinquere appetendo aliquid malum ex parte rei volitæ, ne ante primum peccatum præcedat error in intellectu illius; sed solùm posse delinquere appetendo obiectum ex se bonum, & honestum, inordinatè tamen ex parte modi appetendi. Et similiter etiam patere ex dictis, prædictum obiectum debere esse finem vltimum naturalem, vel supernaturalem eiusdem Angeli. Cumque prima cogitatio de fine vltimo naturali debeat peculiari ratione immitti à Deo in primo instanti, vt ipse Suarez fatetur, & ex iam dictis constat: consequens est, vt debeat etiam, eadē ratione, quatenus est author supernaturalis, peculiariter applicare ad primam cogitationem circa finem vltimum supernaturalem eiusdem Angeli. Siquidem sicut prima cogitatio, quam in ordine naturali Angelus debet habere, est sui vltimi finis naturalis: ita prima cogitatio ordinis supernaturalis debet esse finis vltimi itidem supernaturalis, imò, & vtraque cogitatio est debita: prima quidem naturæ Angelicæ; secunda verò eleuationi ipsius ad esse supernaturale, vt nu. 16. dicebamus. Quare, cùm vtraque cogitatio debeat esse efficax, vt ex dictis constat, quia debet esse practica, & absque aliquo defectu debitæ considerationis practicæ: oportet, vt inferat volitionem proportionatam propositioni vtriusque vltimi finis, nempe volitionem, & amorem vtriusque super omnia: hic autem (vt constat) incompossibilis est cum aliquo peccato in eodem instanti, ex quauis alia cogitatione causato.

Ad primam confirmationem patet ex dictis disput. 9. num. 53. Angelum non posse peccare circa finem naturalem præcisè sumptum. **Ad primam cōfirmationem.**

Ad secundam verò confirmationem constat etiam ex his, quæ disputatione 10. num. 88. asseruimus, Angelum non potuisse primò delinquere ex eo quòd noluerit subijci Christo Domino, nec posse tunc excitari ex sua voluntate ad aliquam cogitationem inducentem ad malum. **Ad secūdā.**

26 Ex quibus omnibus fit, nihil obstare, si quartò obijcias, quòd Angelus in primo iudicio inconsiderato, nempe in illo, quod fuit in ipso pro secundo instanti, in quo peccauit, applicuit suum intellectum per propriā voluntatem ad habendam primò illam incōsiderationem, vt disput. præcedenti nu. 269. diximus: ergo eadem ratione ad primum omninò iudicium, & cogitationem potuit per suam voluntatem applicare proprium intellectum, absque eo quòd indigeret speciali applicatione Dei. Patet consequentia. Nā ideò potuit Angelus applicare per voluntatem suum intellectum ad primam illam inconsiderationem, quia satis est ad hoc, vt illa incōsideratio sit volita; quòd solùm sit prior in genere causæ formalis, & regulatiuæ, quàm volitio; quanuis sit posterior simpliciter, & in genere causæ efficientis eadem volitione applicante ad illam: at hac ratione cum proportione applicata ad primum omninò iudicium, primamque omnino cogitationem Angelicam, videtur etiam, posse voluntatem Angeli applicare ad illam, ex eo quòd prædicta cogitatio solùm sit prior in genere causæ formaliis regulatiuæ, volitio autem, siue applicatio, qua voluntas applicat intellectum, sit posterior in hoc genere causæ, & prior simpliciter in genere causæ efficientis. **Quarta obiectio.**

Respondetur ex dictis concedendo antecedens, & negando consequentiam. Nam illa mutua causalitas sufficit ad hoc, vt volūtas applicet intellectum, quando præcessit aliqua consideratio simpliciter prior, ratione cuius possit voluntas applicare intellectum, vel ad aliquid de nouo considerandum, vel ad desistendum à iudicio considerato, siue à iudicio practico, quo anteà efficaciter mouebatur, vt in prima inconsideratione Angeli pro secundo instanti, in quo deliquit, contingit. Nam cùm pro priori instanti habuerit debitam considerationem, fuit illi integrum, vel applicare intellectum ad hoc, vt pro secūdo instanti continuaret iudicium illud cum **Diluitur.**

debita conſideratione, vel à conſideratione debita, & practica, modo tamen ſuprà explicato, deſiſteret.

Reijciuntur ea, quæ ad roborãdã 2 euaſionẽ ad ducta ſunt.

27 Et tandem ex his omnibus fit, nihil obeſſe tria illa, quæ ad confirmandam ſecundam iſtam ſolutionem nu. 17. adducta ſunt. Non quidem primum de operationibus vitalibus, quæ, hoc ipſo quòd tales, debent eſſe à principio intrinſeco mouẽte ſe ipſum. Quia (vt iam tetigimus) per hoc iuxta Doctrinam Ariſtotelis, & D. Thomæ tantùm petitur, quòd actio vitalis ſit elicitiuè à principio vitæ, & modo alibi tacto in ipſo viuente recipiatur; non verò excluditur, quòd ſit applicatiuè ab alio: ac proinde nec ad actionem vitalem petitur, quòd principium vitale eliciens illam, moueat ſe in ſenſu, in quo in præſenti loquimur, nempe, non ſolùm eliciendo, & recipiendo actionem vitæ, ſed etiam præſtando hoc abſque indigentia ſpecialis applicationis prouenientis aliunde.

Et ſimiliter nec ſecundum. Quia vt ſaluẽtur ea, quæ in eo continentur, ſatis eſt, actionem illam liberam prodire à libertate voluntatis creatæ, vt à principio eliciente, & ſe mouente in ſenſu proportionali, in quo id de actionibus vitalibus concedebamus: quanuis cum hoc ſtet, quòd licèt prædicta actio, ad quam eliciẽdam indiget voluntas ſpeciali applicatione Dei, poſsit eſſe propriè libera, & meritoria, non tamen eſt omninò perfectè libera, ſicut aliæ volitiones, ad quas voluntas non indiget prædicta ſpeciali applicatione Dei.

Nec tandem tertium. Nam falſum eſt quòd ſit proprium creaturę intellectualis operãtis, vt talis, vt quoties operatur vt talis, moueat ſe in finem, ideſt, ita ſe moueat in illum, vt non indigeat ſpeciali applicatione Dei, qua dirigatur in ipſum; licèt ſit proprium illius, vt adhuc tunc ſaltem, quando applicatur ad volendum liberè aliquem finem, cognoſcat illũ ſub ratione finis formaliter ſumpti, velitque ipſum ſub ratione talis. Et propterea quodammodò dicitur mouere ſe in finem: quanuis abſolutè, & ſimpliciter loquendo non tam dicatur tunc mouere ſe in finem, quàm moueri in illum: ex eo quòd ad hũc modum ſe abſolutè & ſimpliciter mouendi in finem requiritur, quòd non tendat in illum ex ſpeciali inſtinctu, & directione iam dicta alterius, ex ſpecialique indigentia peculiaris applicationis factæ ab illa cauſa, ex cuius inſtinctu mouetur.

§. IIII. *Euaſio alia ad eandem rationem D. Thomæ præcluditur.*

Tertia euaſio ad rationẽ D. Th.

28 NEc etiam refert, ſi tertiò occurras eidẽ rationi Angelici Præceptoris, propoſitionem illam, in qua innititur, nimirum, operationem incipientem cũm *eſſe* rei debere ei tribui ab authore eiuſdem rei, ſiue principiorum elicientium illam, eſſe veram, quando prædicta operatio procedit ab his principijs ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam procedunt à ſuo authore, illique ſubordinantur; ſecùs verò quando non procedit ab eis ſecundum hanc rationem, ſed ſecundùm aliam, ſecundùm quam non ſubordinantur ſuo auctori, ſed habent quodammodò rationem primę cauſæ. Cæterùm licèt Angelus in primo inſtanti ſui *eſſe* peccaret: nihilominùs illa actio peccaminoſa non eliceretur ab illo ſecũdùm principia data à Deo, cõſiderata ſecũdùm eam rationem, qua ſunt ab ipſo, aut illi ſubordinantur, ſed ſecundùm aliam rationem, nempe, quatenus ſunt principia defectibilia, dicuntque potentiam ad peccandum. Nam potentia iſta formaliter ſumpta non competit creaturę ſecundum id, quòd habet à Deo, ſed ſecundùm quòd, quantum eſt ex ſe, eſt ſub nihilo: nec prædicta potentia ſubordinatur Deo, adhuc vt primæ cauſæ, ſed eſt prima in ratione defectibilis.

Non itaque hæc euaſio obeſt. Quoniam prima operatio Angelica, ac proinde incipiens cum *eſſe* illius, hoc ipſo quòd ſit prima, necnon & quæuis prima operatio alicuius alterius naturæ incipiens cum *eſſe* ipſius, debet eſſe à principijs datis à ſuo authore, ſecundùm eam rationem ſecundùm quam ab ipſo dantur, eidemque ſubordinantur: ergo ſi operationes primæ, & incipiẽtes cum *eſſe* rei tribuuntur authori illius *eſſe*, & principiorũ agendi, quoties procedunt ab eis ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam ſunt à ſuo authore: conſequens eſt, vt operatio peccaminoſa elicita ab Angelo in primo inſtanti ſui *eſſe*, ſit tribuenda Deo, & quòd principia illa, ſecundùm quòd ſunt à Deo, inclinent ad malum. Conſequentia quoad hanc vltimam partem, nempe, quòd principia illa, ſecundùm quòd ſunt à Deo, inclinarent tunc ad malũ, ſatis conſtat ex antecedenti. Siquidem ſi ſemel prima illa operatio peccaminoſa eſt à ſuis principijs actiuis, ſecundùm eam rationem, qua ſunt à Deo, non poſſunt non prædicta principia, prout à Deo, inclinare ad malum. Sicut etiam eadem conſequentia quoad primam partem perſpicuè colligitur ex eodẽ antecedenti, vt intuenti patebit. Præcluditur.

29 Antecedens autem probatur. Tum, quia prima operatio voluntatis Angeli incipiens cum *eſſe* illius, hoc ipſo quòd ſit prima, procedit à prima cogitatione immiſſa à Deo, vt ab agente particulari, & iuxta id, ad quod ipſa inclinat, ac tandem ex ea efficaciter infertur, vt ex D. Thoma nuper dicebamus. Conſtat autem, operationem procedẽtem ab hac prima cogitatione communicata à Deo, vt ab authore particulari, conſonam illi, & Probatur antecedens primo.

illi,& ex ea efficaciter illatam,debere procedere à natura Angelica,& principijs operandi in ea repertis,ſecundùm eam rationem,ſecundùm quam ſunt à Deo: ſiquidem ſecundùm aliam rationem,nempe, ſecũdùm quod ſunt defectibilia à recta operatione,non ſubordinantur prædictæ cogitationi,nec operãtur ſecundùm illam,nec tandem eorum operatio efficaciter ab eadem cogitatione procedit.

Secundo. Tum etiam. Quia ſicut aliæ primæ operationes aliarum naturarum explicant inclinationem naturalem earum,ſic etiam prima operatio naturæ Angelicæ explicat inclinationem principiorum operãdi, quæ in ea inueniuntur,eſtque iuxta prædictam inclinationem,ac proinde congrua prædictis principijs. Nam ſicut reſpectu huius operationis explicantis hanc inclinationem eſt ſpeciale pondus in eiſdem principijs,non verò reſpectu aliarum operationum: ita prædicta operatio explicans iſtam inclinationem, cõgrua que illi,debet eſſe quæ primò procedit ab illis principijs,quamuis poſt hanc poſsint aliæ operationes prodire. Ergo prædicta prima operatio incipiens cum natura Angelica,debet procedere à principijs operandi ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam ſunt à Deo,nempe,ſecundùm inclinationẽ naturalem,quæ eſt à Deo,quamque explicant; non verò ſecundùm quòd ſunt principia defectibilia,& prorumpunt in operationem defectuoſam. Siquidem licèt in ordine ad iſtam ſit in natura Angelica indifferentia, non tamen inclinatio naturalis, nec prædicta operatio explicat inclinationem iſtam,aut eſt cõgrua naturæ Angelicæ,aut principijs agendi eius,ſiue connaturalibus, & ad ordinem naturæ pertinentibus,ſiue ſupernaturalibus, & ad ordinem gratiæ ſpectantibus.

D. Thom. 30 Quæ probatio deſumitur ex D. Thoma q. 16. de Malo,art. 4. in ſolutione ad 4. his verbis: *Dicendum,quòd operatio,quam habet res in principio ſui eſſe,congruit naturæ ipſius. Et ideò oportebat, quòd retorqueretur in actorem naturæ. Sed poſtmodum poterat moueri ex his,quæ ſunt ſecundùm naturam in alia, vel benè,vel malè. Et hoc nõ oportebat referri ad actorem naturæ: ſed in voluntatem Angeli peccantis*: Necnon in ſolutione ad 6. vbi ſic inquit: *Defectus proueniens ex cauſa ſecunda, non imputatur primæ in illis,quæ cauſa ſecunda non habet ex prima: ſicut tibia non habet curuitatẽ ex virtute motiua,ſed oportet, quòd prima actio Angeli ſit ſecũdùm naturalia eius, quæ habet ex Deo.*

Tertio. Tum deinde (per quod præcedens probatio explicatur) idem antecedens ſuadetur. Quoniam id,quòd conuenit per modum alicuius,quod eſt præter naturam,debet eſſe poſterius eo,quod eſt ſecundùm naturam: ſiquidem id,quod eſt præter naturam, eſt excisio ab eo,quod eſt ſecũdùm naturam. Ergo operatio bona,& ad bonum tendens, debet eſſe prior in Angelo,quàm operatio defectuoſa: quandoquidem voluntas ad operationẽ bonam,& obiectum bonum,ſe habet per ſe, & naturaliter,ad malũ autem ſe habet per modum defectus,& præter naturam. Ergo prædicta operatio debet eſſe à principijs operandi,ſecundùm quòd ſunt à Deo: quia operatio,quæ eſt ſecundùm naturam, & non præter illam,eſt à principijs operandi, vt ſunt à Deo,ſicut & operatio,quæ non eſt ſecũdùm naturam,ſed eſt excisio ab eo,quod eſt ſecũdùm naturam,debet prodire à principijs,nõ ſecundùm id,quod habent ab authore illorum.

31 Quæ probatio deducitur ex his, quæ docuit D. Thomas 3. p. q. 34. art. 3. ad 1. his verbis: *Dicendum quod liberum arbitrium non eodem modo ſe habet ad bonum, & ad malum. Nam ad bonum ſe habet per ſe, & naturaliter, ad malum autem ſe habet per modum defectus, & præter naturam. Sicut autẽ Philoſophus dicit 2. de Cœlo, Poſterius eſt, quod eſt præter naturam eo, quod eſt ſecundùm naturam: quia id,quod eſt præter naturam, eſt quædam excisio ab eo,quod eſt ſecundùm naturam. Et ideò liberum arbitrium creaturæ in primo inſtanti creationis poteſt moueri ad bonum merendo,non autem ad malum peccando.* D. Thom.

Quarto. Tum prætereà probatur idem antecedẽs. Nam ſicut id,quod eſt primum in aliqua natura,explicatur in prima proprietate dimanante ab illa: & propterea in natura intellectuali,in qua eſt virtus radicalis ad intelligẽdum,& deinde ad volendum, explicatur illa prior virtus in prima proprietate, nempe in intellectu inde reſultante,ita etiã prima operatio explicat id,quod eſt primum in aliqua natura,& principijs agendi ei communicatis. Conſtat autem,quòd in natura,& principijs agendi prius eſt ordo,& virtus ad operãdum congruè ad eandem naturam, & iuxta principia,ſecundùm quòd ſunt à Deo, ipſique ſubordinantur,quàm ad operandum incongruè,& iuxta principia,ſecundùm quòd non ſubordinãtur Deo: quemadmodum & in eiſdem principijs prius eſt ordo ad Deum, à quo habent totum ſuum *eſſe*,& actualitatẽ, quàm ordo (vt ſic dicamus) ad nihilitatem: ex eo quòd prædicta natura fuerit priùs ſub illa,& inde ipſa habet, quòd ſit defectibilis.

Vltimo probatur antecedens. Tum denique prædictum antecedens ſuadetur. Nam priùs debet eſſe in voluntate Angelica actus cum aliqua determinatione ad vnum, qui propter hanc rationem vocetur naturalis, quàm actus omninò liber, ideſt, nõ habens aliquam determinationem ad vnum. Nam ſicut in voluntate ipſa diſtinguimus

eam-

eandem, vt habet rationem naturæ, & per cõ sequens operantis cum aliqua determinatione ad vnum, & insuper vt habet rationem liberi arbitrij, & illa ratio est prior ista, hęcque fundatur in illa: ita etiam prior debet esse in eadem voluntate operatio correspondens ipsi secundùm priorem illam rationem, nempe vt operanti cum aliqua determinatione ad vnum, quàm operatio correspondens ipsi, vt est liberum arbitrium. Ergo prædicta prior operatio debet prodire ab eadem voluntate, & principijs operandi in eo repertis, secundùm quòd sunt à Deo, in ipsumque talis operatio debet retorqueri: siquidem operatio prodiens à principijs agendi aliquomodo operantibus per modum naturæ, procedit ab eis, vt sunt à suo authore, in ipsumque retorquenda est.

D. Thom. 32 Quæ probatio deprompta est ex D. Thoma. Tum q. 16. de Malo art. 4. in solutione ad 5. vbi cum sibi sic opposuisset: *Potẽtia naturalis Angeli, quæ erat ei data diuinitus se habebat ad vtrumque, scilicet ad bonũ, & ad malum, nec processisset ad malum, nisi ab aliquo determinaretur in id. Non autem poterat determinari ad malum à Deo, sed solùm à propria voluntate. Ergo si in primo instanti peccasset Angelus, non imputaretur Deo, sed propriæ voluntati.* Cum igitur S. Doctor sic sibi opposuisset, respondet in hæc verba: *Dicendum, quòd voluntas rationalis creaturæ determinata est ad vnum, in quod naturaliter mouetur, sicut omnis homo naturaliter vult esse, & viuere, & beatitudinem: & ista sunt, ad quæ primò mouetur naturaliter creatura, vel intelligenda, vel volenda: quia semper actio naturalis,* (idest, cum aliqua determinatione ad vnum, in quo sensu, vt ex cõtextu constat, sumit in præsenti D. Thomas actionẽ naturalem) *præsupponitur alijs actionibus. Et ideò si Angelus in primo instanti suæ creationis peccasset, videtur hoc competere suæ naturæ: & ita aliqualiter referretur ad actorem naturæ.*

Idem. Tum etiam 8. super Ioannem lect. 6. vbi loquens de Angelo, sic ait: *Sed dicendum est, quòd in primo instanti suæ creationis rõ potuit esse malus. Cuius ratio est. Quia nullus actus habet rationem peccati, nisi in quantũ est præter rationem naturæ agentis voluntarij. In quolibet autem ordine actuum prius est actus naturalis* (idest, qui fit cum aliqua determinatione naturæ agentis ad illum) *sicut in intelligendo primò intelliguntur principia, & per ipsa intelliguntur alia: & in volendo similiter primò volumus vltimam perfectionem, & vltimum finem, cuius appetitus naturaliter nobis inest, & propter ipsum appetimus alia. Quod autem secundùm naturã fit, non est peccatum. Impossibile est ergo, quòd primus actus diaboli fuerit malus.*

Quæ omnia, quanuis paulò latiùs, eleganter tamen explicuit idem Angelicus Præceptor suprà q. 60. art. 2. his verbis: *Dicendum, quòd in Angelis est quædam dilectio naturalis, & quædam electiua: & naturalis dilectio in eis est principium electiuæ: quia semper id, quod pertinet ad prius, habet rationem principij. Vnde cùm natura sit primũ, quod est in vnoquoque, oportet, quòd id, quod ad naturã pertinet, sit principium in quolibet. Et hoc apparet in homine, quantum ad intellectum, & quantum ad voluntatem. Intellectus enim cognoscit principia naturaliter. Et ex hac cognitione causatur in homine scientia conclusionum, quæ non cognoscuntur naturaliter ab homine, sed per inuentionem, vel doctrinam. Similiter in voluntate finis hoc modo se habet, sicut principium in intellectu, vt dicitur in 2. Physicorũ. Vnde voluntas naturaliter tendit in suum finẽ vltimum: omnis enim homo naturaliter vult beatitudinem. Et ex hac naturali voluntate causantur omnes aliæ voluntates: cùm quicquid homo vult, velit propter finem. Dilectio igitur boni, quod homo naturaliter vult sicut finem, est dilectio naturalis: dilectio autem ab hac derinata, quæ est boni, quod diligitur propter finem, est dilectio electiua.* *Idem.*

Obiectio prima ex Scoto, Gregor. & alijs contra impugnationẽ factam.

33 Nec obest, si contra ea, quæ in hac impugnatione diximus, obijcias primò ex Scoto, & Gregorio, ac alijs falsum esse, primam operationem Angeli debere esse ab inclinatione naturali principiorum agendi, & congruè ad prædictam inclinationem: ergo tota structura huius impugnationis in hoc præcipuè innitens ruit. Antecedens probatur. Quia alioqui asserens, Angelum posse peccare in prima sua operatione, incideret in hæresim Manichæorum asserentium, dari aliquam naturam, quæ naturaliter sit mala, aliquaque principia agendi, quæ itidem naturaliter habeant esse mala, & per consequens dari etiam Deum malum. Siquidem hoc ipso, quòd prima operatio esset mala, & prodiret ab inclinatione naturali, esseteque iuxta illam, optimè inferretur, talem inclinationẽ esse naturaliter malam, & similiter naturam, cuius est inclinatio, ac tandem dandum esse Deum itidem malum: quod tamen est contra D. Thomã in hoc articulo, & cõtra Augustinum 11. de Ciuitate Dei ab eodem S. Doctore in præsenti relatum.

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam falsò deducitur ex eo, quòd sit in natura, aut in principijs agẽdi pondus in operationem connaturalem, quòd prima operatio debeat esse operatio connaturalis, & congrua ad eandem inclinationem, sed ad! summum inde sequeretur, quod quantum est ex vi illius ponderis, eliceretur primo loco operatio connaturalis in agentibus liberis (de quibus loquimur) nisi ratione libertatis, & dominij, quod habent

supra

supra suos actus impediretur: ex eo quòd voluntas pro sua libertate vellet prorumpere in operationem defectuosam. Ergo &c.

Diluitur ob iectio. 34 Respondetur, negando antecedens. Et ad probationem neganda est sequela. Nam etsi ratiocinando iuxta principia D. Thomæ sit legitimus discursus contentus in prædicta sequela: nihilominùs quia principia ista non sunt de fide, idcircò asserens Angelum posse peccare in primo instanti, non incideret in hæresim Manichæorum.

Et cõfirmatio. Ad confirmationem respondetur, negando antecedens propter illa, quæ in hac impugnatione diximus, quæ quidem non solùm suadent, quòd quantum est vi ponderis naturæ, prima operatio debet esse iuxta inclinationem naturæ, siue principiorum agendi, sed etiam quòd actu, & reipsa debet sic elici: tum, quia prima operatio actu, & reipsa elicita, debet esse iuxta id, ad quod inclinat prima cogitatio immissa à Deo, quæ quidem solùm inclinat ad bonum, & ad operationem congruam: tum etiam, quia operatio, quæ est præter naturam, est excisio ab operatione naturali, & ideò præsupponit operationem naturalem actu elicitam: tum denique, quia natura, siue principia agendi non debent in primo instanti esse in statu, & dispositione præter naturam, sed in naturali dispositione, atque adeò sine operatione præter naturam: alioqui author illius naturæ, siue principiorum agendi non satisfaceret muneri suo, vt ex dictis num. 6. patet.

Secunda obiectio. 35 Nec etiam obest, si obijcias secundò, quòd Angelus, iuxta nostram sententiam disputat. 9. num. 53. traditam, nunquam potest per se primò, & directè peccare circa finem naturalem, benè tamen circa supernaturalem: ergo prima operatio, de qua iuxta nostram sententiam poterat esse difficultas, an necessariò deberet esse recta, an verò possit esse obliqua, solùm potest esse operatio, quæ versetur circa finem supernaturalem: ergo quòd prædicta operatio debeat necessariò esse recta, non debuit deduci ex eo, quòd prima operatio debet esse iuxta inclinationem naturæ, siue principiorum agendi: quanuis posteà semel explicata illa inclinatione in priori operatione, possint prodire aliæ operationes, quæ non sint iuxta naturalem inclinationem. Patet consequentia. Quoniam si illa prima operatio circa finem supernaturalem est recta, nec erit iuxta inclinationem naturalem Angelicæ naturæ, nec à principijs agendi prædictam operationem (quæ necessariò debent esse supernaturalia) potest postmodum alia operatio defectuosa prodire.

Respondetur facilè, quòd cùm impugnatio à nobis facta procedat vniuersaliter de quauis natura creata, & in ordine ad quãcumque operationem primam, ac circa quêcumque finẽ, siue naturalẽ, siue supernaturalem, debet per accõmodã distributionẽ intelligi: ita quidem, vt respectu naturæ versantis præcisè circa finem naturalem, debeat esse iuxta inclinationem naturalem eiusdem naturæ, & principiorum agendi sibi connaturalium; licèt posteà ex illa natura, & principijs possint prodire aliæ operationes dissonæ inclinationi iam dictæ: si verò sit respectu naturæ intellectualis, vt eleuatæ ad ordinem supernaturalem, tunc debet esse iuxta inclinationem connaturalem principiorum proximorum agendi, nempe, iuxta inclinationem virium supernaturalium, quibus intrinsecè eleuatur: ac proinde respectu eiusdem naturæ, non quidem secundùm se, aut secundùm id, quod de suo habet, sed præcisè, & formalissimè, vt est eleuata, & ratione prædictæ eleuationis: quanuis postmodum possint exire ab illa natura, non obstante prædicta eleuatione, aliæ operationes inordinatæ, quæ versentur circa finem supernaturalem, quæque prodeant ab illa, ex eo quòd est defectibilis, & non vult vti, vt potest, viribus supernaturalibus, quibus eleuata est. Et propterea loco operationis connaturalis principijs agendi proximis, & sibi formalissimè, vt eleuatæ, cõnaturalibus, elicit operationem eisdem principijs, sibique (saltem vt eleuatæ) dissonam. Et propterea dum impugnationem nostram contra solutionem hanc tertiam proposuimus, tali verborum serie vsi sumus, vt hoc ipsum satis denotaretur. Eiuadatur.

Tertia obiectio. Suarez. 36 Nec etiam refert, si ex Suarez lib. 7. iam citato de malis Angelis, cap. 20. à num. 14. vsque ad 18. obijcias tertiò, quòd in nostra impugnatione falsò assumitur, debere primam operationem naturæ v.g. Angelicæ esse naturalem, ideſt, cum aliqua determinatione ad vnum. Et adhuc hoc dato, non sequi, Angelum non posse in primo instanti delinquere. Ergo &c. Antecedens probat. Nam vel illa operatio prima debet esse cum aliqua determinatione ad vnum, ex eo quòd sit necessaria quoad exercitium? Et hoc non: quia in Angelo solùm est sic necessaria prima operatio intellectus, qua seipsum, & sua naturalia cognoscit, non vero operatio voluntatis. Vel quia esset necessaria quoad specificationem, ideſt, quoad speciem amoris v. g. & non odij? Sed inde non sequitur impossibilitas peccandi in tali amore: quia potest esse multiplex amor sui, & in aliquo peccare. Vel est cum determinatione ad

ne ad vnum, quia est necessarius quoad specificationem, idest, quoad speciem subalternã actus boni, ita vt prædictus actus necessariò debeat esse rectus? Et hoc non: quia sic petitur principium, siquidem tota controuersia est, an prędictus amor sic debeat esse necessarius. Vel tandem debet esse cum aliqua determinatione ad vnum, ex eo quod sit actus naturalis, idest, ex inclinatione naturæ? Hinc tamen non habetur, prædictum actum non posse esse peccaminosum: nam actus sic naturalis potest habere modum liberum, & ratione illius esse inordinatus: vel potest esse naturalis secundùm genericam rationem, & liber secũdùm determinationem, vel speciem, vt patet in amore sui, qui licèt vt sic sit naturalis; attamen vt determinatur ad volendum sibi hoc, vel illud bonum, vel cum tanta, vel maiori adhæsione potest esse liber, & vtrumque habere potest in primo instanti, & quatenus liber est, potest esse peccatum; vel si nõ potest, reddenda est ratio, quare non possit, ne petatur principium.

Cõfirmatio

Confirmatur ex eodem Suarez. Quoniam adhuc dato, primam operationem voluntatis Angelicæ debere esse necessariam quoad speciem subalternam actus boni, non tamen inde sequitur, non posse in primo instanti peccare: siquidem in eodem instanti potest Angelus habere diuersas operationes, & inter illas prima queit esse bona, non tamen aliæ: vt puta, si prima illa operatio esset volitio credendi Deo authori supernaturali, & reuelanti Christum vt Deum, & Dominum, ac caput Angelorum, & in eodem instanti Angelus noluisset illi subijci, vt reuerà noluit: vel si haberet primam aliam operationem alterius speciei, bonam, & purè concomitanter essent in eo aliæ operationes inordinatæ, quæ quidem, hoc ipso quod ibidem sint solummodò concomitanter, non vitiarent priorem illam operationem bonam.

Respondetur ad obiectionem.

37 Respondetur enim ex dictis, negando antecedens quoad vtramque partem. Et ad probationem dicendum est, primum actũ volũtatis Angelicæ versantis circa Deũ finẽ naturalẽ debere esse necessariũ quoad exercitium, quemadmodum & cæteri alij actus eiusdem voluntatis, qui per se primò, & directè sunt circa aliquid naturale, tantummodò sunt necessarij quoad speciem actus ordinati, ex eo quòd (vt sæpè diximus) Angelus in ordine naturali sic sumpto est impeccabilis: sicut etiam primus actus, quo versatur circa Deum finem supernaturalẽ, debet esse necessarius quoad specificationem actus recti, & ordinati. Nec in hoc petitur principium, vt ex his, quæ in toto hoc dubio diximus, liquet. Ex quo etiam fit, prædictum actum esse etiam cum determinatione ad vnum, idest, ad debitam rectitudinem, ex eo quòd sit iuxta inclinationem connaturalem principiorum agendi. Cæterùm falsum est, hinc non haberi, prædictum actum, non posse esse peccaminosum. Nec oppositum conuincit probatio in hac obiectione adducta. Nam cùm prędictus actus sit iuxta inclinationem connaturalem liberi arbitrij, formalissimè vt eleuati, non potest habere modum liberum, ratione cuius sit peccaminosus: ac proinde nec potest, vt in hac obiectione dicitur, esse naturalis secundùm genericam rationem præcisè, & liber secundùm determinationem, vel speciem, eo genere libertatis, quo queat esse inordinatus. Maximè, quia vniuersaliter loquendo actus, qui, hoc ipso quòd primus, oportet vt sit iuxta inclinationem naturalem principiorum agendi, debet esse actus consideratus secundùm suam speciem, & in indiuiduo, ac secundùm omnes illius modos, & circunstantias, & secundùm aliquid istorum nequit esse malus: quia inclinatio naturalis principiorum agendi de se optima inclinat ad actũ hoc modo ordinatum, nec in eo explicatur prædicta inclinatio, nisi hoc modo sit ordinatus. Idque satis colligitur quoad præsens ex eo, quod primus actus voluntatis Angelicæ, & cuiuslibet alterius voluntatis, hoc ipso quòd primus, debet esse à prima cogitatione immissa à Deo, vt ab agente particulari, & non habente (vt diximus) defectum considerationis practicæ, à qua proinde nequit oriri actus, qui non sit simpliciter ordinatus, & rectus, quique secundùm aliquem sui modum, aut circunstantiam non sit consonus prædictæ cogitationi, & inclinationi connaturali principiorum agendi.

Ad cõfirmationem.

38 Ad confirmationem patet etiam ex dictis, quomodo hoc ipso, quòd prima operatio voluntatis Angelicæ, aut humanæ sit ordinata, & iuxta inclinationem principiorum agendi, nequit dari concomitanter alia operatio voluntatis, quæ sit peccaminosa. Nam loquendo de voluntate Angelica, prima operatio recta quam circa Deum finem supernaturalẽ haberet, deberet esse amor super omnia eiusdem, vt n. 7. dicebamus: cũ hac autem operatione, planum est, non posse cohærere in eodem instanti operationem aliam peccaminosam, adhuc purè concomitanter ibidem existentem. Si autem fiat sermo de voluntate humana, idem etiam est dicendum, dato quòd aliquis homo crearetur à Deo in ea dispositione, vt posset in primo instanti sui *esse* liberè operari, vt in Adamo contingit, & posset contingere in quouis alio homine, etiamsi non crearetur sic simul cum iustitia originali, aut eleuatus in finem supernaturalem, quia eo ipso deberet Deus in illo instanti mouere illum speciali ratione ad rectam, & ordinatam intentionem sui vl-

timi

vltimi finis, nempe, ſaltem boni, & beatitudinis in communi, quę hoc ipſo, quòd à Deo ſpeciali ratione, & vt ab agenti particulari procederet, nequiret quoad aliquem modũ, & circunſtantiam eſſe mala, & ita nec poſſet cum illa cohærere in illo inſtanti aliqua alia operatio voluntatis peccaminoſa; quia, vt D. Thomas ſuprà q. 60. art. 2. iam citato docuit, quiuis actus ſecutus in eo inſtanti in voluntate, debet eſſe imperatus ex prædicta intentione: & ideò hæc non eſſet ex omni capite recta, ſi ex ea in eodem inſtanti aliquomodo procederet alius actus peccaminoſus, quanuis poſt primum inſtans, poſt quod illa intentio poteſt liberè conſeruari à voluntate creata, poſt quodque ſic conſeruata non eſt à Deo, vt ab agẽte particulari, poſſit illa intentio vitiari, & eſſe cauſa malæ electionis.

D. Thom.

Illuſtratur hæc ſolutio

Adde primò, quòd ratio, quę viget ad hoc, vt voluntas in prima operatione non eliciat actum inordinatum, probat etiam idem de quauis alia operatione. Nam ſicut ex vi inclinationis naturalis principiorum agendi petitur, vt prima operatio ſit cõſona tali inclinationi: ita etiam quòd in primo inſtanti ſui *eſſe* non ſint in ſtatu præternaturali, aut contra naturam ipſorum ratione operationis contrariæ ſuæ inclinationi:

Elucidatur ampliùs.

Adde ſecundò, quòd in voluntate Angeli eſt ſpecialis ratio, ob quam in primo inſtãti ſui *eſſe* non potuit habere primam operationem bonã, & ſimul alias operationes malas. Quoniam operationes Angeli ſunt talis conditionis, vt hoc ipſo, quòd ſint plures, & inter ſe non ſubordinatæ, conſtituant tẽpus Angelicum: & ideò repugnat, in vnico, & in eodem inſtanti eſſe prædictas operationes; ſed neceſſariò debent eſſe in pluribus, & diuerſis inſtantibus. Quare, cùm prima operatio bona, quam Angelus habuit in primo inſtanti ſui *eſſe*, & quæuis alia operatio mala nõ poſſint eſſe inter ſe ſubordinatæ, oportet, vt prior illa operatio bona, ſit in vnico inſtanti, nempe in primo, & quòd quæuis alia operatio mala non ſit in iſto inſtanti, ſed in ſecũdo.

D. Thom.

39 Ex quo etiam intelligitur, quam vim habeat ratio, quam adducit D. Thomas in 2. diſtinct. 3. quæſt. 1. art. 1. ad probandum, Angelum in primò inſtanti ſuæ creationis non potuiſſe eſſe malum, quamque ſub his verbis proponit: *Cùm voluntas non ſit, niſi boni, non poteſt eſſe aliquid volitum, niſi apprehendatur vt bonum ad appetendum. Quòd ſi verè eſt bonum, non eſt peccatum in appetitu. Ergo oportet, quod ſi eſt peccatum, quòd ſit veriſimiliter bonum, & non verè bonum. Sed ſecundùm Auguſtinum in lib. contra Academicos, non poteſt aliquis iudicare veriſimile, niſi verum ſit cognitum. Ergo oportet, vt intellectus veri boni præcedat intellectum veriſimilis boni: & ita appetitus æſtimati boni, quo malus fit Angelus, non poteſt ſequi primum actum intellectus, ſecundùm quòd conſiderat verum bonum; ſecundùm quòd conſiderat veriſimile bonum. Vnde cùm impoſsibile ſit intellectu creato ſimul plura intelligere, non potuit primo inſtanti creationis appetitus Angeli eſſe malus*

Ex dictis igitur conſtat vis huius rationis D. Thomæ, quæ ſita eſt in hoc, quòd volitiones, & diuerſæ cogitationes practicæ veri boni, & boni apparentis non ſunt inter ſe ſubordinatæ: ac proinde, cùm cogitationes non ſubordinatæ in Angelis conſtituant tempus Angelicum, oportet, vt prædictæ cogitationes non ſint in vnico & eodem inſtanti Angelico, ſed cogitatio practica veri boni, quippe ex natura ſua prior, ex eo quòd eſt iuxta inclinationem principiorum agendi, debet eſſe in priori inſtanti; & cogitatio boni apparentis in ſequenti inſtanti: & per conſequens nec volitiones inde ſecutæ poterunt eſſe in eodem inſtanti, ſed volitio veri boni, quæ ſit bona, erit in primo inſtanti, & volitio boni apparentis in inſtanti ſequenti, nempe in ſecundo.

Prima impugnatio Patris Suarez contra rationẽ D. Thom.

40 Et ſimiliter hinc etiam fit, non eſſe legitimam duplicem impugnationem illam, qua Suarez rationem hanc D. Thomæ, licèt non ſub nomine S. Doctoris, ſed vt relatam ex Durando impugnat lib. & cap. citatis, numer. 21. & 22. quarum prior ſic ab eo ex Durando traditur. Quia Angelus non peccat per errorem: & ideò non eſt opus, vt peccet appetendo bonum apparens, ſed appetendo bonum verum ſub aliqua ratione inferiori, & imperfecta, comparatione boni honeſti, vt appetendo verum delectabile bonum, etiam ſi non apprehendat illud vt honeſtum apparenter, vel appetendo veram excellentiam inordinatè, ideſt, ſibi non decentem, ſeu conuenientem, ſecundùm rectam rationem. Cur ergo non poteſt Angelus in primo inſtanti talem cognitionem habere, & obiectum ſic exiſtimatum voluntati proponere?

Confirmatio.

Confirmatur. Nam Angelus non deliquit appetendo bonum apparens, ſed verum, inordinatè tamen: ergo ex eo, quòd non poſſint eſſe ſimul cogitationes, & volitiones diuerſæ veri, & apparentis boni in illo, non bonè deducitur, ipſum non poſſe peccare in primo inſtanti.

Secũda impugnatio eiuſdem auctoris.

Poſterior verò ſic ſe habet. Nam ſi ſemel apprehenſio apparentis boni eſt poſsibilis Angelo, non eſt cur in primo inſtanti eam non poſsit habere: ergo neque etiam erit cur nequeat eſſe in eo volitio prædicti boni pro primo inſtanti. Conſequentia patet.

Et antecedēs probatur. Quia cognitio vnius obiecti ſub ratione apparentis boni non ſupponit cognitionem alterius obiecti veri boni, ac ſi vnum cognoſcendum ſit per comparationem, vel modum ſimilem alterius: alias qui apprehendit aliquid, vt apparens bonum, cognoſceret, illud non eſſe verum bonum, ſed ſimile illi: ſicut qui cognoſcit, imaginem hominis eſſe apparentem hominem, eo ipſo attingit, non eſſe verum hominem, quod tamē in præſenti non contingit: ſiquidem non dicitur quis cognoſcere ſic bonum apparens, ſed quia putat eſſe verum, cùm non ſit: & propterea non comparat illud cum alio vero bono, ſed applicat ei veram rationem veri honeſti. Ergo cùm totum hoc fieri poſsit vnico actu, præſertim ab Angelo, qui ſine compoſitione intelligit (ſi tamen in eo talis deceptio inueniri poſſet) conſequens eſt, vt ex hoc capite nihil obſit quominùs Angelus in primo inſtanti peccare potuerit appetendo bonum illud apparens.

Rijcitur prima impugnatio.

41 Ex dictis igitur conſtat, nullam ex his impugnationibus eſſe legitimam. Non quidem primam. Quoniam ſenſus rationis D. Thomæ tantùm eſt, quod diuerſæ cogitationes practicę veri, & apparentis boni, & volitiones eiuſdem correſpondentes, nequeunt in Angelis eſſe in eodem inſtanti, ſiue illæ terminentur ad verum bonum, & ad apparens ex parte rei cogitatæ, & volitæ, ſiue vna earum ad verum bonum ex parte itidem rei cogitatæ, & volitæ, & modi illius, & alia quodammodò diuerſa ad bonum verum ex parte obiecti, & ad apparens ex parte modi cogitandi, & volendi virtualis, & interpretatiui: ex eo quòd prædictæ cogitationes practicæ non ſunt inter ſe ſubordinatæ, & inferunt efficaciter diuerſas volitiones non ſubordinatas, & ita in eodem Angelo non poterunt eſſe in eodem inſtanti cogitatio practica veri boni ex parte rei cogitatæ, & modi illius, & cogitatio practica veri boni, quæ ex parte modi cogitandi interpretatiui & virtualis non ſit veri boni, ſed apparētis: vt cùm fœlicitas & beatitudo naturalis Angelica proponitur modo indebito, ſcilicet cum defectu conſiderationis practicæ, & ordinationis in aliam ſuperiorem fœlicitatem, qui quidem modus virtualiter & interpretatiuè eſt boni apparentis, nempe excellentiæ, & boni apparentis, quod ſplendet in hoc, quod eſt habere fœlicitatem & excellentiam non ſubordinatam ſuperiori alteri excellentiæ & fœlicitati ſupernaturali. Sicut etiam nequeunt eſſe ſimul volitiones inde ſequutæ: ex eo quòd ſimiliter non ſunt ſubordinatæ, ſed vna earum eſt recta, & altera mala. Vnde volitio correſpondens priori cogitationi veri boni tam ex parte rei cogitatę quàm modi illius, quippe quæ eſt iuxta inclinationem principiorum agēdi, quæque ab ſolutè & ſimpliciter explicat prædictam inclinationē, debet eſſe in priori inſtanti, & poſterior in ſequenti, ſcilicet in ſecundo. Per quod etiam ad confirmationem ſatis patet.

Et ſimiliter ſecunda impugnatio eiuſdem Suarez non eſt legitima. Siquidem ratio Angelici Præceptoris non innititur in eo, quod in prædicta impugnatione continetur, nimirum, in cogitatione illa comparatiua boni apparentis ad verum, ſed in hoc, quòd prædictæ cogitationes, & volitiones, quippe non ſubordinatæ, debent in Angelis conſtituere tempus, & primum inſtans illius debetur priori cogitationi tendenti ex omni capite in verum bonum, necnon & volitioni, quæ illi correſpondet. Reijcitur ſecunda.

§. V. *Refertur, & refellitur alia euaſio adhibita eidem rationi Angelici Præceptoris.*

Quarta euaſio ad rationē D. Thomæ refertur.

42 EX quo etiam fit, nihil obeſſe euaſionem aliam præcedentiſatis affinem, quæ ex doctrina Scoti ſolet tradi, quamque omnes ferè aduerſarij inſinuant, nempe, quòd etſi operatio defectuoſa incipiens cum *eſſe* rei tribuēda eſſet auctori eiuſdem *eſſe*, ſi ipſe ſolus in illam influeret, ſecùs tamē ſi vnà cum re producta in illam influat. Nam tūc ſi auctor, quantum eſt ex parte ſua præſtiterit debitum influxum, & omnia, quæ requiruntur ad hoc, vt res producta poſsit, ſi velit, benè operari, nō debet imputari auctori defectus prædictæ operationis, ſed rei productæ malè, & indebito modo illam elicienti, vt in Angelis, dato quòd in primo inſtanti peccarent, cō tingeret: ſiquidem adhuc tunc Deus tribueret illis, quicquid requireretur ad hoc, vt poſsint non peccare, ſivellent, ipſeque proinde ex parte ſua benè, & debito modo influeret.

Explicatur & ſuadetur

Poteſtq; hæc ſolutio explicari, & ſuaderi. Tum ex eo, quòd dū Deus in ſecundò inſtanti influit vnà cū Angelo in operationē illam, quæ eſt defectuoſa: idcircò non habet influere in eam, vt defectuoſam, quia per ipſum non ſtat, quin Angelus rectè operetur, ſed penes eundem Angelum: ſtat in primo inſtanti non ſtat ſimiliter penes Deū, quin Angelus habeat benè operari, non ſolùm quia dedit auxilia ſufficientia, ſed etiā quia quicquid dedit in illo inſtanti, nō habet cōnexionē cū prædicto defectu. Tum etiam. Quia operatio illa ſub aliqua ratione trebueretur ſoli Angelo, vt ſub ratione elicitæ, & vitalis: ergo eadem ratione poſſet tribui eidem Angelo tantummodò ſub ratione defectuoſę, licèt ſub ratione entis & aliarū rationū bonarū poſſet tribui Deo: quandoquidē ſicut ipſa, vt elicita, & vt vitalis eſt extra latitudinē obiecti diuinæ potentiæ, ex eo quòd operatio ſub his rationib⁹ exigit

potentiam

potentiam finitam: ita etiam sub ratione defectuosa: nam etiam sub hac ratione petit potentiam & virtutem operandi creatam, & quæ sit ex nihilo.

Præcluditur hæc euasio.

43 Ex dictis igitur constat, euasionem istam, præcedenti satis affinem, manere impugnatam. Nam adhuc dato, operationem illã defectuosam tribuẽdã esse etiam Angelo, nihilominùs non posset non simul retorqueri in Deũ, adhuc quatenus defectuosa. Tum, quia ipse per modũ agẽtis particularis, & speciali ratione applicaret ad illam, vt est auctor eiusdem naturæ, vt constat ex dictis §. 2. & 3. ac proinde applicaret ad eã quoad omnes modos, & circunstantias in ea inuentas, vt patet ex illis, quæ ibidem asseruimus. Tum etiã. Quia per eundem auctorem naturæ stetisset, quòd Angelus eliceret actionem illam defectuosam: ex eo quòd non dedisset, vt debebat primam cogitationem absque defectu considerationis practicæ quam dare ipsi incumbebat, vt n. 19. dicebamus, nec applicuisset, vt debebat (iuxta ea, que num. 9. adduximus) voluntatem Angelicam ad intentionem, & dilectionem efficacem sui vltimi finis in particulari sumpti, cum qua applicatione stare nequit defectus in operationibus incipientibus cum esse Angelico. Tum deinde. Quia nõ applicuisset, vt ei incumbebat (iuxta dicta n. 31) voluntatem Angeli primo loco ad operationem, quæ ei conuenit, vt habet rationem naturæ, & cum determinatione ad vnũ, cũ qua est incompossibilis in eodem instanti operatio omninò libera, & simul defectuosa, vt n. 39. asserebamus: ex eo quòd prædictæ operationes, quippe non subordinatæ inter se, constituunt tempus Angelicum, & ideò nequeunt esse in eodem instanti. Tum denique. Quia hoc ipso, quòd illa operatio esset prima, explicaret inclinationẽ naturæ, esset que signum, datam esse ab auctore naturæ inclinationem malam vt n. 29. dictum est: & per consequens in ipsum esset talis operatio defectuosa retundenda.

Non fauent ea, quæ allata sunt ad eam suadẽdam.

44 Nec ea, quæ in fauorem huius solutionis adducebantur, ei fauent. Non quidem primum. Quia in eo euentu tribueret auctor naturæ, & non tribueret vires sufficientes ad vitandam actionem illam peccaminosam, & eliciendam actionem omninò rectam. Tribueret quidem, vt supponitur: alioqui enim Angelus non peccaret. Nõ tribueret autem. Tum, quia denegasset ea quæ ex parte actus primi requiruntur ad hoc, vt ipse Angelus se ipsum moueat absque speciali applicatione Dei, vt agentis particularis, in ordine ad illam operationem peccaminosam, qualiter debet posse se mouere ad eam, ad hoc vt possit peccare, & non peccare, ac proinde ad hoc, vt ipsi soli peccatũ illud imputetur: siquidẽ denegasset ea, quæ nuper diximus, quæq; desiderantur ad hoc, vt Angelus se ipsum mouere possit, vel continuando liberè omninò illa, & sic benè operando, vel liberè desistẽdo ab illis, cùm tamen non teneatur desistere, & sic peccando, vt n. 14. dicebamus. Tum etiam. Quia ad huiusmodi vires sufficientes requiruntur inter alia, quòd principium illud operandi non sit per se, & ab intrinseco, ac ex natura sua malum, ad illudque inclinet: ne si hoc ei competat, sit determinatum per se, & ex natura sua ad malum, atque adeò non habeat sufficientem indifferentiam ad bonum, & ad malum. At (vt nuper dicebamus) si illa operatio prima esset peccaminosa, sequeretur, principiũ illud operandi, nempe naturã Angelicam, esse malum, & ad malum per se, & ab intrinseco inclinare.

45 Neque etiam secũdum. Quia licet prædicta operatio sub illis rationibus ibidem dictis nõ esset tribuenda Deo, vt elicienti, benè tamen vt speciali ratione applicanti: quoniam ad primam operationem debet Deus per modum agentis particularis applicare: & per cõsequẽs oportet, vt applicet ad eã, tam quoad substãtiã, quàm quoad modos illius. Vnde ad formam huius propositionis concesso antecedenti, iuxta modò dicta de attributione illius operationis soli Angelo, vt principio elicienti, non verò vt principio se applicanti absque indigentia speciali applicationis Dei, debet eodem proportionali modo distingui consequens. Et ad probationem ibidem adductam patet ex dictis, quomodo licèt cùm Angelus in secundo instanti deliquit, non sequatur Deum influere in actionem illam vt peccaminosam, ex eo quòd prædicta actio sic sumpta est extra obiectum adæquatum diuinæ potentiæ, secùs tamen si eliciatur in primo instanti: quia in secundo instanti influeret in illam per modum agentis vniuersalis, & postquam dedit omnia requisita ad benè operandum: at ad operationem exercitam in primo instanti influit per modum agentis particularis: ac proinde operatio peccaminosa tũc elicita ab Angelo, esset, & non esset sub ratione peccaminosæ sub obiecto adæquato diuinæ potẽtiæ: nõ esset quidem, vt supponitur: esset autem, quia Deus per modum agentis particularis applicaret ad prædictam operationem, & propter alias rationes nuper tactas.

Ex quibus omnibus alia etiam implicatio deducitur, si Angelus in primo illo instãti, in primaque operatione delinqueret, nempe, illum delinquere, vt supponitur, & non delinquere, siquidem (vt ex dictis constat) nõ haberet vires sufficientes ad delinquendum, vel non delinquẽdum, & hoc ipso, quòd delinqueret; colligeremus optimè, illum ex natura sua esse determinatum ad malum.

§. VI. Responsio altera ad eãdem S. Doctoris rationem, & eius euersio

Quinta so. lutio Patris Becani ad rationẽ D. Thomæ.

46 EX quibus etiam deducitur, nihil referre quintam solutionem quæ ex doctrina Becani loco citato, & aliorum deducitur, nempe, propositionem illam, in qua tota vis rationis D Thomæ sita est, nimirum, operationem incipientem cum *esse* rei tribuendam esse auctori eiusdem *esse*, & principiorũ agendi, nõ esse veram, adhuc in operationibus non vitalibus, aut non liberis, vt patet in illuminatione solis, quæ non tribuitur auctori illius, sed ipsi Soli: quia auctor solùm concurrit ad illam per modum causæ vniuersalis, & ideo hoc tantummodo debet illi tribui, non tamen speciali ratione per modum agentis particularis, qualiter in præsenti fit sermo, dum asseritur, actionem incipientem cum *esse* rei retorquendam esse in auctorem eiusdem *esse*, & principiorum agendi.

Roboratur solutio prima.

Potestque hæc solutio iuuari, primò quidem. Nam, vt argumentantur Scotus, Molina, & omnes aduersarij, si semel operatio incipiens cum *esse* rei deberet tribui auctori illius *esse*, ex eo quòd dedit prædictum *esse*, nõ esset cur cæteræ aliæ operationes eiusdem rei in alijs instantibus habitæ non essent tribuẽdæ auctori. Tum, quia quando operatio aliqua tribuitur generanti, debet, nõ solùm quãdo primò fit, sed semper postea ei tribui: vt motus ignis sursum, non solùm quando incipit statim ac ignis generatur, sed etiam semper, & quoties iterùm, ac iterùm fit, tribuitur generanti. Et ita ii operationes Angeli in primo instanti tribuerentur auctori naturæ, deberẽt tribui etiam semper, in quocumque instanti fierent: atque adeò, vel nunquam Angelus posset delinquere, vel peccatum illius esset in auctorem naturæ retorquẽdum. Tum etiam. Quoniam cùm quæuis res non secùs pendeat quoad conseruationem sui *esse* à perpetuo & continuato influxu Dei, ac lumen productum à Sole pendet quoad suam permanentiam ab influxu Solis non interrupto, quo illi suum *esse* sine nouitate essendi communicat: consequens est, quòd si operatio incipiens cum *esse* rei debet retorqueri in auctorem, ex eo quòd dedit prædictum *esse*, quòd eadem ratione quæuis alia operatio, dum res illa conseruatur, esset in eundem retorquẽda: siquidem non minùs dat tunc, sine nouitate tamen essendi, prædictum *esse*, ac cum nouitate essendi illud primo communicauit.

Roboratur secundo.

Secundò verò ex eo, quòd prima operatio, quam habet puer in primo instanti vsus rationis solet esse peccaminosa: & non idcircò tribuitur Deo: ergo eadem ratione nõ erit cur prima operatio incipiens primò cũ *esse* rei, v.g. Angeli debeat retorqueri in auctorẽ eiusdem *esse*. Patet consequentia. Nam illa operatio pueri peccaminosa est prima omninò respectu illius, vt hominis, estque omninò per accidens respectu eiusdem, quatenus sic operantis, quòd fuerit, vel nõ fuerit toto illo tempore antecedenti productus, & ideò primum illud instans est formaliter loquendo, primum *esse* illius, vt hominis, & vt operantis permodum talis: & per consequens, si prædicta operatio peccaminosa alicita in eo instanti non est retorquenda, vt reuerà retorqueri non debet, in auctorem naturæ, nõ erit cur aliæ operationes incipientes cum *esse* rei sint in auctorem illius retorquendæ.

Euertitur data solutio,

47 Ex dictis igitur constat, euasionem hãc manere præclusam, vt consideranti impugnationes factas facile patebit. Vnde solum oportebit occurrere his, quę pro hac solutione adducta sunt. Et quidem quoad illuminationem Solis in primo instanti sui *esse* factã dicendum est, eam prouenire (saltem mediatè) ab authore naturæ Solis, vt à causa particulari dante illam inclinationem ad illuminandum, qua adhuc ratione non posset procedere ab illo, si esset peccaminosa, nec, si Sol esset capax peccãdi in ea, posset illã in primo instãti sui *esse* elicere, benè tamẽ in alijs instãtibus. Cæterũ prima operatio Angeli debet esse speciali ratione immediatè à Deo, tanquam ab applicãte peculiariter ad illã: quia, vt ex dictis n. 6. & 7, cõstat, pertinet ad dispositionẽ eius, vt eleuati, connaturalem, & debitam: et quia per illam, & non aliter constituitur in actu primo cõpleto ad mouendũ se in alias operationes, in quas absque speciali alia applicatione Dei se ipsum mouere potest, necnon & propter alias rationes in hoc dubio adductas.

Ad primũ quod adducitur ad roborandã solutionem.

Ad illud verò, quod ad iuuandam eandẽ solutionẽ primo loco adducebatur nimirũ, quòd si semel prima operatio retorquẽda est in authorẽ naturæ, ex eo quod dedit predictũ *esse*, nõ sit cur cæteræ aliæ nõ debeãt in ipsum retorqueri, neganda est paritas. Et ad primam probationẽ dicẽdũ est, eã ad summum cõuincere intẽtũ in rebus corporeis, materia, & forma constantibus, propter specialẽ rationẽ, quæ in eis militat, propter quãque quo ad illã operationẽ non sunt aptæ natæ ad se ipsas mouendas, secus tamen in agentibus intellectualibus, quæ ob suam perfectionem, & specialẽ rationẽ exigunt, vt semel applicata & mota à Deo peculiari ratione in ordine ad suam primam operationem propriæ voluntatis, nempe intentionem finis, possint se ipsa mouere, & vel continuare omninò liberè prædictam intentionem, & inde se mouere ad media, vel liberè omninò ab eadem cessare.

48 Ad

48. Ad ſecundam autem probationem dicendum eſt, poſſe reddi multiplicem rationem diſparitatis ex iam dictis. Prima quidē. Quia cùm primò accipit Angelus *eſſe*, & principia agendi, accipit illa cum determinatione ad operandum in eo inſtanti per modum naturæ, ſaltem quoad ſpecificationem actus, ſecùs verò cùm poſteà *eſſe* Angelicum, & eius principia operandi conſeruantur: nam tunc relinquitur, vt operetur ſecundum omnimodam indifferentiam, quam habet, & vt ei libuerit: & ideo prima illa operatio, non verò hæc poſterior, retorqueanda eſt in authorem naturæ, & principiorum agendi.

Prima diſparitas inter operationē incipentem cū *eſſe* Angeli, & eādem prout poſtea conſeruatam.

Secunda verò. Quia cùm Angelus primò accipit *eſſe*, & vires agendi, accipit illa, vt determinata ad explicandam ſuam inclinationem naturalem in prima operatione incipiente cum *eſſe* rei, & ad exprimenda in eadem operatione principia agendi, quæ habet à ſuo authore, ſecundùm illam rationem ſecundùm quam ab ipſo procedunt. Et propterea prædicta operatio debet retorqueri in authorem dantem illam inclinationem, & illa principia ſecundùm eandem rationem conſiderata, vt explicatum eſt, & perconſequens, ſi illa operatio eſſet mala, optimè colligeremus, inclinationem naturalem datam à Deo, necnon & principia operandi ſecundùm eam rationem ſecundùm quam ſunt à Deo, eſſe naturaliter mala, & eamdem operationem peccaminoſam fore retorquendam in Deum, vt dantem talem inclinationem taliaque principia determinata ad malum.

Secunda diſparitas.

Cæterùm cum *eſſe* Angelicum continuatur per conſeruationem, tunc non habetur à Deo cum determinatione ad explicandam prædictam inclinationem, & perconſequens nec ad exprimenda principia agendi in ſua operatione, ſecundum eam rationem, ſecundùm quam ſunt data à Deo, ſed relinquitur locus ad hoc, vt poſt explicatam inclinationem illam naturalem, vimque agendi principiorum prout ſunt à Deo, explicetur indifferentia, quæ eſt in prædictis principijs, abſque inclinatione tamen naturali in ordine ad operandum defectuoſè: & perconſequens ad hoc, vt exprimantur eadem principia, non ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam ſunt à Deo, eíque ſubordinantur, ſed ſecundùm aliam, nempe, ſecundùm quòd ſunt prima cauſa deficiendi: & ideò non eſt neceſſe, quòd prædicta operatio in Deum retorqueatur.

Poteſtque hæc diſparitas ampliùs explicari ex illis, quæ ſupra diximus, nimirum, Angelum cùm primò accipit *eſſe*, accipere illud vna cū prima cogitatione peculiari ratione data à Deo, & ſimiliter vna cum intentione, & amore vltimi finis: & ideò accipere illud cum determinatione ad hoc, vt quidquid in eo inſtanti operatur, retorqueatur in Deū: ſiquidem quæuis operatio tunc elicita debet procedere à prędicta cogitatione, & intētione finis, vt eſt peculiariter à Deo. At dum præ dictū *eſſe* cōſeruatur in ſecūdo inſtāti, nō habetur cū determinatione ad operādū cū illa cogitatione ſpecialiter immiſſa à Deo, & vt ab eo immiſſa eſt, aut cū intētione efficaci finis peculiariter ab ipſo data, ſed eſt in poteſtate volūtatis Angelicæ deſiſtere à prædicta cogitatione, & conſideratione practica, & ab intentione finis inde ſecuta, operarique ſecundùm cogitationem habentem defectū debitæ conſiderationis, & ſecundùm intentionē finis, quā ſibi ipſe præfixerit. Et propterea, quanuis tunc Angelus habeat ſuum *eſſe* conſeruatum à Deo, non idcircò debet eius operatio regulata per hanc ſuam cogitationem habentem ex illa ſua volūtate prædictum defectum, retorqueri in Deum. Videātur circa hæc illa, quæ diſputatione ſequenti n. 17. & deinceps adducemus.

Explicatur ampliùs aſſignata diſparitas.

49. Ad illud tandem de puero peruenientе ad vſum rationis dicendum eſt, inſtās illud vſus rationis prædicti pueri non eſſe vnicum inſtās phyſicū, ſed morale cōſtās ex pluribus & diuerſis inſtātibus, necnon ex morula aliqua temporis prædictis inſtātibus terminata: ex quib⁹ in primo inſtāti phyſico, quod correſpondet primo inſtāti *eſſe* Angeli, peccare non poteſt, ſed debet operari iuxta inclinationem naturæ, ſiue principiorum agendi à ſuo authore datam, in eoque ſpecialiter applicatur ab eodem authore, ſaltem ad volendum bonum, ſiue beatitudinem in cōmuni. Et deinde in morula illa tēporis maiori, vel minori, iuxta meliorem, vel non ita bonam diſpoſitionē phantaſmatū eiuſdē pueri, deliberat, an ſit illi conueniens quærere ſuam beatitudinem, & bonū in bonis ſenſibilibus, an verò in bonis cōſonis rationi, & iuxta id, quod per naturalē ſyndereſim tūc ei intimatur. Quòd ſi elicuerit practicam concluſionem, qua practice iudicet, eſſe ſibi cōueniēs quærere ſuā beatitudinē in bonis cōſonis rationi, & ſequi ductū ſyndereſis, hocque amplexus fuerit nō peccabit cōtra præceptum naturale obligās tunc ad hoc. Si autem deduxerit oppoſitam concluſionem practicam, tunc peccabit contra prędictum præceptum: & illud inſtans, in quo terminatur prædicta deliberatio, & diſcurſus, dicitur inſtās primū cōpletiuū vſus rationis, quia in eo ſolo, nō verò in præcedētibus, adhuc ab inſtāti initiatiuo eiuſdem vſus rationis vſque ad illud completur diſcurſus practicus elicitque concluſionem practicam qua poſsit ſe ipſum mouere abſque ſpeciali Dei applicatione in eas operationes, in quas ſe ipſum aptus eſt mouere: ac proinde iſtud inſtans terminatiuū eſt primum, in quo peccare poteſt, iſtudque eſt, quod correſpon-

det secundo instanti Angelico, in quo quiuis ex Angelis delinquere quiuit.

Vnde ad formam huius obiectionis distinguenda est maior: & concedenda de prima operatione voluntatis pueri elicita in vltimo instanti terminatiuo prædicti instantis moralis vsus rationis, quodque propter hanc rationem dicitur esse primum instans, in quo puer, non quidem incepit, sed iam peruenit ad vsum rationis: cęterùm negandа est de primo omninò instanti physico, quod est initium vsus rationis. Et deinde concedenda est minor, quę apertè loquitur de operatione elicita in primo instanti, in quo peruenitur ad vsum rationis post deliberationem, & discursum practicum. Sed negandа est consequentia: quia instans primum, in quo incipit *esse* Angelicum, solùm correspondet, vt nuper dicebamus, illi instanti omninò primo, & initiatiuo vsus rationis pueri. Per quod etiam ad probationem consequentiæ satis patet, negandum esse, instans illud, in quo puer ille peccat, esse primum omninò instans ipsius, vt homo est, formaliter loquendo.

Replica. 50 Nec obest, si vrgeas, illud esse primũ omninò instans hominis, vt homo est, formaliter loquendo, in quo potest liberè, ac benè operari, vt ex se constare videtur: at in illo instanti morali vsus rationis nequit in primo instanti physico, & initiatiuo illius sic operari, bene tamen in instanti vltimo, & physico terminatiuo eiusdem: ergo nõ illud, sed istud erit primum instans hominis, vt homo est. Minor probatur. Quia si in primo illo instanti physico, & initiatiuo instantis moralis posset liberè, & benè moraliter operari, non esset cur præceptum conuertendi se saltem implicitè, & virtualiter in Deum, seu volendi viuere secundùm rationem, non obliget ipsum pro illo instanti, absque eo quòd expectetur vltimum instans terminatiuum totius instantis moralis, nec esset cur puer non adimpleret tunc prędictum præceptum: ac tandem, si iuxta solutionem datam in eodem instanti ne nequit peccare, nullus erit puer, qui prędictum præceptum prædictum violet.

Soluitur Respondetur enim, concedendo maiorem, & negando minorem. Nam sicut in primo instanti *esse* Angelici potest Angelus liberè operari quoad exercitium, sed necessariò quoad specificationem, quatenus per hoc significatur, esse determinatum ad operationem rectam, ac proinde quoad eam secundum istã rationem operari voluntatem Angelicam, non vt libertas, sed vt natura est, in eaque explicare inclinationem naturalem, quæ in eadem voluntate libera, & vt eleuata, includitur ad operationem illam bonam, & tandem hæc eadem operatio fit à voluntate Angelica, vt mota & applicata speciali ratione à Deo: ita etiam voluntas pueri in illo primo instanti initiatiuo prædicti instantis moralis vsus rationis, potest operari libere, & moraliter, & de facto sic sępe operatur, libertate quidem quoad exercitium, cum determinatione tamen ad rectitudinem & bonitatem moralem: atque adeò voluntas pueri, secundùm quòd est sic determinata, elicit illam operationem, vt dicit rationem naturæ intimè inclusę in se ipsa vt est libertas, in eaque suam inclinationem naturalem primò explicat, ac tandem ad eam speciali ratione applicatur ab authore naturæ, cuius proprium est applicare voluntatem pueri in prima omninò operatione ad volendam sibi beatitudinem in communi, necessariò quidem quoad specificationem, liberè verò quoad exercitium. Cæterùm non inde sequitur, puerum in eo instanti initiatiuo adimplere præceptum conuertendi se implicitè & virtualiter in Deum, volendo viuere secundùm rationem. Quia ratione modi potentialis cognoscendi, & procedendi pueri, non agitur in eo instanti de hoc præcepto, ac proinde nec de electione viuendi potius secundùm rationem, quàm contra illam: quia illud instans tantùm est de intentione finis, nempe beatitudinis in communi pueri, non verò de electione mediorum ad illam acquirendam, qualia sunt viuere secundùm rationem, & quærere beatitudinem illam in bonis rationi consonis, vel viuere contra rationem, & velle consequi illam medijs bonis sensibilibus, & rationi dissonis: & ideò in eo, & pro eo instanti initiatiuo non obligat præceptum illud, vt in eo instanti exequendum, quippe quod est præceptum circa media ordinata ad prędictam beatitudinem consequendam.

Adde quòd adhuc dato, non tamen concesso, omnem puerum in eo instanti omninò primo initiatiuo instantis moralis vsus rationis implere quodammodò virtualiter præceptum eligendi viuere secundùm rationem: nihilominùs, quia non adimpleret illud media propria deliberatione, & cum plena libertate, tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem, ideò in instanti physico terminatiuo illius instantis moralis vrgeret eosdem pueros obligatio adimplendi plenè liberè in hoc vltimo instanti prædictum præceptum, & huic obligationi quàm plures ex pueris non satisfacerẽt, vt in simili circa Angelos solet in via D. Thomæ philosophari. **Alia eius enodatio.**

51 Nec etiam refert, si iterùm vrgeas, non posse dari actum liberum in puero, nisi præcedente discursu practico, & in termino illius: at discursus iste practicus, vnà cum termino illius, non datur vsque ad instans physicum terminatiuum instantis moralis: ergo in hoc solo poterit puer ille libere operari: atq; adeò hoc tantummodò erit primum instans hominis, vt homo est formaliter loquendo: & per **Alia replica.**

per consequens, si in primo instanti hominis, vt homo est, debet benè moraliter operari, nunquam puer in hoc instanti terminatiuo prædicti instantis moralis malè operabitur, semperque prædictum præceptum conuertendi se in Deum, adimplebit.

Fit obiam Respondetur, veram esse maiorem, quando puer operatur liberè mouendo se ipsum absque speciali Dei applicatione, & peculiari instinctu ipsius, secùs autem cùm operatur liberè specialiter applicatus à Deo, ac speciali instinctu ipsius, quo pacto in prima illa operatione liberè agit. Nam cùm tunc moueatur ex illo speciali instinctu, sufficit, quòd in Deo præcesserit deliberatio, & quòd ab eo imprimatur puero cogitatio practica proponens illi suam beatitudinẽ in communi, cum determinatione quoad specificationem, & cum indifferentia quoad exercitium, ex eo quòd in illo queat aliqua ratio molestiæ eluctere: ac tandẽ quòd puer habeat organa, & principia operandi ita expedita, vt quantum est ex vi illorum, quæ ex parte eorundem requiruntur, posset deliberare, & discursum practicum formare, nisi alias ad hoc impediretur, ex eo quòd prædictus discursus, saltem attentis omnibus tunc occurrentibus, exigit morulam temporis: & hoc ipso, quòd hic discursus per deliberationem, & specialem instinctum Dei suppleatur, applicãdo puerum, vt debet in eo instãti, ad illam cogitationem practicam, quæ alias erat deducenda à puero per modum conclusionis in instanti terminatiuo sui discursus, poterit liberè operari.

Quare, cùm ex parte Dei omnia prædicta inueniantur in eo instanti physico initiatiuo instantis moralis, & ex parte pueri sint organa, & potentiæ illius sufficienter expedita, quantum est ex vi illorum, quæ ex parte eorundem requiruntur (tum quia propterea illud instans dicitur primum instans physicum vsus rationis: tum etiam, quia ab illo potest incipere deliberare) inde est, vt non appareat aliquid, cur in prædicto instanti nequeat puer liberè, specialiter tamen applicatus à Deo, operari. Sicut ob eandem rationem puer ille posteà in discursu suæ maioris ætatis potest specialiter applicari à Deo in vnico instanti ad volendam libere quoad exercitium, & necessariò quoad specificationem suam beatitudinem in communi: ex eo quòd mouetur specialiter ex deliberatione Dei, & peculiari instinctu ipsius, adsuntque in illo tunc organa & principia operandi in actu primo, & modo dicto disposita, solumque obesse poterat, quod si volitio illa libera esset exequenda media deliberatione proprij intellectus, petebat, attentis omnibus tunc occurrẽtibus, aliquam temporis morulam, quòd tamen tunc non obest: ex eo quòd ex vi specialis applicationis, & instinctus Dei, quo voluntas tunc mouetur, suppletur necessitas prædicti discursus, & (vt sic dicamus) communicatur ei conclusio, quæ ab eo erat inferenda, veluti per modum primi principij respectu intellectus pueri.

Aliter obiicitur. 52 Adde, quòd adhuc dato, in primo illo instanti physico initiatiuo instantis moralis non moueri puerum ad volitionem liberam ex speciali instinctu Dei, sed solũ ad volitionem adhuc quoad exercitium necessariam suæ beatitudinis in communi: nihilominùs primum omninò instans pueri, vt homo est, non esset instans initiatiuum discursus practici, in quoque liberè, tam quoad specificationem, quàm quoad exercitium operaretur, sed prædictum instans physicum initiatiuum instantis moralis iam dicti: ex eo quòd in eo datur initium eiusdem, vt homo est, nempe intentio illa prodiens à voluntate pueri, vt natura est, ex qua potest saltem incipere deliberare, & post completam deliberationem omninò liberè operari: siquidem per prædictam intentionem necessariam constituitur in actu primo in ordine ad deliberandum, & omninò liberè se ipsum mouendum. Nec mirum iuxta hunc dicendi modum, quod primum initium hominis, vt homo est, amplius non exigat: quia propter suum modum imperfectum procedendi de potentia ad actum non incipit eius *esse* (vt sic dicamus) quatenus homo, & agens humanũ est, nisi ab eo instanti, in quo non quidem operatur per deliberationem, aut liberè, sed tali modo operandi per modum naturæ, vt inde maneat constitutus in actu primo ad hoc, vt sine aliqua alia speciali applicatione Dei possit deliberare, & liberè omninò se in suas operationes mouere.

Explicatur quod supra relictum est in hunc locum. Ex quibus etiam intelligitur id, quod disputatione præcedenti num. 217. in hunc locum explicandum remisimus, nempe, quę sit disparitatis ratio, propterquã puer, cum peruenit ad vsum rationis, ac proinde potest tũc primò peccare, non est necesse vt primò peccet peccato prosecutionis circa vltimum finem, secùs tamen Angelus in secundo instanti, in quo solo potest primo delinquere. Nã, vt ex dictis constat, puer in primo instãti physico initiatiuo instantis moralis sui vsus rationis, non petit, propter sui imperfectum modũ incipiendi, cognoscere, & velle, nisi quod moueatur à Deo, vt ab authore naturæ, & vt ab agente particulari, ad volendam sibi beatitudinem in communi. Cumque vt possit in vltimo instanti physico terminatiuo instantis moralis vsus suæ rationis peccare, & defacto peccet, debeat ex omnimoda electione, ideſt, non vt motus à Deo, vt ab agente particulari, sed solùm vt ab agente vniuersali, mouere se in prædictum finem, alioqui non moueret se omninò in alia media, ac proinde nec

nec peccaſſet, nec peccare poſſet, quin refunderetur in Deum: & ex alia parte volitio prædictæ beatitudinis non ſit ex ſe mala, nec debeat inferre malã electionẽ, ſed poſsit inde in differẽter vel bona, vel mala electio pueri ſubſequi: inde eſt, vt non ſit neceſſariũ, quòd puer ille primò peccet peccato profecutionis circa vltimum finem, quod formaliter habeat malitiam malæ intentionis, & diſtinctam à malitia malæ electionis, ſed ſatis ſit, quòd peccet formaliter peccato malæ electionis, & quòd prædicta intentio ſolùm ſit cauſaliter mala, ex eo quòd fuit cauſa malæ electionis, nempe eligendi viuere quærendo beatitudinem ſuam in bonis ſenſibilibus diſsonis rationi, vel reſpuendo difficultates, quæ ei proponuntur in profecutione vitæ, & bonorum conformium rectæ rationi.

53 Cæterùm Angelus, vt etiam ex dictis num. 9. conſtat, in primo inſtanti ſui *eſſe*, quod eſt primum ſui vſus rationis, & correſpondet inſtanti primo, & initiatiuo illius inſtantis moralis pueri, debet moueri à Deo, vt ab agente particulari, in ordine ad ſuum finẽ vltimum in particulari ſumptum, nempe, ad volendam ſuam beatitudinem naturalem debito modo, ideſt, ordinando illam in Deum finem ſupernaturalem, & ſuper omnia dilectum. Cumque Angelus ex hoc fine ſic dilecto, & perſeuerando ex omnimoda electione, ſeu vt motus à Deo, vt ab agente vniuerſali, in profecutione illius, nequeat in ſecundo inſtanti delinquere, quia hæc profecutio, & intentio, ſiue facta cum determinatione ad vnum, ſiue ex omnimoda electione, eſt incompoſsibilis cum peccato, vt ex ſe conſtat: oportet, vt habeat aliam intentionem, & profecutionem omninò liberam, ſeu ex omnimoda electione, & non procedentem à Deo, vt ab ſpeciali, ſed vt ab vniuerſali motore, qua velit, non quidem ſolummodò ſuam beatitudinem in communi, quia hic modus incipiendi velle ex omnimoda electione, non congruit cum perfectione, & actualitate Angelica, ſed eſt proprius entium intellectualium valdè potentialium, & procedentium de potentia in actum, & ab vniuerſalioribus ad minùs vniuerſalia, nempe hominum, ſed volendo ſuum finem vltimum in particulari, ſcilicet ſuam beatitudinem naturalem indebito modo, ideſt, non ordinando illam in ſecundo inſtanti, vt debebat, in finem ſupernaturalem: ac proinde oportet, vt primum illius peccatum ſit profecutionis malæ ſui vltimi finis, malæque intentionis habentis formaliter propriã malitiam, & diſtinctam à malitia aliarum malarum electionum, quas tunc habuit. Sed de his, quantum attinet ad puerum peruenientem ad vſum rationis, fuſiùs in ſequenti tomo circa quæſtionem 89. 1. 2. D. Thomæ dicemus, vbi explicabimus, quanam conuerſione inexcuſabiliter obligetur tunc ad conuertendum ſe in Deum, & alia ad dictam difficultatem ſpectantia.

§. VII. *Aliæ enodationes rationis S. Doctoris ex dictis confutantur.*

54 ET ſimiliter ex dictis etiam corruit alia enodatio ab aliquibus tradita nimirum, prædictam rationem ad ſummum conuincere, Angelum non poſſe in primo inſtanti peccare peccato commiſsionis, non verò non poſſe abſolutè & ſimpliciter peccare. Quia poſſet delinquere omittendo: cùm tamen ex vi rationis D. Thomę non probetur, illum non poſſe in eo inſtanti peccare peccato omiſsionis. Imò adhuc aliqui ex diſcipulis D. Thomæ ſentiunt, S. Doctorem ſolùm voluiſſe excludere ab Angelo poſsibilitatem peccandi peccato commiſsionis in primo inſtanti: & propterea ſolùm aſſumpſiſſe vt medium ad id probandum, quòd omnis operatio incipiens cum *eſſe* rei debet tribui authori eiuſdem *eſſe*, quod quidem ſolùm poteſt deſeruire ad probandum, non poſſe in Angelo eſſe in illo inſtanti peccatum conſiſtens in operatione, non verò peccatum omiſsionis. Sexta ſolutio rationis, D. Th.

Ex dictis itaque hæc ſexta ſolutio manet confutata. Tum, quia ſi ſemel operatio incipiens cum *eſſe* rei tribuitur auctori eiuſdem *eſſe*, non eſt cur etiam omiſsio voluntaria (de qua in præſenti loquimur) cum eodem *eſſe* incipiens, non tribuatur eidem auctori: ſiquidẽ prędicta omiſsio voluntaria, hoc ipſo quòd ſit prima, & incipiens cum *eſſe* rei, debet etiã eſſe iuxta inclinationem connaturalem principiorum agendi, & quodammodò oriri ex eis ſecundùm eam rationem, ſecundùm quã ſunt à ſuo auctore, vt ex rationibus factis quoad hoc de prima operatione, proportionaliter tamẽ quoad prędes applicatis, patebit. Tum etiam. Quia talis omiſsio debet oriri, hoc ipſo quod ſit in primo inſtanti, à cogitatione prima immiſſa peculiariter à Deo, & ex defectu aliquo conſiderationis practicæ reperto in eadem cogitatione: ſicut & prima operatio, ſi eſſet defectuoſa, deberet oriri ex defectu conſiderationis practicę eiuſdem cogitationis. Ergo quemadmodum ob hanc rationem operatio illa peccaminoſa refunderetur in Deum, vt iam oſtendimus: ſic ob eandem omiſsio iſta voluntaria, peccatumque iſtud omiſsionis eſſet in Deum refundendum. Refutatur x.

55 Tum denique. Quoniam, vt tomo 3. in tractatu de peccatis dicemus, peccatum omiſsionis ſemper habet neceſſario annexum actum aliquem poſitiuum, habentem ſe per modum cauſæ, vel occaſionis omittendi, Secundo;

vt

D. Thom. vt docuit D. Thomas 1.2.q.71. art. 5. Ergo eo ipso reduceretur in Deum peccatum illud, tam ratione suæ causæ, vel occasionis, nempe prædicti actus, qui sic sumptus esset malus, quam ratione omissionis inde causatæ, aut occasionatæ. Et ita, si semel operatio aliqua peccaminosa nequit esse in Angelo in primo instanti, in quo incipit suum *esse*, nequibit etiam esse ibidem aliqua omissio necessariò requirens operationem peccaminosam, saltem per modum causæ, vel occasionis.

Vltimo. Adde, quòd omissionem esse voluntariam, qualiter requiritur ad peccatum, debet prouenire, vel ex eo quod sit virtualiter & implicitè volita ex vi alterius actus, vel ex eo quod absque tali actu principia intelligendi, & volendi sint ita dispositа, sicque se habeant, vt meritò de illis possimus interpretari, habere omissionem voluntariam, siue actum interpretatiuũ, quo velit omittere: at ex nullo ex his capitibus potest Angelus in primo instanti sui *esse* habere omissionem voluntariam, & peccaminosam: ergo, &c.

56 Minor quoad primum caput patet. Nam ille actus, in quo esset virtualiter & implicitè voluntaria prędicta omissio, esset peccaminosus: ac proinde iste, vt potè incipiens cum *esse* rei, deberet in Deum retorqueri. Quoad secundum verò caput etiam constat. Tùm, quia cùm principia agendi sint tunc ita dispositа, vt inclinent ad operationem honestam pro tunc, & non qualemcumque, sed quæ sit intentio, & amor finis vltimi super omnia, non possunt præbere fundamentum ad hoc, vt cordatè interpretemur, esse ibidẽ, aut posse esse omissionem alicuius actus debiti, ac proinde omissionem aliquam culpabilem: quia hęc est incompossibilis cum prædicta inclinatione, & amore. Tum etiã. Quia prædicta principia sicut tantùm sunt inclinata ad operandum in eo instanti per modum naturæ, ideſt, cum determinatione ad vnum, saltem quoad specificationem: ita etiam sunt determinata ad omittendum per modum naturæ, & eo proportionali modo, quo possunt operari: ergo non possunt præbere fundamentum ad hoc, vt interpretemur, esse ibidẽ omissionẽ voluntariã, & culpabilem: quia hæc nõ potest fundari in principijs aliquomodo operantibus per modum naturæ, sed in principijs omninò liberis, tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem subalternam actus rectè: imò si ibidem esset tale fundamentum, tunc refundendum esset vnà cum ea omissione in authorem naturæ, & principiorum agendi, a quo omnia ista sic sumpta proueniunt.

Vnde nihil obest id, quod in fauorem huius solutionis ex D. Thoma adduceb atur. Nam hoc ipso, quod dixerit, operationem quamlibet incipientem cùm *esse* rei, retorquendam esse in authorem eiusdem rei, satis significauit, idem dicendum esse de omissione cum eodem *esse* incipiente, vt ex modò dictis patet. Et propterea S. Doctor in corpore articuli sic absolutè concluſit: *Vnde non potest dici, quòd Diabolus in primo instanti suæ creationis fuerit malus*: vt denotaret, quòd hoc ipso, quòd non potuerit habere in eo instanti operationem peccaminosam, optimè inde deducitur, nec potuisse esse malum, ac proinde nec habere in eo instanti aliquam omissionem peccaminosam: siquidem per hanc etiam esset in eodem instanti malus. D. Thom

57 Et tandem ex dictis deducitur, nihil referre vltimam euasionẽ, qua aliqui vim rationis D. Thomæ aliquantulum minuere, & restringere conantur, dicentes, quòd ex ratione S. Doctoris non sequitur id, quod ex ea sequi innuebamus, nimirũ, implicare contradictionem ex parte Angeli, & principiorum eius agẽdi, quòd in primo instanti sui *esse* peccet, siue peccato commissionis, siue omissionis, sed ad summum id esse moraliter impossibile: ex eo, quòd ad diuinã prouidentiã spectat, sic de Angelo in illo instãti prouidere, vt in eo non delinquat, ne suo auctori peccatum illud tribuatur. Et rationem reddunt. Quoniam sicut ad hoc, vt ex parte Christi Domini implicet, dari in eo aliquod peccatum, oportet, vt ex parte ipsius detur aliquid, quod habeat intrinsecam repugnantiam cum eodem peccato, quale est vnio hypostatica: ità ad hoc, vt ex parte Angeli, & principiorum agendi illius implicet, quòd in primo instanti sui *esse* delinquat, oportet, dari in illo aliquid, quod sit incompossibile cum prædicto peccato: cùm tamen hoc non sit necessarium inueniri in eodem Angelo: siquidem *esse*, & principia agendi illius sunt eiusdem rationis in primo instanti, & in secundo in quo nihil habent, vnde ei repugnet peccare. Vltima solutio rationis D. Th. Et probatur solutio ratione.

58 Potestque hoc confirmari, primò ex Molina loco citato. Nam voluntas Angeli in comparatione ad illud obiectum, respectu cuius in primo instanti est naturalis, seu se habet per modum naturæ quoad speciem actus, semper est naturalis respectu illius, & in comparatione ad alterum, respectu cuius est libera, vel quoad exercitium, vel quoad speciem actus, etiam in primo instanti est simili modo semper libera respectu eiusdem obiecti: ergo non est cur in primo instanti detur in Angelo aliqua determinatio quoad speciem subalternam boni honesti, ratione cuius implicet ex parte ipsius tunc peccare: siquidem hæc non datur in illo secundo instanti. Confirmatur ex Molina.

Secundò potest hoc ipsum corroborari Secundo, ex eo

ex eo, quod si ex parte Angeli implicaret, illum in eo instanti delinquere, fieret inde, debitum esse ipsi, & suæ naturæ secundùm se sumptæ, quòd in eodem instanti non peccaret contra finem supernaturalem, contraquē solum, saltem per se primò, & directè, potest Angelus delinquere, vt ex dictis disputatione 9. num. 3. constat: hoc autem dici nequit: ergo, &c. Sequela probatur. Quoniam si ex parte Angeli esset aliquid, vnde repugnaret ipsi prædictum peccatum, esset tale peccatum contra naturam ipsius: ac proinde esset debitum illi, quòd in primo instanti, in quo nihil potest habere præternaturale non coinquinaretur illo. Falsitas autem consequentis etiam liquet. Nam sicut non est debitum naturæ Angelicæ secundùm se sumptæ benè operari circa finem supernaturalem: sic nec debetur illi, quòd nō delinquat circa illum.

Enervatur solutio. 59 Ex dictis igitur constat, hanc vltimam euasionem nihil referre: quippe cùm iam assignauerimus plura capita, propter quæ ex parte Angeli, vt eleuati ad finem supernaturalem, repugnet, ipsum in primo instanti contra eundem finem delinquere, nempe, quia in eo instanti est debitus illi, vt eleuato, actus supernaturalis amoris Dei super omnia, vt num. 7. dicebamus: & quia tunc habet principia agendi determinata ad exprimendam in operatione incipiente cum *esse* rei inclinationem optimam, & connaturalem, quā habent: & deinde, quia in eo instanti prædicta principia nascuntur determinata ad operandum pro eo instanti per modum naturæ, & cum necessitate quoad specificationem subalternam actus honesti, vt à num. 29. vsque ad num. 32. diximus: & tandem propter alias rationes in hoc dubio assignatas. Constat autem, quòd cum his repugnat ex parte eiusdem Angeli, vt eleuati, dari in eo aliquod peccatum in primo instanti sui *esse*.

Impugnatur prima cōfirmatio. Per quod ad id, quod primo loco in fauorem huius solutionis adducebatur, satis constat. Et similiter ad primam confirmationem. Nam antecedens illius debet negari absolutè, & vniuersaliter sumptum. Quoniam cùm determinatio, & necessitas ad benè operandum oritur ex naturali ordine, qui debet esse inter hoc, quod est explicandam esse priùs inclinationem naturalem voluntatis in suā operatione, quàm indifferentiam, & capacitatem, quam habet ad aliquid absq; prædicta inclinatione: non oportet, vt determinatio, & necessitas reperta in primo instanti respectu alicuius obiecti, duret in quouis instanti respectu eiusdem obiecti: quandoquidem in primo instanti expleta est illa inclinatio, & ordo, eisq, sufficienter satisfactū est. Sicut etiam idem reperitur propter prædictā rationem proportionabiliter applicatam, quoties id ducit ortum ex ordine, quem exigit voluntas in operando, priùs vt habet rationem naturæ, quā vt libera omninò, & ex ordine, quē exigit ad operandum priùs secundùm principia, & virtutes agendi datas à Deo quoad eam rationem, secundùm quam ab eo dantur, quàm secundùm id, quod habent ex se, id est, vt sunt prima causa deficiendi. Quare, cùm ex his capitibus proueniat determinatio, quam voluntas, vt eleuata, in eo instanti habet ad benè operandum, non est cur prædicta determinatio debeat extendi ad hoc, vt Angelus in quouis instanti benè operetur: nec benè deducetur, non dari in primo instanti prædictam determinationem, & necessitatem, si non datur in reliquis instantibus.

Impugnatur secūda. 60 Ad secundam verò confirmationem neganda est sequela, si intelligatur de debito, non qualitercumque non peccandi circa finem supernaturalem per se primò, & directè, sed nō peccandi circa illum (vt sic dicamus) contrariè, id est exequendo id, quod per præceptum supernaturale ei præcipitur, atque adeò eliciendo supernaturalem actum cōtrariè oppositum peccato versanti circa eūdem finem supernaturalem: quoniam ad debitum non peccandi sic, desideratur, quòd eidem naturæ Angelicæ secundùm se sumptæ debeantur dona supernaturalia, quæ tamen, vt constat, nequeunt ipsi sic acceptæ esse debita. Cęterùm concedenda est eadem sequela, si intelligatur præcisè de debito nō peccādi in prædicto instanti circa finem supernaturalem. Ex eo quòd, licèt non sit ei debitū apponere actum oppositum prædicto peccato, attamen debetur ei non peccare. Hunc tamen non fit, deberi illi aliquid supernaturale, sed solùm esse illi debitum, quòd non apponat aliquid naturale, nempe actum peccandi, qui licèt sit circa finem supernaturalem, nihilominùs est naturalis: & consequenter hinc solùm sequitur, esse debitum illi, quòd Deus non præbeat aliquem concursum ordinis naturalis, adhuc permissiuum, prædicti peccati: in quo quidem nullum apparet inconueniens, imò id videtur necessariò dicendum: siquidem (vt ex dictis constat) Angelus in eo instanti est omninò incapax delinquendi circa finem supernaturalem, sicut & in quouis instanti nequit peccare per se primò, & directè circa finem naturalem, vt loco citato explicuimus. Per quę ad probationē falsitatis consequētis in eadem confirmatione adductā satis liquet.

§. VIII. *Opposita sententia cum suis fundamentis, & enodationibus eorum.*

Opposita sententia. *Scotus. Gregor.* 61 CONtrariam tamen sententiam, nempe, Angelum in primo instanti sui *esse* potuisse delinquere, tuentur Scotus in 2. distinct. 5. quæst. 2. §. *Respondeo primò*, & sequentibus, & in 3. distinct. 18. quæst. 1. ad 4. Gregorius in 2. in eadem distinctione 5. quæst.

Maior. quęſt. 1. artic. 2. Maior quæſt. 3. concluſione
Baſolis. 2. Baſolis quæſt. 1. artic. 2. Gabriel diſtinct.
Gabriel. 4. quæſt. 1. artic. 3. dubio 1. Marſilius quæſt.
Marſil. 3. artic. 2. in concluſione reſponſali, OKam
OKam. quodlibeto 2. quęſt. 6. Palacios in 2. diſt.
Palacios. 5. ad finem, Henricus quodlibeto 8. quæſt.
Henricus 10. Molina in præſenti, Valentia quæſt. 14.
Molina. puncto 4. Vazquez diſput. 236. cap. 3. Be-
Valentia. canus loco citato, Suarez lib. 7. de malis An-
Vazquez gelis cap. 20. num. 47. quatenus inquit, ab-
Becanus. ſolutè loquendo non eſſe impoſsibile, An-
Suarez. gelum peccare in primo inſtanti creationis, vtique in ſenſu diuiſo, & de abſoluta potentia Dei, id eſt, non ſuppoſita aliqua ſpeciali prouidētia, & manutenētia ipſius Dei. Et licèt fundamenta huius ſententiæ, quę ſuperſunt vltra illa quę inter proponendam, & enucleandam rationem D. Thomę adducta ſunt, poſsint facilè ex dictis diſſolui: nihilominùs maioris claritatis gratia placuit ea expreſſè adducere, & enodare.

Primũ fundamentum Probatur ergo primò prædicta ſententia. Quoniam Angelus in primo inſtanti habuit omnia, quę requiruntur, tam ex parte intellectus, quā voluntatis ad hoc, vt ſi vellet, tunc peccaret: ergo potuit in eo inſtanti peccare. Antecedens probatur: Quoniam Angelus à primo inſtanti ſuæ creationis habuit perfectum vſum rationis, quippe qui ſine diſcurſu, & dependentia à ſenſibus intelligit, & ita ex parte intellectus nihil ei defuit, quominùs ſi vellet, tunc peccaret. Et ſimiliter nec ex parte voluntatis: quia hoc ipſo, quòd in eo inſtanti habuerit perfectum vſum rationis, habuit etiam perfectam libertatem, quā inter bonũ, & malũ, vt ſibi libuiſſet, eligeret.

Confirm. 1. Confirmatur primò. Quoniam in Angelo in eo inſtanti fuit potentia peccandi: ergo potuit peccare in illo. Antecedens patet: Quia Angelus in illo inſtanti fuit ex nihilo, & in illo, ſicut & reliquis non erat regula rectè operandi in ordine ſupernaturali: ergo in eodem inſtanti habuit potentiam peccandi, quæ ex his dumtaxat capitibus oritur.

Secundo. Confirmatur ſecundò. Quoniam Angelus in ſecundo inſtanti habuit libertatem ad peccandum, & ideò plures ex illis tunc peccarunt: ergo eadem ratione in primo inſtanti habuerunt eandem libertatem. Patet conſequentia. Quia ex parte eorum, quæ requiruntur ad actum primum, quale eſt libertas peccandi, quidquid Angelus habuit in ſecundo inſtanti, debuit habere in primo: maximè quando id pertinet ad intrinſecam, & indiuiſibilem entitatem ſuæ voluntatis, vt in libertate ad peccandum contingit: quandoquidem entitatem iſtam indiuiſibilem debuit omninò integram & perfectam in illo primo inſtanti habere.

62 Reſpondetur, negãdo antecedēs. Et ad **Fuerit fundamentum.** probationē patet ex dictis, Angelum nec ex parte intellectus, nec ex parte volũtatis habere in eo inſtãti, quidquid requiritur ad peccãdũ in eo, imò nec id poſſe habere: non quidē ex parte intellectus: quia debet peculiariter moueri à Deo per cogitationē ſpeciali ratione ab eo applicatiuè procedentē, ac proindè per cogitationē abſque aliquo defectu cogitationis practicæ, vt n. 19 dicebamus. Et ſimiliter nec ex parte volũtatis: tum, quia (vt n. 8. & deinceps aſſerebamus) volũtas Angeli, vt eleuata ad finē ſupernaturalē, eſt determinata de determinatione omninò neceſſaria quoad ſpecificationē, ad hoc vt in eo inſtanti moueatur à Deo ad actum ſupernaturalem amoris eiuſdem Dei ſuper omnia, cumquo in eo inſtanti nequit cohęrere peccatum: tum etiam propter alias rationes in fauorem rationis D. Thomæ adductas, & ex eadem illatas.

Ad primã confirmationē diſtinguendum eſt antecedēs: *In Angelo in primo inſtanti fuit potentia peccandi*, ſumpto ly *in primo inſtanti*, tam ex parte ſubiecti, quā & parte prædicati, negandũ eſt: ſumpto verò ly *in primo inſtanti*, ſolũ ex parte ſubiecti, tranſeat idē antecedēs: ſed negari debet conſequentia: quia adhoc, vt eſſet legitima, requirebatur, vt habuerit potētiam peccandi in primo inſtanti, ly *in primo inſtanti* tenēte ſe tā ex parte ſubiecti, quàm ex parte prædicati, ideſt, quòd in eo inſtãti fuerit in Angelo potētia ad peccandũ pro eodē inſtanti: cùm tamen in prædicto inſtanti non ſit in illo potētia peccandi, niſi ſumpto ly *in primo inſtanti* ex parte tantùm ſubiecti, ideſt, quòd in eo inſtanti fuit in Angelo potētia ad peccandũ, licèt nõ ad peccandũ pro eo inſtãti, ſed pro ſequenti. Nec probatio eiuſdē antecedētis oppoſitũ cõuincit. Quia ex hoc, quod Angelus ſit in primo inſtãti factus ex nihilo, ſolũ ſequitur, eũ poſſe in aliquo inſtanti peccare, non autē in primo, propter ſpeciales rationes in eo militātes, & à nobis iam explicatas. Sicut etiã ex hoc quòd in eo inſtanti Angelus nõ ſit ſua regula in ordine ad finē ſupernaturalē, non colligitur, illũ in eodē inſtanti poſſe delinquere: quia hoc ipſo quod ſit eleuatus ad eundē finem ſupernaturalē, debetur ei, formaliſsimè vt eleuato, quòd habeat ſibi cõgenitã regulã rationē actus amoris ſupernaturalis, & ſuper omnia eiuſdē finis ſupernaturalis, necnon rationē primæ cogitationis ſine aliquo defectu conſiderationis practicæ, ad quā debet tunc peculiariter à Deo applicari. **Ad primã confirmationem.**

Ad ſecundã confirmationē conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia. Et ad probationē dicēdũ eſt, ex ea ſolùm deduci, quòd quicquid requiritur ad peccandũ ex parte eorum, quæ pertinent ad intrinſecā entitatē volũtatis, habuit Angelus in primo inſtanti, nõ quidem vt reducibile ad actum in eo inſtanti, in quo non potuit habere cogitationem cum aliquo defectu conſiderationis practicę, **Ad ſecundam.**

ſed

sed vt reducibile ad actum pro secundo instanti, in quo sicut potuit esse in Angelo cogitatio cum defectu considerationis practicæ, sic per ordinem ad illud potuit in primo instanti esse in Angelo libertas ad peccandum.

Secundum fundamentum.

63 Secundò probatur eadem sententia. Quoniam negari non potest, quin Angelus habuerit in eo instanti libertatẽ quoad exercitium in ordine ad amandum super omnia Deum finem supernaturalem: ergo in eodem instanti potuit delinquere, saltem peccato omissionis. Antecedens est perspicuum, & communiter recipitur à Theologis: ex eo quòd amor supernaturalis Dei solùm est necessarius quoad exercitium in eis, qui Deum ipsum clarè vident, qualiter Angelus in primo instanti ipsum non vidit. Consequentia verò probatur. Nam in eo instanti vrgebat Angelum, maximè iuxta sententiam D. Thomæ, præceptum conuertendi se in Deum finem supernaturalẽ per amorẽ ipsius super omnia: ergo hoc ipso, quòd Angelus esset liber quoad exercitium respectu prędicti amoris, posset non elicere eundem amorem tunc sub præcepto cadentem, ac proinde posset omittendo illum peccare.

Confirmatio.

Confirmatur. Nã si Angelus in eo instanti non amaret, vt ei præceptũ erat, reuerà peccaret: ergo si potuit in prædicto instanti non amare, potuit vtique in eodem peccare.

Euadatur primo.

Respondetur, concedendo antecedens, & negando consequẽtiam. Et ad probationem transeat antecedens, & negetur consequẽtia. Quoniam Angelus in eo instanti tantùm fuit liber ad non amandum, prout non amare præcisè dicit puram negationem amoris, nõ verò prout dicit priuationem eiusdem amoris, ac proinde carentiam amoris debiti: quia libertas eius pro prędicto instanti respectu illius amoris fuit libertas præcisè contradictionis, non verò contrarietatis, aut versantis inter priuationem actus debiti, vt talem, & inter actum ipsum debitum. Constat autẽ, quòd ad hoc vt Angelus tunc peccaret, oportebat, eũ esse liberũ non sola libertate contradictionis, quæ versatur inter amorem, & purã negationem illius, sed quæ versaretur inter eundẽ amorem, & priuationem ipsius, vt debiti.

Secundo.

64 Secundò respondetur, siue magis explicatur præcedens solutio, quòd etsi tunc Angelus haberet præceptum amandi Deum super omnia, vt finem supernaturalem, habueritque libertatem ad amandum, & non amandum: nihilominùs non ideò sequitur, posse in eodem instanti peccare: quia licèt adhuc posito prædicto præcepto, potuerit in sensu diuiso non amare, non tamen in sensu composito. Cæterùm ad hoc vt posset in illo instanti peccare, requirebatur, vt posito tali præcepto, posset in sensu composito non amare, & non sufficit, quòd in sensu diuiso potuerit non habere actum amoris. Itaque, licèt Angelus, adhuc posito præcepto amandi, potuerit coniungere præcisè cum sua voluntate puram negationem amoris, non tamen posito eodem præcepto potest coniungere cum eadem voluntate, & cum prædicto præcepto carẽtiam amoris, & ideò nequit peccare: quia ad posse peccare non solùm requiritur, quòd adhuc posito præcepto possit coniungi omissio amandi præcisè cum voluntate, sed vlteriùs desideratur, quòd adhuc tunc possit coniungi cum eadem voluntate, & cum præcepto: vt ita omissio illa possit transire à pura negatione amoris, in qua nullum est peccatum, ad priuationem eiusdem amoris debiti, quæ nequit esse immunis à peccato.

Explicatur amplius.

Quæ omnia possunt explicari ex illis, quæ contingunt in Christo Domino, qui respectu actuum cadentium sub præcepto fuit liber quoad exercitium, vt communiter tradunt Theologi: & nihilominùs potuit omittere illos, prout omissio erat pura negatio actus oppositi, secùs verò prout erat priuatio prædicti actus, vt debiti: ac proinde, licèt adhuc positis prædictis præceptis, potuerit in sensu diuiso non apponere eosdẽ actus, non tamen in sensu cõposito. Et propterea in illo rectè cohæsit libertas quoad exercitium respectu eorundem actuũ cum impotentia ad peccandũ omittendo illos. Quomodo autẽ inter se cohæreant, adhuc posito præcepto amandi, potentia ad omissionẽ amoris, prout est pura negatio, absque eo quòd ibidem sit potentia ad illam, prout est priuatio amoris, vt debiti, ac proinde quomodo prædicta potentia sit quodammodò præcisiua in modo tendendi ad illam omissionem, attingendo vnam rationem eiusdẽ omissionis, non verò aliam: & similiter qua ratione, adhuc posito prędicto præcepto, sit in voluntate potentia ad coniungendam omissionem amoris, prout est pura negatio, cum eadem voluntate præcisè, absque eo, quòd sit potentia in ipsa ad cõiungendã prędictam omissionẽ, tam cum voluntate, quàm cum præcepto, non est huius loci explicare, idque satis constabit intuenti illa, quæ in 1.to mo tract. 4. disp. 10. à n. 84. vsq; ad n. 117. diximus, ad explicandũ, quomodo cum efficacia diuini decreti respectu actus amoris, per illud, & ex vi efficaciæ ipsius infallibiliter futuri, & quoad omnes circunstantias prædicti, hæc eadẽ inter se cohæreant, nã quoad illa eadẽ vtrobiq; ratio militat. Et deinde omnia illa amplius patebunt ex illis, quæ in 5.to mo, agẽtes de merito Christi Dñi, adijciemº

Ad confirmationem prior solutio.

65 Ad confirmationẽ respondetur, concedendo antecedens, & negando cõsequentiã, propter manifestum defectum transitus à sensu composito ad sensum diuisum, qui in ea cõmittitur. Nam in antecedenti fit sensus cõpositus, ex eo quòd actus, vel omissio actus re ipsa

reipsa exercita respiciunt omnes circunstantias, cum quibus occurrunt, & cum ipsis reipsa coniunguntur: in consequenti verò ex sensu diuiso, qualem reddit illa conditionalis prioris partis eiusdem consequentis, nempe, quòd si voluntas potest omittere, idest, si stante præcepto, potest coniungere omissionem cũ voluntate præcisè, deducitur alia pars eiusdem consequentis, nimirum, quòd possit peccare, quæ quidem reddit sensum compositũ, scilicet quòd possit coniungere omissionem cũ voluntate, & præcepto amoris tũc vrgente.

Alia eiusdẽ enodatio.

Adde, posse etiam maioris claritatis gratia distingui antecedens: *Si Angelus in eo instanti non amaret, vt ei præceptum erat, peccare*, sumpto *non amare*, vt præcisè est terminus libertatis contradictionis, quam tunc habet Angelus, negandum est: nam si secundùm hanc puram, & nudam rationem poneretur, nullum vtique secundùm illam sic sumptam esset peccatum. Cæterùm concedendum est antecedens, sumpto *non amare* secũdùm omnia, quæ secum affert, & omnes circunstantias tunc occurrẽtes, & cum quibus componitur. Et deinde neganda est consequentia. Quia ad hoc, vt saluetur, & Angelum posse omittere amorem, esseque liberum quoad exercitiũ in ordine ad amandum, satis est, quòd possit non amare, accepto *non amare*, prout præcisè est terminus habitudinis prædictæ libertatis, idest, secundùm quòd est pura negatio amoris: & quòd hæc sit talis conditionis, vt si sub hac pura & præcisa ratione poneretur, non ideircò ex vi illius præcisè committeretur peccatum. Et ita non benè in consequenti huius confirmationis infertur, quòd si voluntas potest omittere, & per consequens esse liberi libertate quoad exercitium, potest etiam peccare non amando: quia (vt iam innuimus) libertas pura quoad exercitium, si purè contradictionis est, habet vt sit libertas & facultas quodammodò præcisiua eorum, quæ in re coniuncta sunt, terendsque ad volendum illam omissionem amandi, prout per modum puræ negationis est terminus habitudinis prædictæ libertatis ad ipsam: cùm tamen potentia peccandi non ita præscindat, vt iam tetigimus. Cæterùm licèt hunc plures, & satis difficiles ebullire videantur obiectiones: nihilominùs ab eis proponendis, & dissoluendis consultò abstinemus: quia omnia hæc satis constant ex illis, quæ loco nuper citato, per totam illã disputationem 10. præcipuè verò numeris modò relatis adduximus: cum quibus etiam videri possunt illa, quæ in eodem 1. tomo tract. 3. disp. 7. à n. 13. vsque ad n. 26. diximus.

Vltimũ fũdamentum.

66 Tandem probatur eadem sententia. Quoniam Angelus in primo instanti suæ *esse* habuit actum dilectionis supernaturalis meritorium vitæ æternæ, vt ex dictis constat: ergo in eodem instanti potuit peccare. Patet consequentia. Quia quicumque non est confirmatus in gratia, potest in eo instanti peccare, in quo est ei possibile mereri. Constat autem, Angelum in primo instanti non fuisse confirmatum in gratia, alioqui in secundo non peccasset.

Confirmatur primò. Quoniam plus requiritur ad merendum, quàm ad demerendum: ex eo quòd mereri, est bonum quoddam, & non qualecumque, sed perfectum; demereri autem est malum, & plus requiritur ad bonum, quàm ad malum. Ergo si Angelus in eo instanti habuit sufficientem libertatem ad merendum, non est cur ei negetur libertas ad demerendum, ac proinde ad peccandum. Confirm. 1.

Confirmatur secundò. Quoniam ad meritum requiritur plenissima libertas: ex eo quòd est opus valdè perfectum: atque adeò hoc ipso, quòd sit liberum, debet esse valdè liberum. Ergo si Angelus in primo instanti habuit libertatem ad merendum, debuit etiam habere illam ad peccandum in eodem instanti: siquidem plenissima libertas dicit libertatem, tam ad merendum, quàm ad demerendum. Confirm.

67. Respondetur ex D. Thoma in præsenti, concedendo antecedens, & negando consequentiam, & ratio disparitatis traditur à S. Doctore. q. 16. de Malo, quæ est 1. de Dæmonibus art. 4. in solutione ad 20. vbi sic inquit: *Dicendum, quod alia est ratio de merito, & de peccato. Nam meritum procedit ex hoc, quòd mens rationalis creatura mouetur à Deo, qui à principio potest mouere, ad quòd voluerit: sed ad peccandum mouetur mens rationalis creatura à se ipsa, quæ non potest se mouere, nisi secundùm exigentiam naturalis ordinis*, idest illum, quem iam explicuimus, nempe, quòd prius debet explicare inclinationem naturalem in sua operatione, quàm indifferentiam ad peccandum, priusque debet operari per modum naturæ, & cum necessitate quoad specificationem, quàm per modum puræ libertatis. Respondetur ad fundamẽtũ primo. *D. Thom.*

Secundò respondetur cum D. Thoma in hoc articulo in solutione ad 3. vbi sic ait. *Dicendum, quòd quicquid est in merito, est à Deo: & ideo in primo instanti suæ creationis Angelus mereri potuit. Sed non est similis ratio de peccato, vt dictum est*: quia nimirum (vt in corpore articuli explicuit) peccatum non potest retorqueri in Deum, in quem tamen actio incipiens cum *esse* rei retorquenda est. Secundò.

68 Ad primam confirmationem respondetur, non requiri plus ex parte indifferẽtiæ voluntatis ad merẽdũ, quàm ad peccã dum Ad primam cõfirmationem.

dum. Quoniam ad merendum satis est libertas quoad exercitium: cum tamen ad peccandum requiratur ista, & insuper libertas quoad specificationem, siue libertas contrarietatis, quæ est inter bonum, & malum. Cæterùm cum hoc stat commune illud axioma, nempe, quòd plus requiritur ad bonũ, quàm ad malum: quatenus per hoc significetur, quòd ad bonum requiritur consensus debitus omnium circunstantiarum, licèt ad malũ sufficiat, quòd desit aliqua circunstantia debita, quãuis cætera alia reperiantur. Et propterea communiter dicitur: *Bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu.* Vtrùm autem hoc plus libertatis quoad specificationem, seu libertatis contrarietatis inter bonum, & malum dicat perfectionem mera rationem libertatis, an verò hæc maior extensio eiusdem libertatis sit potiùs defectus, & imperfectio illius? ex alibi dictis, & ex eo, quod in Christo Domino, & Deo contingit, facilè deduci potest.

Ad secundã cõfirmationem.

Ex quo ad secundam confirmationem respondetur, ad merendum requiri plenissimam libertatem præcisè contradictionis, & quæ supponat cogitationem, qua merens plenè cognoscat obiectum, circa quod operatur, & operationem, quam elicit, ac proinde quòd non semiplenè solummodò aduertat. Cæterum ad peccandum desideratur libertas contrarietatis, & non qualiscumque, sed quæ est inter bonum, & malum, quæ tamen in primo instanti dari nequit, vt explicatum est.

Additamẽtum.

Adde, quòd etsi Angelus in primo instanti meruerit præmium perfectum & plenum, non tamen perfecto, & (vt sic dicamus) pleno modo: quia licèt liberè illud meruerit, non tamen omninò mouendo se, sed peculiariter motus, siue applicatus à Deo ad eliciendum illum actum liberum. Ex hoc autem modo libertatis, & merendi non potest colligi, Angelum posse etiam demereri: siquidem Deus non potest speciali ratione applicare illum ad demerendum.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm aliqua mora fuerit inter creationem, & lapsum Angeli?

Quoli. 9. ar. 8. cor.

AD Sextum sic proceditur. Videtur, quòd aliqua mora fuerit inter creationem, & lapsum Angeli. Dicitur enim Ezechiel. 28. Ambulasti perfectus in vijs tuis a die cõceptionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te. Sed ambulatio, cùm sit motus cõtinuus, requirit aliquam moram. Ergo aliqua mora fuit inter creationẽ diaboli, & eius lapsum.

¶ 2 Præterea. Origenes † dicit, quod serpens antiquus non statim supra pectus, & ventrẽ suũ ambulauit. Per quod intelligitur eius peccatum. Ergo diabolus nõ statim post primum instans suæ creationis peccauit.

† Hom. 1 in 1 zechielẽ, aliquantulũ ante medium tom. 2.

¶ 3 Præterea. Posse peccare cõmune est homini, & Angelo. Fuit autem aliqua mora inter formationem hominis, & eius peccatũ. Ergo pari ratione fuit aliqua mora inter formationem diaboli, & eius peccatum.

¶ 4. Præterea. Aliud instans fuit, in quo diabolus peccauit, ab instãti, in quo creatus fuit. Sed inter quælibet duo instantia cadit tempus medium. Ergo aliqua mora fuit inter creationem eius, & lapsum.

SED contrà est, quod dicitur Ioannis 8. de diabolo, quod in veritate non stetit. Et sicut Augustinus * dicit 11. de Ciuitate Dei: Oportet, vt hoc sic accipiamus, quod in veritate fuerit, sed non permanserit.

† Lib. 11 de Ciuit. Dei c 15. parũm ante medium tom. 5.

RESPONDEO dicẽdum, quod circa hoc est duplex opinio. Sed probabilior, & Sanctorũ dictis magis consonans est, quod statim post primũ instãs suæ creationis diabolus peccauerit. Et hoc necesse est dicere, si ponatur, quod in primo instãti suæ creationis in actũ liberi arbitrij proruperit, &

cum

cum gratia fuerit creatus, vt ſuprà diximus. * Cùm enim Angeli per vnum actum meritorium ad beatitudinem perueniãt, vt ſuprà dictum eſt: ſi diabolus in primo inſtanti in gratia creatus meruit, ſtatim poſt primum inſtans beatitudinem accepiſſet, niſi ſtatim impedimentum præſtitiſſet peccando. Si verò ponatur, quòd Angelus in gratia creatus nõ fuerit, vel quod in primo inſtanti actum liberi arbitrij non potuerit habere: nihil prohibet aliquam moram fuiſſe inter creationem, & lapſum.

† Q. 62. ar. 3

Ad primum ergo dicendum, quòd per motus corporales, qui per tempus menſurantur, quandoque in ſacra Scriptura intelliguntur metaphoricè motus ſpirituales inſtantanei. Et ſic per ambulationem intelligitur motus liberi arbitrij tendentis in bonum.

Ad ſecũdùm dicendum, quòd Origenes dicit, quòd ſerpens antiquus nõ a principio, nec ſtatim ſupra pectus ambulauit, propter primum inſtans, in quo malus nõ fuit.

Ad tertium dicendum, quòd Angelus habet liberum arbitriũ inflexibile poſt electionem. Et ideò niſi ſtatim poſt primum inſtans, in quo naturalem motum habuit ad bonum, impedimentũ beatitudini præſtitiſſet, fuiſſet firmatus in bono. Sed non eſt ſimile de homine: & ideò ratio non ſequitur.

Ad quartum dicendum, quòd inter quælibet duo inſtantia eſſe tempus medium, habet veritatẽ, in quantum tempus eſt continuum, vt probatur in 6 Phyſicorum. Sed tamen in Angelis, qui non ſunt ſubiecti cœleſti motui, qui primô per tempus continuũ menſuratur, tẽpus accipitur pro ipſa ſucceſsione operationum intellectus, vel etiam affectus. Sic igitur inſtans primum in Angelis intelligitur reſpondere operationi mentis Angelicæ, qua ſe in ſe ipſam conuertit per veſpertinam cognitionem: quia in primo die commemoratur veſpere, ſed non mane: & hæc quidem operatio in omnibus bona fuit. Sed ab hac operatione quidam per matutinã cognitionem ad laudẽ Verbi ſunt conuerſi: quidam verò in ſe ipſis remanentes facti ſunt nox, per ſuperbiam intumeſcentes, vt Auguſtinus * dicit 4. ſuper Geneſ. ad litteram. Et ſic prima operatio fuit omnibus communis. Sed in ſecunda ſunt diſtincti. Et ideò in primo inſtanti omnes fuerunt boni, ſed in ſecundo fuerunt boni à malis diſtincti.

† Lib 6 Phyſic. text 2. & ſequentibus tom. 2.

† Lib 4. c. 24 in fine habetur in ſenſu to. 3.

Concluſio.

Probabilior, & Sanctorum dictis magis conſona eſt opinio, quod ſtatim diabolus poſt primum inſtans ſuæ creationis peccauerit.

DISPVTATIO XII.

An fuerit aliqua mora inter primum inſtans creationis Angeli, & eius lapſum? necnon & quanta fuerit mora totius viæ Angelicæ?

QVIA D. Thomas in corpore huius articuli explicat, an fuerit aliqua mora inter lapſum Angeli, & eius creationem, & in ſolutione ad 3. inquit, quòd ſi diabolus ſtatim poſt primum inſtans, in quo naturalem motum habuit ad bonum, impedimentum beatitudinis non poſuiſſet, fuiſſet firmatus in bono, & tota mora viæ Angelicę in his virtualiter ſaltem includitur: idcircò diſputationem iſtam ad omnia hæc explicãda inſtituimus. Nomine autem *viæ*, non intelligimus puram viam, tam Angelorum malorum, quàm bonorum, abſque ſuo termino, nempe beatitudine, vel damnatione; ſed eandem aliquo ex his terminis terminatam. Et ita quoad viam Angelicam, ſenſus diſputationis eſt de mora conſumpta ab Angelis à primo inſtanti ſuæ creationis vſque ad illud inſtans incluſiuè, in quo vel ſaluati, vel damnati ſunt, quodque eſt terminus, ſiue intrinſecus, vt putat Caietanus, & alij (de quo infrà) ſiue extrinſecus eiuſdem viæ: ex eo quòd, cùm hoc aduenit, tunc iam non eſt via Angelorum, licèt immediatè anteà fuerit, vt in ſequentibus dicemus.

Caiet.

(2.)

DVBIVM I.

Vtrùm Angelus malus ſtatim poſt primum inſtans lapſus fuerit? & an bonus ſtatim poſt idem inſtans omninò deliberatè ſe, & omnia ſua in Deum finem ſupernaturalem retulerit?

1 QVIA Angelicus Præceptor in corpore huius articuli primo loco, vt modò dicebamus, explicat an Angelus immediatè poſt primum inſtans lapſus fuerit: ideò nos primo loco de hoc inquirimus. Cui etiam in titulo addidimus, an immediatè poſt idem inſtans Angeli boni omninò deliberatè ſe, & omnia ſua in Deum finem ſupernaturalem retulerint: quia connexio doctrinę id exposcere videbatur: & propterea D. Thomas in ſolutione ad 3. hoc idem tangit. *D. Thom.*

Vt autem titulus melius intelligatur, notandum eſt, hoc eſſe diſcrimen inter inſtans noſtri temporis, & inſtans Angelicum, quòd inſtans noſtri temporis eſt, tam formaliter, quàm virtualiter indiuiſibile: & propterea nequit coexiſtere adæquatè alicui parti noſtri temporis, ita vt tandiu duret, & perſeueret, quandiu prædicta pars. At inſtans Angelicum eſt formaliter indiuiſibile, poteſt tamen eſſe virtualiter diuiſibile, ac proinde tandiu durare, quãdiu aliqua pars noſtri

Animaduerſio pro intelligẽtia tituli.

noſtri temporis: licèt non neceſſariò id habeat. Et propterea operatio Angelica poteſt aliquando, prout Angelo libuerit, durare per correſpondentiam ad partem noſtri temporis, vel præcisè per correſpondẽtiam ad vnicum tantummodò inſtans indiuiſibile eiuſdem temporis. Titulus ergo intelligitur de inſtanti Angelico, vt præcisè coexiſtit inſtãti noſtri temporis: & ita ſenſus illius eſt, an præcisè per correſpondentiam ad vnicũ tantummodò inſtans noſtri temporis, Angelus malus fuerit ingratia, Deũque authorem ſupernaturalem dilexerit: ac proinde gratia, & dilectio prædicta tantùm menſuratè fuerint per vnicum inſtans Angelicum tam formaliter, quàm virtualiter indiuiſibile, & ſtatim poſt illud lapſus fuerit? Sicut etiam de Angelis bonis inquirimus, an ſtatim poſt prædictũ inſtans ſic ſumptum, omninò delibetarè ſe, & omniá ſua in Deum, vt finem ſupernaturalem, retulerint?

Ratio autem, propter quam dubium hoc de primo inſtanti Angelico ſic ſumpto excitamus, eſt: tum quia (vt ſtatim dicemus) D. Thomas in eodem ſenſu illud excitat: tum etiam, quia ſi loquamur de inſtanti Angelico ſecũdùm ſe, & ſiue coexiſtat tempori, vel vnico tãtùm inſtãti noſtro, ferè nulla quoad hoc eſt difficultas: ſiquidem ſuppoſitis ijs, quæ ſuprà diximus, & vt ex iam dicendis amplius patebit, planum eſt, Angelum malum poſt primum inſtans ſic ſumptum deliquiſſe: ſiquidem certum eſt ex iam dictis, quòd immediatè poſt primum inſtans vrgebat illum præceptum non diligendi ſuam beatitudinẽ naturalem abſque debita menſura, & hoc præceptum fuiſſe ab illo violatum.

§. I. *Aſſertio prior.*

Prima concluſio.

2 DIcendum ergo eſt primò Angelum lapſum fuiſſe poſt primum inſtans, ſumpto inſtanti per correſpondentiam ad vnicum tantummodò inſtans indiuiſibile noſtri temporis: ac proinde per vnicum tãtùm inſtans Angelicum, tam formaliter, quàm virtualiter indiuiſibile, fuiſſe ingratia & ſub dilectione ſuper omnia Dei authoris ſupernaturalis. Aſſertio hęc videtur deſumi ex illo 1. Ioãnis 3. *Ab initio diabolus peccat*: hæc enim verba meliùs, ac magis propriè verificantur, ſi initium ſui *eſſe* fuit initium, non quidẽ intrinſecum, ſed extrinſecum ſui peccati. Hoc autem optimè verificatur, ſi tantùm per correſpondentiam ad vnicum inſtans noſtri tẽporis fuit in gratia ſanctificãte, in qua eſt creatus: quia tunc primum *eſſe* Angelicum, & gratiæ ipſius eſſet aliquomodo vltimũ *non eſſe*, atque adeò initiatiuum extrinſecum ſui peccati: & ita in eo verificaretur, quòd tunc non eſt prædictum peccatum, erit tamẽ immediatè poſt,

1. Ioan. 3.

Idem etiam inſinuat Iſidorus de Summo bono cap. 22. ſententia 17. vbi ait, quòd diabolus, mox vt factus, in ſuperbiam erupit, & ſtatim vt factus eſt cecidit: non autem tam ſtatim ſuperbijſſet, aut cecidiſſet, ſi perduraſſet amplius, quàm per inſtans noſtri temporis. Et tandem prædicta aſſertio eſt magis cõſona Sanctorum Patrum dictis, vt teſtatur D. Thomas in hoc articulo his verbis: *Reſpondeo dicendum, quòd circa hoc eſt duplex opinio, ſed probabilior, & Sanctorum dictis magis conſonans eſt, quòd ſtatim poſt primum inſtãs ſuæ creationis diabolus peccauerit. Et hoc neceſſe eſt dicere, ſi ponatur, quòd in primo inſtanti ſuæ creationis in actum liberi arbitrij proruperit, & cum gratia fuerit creatus, vt ſuprà diximus.* In quibus verbis expendendum eſt id, quod ad rẽ hanc maximè facit, Angelicum Præceptorem data opera non dixiſſe, quòd ſtatim poſt primũ inſtans abſolutè & ſimpliciter diabolus peccauerit, ſed quòd ſtatim poſt primũ inſtãs ſuę creationis peccauerit. Nã per priora verba nõ denotabatur, quod ſtatim poſt primũ inſtans in correſpondentia ad inſtans tantummodò noſtri temporis deliquerit: ſiquidem inter inſtantia Angelica dantur plura, quæ coexiſtant non ſolũ inſtãti noſtri tẽporis, ſed etiãtempori ipſi: ex eo quod (vt modò dicebamus) prædicta inſtãtia ſũt virtualiter diuiſibilia, & ideo per hoc, quòd dicatur, Angelum ſtatim poſt primum inſtans deliquiſſe, non ideo colligitur, quòd per correſpondentiam ad vnicum tantùm inſtãs noſtri temporis fuerit in gratia, & immediatè poſt deliquerit. Cæterum per poſteriora verba, nimirum, quòd ſtatim poſt primum inſtans ſuæ creationis diabolus peccauerit, optimè deducitur, ipſum ſolùm per correſpondentiam ad prædictum inſtans noſtri temporis in gratia, cumqua creatus eſt, ſtetiſſe, & immediatè pòſt cecidiſſe: quia creatio Angeli ſub ratione & denominatione creationis tantùm durat correſpondenter ad vnicum inſtans noſtri temporis, atque adeo per inſtans tam formaliter, quàm virtualiter indiuiſibile: & ita immediate poſt primum inſtans Angelus non dicitur creari, ſed conſeruari.

D. Thom.

Elucidatur amplius mens D. Thomę.

3 Poteſtque hæc eadem Angelici Doctoris, ac proinde aliorum Patrum mens magis declarari ex eo, quod S. Doctor non ſumit in præſenti creationem, vt eſt idem reipſa cum conſeruatione, eſtque eadem continuata productio Angeli ex nihilo: alioqui enim non dixiſſet, quòd poſt primum inſtans ſuæ creationis ſtatim diabolus peccauit: quoniam inſtans intrinſecum creationis ſic ſumptæ tandiu durat, quandiu eſſe Angelicum conſeruatur, quippe quæ mẽſurãtur per vnicũ & idẽ æuũ: et ideò poſt hoc inſtãs intrinſecũ, ſiue æuũ nõ potuit Angelus ſuperbire: quia idẽ eſſet

esset dicere, quòd post prædictum æuum superbiret, ac dicere, quòd postquam non esset, superbisset. Quare cùm S. Doctor dixit, esse magis consonum dictis Sanctorum, quòd Angelus post primum instans suæ creationis statim peccauit, sumit creationem, vt est sub ratione & denominatione creationis: ac proinde prout dicit nouitatem essendi, & ratione alicuius connotati tunc impertati quodammodò distinguitur à conseruatione, vt N. Cõplutenses in lib. Physicorum disput 21. num. 24. & 25. benè explicant. Certum est autem, creationem Angeli sic sumptam tantùm durare per correspondentiam ad vnicum & ideò indiuisibile instans nostri tẽporis, & per vnicum dumtaxat instans intrinsecum & Angelicum, quod tam formaliter, quàm virtualiter sit indiuisibile.

Compl.

Effugiũ aduersariorũ.

4 Nec refert, si obtentas, quòd ad hoc vt saluetur, diabolum statim post primum instans suæ creationis peccasse, non est necesse, vt in instanti immediatè sequenti, metaphysicè loquendo, deliquerit; sed satis est, quòd statim moraliter peccauerit. Quia id, quod parùm distat à prædicto instanti, dicitur statim post illud moraliter esse: ex eo quòd iuxta commune axioma, *Parum* (atque adeò exigua illa mora) *pro nihilo reputatur.*

Præcluditur.

D. Thom.

Non itaque hoc refert. Quia D. Thomas rem hanc non morali, sed metaphysico modo pertractat, sicut & alia, de quibus in hoc articulo agit, pertinentia ad moram Angelicæ viæ, vt ex rationibus S. Doctoris statim expendendis patebit. Et propterea, dum S. Doctor explicat moram viæ Angelicæ, non morali, sed metaphysico modo de illa agit, assignans ei duo, vel tria instantia, vt iam dicemus. Et in solutione ad secundum explicãs dictum illud Origenis, nempe, quòd *serpens antiquus non statim supra pectus, & ventrem suum ambulauit*, inquit, quòd *serpens antiquus non à principio, nec statim supra pectus ambulauit, propter primum instans, in quo malus non fuit*: atque adeò solùm tribuit illi, quòd in primo instãti, nimirum suæ creationis, non deliquerit: & per consequens, quod in eo instanti non incepit intrinsecè peccatum, benè tamen extrinsecè, quatenus tunc verificabatur, quòd in eo instanti non erat, secùs tamen immediatè post illud.

Dilucidatur confutatio.

5 Adde, quòd D. Thomas in corpore articuli constituit discrimen inter Angelum, si ponatur, quòd in primo instanti suæ creationis in actum liberi arbitrij prorũperit, & cum gratia fuerit creatus, iuxta ea, quæ idem S. Doctor suprà dixerat: & inter eundem Angelum, si ponatur, quòd in gratia creatus non fuerit, vel quòd in primo instanti actum liberi arbitrij non potuerit habere: nam in primo euentu non est admittenda aliqua mora inter instans creationis diaboli, & eius lapsum, benè tamen inter illud eo. Constat autem, in hoc secundo euentu moram illam non excludere, quin Angelus statim moraliter post primum instans suæ creationis lapsus fuerit: siquidem prædicta mora adhuc tunc fuisset satis breuis, & modica, vt communiter docent Theologi, & colligitur ex eodem Angelico Præceptore q. præcedenti art. 4. & 5. ac proinde, ad hoc vt fuerit discrimen istud à D. Thoma adductum, oportet, vt cùm inquit, quòd statim post primum instans suæ creationis diabolus peccauit, si ponatur, quod in primo instanti suæ creationis in actum liberi arbitrij prorũperit, & in gratia creatus fuerit, debeat intelligi, quòd non solum statim moraliter, sed statim metaphysicè post prædictum instans, peccauerit, nullaque ibi mora, quantumuis modica, inter prædictum instans, & diaboli lapsum intercesserit.

Ang. Præceptor.

Ratio fundamentalis desũpta ex D. Thoma.

6 Rationem autem fundamentalem huius assertionis adduxit D. Thomas in hoc articulo, vbi postquam docuit, assertionem nostram esse probabiliorem, & Sanctorum dictis magis consonam, sic ait. *Et hoc necesse est dicere, si ponatur, quòd in primo instanti suæ creationis in actum liberi arbitrij prorũperit, & cũ gratia fuerit creatus, vt suprà diximus. Cùm enim Angeli per vnum actum meritoriũ ad beatitudinem perueniant, vt suprà dictum est: si diabolus in primo instanti in gratia creatus meruit, statim post primũ instans beatitudinem accepisset, nisi statim impedimentum præstitisset peccando.*

Cõfirmatur & aperitur vis huius rationis.

D. Thom.

Confirmatur, & explicatur vis huius rationis. Quoniam Angelus per vnum actum meritorium plenè liberum, ideſt, tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem, seu in quo non agit vt motus peculiari ratione à Deo, sed vt mouens se ipsum, peruenit ad beatitudinem, vt D. Thomas quæst. 62. art. 5. docet, & nos in sequenti dubio explicabimus. Sed si diabolus post primum instans suæ creationis non statim peccauit, sed dilexit Deum finem supernaturalem, sicut in primo instanti creationis illum dilexit, tunc elicuisset prædictum actum meritorium: ergo per illum peruenisset ad beatitudinem: ergo cùm planum sit, illum nec peruenisse ad beatitudinem, nec prædictum actum meritorium exercuisse, oportebit, vt post primum instans suæ creationis, statim peccauerit.

Vtraque consequentia videtur perspicua. Minor autem probatur. Quoniam si diabolus immediatè post primum instans non peccasset, sed per aliquam, quantumuis breuem, moralem dilexisset Deum authorem supernaturalem, sicut in primo instanti suæ creationis per correspondentiam ad instans tantummodò nostri temporis eum dilexerat, tunc per totam illam moralem ita dilexisset illum, vt non solùm posset nõ diligere, prout non

non dilectio eſt pura negatio dilectionis, ſed etiam prout eſt priuatio amoris debiti, nec non & debitæ menſuræ ſeruandæ in appetitione propriæ excellentiæ beatitudinis naturalis, quã tunc diligebat: quia cùm perſiſtentia in illa dilectione nõ incipiat cum *eſſe* rei, ſed ſupponat inſtans creationis, non eſt cur Angelus ita perſiſtat in illo amore, vt non poſsit peccare omittendo illum, aut diligendo propriam excellentiam naturalem abſque iſta menſura: ſiquidem ratio, propter quam in primo inſtanti ſuæ creationis, ideſt correſpõdenter præcisè ad inſtans noſtri temporis, hoc ei denegatur, eſt, ne illud peccatum, quippe commiſſum in prædicto inſtanti, retorqueatur in authorem naturæ. Ergo ſi Angelus poſt primum inſtans ſuæ creationis non peccauit, ſed perſeuerauit in dilectione Dei authoris ſupernaturalis, elicuiſſet actum meritorium omninò liberum, tam quoad exercitium, quàm quoad ſpecificationem, ac proinde in quo non ageret vt motus peculiari ratione à Deo: quia quoties voluntas agit omninò liberè, ideſt, tam quoad exercitium, quã quoad ſpecificationem, non mouetur ſpeciali ratione à Deo, vt ex dictis diſputatione præcedenti conſtat.

Confirm. 2. D. Thom.

7 Confirmatur ſecundò ratione eiuſdẽ S. Doctoris in hoc articulo in ſolutione ad 3. vbi cùm ſibi ſic oppoſuiſſet: *Poſſe peccare, commune eſt homini, & Angelo. Fuit autem aliqua mora inter formationẽ hominis, & eius peccatum. Ergo pari ratione fuit aliqua mora inter formationem diaboli, & eius peccatum.* Reſpondet, & ſimul tradit confirmationem noſtræ aſſertionis in hæc verba: *Dicendum, quòd Angelus habet liberum arbitrium inflexibile poſt electionem. Et ideò niſi ſtatim poſt primum inſtans, in quo naturalem motum habuit ad bonum, impedimentũ beatitudini præſtitiſſet, fuiſſet firmatus in bono. Sed non eſt ſimile de homine: & ideò ratio non ſequitur.*

Elucidatur magis præcedens confirmatio.

Quæ confirmatio poteſt ſub hac forma magis declarari. Nam ſi diabolus poſt primũ inſtans ſuæ creationis iam dictum non peccaſſet, ſed per aliquam breuẽ morulam poſt illud dilexiſſet Deum, vt finem ſupernaturalem ſicut in prædicto inſtanti ſuæ creationis illum dilexerat, tũc amor iſte eſſet ex electione, quatenus per breuem illam moram duraret: ſiquidẽ Angelus ſemel motus à Deo ſpeciali motione ad diligendum ipſum authorẽ ſupernaturalem pro primo inſtanti ſuæ creationis, & in correſpondentia ad vnicum inſtans noſtri temporis, poſteà pro ſua libertate elegit omninò liberè permanere in eo actu dilectionis per breuem illam morulam: ex eo quòd poſſet per prædictam morulam in eo non permanere, ſed ſtatim poſt primum inſtans ſuæ creationis à prædicto actu ceſſare, & ceſſando delinquere. Ergo eo ipſo diabolus redderetur inflexibilis ab eodem amore, & per conſequens impeccabilis: quippe cùm hæc ſit propria conditio naturæ Angelicæ, vt reddatur inflexibilis à bono, vel malo per illum actum, quem omninò liberè, & ex electione elicit. Quare, cùm hæc inflexibilitas non ſit diabolo concedenda, nec illi debet concedi id, ex quo prædicta inflexibilitas deducitur, nempe, quòd poſt primum inſtãs ſuæ creationis non ſtatim peccauerit. Vnde, vt benè animaduertit D. Thomas in hac ſolutione ad 3. dicẽt primo homini concedatur perſiſtentia ingratia per aliquam moram poſt inſtans ſuæ creationis, quia etſi perdurauerit in amore ſupernaturali Dei, non temen dicitcò ſic amando cum hac duratione, & mora illum, redditur homo impeccabilis, ſecùs tamen prædicta perſiſtentia, & morula in gratia eſt diabolo concedenda, quia modo alibi infinuato per illum actum ſic continuatum redderetur inflexibilis in bono. *D. Thom*

Solutio huius rationis D. Thom.

8 Nec obeſt, ſi occurras huic rationi D. Thomæ, & eius confirmationibus, non ſequi ex illis, quòd hoc ipſo quòd diabolus ſtatim poſt primum inſtans ſuæ creationis non peccauerit, ſed in amore ſupernaturali per aliquam breuem morulam perſtiterit, tunc in illa morula dilexiſſet Deum omninò liberè, ideſt, tam quoad exercitium, quàm quoad ſpecificationem, vel omninò mouendo ſeipſum, aut omninò ex electione, & per conſequens ita vt reddatur inflexibilis in illo amore: quoniam tam per inſtans ſuæ creationis, quam per breuem illam morulam mouetur à Deo ſpeciali ratione, & tanquam ab agente particulari: cuius oppoſitum requirebatur ad hoc, vt Angelus omninò liberè tam quoad exercitium, quàm quoad ſpecificationem eliceret prædictum actum per illam morulam, & omninò, ac ex omnimoda electione ſeipſum moueret.

Ratio autem, propter quã Angelus adhuc per illam morulã moueretur à Deo ſpeciali applicatione, poteſt reddi ex eo, quod Deus mouet Angelum hac ſpeciali ratione accommodatè ad ſuam naturam, & modo, quo ipſe ſeipſum moueret. Quare, cum modus accommodatus naturæ Angelicæ ſit, vt operatio illius non ſolùm ſit per correſpondentiam ad vnicum tantùm inſtans noſtri tẽporis, ſed etiam correſpondenter ad aliquam moram eiuſdem temporis: inde eſt, vt illa ſpecialis motio Dei non duraverit tantummodo per inſtans creationis Angelicæ, ſeu correſpondenter ad vnicum tantum modo inſtãs noſtri temporis, ſed vltrà ſe porrexerit correſpondendo ad illam morulam noſtri temporis ſtatim ſubſecutam: & ita per totam illam Angelus ſic motus, nec potuit peccare, nec ex omnimoda electione, & motione, qua ſe ipſum moueret, perſeuerauit in il-

in illo actu supernaturalis dilectionis.

Cõfutatur. Non itaque hoc obest. Nam in contrarium vrget, quòd ex communi omnium, vel ferè omnium Theologorum doctrina constat, quòd licèt instans Angelicum possit durare per correspondentiam, non solùm ad instans nostri temporis, sed etiam ad aliquam partem, & moram eiusdem temporis, non tamen id est necesse: quia potest Angelus pro sua libertate per vnicum tantummodò instãs nostri temporis elicere aliquem actum omninò indiuisibilem, & in tempore immediate sequenti ab eo cessare, vt ex ijs, quæ suprà

D. Thom. q. 10. D. Thomas, & cum eo Thomistæ docent, necnon & ex illis, quæ in hoc eodem dubio n. 25. dicemus, patebit. At est magis consonum naturæ Angelicæ, quòd illa motio specialis, qua à Deo mouetur in primo instanti suæ creationis ad dilectionem Dei supernaturalem, tantùm duret, non vtcumque, sed sub ratione specialis motionis, per correspondentiam præcisè ad aliquod instans nostri temporis, & per consequens pro primo instanti tantummodò creationis Angelicæ, ita vt pro sequenti morula Angelus omninò seipsum moueat, omninoque operetur ex electione. Ergo ita, & non aliter contigit.

9 Consequentia & maior satis constant. Minor autem probatur. Tum, quoniã specialis illa motio Dei tantùm desideratur ad hoc, vt completè constituatur Angelus in actu primo in ordine ad se mouendum ex omnimoda electione: ex eo quòd non nisi ex præcedenti volitione finis (quæ hoc ipso, quòd sit omnino prima, debet esse ab authore naturæ) potest se mouere ex prædicta electione, vt disputatione 9. dub. 3. num. 58. & disp. præcedenti n. 9. diximus. At ad hoc, vt Angelus maneat sufficienter constitutus in actu primo per primam volitionem sui finis, & motionem peculiarẽ Dei ad illam, satis est, quod per vnicum tantummodo instans nostri temporis duret illa motio considerata sub ratione specialis motionis Dei. Quoniam in Angelis, propter suam maiorem perfectionem, & excellentiorem modum operandi, sufficit vnicum tantummodò instans tam formaliter, quàm virtualiter indiuisibile ad hoc, vt possit statim in sequenti morula seipsum omninò mouere, & operari ex omnimoda electione, seque in bonum, vel malum flectere. Ergo est magis consonum naturæ Angelicæ, quòd prædicta motio sub ratione specialis motionis solùm duret per correspondentiam ad vnicum instans nostri temporis.

Tum etiam. Quia motio illa specialis, quatenus talis, ea etiam ratione desideratur, vt nimirum priùs explicetur inclinatio naturalis principiorum agendi ad rectè operandum, quàm indifferentia, quam habent ad deficiendum, priusque voluntas operetur, vt habet rationem naturæ, quàm vt habet rationẽ pleně, & omnimodę libertatis: quia applicare specialiter ad omnia hæc, pertinet peculiari ratione ad authorem naturæ, & principiorum agendi. At ad hoc, vt his muneribus satisfiat, planum est, sufficere vnicum dumtaxat instans nostri temporis. Ergo, &c.

Tum denique (id, quod ex præcedenti sequitur.) Quoniam prædicta motio, quatenus talis, requiritur, ne operatio defectuosa eliciatur à creatura intellectuali, & hæc retorqueatur in authorem naturæ, & principiorum agendi. Cõstat autem, quòd ad hoc, vt operatio defectuosa non tribuatur prædicto authori, satis est, quod illa actio non incipiat cum *esse* rei. & in instanti suæ productionis: ac proinde quod motio peculiariter data ad euitandam hanc operationem defectuosam, & eliciendam actionem rectam, duret tantummodo per prædictum instans. Ergo hoc erit magis consonum naturæ Angelicæ, & modo mouendi illam, imo oppositum nõ erit satis consonum prædictæ naturæ: siquidẽ illa ob prædictos dumtaxat fines exigit hanc specialem motionem Dei, vt talem: & ita nõ petit illam sub ratione specialis motionis, nisi quantum satis sit ad hoc, vt mediante illa satisfiat prædictis muneribus, & deinde Angelus seipsum omninò moueat, & ex omnimoda electione operetur: ac tandem, vt omninò intra suam lineam dominus suæ operationis applicet se ad volendum, quod sibi placuerit, absque indigentia specialis motionis Dei sub conceptu talis, & solùm cum dependentia à motione vniuersali illius.

§. II. *Obiectio triplex contra dicta propriori assertione, & earum solutiones.*

Obiectio cõtra assertionem. *Nazarius Suarez. Gregor. Gabriel. Altisiod. Ezech. 28*

10 NEc refert, si cum Nazario in præsenti controuersia vnica, §. *dico quintò*, cum Suarez lib 7. de Malis Angelis c. 21 necnon ex Gregorio, & Gabriele in 2. dist. 5. art. 3. dubio 2. & Altisiodorense lib. 2. summæ tractatu 2. c. 4. & alijs obijcias primò, non videri assertionem hanc consonam verbis Ezechielis 28. vbi dicitur: *Posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te* Quæ verba ferè singula non morã instantis nostri temporis solummodo, sed durationem alicui satis notabili nostri temporis latitudini respondentem significant. Nam in primis verbum illud, *ambulasti*, denotat operationem mensuratam duratione coexistente tempori nostro, non autem soli instanti prorsus indiuisibili, sicut & ambulatio nostra non instanti, sed tempore mensuratur.

Deinde particula illa, *in vijs tuis*, hoc ipsum

ſum confirmat: pluralitas enim viarum longitudinem durationis ſignificat in operando, cui non inſtans, ſed quædam temporis latitudo reſpondet. Denique illa vltima verba videlicet, *à die conditionis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas in te*, ſatis apertè declarant, Luciferum exiſtẽtem in Empyreo perfectum in bonis operibus ſtetiſſe, non in primo ſolùm creationis exordio, ſed etiam in aliqua poſteriori (modo noſtro intelligendi) latitudine alicui noſtri temporis parti reſpondente. Nõ enim dicitur, *in die*, ſed *à die conditionis*, vt de notetur, vltra conditionem, & inſtans illius, ampliùs in vijs ſuis perfectum ambulaſſe. Quod etiam explicat id quod additur, nimirum, *donec inuenta eſt iniquitas in te*: per quæ verba ſignificatur, quòd inter diem cõditionis, & hoc, quod eſt inuentã eſſe iniquitatẽ in Lucifero, mediaſſe aliquam moram, in qua perfectus in vijs ſuis ambulauerit.

Confirmatio. Confirmatur. Nam Angeli creati ſunt primo die, vt patet ex dictis q. 61. Sed in ſexto die adhuc in gratia permanebant. Ergo non tantùm durarunt in illa per vnicum inſtans. Minor probatur. Nam in ſexta die dicitur, *Geneſ. 1.* quòd *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.*

Diluitur obiectio ex D. Thoma, 11 Reſpondetur ex D. Thoma in hoc articulo in ſolutione ad 1. Nam cũ ſibi hoc idem teſtimonium Ezechielis oppoſuiſſet, reſpondet in hæc verba: *Dicendum, quòd per motus corporales, qui per tempus mẽſurantur, quandoque in ſacra Scriptura intelliguntur metaphoricè motus ſpirituales inſtãtanei. Et ſic per ambulationem intelligitur motus liberi arbitrij tendẽtis in bonum.* Vnde per hoc, quòd dicatur, Luciferum in vijs ſuis perfectũ ambulaſſe, ſolùm denotatur pluralitas actuum inter ſe ſubordinatorum, quos in illo inſtanti habuit, non verò quòd in correſpondentia ad aliquam temporis morulam in gratia perſeuerauerit. Sicut etiam ad ſaluãdum, quòd à die conditionis vſque dum inuenta eſt iniquitas in illo, fuit perfectus in eiſdem vijs, ſatis eſt, quod per vnicum dumtaxat inſtans noſtri temporis hoc habuerit: ſiquidem planum eſt, nullam eſſe implicationem in hoc, quòd Lucifer præciſe per inſtans ſuæ cõditionis, & per correſpondentiam ad vnicũ tantùm inſtans noſtri temporis perſeuerauerit in gratia, & perfectione viarum ſuarum & ſtatim peccaret. Tunc autem verificaretur de illo, ambulaſſe perfectum in ſuis vijs à die conditionis ſuæ, donec inuenta fuit iniquitas in illo, vt ex ſe patet.

Soluitur cõfirmatio. Ad confirmationem reſpondetur, negando minorem. Et ad probationem dicendum eſt, tum ſenſum illius teſtimonij eſſe, quòd omnia opera Dei in illo ſexto die erant valdè bona, vt procedebant à Deo: ſic enim in- *Eccleſ. 39.* telligitur modò illud Eccleſiaſtici 39. *Opera Domini vniuerſa bona valdè*, ſcilicet quatenus ſunt à Deo, quãuis ex malitia voluntatis creatæ ſint deprauata: tum etiam prædictum teſtimoniũ intelligi de operibus, quæ ibi proprio nomine referuntur à Deo creata: at verò Angeli ſub proprio nomine non exprimuntur in Geneſi à Deo creati, vt ſupra q. 61. dicitur.

Secũda obiectio. 12 Nec etiam obeſt, ſi ſecundò obijcias ex Suarez loco citato, quod magis naturale eſt cuique intellectui, & voluntati creatę permanere aliquantulum in actu liberè elicito & indiuiſibili, quàm ſubitò actum perfectum facere, & ſtatim illum relinquere, vel immediate poſt idem inſtans indiuiſibile ad alium tranſire: nam hoc & difficillimum apparet, & nimiam imperfectionem, ac mutabilitatem indicat: ergo veroſimilius eſt, Angelum non fuiſſe illo modo mutatum ab actibus, quos in primo inſtanti habuit, ſed in illa diſpoſitione aliquantulum permanſiſſe.

Confirm. 1 Confirmatur, & explicatur primò ex eodem Suarez ibidem n. 4. Nam Deus in primo inſtanti fidem Trinitatis omnibus Angelis reuelauit, ſuique actualem amorem infudit: & probabile valdè eſt, ſecundum inſtãs Angelorum omnium tam bonorum, quam malorum per nouam Dei excitationem, ac reuelationem, ſeu noui obiecti, vel præcepti propoſitionem inchoatum eſſe. Non eſt autem veroſimile, in eodem momento indiuiſibili in ſe, & quoad nos Deum abſtuliſſe cogitationem de myſterio Trinitatis, vt nouam cogitationem de myſterio Incarnationis immediatè pòſt immitteret. Ergo Angelus in illa prima cogitatione myſterij Trinitatis, & operatione illius primi inſtantis, atque adeò in amore elicito in eodem inſtanti ampliùs durauit, quàm per correſpondentiã ad vnicum dumtaxat inſtans noſtri temporis. Maior relinquitur à Suarez vt certa. Minorem autem probat. Tum, quia magis connaturale eſt, vt hi actus indiuiſibiles, indiuiſibiliter inciperent etiam ſecundùm coexiſtẽtiam ad noſtrum tempus: hoc autem poſito inter indiuiſibilia vtriuſque reuelationis initia aliquam durationem noſtri temporis verã, vel imaginariam interceſsiſſe neceſſe eſt. Tum etiam. Quia illa tã velox mutatio prioris cogitationis, vel reuelationis non videtur conſentanea viro prudenti in modo operandi, nedum ſapientiæ, & prouidentiæ Dei.

Confirm. 2 Ex quo confirmat ſecundò hoc ipſum Suarez. Nam licèt abſolute, & (vt ita dicamus) phyſicè poſſet Angelus relinquere primum actum in eodem inſtanti indiuiſibili omninò tam formaliter, quam virtualiter, & ad alium tranſire: nihilominùs hoc non eſt prudenti modo operandi ſatis conſentaneũ: & ideo non eſt præſumendum de Angelis bonis, & conſequenter nec de malis: cùm ſi-

mul

mul vtrique deliberauerint, vt probabiliùs creditur: & maximè, cùm per nouam Dei motionem ad plenam deliberationem excitati fuerint.

Confirm. 3. Confirmatur tertiò. Quoniam aliàs valdè parce, & quodammodo auare se gessisset Deus cũ Lucifero, & eius sequacibus: siquidem solum ad instans tam formaliter, quàm virtualiter indiuisibile eis concessisset suam gratiam sanctificantem.

Respõdetur ad obiectionem. 13 Respondetur enim ad secundam hanc obiectionem, ad summum probare intentum de actu elicito ex omnimoda electione, non verò de actu, in quo operans non tam se mouet, & eligit, quàm à Deo ex speciali motione mouetur: nam respectu huius, vt procedẽtis ex speciali motione Dei, quatenus specialis motio est, tantùm potuit Angelus per vnicum dumtaxat instans nostri temporis durare, vt explicatum est: & hoc ipso quòd amplùs in illo duraret, non persisteret in illo vt motus sic à Deo, sed vt operãs ex omnimoda electione: atque adeò ex vi prædicti actus redderetur in bono inflexibilis, vt n. 7. dicebamus.

Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem respondetur, quòd transeat maior vnà cum minori: hinc tamen non fit, secundam illam reuelationem incipientem in secundo instanti incepisse per correspõdentiã ad instans nostri temporis, si semel prior illa reuelatio sic incepit, sed posse, quantumuis indiuisibilem, incipere connaturaliter per correspondentiã ad nostrum tempus: quia cum prædictæ reuelationes non mensurentur, tanquam per propriam mensuram, per nostrum tempus, aut per instantia illius, nec illis subdantur, nõ est præter naturã earũ, vt vna incipiẽte post alteram, & priori per correspondentiam ad instans nostri temporis, quòd posterior habeat incipere per correspondentiam ad partem temporis. (Vtrùm autem hæc correspõdentia ad partem temporis esset adæquata, vel inadequata, constabit ex illis, quæ dubio 3. dicemus.) Et similiter hinc non fit, quòd actus dilectionis incipiens vnà cum priori reuelatione Trinitatis durauerit amplùs, quã per correspondentiam ad instans nostri temporis. Quia licèt reuelatio mysterij Trinitatis facta Angelo in primo instanti posit perseuerare per correspondentiam ad secundum instans, in quo facta fuit reuelatio mysterij Incarnationis, in quoque Lucifer peccauit, ex eo quòd non est incompossibilis cum peccato: non tamen actus amoris, qui in primo instanti fuit à Deo quodammodò infusus Angelo, propter incõpossibilitatem illius cum peccato incipiente in secundo instanti. Et ideò neganda est secunda consequentia huius confirmationis.

Ad secundã 14. Ad secundam confirmationem respõdetur, non eo ipso, quòd relinquatur aliquis actus ab Angelo, ita vt solùm per instans nostri tẽporis in eo duret, debet argui imprudẽtiæ: quia non omnes actus illius maiorem morã secundum regulas prudentiæ exposcunt. Cæterum cum hoc stat, vt Angeli mali sint arguendi imprudentiæ, ex eo quòd per vnicũ dumtaxat instans nostri temporis in amore Dei perstiterunt: quia debebant etiã in correspondentia ad tempus immediatè subsecutum in illo perseuerare, ad idque ex diuino præcepto obligabantur: & ideo Angeli boni, quippe prudentes, in illo magis quàm per instans perseuerauerunt: vnde isti benè, illi verò malè, & imprudenter deliberauerunt. Nec verum est, quòd Angeli mali indigebant noua motione distincta à prædictis reuelationibus, & inspirationibus, ad hoc vt illis mala sua deliberatio imputaretur. Nã deliberatio imprudens in Angelis malis solùm fuit virtualis & interpretatiua, & ad hãc non fuit tunc necesse, vt noua aliqua Dei motio distincta à prædictis reuelationibus & inspirationibus præcesserit, sed satis fuit, quòd supposito istis, quæ tunc aderant, posset benè deliberare circa obiecta supra dicta, non tamen benè circa eadem deliberauerit.

Ad tertiam. Ad tertiam confirmationem negandã est sequela. Quoniam Deus, quantum est ex se, non ad vnicum dumtaxat instans omninò indiuisibile, sed ad perpetuas æternitates concessit Lucifero, & eius sequacibus suam gratiam sanctificantem. Cæterum per ipsos stetit, ne amplius quã per prædictũ instãs in ea perseuerarẽt: & ideo nõ Deus, sed Angeli mali arguẽdi sunt, ex eo quòd ita parum in gratia perstiterunt. Maximè, quia ex hoc, quòd sic modicè, & instantaneè in illa perseuerauerint, non idcircò minùs deliberatè, aut cum minori culpa & malitia peccauerunt, & illam à se abiecerunt, quàm si per aliquam aliam morulam, in qua non redderentur inflexibiles in bono, persisterent in gratia, & postea delinquerent, eamque deperderent.

Tertiã obiectio. 15 Nec deinde obest, si ex Valentia obijcias tertiò, quòd etsi diabolus non peccasset statim post primum instans suæ creationis, non idcircò eliceret operationem meritoriam omninò liberam, siue cum indifferentia voluntatis ad bonum, vel ad malum: neque etiam oporteret eum operari ex omnimoda electione, & seipsum omninò mouendo: ac proinde non propterea redderetur inflexibilis in bono. Ergo rationes ex D. Thoma desumptæ in hoc innitentes ruent. Antecedens probatur. Quia posset Angelus in morula illa immediatè secuta post primum instans manere otiosus, expectando terminum suæ viæ, & non operando benè, aut malè. Ergo, &c.

Resp-

Solutio. Reſpondetur enim ex dictis, negando antecedens. Et ad probationem negari etiam debet antecedens. Quis enim (vt benè loquitur Nazarius in præſenti) exiſtimet, Angelos in gradu naturæ præſtantiſsimo conditos gratia, & charitate perfectos, in ea duratione, in quâ de vltimo totius vitæ fine deliberare debuerant, & quando Luciferi ſuggeſtionibus vrgebantur, ac pro Dei gloria reſiſtere tenebantur, otioſos, ac veluti dormitãtes, ſuæque ſalutis oblitos, vitæ ſuæ terminũ omni charitatis actu vacuis conferendum expectare? Vnde, cùm tunc vrgeret præceptum conuertendi ſe ad Deum authorem ſupernaturalem ex omnimoda electione, necnon & præceptum non diligendi propriam excellentiam ſuæ beatitudinis naturalis abſque prædicta ordinatione, planum erit, quòd eo ipſo, quòd tunc non dilexerunt ex tali electione Deum authorem ſupernaturalem, & ſi militer appetierunt propriam excellentiam abſque ordinatione illa debita, non permanſerunt omninò otioſi, abſque merito, vel peccato, ſed eo ipſo grauiter deliquerunt.

Nazar.

§. III. *Obiectio alia, & notatu digna contra eandem aſſertionem, vnà cum reſponſione ad illam.*

Quarta obiectio valde notanda cõtra eandem aſſertionẽ. 16 NEc præterea refert, ſi obijcias quartò, falſum eſſe, quòd illa ſpecialis motio, qua peculiariter applicatur Angelus à Deo in primo inſtãti ſuæ creationis ad actũ charitatis ſupernaturalem, nõ duret, niſi tantùm per vnicum inſtans omninò indiuiſibile, tam formaliter, quàm virtualiter: ergo vltra durauit, ſaltem per aliquam breuem morulam temporis: ac proinde, cùm motio illa ſit efficax, debuit Angelus in eadẽ dilectione per prædictam morulam perſeuerare: & per conſequens omnes rationes ex D. Thoma depromptæ innitentes in ſubita illa, & omninò indiuiſibili tam formaliter, quàm virtualiter perſiſtentia prædictæ motionis, euaneſcent. Omnes cõſequentiæ ſunt perſpicuæ.

Antecedens autem probatur. Tum, quia motio iſta ſpecialis durauit in Angelis bonis in ſecundo inſtanti: quãdoquidẽ actũ amoris ab ea procedentem, quẽ elicuerũt in primo inſtanti, continuauerunt in ſecũdo: & ita etiã illa motio continuata fuit, & perſeuerauit in eodem ſecundo inſtanti. Ergo nequit admitti prædicta motio, quin etiam in Angelis malis perſeuerauerit: quoniam illa tribuitur à Deo præciſè quia eſt author illius naturæ, & principiorum agendi, ad quem ſpectat peculiariter mouere ad intentionem finis: quæ quidem ratio æque militat in omnibus Angelis. Tũ etiam. Quia iuxta ea, quæ diſputatione præcedenti n. 6. & diſputatione 9. n. 58. & 61. diximus, per illã motionẽ ſpecialẽ cõſtituitur Angelus in actu primo ad hoc, vt poſsit ex omnimoda electione operari: ac proinde ad hoc vt in duratione immediatè ſequẽti, in qua ſola poteſt ſic eligere, queat ſe ipſũ mouere: ergo prædicta motio debet perdurare vſque ad prædicta durationẽ incluſiue, alioqui non maneret Angelus cõſtitutus in actu primo ad operãdũ ex omnimoda electione. Sicut ſi auferretur ab illo auxiliũ ſufficiẽs ad benè operãdũ nõ maneret ſufficienter cõſtitutus in ordine ad ſuam operationem, imò nec poſſet illi imputari peccatum.

17 Reſpondetur, fatendo, eſſe difficilẽ hãc obiectionẽ, ſimulq́, negãdo antecedẽs illius. Et ad primam probationem negãdum etiam eſt antecedens intellectũ de prædicta motione, vt eſt ſubratione & cõceptu motionis ſpecialis, & per cõſequẽs prouenientis à Deo, nõ qualitercũque, ſed vt ab agẽte particulari ſecũs verò ſi intelligatur de eadẽ motione ſecũdũ ſuã ſubſtãtiã præciſe ſumptã, & percõſequẽs nõ prout intelligitur dimanare à Deo, vt ab agẽte, & mouẽte particulari, ſed vt ab agẽte, & mouẽte vniuerſali (ſi tamẽ verũ eſt, actũ, in ordine ad quẽ datur, cõtinuari ſecundũ ſuã ſubſtãtiam in ſecũdo inſtãti: tũc enim eadẽ motio ſecũdũ ſubſtãtiã, quatenus deſeruit ad eũdẽ actũ ſecũdũ ſubſtantiam, in vtroque inſtãti perdurabit) vnde nõ ſequitur, prædictam motionẽ, adhuc ſecundũ ſuam ſubſtantiam, duraſſe in Angelis malis poſt primũ inſtans ſuæ creationis: ſiquidem motio procedens à Deo, vt ab agẽte vniuerſali, non eſt neceſſe, vt ſit par, & æqualis in omnibus Angelis, aut quòd ſi datur bonis, tribuatur & malis. Reſpondetur.

Ratio autem, propter quam prædicta motio ſub ratione, & conceptu motionis ſpecialis, ſeu vt eſt à Deo, tanquam ab agente particulari, non duret in Angelis bonis poſt inſtans ſuæ creationis tã formaliter, quàm virtualiter indiuiſibile, videtur eſſe in promptu ex dictis. Quoniam immediatè poſt illud inſtans Angeli boni operati ſunt ex omnimoda electione ſuæ volũtatis: ac proinde & potuerũt peccare. Si autẽ tũc operarẽtur ex motione illa ſpeciali ſub cõceptu talis, nõ operarẽtur ex omnimoda electione ſui, neque cũ poteſtate ad peccãdũ: ſiquidẽ idẽ eſt quoad præſens operari ex omnimoda electione, aut ſe omninò mouendo, vel cum poteſtate peccandi, ac operari non moti ſpeciali motione à Deo, ſiue tanquam ab agente particulari: ex eo quòd operans ſic motus nõ tam à ſe, quam ab alio eligit, ac proinde nõ operatur ex omnimoda electione ſui, nec tam mouet ſe, quã mouetur: ac tandem nequit peccare, ne peccatum illud retorqueatur in dantẽ illam peculiarẽ applicationẽ, nẽpe in Deũ, vt diſputatione præcedẽti dubio vnico explicuimus.

Ad

Ad secundam probationem concedatur antecedens; & negetur consequentia, intellecta de prædicta motione sub conceptu motionis specialis, imò & intellecta de eadem secundùm suam substantiam, & vt procedente à Deo, tanquam à motore vniuersali, & de persistentia formali illius: sed satis est, quòd secundùm communem cursum potuerit prædicta motio secundùm suã substantiam sumpta perdurare persistentia formali in Angelis malis, adhuc post primum instans suæ creationis, licèt non debuerit sic durare, & quòd per ipsos steterit, quominùs sic sumpta non duraret: & ideò ipsis imputandum est peccatum subsecutum. Sicut qui culpa sua caret auxilio sufficiẽti, aut aliquo requisito ad operandũ, non idcircò desineret imputari ei peccatum subsecutum. Maximè, quia motio illa specialis reliquit, adhuc in Angelis malis, sui virtutẽ, non quidem quoad efficaciam, quam habebat, vt in bonis Angelis contingit, sed quoad vim sufficientem ad hoc, vt Angeli mali possent se omninò mouere diligendo Deũ finem supernaturalẽ super omnia, & suã beatitudinẽ naturalẽ cũ subiectione ad Deũ, vt est finis supernaturalis, vt statim dicemus.

Prima animaduersio ad maiorẽ intelligentiam prædictæ solutionis.

18 Explicantur hæc omnia, prænotando tamen tria. Primum est, illam motionẽ specialem Dei (data suppositione nuper insinuata, nẽpe, in primo, & secundo instanti perdurasse in Angelis bonis eundem actum continuatũ voluntatis, in ordine ad quem datur) posse sumi, vel secundùm suam substantiam præcisè, secundùm quam dicit applicationem efficacem Dei, qua applicat intellectum Angeli ad cogitationem practicam sui vltimi finis absque defectu debitæ considerationis, necnon & voluntatem ad dilectionem, & intentionẽ efficacem eiusdem finis, nempe beatitudinis naturalis, ordinãdo eã in superiorem, & vltimiorem finem, nẽpe in Deũ finẽ supernaturalẽ, & super omnia dilectum, quoad duos modos, aut quasi modos ipsius: prior quidẽ, secũdùm quẽ est sub cõceptu motionis specialis, dicitque ordinẽ ad Deũ, vt dantem illam per modũ agẽtis particularis: posterior verò, quo respicit Deũ, vt tribuẽtẽ ipsam per modũ agẽtis, & mouẽtis vniuersalis: non quidẽ quia illa motio simul vtrumque istum modũ habeat, sed quia successiuè potest vtroq; superindui.

Animaduersio secunda.

Secundũ est, prædictæ motioni priùs conuenire, quod sit sub conceptu & modo specialis motionis, quàm sub modo, per quẽ est sub conceptu motionis vniuersalis: quia, vt est sub conceptu motionis specialis, tribuitur in primo instanti *esse* Angelici, & per eam mouetur voluntas illius, vt est natura, ac proinde vt est determinata ad bonum: at verò eadem motio, vt est sub conceptu motionis vniuersalis, non tribuitur nisi in secundo instanti, & per eam potest moueri voluntas Angeli, vt præcisè habet rationẽ libertatis, estque indifferens ab bonum, vel ad malum: quæ ratio sicut est posterior in volũtate, quàm illa prior, ita etiam motio, vt ei correspondet.

19 Vnde voluntas Angeli dicitur constitui in actu primo per hanc motionem specialem, vt talem. Tum, quia in primo instanti nequit descendere ad media, nisi ex intentione finis peculiari ratione procedentis à prædicta motione. Tum etiam. Quia propter ordinem naturalem, qui est inter actus omninò liberos, tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem, ac proinde ad quos omninò se mouet Angelus, & inter actus procedentes ab eadem voluntate, vt habet rationem naturæ, ad quosque potiùs mouetur, quàm se moueat, oportet, vt nequeat voluntas prorũpere in illos, quin priùs proruperit in istos, nec possit moueri per motionem efficacem Dei, vt procedentem ab eo, quatenus est vniuersalis motor, quin priùs duratione moueatur ab ipso per prædictam motionem, vt est sub conceptu motionis specialis: & ita nequibit moueri ad supernaturalem amorem Dei super omnia, vt liberum tam quoad exercitium, quam quoad specificationem, nisi priùs moueatur in primo instanti per hanc motionem, vt specialem, ad illum, quatenus necessarium quoad specificationem.

Tum denique. Quia non solùm reperitur prædictus ordo inter hos actus, hasque motiones, sed etiam motio illa specialis relinquit virtutem quandam ad hoc, vt Angelus se statim moueat: quãuis hoc aliter eõtingat in bonis, & in malis Angelis. Nam in bonis manet quodammodò motio specialis in se ipsa, vt est sub modo motionis vniuersalis, tanquã in virtute sui: quoniam non nisi post illam ad istam potest deueniri, & ad hanc, nisi apponatur impedimentum ex parte Angeli, statim post illam; & ex vi illius deuenitur. In malis verò etiam prædicta motio relinquit sui virtutem, non quidem quoad efficaciã, sed quoad sufficientiam: quatenus ex vi illius relinquitur auxilium sufficiens ad hoc, vt Angelus possit operari ex omnimoda electione, seu cum libertate tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem, aut mouendo se absque motione speciali Dei, & cum sola vniuersali ad intentionem eiusdem finis; quẽ à Deo specialiter motus anteà appetebat. Quoniam prædictus amor, & intentio finis, vt hoc modo liber, habet se quodammodò per modum electionis collatus secum, vt erat indutus modo illo necessitatis: quia non nisi ex amore illo, vt induto prædicto modo necessitatis, potest deueniri ad actũ istum, hicque per virtutem ab illo relictam executioni mandatur.

Animaduersio tertia.

20 Tertium est id, quod modò innuebamus, nẽpe, quòd quoties ista specialis motio secun-

secundum suam substantiam perseuerat, adhuc in secũ lo instãti, sub cõceptu tamen & modo motionis vniuersalis, vt in Angelis bonis cõtingit, toties donatur à Deo talis motio omninò liberaliter, & nõ qualitercũque, sed absque dependentia à consensu liberi arbitrij Angelici, siue ab aliquo actu eius, sed ipsa ratione suæ efficacitatis ex se, & ex vi sua infert infallibiliter infallibilitate causalitatis prædictũ cõsensũ, v.g. amorẽ supernaturalẽ, & super omnia, in ordine adquẽ datur. At quoties negatur, toties hoc fit depẽdẽter à cõsensu libertatis Angeli, vt à causa materiali dispositiua, quę in hoc dũtaxat genere sit prior, nẽpe, à peccato in eodẽ instãti ab illo cõmisso.

Vnde denegatio prædictæ motionis, adhuc secundum suã substantiã cõsideratæ, est prior in genere causæ efficiẽtis permissiuæ, & indirectæ, seu per modum causæ remouentis prohibens, scilicet remouentis gratiam efficacem, quæ, si daretur, nõ esset tale peccatum, sed ex vi suæ efficacitatis esset ratio euitandi illud: & perconsequens prædicta denegatio, habens rationem permissionis illius peccati quodammodò, & indirectè, ac permissiuè est (vt sic dicamus) causa peccati, ad hunc dũtaxat sensum, quòd remouet gratiam efficacẽ, quã Deus tũc attẽtis omnibus nõ tenetur dare, quæq, si esset, impediret peccatũ, excuiusque denegatione infallibilitate cõsequẽtiæ, licèt nõ cõsequetis, siue veræ causalitatis, prædictum peccatum subsequetur.

D. Thom. Et propterea D. Thomas ad Romanos 1. lect. 6. & 1. 2. q. 79. art. 1. ad 1. inquit, quòd Deus indirectè tradit hominẽ in reprobũ sensum, vel indurat, quatenus nõ dat gratiam, per quam impediretur peccatũ: quãuis non ideò (vt innuebamus) Deus sit vllo modo re uera causa peccati: quia vel absolutè, vel attẽtis omnibus tunc occurrẽtibus nõ tenetur dare illã gratiã efficacẽ, quæ, si esset impediret peccatum. Cæterũ peccatũ illud, quod in secũdo instãti Angeli cõmiserũt, est prius in genere causæ materialis dispositiuæ, quã prædicta denegatio, quippe quòd disponit infallibili dispositione ad illã denegationẽ: ex eo quòd quicquid est incõpossibile cũ prædicta motione, & gratia, quale est peccatũ prædictũ, disponit infallibili dispositione ad denegationẽ illius, vt in simili (proportione tamẽ seruata) de peccato cõmisso, dũ denegatur decretũ efficax ad eliciẽdũ actũ cadẽtẽ sub præcepto, & prædiffinitur quoad materiale actus oppositus nẽpe actus peccati, id explicuimus in tomo 1. tract. 4. disput. 10. num. 207. & 210. & tract. 5. disput. 8. num. 67. Et ita, licèt tunc non maneat quodammodò virtualiter motio illa specialis, & actus amoris ex illa vt tali causatus eo modo, quo manet in Angelis bonis, sed alio nuper explicato, totum hoc contingit in genere causæ materialis ex culpa illa Angelicæ voluntatis.

21 Ex his igitur videntur perspicua manere ea quæ in solutione huius quartæ obiectionis dicebamus, nempe, quomodo ex vna parte motio illa, qua Deus in primo instanti *esse* Angelici peculiariter eos mouet, v.g. ad amorem super omnia, & supernaturalem ipsius, nõ maneat sub cõceptu & modo specialis motionis in aliquo ex Angelis, sed tantũ per vnicũ dũtaxat instãs omninò indiuisibile duraueri: ex eo quòd per hoc tãtũmodo instãs eguerũt moueri per modũ naturæ, ad hoc vt ipsi statim se omninò, ac proinde per modum agẽtiũ omninò tã quoad exercitium, quã quoad specificationem liberorum se mouerẽt: & quomodo ex alia parte illamet motio potuit secũdũ suã substãtiã, licèt non sub prædicto modo, permanere in omnibus Angelis, & de facto permansit in bonis: quia isti cõtinuauerũt actũ, quẽ pro primo instãti elicuerũt, licèt nõ sub modo illo necessitatis quoad specificationẽ, sed cũ modo omnimodæ libertatis: & illi potuerũt prædictũ actum cõtinuare, licèt de facto eũ nõ cõtinuauerint.

Ex his animaduersionibus roboratur solutio obiectionis.

Et deinde quomodo ex altera parte prædicta motio sub ratione motionis specialis cõstituerit omnes Angelos in actu primo ad eligẽda media ex eadẽ motione in primo instãti, necnõ & ad se mouẽdum ex omnimoda electione in secũdo: quia ad hoc nõ desideratur, vt perfistat in secũdo sub cõceptu motionis specialis, sed potiùs oppositũ petitur, si loquamur de perfistẽtia formali, & in se eiusdẽ motionis: & ita satis est naturalis ordo iã dictus inter hos actus, & motionẽ vniuersalẽ vel virtutẽ relictã ex motione speciali vt tali ex vno capite, & inter motionẽ specialẽ sub cõceptu talis ex alio, & quòd motio ista præcedẽs in primo instãti reliquerit aliquã sui virtutẽ, nẽpe vel se ipsam, vt est sub cõceptu motionis vniuersalis: nã hæc mouet modo sibi proprio, nẽpe relinquẽdo omnimodã libertatẽ ad primũ (vt sic dicamus) mediũ, nẽpe ad dilectionẽ Dei super omnia, vt omninò liberã, & procedẽtẽ quodãmodo ex eadem, vt necessaria necessitate quoad specificationẽ: ac proinde hæc ad illã quodãmodo cõparatur quasi per modũ medij: & semel volũtate sic se mouẽte ad hũc amorẽ liberũ, mouet etiã se eodẽ modo, nẽpe ex omnimoda electione, ad media: vel quòd sinõ reliquerit determinatã sui virtutẽ, nimirũ se ipsã sub modo motionis vniuersalis, vt in Angelis malis cõtingit, hoc ideo fit, quia ex parte eorũ fuit impedimẽtũ, & ipsi se in genere causæ materialis dispositiuę ratione sui peccati disposuerũt dispositione infallibili ad denegationẽ prædictę motionis. Et ita ibidem solũ relinquet virtutẽ sui alterius rationis, nẽpe auxiliũ sufficiẽs ad cõtinuãdũ liberè omninò absq; speciali motione Dei, vt agẽtis particularis, id ipsum

quod in primo instanti inceperunt, quia prædictum auxilium est debitum pro secundo instanti, hoc ipso quòd in primo fuerint per volitionem, & intentionem finis necessariam quoad specificationem constituti in actu primo ad hoc, vt si vellent, moueant se ex omnimoda electione in secundo instanti in eundem finem.

22 Et tandem hinc etiam potiori ratione intelligitur, quomodo denegata illa motione speciali, adhuc secundum suam substantiam considerata, Angelis malis, non ideircò non potuit, aut non debuit eis imputari peccatum commissum in illo secundo instanti. Tum, quia mansit in eis auxilium sufficiens ad illud euitandum, præcesseruntque omnia ex parte actus primi ad eam euitationem requisita. Tum etiam. Quia prædicta motio, adhuc secundùm suam substantiam, & vt est sub conceptu motionis vniuersalis, & procedentis à Deo, vt ab agente vniuersali, fuit eis culpa sua denegata, licèt in genere causæ efficientis, & modo explicato fuerit prior ista denegatio, quàm suum peccatum. Sicut etiam decretum efficax prædiffinitiuum illi⁹ peccati quoad materiale, fuit prius eodē materiali peccati in genere causæ efficientis infallibiliter, & efficaciter ex vi sua illud materiale materialiter sumptum inferens: & prædictum materiale est prius, eodem decreto quoad suam passiuam terminationem considerato, prioritate in genere causæ materialis dispositiuæ: ex eo quod tollit oppositum actum, aut carentiam actus prædiffiniti, cum qua prædictum decretum est incompossibile.

Illustratur amplius.

Adde, quòd etsi sit satis probabile, quòd Angelus malus cōcurrit dispositiuè, materialiter ad denegationē motionis illius, vt erat sub conceptu motionis vniuersalis, Deusque dependenter ab hac dispositione, & peccato illam (vt iam explicuimus) prædicto Angelo denegauit: nō est tamen necessariū ad id confugere. Quia prædicta motio, vt est sub conceptu vniuersalis motionis, non est omninò necessaria ad constituendū Angelum in actu primo ad hoc, vt posset in secundo instāti vitare illud peccatū, sed ad id sufficiebat quòd eadem motio, vt est sub conceptu specialis motionis, & actus amoris inde causatus præcessissent in primo instanti, & quòd in secundo tribuatur auxiliū sufficiēs ad euitandū prædictū peccatū. Vnde motio illa specialis secūdum suam substantiā considerata, & vt est sub modo motionis vniuersalis, comparatur secūdùm id, quod superaddit efficacitatis, cum voluntate Angelica eo modo, quo auxilium efficax, siue decretum efficax prædiffinitiuū actus boni cum nobis confertur. Hoc autem cùm negatur, satis probabile est, quòd non negatur tanquam aliquid debitum, nec negatur dependenter à peccato tunc commisso, iuxta ea, quæ in 1. tomo tract. 4 disput. 10. n. 209. etiam innuimus.

23 Quæ omnia possunt adhuc magis eluci dari, & simul reddi ratio, ab quā possint hæ diuersimodæ virtutes ex motione illa speciali in Angelis bonis, & malis relinqui. Ex eo quòd prædicta motio specialis adunatè, & eminēti ratione habet id, quod est virtutis in auxilio sufficienti, necnon & in auxilio efficaci, in ordine ad hoc, vt Angelus diligat suam beatitudinē naturalē cum subordinatione ad Deum finē supernaturalem & super omnia dilectum. Et similiter actus iste, vt factus ex prædicta motione, habet quicquid requiritur ad hoc, vt ex vi illius possit Angelus se ex omnimoda electione mouere ad eundē actū, vt omninò liberū in sequenti instanti: ita vt nec desit illi virtus sufficiens, nec efficax, si in prædicto instanti relinquatur virtus tanta, quanta in illa motione & actu facto ex vi illius in primo instanti residet. Vnde, quia Deus, vel pro sua libera volūtate, vel dependēter ab obice, quē mali Angeli in secundo instanti posuerunt, potest facere, vt prędicta motio, & actus in primo instanti ex vi illius elicitus, in quo eius vis virtualiter residet, non relinquāt sui virtutē, vt continēt ratione auxilij efficacis, sed solùm auxilij sufficientis ad diligendam beatitudinem naturalem cum prædicta subordinatione, quia hæ duę rationes sūt quodāmodò in illis distinctæ: idcircò in Angelis malis solùm relinquitur virtus sufficiens ad prædictū actū, non verò efficax, secùs verò in Angelis bonis, in quibus splendet, & relinquitur tota vis, quæ est in prædicto actu, & motione ad relinquendam virtutem sibi adæquatè similem, imò & eandem quoad substantiam, licèt quoad modum libertatis dissimilem, contentam tamen eminenti ratione in eodem actu, & motione: ex eo quòd (vt iam diximus) ex intentione aliquomodo necessaria finis debet deueniri ad eandemmet, vt liberam, & comparatam quodammodò per modum medij respectu illius prioris intentionis.

Roboratur vlterius ratione.

Recolendum tamen est in fine huius solutionis id, quod initio illius innuimus, scilicet, quòd si semel actus dilectionis beatitudinis naturalis, & excellentiæ eius in ordine ad Deum finem supernaturalem, & super omnia dilectum, qui reperitur in secundo instanti, fuerit non solùm quoad modum, sed etiam quoad substantiam distinctus à primo, quo in primo instanti sic dilecta est prædicta beatitudo, tunc motio illa adhuc in Angelis bonis, non manebit secundùm substantiam eademmet numero, sed loco illius, alia numero distincta, & modo iam insinuato à Deo tributur.

NOTA.

§. IIII. *Posterior obiectio contra eandem assertionem, & enodatio illius.*

Vltima obiectio: *Molina. Vazquez*

24 NEC prætereà obstat, si ex Molina, & ex Vazquez in hac 1. p. disp. 229. cap. 10. obijcias, non posse aliquã operationem tantùm durare per vnicũ dumtaxat instans nostri temporis, sicut nec aliæ res præter instans nostri temporis possunt sic tantummodò durare. Et ratio est. Quia in desitione operationis, & cuiuscumque alterius rei, necesse est dari primum *non esse* correspondens instanti primo nostri temporis: ergo cùm duo instantia nostri temporis non possint immediatè esse, aut excogitari, oportet, vt duret per illam moram temporis, quæ intercedit inter primum instans, in quo est, & inter primum instans per correspondentiam ad instantia nostri temporis, in quo primò verificatur, quod tunc primò non est: alioqui in eodem instanti, in quo incipit, & desinit, simul esset, & non esset.

Antecedens probatur. Quia *non esse* operationis Angelicæ, & cuiuscumque alterius rei iam dictę, est totum simul absque vlla successione, imò etiam hoc ipsum habet non *esse* cuiuscumque rei. sed quicquid incipit totum simul absque successione, necessariò incipit in primo instanti per correspondentiam ad nostrum tempus: ergo dabitur per correspondentiam ad instans nostri temporis *non esse* operationis, & cuiuscumq, rei iam dictę desinentis.

Confirm. 1. Confirmatur primò ex eodem Vazquez. Nam etsi indiuisibilia nostri temporis tantùm durent per vnicum instans, quia debent desinere ad inceptionem partis temporis immediatè sequentis, propter specialem rationem, & ordinẽ, qui inter vtrumque est: tamen nulla res sic potest desinere, sicut nec vlla alia hunc ordinẽ habet cũ prędicta parte temporis: & ideò tam operatio Angelica, quàm quæuis alia res non potest tantummodò per correspondentiam ad vnicum tantummodò instans nostri temporis durare.

Confirm. 2. Confirmatur secundò ex Molina. Quoniam actus, quo vnusquisque Angelus malus primò peccauit, incepit per primum sui *esse*, adhuc per correspondentiam ad instans nostri temporis, quia ille actus fuit indiuisibilis: sed prædictum instans non fuit illud, in quo Angeli fuerunt in gratia, siquidem gratia, & peccatum sunt inter se incompossibilia: ergo mora, in qua Angeli mali fuerunt in gratia, non fuit instantanea: quoniam inter quælibet duo instantia nostri temporis mediat tempus.

25 Respondetur cum Capreolo in 2. dist. 2. q. 2. in responsione ad 1. argumentum Gregorij contra secundam conclusionem, necnon & cum Nazario in præsenti cõtroversia vnica in solutione ad argumenta contra secundam, & tertiam conclusionem, negando antecedens: quoniam idem instans potest esse primum, & vltimum alicuius actionis. Hinc tamen non sequitur, idem simul esse, & non esse. Quia id quod durat tantùm per instans omninò indiuisibile, seu per correspondentiam ad vnicum dumtaxat instans nostri temporis, dicitur incipere in illo instanti per positionem de præsenti, & remotionem de præterito: quia scilicet verum est dicere, quòd nunc est, & non priùs fuit: & in eodem etiam instanti desinit per positionem de præsenti, & negationem de futuro: quia scilicet nunc est, & immediatè pòst non erit. Nec absurdum est, idem simul ùc incipere, & desinere, nisi in rebus ex se petentibus durare diuisibiliter, non autem in rebus, quibus naturaliter stare repugnat, qualia sunt instantia nostri temporis, aut aliæ mutationes nostræ instantaneæ, vel in rebus non petentibus, quòd magis stent. Et ad probationem antecedentis concedi debet maior quoad operationes Angelicas (quid autem dicendum sit quoad *non esse* aliarum rerum, constat ex illis, quæ N. Complutenses in libris Physicorum disp. 26. q. 3. & 4. docent.) & deinde neganda est consequentia. Nam sicut punctum indiuisibile terminans lineam, afficit immediatè partem lineæ, non quidem adæquatè, sed inadæquatè, ideſt, non totam illam partem, sed medietatem illius, & hanc adhuc non totam, sed eius medietatem, & sic in infinitum: ita *non esse* operationis Angelicæ, licèt sit totum simul, ac indiuisibile, potest coexistere, & correspondere parti temporis, non quidem adæquatè, sed inadæquatè: quemadmodum & *non esse* alicuius instantis nostri temporis omninò indiuisibilis coexistit parti, quæ immediatè subsequitur per correspondentiam, & coexistentiam inadæquatam ad illam, quatenus non coexistit toti illi parti, sed eius medietati, & huic adhuc non toti, sed medietati eiusdem, & sic in infinitum.

Complut.

Ad primã confirmationem.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd licèt instans nostri temporis duret per vnicum dumtaxat instans, propter rationem ibidem assignatam: hæc tamen non est ratio adæquata durandi præcisè per vnicum instans. Et ideò possunt aliæ operationes indiuisibiles durare tantùm per instans, licèt non habeant illum ordinem cum partibus temporis, quem nostra instantia habent.

Ad secundã.

Ad secundam confirmationem respondetur, quòd si sensel prima operatio Angelica incepit per primũ sui *esse*, & per correspondentiã ad vnicũ instãs nostri tẽporis, nequit secũda operatio incipere in suo instãti Angelico incipere per correspõdentiã ad instãs nostri tẽporis,

Solutio obiectionis ex Capreolo.

poris,vt explicatum est, sed incepit per correspondentiam,& coexistentiam inadæquatam ad partem nostri temporis.

N.Compl. 26 Possuntque hæc omnia elucidari ex illis,quæ N.Complut.in lib.Physicorum disput.26.num.25.ex communi Thomistarum doctrina 1.p.quæst.10.& 53.adducunt, nempe quòd sicut operationes Angelicæ non mẽsurantur in suo *esse* per tempus nostrum, sed per mensuram aliam altioris rationis: ita earundem inceptio,& desitio non mensuratur, vt mensura propria,tempore nostro,aut instantibus illius,sed alia mensura perfectiori, scilicet instantibus Angelicis, quæ sicut non pendent à tempore nostro,aut instantibus eius,ita non petunt necessariò commensurari cum illis,sed possunt coexistere,siue instantibus,siue partibus temporis.Vnde propriè & in rigore loquendo, *esse* prædictarum operationum nec incipit per primum sui *esse*,aut vltimum *non esse*, nec desinit per primum *non esse*,aut vltimum sui *esse*,quia hic modus incipiendi,aut desinendi est proprius rerum, quarum *esse* mensuratur tempore: sed tantùm dicitur incipere, aut desinere prædicto modo,quatenus earum inceptio, aut desitio mensurata instanti temporis discreti, coexistit,vel instanti nostro,vel parti nostri temporis inadæquatæ.Vnde,sicut Deus, qui liberè conseruat, & producit substantias Angelicas,potest illas producere,aut destruere,quando sibi placuerit,ac per consequens per coexistentiam ad partem nostri temporis,vel ad instans illius,quia(vt dicebamus) nec earum duratio, vel inceptio, & desitio pendent à tempore nostro,aut instantibus eius: ita Angelus liberè eliciens suam indiuisibilem operationem,potest illam elicere, propter eamdem independentiam,vel per correspondentiam ad instans nostri temporis, vel ad partẽ illius:potestque illa operatio per vnicum tantùm instans Angelicum tam formaliter, quã virtualiter indiuisibile durare: atque adeò, si illa operatio elicita per correspondentiam inadequatam ad partem temporis, eliceretur per correspondentiã ad instans, tunc,tam ex parte instantis,quàm ex parte illius operationis esset omnimoda & adæquata correspondentia.Et propterea in hoc sensu semper verificatur quod prædicta operatio tãtùm durat, vel durare potest per instans nostri temporis.

§. V. *Posterior assertio secundæ tituli partí correspondens.*

Secunda assertio. 27 EX quibus omnibus inferendum, & dicendum est secundò, Angelos bonos immediatè post primum instans suæ creationis per correspondentiã nuper dictam ad instans nostri temporis habuisse meritum omninò liberum, idest, habuisse actum meritorium,quem elicuerunt, non vt moti à Deo, tanquam ab agente, & mouente particulari, sed tantùm à mouente vniuersali: ac proinde & se ipsos ex omnimoda sui electione ad prædictum meritum mouisse, ideoque meritum istud fuisse liberum, tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem, quatenus ita meruerunt,vt in eodem instanti, siue eadem omninò duratione demereri potuerint.Assertio hæc apertè deducitur ex precedenti, & ex testimonijs D.Thomæ,& Patrum pro ea adductis.Probaturque ratione insinuata ab eodem Angelico Doctore. Quoniam de Angelis malis,& bonis proportionali modo quoad eorum meritum omninò liberum,& demeritum philosophandum est:sed Angeli mali immediatè post primum instans suæ creationis demeruerunt,vt ex præcedenti assertione cõstat:ergo Angeli boni immediatè post idem instans habuerunt meritum omninò liberũ. Maximè,quia post illud vrgebat præceptum omninò liberè se conuertendi in Deum: & ita si sic non se conuertissent, non boni, sed mali Angeli essent.

DVBIVM II.

Vtrùm Angeli boni in eodem instanti sui meriti omninò liberi præmium essentiale, nempe visionem claram Dei acceperint? & Angeli mali in eodem instanti sui demeriti damnati sint?

28 POSTQVAM explicuimus, Angelos bonos immediatè post instans creationis, adhuc per correspondentiam iam dictam ad instans nostri temporis, liberè omninò meruisse,& Angelos malos tunc demeruisse, statim pulsat animum inquirere, an simul tunc illi præmium essentiale acceperint? isti verò damnati fuerint, ita vt simul & in eadem omninò duratione,etiam per correspondentiam ad eandem prorsus durationem nostram fuerint intrinsecè tam in via, quàm in termino, & ita illi simul meruerint, & Deum viderint, & isti demeruerint, & inferni cruciatibus addicti fuerint?

§. I. *Asser*

§. I. *Aſſertio prior ex D. Thoma deſumpta, & ratio S. Doctoris pro ea.*

Concluſio prima.

29 DIcendum ergo eſt primò, Angelos bonos non in eodem inſtanti, ſiue in eadem prorſus duratione omninò liberè meruiſſe, & Deum vidiſſe, ſed viſionem hanc in inſtanti, ſiue in duratione immediatè ſequenti conſecutos fuiſſe. Aſſertio hæc eſt D. Thomæ ſuprà q. 62. art. 4. & art. 5. in ſolutione ad 2. & in hoc articulo, necnon quodlibeto 9. art. 8. & in 2. diſtinct. 5. q. 2. art. 2. his verbis: *Dicendum, quòd ſuſtinendo, Angelos in gratia fuiſſe creatos, planum eſt ad hoc reſpondere, quia ſic certiſsimè meritum præmium præceſsiſſet.* Et loquitur S. Doctor de præcedentia duratione, & non ſolùm natura, vt ex cõtextu conſtat, & intuenti illum patebit. Quẽ ſequuntur Bañez in præſenti, & quàm plurimi ex recentioribus Thomiſtis, necnon & Capreolus in 2. diſt. 4. q. 1. art. 1. concluſione 5. & ad argumenta contra illam, & cõtra 4. concluſionem. Et quoad hanc partem etiam conſentit Ferrara lib. 3. contra Gent. cap. 110 circa finem. Et ſimiliter idem tenent omnes, qui tria inſtantia, vel tres moras in Angelis diſtinguunt à primo inſtanti creationis vſque ad primum inſtans termini, nempe beatitudinis, incluſiuè, ſeu vtrumque extremum includendo. Nam licèt inter illos ſit aliquod diſcrimen in explicandis actibus, vel ſtatu gratiæ aut puræ naturæ, quam Angeli in primo inſtãti creationis habuerunt: nihilominùs in hoc conueniunt, quòd non ſimul duratione, ſed in diuerſis moris habuerũt integrum (vt ſic dicamus) meritum, & præmiũ beatitudinis acceperunt. Et ita eandem aſſertionem tuentur Scotus in 2. diſt. 5. q. 1. Gabriel q. 1. art. 2. Baſolis q. 1. art. 3. Gregorius in 2. diſt. 5. q. 1. art. 3. Vazquez 1. p. diſputat. 229. cap. 6. Molina ad art. 6. huius quæſtionis, Suarez lib. 6. de ſtatu beatitudinis Sanctorum Angelorum cap. 1. num. 6. Zumel dubio ſequenti referendus, & alij plures.

Bañez. *Capreol.* *Ferrar.* *Scotus.* *Gabriel.* *Baſolis.* *Gregorius* *Vazquez.* *Molina.* *Suarez.* *Zumel.*

Ratio fundamentalis.

Rationem autem fundamentalẽ huius aſſertionis adduxit D. Thomas art. illo 5. nuper citato in ſolutione ad 2. his verbis: *Dicendum, quòd Angelus eſt ſupra tempus rerũ corporalium. Vnde inſtantia diuerſa in his, quæ ad Angelos pertinent, non accipiuntur niſi ſecundùm ſucceſsionem in ipſorum actibus. Non autẽ potuit ſimul in eis eſſe actus meritorius beatitudinis, & actus beatitudinis, qui eſt fruitio: cùm vnus ſit gratiæ imperfectæ, & alius gratiæ conſummatæ. Vnde relinquitur, quòd oportet diuerſa inſtantia accipi, in quorum vno meruerit beatitudinem, & in alio fuerit beatus.*

D. Thom.

§. II. *Solutio Caietani, & euerſio eius.*

Occurrit Caietanus.

30 NEc videtur ſufficere ſolutio, quam tradit Caietanus in hoc artic. 6. §. *Ad primum reſpõdetur*, vbi ſic inquit: *Meritum dupliciter contingit, viæ puræ, & vt termini. Et meritum puræ viæ præcedit duratione præmium. Sed meritum vt in termino, poteſt eſſe ſimul cum præmio. Nec ſequitur, quòd ſimul ſit gratia perfecta, & imperfecta. ſed quod ſimul ſit terminus gratiæ imperfectæ, & gratia perfecta. Meritum enim quemadmodum dupliciter contingit, ſcilicet vt in via, & vt in termino: ita infert imperfectionem gratiæ. vel vt in via, vel vt in termino Et propterea ex ratione meriti rationabiliter infertur, quòd merens priùs duratione meruit quã præmiatus eſt, vt hic intulit S. Thomas. Non tamen infertur, quòd nullum inſtans meriti ſit inſtans præmij. Ex eo enim quòd meritum oportet eſſe in termino viæ, & in via, neceſſe eſt duratione præcedere præmium, & gratiam eſſe imperfectam ſecundùm ſtatum. Ex eo verò, quod poſt meritum viæ ſequitur meritum termini, neceſſe eſt ſimul eſſe meritum illius inſtantis cum præmio, & eſſe terminum gratiæ imperfectæ.*

Reiicitur ſolutio.

Non igitur videtur ſufficere hæc ſolutio Caietani, nec illa alijs grauiſsimis diſcipulis D. Thomæ placet. Primò quidem: quia nõ videtur eſſe iuxta mentem Angelici Præceptoris. Quod quidẽ colligi poteſt ex teſtimonijs à nobis relatis in hunc modum expenſis. Quoniam etſi Angelicus Præceptor in teſtimonio illo ex 2. ſententiarum doceat, ſatis eſſe ad meritũ, quòd ſit priùs natura quàm præmium: hoc tamen docet, non ex propria ſententia, quam primo loco elegerat, ſed in ſententia aliorum dicentium, Angelos non fuiſſe creatos in gratia, ſed poſteriùs duratione ad ſuam creationem fuiſſe eis ſimul datam gratiam, & gloriam: & hac ſuppoſitione data, refert tres opiniones: primam dicentium, beatitudinem nullo modo meruiſſe, nec fuiſſe eis gratiam datam ad merendum, ſed ad beatè viuendum: ſecundam dicentium, quòd per opera, quæ ſunt poſt confirmationem, quibus nobis miniſtrant, merentur beatitudinem quam priùs acceperũt: ſicut aliquis miles meretur munus ſibi à Rege collatum militando poſteà: & his duabus opinionib⁹ ſimpliciter reiectis, inquit, quòd ideò videtur cum alijs dicendum, quòd meritum in eis non præceſsit præmium tempore, ſed natura. Et ita non elegit hunc modum dicendi ponentis meritum ſimul cum præmio eſſentiali vitæ æternę, & cum prioritate naturæ reſpectu illius in propria ſententia, ſed in ſententia illorum, qui negabant, Angelos fuiſſe creatos in gratia, & aſſerebant, ſimul

mul in alio instanti fuisse eis concessam gratiã, & gloriã. Nam cùm gloria illa debeat habere rationem præmij respectu Angelorum, vt ibidem argumentatur Angelicus Præceptor: non superest alius modus ita idoneus habendi, iuxta hunc modum dicendi, eandem gloriam, non qualitercumque, vt alij asserebant, sed per modum præmij, nisi quòd meritum præcedat natura, licèt non tempore ad ipsum præmium,

31 Et similiter quodlibeto 9. art. 8 hoc eodem discursu vtitur. Et ita postquam retulit opinionem eorum, qui dixerunt, Angelum in primo instanti suæ creationis fuisse beatum beatitudine, de qua loquimur, nempe supernaturali, & eam reiecit, statim inquit: *D.Thom.* *Alij verò dicunt, quòd fuerunt conditi in gratia omnes: & in ea quidam perseuerantes beatitudinem meruerunt; alij verò contra eam agentes facti sunt miseri. Et hæc opinio nihil difficultatis habet. Vnde præ cæteris mihi magis placet.* Et tandẽ tertio loco refert opinionẽ dicẽtiũ, Angelos fuisse creatos in puris naturalibus, & quibusdam conuersis ad verbum, simul collatam esse gratiam, & beatitudinem: & statim commemorat tres illas vias defendendi hanc sententiam, quas in loco nuper dicto ex 2. Sententiarum retulerat, & iuxta hanc posteriorẽ opinionẽ philosophando præfert alijs vijs illam, quæ in prædicto instanti beatitudinis admittit meritum illius prioritate naturæ ad eandem beatitudinem, vt habet rationem præmij. Quare, cùm iuxta hanc vltimam opinionem, & viam tantum modò admittat esse simul duratione meritum, & præmium cum prioritate tantum naturæ, ac proinde iuxta hanc præcisè opinionem concedat, esse congruentiorem modum defendendi illam, admittere meritum viæ, quod sit in ipso termino viæ: consequens est, vt iuxta secundam opinionem, quam ipse Angelicus Doctor inquit nihil difficultatis habere, & præ cæteris sibi magis placere, non admittat hunc modum merendi vltimum præmium, nempe beatitudinem supernaturalem, ac proinde nec meritum, quod sit in termino viæ; sed quod meritum, & præmium prædictum sint in diuersis instantibus.

Et tandem in alijs testimonijs ex articu- *D.Thom.* lo 4. & 5. quæstionis 62. absolutè docet, meritum debere esse ex gratia imperfecta, non restringendo illud ad aliquod peculiare meritum præmij essentialis, nempe beatitudinis supernaturalis consistentis in clara Dei visione, sed absolutè docendo, prædictum meritũ debere oriri à gratia imperfecta. Vnde in eodẽ art. 4. prædictæ quæstionis cõtraponit gratiam imperfectam cum gratia perfecta in hoc, quòd sicut gratia imperfecta est principium merendi præmium iam dictum: sic perfecta principium fruendi præmio isto. Quapropter, quemadmodum gratia perfecta est principium omnis, & cuiusuis fruitionis beatæ captæ ex visione Dei: sic etiam gratia imperfecta debet, iuxta mentem S. Doctoris, esse principium cuiusuis meriti eiusdem præmij in ordine ad præmium, & fruitionem iam dictam.

32 Deinde eadem solutio videtur sufficienter infringi ratione Angelici Præceptoris ex artic. 4. & 5. quæstionis 62. adducta, cuius vis, vt magis percipiatur, prænotandum est, quòd nomine gratiæ imperfectæ non intelligit D. Thomas gratiam, quæ sit minoris intensionis, quam gratia, de qua inquit esse perfectam, & non esse principium merendi: siquidem aliquando gratia viæ potest in vno esse intensior, quàm sit gratia alterius in patria, vt patet in B. Virgine, cuius gratia, adhuc dum erat in via, erat longè intensior, quàm gratia aliorum in patria: sed intelligit gratiam imperfectam secundùm statum, ideſt illam, cuius actus non regulantur per lumen clarum, & perfectissimum, nempe lumen gloriæ, sed per lumen obscurum, quod est proprium status imperfecti, nimirum lumen fidei: ac proinde & intelligit gratiam illam, quæ secundùm communem & regularem cursum est composibilis cum alijs imperfectionibus eiusdem status, qualis est potentia ad peccandum. Idem.

Diximus, *Secundùm communem & regularem cursum.* Quoniam adhuc dato, quòd ex speciali Dei priuilegio sit compatibilis prædicta gratia imperfecta cum impotentia ad peccandum, non tamen ita vt tollatur ab ea, quòd secundùm communem cursum non sit composibilis cum potentia ad peccandum: atque adeò si ibidem fuerit impotentia peccandi, id non proueniet ex vi status, sed ex priuilegio peculiari concesso alicui intra eundem statum.

33 Hinc ergo sequens deducitur ratio, per quam vis rationis D. Thomæ magis aperitur. Quoniam quoduis meritum in ordine ad præmium essentiale claræ visionis Dei debet oriri à gratia imperfecta secundùm statum, ideſt illa, cuius operatio meritoria reguletur per lumen fidei, quæque secundùm communem & regularem cursum sit compatibilis cum potentia ad peccandum: sed repugnat, gratiam sic imperfectam, meritumque ab illa procedens esse simul cum gratia perfecta & consummata, qualis est beatitudo: ergo repugnabit, quòd Angelus in eodem instanti, siue duratione omninò eadem fuerit simul merens, & in termino meriti, seu fuerit beatus. Maior quoad primam partem, nempe, quoduis meritum in ordine ad præmium essentiale visionis Dei debere oriri à gratia imperfecta secundùm statũ, quoad hoc, quod est eius operationem regulandam esse per lumẽ fidei obscurum Enucleatur ratio D. Thom.

obſcurũ, ſatis cernitur in nobis: & idẽ etiam dicendum eſſe in Angelis, ſuadet, quòd ſicut ſumus eiuſdem rationis cum illis quoad præmium, ita & quoad modũ meriti, & ſtatũ imperfectionis, quẽ debet habere gratia, quæ eſt principiũ meriti, quoad regulã, qua eius operatio meritoria regulanda eſt. Maximè, quia ſecundùm leges à Deo ſtabilitas prima principia ordinis ſupernaturalis, quæ ſunt neceſſaria Angelo ad directionẽ operis meritorij reſpectu præmij eſſentialis, ſolũ poſſunt eſſe illi nota, vel per lumẽ gloriæ, vel per lumẽ fidei. Cũq; per illud prius lumẽ nõ reguletur, nec dirigatur præfictũ opus meritorium, ſiquidẽ lumen gloriæ etiam connumeratur inter ſpectantia ad præmiũ eſſentiale: oportet, vt reguletur, & dirigatur per iſtud, nẽpe lumen fidei.

34 Quoad ſecundam verò partem eadem maior conſtat ex notabili nuper poſito, & ex ijs, quæ in nobis contingunt, necnon & ex illis, quæ in Angelis reperta ſunt, in quibus nõ eſt inuenta impotentia ad peccandum, niſi in bonis, & poſtquam beati fuerunt. Nam in primo inſtanti tam boni, quã mali fuerunt impeccabiles, vt ex dictis diſput. præcedenti conſtat: & in ſecundo mali peccarunt, & boni cùm peccare poſſent, non tamen peccarunt, & propterea beatitudinem adepti ſunt, per quam redditi ſunt impeccabiles.

Minor autem videtur perſpicua. Quia nec lumen fidei eſt compatibile cum gratia perfecta & conſummata, nempe cum gratia patriæ, vt communiter docent Thomiſtæ, & in tomo 4. tract. de fide latiùs dicemus, nec potentia peccandi ſtare poteſt cum eadem gratia patriæ, & beatitudine: ex eo quòd hæc tollit omnem miſeriam, ac proinde & potentiam peccandi, quæ quoddam genus miſeriæ eſt, & ponit radicem amoris neceſſarij, & ſuper omnia Dei finis ſupernaturalis, necnon & amorem ipſum: hæc autem cum prædicta potentia peccandi cohærere nequeunt: & ita gratia imperfecta ratione ſtatus, ideſt, quę affert prædictum lumen fidei, & eſt compatibilis cum potentia peccandi, nequibit eſſe ſimul cum gratia perfecta.

Confirm. 1. 35 Confirmatur, ſiue explicatur primò. Quia nomine gratiæ imperfectæ, & perfectę intelligit D. Thomas (vt modò innuebam) gratiam pertinentem ad ſtatum viæ, & ad ſtatum beatitudinis, & cum proprietatibus competentibus ipſi ratione vtriuſque ſtatus: quia ex eis prouenit, illam dici imperfectam, aut perfectam: ſed gratia ſic perfecta, & imperfecta nequit dari in eadem prorſus duratione: ergo nec meritum, & beatitudo, ex quibus illud à gratia imperfecta, hæc verò à gratia perfecta debet oriri. Minor probatur. Nam gratia in ſtatu beatitudinis debet eſſe medio habitu charitatis dilectiua Dei cum omnimoda neceſsitate, cum immutabilitate, in amiſsibilitate, & cum toto conatu, haberque quamdam ſpecialem connaturalitatem, ex eo quòd eſt in proprio & connaturali ſtatu conſtituta: quæ omnia pertinent ad maximam eius perfectionem. At verò in ſtatu viæ caret huiuſmodi perfectionibus, ideoque dicitur gratia imperfecta. At eadem forma nequit ſimul, & reſpectu eiuſdem obiecti habere, & nõ habere prędictas perfectiones, & proprietates: ac proinde eſſe principium operandi reſpectu eiuſdem obiecti neceſſariò, & nõ neceſſariò, immutabiliter, & defectibiliter, ex toto conatu, & ſine illo, eſſe amiſsibilem, & inamiſsibilem de facto, ac tandem eſſe in ſtatu connaturali, & præternaturali: ergo prædicta gratia nequibit in eadem prorſus duratione eſſe ſimul ſic perfecta, & imperfecta.

Confirmatur ſecundò. Quoniam loquẽdo de merito in ordine ad viſionem beatam quoad eſſentialia prædicti meriti, tunc eiuſdem rationis eſt, dum primò incipit, ac dum poſteà continuatur, & eſt in termino: ſicut eiuſdem rationis eſt, loquendo de eſſentialibus, homo, dum incipit, & dum poſteà eius *eſſe* continuatur: ſed dum primò incipit meritum eſſentiale, petit, vt oriatur à gratia imperfecta, vt à principio illius: ergo etiam dum continuatur, & eſt in termino intrinſeco illius: ac proinde, cùm gratia perfecta & imperfecta nequeant eſſe ſimul, neque etiam meritum, & pręmium eſſentiale, ſcilicet clara Dei viſio, ſimul inueniri poterunt. Minor probatur. Quoniam prædictum meritum, dum incipit, eſſentialiter petit oriri à gratia: at non à gratia perfecta & conſummata, alioqui principium meriti caderet ſub merito: ergo à gratia imperfecta: ſiquidem gratia, non qualitercumque, ſed ſub aliquo ex his ſtatibus, nempe ſub ſtatu perfecto, aut imperfecto, debet eſſe principium merendi. Confirm. 2.

Impugnatur iterum ſolutio Caietani. 36 Deinde eadem ſolutio Caietani poteſt impugnari ex eo, quòd vel meritum illud, vt in termino, procedit à voluntate Angelica, tanquam à potentia libera præcisè quoad exercitium? vel tanquam à potentia libera, tam quoad exercitium, quàm quoad ſpeciem boni, & mali? Si primum: ergo prædictum meritum nequit eſſe meritum in ordine ad viſionem beatam: quoniam ad hoc deſiderabatur, ſaltem ſecundùm communem curſum, ſecundùm quem in præſenti de illo loquimur, quòd præcederet prioritate naturæ eandẽ viſionẽ beatam: cùm tamen meritũ quoduis Angelicum, præter illud, quod habetur in primo inſtanti ſui *eſſe*, ſi admittatur eſſe liberum præcisè quoad exercitium, non ſit hoc modo liberum, niſi ratione viſionis beatæ tollentis peccabilitatem Angeli: & ita priùs erit, ipſum eſſe beatum, quàm habere opus meritorium, quod ſit liberum præcisè quoad exercitium. Si autem ſecundum dicatur, nequi-

bit prædictum meritum esse simul in eadem omninò duratione cum præmio, nempe cum visione beata: quandoquidem meritum istud necessariò affert potentiam peccandi: & hęc nequit esse simul duratione cum visione beata, quæ necessariò secum importat impotentiam ad peccandum: alioqui Angelus in eadem omninò duratione esset simul peccabilis, & impeccabilis.

§. III. *Ex dictis deducitur impugnatio aliquorum, quæ pro se Caietanus adducit.*

Impugnatur primũ dictum Caietani.

37 EX quibus sit primò, manere impugnatum id, quod in fauorem suæ solutionis adducit primò Caietanus, nempe, Angelum sanctum in illo instanti potuisse cadere, & stare, mereri, & demereri: & nihilominus in eodem instanti fuisse beatũ: ex eo quòd prædictum instans non erat puræ viæ, sed termini viæ. *Quoniam actus ille* (ait) *vt inchoatur ex libero arbitrio, & gratia, meritorius est. In quantum verò completur per gloriam, beatitudo est.* In quibus verbis videtur innuere Caietanus, quòd eidem actui in eodem instanti reali conueniat, vt priùs natura sit meritum, & posteriùs natura præmij rationem habeat.

Ex dictis igitur constat, hoc manere impugnatum, Quoniam etsi diuersa signa rationis, quæ in eodem instanti reali distinguimus, sint satis ad hoc, vt in eorum vno non intelligamus aliquid, quod reuera in illo instanti est, nõ tamen ad hoc, vt propter solam distinctionem rationis horum signorum possimus concipere, & enuntiare de eodem subiecto aliqua contradictoriè, aut priuatiuè opposita: quia quæ sic opponũtur, nõ possunt in aliquo instanti simul esse: ac proinde nec prodiuersis signis rationis, aut naturæ, quę in eodem instanti reali simul sunt, ab eo que mensurantur. Ergo cùm ille actus, vt inchoatur (iuxta id, quod dicit Caietanus) ex libero arbitrio, & gratia meritorius sit, non qualitercumque, sed cum potestate demerendi, nequibit idemmet compleri per gloriam, & esse beatitudo in eodem instanti: siquidem sic includit impotentiam ad demerendum, aut cadendum.

Præterea. Si ille actus, vt inchoatur ex gratia, & libero arbitrio, meritorius est, habebit vtique esse liberum: si autem in eodem instanti beatitudo est, conueniet ei esse posteriùs natura omninò necessarium. Constat autem, vnum & eundũ actum, & respectu vnius & eiusdem obiecti, non posse esse simul necessarium, & liberum.

Impugnatur secundũ dictum Caietani.

38 Fit secundò, manere etiam impugnatum id, quod Caietanus paulò post insinuat, quod illi duo actus, nimirum meritorius, & beatificus, sunt inter se distincti. Nam explicans id, quod Angelicus Præceptor docet, scilicet, Angelum per vnum dumtaxat actum ad suam beatitudinem peruenisse, addit: *Via scilicet vt via: cum quo stat, quòd exigatur aliter vt terminus. Via enim pura in vno consistit: sed aggregatum ex via, & termino ex duobus actibus meritorijs, & instantibus constat.* In quibus verbis Caietanus non dissentit à priori dicendi modo. Nam licèt admittat duos actus meritorios, quorum primus sit in primo instanti, & secundus in secundo: attamen ille est purè meritorius, iste verò meritorius, simul & beatificus. Et propterea in verbis nuper relatis dixit, quòd actus ille, vt inchoatur ex libero arbitrio, & gratia, meritorius est: in quãtũ verò cõpletur per gloriam, beatitudo est. Ex his igitur, quæ diximus, satis liquet, hoc etiam manere impugnatum. Tum quidem. Quoniam si actus ille, vt inchoatur ex libero arbitrio, & gratia, meritorius est, inchoauit vtique vt regulatus per fidem: & ita nequibit in eodem instanti esse simul beatitudo, complerique per gloriam visionis beatæ. Tum etiam. Quia (vt modò dicebamus) prædictus actus esset simul liber, & necessarius respectu eiusdem obiecti.

Illustratur confutatio.

Adde, quòd vel ille actus elicitus in secundo instanti vt est meritorius, distinguitur ex natura rei à se ipso, vt beatitudo est, seu ad beatitudinem pertinet, vel non? Si hoc secundum dicatur, nequibit prædictus actus esse simul meritum, & præmium: quia idem absque aliqua distinctione, saltem ex natura rei, non potest habere simul rationem meriti, & præmij. Secundum autem dici nequit: tum propter dicta, scilicet, quia in eo euentu oporteret, vt ille actus, quatenus meritorius, regularetur per diuersam regulam, ac ipsemet vt distinctus ex natura rei à se ipso, vt est beatitudo, vel ad beatitudinem pertinet. Et ità, cùm actus voluntatis Angelicæ, vt pertinet ad beatitudinem, reguletur per lumen glorię, oportebit, prædictũ actum, vt meritorium, ex natura rei distinctum regulari per lumen fidei: & per consequens erunt simul in eodem instanti hæc duo lumina: quod (vt ex dictis constat) repugnãtiam inuoluit. Tum etiam. Quia si prædictus actus, vt meritorius est, nõ regularetur per lumen fidei, sed per lumen gloriæ, non esset vnde distinguerentur aliqua distinctione ex natura rei, & ad præsens conducenti: quoniam oriretur ab eodem principio, nempe à gratia consummata, & regularetur per idem lumen, & tenderet in idẽ obiectum, & eodem modo tendendi, nempe in Deum clarè visum, & prout est in se.

Impugnatur distinctio Caietani.

39 Fit tertio, nihil iuuare Caietanum, distinctionem illam de merito, prout in via, & prout in termino, sed in ea latere æquiuocationem,

tionem. Nam vel nomine meriti, prout in termino, intelligit terminum (vt aiunt) intrinsecum meriti, ac proinde ita vt meritum tunc desinat per vltimum sui *esse*, verificeturque de illo, in eodem instanti esse, licèt immediatè pòst non erit, & terminus meriti, nempe beatitudo, incipiat tunc per primum sui *esse*, verificeturque de illo tunc primò esse? Vel prædictus terminus tantùm sit extrinsecus (vt aiunt) respectu meriti, & per consequens ita vt vltimum *esse* meriti non sit primum *esse* prædicti termini, sed tãtùm vltimũ *non esse*, ex eo quòd dũ verificatur esse meritũ, nequit verificari esse prædictum terminum, sed tantùm immediatè pòst? Si hoc secundum dicatur, habemus intentum, nempe, in eadem prorsus duratione, siue instanti nostri temporis non esse simul meritum Angeli in ordine ad suum præmium essentiale, & terminum ipsius, nempe prædictum præmium. Si autem primum asseratur, procedunt contra Caietanum impugnationes hucusque factæ, vt consideranti patebit.

§. IIII. *Colligitur ex dictis præclusio aliarum euasionum, quæ in Caietani fauorem à Nazario adhibentur.*

Euasio Nazarij. 40 Fit quartò, manere præclusam euasionem, quam ad maiorem explicationem solutionis Caietani adducit Nazarius in præsenti controuersia vnica, §. *Ex quibus perspicuè patet*, nimirum, quòd in illo secundo instanti, in quo manet meritum vt in termino, manent etiam fides, & similiter potentia peccandi, vt in termino: sic autem fides, & prædicta potentia sumptæ, non sunt incomposibiles cum beatitudine, licèt ipsæ secundùm se, & non prout in termino, habeant incompossibilitatem cum illa: & ita saluantur in eo instanti fides, libertas, & potestas peccãdi vt in termino, sicut & ipsum meritum est meritum vt in termino. Vt autem explicet Nazarius, quomodo ista maneãt vt in termino, animaduertit, in quolibet actu meritorio viatoris, & eius habitu esse rationes aliquas dicentes perfectionem formaliter, & aliquas dicentes imperfectionem formaliter: vt v. g. in habitu fidei, & eius actu est ratio cognitionis, & certitudinis dicens perfectionem formaliter, & est etiam obscuritas, quæ formaliter imperfectio est: similiter in actu spei est appetitio beatitudinis ad perfectionem pertinens, estque etiam eiusdem beatitudinis carentia imperfectionem dicens: & deinde in charitate viatoris est actus ipse dilectionis, qui perfectio quædam est, sed in ea quædam imperfectio inuenitur, quia non perseuerat, sed sæpè desinit, ac redit alius, & alius actus charitatis, & habitus ipse potest per peccatũ in viatore deperdi, nec perfectionem attingit beatificæ dilectionis, ac fruitionis. Cùm igitur in re proposita ratio termini dicat perfectionem rei terminatę, inde est, actum fidei in termino esse in eodem instanti simul cum visione beata, & non ob id obscuritatem, quæ est fidei imperfectio, esse simul cum claritate visionis beatificæ in eodem instanti indiuisibili, sed id quod perfectionis in fide est, scilicet cognitionem diuinorum supernaturalium, esse simul cum visione beata: & similiter spes, charitas, & meritum viatoris, ac proinde potentia ipsa peccandi dicitur esse simul cũ beatitudine quoad perfectiones tãtùm in eis inclusas. Et ad hoc significandum, addit Nazarius, dixisse Caietanum simul nõ esse gloriam perfectam, & imperfectam, sed simul esse terminum gratiæ imperfectæ, & gratiam perfectam.

Impugnatur. 41 Ex dictis igitur euasio hæc manet præclusa, vt intuenti patebit. Potestque præclusio ista magis elucidari. Tum ex eo, quòd (vt benè præuidit idem Nazarius) actus fidei quoad id, quod perfectionis est præcisè, non est simpliciter, aut verè actus fidei, sed quædam eius ratio valdè communis: & similiter meritum quoad id, quod perfectionis est præcisè, & seclusis imperfectionibus, non est meritum: quia vtrumque, nempe meritum, & fides, in sua intrinseca ratione claudit imperfectionem. Igitur affirmare, fidem & meritum quoad id, quòd perfectionis est in eis, posse esse simul cum beatitudine, erit idem ac dicere, quòd simpliciter, verè, & proprie fides, & meritum nequeunt simul esse cum eadem beatitudine. Et ita non statur intra limites dubij, quod discutimus, an nimirum vera, & essentialis ratio meriti in ordine ad præmiũ essentiale, quæ sit simpliciter talis, possit stare simul in eadem prorsus duratione cũ beatitudine. Tum etiam. Quoniam eodem pacto posset affirmari, Angelos beatos nũc habere fidem, & meritum: ex eo quòd in eis sit, quicquid perfectionis in merito, & in fide, ac eius actibus inuenitur.

Confirmatur, & explicatur. Confirmatur, & magis explicatur ex iam dictis. Nam vel per hoc, quod est manere fidem in termino, solùm significatur manere ipsum terminum fidei, non tamen aliquid distinctũ ab eodem termino, sed ea solùm, quæ ad eius integram, & completam rationem pertinent? vel denotatur, quòd præter terminum ipsum, manet aliquid aliud distinctum à termino, habens rationem, aut perfectionem fidei, quodque simul sit cum termino? Et similiter cum dicitur, manere in termino meritum quoad id, quod perfectionis est, vel solùm intelligitur manere ipsum terminum, & beatitudinem? vel aliquid præter illam? Si primum: ergo in illo instanti solùm erit beatitudo, & terminus ipse: & ea solum ratione

dicetur

dicetur esse ibidem meritum, & præmium, quoad id, quod perfectionis est, quia est ibidem solummodò beatitudo ipsa. Imo eodem pacto posset dici manere fidem, & meritum vt in termino, quoad id, quòd imperfectionis est: quia per hoc tantùm denotatur, quòd in eo instanti reperitur terminus illarum imperfectionum. Secundum autem dici non potest. Quoniam hoc ipso, quòd maneret aliquid distinctum à termino, & beatitudine, & non pertinens ad ipsam rationem cõpletam beatitudinis, deberet manere ipsa fides, & meritũ secũdùm se, & formaliter, ac proinde quoad id, quòd perfectionis, & imperfectionis dicit: siquidem id, quòd perfectionis est in fide, & in actu charitatis formaliter meritorio, solum potest manere, vel in eisdemmet formaliter, vel in superiori lumine, & actu charitatis consummato, seu patriæ.

Effugiũ Nazarij. 42 Neque obest id, quod Nazarius respondet, nimirum, fidem, & meritum, prout in termino, esse aliquid distinctum ab ipso termino, & beatitudine formaliter sumpta. Quia fides, & meritũ, prout in termino, dicũt beatitudinem ipsam, prout *in fieri*: terminus autem, & beatitudo formaliter sumpta, dicit se ipsam, prout *in facto esse*, secundum quàm rationem distinguitur à se ipsa, prout *in fieri*, & perconsequens à fide, & merito, prout in termino. Et ita hinc non infertur, manere fidem, aut meritum secundum sui rationem formaliter sumptã, nec posse affirmari, quòd nunc in Angelis bonis sit meritum, & fides, prout in termino: siquidem nunc non est beatitudo prout *in fieri*, sed prout *in facto*, & *consummato esse*.

Præcluditur. Non itaque hæc solutio obest. Nam beatitudo ipsa, prout *in fieri*, habet verã rationẽ præmij: & propterea actus dilectionis Dei secutus ad visionẽ clarã Dei, ad huc prout est dilectio *in fieri*, est actus omninò necessarius tã quoad specificationẽ, quã quoad exercitiũ, excludẽs omnẽ potẽtiã peccandi, omnẽque miseriã: & similiter ob hãc rationẽ merẽs beatitudinẽ, habet ius iustitiæ, tũ ad *fieri*, tum ad *factum esse* eiusdẽ beatitudinis. Ergo sicut ea præcisè ratione dicitur, fidem, & meritum manere, vt in termino, in beatitudine *in facto esse*, quia solummodo manet ipsa beatitudo, ipseque terminus fidei, & meriti: ita ea solummodo ratione dicetur manere ista in beatitudine, vt *in fieri*, quia ipsa est etiam terminus, & præmium prædicti meriti.

Confirmatur. Confirmatur. Quia beatitudo, prout *in fieri*, non addit nouam aliquam rationem meriti, aut augmenti, vel continuationis ipsius: ergo præcisè ibidem dicetur manere meritũ in termino in secũdo instãti, quia manet ipsa beatitudo *in fieri*, quę etiã est terminus meriti. Antecedẽs probatur ex modò dictis. Quoniã prædicta beatitudo *in fieri* infert actum dilectionis Dei omninò necessarium: & ita per talem actum non potest addi noua ratio meriti, aut præcedens continuari. Sicut neq; etiam (vt ita alia euasio præcludatur) per illummet actum dilectionis, vt terminatur non immediatè ad Deum, sed ad creaturas, nequit meritum in ordine ad præmium essentiale continuari, aut noua ratio meriti ibidẽ inueniri: quia actus ille, vt terminatus ad creaturas, licèt sit liber, attamen supponit se ipsum, tam *in fieri*, quã (vt sic dicamus) *in facto esse* terminatũ ad Deũ: atq; adeò supponit ipsam beatitudinẽ *in facto esse*, & ita nequit esse aliqua ratione meritũ in ordine ad ipsã.

Adde, quòd in beatitudine, & dilectione beatifica, probabilius est, non distingui *fieri*, & *factum esse*, sed operationes has ob sui eminentiam esse simul *fieri*, & (vt sic dicamus) *factum esse*: & ideò visio beatifica non habet terminũ productum, estque satis probabile, dilectionem beatam eo carere, & solummodo Deum ipsum in ratione obiecti dilecti esse vnitum cum voluntate beata, sicut & in ratione obiecti intellecti est vnitus cum intellectu eiusdem beati, vt in tractatu præcedenti, & in 1. tomo tractatu 2. disput. 2. n. 222. diximus.

Dubium. 43 Sed inquires, vtrùm ex his rationibus, & impugnationibus non solum colligatur, secundùm legem ordinariam, sed etiam secundùm potentiam absolutam nõ posse esse simul meritum in ordine ad visionem beatificam cum eadem visione.

Resolutio. Respondetur, nos quoad præsens solùm intendere, non posse secundùm leges factas à Deo, circa meritum visionis beatificæ cohærere, quòd eis seruatis, adhuc per diuinam potentiam dentur simul in eadem prorsus duratione prædictum meritum, & visio beatifica. Vtrùm autem possit alias condere leges circa meritum eiusdem beatitudinis, & an secundum illas possint per diuinam potentiam esse simul in eadem prorsus duratione tam visio beatifica, quam illius meritum, alibi (Deo dante) explicabitur.

§. V. *Assertio posterior ex D. Thoma deprompta.*

Secunda cõclusio. 44 DIcendum est secundò, Angelos malos non in eadem prorsus duratione omninò liberè demeruisse, ac peccasse, & simul damnatos fuisse: sed dãnationem hanc, seu pœnam damni immediatè in sequenti duratione, siue instanti subijsse. *Petrus de Ledesma. Suarez. Vazquez. Molina. Scotus. Greg. Maior. Gabriel.* Assertio hęc (vt testatur Petrus de Ledesma) est communis inter iumores Thomistas, eãque tuentur Suarez, Vazquez, Molina, Scotus, Gregorius, Maior, Gabriel assertione præcedenti relati, aperteque deducitur ex testimonijs D. Thomæ, necnon ex ratione

Fundamentum. eiusdem

eiusdem S. Doctoris pro eadem assertione adductis. Quoniã de demerito, & pœna essentiali Dæmonis eodẽ proportionali modo philosophandum est, ac de merito, & præmio essentiali bonorũ Angelorũ: sed isti non in eadem prorsus duratione, & instanti meruerunt præmiũ essentiale, & illud cõsecuti sunt: ergo nec illi in eadẽ prorsus duratione peccauerũt & pœna essentiali puniti sunt, sed immediatè post in sequenti instanti, siue duratione.

Confirm. 1. Confirmatur ratione insinuata à D. Thoma. Quia nequit Angelus esse simul intra, & extra viã, & cũ potentia, & impotentia ad merẽdum: ergo nec potuerũt simul omninò liberè peccare, & demereri, & simul pœnã essentialẽ actu subire. Patet cõsequẽtia. Quoniã ex quo capite Angelus malus illã actu subiret, esset extra viã, & cũ impotentia ad merendũ: at ex quo capite omninò liberè peccaret, & demereretur, esset intra viã, & cũ potẽtia ad merẽdũ

Confirm. 2. Confirmatur secundò ratione, quã etiã innuit idem S. Doctor. Quoniam nequit Angelus esse, & non esse simul sub lumine fidei, & alijs donis supernaturalibus: at si in eadẽ prorsus duratione omninò liberè peccasset, & pœnã prædictã subijsset, tunc esset, & non esset simul sub lumine fidei, & alijs donis supernaturalibus, purà sub spe supernaturali, & auxilijs sufficiẽtibus ordinis supernaturalis in ordine ad merendũ, si eidem Angelo libuisset: ergo, &c. Minor probatur. Quia in eadem duratione, in qua Angeli sunt in statu damnationis, eo ipso carent omnibus donis supernaturalibus: cùm tamen in ea prorsus duratione, in qua possunt omninò liberè peccare, & demereri, habeant prædicta dona supernaturalia. Et ita, si prædictum demeritum, & pœna in eadem omninò duratione coniungerẽtur, consequens esset, vt Angelus simul esset, & nõ esset sub prædictis donis supernaturalibus

§. VI. *Opposita sententia, cum suis fundamentis, & eorum enodationibus.*

Oppositasententia. 45 CONtrariam tamen sententiam, nempe, Angelos bonos in eadẽ prorsus duratione omninò liberè meruisse, & simul Deũ vidisse, similiterq; Angelos malos in eadem omninò duratione liberè omninò peccasse, & demeruisse, & pœna essẽtiali multatos fuisse, tuentur Caietanus, & Nazarius in *Caietanus Nazarius Ferrara.* præsenti, & Ferrara 3. contra Gent. c. 110. quoad Angelos malos probatur primò. Quoniam in motibus, seu operationibus subitis, si mul potest esse *fieri*, & terminus eiusdẽ *fieri*, vt patet in illuminatione solis, & creatione Angeli, aliisque similibus: sed meritum, aut demeritum Angelicum potest esse operatio omninò subita, & instantanea: ergo vnà cum illis poterit esse visio beatifica in Angelis bonis, & priuatio illius in malis. **Primũ fundamentum**

Cõfirmatio Confirmatur. Quia in eadem prorsus duratione, in qua datur actus charitatis feruidus hominis iusti, datur augmentũ eiusdẽ charitatis, quod se habet per modũ meriti respectu illius actus feruidi: ergo non est cõtra ratiõ meriti, & præmij, sed potiùs eis consonũ, quòd vtrũque sit prorsus in eadem duratione.

Respõdetur ex dictis, quòd ex hoc argumẽto, & eius cõfirmatione ad summũ sequitur, nõ repugnare ob rationem generalẽ operationis subitę & instãtaneæ, & termini illius, neq; ob rationem itidem cõmunem meriti, & præmij, secùs tamen ob specialem rationem, quæ procedit inter meritum æternæ beatitudinis, & beatitudinem ipsam, vt explicatum est. **Soluitur fũdamentum & confirmatio.**

Adde, ex hoc argumento, & eius confirmatione conuinci, simul esse mereri, & meruisse; non tamẽ mereri, & præmium recipere. Nam meritũ nõ se habet ad præmiũ sicut *fieri* vniformę ad *factũ esse* eiusdẽ, sed sicut *fieri* vnius formæ ad *fieri*, & *factũ esse* alterius consequẽter se habentis: nam meritum, & præmiũ, de quibus loquimur, sunt duæ formę consequenter se habentes, & repugnãtes in eodẽ instãti.

46 Secundò probatur eadem sententia. Nam in eodẽ instãti, in quo peccator conuertitur ad Deũ, infunditur ei gratia sanctificãs: ergo etiã in eodẽ instanti, in quo Angelus omninò liberè meretur visionẽ beatificã, aut carentiam illius, poterit habere eam, aut carere ipsa, imò de facto hoc ita continget. Antecedens supponitur ex his, quæ docet D. Thom. 1.2 q. 113. art. 8. & ex ibidẽ à nobis latiùs dicendis patebit. Consequentia verò quoad primã partem exparitate rationis patere videtur. Nam sicut contritio peccatoris est via, & dispositio ad gratiam sanctificantem: ita etiã meritũ visionis beatificæ habet rationem viæ & dispositionis ad ipsam, vt est præmiũ. Quoad secundã vero partem, nempe, id de facto contingere, eadẽ consequentia liquet. Nam, vt dubio sequẽti dicemus, satis est vnicus actus plenè liber in Angelis ad hoc, vt consequantur suam beatitudinem: ergo si semel meritum, & præmium essenciale possunt esse simul, sicut contritio, & gratia iustificans, non est cur Angeli in secundo instanti, in quo habuerunt actum omninò liberum, non habuerint etiam præmium, aut pœnam pro qualitate actuum liberorum, quos elicuerunt. **Secundum fundamentum.** *D. Thom.*

Respondetur ex dictis concedendo antecedens, & negando consequentiã. Nam meritũ beatitudinis, & ipsa beatitudo, quæ est præmium, procedunt ex principijs incompossibilibus, scilicet ex fide, & ex lumine gloriæ: & ideò non possunt esse simul. At verò conuersio ad Deum, & infusio gratiæ non procedunt ex principijs incompossibilibus: & ideò possunt simul inueniri. **Responsio.**

47 Tertiò probatur prædicta sententia. Nam anima rationalis in primo instanti suæ separationis à corpore, quod est primum in- **Tertiũ fundamentum**

stans

ſtans termini, quodque poteſt eſſe primum in ſtã beatitudinis, ſolet mereri: ergo eadem ratione Angelus in primo inſtanti ſui termini, & beatitudinis poterit mereri, & ſimul eſſe beatus. Conſequentia ex paritate rationis videtur patere. Et antecedens probatur. Quia Martyr non meretur coronam martyrij ante mortem, ſed in inſtanti ſeparationis animæ: Nam ad rationem martyrij, & per conſequẽs ad eius meritum requiritur, quòd martyr verè & realiter moriatur: quod quidem non verificatur vſque ad prædictum inſtans ſeparationis animæ.

Confirm. 1. Confirmatur. Nam ſiquis exiſtens in lethali, attritus tamen, cõfiteatur, & in inſtanti terminatiuo verborum abſolutionis moriatur, ita vt primũ *non eſſe* prædictorũ verborum ſit etiã primum *non eſſe* talis hominis, tunc in illo inſtanti ſeparationis animæ infunditur ei gratia ſanctificans, remittetur ei peccatum, & merebitur præmium eſſentiale, & niſi alias impediatur ratione alicuius pœnæ, quam debet luere in purgatorio, erit ſimul beatus: ergo eadem ratione Angelus in termino viæ poterit ſimul eſſe merens, & beatus.

Confirm. 2. Confirmatur ſecundò. Quoniam in termino vię ſolent animæ iuſtorũ mereri remiſſionem venialium, & diſponere ſe ad recipiendũ augmentũ gratiæ, quod meruerant in via, & non fuerat eis collatum propter defectũ diſpoſitionis: ergo non eſt cur Angelus non potuerit mereri beatitudinem in termino viæ.

Confirm. 3 Confirmatur tertiò. Quia alioqui poterit adultus obtinere beatitudinem ſine proprio merito: quod tamen non videtur concedendum. Probatur ſequela. Quia ſiquis cum peccato mortali, in quo fuit ab inſtanti vſus rationis, & cum ſola attritione confiteatur & antequam ſacerdos proferat formam abſolutionis, incidit in amentiam, & in ea conſtitutus abſoluatur, tunc iſte perſeuerans in illa amentia vſque ad finem vitæ ſaluabitur: & tamen non propter merita, quæ habet in via: quia (vt ſupponitur) ab inſtanti vſus rationis vſque ad amentiam fuit in peccato mortali: ergo niſi in termino viæ mereatur gloriam correſpondentem illi gratiæ ſacramentali, recipiet beatitudinem abſque aliquo merito.

Diluitur tũ dam. *Ferrara.* *Bañez.* 48 Reſpondetur, negando antecedens cum Ferrara 4. contra Gent. c. 91. & Bañez, infrà q. 64. art. 2. Nam iuxta Sanctorum Patrum doctrinam, homo ſolùm reddet rationẽ de his, quæ geſſit in corpore, & adueniente morte, iã non eſt locus merẽdi, aut demerẽdi. Et ad probationẽ in cõtrariũ dicendũ eſt primò, probabile eſſe, nõ requiri ad verã rationẽ martyrij, quòd mors actu ſubſequatur, actuq; ſuſtineatur, ſed ſatis eſſe, quòd quis ſe exponat actu tormentis efficaciter illatiuis mortis, ita vt, quantũ eſt ex vi illorũ tormentorũ, & vulnerũ, mors actu ſequeretur, niſi per accidens impedita fuiſſet. Vnde iuxta hunc dicẽdi mõdum, quando actu ſubſequitur mors, tũc quis ante illam potiori ratione erit martyr, habebitque omne martyrij meritũ toto illo tẽpore antecedente ad inſtans mortis, in quo verificatur hominem illum tunc non eſſe: ac proinde in prędicto inſtanti nihil de præmio eſſentiali merebitur.

Diluitur ſecundo. 49 Vel ſecundò dicendũ eſt cũ D. Th. 2. 2. q. 124. art. 4. fatendo, quod ad perfectam rationẽ martyrij requiritur, quòd aliquis mortẽ ſuſtineat propter Chriſtum, & per conſequens, quòd actu moriatur: tunc tamen actus martyrij incipit, & continuatur toto illo tẽpore, quo incipiunt. & continuantur vulnera actu cõtinuata vſque ad mortẽ incluſiuè, ita vt mors ſit terminus illorũ. Cæterum meritum martyrij, nõ eſt neceſſe, vt duret intrinſecè, & incluſiuè vſque ad ipſam mortẽ: ſed cũ verificatur hominẽ mori, ſeu tunc primò non eſſe, verificatur etiã, tunc actu non mereri: & ita in eo euentu plùs durat martyriũ, quàm martyrij meritum: ſiquidem illud incipit, & continuatur vſque ad mortẽ incluſiuè, ſeu vſque ad primũ *non eſſe* hominis illius, hoc verò nõ niſi vſque ad mortẽ excluſiuè perdurat. Quæ ſolutio deſumitur ex D. Thoma loco citato in ſolut. ad 4. vbi cùm ſibi ſic obiecciſſet, quòd *Martyriũ eſt actus meritorius: ſed actus meritorius non poteſt eſſe poſt mortẽ: ergo ante mortẽ: & ita mors nõ eſt de ratione martyrij.* Reſpondet in hæc verba: *Dicendum, quòd meritũ martyrij non eſt poſt mortem, ſed in ipſa voluntaria ſuſtinentia mortis, prout ſcilicet aliquis voluntariè patitur inflictionem mortis. Contingit tamen quandoque, quòd aliquis poſt mortalia vulnera pro Chriſto ſuſcepta, vel quaſcũque alias tribulationes continuatas vſque ad mortem, quas à perſecutoribus patitur pro fide Chriſti, diu viuat: in quo ſtatu actus martyrij meritorius eſt, & etiam ipſo eodem tempore, quo huiuſmodi afflictiones patitur.* *D. Thom.*

Nec obeſt, quòd cõplementum, & perfectio actus externi alicuius actus virtutis ſit talis conditionis, vt nequeat eſſe in ſe, & formaliter meritorius, ſed ſolũ eſſe obiectũ meriti. Quia etſi in alijs rebus, & actibꝰ externis, quæ poſſunt informari actu interno volũtatis viatoris, vt talis, id non contingat; ſecùs vero in illis, quæ ex ſui ratione nequeunt illo informari: ex eo quod petunt tunc eſſe, quando voluntas illa non eſt viatoris, vt talis.

Ad primã cõfirmationẽ reſpondetur 1. 50 Ad confirmationem reſpondetur quod adhuc dato, hominẽ illũ in prædicto caſu iuſtificandũ eſſe in inſtanti terminatiuo prolationis verborũ, ac proinde in inſtanti, in quo per primũ *nõ eſſe* prædictꝰ homo deſinit: hinc tamen non fit, quod in eo inſtanti mereatur gloriã. Quoniã gloria correſpondens gratiæ tũc infuſæ, nõ tribuitur illi ex vi meriti, & per modũ coronæ: ex eo quod diſpoſitio ad illam

gratiam

gratiam non fuit informata gratia, & propterea nec fuit meritoria gloriæ.

Secundo. Secundò reſpondetur, eſſe ſatis probabile, in eo euentu hominem illum non eſſe iuſtificandum: non quidem ex defectu formæ ſacramenti, ſed ex defectu ſubiecti capacis: quia ſubiectum, in quod vim habent formæ ſacramentorum, non eſt anima ſeparata, ſed totus homo. Sicut ſi vinum, dum conſecratur, ita aceſcat, vt primum *non eſſe* verborum conſecrationis ſit primum *non eſſe* vini, ex eo quòd factum eſt acetum, tunc non fiet conuerſio ex defectu ſubiecti: quia materia apta ex Chriſti inſtitutione ad conuerſionem non eſt acetũ, ſed vinum: & propterea non ſub ſpeciebus aceti, ſed ſub ſpeciebus vini conſeruatur ſanguis Chriſti.

Ad ſecundã confirm. 51 Ad ſecundam confirmationem tranſeat antecedens, ſed neganda eſt conſequentia. Quoniam nec ſatisfactioni pro peccato veniali, nec diſpoſitioni ad recipiendum augmentum gratiæ conueniunt proprietates aliquæ repugnantes ſtatui, ſub quo tunc ſtat anima: cùm tamen meritò competant proprietates repugnãtes ſtatui beatitudinis, ſub quo anima ſupponitur eſſe in eo inſtanti.

D. Thom. Quæ ſolutio deſumitur ex D. Thoma in 4. diſt. 21. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 1. in fine. Nam in fine corporis ſic inquit: *Dicendùm, quòd culpa venialis in eo, qui cùm gratia decedit, poſt hanc vitam dimittitur per ignem purgatorij: quia pœna illa aliqualiter voluntaria virtute gratiæ habebit vim expiandi culpam omnem, quæ ſimul cum gratia ſtare poteſt.* Et inſolut. ad 4. ſic aſſerit: *Dicendum, quòd poſt hanc vitam non poteſt eſſe meritum reſpectu præmij eſſentialis: ſed reſpectu alicuius accidentalis poteſt eſſe, quandiu manet homo in ſtatu viæ aliquo modo. Et ideò in purgatorio poteſt eſſe actus meritorius, quãtum ad remiſſionem culpæ venialis.*

Ad vltimã confirm. Ad vltimam confirmationem reſpondetur, ex ea ad ſummum probari, hominẽ adultum per accidens poſſe conſequi beatitudinem ſine vllo merito proprio ratione gratiæ ſibi collatæ per ſacramentum ex opere operato: de quo, an ita ſit, necne, alibi Deo dante dicetur. Cæterùm adhuc hoc in nobis admiſſo, non ideò de Angelis admittendum eſt, quòd ſecundùm legem ordinariam potuerint eſſe beati abſque proprio merito habito in via. Quoniam in ordine ad ipſos nulla Deus inſtituit ſacramenta, aut media, quibus applicentur eiſdem merita Chriſti Domini, conferaturque gratia ex opere operato.

Quartũ fundamentum: 52 Quartò probatur prædicta ſententia quoad Angelos malos. Nam inſtantia ſumũtur penes diuerſa iudicia intellectus: ſed ſecũdum iudicium, quod mali Angeli habuerunt de amanda propria excellentia, etiam modò manet in illis: ergo manet in illis ſecundum inſtans: & ſic in ſecundo inſtanti ſunt damnati, & peccauerunt.

Confirmatur. Quoniam Angeli mali in ſecundo inſtanti, in quo peccauerunt, redditi ſunt inflexibiles in malo: ergo in eodem fuerunt actu damnati. Patet conſequentia. Quia prædicta inflexibilitas videtur propria damnatorum. Confirmatur.

Reſpondetur, non potuiſſe manere idem iudicium. Quia in ſecundo inſtanti fuit iudicium de amanda propria excellentia ſine cõſideratione regulæ: poſteà verò, quando damnati ſunt, habent iudicium de amanda propria excellentia, cum conſideratione, quod eſt contra legem Dei: nam habent remorſum conſcientiæ, qui facit illos conſiderare, quòd ſit contra prædictam legem. Sunt autem hæc diuerſa iudicia, nimirum, amandam eſſe propriam excellentiam non conſiderata regula & lege Dei; & amandam eſſe eandem excellentiam, etiamſi ſit contra legem diuinam. Solutio.

Ad confirmationem reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiã. Et ad probationem dicendum eſt, inflexibilitatem Angelicam in malo eſſe propriam, tũ Angelorum actu damnatorum, tum etiam eorundem, vt immediatè poſt damnãdi ſunt: Et ideò ex eo, quòd in ſecundo inſtanti redditi fuerint inflexibiles in malo, nõ ſequitur, eſſe actu damnatos, ſeu actu in illo inſtanti pœna damnationis punitos eſſe. Ad confirmationem.

53 Vltimò probatur prædicta ſententia, quoad eoſdem Angelos malos, à Nazario teſtimonio Auguſtini, ſiue Fulgentij ſic dicentis: *Pars itaque Angelorũ à ſuo creatore Deo, quo ſolùm bono beata fuit, voluntaria prorſus auerſione diſceſſit, æquitatiſque ſupernæ iudicio initium ſuæ damnationis in ipſa auerſione voluntatis inuenit, vt non aliud eſſet incipere iam puniri, quam illius beatificì boni dilectione deſtitui.* Vltimũ fundamentum ex Fulgent.

Confirmatur ex Gregorio Nyſſeno lib. 1. Philoſophiæ cap. 3. & ex Damaſceno lib. 2. de Fide cap. 4. dicentibus hoc in Angelis lapſum fuiſſe, quod in hominibus eſt mors: at in ipſo mortis momento ſubeunt homines damnationis effectum: igitur etiam Dæmones in ipſo primo priuationis inſtanti pœnã ſuæ damnationis accipiunt. Confirm. *Nyſſen.* *Damaſce.*

54 Nec obeſt, ſi occurras ex Vazquez, Patres iſtos non loqui de morte *in facto eſſe*, hoc eſt, de momento illo ſeparationis animæ à corpore, ſed præuijs diſpoſitionibus, quæ proximè præparant ad mortem: quia tunc dicitur homo mori, in inſtãti autem ſeparationis dicitur iam mortuus: & huic morti *in fieri* comparant Patres lapſum Angelorum, vt cõſtat ex verbis, quæ ibidem adducit Damaſcenus: nam inquit: *Poſt lapſum enim præcluſa iã eſt illis omnis reſipiſcẽdi facultas, quẽadmodum* Effugiũ Vazquez. *Damaſce.*

dum & hominibus, postquam ex hac vita migrarunt. In quibus verbis non dicit Damascenus, Angelis in ipso lapsu fuisse præclusam viam salutis, sed post lapsum, nec hominibus in illa migratione, & morte, sed post mortem. Constat autem, hominibus præclusam esse viam salutis in ipso puncto, quo separatur anima à corpore. Et ita nomine *mortis* non intellexit separationem ipsam, sed præuias dispositiones, & his comparat lapsum Angelorum.

Impugnat Nazarius.

Nam solutionem istam impugnat Nazarius in præsenti, tum ex eo, quòd *mortis* vocabulum absolutè prolatum, animæ separationem à corpore significat: tum quia dispositiones illæ præuiæ præparantes ad mortem, non constituunt hominem, aut eius animam extra viam, sicut Angelorum lapsus constituit eos extra viam. Tum etiam. Quia certũ est, Angelis ipso lapsu præcludi viam salutis, cum ex sua natura sit eorum lapsus irreparabilis: homini verò per dispositiones illius ad mortem non præcluditur via salutis: potest enim quolibet earum dispositionum momento pœnitere, & peccatorum suorum à Deo remissionem accipere. Vnde verba illa posteriora Damasceni non obstant, sed magis fauent proposito. Nam constituto in homine damnationis principio in morte propriè sumpta, & in Angelis in eodem lapsu, significatur per illa perpetua firmitas vtriusque, ita vt in vtroque nulla sit resipiscendi facultas.

Soluitur fũdamentum.

55 Respondetur, Augustinum, siue Fulgentium solùm loqui de initio extrinseco: ita nimirum, vt in secundo instanti, in quo verificatur illum peccasse, verificetur etiam, non quidem quòd tunc subijt damnationis pœnam, sed quòd immediatè post illam subijt.

Ad cõfirmationem.

Ad confirmationem respondetur, sensum verborum Damasceni esse, quòd idem fuit Angelis lapsus, quod hominibus mors, quoad hoc quod est, quòd sicut accedente morte redduntur animæ illorum qui cum peccato moriuntur, inflexibiles à malo: ita in Angelis hoc ipso, quòd in peccatum labantur, sunt inflexibiles ab illo, nullaque in eis manet resipiscendi facultas: non verò quoad hoc, quòd sicut homines, hoc ipso quòd moriãtur, seu eorum vita per primum *non esse* finiatur, tũc qui in peccato lethali moriuntur, subeunt in eodem instanti damnationis pœnam, sic etiam Angeli in eodem prorsus instanti, in quo labuntur, eandem damnationem subeunt, sed solùm immediatè pòst.

(.?.)

DVBIVM III.

An totum negotium Angelorum bonorum, & malorum duabus dumtaxat morulis, siue instantibus Angelicis; an verò tribus morulis, ita vt non pluribus, neque paucioribus peractum sit?

Explicatur sensus tituli.

56 SENSVS Tituli est, an inceptio Angelorum bonorũ quoad suum *esse*, via eorundem in ordine ad præmium æternum, necnon & actualis receptio prædicti præmij, cõsumpserint duo instantia, siue morulas, primam quidem in inceptione sui *esse*, & operatione bona cũ eis incipiente, necnon & in eadem operatione, vt continuata omninò liberè ab eisdem post primam illius inceptionem, secundam autem in actuali receptione præmij? an verò consumpserint tria tãtummodò instantia, treuè morulas? ex eo quòd primum instans, primaque morula consumpta fuerit in inceptione illorum, ac proinde in operatione Angelica, quæ cum illorum *esse* incepit: secunda verò in operatione omninò libera, & bona, ad quam se mouerunt absque speciali motione Dei, vt agentis particularis, & per consequẽs in operatione tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem libera: tertia tandem in receptione actuali præmij. Et licèt hæc posterior mora, & instans duret absque fine, si duratio illius secundùm se consideretur, siquidem visio beatifica, quæ est præmium bonorum, non habebit finem: nihilominùs prædictum instans, prædictamque durationem nomine *morulæ* nuncupamus: quia non loquimur de ea, vt correspondet omni tempori, cui correspondere potest, sed vt habet correspondere illi instanti, siue durationi nostritẽporis præcisè, in qua verificatur, Angelum bonũ tunc primò accipere actu suum præmium, quod ex inde vsque in æternum durabit. Et similiter quoad Angelos malos sensus tituli est, an ab inceptione sui *esse* vsque ad receptionem actualem suæ pœnæ incluſiuè cõsumpserint tria instantia, treuè morulas, ita vt nec plures, nec pauciores?

Cæterùm, vt idem tituli sensus melius capiatur, notandum est ex Doctrina D. Thomæ

D. Thom. D. Thomæ ſuprà quæſt. 10. art. 5. ad 1. quòd numerus inſtantium, ex quibus tempus Angelicum conſtituitur, debet deſumi ex numero operationum ſpiritualium Angelicarũ, & liberarum, habentium inter ſe ordinẽ ſucceſſionis, ita vt vna ſit poſt alteram: ideoque propter diſtinctionem operationũ, quæ ſunt ſimul duratione; ac proinde vna non eſt poſt alteram duratione, non ſunt diſtinguenda quoad præſens plura inſtantia, ſiue illæ operationes ſpectent ad eandem potentiam, ſiue ad diuerſas, vt ad intellectum, & voluntatem.

§. I. *Aſſertio prior.*

Aſſertio cõtinens duas partes.

57 Dicendum ergo eſt, probabile eſſe, quòd totum Angelorum bonorum, negotium duobus dumtaxat inſtantibus, ſiue morulis peractum ſit, ſecùs tamen totum negotium Angelorũ malorum. Aſſertio hæc quoad ſecundam partẽ conſtabit ex illis, quæ ſequenti aſſertione dicenda ſunt. Quoad primã verò, ſcilicet quoad Angelos bonos, videtur probabiliter colligi ex D. Thoma ſuprà q. 62. art. 5. vbi docet, Angelum bonum ſtatim poſt vnum actum charitate informatum fuiſſe beatum, atque adeò poſt primum inſtans: ſiquidem in primo inſtanti habuit hunc actum, & hic actus conſtituit in illo primum inſtans, vt iam explicamus. Et in art. 6. præſentis quæſtionis, vbi inquit, quòd Lucifer poſt primum inſtãs ſtatim beatitudinem accepiſſet, niſi ſtatim impedimentum præſtitiſſet peccando. Quare, cùm Angelus bonus impedimentum hoc non appoſuerit, inde eſt, vt ſtatim poſt primũ inſtans prædictam beatitudinem acceperit. Et denique tam in hoc articulo, quàm in præcedenti ad 4 tres ſtatus ponit in bonis, & malis Angelis: primum inceptionis: ſecundum, quo mali præſtiterunt impedimentum ſuæ beatitudini, boni autem illud non appoſuerunt: tertium autem præmij, aut ſupplicij. At duplex ille ſtatus in bonis, nimirum inceptionis, & in quo non præſtiterunt impedimẽtum, ad idem inſtans pertinet: quia eſt vna & eadem operatio meritoria, ſemper manens, quæ incepta eſt cum eorum *eſſe*, & fuit continuata ab eiſdem, quando Angeli appoſuerũt impedimentum ſuæ beatitudinis: & ita in malis Angelis hi duo ſtatus conſtituunt duo inſtantia, quia ſunt diuerſæ operationes inter ſe incompoſibiles, vt ex dicendis ſequenti aſſertione patebit, ſecùs verò in bonis. Vnde aſſertionem hanc quoad hanc partem tuentur Bañez in hoc articulo dubio 3. concluſione 1. Nazarius controuerſia vnica ad eundem articulum concluſione 9. Vazquez in hac 1. part. diſputat. 229. cap. 10. referens Gregorium in 2. diſtinct. 5. q. 1. artic. 3. poſt quartam concluſionem, & alios.

Probatur ex D. Tho. quoad primã partem

Bañez. Nazar. Vazquez

Gregor.

58 Ratio autem fundamentalis huius aſſertionis probabiliter deſumitur ex D. Thoma quæſt. præcedenti art. 5. quæ poteſt ad hanc formam reduci. Quoniam Angelus bonus poſt vnicum actum meritorium, ſtatim beatus fuit: ergo & totum eius negotium peractum fuit in duplici dumtaxat inſtanti, duplicique tantum modò morula: alia quidẽ, in qua accepit beatitudinem: alia verò, in qua prædictum actum meritorium incipientem, vt diſputatione præcedenti diximus, cum ſuo *eſſe* elicuit. Conſequentia videtur legitima. Nam gratia perficit naturam ſecundùm modum eiuſdem naturæ: ſed modus naturæ Angelicæ eſt, vt ſtatim habita natura, habeat perfectionem, ſiue beatitudinem ſuam naturalem, & non acquirat eam per diſcurſum: ergo ſimiliter habito merito, quod poteſt habere per vnum actum, habebit ſtatim beatitudinem: quia ſicut ex natura ſua ſe habet ad beatitudinem naturalẽ, ita ex merito ad beatitudinem ſupernaturalem.

Ratio fundamẽtalis. D. Thom.

Quam rationẽ propoſuit Angelicus Præceptor fuſioribus verbis loco citato ſic: *Gratia perficit naturam ſecundùm modum naturæ, ſicut & omnis perfectio recipitur in perfectibili ſecundùm modum eius. Eſt autem hoc proprium naturæ Angelicæ, quòd naturalem perfectionem non per diſcurſum acquirat, ſed ſtatim per naturam habeat, ſicut ſuprà oſtenſum eſt. Sicut autem ex ſua natura Angelus habet ordinem ad perfectionem naturalem, ita ex merito habet ordinem ad gloriam: & ita ſtatim poſt meritum in Angelo fuit beatitudo cõſequuta. Meritum autem beatitudinis non ſolùm in Angelo, ſed etiam in homine eſſe poteſt per vnicum actum: quia quolibet actu charitate informato homo beatitudinem meretur. Vnde relinquitur, quòd ſtatim poſt vnum actum charitate informatum Angelus beatus fuit.*

D. Thom.

59 Nec obeſt, ſi occurras ex Scoto, rationem hanc non eſſe ſufficientem. Quia præmium debetur ſecundùm legem præmiantis: & ita ad hanc ſolùm attendendum eſt, non verò ad alia. Conſtat autem, legem Dei eſſe, non quòd qui vnum actum, aut duos fecerit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Et ideò niſi quis vſque in finem viæ ſuæ meruerit, quamuis priùs per vnum, vel per plures actus meruiſſet, beatitudinem non conſequitur.

Effugium Scoti.

Non igitur hoc obeſt. Nam, vt benè notauit Caietanus, explicans rationem hanc D. Thomæ, cùm ea, quæ ex ſola diuina voluntate dependent, nobis nota non ſint, niſi ipſo reuelãte, & nulla habeatur ſpecialis reuelatio in Sacra ſcriptura de tẽpore beatificationis

Cõfutatur ex Caiet.

nis Angelorum, vt supponimus: consens est, vt secundùm generales regulas hanem eis datam esse credamus. Et quocommunis lex est, tum quòd in termivia cuiusque beatitudo detur, tum quòd secundùm gratuita perficiatur natura secundùm modum eius: consequens est, vt iuxta primam, & communem legem, non aliunde melius ostendi possit, quando beatificati sint Angeli, quàm ex duratione viæ eorum; & iuxta secundam legem non aliunde melius venari possit, quantum duraverit via Angelorum bonorum, quàm ex modo suæ naturæ. Quare, cùm hoc congruat prædictæ naturæ, quòd statim post meritum sit in termino, quia proprium est eius, vt statim post principium habeat finem: inde est Angelicum Præceptorē vsum fuisse optimo medio ad probandum id, quod intendebat: & quòd attendendo ad modum naturæ Angelicæ, non excluserit, sed potiùs ibidem includit, & attendit ad legem illam præmiantis, nimirum, quòd post viam, quæ in Angelis tantum durat, quantum vnicus suus actus meritorius, præmium beatitudinis consequatur.

Aliud effugium.

60 Neque etiam obest, si secūdò occurras eidem rationi non esse sufficientem. Quia si probaret intentum, conuinceret vtique, tum, tam Angelos bonos, quàm malos consecutos esse suam beatitudinem in secundo instāti, siquidem omnes illi in primo habuerunt vnicum actum meritorium eiusdem beatitudinis: tum etiam omnes illos, vel saltem bonos in primo instanti fuisse illam adeptos: quia in eodem instanti, quo conditi sunt, habuerunt suam naturalem beatitudinem. Et ita si gratuita perficiunt naturam secundùm modum eius, oportet, vt etiam in instāti, quo conditi sunt, acquisierint beatitudinem supernaturalem.

Præcluditur.

Non itaque hæc solutio obstat. Non quidem quoad primum, quod in ea continetur. Quoniam etsi omnes Angeli in primo instanti meruerint, non tamen per meritum plenè liberum, ideſt, procedens à voluntate eorum, vt libera, tam quoad exercitiū, quàm quoad specificationem boni, & mali, siue per meritum, ad quod seipsos omninò mouerint, prout per hoc excluditur motio Dei specialis, procedensque ab illo, vt ab agente particulari. Ergo ex hoc, quòd Angeli statim post vnicum actum meritorium debeant consequi beatitudinem supernaturalem, nō colligitur Angelos malos adepturos esse prædictam beatitudinem.

61 Antecedens probatur. Quia dū Angeli boni continuauerunt primum actum meritorium, & omninò liberè in eo perseuerauerunt, tunc Angeli mali ab eo cessarunt, & peccatum superbiæ commiserunt: & ita soli Angeli boni habuerunt meritum plenè liberum, non verò mali, qui solummodò meruerunt in primo instanti, in quo à Deo speciali motione moti sunt, in quoque peccare non potuerunt. Consequentia verò probatur. Quoniam adeptio beatitudinis ab Angelo per vnicum meritum, debet esse per meritum plenè liberum, ad quod non moueatur à Deo per motionem procedentem ab ipso, vt ab agente particulari. Tum, quia non videtur rationi consonum, Angelum peruenire ad beatitudinem sine aliquo merito plenè libero, & perfectè deliberato. Tum etiam ex eo, quòd aliàs non posset explicari, quomodo Angelus obtinuerit beatitudinem per actum ita suum, sicut homo adultus: siquidem actus, ad quem non se omninò liberè mouet Angelus, sed mouetur à Deo, vt ab agente particulari non est ita suus, sicut actus, quibus homo adultus consequitur beatitudinem, ad quosque seipsum omninò liberè, ideſt sine motione Dei, vt agentis particularis, mouet. Tum denique. Quia hoc ipso, quòd adeptio beatitudinis ab Angelo debeat esse per meritum vnicum; debet vtique esse per meritum, per quod reddantur inflexibiles in illo: quandoquidem hoc solummodò meritum est talis conditionis in Angelo, vt statim post illud debeant esse extra viam, quippe qui iam deinceps peccare nequeunt. Constat autem, meritum reddens Angelum inflexibilem in bono, in eodemque merito, solummodò esse meritum plenè liberum modo explicato.

Et similiter prædicta solutio non obest quoad secundum, quod in ea habetur, nēpe, quòd ex ratione facta sequatur, Angelos bonos in primo instanti habuisse beatitudinē. Quoniā licèt Deus tribuerit gratuita cōsonè ad naturalia, seruauit tamen iura (vt sic dicamus) & rationem vtriusque. Constat autem ex dictis, hanc esse propriam rationem meriti beatitudinis, seu præmij essentialis, vt saltem secundùm communes leges nequeant esse in eodem prorsus instanti. Et ita vis ranis D. Thomæ consistit in hoc, quòd sicut se habet Angelus, saluis legibus naturæ ad suam perfectionem, & beatitudinem naturalem: ita saluis legibus à Deo latis circa meritum beatitudinis, & præmij essentialis, necnō & circa præmium ipsum, eodem proportionali modo se habet ex merito in ordine ad acquirendum prædictum præmium essentiale: ac proinde, quemadmodū beatitudo naturalis solùm exigit in Angelo prioritatē naturæ eiusdem Angeli ad ipsam, & propterea in eodem instanti cum esse Angeli incipit: sic quia meritum plenè liberum in ordine ad beatitudinē supernaturalē solùm petit, vt præcedat per aliquod instans reale ad illam, vt ex di-

ex dictis patet: idcircò debet ſic præcedere, & ſtatim poſt prædictum inſtans debet Angelus eandem beatitudinem adipiſci, ad hoc vt conſonè ad ſuam naturam ſit per beatitudinem prædictam beatus.

§. 2. *Obiectio prior contra dicta, & reſponſio ad illam.*

Prima obiectio contra concluſionẽ quoad primam partẽ

62 SEd obijcies primò, quòd ſi Angeli boni tantùm per vnum inſtans fuerunt in via, tantumque per prædictũ inſtans habuerunt opus meritorium, illudque vnicum, ſequeretur inde, non indiguiſſe dono perſeuerantiæ ad hoc, vt ſuam beatitudinem ſupernaturalem conſequerentur: hoc autẽ eſt contra D. Thomã 3. contra Gẽt. c. 155. & alios Patres: ergo &c. Sequela probatur. Quoniam ad habendam gratiam per vnicũ dumtaxat inſtans, & ad eliciendum vnicum tantum opus meritorium non eſt neceſſarium, adhuc in nobis, donum perſeuerantiæ, ſed ſufficit gratia habitualis cũ communi auxilio.

Nec obeſt, ſi reſpondeas cum aliquibus, concedendo ſequelam: ex eo quòd licet homo in natura lapſa indiguerit dono perſeuerantiæ, vt dono ſpeciali, & diſtincto ab auxilijs communibus; non verò in natura integra: ac proinde nec Angelus eo indiguit. Nã contra hoc eſt. Tum, quia vna ex potiſsimis rationibus, propter quàm nos indigemus, præter gratiam habitualem, dono perſeuerãtiæ, eſt, quia quatimur impulſibus tentationũ prouenientium ex principio exteriori: ergo eadem ratione Angeli boni indiguerunt prædicto dono. Patet conſequentia. Quia ab Angelis malis fuerunt incitati ad peccandum, vt conſtat ex victoria, quæ Apocalypſis 12. deſcribitur reportata ab Angelis ſanctis cõtra Luciferum, & eius ſequaces. Ergo ſicut nos ad ſuperandos impulſus tentationũ prouenientium ab extrinſeco indigemus dono perſeuerantiæ, pari ratione Angeli boni ad hos impulſus deuincendos indiguerunt prædicto dono.

Effugium.

Contra primo.

Secundo.

Tum etiam. Quia licet via Angelorum duraverit per vnicum tantum inſtans, & præcisè dum habuerunt vnicum tantum actum meritorium; non tamen ita vt in illo vnico inſtanti, vnicoque actu non fuerit aliqua varietas modo ſtatim explicando, penes perfectionem, & plenitudinem libertatis. Ergo ad hoc, vt Angelus in illo inſtanti, in illaque mora perſeueraret in gratia, indiguit, præter eandem gratiam, dono perſeuerantiæ. Probatur conſequentia. Quia id, cui conuenit eſſe de ſe variabile, cõpetit etiã indigere auxilio mouentis immobilis, ad hoc vt habeat ſtabiliri, & figi in bono, quod quidem auxilium nuncupatur donũ perſeuerantiæ. Quæ probatio deſumitur ex D. Thoma 3. contra Gentes cap. 155.

Tum denique. Quia etſi via Angelorum tantùm fuerit per vnicum inſtans formaliter indiuiſibile, illud tamen fuit virtualiter diuiſibile: & ita coextitit tantæ moræ noſtræ durationis, quantæ habuit coexiſtere tota via Angelorum malorum, quæ per duo inſtantia ſui tẽporis diſcreti perdurauit. Ergo ad hoc, vt Angelus bonus perſeueraret in gratia, & in illo actu meritorio coexiſtẽter ad totã viã Angelorum malorum, & ad totam moram noſtræ durationis, cui cuncta Angelorũ malorum coexiſtebant, indiguerunt dono perſeuerantiæ: ſiquidem hoc eſt neceſſarium, ſaltem illis, qui continuant ſuam gratiam vſque ad terminum viæ per correſpondentiam ad aliquam moram noſtri temporis.

Vltimo.

Diluitur obiectio, & occurritur impugnationi bus.

63 Reſpondetur, negando ſequelam, vt ex probationibus contra ſolutionem nuper data conſtat. Et ad probationem dicendum eſt, hominem elicientem vnicum actum meritorium plenè liberum, & ſtatim è vita decedentem, indigere auxilio, ſiue dono perſeuerantiæ: quia ex ſpeciali Dei prouidentia, & dono illo ortum duxit, vt mors poſt illum actum meritorium ſtatim ſubſequeretur, in illoque actu meritorio, aut in gratia vſque ad terminum viæ permaneret: & ita etiam Angelus, non obſtante quòd habuerit vnicum tantum actum meritorium, accepit etiam donum perſeuerantiæ, quo infallibiliter haberet, vt ille actus vnicus permaneret vſq; ad terminum viæ, & vt reportaret victoriam contra tentationes, quæ poterant impedire, ne prædictus actus continuaretur vſque ad coexiſtendum toti viæ Angelorum malorum, & durationi noſtræ, cui correſpondebat, ac proinde ne illud inſtans, quod debebat coexiſtere toti illi durationi, non coexiſteret illi, ex eo quòd operatio Angeli meritoria & incipiens cum *eſſe* rei ita interſecaretur, vt loco illius ſuccederet alia oppoſita, ſicut in Angelis malis contigit, locoque illius vnici inſtantis eſſent ibidem duo inſtantia temporis Angelici, & diſcreti, menſurantia duas illas oppoſitas operationes, ſicut in eiſdem Angelis malis accidit.

Replica.

64 Neque obeſt, ſi vrgeas, quod ſi ſemel Angelus indiguit dono perſeuerantiæ, vt ille actus, qui primò fuit non plenè liber, perſeueraret cum plena libertate, & ibidem interuenit variatio penes perfectionem, & plenitudinem libertatis, ac tandem ex dono perſeuerantiæ figitur, & ſtabilitur in bono, nequit tota via eiuſdem Angeli boni ſolummodò durare per vnicum inſtans: ergo &c. Antecedens probatur. Quia reſpectu vnius & eiuſdem inſtantis ſunt incompoſibiles iſtæ rationes, nempe, quòd idẽ actus ſit ſimul plenè liber, & nõ plenè liber, & quòd prædictus

actus simul sit, & non sit flexibilis, & variabilis, & tandem quòd ad vnicum & eundem actum simul quis indigeat, & non indigeat dono perseuerantiæ. At hæc omnia conueniunt prædicto actui: siquidem ponitur habere, tum non plenam, tum plenam libertatem, & eo ipso esse flexibilem, & variabilem, quia non plenè liber, & esse inflexibilem, & inuariabilem, quia plenè liber: & tandem non indigere auxilio perseuerantiæ, quia nõ plenè liber, siquidem Angeli mali habuerũt illum non plenè liberum sine hoc dono: & indigere eodem, quia habet esse plenè liberum. Ergo &c.

Solutio. Respondetur enim, negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, quòd etsi eidem actui duranti per vnicum & idem instans indiuisibile tam formaliter, quàm virtualiter, non possint conuenire illæ rationes, benè tamen eidem actui duranti per instans formaliter indiuisibile, virtualiter tamen diuisibile, & correspondens non vnico instanti tantummodò nostri temporis, sed amplioribus durationi. Quare, cùm illa operatio meritoria Angeli duraverit per vnicum instans, non quidem formaliter, & virtualiter, sed solum formaliter indiuisibile: inde est, vt potuerint illæ diuersæ rationes eidẽ in prædicto instanti competere.

Explicatur. Potestque hoc explicari, tum exẽplo hominis, vt existentis *in nunc* æternitatis, cui queunt in illo nunc cõpetere rationes oppositæ: ex eo quòd prædictum *nunc* est virtualiter diuisibile, & in correspondentia ad vnã partem nostri temporis potest esse viuus, & in correspondentia ad aliam mortuus: tum etiam exemplo eiusdem Angeli, cuius *esse* mensuratur æuo: & tamen, quia illud est virtualiter diuisibile, competit eidem Angelo per correspondentiam ad diuersa *nunc* nostri temporis, quòd sit inannihilabilis, nempe prout correspondet instanti nostri temporis mensurantis eius creationem, & quòd sit annihilabilis, vt habet correspondere alijs instantibus eiusdem temporis.

Alia replica. 65 Neque etiam obest, si iterùm vrgeas, quòd quantumuis illud instans sit virtualiter diuisibile, nequeunt vni & eidem operationi Angelicæ rationes ita distinctæ in eodem instanti conuenire, eaut in illo esse tanta variatio: ergo oportet ibidem multiplicari instantia, & operationes, aut saltem diuersos modos eiusdem operationis petentes diuersa instantia. Antecedens probatur. Quia vnicũ instans Angelicum dicit vnicam operationem indiuisibilem, & inuariabilem, quę tota simul, & vniformiter duret: ergo hoc ipso, quòd sit ibi tanta variatio in illa operatione non poterit in vnico instanti Angelico dari: quippe quod, hoc ipso quod tale, petit operationem inuariatam.

Respondetur enim, hanc variationem nõ esse penes aliquid intrinsecum, sed solùm penes quid extrinsecum, & per correspondẽtiã ad distincta instantia, siue momenta nostri tẽporis: & ideò ex prædicta variatione non argui multiplicationem instantium intrinsecorum, de quibus in præsenti agitur. Ratio autem, ob quam hæc variatio tantùm est penes aliquid extrinsecum, potest reddi ex eo, quòd solummodò est penes hoc, quod operatio Angelica incipit absque plena omninò libertate, ideſt, tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem, & continuatur cum libertate omnimodè plena. At libertas in actibus voluntatis, est satis probabile (maximè iuxta hunc modum dicendi) quòd tantùm est denominatio extrinseca proueniens à voluntate Angelica: ex eo nimirũ, quòd licèt actus ille bonus, quem Angelus continuauit, fuerit determinatus quoad speciem actus; siquidem illemet nõ poterat esse alterius speciei; & similiter fuerit determinatus quoad exercitium, quandoquidem erat sub illa determinata existentia exercita, sub qua saltem naturaliter esse poterat: nihilominùs procedit à potentia volitiua indifferenti, tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem: & propterea; sicut continuauit illum actum bonum potuit elicere actum peccaminosum, vt de facto Angeli mali illum elicuerunt.

Alia replica. 66 Nec obstat, si tandem vrgeas, quòd ad hoc dato, libertatem in actibus voluntatis non esse aliquid intrinsecum: nihilominùs non ob id sequitur, non dari aliquam variationem intrinsecam in illo actu meritorio, & continuato. Ergo, &c. Antecedens probatur. Quoniam ille actus plenè liber, & continuatus habet annexam omnimodam inuariabilitatem, & per illum redditur Angelus omninò inflexibilis in bono: at hæc inuariabilitas, istaque vis ad figendum illum in bono, non potest non esse aliquid intrinsecum in prædicto actu: & ita ex hoc capite non poterit non esse aliqua variatio intrinseca in prædicto actu.

Solutio. Respondetur enim, negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, illam inuariabilitatem actus prædicti continuati, & plenè liberi non addere supra substãtiam ipsius, & denominationem extrinsecam liberi aliquam aliam rationem intrinsecam; sed tantùm esse substantiam eiusdem actus cum prædicta denominatione: ita quidem, vt sine illa non habeat prædictam inuariabilitatem, licèt libertas ista non sit adæquata ratio illius. Et propterea non est necessaria variatio penes aliquid intrinsecum in prædicto actu, ad hoc vt pereũ omninò figatur Angelus in bono

Explicatur Potestque hoc explicari, iuxta hunc modum dicendi, exemplo alicuius actus versantis

tis circa aliquod obiectum grauiter vetitum, qui ob defectum libertatis in aliquo instanti
Nazar. non fuit peccatum, & immediatè pòst aduenientè aduertentia, ac proinde libertate in ipsomet actu, habet esse peccatum lethale. Nã tunc prædictus actus habet esse idem secundùm substantiam, & quoad omnia intrinseca, & solùm superadditur ei denominatio extrinseca liberi, ex qua, & ex prædicta substantia completur ratio peccati: & nihilominùs, quando habet rationem peccati, habet vim ad expellendam gratiam, actuque eam expellit; cùm tamen manente eadem substãtia actus sine illa denominatione extrinseca, & per consequens dum non habet rationem peccati, nõ expellat prædictam gratiam.

§. III. *Alia obiectiones contra dicta in eadem assertione, & earum enodatio.*

Secunda obiectio. 67 SEcundò obijcies contra dicta, ex eis sequi, Angelum bonũ fuisse beatum beatitudine supernaturali in primo instanti sui esse: hoc autem esse falsum, satis constat ex illis, quæ dubio præcedenti diximus: ergo, &c. Sequela probatur. Nam (vt patet ex ijs, quę 1.2.q.67.art. 6. ex D. Thoma habentur) potest continuare primum actum charitatis vsque ad patriam inclusiuè: ergo si hæc continuatio, & diuersitas statuum non multiplicant instantia Angelorum, sicut nec continuatio, & diuersitas eiusdem actus penes *esse*, & non *esse* plenè liberum, non est cur in eodem primo instanti sui *esse* non habeat meritum, & præmium simul in correspondentia tamen ad diuersas morulas nostri temporis.

Confirm. Confirmatur. Nam etiam ex dictis sequitur, Angelum malum in primo instanti sui *esse* deliquisse, & simul actu subijsse pœnam suæ damnationis: hoc autem esse falsum, etiã constat ex dictis dubio præcedenti: ergo &c. Sequela probatur. Quia etiam potuit suam primam operationem, vel dilectionẽ suæ excellentiæ, quam benè appetijt in primo instanti, postea continuare cum malo modo vsque ad damnationem: ex eo quòd eadem operatio potest per correspondentiam ad distinctas morulas nostri temporis esse bona, & mala, si semel prædictam correspondentiam queit variari penes plenam, & non plenam libertatem.

Enodatur. 68 Respondetur, quòd (vt benè notauit Caietanus suprà q. 10.) actus intellectus sunt simpliciores, & regulariores actibus voluntatis, ob maiorem excellentiam & perfectionẽ illorum supra istos, & propterea ex illis potius instantia Angelica debent desumi: ita vt etsi actus voluntatis non varientur, si tamen actus intellectus variati fuerint, successio-
que in ipsis inueniatur, debeat ibidem variatio, & multiplicatio instantiũ inueniri. Quare, cùm actus intellectus Angelici in via fuerit cognitio extra verbum, & in patria cognitio in verbo, quę nequeunt inter se continuari, etiamsi permaneat idem actus charitatis: in de est, vt instans meriti, & præmij Angelici nequeat esse vnum & idem, sed necessariò debeat dari vnum instans pro merito, & aliud pro præmio.

Ad cõfirm. Ad confirmationem respondetur, Angelos malos, tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis habuisse diuersos actus successiuè se habentes, vel saltem intrinsecã variationem in illis. Nam in primo instanti iudicauerunt, suam excellentiam amandam esse, vt medium ad supernaturalia, & cum debita subiectione ad diuinam regulam: & deinde, dum lapsi sunt, tunc ex parte modi iudicandi iudicarunt, prædictam excellentiam amandã esse vt finem, & sine tali subiectione: & tandem, quando damnati sunt, habuerunt iudicium de amanda propria excellentia, vnà cũ consideratione expressa huius, quod est, eam amatam absque debita subiectione esse obiectum dilectum contra legem Dei. Et similiter in actibus voluntatis fuit etiam intrinseca variatio. Nam volitio habita in primo instãti fuit bona, includens actum charitatis: & vt terminabatur ad propriã excellentiam, erat electio respiciens eandem excellentiam, vt medium ad supernaturalia: dum verò primò peccauit, erat intentio respiciens illam ex parte modi volendi, vt finem supernaturalẽ: & tandem, dum fuit in termino, habebat esse volitionem, & intentionem eiusdem excellẽtiæ, vt erat contra diuinam regulam, ita vt totum hoc, nempe, prædicta excellentia contra diuinam regulam, esset ex parte obiecti volitum.

Tertia obiectio. 69 Tertiò obijcies, ex dictis sequi, Angelos bonos non potuisse vnquam peccare: hoc autem est contra communem sententiã Theologorum: ergo, &c. Sequela probatur. Quia non in primo instãti, vt patet ex dictis dubio præcedenti: nec in secundo, quippe cùm in illo fuerint beati.

Responsio. Respondetur, negando sequelam. Et ad probationem dicendum est, quòd etsi in secundo instanti, quod defacto habuerunt, non potuerint peccare, ex eo quòd in eo fuere beati: attamen quia operationem, quam in primo instanti elicuerunt, quamque continuarunt, dum mali prolapsi sunt in peccatum, valuerunt discontinuare, & antequam peruenirent ad instans beatitudinis, quod defacto fuit in illis secundum, potuerunt habere duo instantia, licèt non fuerit actu in eis nisi vnicum instans, ac proinde hoc secundum instãs beatitudinis potuit esse in illis instans tertiũ: idcircò integrum fuit eis peccare, addendo,

& faciendo aliud instans intrinsecum, sicut de facto Angeli mali illud addiderunt, & fecerunt.

Quarta obiectio. 70 Quartò obijcies, omnes Angelos inferiores fuisse simul tentatos, & ex illis quosdam cecidisse, quosdam verò perstitisse: ergo cùm in secundo instanti, in quo aliqui ceciderunt, alij nondum fuerint adepti beatitudinẽ, ex eo quòd via eorum fuit æqualis: consequẽs est, vt Angeli boni post primum instans non fuerint beati.

Dissolnitur Respondetur ex dictis, quòd etsi Angeli, qui ceciderunt, habuerint in secundo instanti cadere, & tunc Angeli, qui perstiterunt, nondum fuerint beati: nihilominùs non inde sit, Angelos bonos, & persistentes in bono, non fuisse in secundo instanti consecutos suã beatitudinem supernaturalem. Quia dum Angeli mali consumpserunt duo instantia, ex eo quòd elicuerũt duas operationes inter se incompossibiles, ac proinde multiplicauerunt instantia, Angeli boni perstiterunt in eodem actu, & prædicta instantia non multiplicarunt, sed in eodem primo instanti tũc fuere: & ita primum instans bonorum coextitit duobus instantibus malorum.

Vltima obiectio. 71 Vltimò obijcies, quòd D. Thomas suprà q. 62. art. 3. ad 1. ait, quòd informitas gloriæ tempore præcesserit formam Angeli: ergo non tantùm per instans habuit suum *esse* non formatum gloria: siquidem ad tempus plura instantia desiderantur.

Enodatur. Respondetur ex dictis, S. Doctorem solùm velle, informitatem gloriæ præcessisse formam Angeli tempore, nõ quidem formaliter, sed coexistenter, ideſt, quòd etsi non fuerit in Angelo bono intrinsecum tempus, in quo fuerit sine gloria, sed vacuum dumtaxat instans, attamen illud instans coextitit nostro tempori, & tempori discreto Angelorum malorum, quod consumptum est in prima operatione bona, & in secunda operatione inordinata, quam elicuerunt.

§. IIII. *Duæ aliæ assertiones.*

Secũda cõclusio. 72 Dicendum est secundò, esse probabilius, totum negotium Angelorum bonorũ nõ fuisse peractum in duobus dumtaxat instantibus, siue momẽtis, sed in tribus, ita vt nec in pluribus, nec in paucioribus. Assertio hæc videtur esse magis consona doctrinæ D. Thomæ in hoc articulo in solutione ad 3. vbi sic inquit: *Dicendum, quòd Angelus habet liberum arbitrium inflexibile post electionem. Et ideò, nisi statim post primum instans, in quo naturalem motum habuit ad bonum, impedimentum beatitudini præstitisset, fuisset firmatus in bono.* In quibus verbis concedit primum instans motui naturali, seu necessario quoad specificationem, quem omnes Angeli habuerunt: & deinde dicit, quòd post hoc instans, nisi præstitisset impedimẽtũ beatitudini, fuisset firmatus in bono. Cumque hæc firmitas, quæ est idem ac inflexibilitas illius, debeat conuenire illi in via: ex eo quòd posteriùs natura ad electionem ei conuenit: quia hoc ex sui ratione habet intrinsecè annexum electio Angelica, vt ex D. Thoma q. sequenti patet: inde est, vt iuxta S. Doctoris mentem, debeat dari aliud instans post illud motus naturalis, & necessarij quoad specificationem, qui in omnibus Angelis fuit: ac tandem tertium beatitudinis bonorum, & non aliquod aliud vltra ista tria instantia, vt ex eodem Angelico Præceptore statim dicemus.

Idem etiam vt probabilius colligitur ex eodem D. Thoma in solutione ad 4. huius articuli. Nam postquam dixit, quod in Angelis, qui non sunt subiecti cœlesti motui, qui primò per tempus continuum mensuratur, tempus accipitur pro ipsa successione operationum intellectus, vel etiam affectus, tandem concludit: *Et sic prima operatio fuit omnibus communis: sed in secunda sunt distincti. Et ideò in primo instanti omnes fuerunt boni; sed in secundo fuerunt boni à malis distincti.* Quare, cùm boni fuerint à malis distincti per operationem plenè liberam, quam habuerunt in via: oportebit, vt hæc operatio plenè libera fuerit in secundo instanti, antequam perueniretur ad instans beatitudinis: siquidem ante hoc instans fuerunt boni à malis distincti. *D. Thom.*

73 Vnde, dum in corpore articuli, & alibi S. Doctor docet, quòd Angeli per vnum actum meritorium ad beatitudinem peruenirunt, intelligitur per vnum actũ plenè liberum: ac proinde solum excludit multiplicitatem actuum plenè liberorum; non verò actuum, quorum vnus sit plenè liber, alter verò non habeat hanc plenitudinẽ libertatis, quin potiùs (vt ex modò dictis colligitur) vtrumque actum admittit. Imò & hinc etiam fit, vt iuxtà eiusdem Angelici Præceptoris mentẽ, non solùm Angelorum bonorum totum negotium tribus instantibus constauerit, sed etiam quòd non potuerit ex pluribus instantibus coalescere: siquidem post actum plenè liberum, & meritorium, in quo constituit secundum instans, redditur Angelus inflexibilis: & per consequens debet statim subsequi tertium instans adeptionis beatitudinis.

Quare assertionem hanc tuentur Capreolus in 2. dist. 4. q. 1. ad argumenta contra 5. conclusionem. Quam etiam vt valdè probabilem defendit Nazarius art. 6. huius quæstionis controuersia vnica conclusione 8. Eandem etiam sententiam tenent Zumel in suã q. 1. ad hunc articulum concl. 7. Suarez lib. 6. de Statu beatitudinis Sanctorum c. 3. Molina ad hunc articulum 6. & alij plures. *Capreol. Nazar. Zumel. Suarez. Molin.*

74 Ra-

Ratio fundamentalis

74 Ratio autem fundamentalis huius assertionis desumitur ex D. Thoma locis citatis, potestque ad hãc formam redigi. Quoniam Angelus ante adeptionem beatitudinis habuit duas operationes successiuè se habentes, vel saltem intrinsecam variationem diuersorum modorum successiuè se habentium respectu eiusdem operationis, eamque intrinsecè afficientium: ergo in negotio illius consumpta sunt tria instantia: ergo non plura. Hæc secunda consequentia patet ex nuper dictis n. præcedenti. Prima verò consequentia ex antecedenti constat. Quoniam duæ operationes Angelicæ (vt ex D. Thoma modò dicebamus) successiuè se habentes, constituunt duo instantia Angelica: sicut etiam varietas intrinseca in eadem operatione penes duos diuersos modos successiuè etiam conuenientes illi, exigit duo instantia: siquidem vnicum instans dicit vnicam operationem indiuisibilem, vniformiter & inuariabiliter quoad intrinseca se habentem, quemadmodum & ipsum instans vniforme & inuariabile est quoad intrinseca, quæ dicit. Cumque vltra hæc duo instantia, debeat dari aliud pro adeptione beatitudinis, vt ex dictis dubio præcedenti liquet: inde est, vt in negotio bonorum Angelorum debuerint tria instantia consumi.

Antecedens autem quoad primam partẽ, nimirum, Angelum ante adeptionem beatitudinis habuisse duas operationes successiuè se habentes, probatur. Nam in primis quiuis Angelus bonus in primo instanti suæ creationis habuit iudicium intellectus, quo iudicauit, amandam esse propriam excellentiam beatitudinis naturalis cũ subiectione & subordinatione ad Deum finem supernaturalẽ: & deinde postquam Lucifer, & eius sequaces lapsi sunt, habuerunt prædicti Angeli boni iudicium de amanda eadem excellentia cum prædicta subordinatione, non obstante quòd idem Lucifer cum suis sequacibus impellebat illos ad oppositum. Constat autem, iudicium de aliquo bono prosequendo præcisè, esse distinctum à iudicio, quo iudicatur esse prosequendum non obstante impulsu, & tentatione ad oppositum inclinante: quia eo ipso variatur obiectum illud, & ita petit diuersa iudicia. Et similiter multiplicatis actibus vnà cum obiectis ex parte intellectus, oportet dari duas operationes ex parte voluntatis successiuè etiam se habentes, vt ex se patere videtur.

75 Quoad secundam verò partem, scilicet, debere in Angelis bonis reperiri saltem duos diuersos modos eiusdem operationis successiuè se habentes, & intrinsecè prædictã operationem afficientes, idem antecedens suadetur. Quoniam operatio voluntatis Angelorum bonorũ, cùm primò incepit, debuit esse libera solùm quoad exercitium, & necessaria quoad specificationem: & dato, hanc eandem perseuerasse, dum Angeli mali lapsi sunt in peccatum; debuit tunc esse plenè libera tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem. At libertas ista, & necessitas quoad specificationem, sunt saltem duo modi intrinsecè afficientes volitionem: tum quia libertas in actu voluntatis dicit specialẽ modum vitalitatis: tum etiam, quia modus specialis, qui est in principio agẽdi, debet splendere in actione quoad intrinseca illius: & ita ratio libertatis, aut naturæ, quæ sunt duo modi adæquantes voluntatem, debent intrinsecè splendere in volitionibus ab ea elicitis. Tum deinde. Quia id, quod habet potentia in actu primo, debet participare, & habere actus illius in actu secundo: sicut id, quod habet visus in actu primo, conuenit visioni intrinsecè in actu secundo: & per consequens, si voluntas in actu primo est intrinsecè libera, etiam volitio procedens ab illa, vt libera, erit in actu secundo intrinsecè libera.

Tum denique. Quoniam sicut volitio, vt talis, specificatur à voluntate secundùm se: ex eo quòd actiones, vt tales, specificantur à suis principijs, vt N. Complutenses in sua Logica disput. 16. n. 12. docent, & nos etiam tomo 3. tractatu 1. dicemus: ita etiam volitio, vt libera, habet esse talem, ex eo quòd procedit à voluntate, vt libera. Et propterea, sicut in volitione est aliquid intrinsecum, quòd procedat à voluntate secundùm se sumpta: sic ratio libertatis in actu secundò erit in eadem aliquid intrinsecum: ex eo quòd tota eius ratio sita est in hoc, quòd ab ea, vt libera, immediatè procedat. Quod idem cum proportione de modo necessitatis in volitione reperto dicimus. Ergo cùm isti duo modi successiuè, & vnus post alium conueniant illi operationi Angelorum bonorum, dato quòd prædicta operatio secundùm suam substantiam non sit interrupta: oportebit, reperiri in eisdem Angelis bonis duos diuersos modos eiusdem operationis successiuè se habentes, & intrinsecè eandem operationem afficientes. *Compl.*

76 Vnde nihil obest, si ad rationem hãc dissoluendam adducas ea, quæ pro præcedẽti assertione diximus, nimirum, in vno & eodem instanti formaliter indiuisibili, & virtualiter diuisibili, benè posse vnam operationẽ esse liberam solùm quoad exercitium, & necessariam quoad specificationem, & per correspondentiam ad vnum instans nostri temporis, & deinde per correspondentiam ad aliud instans, & partem temporis esse liberã tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem: ac proinde in eodem instanti formaliter indiuisibili, & virtualiter diuisibili esse simul eodem proportionali modo flexi- *Euasio.*

bilem,

bilem, & inflexibilem: & ita non oportere, multiplicari operationes, & per consequens nec instantia.

Præcluditur. Ex dictis igitur constat, hoc nihil obesse. Quia id ad summum posset esse verum, dato quòd libertas, & necessitas in actibus voluntatis essent sola denominatio extrinseca, & successio quoad libertatem, & necessitatem non diceret variationem intrinsecam in eadem volitione. Constat autem ex dictis in hac ratione, dari adminùs variationem intrinsecam penes modos intrinsecos libertatis, & necessitatis in illa operatione Angelica: & ita debent necessariò dari plura instantia, in quorum vno prædicta operatio non sit plenè libera, & in altero plena libertas ei conueniat.

Elucidatur. 77 Potestque magis explicari hoc ipsum, nempe, quomodo quoad præsens sit probabilius, vnam & eandem secundùm substantiam Angelicam operationem non posse in illo instanti, quantùuis diuisibili virtualiter, & per correspondentiam ad diuersa instantia nostri temporis, esse plenè liberam dum incipit, & deinde non esse plenè liberam, esseque simul flexibilè, & inflexibilem. Et ratio est, Quoniam prædicta operatio nõ vtcũque mẽsuratur instanti illo Angelico, nẽpe, tanquam mẽsura inadæquata, & superexcedẽti: sed tãquã mẽsura sibi propria, & adæquata: ergo nõ potest prædicta operatio, nulla facta suppositione extrinseca, vt in præsenti non sit, esse in illo instanti Angelico plenè libera, & non plenè libera, flexibilis, & inflexibilis. Antecedens est certum.

Consequentia autem probatur, & explicatur. Quia etsi idem homo v.g. posit in mensura aliqua indiuisibili formaliter, & virtualiter diuisibili esse simul viuus, & mortuus, sedens, & stans, si illa mensura sit illi inadæquata, & superexcedens, & per correspondentiã ad distinctam durationem nostri temporis: & propterea in nunc æternitatis, & cum prędicta correspondentia idem homo sit viuus, & mortuus, sedeat simul, & stet: & similiter facta extrinseca suppositione, Angelus in eodẽ *nunc* sui æui (vt plures volũt) sit simul in annihilabilis, & annihilabilis: inannihilabilis quidẽ, quia dũ creatur, ex suppositione quòd creatur, nequit annihilari: annihilabilis autẽ secundùm se, & simpliciter, ac absolutè loquẽdo: attamẽ nulla res in sua mensura adæquata, & sibi propria, & nulla facta extrinseca suppositione, potest habere prædicata intrinseca, & contradictoria, sibique simpliciter & absolutè cõuenientia. Et propterea Angelus est simpliciter & absolutè annihilabilis, & solùm ratione illius extrinsecæ suppositionis inannihilabilis: quia nihil habet intrinsecũ, ratione cuius ei repugnet annihilari: sicut etiã de quo cũque ente dici solet, quòd dum est, necesse est esse: & tamen cũ hoc stat, quòd plura entia nõ sint absolutè & simpliciter necessaria.

Quare, cùm in illa operatione Angelica, cùm primò incipit, nõ sit aliquid intrinsecũ, quod sit necessarium quoad specificationem boni honesti: quia hoc conuenit illi ex proprijs, & intrinsecis, scilicet, quia est à Deo, vt ab agẽte particulari, nõ verò præcisè ratione extrinsecæ suppositionis, scilicet, quia est simul cũ creatione Angeli: & propterea si eodẽ modo eliceretur post creationẽ, etiam esset eodem modo necessaria: & similiter volitio Angelica post creationem non sit plenè libera ratione extrinsecę suppositionis, sed simpliciter, & ratione modi, quo elicitur, & vt quid intrinsecè petitũ: inde est, vt repugnet in illo instanti adæquato operationi, conuenire illi simpliciter hos duos modos, hæcque prædicata intrinseca, & contradictoria, sed debere in vno instanti Angelico habere vnũ ex istis modis, & in alio aliũ, adhuc dato, quòd eadẽ secundùm substantiã operatio in diuersis istis instãtibus posset manere sub prædictis modis.

Tertia conclusio. 78 Ex quibus omnibus inferendum, & dicendum est tertiò, totum negotium Angelorum malorum peractum esse tribus instantibus. Primo quidem, quo peractum non plenè liberum meruerunt simul cum Angelis bonis suam beatitudinem supernaturalem. Secundo verò, quo plenè liberè peccarunt. Tertio tãdem, quo pœnam damnationis æternæ actu subierũt. Assertio hæc apertè colligitur ex testimonijs adductis ex D. Thoma in assertione præcedenti, quem sequuntur Doctores ibidẽ relati, & vltra eos nõ dissentit Bañez in hoc articulo dubio 3. in solutione ad 2. *Bañez.* Ratio autem huius assertionis constat ex dictis. Quoniam si semel Angeli boni in suo negotio tria instantia consumpserunt, potiori ratione idem erit dicendum de malis: quippe qui hoc ipso, quòd fuerint mali, habuerunt, vltra operationem meritoriam non plenè liberam communem ipsis cum bonis, aliam operationem plenè liberã, & peccaminosam: & per consequens debuerunt consumere duo instantia in via. Cumque vltra hęc debuerint habere tertium, in quo fuerunt in termino dãnationis, vt dubio præcedenti diximus: consequens est, vt totum illorum negotium tribus instantibus peractum sit.

§. V. Soluitur ex dictis duplex obiectio contra duas posteriores assertiones, & cuidam interrogationi fit satis.

Obiectio prima contra duas vltimas assertiones. 79 EX quibus sit nihil referre, si cõtra dicta in his duabus posterioribus assertionibus obijcias primò, quòd sancti Angeli in medio suæ viæ habuerunt plures actus meritorios, quorum vnus esset post alium: ergo prædictum medium non est mensuratũ vnico instan-

inſtanti, ſed pluribus: ac proinde negotium Angelorũ bonorum non eſt peractum tribus dumtaxat inſtantibus. Quod idem cum proportione de medio viæ Angelorum malorũ dicẽdum erit. Antecedẽs probatur. Quia in primis fuerunt in eis actus fidei, & ſpei, & charitatis, ex eo quòd iſti actus plenè liberi ſunt media neceſſaria ad ſalutẽ in adultis. Deinde fuit in eis actus religionis, quo Deũ cultu latriæ venerati ſunt: ſiquidem rationi cõſonũ erat, vt eis præciperetur, quòd ſic Deũ ſuum colerẽt. Et tandẽ habuerũt actũ humilitatis: vt ſicut mali per ſuã ſuperbiã abiecerunt à ſe ſubiectionẽ reſpectu Dei, & eius regulæ, ita ipſi per actum humilitatis ſubijcerent ſe illi.

Cõfirmatio

Cõfirmatur. Quia iuxta teſtimoniũ illud *Apoc. 12.* Apocalypſis 12. in quo dicitur: *Et factum eſt prælium magnum in cœlo: Michael, & Angeli eius præliabãtur cũ Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius*, &c. prælium iſtud cõtigit in hoc medio viæ Angelorũ: ex eo quòd prædictũ prælium nõ eſt geſtũ in primo inſtãti, in quo mali nõdum peccauerãt, quia ex parte ipſorũ commiſſum eſt peccãdo, & quoniã tunc mali nondum erant è cœlo eiecti: nam ibidem dicitur, *Et factum eſt prælium in cœlo* & poſtea: *Neque locus inuentus eſt eorum*, ſcilicet malorum, *amplius in cœlo*: ac proinde nondũ Angeli boni, & mali erãt in termino, ſed in medio viæ. Ergo Angeli boni in medio huius viæ habuerũt plures actus meritorios, habẽtes interſe ordinẽ ſucceſsionis: ſiquidẽ in medio viæ, & ante prælium iſtud habuerunt meritũ illud, quo ſeparati ſunt à malis: & prælium ipſum nõ potuit cõmitti, niſi diſceptationibus, & locutionibus, aut affectibus volũtatis, bonis quidẽ, & meritorijs in ſanctis Angelis; peccaminoſis autem, & demeritorijs in Angelis malis: cùm tamen nec iſti, nec illi ad ſuum terminum actu peruenirent.

Reſpõdetur ad obiectionem.

80 Reſpondetur ex dictis, negando antecedens. Et ad probationẽ dicẽdũ eſt, Angelũ potuiſſe habere omnes illos actus ſimul, quia non ſunt interſe incompoſibiles, ſed queunt debitam ſubordinationem habere: & propterea non petunt ordinem ſucceſsionis, ac proinde nec plura inſtantia, vt initio huius dubij dicebamus. Hæc autem ſubordinatio prædictorum actuũ poteſt explicari, vel ex eo quòd actus fidei dirigit ad amorem ſuper omnia: & iſte (ſuppoſita fide) excitat ad ſperandum: ſpes autem mouet ad actum Religionis, tanquam ad quid neceſſariũ ad cõſecutionem finis ſperati. Vel ex eo quòd fortè actus dilectionis fuit elicitus à charitate, & imperatus à Religione, & humilitate. Vel tandẽ ex alijs capitibus, ex quibus illud potiſsimè eligendum eſt, quòd ijs, quæ ex D. Thoma ſupra diximus, magis conſonum fuerit.

Ad confirmationẽ dicunt aliqui.

Ad confirmationẽ non deſunt, qui dicãt prælium illud non intelligi de prælio, quòd fuerit præciſe inter Angelos bonos, & malos in initio mũdi, & antequam tam iſti, quã illi eſſent in termino, ſed de prælio, quòd in fine mundi, & in tempore Antichriſti erit: quatenus Diabolus, & eius Angeli medio Antichriſto, & eius miniſtris immane bellum aduerſus iuſtos excitabunt: Michael verò, & eius Angeli pugnabũt cõtra eos pro iuſtis, auxiliãtes illis ſuis exhortationibus, ad hoc vt Diabolo, & eius miniſtris fortiter reſiſtant.

Ad illud autem, quod in hac confirmatione adducebatur ad probãdum, prælium, de quo in hoc teſtimonio fit ſermo, fuiſſe factũ, dũ adhuc Angeli mali, & boni erãt in via, ex eo quòd dicitur, factũ fuiſſe *in cœlo*; & poſteà, *neque locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo*: reſpondent, nomine *cœli* intelligi iuſtos, in quibus veluti in quodam cœlo Dominus habitat, quippe qui ob vitæ celſitudinẽ hoc nomine inſigniũtur. Et ita dicitur prælium factum in cœlo: ex eo quod diabolus init bellũ aduerſus iuſtos, qui cœli appellantur, vt eos ab ea vitæ celſitudine deijciat. Et propter eãdem rationẽ, dum iuſti aduerſus Diabolum prævaluerunt, dicitur è cœlo deiectus: quia ſicut dum contra illos pugnabat, dicebatur eſſe in cœlo: ita dum ab eiſdem deuictus eſt, dicitur è cœlo eiectus, in illoque non manſiſſe.

Vera ſolutio.

81 Nihilominùs ſecundò reſpondetur ex dictis, admittendo, prædictum teſtimoniũ intelligi de prælio Angelorum malorum, & bonorum, quòd inter eos initum eſt, antequã boni beatitudinem, & mali pœnam damnationis æternæ reciperẽt, negãdũ tamẽ, ad id requiri ordinẽ ſucceſsionis inter meritũ plenè deliberatum, quòd in ſecundo inſtanti Angeli boni habuerunt, & inter prædictum prælium: ſed ſimul cùm mali peccabant, & peccando bonos ad peccatũ impellebant, tunc ſancti, hoc non obſtãte, ſe Deo ſubijciebant. Et ita pugna hæc ſita eſt in repugnãtia affectuũ, & dictaminum. Ideoque bonorum ſe humiliter Deo ſubijcientium iſta erat vox: *Quis ſicut Deus?* Mali verò ſe contra Deum ſuperbo affectu erigentes clamabant: *Similis ero Altiſſimo*, &, *ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meũ*. Vnde propter hãc rationem Lucifer, Draco, & ſequaces eius, Draconis Angeli appellati ſunt. *Iſaiæ 14.*

Secunda obiectio. *Scotus.*

82. Fit ſecũdo, nihil referre id, quod objecit Scotus in 2. diſt. 5. q. 1. & 2. nempe, dandas eſſe quatuor morulas in Angelis: duas quidem, in quibus omnes fuerint æquales, ita vt in prima nullus eorum meruerit, ſed tantummodò ex viribus naturæ cuncti operati fuerint: in ſecũda verò omnes fuerint in Deũ per gratiam conuerſi, in duabus verò poſterioribus fuerint inæquales. Nam quidam, nempe boni, ſuum meritum confirmarunt: mali

mali verò à priori merito recedentes peccarunt: & tandem boni beatitudinem, & mali damnationis pœnam æternam receperunt. Ergo, &c.

Antecedens probat Scotus ex eo, quòd oportebat, Angelos experiri omnem operandi modum sibi conuenientem, nempe, operãdi per naturam, quem in primo instanti habuerunt, operandi per gratiam, & hoc dupliciter: vel incipiendo, quod quidem in secundo instanti experti sunt; vel perseuerãdo, aut recedendo ab operatione gratiæ semel incepta, quod in tertio instanti habuerunt: & tandẽ operandi, non tendendo, sicut in prioribus operandi modis, sed quiescendo, vt contingit in vltimo instanti, dum sunt in termino, & beatitudinem, vel pœnam habent. Ac modi isti sunt inter se incomposibiles, qui proinde petunt ordinem successionis inter se: & sicut ipsi sunt quatuor, ita quatuor morulas, siue instantia exigunt.

Diluitur. Respondetur enim, negando antecedens. Et ad probationem patet ex dictis, falsò assignari duo instantia pro operatione ordinis purè naturalis, & pro operatione ordinis supernaturalis. Siquidem (vt constat ex illis, quæ suprà q. 62. diximus) Angeli creati sunt in gratia sanctificante, & vt disputatione præcedenti explicuimus, in eodem instanti habuerunt dilectionem super omnia Dei finis supernaturalis. Vnde falsum est id, quod Scotus inquit, nimirum, hos duos operandi modos esse inter se incomposibiles. Cuius falsitas satis ostenditur, tum ex eo, quòd natura subordinatur gratiæ: tum etiam, quia (vt suprà disputatione 9. n. 8. & 16. innuimus) operatio naturalis, & supernaturalis Angelica elicitur à diuersis formaliter potẽtijs: & propterea hæ duæ operationes possunt concomitanter ab illis prodire. Tum denique. Quia in Angelis beatis datur simul operatio naturalis, qua se, & suum *esse* diligunt cum operationibus supernaturalibus proprijs beatorũ.

Replica. 83 Ex quo etiam fit, nihil obesse, si in fauorem Scoti vrgeas, quòd natura, & gratia comparantur tanquam duo principia, quorũ alterum sit imperfectum, alterum verò perfectum. Non potest autem quis simul operari ex principio imperfecto, & perfecto. Et propterea dubio præcedenti ex D. Thoma diximus, non posse Angelum simul mereri visionem beatam, & esse beatum: quia meritum oritur ex gratia imperfecta, beatitudo autem ex gratia perfecta. Ergo, &c.

Solutio. Respondetur enim ex dictis, esse disparẽ rationem. Quia natura, & gratia sunt diuersi generis, & ordinis; secùs verò gratia imperfecta, & perfecta. Et tandem natura, & gratia non sunt inter se incõposibiles; benè tamẽ gratia imperfecta, quæ est principium meriti in ordine ad claram Dei visionem, & gratia perfecta, quæ est principium eiusdem visionis.

84 Sed inquires, quanta fuerit mora, & duratio vniuscuiusque ex istis instantibus, non quidem secundùm se (quoniam sic certũ est, vnumquodque illorum esse indiuisibile) sed per correspondentiam ad nostrum tempus? Interrogatio.

Respondetur. Quantum attinet ad primum instans, satis patet ex dictis dubio 1. huius disputationis, solùm coextitisse vnico tantùm instanti nostri temporis. Quoad vltimum verò instans, etiam liquet non petere maiorem durationem, quàm per correspondentiam ad vnicum tantùm instans nostri temporis, vt initio huius dubij dicebamus. Quoniam etsi beatitudo v.g. mensuretur æternitate participata, nihilominùs non loquimur nunc de illa, nisi secundùm quòd incipit cum nouitate essendi, ac proinde verificatur de ea, quòd tunc primò est, cùm tamen anteà non fuisset: constat autem, ad hũc modum incipiendi non requiri, nisi tantùm correspondentiã ad vnicum dumtaxat instãs nostri temporis. Quantum verò attinet ad secundum instans, dicendum est illud optimè potuisse coexistere tempori nostro. Cæterùm an illi coextiterit adæquatè, an verò inadæquatè, & ita an solùm petierit adæquatè coexistere instanti nostri temporis? incertum est, solùm autem est certum, quòd tempus illud finitum fuit ante peccatum Adami: quia Theologi communiter dicũt, viam omnium Angelorum vsque ad primum instans præmij, aut supplicij fuisse æqualem, & quando Adam peccauit, iam malos corruisse, & damnatos fuisse: quoniam ex inuidia Diaboli processit tentatio, qua primos Parẽtes tentauit, quaque excitati lapsi sunt, vt constat ex illo Sapientiæ 2. *Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum*: ac proinde iam tunc sancti Angeli suam beatitudinem adepti erant. Resolutio. Sapiẽt. 2.

85 Vtrùm autem tempus illud, cui habuit coexistere secundum instans, fuerit totum illud, quod inter creationem Angeli, & lapsum primi hominis intercesserit, vel aliqua pars eius, & quanta, & an prædictum instans petierit coexistere adæquatè vnico dumtaxat instanti temporis nostri, & per consequens fuerit tam formaliter, quàm virtualiter indiuisibile: ex eo quòd, licèt Angelus potuerit protrahere suam operationem plenè liberam in illo instanti exercitam, nihilominùs illam ità veluti contraxit, vt non peteret durare adæquatè, nisi per vnicum dumtaxat instãs nostri tẽporis, & ideò solùm coextiterit inadæquatè parti nostri temporis, quia contigit, vt tunc illa flueret? non est res certa. Et ita solùm addimus, moram illam fuisse saltem breuissimam, & similem subitis, aut quasi subitis mutationibus. Vnde fortassis Aliud quæsitum. Quid ad illud dicendum.

huius

huius rei gratia dictum est à Christo Domino: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Sicut enim fulguris subita, aut quasi subita est mutatio à fulgore in tenebras, ita vt per breuissimum tempus fulgeat: sic Angelorum omnium via veluti subitanea fuit. Luc. 10.

Imò fortè hoc secundum instans, de quo loquimur, non coextitit, quantum est de se, ni si vnico dumtaxat instanti nostri temporis. Quia càm sancti Angeli scirent, se post suam operationem plenè liberam statim adepturos esse beatitudinem, fortè illam ita veluti contraxerunt, vt voluerint eam tantũ durare, quantum exigit correspondentia adæquata ad vnicum dumtaxat instans nostri temporis. Cumque via Angelorum bonorum, & malorum fuerit æqualis, vt communiter docent Theologi: consequens est, vt eodem modo philosophandum sit de secundo instanti Angelorum malorum,

86 Diximus, fortè secundum illud instans, quantum est ex se, solùm coexitisse vnico instanti nostri temporis: tum quia (vt iam innuimus) nihil quoad hoc volumus diffinire: tum etiam, quia licèt hoc secundum instans Angelicum fuisset indiuisibile tam formaliter, quàm virtualiter, nihilominùs, si tũc non contigit esse præcisè instans nostri temporis, sed fluere partem temporis, non coexisteret actu instanti nostro, sed parti temporis, inadæquatè tamen. Nam (vt in hac disputatione tetigimus) instantia temporis discreti Angelici mensurãtia operationes Angeli plenè liberas, non subduntur nostro tempori; & ideò possunt optimè, & connaturaliter, vel instanti, vel parti temporis, & huic vel inadæquatè, vel adequatè pro libertate Angelica, & modo suprà q. 53. exposito correspondere.

Nec necesse erit opiniones aduersantes nostris assertionibus referre: quia cuncta quæ pro eis dici possunt, & solutiones fundamentorum, quibus innituntur, satis constant ex dictis in hac disputatione.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Angelus supremus inter peccantes, fuerit supremus inter omnes?

Infrà art. 9. ad 3. & 2. dist. 2. ar. 1. & 3 com. c. 109. fin. & opus. 15. cap. 19 Et Eph. 2. & Iob 40.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quòd ille Angelus, qui fuit supremus inter peccantes, non fuerit supremus inter omnes. Dicitur enim Ezechielis 28. Tu Cherub extentus, & protegens: Posui te in monte Sancto Dei. Sed ordo Cherubim est sub ordine Seraphim, vt Dionysius * dicit 7. c. Angelicæ hierarchiæ. Ergo Angelus, qui fuit supremus inter peccantes, non fuit supremus inter omnes. † Cap. 6. & 7. cæleſt. Hierarchiæ.

¶ 2. Præterea. Deus fecit naturam intellectualẽ propter beatitudinem consequendam. Si igitur Angelus, qui fuit supremus inter omnes, peccauit, sequitur quòd ordinatio diuina fuerit frustrata in nobilissima creatura quod est inconueniens.

¶ 3. Præterea. Quantò aliquid magis inclinatur in aliquid, tantò minus potest ab illo deficere. Sed Angelus, quantò est superior, tãtò magis inclinatur in Deũ. Ergo minùs potest à Deo peccando deficere. Et sic videtur, quôd Angelus, qui peccauit, non fuerit supremus inter omnes, sed de inferioribus.

SED cõtra est, quod dicit Gregorius * in homil. de Centum ouibus, quôd primus Angelus, qui peccauit, dum cunctis agminibus Angelorum prælatus, eorum claritatem transcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit. Homil. 34. in Euang. ante med.

RESPONDEO dicendum, quôd in peccato est duo cõsiderare, scilicet, pronitatẽ ad peccandum, & motiuum ad peccandum. Si ergo consideremus in Angelis pronitatem ad peccandum, minùs videtur, quod peccauerint superiores Angeli, quam inferiores. Et propter hoc Damas. * dicit quod maior eorũ, qui peccauerũt, fuit terrestri ordini prælatus. Et videtur hæc opinio consonare † Lib. 2. c. 4.

poſitioni Platonicorum, quam Auguſtinus recitat in lib. de Ciuitate Dei * octauo, & decimo. Dicunt enim, quod omnes Dij erant boni: ſed Dæmonum, quidam boni, quidam mali. Deos nominantes ſubſtantias intellectuales, quę ſunt à globo lunari ſuperiùs: Dæmones verò ſubſtantias intellectuales, quæ ſunt à globo lunari inferiùs, ſuperiores hominibus ordine naturæ. Sed eſt abijcienda hæc opinio, tanquam â fide aliena: quia tota creatura corporalis adminiſtratur à Deo per Angelos, vt Auguſtinus dicit tertio de Trinitate. * Vnde nihil prohibet dicere, inferiores Angelos diuinitus diſtributos eſſe ad adminiſtrandum inferiora corpora; ſuperiores verò ad adminiſtrandum corpora ſuperiora: ſupremos verò ad aſſiſtendum Deo. Et ſecundùm hoc, Damaſcenus † dicit, quòd illi, qui ceciderunt, fuerũt de inferioribus: in quorum etiam ordine aliqui boni Angeli permanſerunt. Si verô conſideretur motiuum ad peccandum, maius inuenitur in ſuperioribus, quã in inferioribus. Fuit enim Dæmonum peccatum ſuperbia, vt ſuprà dictum eſt * cuius motiuum eſt excellentia, quæ fuit maior in ſuperioribus. Et ideó Gregorius * dicit, quôd ille, qui peccauit, fuit ſuperior inter omnes. Et hoc videtur probabilius. Quia peccatum Angeli non proceſsit ex aliqua pronitate, ſed ex ſolo libero arbitrio: vnde magis videtur conſideranda eſſe ratio, quæ ſumitur à motiuo ad peccandum. Non eſt tamen inde alij opinioni præiudicandum: quia etiam in principe inferiorum Angelorum potuit eſſe aliquod motiuum ad peccandum.

† Lib 8 c 6 & 7 & lib. 10 c 9. 10. & 11. tomo 5.

† Lib. 3. de Trin c. 4. & 5 tomo 3.

† De fide Catho. lib. 2. cap 4.

† Art. 2 huius quæſt.

† Greg. lococitato in arg ſed contra.

Ad primum ergo dicendum, quòd Cherubim interpretatur plenitudo ſcientiæ: Seraphim interpretantur ardentes, ſiue incendentes. Et ſic patet, quôd Cherubim denominatur à ſcientia, quæ poteſt eſſe cum mortali peccato: Seraphim verô denominatur ab ardore charitatis, quæ cum peccato mortali eſſe nõ poteſt. Et ideô primus Angelus peccans non eſt denominatus Seraphim, ſed Cherubim.

Ad ſecundum dicendum, quôd diuina intentio nõ fruſtratur, nec in his, qui peccant nec in his, qui ſaluantur. Vtrorumque enim euentum Deus præcognoſcit, & ex vtroque habet gloriam, dum hos ex ſua bonitate ſaluat, illos ex ſua iuſtitia punit. Ipſa verò creatura intellectualis, dum peccat, à fine debito deficit. Nec hoc eſt inconueniens in quacumque creatura ſublimi. Sic enim creatura intellectualis inſtituta eſt à Deo, vt in eius arbitrio poſitum ſit, agere propter finem.

Ad tertium dicendum, quòd quantacumque inclinatio ad bonum fuerit in ſupremo Angelo, tamen ei neceſsitatem non inducebat. Vnde potuit per liberum arbitrium eam non ſequi.

Prima concluſio.

Quamuis conſiderata pronitate ad peccandum, minor appareat ratio caſus in ſuperioribus Angelis, quàm in inferioribus: probabilior tamen eſt ſententia D. Gregorij dicentis, quòd primus Angelus, qui peccauit, fuit omnium ſupremus.

Secun-

Secunda concluſio.

Sententia Damaſceni dicentis, Angelum, qui peccauit, fuiſſe ſupremum in ordine inferiori, nihil habet periculi.

Notationes circa hunc articulum.

Prior animaduerſio. Bañez. Gregor. D. Aug. Iſidorus. Origenes. Tertull. Chryſoſt. Hieron. Bernard.

1 CIrca primam concluſionem animaduertendum eſt primò, quòd, vt optimè notauit Bañez, deſumitur ex communi ſententia Sanctorum. Nam illam tenent Gregorius 4. lib. Moraliũ c. 13. & lib. 9. c. 2. & D. Auguſtinus lib. 1. de Mirabilibus Sacræ Scripturæ c. 2 & lib. 11. ſuper Geneſ. ad litteram, Iſidorus lib. 1. de Sũmo bono c. 12. Origenes tract. 9. in Matthæũ in illa verba: *Erunt primi nouiſſimi*, &c. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem c. 10. Chryſoſtomus homilia 3. & 5. poſt homil. in Geneſim tom. 1. Hieronymus in illud Iob. 40. *Ipſe eſt principium viarum Dei*, Bernardus lib. de Gradibus humilitatis, & ſermone 1. Aduentus. Idem ſentiunt communiter Theologi Scholaſtici in 2. diſt. 6. & 7. Quietiam fauet illud Ezechielis 31. *Cedri non fuerunt altiores illio in paradiſo Dei*: & illud 28. *Omnis lapis pretioſus operimẽtum tuum*, quod de primo Angelo peccante, quòd fuerit ſuperior cæteris, explicant Gregorius homil. 34. in Euangelia, & Theodoretus in Epitome diuinorum decretorum & Anſelmus lib. 2. *Cur Deus homo* c. 10. Rupertus lib. 1. de Victoria Verbi Dei c. 8. & 10.

Ezechielis 31. & 28. Gregor. Theodor. Anſelm. Rupertus.

2 Secundò animaduertendum eſt, poſſe contra rationem huius primæ concluſionis D. Thomæ (innitẽtem in hoc, quòd Angelus peccauit ſuperbè per nimiam complacentiã ſuæ propriæ excellentiæ: atque adeò primus Angelus, quippe excellentior, habuit in ſua maiori excellentia maius quodammodò motiuum ad ſic peccandum, & ita de facto in ſuperbiam incidit) obijci. Tum, quòd alioquin ſupremus Angelus inter omnes minùs deliquiſſet, quàm alij: quippe qui hoc ipſo, quòd habuerit maius motiuum ad peccandum, minùs peccauit alijs, qui minori motiuo allecti, prolapſi ſunt. Tum etiam. Quia multi ex his, qui non ceciderunt, habuerunt longè excellentiorem naturam, excellentioremque beatitudinem naturalem, quam plures ex ijs, qui deliquerunt: ergo motiuum ad peccandum non fuit maior excellentia propriæ naturæ, & beatitudinis naturalis. Tum denique. Quia ſicut primus Angelus, ratione maioris perfectionis naturalis, habuit maiorem occaſionem peccandi, ita habuit maiorem virtutem ad reſiſtendum: ergo omnibus penſatis, facilius potuit perſeuerare, quã alij: ergo ex prædicto motiuo fortiori non bene deducitur,

Obiectio triplex.

Angelum primum inter omnes ſuperbiſſe. Solutio.

3 Cæterùm ad hæc facilè reſpondetur. Ad primum quidem, negãdo ſequelam. Quia facta collatione inter illud, quod diminutum eſt de peccato Angeli ratione maioris motiui ad peccandum, & inter augmentum, quod habuit ratione maioris conatus, & intenſionis & maiorum donorum retrahẽtium à peccato, quæ accepit, necnon & ſcandali, quod alijs tribuit, certum eſt magis creuiſſe ex iſtis, quàm diminutum fuiſſe ex illo.

Ad ſecundum, Ferrara 3. contra Gentes c. 109. inquit, rationem D. Thomæ ſic eſſe intelligendam, nimirum, quòd ad quieſcendum in ſua propria excellẽtia ex ſe, ſine aliorum ſuaſione, requirebatur maxima excellentia, quam habuit ſupremus Angelus, non verò ad quieſcendum in ſe ex aliorum ſuaſione, qua ratione Angeli inferiores deliquerunt.

Ad tertium dicendum eſt, non adduci hanc rationem à D. Thoma, niſi tantùm vt congruentiam quamdam, ſuppoſitata authoritate Scripturæ, quæ primæ aſſertioni fauet, necnon & Gregorij, & aliorum Patrum. Quoniam ea eſt vis propriæ excellẽtiæ, adeoque iſta mouet ad ſuperbiendum, vt quando eſt maxima, & veluti ſuprema, vt in primo Angelo contigit, ſoleat eſſe occaſio maior ad ſuperbiendum, etiamſi ex alio capite adſint vires magnæ, quibus prædictæ ſuperbiæ poſſit reſiſti.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm peccatum primi Angeli fuerit alijs cauſa peccandi?

2 Dift. 6 ar. 2, & di 34. in expon. lit. ad 2.

DOctauum ſic procedi tur. Videtur, quòd peccatũ primi Angeli peccãtis non fuit alijs cauſa peccãdi. Cauſa enim prior eſt cauſato. Sed omnes ſimul peccauerunt, vt Damaſcenus * dicit. Ergo peccatum vnius non fuit alijs cauſa peccandi.

† Lib 2. c. 4. De fide ca.

¶ 2. Præterea. Primum peccatum Angeli non poteſt eſſe niſi ſuper-

Art. 2 huius quæſt. ſuperbia, vt ſuprà dictum eſt. * Sed ſuperbia excellentiam quærit: magis autem excellentiæ repugnat, quòd aliquis inferiori ſubdatur, quàm ſuperiori. Et ſic nō videtur, quôd Dæmones peccauerint per hoc, quòd voluerunt ſubeſſe alicui ſuperiorum Angelorum, potiùs quàm Deo. Sic autem peccatum vnius Angeli fuiſſet alijs cauſa peccandi, ſi eos ad hoc induxiſſet, vt ſibi ſubijcerentur. Non ergo videtur, quôd peccatum primi Angeli fuerit cauſa peccandi alijs.

¶ 3. Præterea. Maius peccatum eſt velle ſubeſſe alteri contra Deum, quàm contra Deum alteri velle præeſſe: quia minùs habet de motiuo ad peccandum. Si ergo peccatum primi Angeli fuit alijs cauſa peccandi in hoc, quôd eos, vt ſibi ſubijcerentur, induxit, grauiùs peccaſſent inferiores Angeli, quàm ſupremus: quod eſt contra illud Pſalm. 103. Draco iſte, quem formaſti. Dicit Gloſſa*: Qui cæteris in eſſe erat excellentior, factus eſt in malitia maior. Non ergo peccatum primi Angeli fuit alijs cauſa peccandi.

In Gloſſa ordinaria ib', & dicitur eſſe Auguſt.

SED contra eſt, quod dicitur Apocalypſis 12. quòd Draco traxit ſecum tertiam partem ſtellarum.

RESPONDEO dicendū, quôd peccatū primi Angeli fuit alijs cauſa peccādi: nō quidem cogens, ſed quadā quaſi exhortatione inducens. Cuius ſignū ex hoc apparet, quôd omnes Dæmones illi ſupremo ſubdūtur, vt manifeſtè apparet per illud, quod dicit Dominus Matthæi 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius. Habet enim hoc ordo diuinæ iuſtitiæ, vt cuius ſuggeſtioni aliquis conſentit in culpa, eius poteſtati ſubdatur in pœna, ſecundùm illud 2. Petri 2. A quo quis ſuperatus eſt, huic ſeruus addictus eſt.

Ad primum ergo dicendum, quôd licèt ſimul Dæmones peccauerint; tamen peccatum vnius potuit eſſe alijs cauſa peccandi. Angelus enim non indiget ad eligendum, vel exhortandum, vel etiam conſentiendum temporis mora, ſicut homo, qui deliberatione indiget ad eligendum, & ad conſentiendum, & locutione vocali ad exhortandum, quorum vtrumque tempore agitur. Manifeſtum eſt autem, quôd etiam homo ſimul dum aliquid iam corde concepit, in eodem inſtanti incipit loqui. Et in vltimo inſtanti locutionis, in quo aliquis ſenſum loquentis capit, poteſt aſſentire ei, quod dicitur: vt patet maximè in primis cōceptionibus, quas quiſque probat auditas. Sublato ergo tempore deliberationis, quod in nobis requiritur, in eodem inſtanti, in quo primus Angelus ſuam affectionem intelligibili locutione expreſsit, poſsibile fuit alijs in eam conſentire.

Ad ſecundum dicēdum, quòd ſuperbus, cæteris paribus, magis vult ſubeſſe ſuperiori, quàm inferiori. Sed ſi aliquā excellentiā conſequatur ſub inferiori, quam ſub ſuperiori conſequi non poſsit, magis eligit inferiori ſubeſſe, quàm ſuperiori. Sic igitur non fuit contra ſuperbiam Dæmonum, quòd ſubeſſe inferiori

voluc-

voluerunt, in eius principatum conſentientes, ad hoc eum principem, & ducem habere volentes, vt virtute naturali ſuam vltimam beatitudinem conſequerentur: præſertim, quia ſupremo Angelo naturæ ordine etiam tunc ſubiecti erant.

Ad tertium dicẽdum, quòd ſicut ſupra dictum eſt †, Angelus non habet aliquid retardans, ſed ſecundùm ſuam totam virtutem mouetur in illud, ad quod mouetur, ſiue in bonum, ſiue in malũ. Quia igitur ſupremus Angelus maiorẽ habuit naturalẽ virtutẽ, quàm inferiores, intẽſiori motu in peccatum prolapſus eſt: & ideò factus eſt etiam in malitia maior.

Q. 62. art. 6

Concluſio.

Peccatum primi Angeli fuit aliis cauſa peccandi, nõ cogens, ſed quaſi quadam exhortatione inducens.

Animaduerſiones circa concluſionem huius articuli.

Suadetur cõcluſio ex Scriptura.

1 CIrca prædictam concluſionem animaduertendum eſt, illam eſſe valdè conformem Scripturæ, vt conſtat ex Iſaiæ 14. vbi ſermo eſt de Lucifero, & de eo dicitur: *Tu enim terram tuam diſperdidiſti: tu populum tuum occidiſti.* Vnde colligit Hieronymus, congregationes Angelorum damnatorum, quæ populus Luciferi dicuntur, ex dæmonis ſuggeſtione corruiſſe. Cui conſonant quàmplures ex Patribus, quos refert Bañez in præſenti, idemque tenent communiter Doctores ſcholaſtici.

Iſaiæ 14.

Hieron.

Bañez.

Obiectio.

Secundò animaduertendum eſt, poſſe cõtra hanc concluſionem obijci, quòd à ſupremo Angelo nõ fuit propoſitum alijs aliquid ex parte obiecti malum, ſed potiùs quid bonum: non igitur prouocauit eos ad peccandum. Antecedens conſtat. Quia ſolùm fuit ab eo propoſita illis ſua beatitudo naturalis, eamque diligere ſuaſit: cõſtat autem hoc obiectum eſſe bonum, ſiquidem in ordine ad hanc eſt in Angelo naturalis inclinatio. Cõſequentia autem etiam liquet. Quoniam inductio ad peccandum fit per propoſitionem mali obiecti: ſiquidem actus malus, qualis eſt prædicta inductio, ſumit ſuam ſpecificationem ex obiecto malo.

Confirmatur. Nam dum ſupremus Angelus aperuit inferioribus ſuã conuerſionem ad propriã celſitudinẽ, vt eodem modo ipſi ad propriã excellentiam conuerterentur, vel iudicarunt, illud obiectum eſſe bonum, vel malũ: Si bonum ergo cùm ante primũ peccatũ non potuerint errare, tantùm propoſitũ fuit illis obiectũ verè bonũ, & honeſtũ: & per cõſequens inde nõ potuerunt adduci ad peccandũ. Si autem malũ: ergo nõ peccarunt ex ſola incõſideratione, ſed ex errore practico, amplectentes vt cõueniens id, quod ſpeculatiuè iudicarunt eſſe malũ, atq; adeò diſcõueniẽs.

Cõfirmatio.

2 Cæterũ ad hoc argumẽtum benè reſpõdet Bañez cõcedendo antecedens, & negando conſequentiã. Nam licet Angelus ſupremus propoſuerit alijs bonum ſuæ pulchritudinis naturalis, non tamen cum circunſtãtia debita in eſſe, ſcilicet, attendendo ad ordinẽ gratiæ, ad quem ordinare tenebantur ſuam beatitudinem naturalem.

Soluitur obiectio.

Ad cõfirmationem verò eſt etiam optima ſolutio, quam idem Bañez adducit, quòd Angeli deſertores, qui imitati ſunt ſupremũ peccatorẽ, iudicauerunt, illam cõuerſionẽ ſupremi Angeli eſſe bonam ex parte obiecti, & dignam ex parte hac imitatione: quod iudicium fuit verißimum. Nihil autẽ conſideraſſent de bonitate, aut malitia, quæ inerat illi conuerſioni ex parte modi, nec iudicauerunt, illã eſſe aut humilem, aut ſuperbam, non attendẽtes ad regulã diuinam, ex cuius prætermiſſione, & inconſideratione illa conuerſio ad propriã excellentiam fuit praua in ſupremo Angelo. Vndè & inferiores, qui imitati ſunt ſupremũ, eodẽ modo peccauerunt ſuperbè ex incõſideratione diuinæ regulæ, quam tenebãtur cõſiderare. Angeli autẽ boni, eodem momento attẽdentes ad regulam diuinã, cognouerunt, conuerſionẽ illã eſſe ſuperbam: & ita ſe ſubijcientes diuinæ legi, deteſtati ſunt ſupremi Angeli conuerſionem.

Enodatio confirmat.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm tot Angeli peccauerũt, quot permanſerunt?

AD nonum ſic proceditur. Videtur, quòd plures peccauerunt de Angelis, quam permanſe-

manſerunt. Quia vt dicit Philoſophus, * Malum eſt vt in pluribus; bonum vt in paucioribus.

† Lib. 2. Ethic. cap 6. à med. to. 5.

¶ 2. Præterea. Iuſtitia, & peccatum eadem ratione inueniuntur in Angelis, & hominibus. Sed in hominibus plures inueniuntur mali, quàm boni, ſecundùm illud Eccleſiaſtes 1. Stultorum infinitus eſt numerus. Ergo pari ratione in Angelis.

¶ 3. Præterea. Angeli diſtinguuntur ſecundùm perſonas, & ſecundùm ordines. Si igitur plures perſonæ Angelicæ remanſerunt, videtur etiam, quòd non de omnibus ordinibus aliqui peccauerunt.

SED contra eſt, quod dicitur 4. Regum 6. Plures nobiſcum ſunt, quàm cum illis: quod exponitur de bonis Angelis, qui ſunt nobiſcum in auxilium, & de malis, qui nobis aduerſantur.

RESPONDEO dicendum, quôd plures Angeli permanſerunt, quàm peccauerunt: quia peccatum eſt contra naturalem inclinationem: ea verò, quæ contra naturam fiunt, vt in paucioribus accidunt: natura enim conſequitur ſuum effectum, vel ſemper, vel vt in pluribus.

Ad primum ergo dicendum, quòd Philoſophus loquitur quantum ad homines, in quibus malum contingit ex hoc, quôd ſequuntur bona ſenſibilia, quæ ſunt pluribus nota, deſerto bono rationis, quod paucioribus notum eſt. In Angelis autem non eſt niſi natura intellectualis: vnde non eſt ſimilis ratio. Et per hoc patet reſponſio ad ſecundum.

Ad tertium dicendum, quòd ſecundùm illos, qui dicunt, quòd Diabolus maior fuit de inferiori ordine Angelorum, qui præſunt terreſtribus, manifeſtũ eſt, quôd non de quolibet ordine ceciderunt, ſed de infimo tantùm. Secundùm verò illos, qui ponunt, maiorem Diabolum de ſupremo fuiſſe ordine, probabile eſt, quòd de quolibet ordine aliqui ceciderunt: ſicut in quemlibet ordinem homines aſſumuntur in ſupplementum ruinæ Angelicæ. In quo etiam magis comprobatur libertas liberi arbitrij, quæ ſecundùm quemlibet gradum creaturæ in malum flecti poteſt. In ſacra Scriptura tamen nomina quorundam ordinum, vt Seraphim, & Tronorum, Dæmonibus non attribuuntur: quia hæc nomina ſumũtur ab ardore charitatis, & ab habitatione Dei, quę non poſſunt eſſe cum peccato mortali. Attribuũtur autem eis nomina Cherubim, Poteſtatum, & Principatuum: quia hęc nomina ſumuntur a ſcientia, & potentia, quæ bonis, maliſque poſſunt eſſe communia.

Concluſio eſt.

Plures Angeli permanſerunt in gratia, quàm fuerunt illi, qui peccauerunt.

Notationes circa articulum iſtum.

1 CIrca concluſionem huius articuli notandum eſt, eam eſſe communem inter omnes fere Theologos, vt notarunt Bañez, Zumel. & alij. Circa rationem verò, qua Angelicus Præceptor eam probat, nimirum, quia peccatum eſt contra naturalem inclinationem, ea verò, quæ contra naturam fiunt, vt in paucioribus accidunt, animaduertendũ eſt, poſſe contra eã obijci, inde ſequi, plures eſſe homines, qui honeſte, & virtutem ſequendo viuunt, quàm illi, qui amplectuntur vitia, & voluptates virtutibus oppoſitas: quod tamen pugnat cum illo Chriſti Domi-

Bañez. Zumel. Obiectio contra rationem cõcluſionis D. Thomæ

Matth.7. ni Matthæi 7. *Lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, &c. & pauci ſunt, qui inueniunt eam.* Sequela videtur aperta. Quoniam etiam vita honeſta hominis, & operationes virtuoſæ ſunt iuxta naturalem inclinationem hominis, & vitia ſunt contra rationem, & naturam eiuſdem hominis. Et ita amplecti vitia, iuxta rationem D. Thomæ, deberet contingere, adhuc in hominibus, vt in pauciorib⁹.

Diluitur. 2 Cæterùm ad hoc facilè reſpondetur, negando ſequelam. Nam etſi bonum virtutis ſit iuxta naturalem inclinationem partis rationalis, & ſuperioris: attamen homo conſtat ex parte ſenſitiua, qua caret Angelus: & parti ſenſitiuæ eſt cõſonum bonum ſenſibile, quod multoties contrariatur bono rationis, & virtutis.

Vnde (vt benè notauit Bañez) bona ſenſibilia ſunt nobis magis nota: quoniam illa *Bañez.* ſenſibus experimur, & vtimur illis à principio noſtræ natiuitatis, & ſic faciliùs ab eis trahimur. Item, etiam ſenſibilia afferunt ſecum quaſi præmium præſentis delectationis, aut doloris, & cruciatus: quare faciliùs illorum amore & horum terrore abducimur à bono virtutis, & rationis, cuius præmium in futurum protrahitur: & quod ſecum in præſenti affert, non adeò percipitur. In Angelis autem, cùm non conſtent ex natura ſenſibili appetente contra rationem, nec à bono ſenſibili inchoet eorum cognitio, nec in bonis ſenſibilibus ſenſibiliter delectentur, nihil eſt, quod retardet, aut auertat eos à bono virtutis, niſi propria malitia. Quare malitiam in pauciorib⁹ eorum inuentam eſſe, optimè intulit D. Thomas.

QVESTIO LXIIII. DE POENA Dæmonum.

PROOEMIVM.

COnſequenter quæritur de pœna Dæmonum. Et circa hoc quæruntur quatuor. Primo, de obtenebratione intellectus. Secundò, de obſtinatione voluntatis. Tertio, de dolore ipſorum. Quartò, de loco pœnali ipſorum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm intellectus Dæmonis ſit obtenebratus per priuationem cognitionis omnis veritatis?

2 Diſt.7.q 2 artic.1.& Mal. q.16 ar.6.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quòd intellectus Dæmonis ſit obtenebratus per priuationem cogni tionis omnis veritatis. Si enim aliquam veritatem cognoſcerent, magis cognoſcerẽt ſe ipſos, quod eſt cognoſcere ſubſtantias ſeparatas. Hoc autem eorum miſeriæ non conuenit: cùm ad magnã beatitudinem pertinere videatur, in tantum, quòd quidam vltimam beatitudinem hominis poſuerunt in cognoſcendo ſubſtantias ſeparatas. Ergo Dæmones priuantur omni cognitione veritatis.

¶ 2. Prætereà. Id, quod eſt maximê manifeſtum in natura, videtur

videtur eſſe maximè manifeſtum in Angelis, ſiue bonis, ſiue malis. Quòd enim non ſit nobis maximè manifeſtum, contingit ex debilitate intellectus noſtri à phantaſmatibus accipientis: ſicut ex debilitate oculi noctuæ contingit, quod non poſsit videre lumen ſolis. Sed Dæmones non poſſunt cognoſcere Deum, qui eſt ſecundùm ſe manifeſtiſsimus, cum ſit in ſummo veritatis: eo quod non habent mundum cor, quo ſolo videtur Deus. Ergo nec alia cognoſcere poſſunt.

¶ 3. Præterea. Cognitio rerum Angelis conueniens, eſt duplex ſecundùm Auguſtinum,* ſcilicet matutina, & veſpertina. Sed cognitio matutina non competit Dæmonibus, quia non vident res in Verbo: nec cognitio veſpertina, quia cognitio veſpertina refert res cognitas ad laudem Creatoris: vnde poſt veſpere fit manè, vt dicitur Geneſ. 1. Ergo Dæmones non poſſunt cognitionem de rebus habere.

¶ 4. Præterea. Angeli in ſua conditione cognouerunt myſterium regni Dei, vt Auguſtinus * dicit quarto ſuper Geneſ. ad litteram. Sed Dæmones hac cognitione priuati ſunt: quia ſi cognouiſſent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixiſſent, vt dicitur 1. Corinthiorum 2. Ergo pari ratione omni alia cognitione veritatis ſunt priuati.

¶ 5. Præterea. Quamcumque veritatem aliquis ſcit, aut cognoſcit eam naturaliter, ſicut nos cognoſcimus prima principia: aut accipiendo ab alio, ſicut quæ ſcimus addiſcendo aut experientia longi temporis, ſicut ſcimus inueniendo. Sed Dæmones non poſſunt cognoſcere veritatem per ſuam naturam, quia ab eis diuiſi ſunt boni Angeli, ſicut lux à tenebris, vt Auguſtinus * dicit. Omnis autem manifeſtatio fit per lumẽ, vt dicitur Epheſ. 5. ſimiliter etiam neque per reuelationem, neque addiſcendo à bonis Angelis: quia non eſt conuentio lucis ad tenebras: vt dicitur 2. Corinthiorum 6. Neque per experientiam longi temporis: quia experientia à ſenſu oritur. Ergo nulla in eis eſt cognitio veritatis.

SED contra eſt, quod Dionyſius * dicit 4. cap. de diuinis nominibus, quòd data ſunt Dæmonibus aliqua dona, quæ nequaquam mutata eſſe dicimus, ſed ſunt integra, & ſplendidiſsima. Inter iſta autem naturalia dona eſt cognitio veritatis. Ergo in eis eſt aliqua veritatis cognitio.

RESPONDEO dicendum, quod duplex eſt cognitio veritatis. Vna, quæ habetur per gratiam: alia, quæ habetur per naturam. Et iſta, quæ habetur per gratiam, eſt duplex. Vna, quæ eſt ſpeculatiua tantùm, ſicut cùm alicui aliqua ſecreta diuinorum reuelatur. Alia vero, quæ eſt affectiua producens amorem Dei: & hæc propriè pertinet ad donum ſapientiæ. Harum autem trium cognitionum prima in Dæmonibus nec eſt ablata, nec diminuta: conſequitur enim ipſam naturam Angeli, qui ſecundùm ſuam naturam eſt quidam intellectus, vel mens. Propter ſimplicitatem autem ſuæ ſubſtantiæ à natura eius aliquid ſubtrahi non poteſt,

vt

* Lib. 4. ſuper Geneſ. c. 22. to. 3.

* Lib 4. ca. 19. non procul á p. inc. tom. 3.

† Lib 11. de ciuit. Dei, ca. 19. & 33. tom 5.

† Ca. 4. pars 4. parum à medio.

vt ſic per ſubtractionem naturalium poniatur, ſicut homo punitur per ſubtractionem manus, aut pedis, aut alicuius huiuſmodi. Et ideò dicit Dionyſius, * quòd dona naturalia in eis integra manent. Vnde naturalis cognitio in eis non eſt diminuta. Secunda autem cognitio, quæ eſt per gratiã in ſpeculatione, conſiſtens, non eſt in eis totaliter ablata, ſed diminuta: quia de huiuſmodi ſecretis diuinis tãtum reuelatur eis, quantum oportet, vel mediantibus Angelis, vel per aliqua temporalia diuinæ virtutis effecta, vt dicit Auguſtinus 9. de Ciuitate Dei: * non autem ſicut ipſis Sanctis Angelis, quibus plura, & clarius reuelantur in ipſo Verbo. A tertia verò cognitione ſunt totaliter priuati, ſicut & à charitate.

† Loco citato in arg. ſed contra

† Lib. 9. de Ciuit. Dei ca. 21. circa med. to. 5.

Ad primum ergo dicendum, quôd fœlicitas conſiſtit in applicatione ad id, quod ſuperius eſt. Subſtantię autem ſeparatæ ſunt ordine naturæ ſupra nos. Vnde aliqualis ratio fœlicitatis eſſe poteſt homini, ſi cognoſcat ſubſtantias ſeparatas: licèt perfecta eius fœlicitas ſit in cognoſcendo primam ſubſtantiam, ſcilicet Deum. Sed ſubſtantiæ ſeparatæ, cognoſcere ſubſtantiam ſeparatam, eſt connaturale, ſicut & nobis cognoſcere naturas ſenſibiles. Vnde ſicut in hoc nõ eſt fœlicitas hominis, quòd cognoſcat naturas ſenſibiles: ita non eſt fœlicitas Angeli in hoc, quôd cognoſcat ſubſtantias ſeparatas.

Ad ſecundum dicẽdum, quòd illud, quod eſt manifeſtiſsimum in natura, eſt nobis occultum propter hoc, quôd excedit proportionem intellectus noſtri, & non ſolùm propter hoc, quôd intellectus noſter accipit à phantaſmatibus. Excedit autem diuina ſubſtantia, non ſolùm proportionem intellectus humani, ſed etiam intellectus Angelici. Vnde nec ipſe Angelus ſecundùm ſuam naturam poteſt cognoſcere Dei ſubſtantiam: poteſt tamen altiorem cognitionem de Deo habere per ſuam naturam, quàm homo, propter perfectionem ſui intellectus: & talis cognitio remanet etiam in Dæmonibus. Licèt enim non habeãt puritatem, quæ eſt per gratiam, habent tamen puritatem naturæ, quæ ſufficit ad cognitionem Dei, quæ eis competit ex natura.

Ad tertium dicendum, quòd creatura tenebra eſt comparata, excellẽtiæ diuini luminis: & ideò cognitio creaturæ in propria natura veſpertina dicitur: veſpere enim eſt tenebris adiunctum; habet tamen aliquid de luce: cùm autem totaliter deficit lux, eſt nox. Sic igitur & cognitio rerum in propria natura, quando refertur ad laudem Creatoris, vt in bonis Angelis, habet aliquid de luce diuina, & poteſt dici veſpertina. Si autem non referatur in Deum, ſicut in dæmonibus, non dicitur veſpertina, ſed nocturna. Vnde & in Geneſi legitur, quôd tenebras, quas Deus a luce ſeparauit, vocauit noctem.

Ad quartum dicendum, quòd myſterium regni Dei, quod eſt impletum per Chriſtum, omnes qui dem Angeli a principio aliquo modo cognouerunt, maximè ex

quo

quo beatificati ſunt viſione Verbi, quam Dæmones nunquam habuerunt: non tamen omnes Angeli cognouerunt perfectè, neque æqualiter. Vnde Dæmones multò minùs, Chriſto exiſtente in mundo, perfectè myſterium Incarnationis cognouerunt. Non enim innotuit eis, vt Auguſtinus * dicit, ſicut Angelis ſanctis, qui Verbi participata æternitate per fruuntur: ſed ſicut eis terrendis, innoteſcendum fuit per quædam temporalia effecta. Si autem perfectè, & per certitudinem cognouiſſent, ipſum eſſe Filium Dei, & effectum paſsionis eius, numquam Dominum gloriæ crucifigi procuraſſent.

* Lib. 9. de Ciuit. Dei cap. 21. non procul á principio tom. 5.

Ad quintum dicendum, quòd Dæmones tribus modis cognoſcunt veritatem aliquam. Vno modo, ſubtilitate ſuæ naturæ: quia licèt ſint obtenebrati per priuationem luminis gratiæ, ſunt tamen lucidi lumine intellectualis naturæ. Secundò per reuelationem à ſanctis Angelis, cum quibus non conueniunt quidem per conformitatem voluntatis, conueniunt autem ſimilitudine intellectualis naturæ, ſecundum quam poſſunt accipere, quod ab alijs manifeſtatur. Tertio modo cognoſcunt per experientiam longi temporis, non quaſi a ſenſu accipientes, ſed dum in rebus ſingularibus completur ſimilitudo eius ſpeciei intelligibilis, quam ſibi naturaliter habent inditam, aliqua cognoſcunt præſentia, quæ non præcognouerunt futura, vt ſupra de cognitione Angelorum dictum eſt. *

† Q. 57. ar. 3

Prima concluſio.

Cognitio naturalis in Dæmonibus nec eſt ablata, nec diminuta.

Secunda concluſio.

Cognitio ſupernaturalis ſpeculatiua diminuta fuit.

Tertia concluſio.

Cognitione ſupernaturali affectiua producente amorem Dei, totaliter ſunt priuati Dæmones.

Annotationes circa hunc articulum.

1 SVppoſitis ijs, quæ in præcedentibus quæſtionibus diximus, nihil de nouo ſeſe offert circa hunc articulum diſcutiendum: & ideò circa illum ſolùm animaduertimus, quòd dum Angelicus Doctor in eo negat in Angelis cognitionem eſſe ablatã, vel diminutam, & concedit tum ſupernaturalem, & affectiuam omninò ablatam, tum etiã ſupernaturalem ſpeculatiuam diminutã fuiſſe, non loquitur de cognitione actuali, ſed tantùm de habituali. Ratio autem huius ſumitur ex ipſo Angelico Doctore, & ex ratione, quam in hoc articulo aſsignat, nimirum, quòd ſi talis cognitio naturalis fuiſſet à Dæmonibus ablata, vel diminuta, tolleretur aliquid de eorum natura: quod eſt impoſsibile, propter ſimplicitatem ipſius. Hæc autem ratio non procedit de cognitione actuali: hæc enim de facto fuit diminuta in Dæmone, qui diuina virtute prohibitus eſt cognoſcere actualiter integritatem Virginis, & modum partus Chriſti Domini, vt ex Auguſtino docet idem Angel. Doctor 3. p. q. 29. art. 1. ad 3. quam tamen integritatem naturaliter poterat cognoſcere: & tamen ex eo, quod prædicta cognitio actualis fuit ab eo ablata, non ideò ſublatum eſt ei aliquid de ſimplicitate ſuæ naturæ: Et ita procedit ratio D. Thomæ de cognitione habituali, ſiue ex parte actus primi.

Animaduerſio præcedentis articuli.

Ratio animaduerſionis.

Ang. Doctor.

2 Vnde, quia principium cognitionis ſupernaturalis affectiuæ eſt donum ſapientiæ, principium verò cognitionis ſupernaturalis ſpeculatiuæ ſunt alij habitus intellectuales, & ſupernaturales, vel aliqua illuſtratio, ſiue illuminatio ex parte intellectus: inde eſt, quòd ex omnimoda ablatione doni ſapientiæ inferat priuationem cognitionis ſupernaturalis affectiuæ. Et quia, licèt habitus intellectuales ſupernaturales ſint totaliter eis ablati, non tamen illuſtrationes ſupernaturales ſpecula-

ſpeculatiuæ, ſed ſolùm diminutæ: hinc fit, vt ex diminutione harum illuſtrationum optimè inferatur diminutio cognitionis ſupernaturalis ſpeculatiuæ. Quanuis quomodo, & in quo ſenſu prædictæ illuſtrationes dicantur ſupernaturales, & qua ratione dicatur Dæmon eas habere, in præſenti non explicet, ſed ex alibi dictis ſit decidendum. Et tandem inde infert S. Doctor, quòd naturalis cognitio non eſt ablata, nec diminuta: quia principia huius cognitionis non poſſunt auferri ab Angelo, nec minui, niſi diminueretur, vel auferretur aliquid de eorum ſubſtantia.

3 Cuius ratio eſt. Quia cùm principia huius cognitionis ſint lumen intellectuale Angeli, & ſpecies intelligibilis, non poſſet auferri, aut minui cognitio naturalis, niſi auferretur, vel diminueretur eius lumen intellectuale in modo cognoſcendi, non cognoſcendo vnico intuitu, quicquid repræſentatur per ſpecies, vel niſi diminueretur ſpeciei intelligibilis virtus, quam habet ad repræſentanda omnia obiecta, quæ poterant per illam repræſentari: quod tamen fieri non poteſt ſine diminutione ſimplicitatis naturæ Angelicæ, quæ ex ſe petit tale lumen, & ſpecies intelligibiles cum extenſione proportionata ad illud. Non tamen repugnat naturæ ſimplicitati, quòd aliunde non permittatur actu cognoſcere id, ad quod tam lumen, quàm ſpecies eius ſe poterat extendere.

ARTICVLVS II.

Virùm voluntas Dæmonũ ſit obſtinata in malo?

† 2. Diſt. 7. q. 1. art. 2. & veri. q. 24. ar. 1. & art. 2. cor. & mal. q. 16. art. 5.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quòd voluntas Dæmonum non ſit obſtinata in malo. Libertas enim arbitrij ad naturam intellectualis naturæ pertinet, quæ manet in Dæmonibus. Sed libertas arbitrij per ſe, & priùs ordinatur ad bonum, quàm ad malum. Ergo voluntas Dæmonis non eſt ita obſtinata in malo, quin poſsit redire ad bonum.

¶ 2. Præterea. Maior eſt miſericordia Dei, quæ eſt infinita, quam Dæmonis malitia, quæ eſt finita. A malitia autem culpæ ad bonitatem iuſtitiæ nullus redit, niſi per Dei miſericordiam. Ergo etiam Dæmones à ſtatu malitiæ poſſunt redire ad ſtatum iuſtitiæ.

¶ 3. Præterea. Si Dæmones habent voluntatem obſtinatam in malo, maximè haberent eam obſtinatam in peccato, quo peccauerunt. Sed illud peccatum in eis nunc non manet, ſcilicet ſuperbia, quia nec motiuum manet, ſcilicet eius excellentia. Ergo Dæmon non eſt obſtinatus in malitia.

¶ 4. Præterea. Gregorius dicit, quòd homo per alium reparari potuit, quia per alium cecidit. Sed Dæmones inferiores per primum ceciderunt, vt ſupra dictum eſt. * Ergo eorum caſus per alium reparari potuit. Ergo non ſunt in malitia obſtinati. * Q. præced. art. 8.

¶ 5. Præterea. Quicumque eſt in malitia obſtinatus, nũquam bonum opus operatur. Sed Dæmon aliqua bona facit. Confitetur enim veritatem, dicẽs Chriſto, Scio quia tu es Sanctus Dei, Matthæi 1. Dæmones etiam credunt, & contremiſcunt: vt dicitur Iaco. 3. Dionyſius etiam dicit 4. capite de diuinis nominibus * quòd bonum, & optimum concupiſcunt eſſe, viuere, & intelligere. Ergo non ſunt obſtinati in malitia. † Lib. 4. par. 4. parũ à medio, & non multũ ante finem.

SED contra eſt, quod dicitur in Pſal. 73. Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper: quod de Dæmonibus exponitur. Ergo ſemper obſtinati in malitia perſeuerant.

RES-

† Lib. 1. Periarchom. c. 6. à med. &c. 5. to. 4.

RESPONDEO dicendum, quòd Origenis * positio fuit quod omnis voluntas creaturæ propter libertatem arbitrij potest flecti, & in bonum, & in malum; excepta anima Christi, propter vnionem Verbi. Sed hæc positio tollit veritatem beatitudinis à Sanctis Angelis, & hominibus: quia stabilitas sempiterna est de ratione veræ beatitudinis, vnde & vita æterna nominatur. Repugnat etiam authoritati Scripturæ Sacræ, quæ Dæmones, & homines malos in supplicium æternũ mittendos, bonos autẽ in vitam æternam transferẽdos pronuntiat. Vnde hæc positio est tamquam erronea reputanda; & tenendũ est firmiter secundùm fidem catholicã, quôd & voluntas bonorum Angelorum confirmata est in bono, & voluntas Dæmonũ obstinata est in malo. Causam autem huius obstinationis oportet accipere, non ex grauitate culpæ, sed ex cõditione naturę status. Hoc enim est hominibus mors, quod Angelis casus, vt Damascenus † dicit. Manifestum est autẽ, quòd omnia mortalia peccata hominum, siue sint magna, siue sint parua, ante mortem sunt remissibilia, post mortẽ verò irremissibilia, & perpetuò manentia.

† Lib. 2. ortho. fidei c. 4. in fine.

Ad inquirendum ergo causam huiusmodi obstinationis considerandum est, quòd vis appetitiua in hominibus proportionatur apprehensiuæ, à qua mouetur sicut mobile a motore. Appetitus enim sensitiuus est boni particularis, voluntas verò vniuersalis, vt suprà dictũ est: † sicut etiã sensus apprehẽsiuus est singulariũ, intellectus verò vniuersaliũ. Differt autẽ apprehensio Angeli ab apprehensione hominis in hoc, quod Angelus apprehendit immobiliter per intellectũ, sicut & nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum est intellectus: homo verò per rationẽ apprehendit mobiliter discurrendo de vno ad aliud, habens viã procedendi ad vtrumque oppositorũ. Vnde & voluntas hominis adhæret alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere, & contrario adhærere: voluntas autem Angeli adhæret fixè, & immobiliter. Et ideò, si consideretur ante adhęsionem, potest liberè adhærere & huic, & oppositio, in his scilicet, quæ non naturaliter vult: sed postquam iam adhęsit, immobiliter adhæret. Et ideò consueuit dici, quôd liberũ arbitrium hominis flexibile est ad oppositũ, & ante electionẽ, & post: liberũ autẽ arbitriũ Angeli est flexibile ad vtrumque oppositũ ante electionẽ, sed non post. Sic igitur & boni Angeli semper adhærentes iustitiæ, sunt in illa confirmati mali verò peccantes, sunt in peccato obstinati. De obstinatione verò hominum damnatorum infrà dicetur.*

† In 3. p. quã nõ absoluit.

Ad primum ergo dicendum, quòd boni, & mali Angeli habẽt liberum arbitrium, sed secundũ modum, & còditionem suę naturę, vt dictum est. *

In corpore artic.

Ad secundum dicendũ, quòd misericordia Dei liberat à peccato pœnitentes. Illi verò, qui pœnitentiæ capaces non sunt, immobiliter malo adhærent, & per diuinã misericordiam nõ liberantur.

† Q. 59. ar. 4

Ad tertiũ dicendũ, quôd adhuc

manet

manet in diabolo peccatum, quo primò peccauit, quantum ad appetitum, licèt non quantum ad hoc, quòd credat ſe poſſe obtinere, Sicut ſi aliquis credat, ſe poſſe facere homicidium, & velit facere, & poſteà adimatur ei poteſtas; nihilominùs voluntas homicidij in eo manere poteſt, vt velit feciſſe, vel velit facere, ſi poſſet.

Ad quartum dicendum, quòd non eſt tota cauſa, quare peccatum hominis ſit remiſsibile, quia alio ſuggerente peccauit. Et ideò ratio non ſequitur.

Ad quintum dicendum, quòd actus Dęmonis eſt duplex. Quidam ſcilicet, ex voluntate deliberata procedens, & is propriè poteſt dici actus eius: & talis actus Dæmonis ſemper eſt malus. Quia, etſi aliquando aliquod bonum faciat, non tamen bene facit: ſicut dum veritatem dicit, vt decipiat, & dum non voluntariè credit, & confitetur, ſed rerum euidentia coactus. Alius autem actus Dæmonis eſt naturalis, qui bonus eſſe poteſt, & atteſtatur bonitati naturæ: & tamen tali bono actu abutuntur ad malum.

Prima concluſio.

Secundùm fidem tenendum eſt, voluntatem bonorum Angelorum eſſe confirmatam in bono, & malorum obſtinatam in malo.

Secunda concluſio.

Cauſa obſtinationis non eſt ſumenda ex grauitate culpæ, ſed ex natura ſtatus.

Tertia concluſio.

Cauſa obſtinationis Dæmonis eſt immobilitas arbitrij, poſtquam ex electione adhæſit alicui obiecto.

DISPVTATIO XIII.

De obſtinatione Dæmonum.

POSTQVAM D. Thomas de Angelorum, ſiue Dæmonum peccato in præcedenti quæſtione egit, meritò nunc de eorũ obſtinatione, quæ ex peccato illorum ſubſequitur, ſermonem inſtituit. Et ideò nos ad hanc obſtinationem, & eius cauſas inueſtigandas præſentem diſputationem inſtituimus.

DVBIVM I.

Ex quibus cauſis procedat obſtinatio in Dæmonibus.

QVia titulus huius dubij explicatione eget, idcircò illũ primo loco elucidamus.

§. I. *Explicatio tituli.*

Prior animaduerſio pro luce tituli.

1 NOtandũ ergo eſt primò, quòd nomine *obſtinationis*, intelligimus propoſitum quoddam firmum & irreuocabile, ſeu determinationem quandam immobilem & inflexibilem voluntatis ad malum. Vnde obſtinatio non opponitur omni modo libertatis, ſed libertati ad malum, & ad bonum, in ſenſu tamen infrà explicando: ac proinde non excludit, quominùs obſtinatus ſit liber in ordine ad diuerſa mala ordinata ad aliquod vnum: ſicut confirmatio in gratia, ſaltem ſi ſit omninò perfecta, excludit libertatem ad malum, & bonum; non tamen ad diuerſa bona ſub aliquo vno bono contenta. Et licèt obſtinatio ſit talis conditionis, vt obſtinatus

nequeat operari aliquod opus moraliter bonum: attamen opus bonum, quod præcipuè excludit, est actus, quo flectatur à suo peccato, de illoque pœniteat. Et propterea titulus huius dubij præcipuè intelligitur de obstinatione, prout dicit inflexibilitatem in peccato semel commisso, & impotentiam ad pœnitẽdum de illo.

Cæterùm licèt hæc pœnitentia possit esse duplex: vel fructuosa nimirum, ac proinde supernaturalis, vel non fructuosa, quia non pertingit ad hoc, vt sit supernaturalis, sed tãtùm dicit aliquem actum, aliquamuè qualẽcunque peccati retractationem viribus naturæ factam: nihilominùs in hoc dubio præcipuè de hac posteriori sermo fiet: quia in ea est specialis, & grauior difficultas circa id, quod in titulo inquiritur; quamuis etiam de illa priori agemus: & semel negata impotentia ad pœnitentiam infructuosam, & assignata radice huius impotentiæ, satis constabit, quid circa fructuosam pœnitentiam dicendum sit.

Secũda animaduersio. *D. Thom.*

2 Secundò notandum est ex D. Thoma q. 16. de Malo art. 5. in corpore, & in solutionibus ad 3. 4. & 16. & q. 24. de Veritate art. 10. ex duplici causa posse prouenire prædictam inflexibilitatem, quam obstinatio dicit, nempe, vel ex causa solùm extrinseca, vel intrinseca tantummodò, vel tandem (vt etiã colligitur ex eodem Angelico Doctore) ex causa simul intrinseca, & extrinseca. Ex extrinseca quidem solummodò, vt si dicamus, id oriri ratione status damnationis, & decretorum, siue legum, quas circa eos, qui sunt in tali statu, Deus stabiliuit: quamuis attenta natura voluntatis obstinati, adhuc post suum peccatum, non proueniat ex ipsa natura volũtatis, & conditione eius, quòd prædicta volũtas, quantum est ex parte sua, sit incapax ad hoc, vt se ad bonum flectat, retractando vt cumque suum peccatum; sed id possit cum auxilijs eiusdem speciei, & modi, cum quibus in via poterat flecti: licèt quia prædicta auxilia nunquam dantur in tali statu secundùm Dei leges, nec offeruntur, idcircò volũtas in tali statu constituta nequeat, simpliciter loquendo, flecti à peccato: quia ad hanc potentiam simpliciter talem desiderabatur auxilium Dei, saltem oblatum.

Ex intrinseca autem tantummodò, dicitur talis inflexibilitas & obstinatio prouenire, quando ex propria natura voluntatis obstinati semel eligentis peccare, & ex apprehẽsione, & iudicio dirigente ad hanc electionẽ prouenit, vt semel apprehendente, iudicante, & eligente aliquid, quod sit malum, aut bonum, indeclinabiliter & inflexibiliter adhæret illi, tam per intellectum, quàm per voluntatem.

Et tandem tunc dicetur ex causa extrinseca simul, & intrinseca prouenire, quando prædicta inflexibilitas ortum duxerit ex peculiari illa natura & conditione modò explicata voluntatis, & insuper ex statu damnationis: ita tamen, vt quando prædicta causa fuerit simul intrinseca, & extrinseca, tunc extrinseca sit veluti petita ex intrinseca, & illa denegatio auxiliorum, debeat necessariò subsequi, nisi Deus aliquod miraculum patret: & tunc auxilia, quæ Deus de potentia absoluta, vt docet D. Thomas q. 16. citata in solutione ad 13. posset conferre, non erunt eiusdem speciei, & modi, ac ea, quæ conferret in via. Et ratio est. Quia cùm, data obstinatione proueniente ex causa intrinseca, non remaneat in obstinato potentia, quantũ est ex parte sua, ad retractationem: inde est, vt ex hac petatur, tum denegatio prædictorum auxiliorum, tãquam quid necessario subsecutum, quia collatio, aut oblatio eorum supponit prædictam potentiam: tum, quòd Deus citra miraculum nequeat illa propter prædictam rationem tribuere: tum denique, quòd dato, Deum illa largiri per suam potentiam absolutam, tunc, vt redderent voluntatem potentem ad prædictam retractationem, deberet tribuere auxilia immutantia naturalem modum operandi prædictæ voluntatis: & per consequens talia auxilia essent diuersæ rationis, ac illa, quæ Deus in via ante statum damnationis tribueret obstinato. *D. Thom.*

Ex dictis explicatur titulus.

3 Titulus ergo de omnibus his causis intelligendus est: ac proinde in eo inquiritur, an obstinatio in Dæmonibus procedat ex causa dumtaxat extrinseca? vel an solùm ex causa intrinseca? vel an ex vtraque simul? Et licèt causæ extrinsecæ possint esse multiplices, de quibus videri potest Augustinus lib. 1. de Mirabilibus Scripturæ cap. 2. & 3. Chrysostomus homilia de Adam, & Eua, quæ incipit. *Deus instituit*, Anselmus super cap. 2. epist. ad Hebræos, quas etiam tangit Angelicus Doctor in 2. dist. 7. quia tamen omnes illæ sumuntur ex parte diuinæ præscientiæ, aut iustitiæ, & D. Thomas in hoc articulo solùm agit de causa intrinseca, aut de intrinseca, aut extrinseca simul, ita tamen, vt extrinseca se teneat ex parte obstinati, tanquam quid pertinens suo modo ad statum illius: idcircò titulus dubij de hac causa extrinseca intelligendus est: quanuis ex dicẽdis pro ista facilè, proportione seruata, decidatur, quid quoad alias causas extrinsecas dicendum sit. *Augustin.* *Chrysost.* *Anselm.* *Angel. Doct.*

Vltima animaduersio.

4 Vltimò notandum est, quòd titulo dubij sic intellecto, aliquid in eo vt certũ, & cõmuniter receptum supponitur, & aliquid in dubium vocatur. Nam in dubium vocatur id, quod nuper diximus. Supponitur autem vt communiter receptum, Dæmones esse obstinatos in suo peccato. Et ita solùm de causa huius obstinationis, quæ nã sit, inquiritur.

Ratio

Ratio autem, propter quam *an eſt* huiuſcemodi obſtinationis, vt certa, & tanquam quid communiter receptum ſupponitur, eſt. Tum, quia oppoſitum huius cenſetur erroneum: & propterea Angelicus Doctor, poſtquam in hoc articulo retulit poſitionem Origenis aſſerentis, omnem voluntatem creatam propter libertatem arbitrij poſſe flecti in bonum, & malum, excepta anima Chriſti Domini propter vnionem Verbi, ſtatim hoc refutans ſubdit: *Hæc poſitio eſt tanquam erronea reputanda: & tenendum eſt firmiter ſecundùm fidem catholicam, quòd & voluntas bonorum Angelorum confirmata eſt in bono, & voluntas Dæmonum obſtinata eſt in malo.* Tum etiam. Quia id ſatis docent Patres, vt Gregorius lib. 34 Moralium cap. 6. his verbis: *Cor antiqui hoſtis vt lapis indurabitur: quia nulla vnquam conuerſionis pœnitentia mollietur.* Auguſtinus lib. de Vera, & falſa pœnitentia cap. 5. vbi loquens de Diabolo, ſic inquit: *Ipſe enim, ſi poſſet ſperare, & culpam in ſe ſentire, quod non inuenit in ſe, præſumeret in Dei bonitate.* Iſidorus lib. 6. de Summo bono cap. 12. *Diabolus* (inquit) *ideo non petit veniam, quia non compungitur ad pœnitentiam.* Quæ ratio, vt ſit ſufficiens, videtur denotare, eum ſecundùm ſuam naturam non eſſe capacem pœnitentiæ. Quod etiam alij Patres docent, & communiter Scholaſtici tuentur.

Angel. Doctor. *Gregor.* *Auguſt.* *Iſidor.*

Tum denique. Quia id non incongruè ſuadet ratio, quam ex Damaſceno lib. 2. Orthodoxæ fidei cap. 4. D. Thomas affert, quāque his verbis protulit: *Illud etiam ſanè non alienum fuerit, quòd hominibus mors eſt, Angelis lapſum extitiſſe. Poſt lapſum enim præcluſa iam eſt illis reſipiſcendi facultas, quemadmodum & hominibus, poſtquam iam ex hac vita migrarunt.* Cur autem idem operetur in Angelis lapſus, quod in hominibus mors, tradit Damaſcenus eodem lib. c. 3. reddens rationem præcipuam, propriamque huius radicem, & nos in ſequenti §. & in dicendis in toto hoc dubio latiùs id explicabimus.

Damaſc. D. Thom. *Damaſc.*

Obiectio. 5 Nec obeſt, ſi contra id, quod in hoc vltimo notabili vt certum ſupponimus, obijcias, quòd nihil, quod eſt contra naturam, poteſt eſſe perpetuum, vt patet per Philoſophū de Cœlo, & de Mundo: ſed malum eſt contra naturam rationalis creaturæ, vt conſtat ex Damaſceno in libro 4. Orthodoxæ fidei cap. 21. Ergo non poteſt in Dæmonibus eſſe perpetuum: & ſic non erunt obſtinati in malo.

Philoſ. *Damaſc.*

Enodatur. Reſpondetur ergo ex D. Thoma in 2. ad Annibaldum diſt. 7. quæſt. vnica articulo 2. ad 1. vbi ſic habet: *Dicendum, quòd naturale debet dici dupliciter. Vno modo, quod de neceſſitate cauſatur ex naturæ principijs, niſi ſit aliquod impedimentum, ſicut naturale eſt lapidi deorſum ferri. Alio modo dicitur naturale id, ad quod aliquid naturaliter ordinatur, ſicut agere ſecundùm rationem, eſt naturale homini. Innaturale ergo, quod primo naturali opponitur, non poteſt eſſe perpetuum, niſi fortè impedimentum naturæ ſit perpetuum. Innaturale verò, quod ſecundo naturali opponitur, nihil prohibet eſſe perpetuum, vt hominem perpetuò ignorantem eſſe, licèt ad ſcientiam naturaliter ordinetur: ſic autem malitia innaturalis dicitur, & non primo modo.*

D. Thom.

§. II. *Prior aſſertio ex mente Angelici Præceptoris.*

Prima concluſio. 6 DIcendum ergo eſt primò, radicē primam & potiſsimā, vnde prouenit obſtinatio in Dæmonibus, eſſe propriā naturā, & conditionē ſuarū potētiarum, nempe intellectus, & voluntatis, ratione quarum immobiliter adhærent obiecto, quod ſemel omninò deliberatè & perfectè apprehēdunt, & eligunt, ita vt poſt prædictam electionem, & iudicium non ſint flexibiles ad oppoſitum. Hæc eſt D. Thomæ in articulo 2. huius q. vbi poſtquam dixit, obſtinationem Dæmonis prouenire ex conditione naturæ ſtatus, ſtatim inquirens cauſam & radicem huiuſcemodi ſtatus, & conditionis eius, recurrit ad cauſam intrinſecam in aſſertione contentam his verbis: *Ad inquirendum ergo cauſam huiuſmodi obſtinationis conſiderandum eſt, &c. Differt autem apprehenſio Angeli ab apprehenſione hominis in hoc, quòd Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, ſicut & nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum eſt intellectus: homo verò per rationem apprehendit mobiliter, diſcurrendo de vno ad aliud, habēs viam procedendi ad vtrūque oppoſitorum. Vnde & voluntas hominis adhæret alicui mobiliter quaſi potens etiam ab eo diſcedere, & contrario adhærere: voluntas autem Angeli adhæret fixè, & immobiliter. Et ideò, ſi conſideretur ante adhæſionem, poteſt liberè adhærere & huic, & oppoſito, in his ſilicet, quæ non naturaliter vult. Sed poſtquam iā adhæſit, immobiliter adhæret. Et ideo conſueuit dici, quòd liberū arbitrium hominis flexibile eſt ad oppoſitū, & ante electionē, & poſt: liberū autē arbitriū Angeli eſt flexibile ad vtrūque oppoſitorum ante electionem. ſed non poſt.*

Suadetur ex D. Tho.

Idem etiam docuit in 2. diſt. 7. quæſt. 1. art. 2. & ibidem ad Annibaldum, vbi ſic ait: *Voluntas autem Dæmonis ſemel peccando, malo fini inſeparabiliter adhæſit, tum ratione ſuæ ſimplicitatis, quia non eſt in eo tanta diuerſitas potentiarum, ſicut in nobis, vt per motum vnius potentiæ ſit alia via ad reparationem alterius: ſicut homo per hoc, quòd non vult deſpici ſecundùm iraſcibilem, inclinatur ad dimittendum luxuriam, in qua concupiſcibilis deformatur. Tum experſpica-*

citate intellectus, qui in eis apprehendit omnia immobiliter, sicut nos apprehendimus principia: Vnde non sunt transuadibiles à malitia, sicut nos. Tum propter diuinam iustitiam, qua decreuit in eis, gratiam non esse adipiscendam propter culpæ grauitatem, per quam possint à malitia sanari. Et ideò Dæmones sunt in malo obstinati. In quibus verbis satis apertè reducit obstinationem Dæmonum in propriam naturam ipsorum, & suarum potentiarum, scilicet intellectus, & voluntatis, ratione fixæ & immobilis adhæsionis earum circa obiectum semel perfectè apprehensum, & electum.

Idem S. Doctor. Quod etiam tuetur idem S. Doctor q. 16. de Malo art. 5. sic loquens: *Sicut immobiliter nos habemus in cognitione primorum principiorum: ita intellectus eorum immobiliter se habet circa omnia, quæ naturaliter cognoscit. Et quia voluntas proportionatur intellectui, cõsequens est, quòd etiam voluntas eorum naturaliter sit immutabilis circa ea, quæ ad ordinẽ naturæ pertinent.* Et ibidem ad 10. his verbis: *Dicendum, quòd liberum arbitrium Diaboli non est naturaliter vertibile quantum ad naturalia sua; sed solùm habet vertibilitatem respectu supernaturalium, ad quæ potest conuerti, vel ab eis auerti: quod cum fecerit, immutabiliter in hoc perseuerat, sicut dictum est.* Et tandem q. 24. de Veritate art. 10. & in alijs locis hoc ipsum docuit idem Angelicus Doctor.

Effugia Curielis. 7 Nec obest, si occurras ex Curiele lib. 2. Suarum controuersiarum controuersia vltima, Angelicum Doctorem in his testimonijs non velle, Angelum esse simpliciter, & ex natura sua immobilem in sua apprehensione, adhuc post electionem, ita vt nequeat absolutè & simpliciter prædictam apprehensionẽ, & electionem semel factam retractare: sed solùm quòd non possit facilè prædictam retractationẽ facere, ex eo quòd apprehendit satis perfectè rem cum suis circunstantijs, & ideò non nisi difficulter queit apprehensionem semel factam, & liberè approbatam retractare.

Precluditur primò. D. Thom. Non igitur hoc obest. Tum, quia S. Doctor absolutè & simpliciter inquit, Angelicum intellectum, & voluntatem ita fixè adhærere obiecto apprehenso, & electo, vt maneat immobilis circa illud: Vnde inquit: *Sed post quã adhæsit, immobiliter adhæret.* Et ad hoc confirmandum adducit commune illud dictum, nempe, *quòd liberum arbitrium hominis flexibile est ad oppositum, & ante electionem, & post: liberum autem arbitrium Angeli est flexibile ad vtrumque oppositum ante electionem, sed non post.* Per quod satis denotatur prædicta impotentia, quam intendimus: alioquí S. Doctor non assignasset sufficiens discrimen inter voluntatem hominis, & Angelicam, & inter modum apprehendendi vtriusque: siquidem homo multoties ita adhæret alicui obiecto, vt non nisi difficulter sit ab eo mobilis. Sicut etiam, si Angelus adhæreret illi per immobilitatem illam solùmodò, quam hęc solutio intendit, multoties adhæreret illi per adhæsionem facilè mobilẽ, sicut homo, nempe, quando illud obiectum est valdè contra naturalem inclinationem Angeli, & oppositum est eidem valdè connaturale; maximè, si ad omnes illas circũstantias non ita attendit.

8 Tum etiam. Quia Angelicus Præceptor comparat hanc immobilitatem & adhæsionem physicam adhæsioni & immobilitati, qua nos immobiliter apprehendimus prima principia; necnon confirmationi in gratia, quia boni Angeli semper adhærentes iustitiæ, sunt in illa confirmati: constat autem, vtramque adhæsionem esse ita firmam & immobilem, vt non cohæreat cum ea potentia ad oppositam mobilitatem, & solùm tollat facilem mobilitatem. *Secundò. Angel. Præcept.*

Tum denique. Quia idem D. Thomas in hoc eodem articulo 2. innuit, Angelos non esse pœnitentiæ capaces, ex eo quòd immobiliter malo adhærent, ac proinde nõ solùm tollit facilitatem, sed etiam capacitatem ad prædictam pœnitentiam, & retractationem. Quod etiam adhuc magis explicat idem Angelicus Præceptor ex eo, quod statim reddens rationem huius incapacitatis adiungit, nimirum, quòd *illi, qui pœnitentiæ capaces nõ sunt, immobiliter malo adhærent, & per diuinam misericordiam non liberantur.* Certum est autem, capaces esse liberationis per diuinam misericordiam, & sæpissimè per eam liberari eos, qui simpliciter sunt capaces pœnitentiæ, & solùm difficulter possunt pœnitere; imò hoc videtur esse proprium & peculiare munus diuinæ, & superabundantissimæ misericordiæ Dei. *Vltimò. Idem D. Thom.*

Accedit, quòd D. Thomas loco allegato ex 2. Sent. ad Annibaldum reddit rationem huius immobilitatis ex simplicitate Angelica, ratione cuius, quoties perfectè, & omninò deliberatè aliquis alicui obiecto adhæret, toties habet totaliter eidem adhærere, vt statim magis expendemus. Constat autem, hinc immobilitatem, quam intendimus, satis deduci: alioquí non adhæreret totaliter prædicto obiecto.

9 Nec obest id, quod in sui fauorem adducit Curiel, cuique arridet Gabriel Vazquez loco in hoc dubio referendo, nimirum, Angelicum Præceptorem indiscriminatim dixisse de Angelo, esse ex natura sua tam in bono, quàm in malo immobilem: constat autem, illum non esse in bono immobilem, ita vt ex propria natura habeat non posse simpliciter ab illo discedere, alioquí *Euasio. Curiel. Vazquez.*

Ange-

Angelus ex ſe ipſo haberet perſeuerare in gratia, ſed ſolum eſſe ex natura ſua talis conditionis, vt difficulter ſit ſeparabilis à bono naturali, quod ſemel elegit, & hanc inſeparabilitatem aſſumi per modum cuiuſdam congruentiæ ad hoc, vt Deus perficiat illum in ſupernaturalibus, donando ei donum perſeuerantiæ in gratia poſt deliberatam adhæſionem eius in ſupernaturali bono.

Exploditur

Non itaque hoc obeſt. Quoniam ſatis eſt, quòd Angelus ex natura ſua, & ex proprijs viribus ſit immobilis tam in malo, quàm in bono naturali, quoties illi perfectè adhæſerit, ad hoc vt ex Dei gratia habeat proportionalem firmitatem & immobilitatem reſpectu boni ſupernaturalis, cui ſemel perfectè, & omninò deliberatè adhæſit: quoniam dona ſupernaturalia perficiunt naturam Angelicam iuxta modum eius: & ideo, ſicut tribuunt Angelo, quòd cognoſcat ſupernaturalia abſque diſcurſu, quia proprius modus, quo attingit naturalia, eſt etiam ſine diſcurſu, & ipſe perficitur per ſupernaturalia iuxta modum ſuum: ita etiam per dona gratiæ firmatur in immobilitate iam dicta in bono ſupernaturali, cui ſemel Angelus perfectè adhæſit: quia perficitur iuxta modum, quem habet in proſecutione boni naturalis, reſpectu cuius firmiter, & omninò immobiliter adhæret poſt electionem.

D. Tho.

Quæ doctrina deſumpta eſt ex D. Thoma loco citato ex quæſt. 16. de Malo art. 5. vbi poſtquam dixit, Angelum immobiliter ſe habere circa ea, quæ naturaliter apprehendit, & elegit, ſtatim addidit: *Vnum eſt autẽ, quòd ſunt in potentia reſpectu motus in ſupernaturalia, ſiue per conuerſionem, ſiue per auerſionem. Vnde hac ſola mutatio in eis eſſe poteſt, vt degradu naturæ ipſorum moueãtur in id, quod eſt ſupra naturam, conuertendo ſe, vel auertendo. Sed quia omne, quòd aduenit alicui, aduenit ei ſecundùm modum ſuæ naturæ, conſequens eſt, vt immobiliter Angeli perſeuerent, in auerſione, vel in conuerſione reſpectu ſupernaturalis boni.* Vnde aſſertionem iſtam ſic intellectam tuentur Capreolus in. 2. diſt. 7. q. 1. Ferrara 4. contra Gentes. cap. 95. Caietanus ad articulum. 2. huius. quæſt. vbi etiam Nazarius controuerſia 1. & Bañez dubio 1. & alij ex iunioribus diſcipulis. D. Thomæ.

Capreol.
Ferrara.
Caietan.
Nazar.
Bañez.

§. 3. *Ratio præcedentis aſſertionis ex Angelico Doctore deſumpta.*

Ratio fundamentalis.

10 RAtio autem fundamentalis huius aſſertionis adducitur à D. Thoma art. 2. huius q. & poteſt ſub hac forma proponi. Nam Angelus ex natura ſua habet apprehẽdere omninò fixè & immobiliter: ergo etiã habebit omninò fixè, & cùm eadem immobilitate eligere id, quod prædicto modo apprehendit: ergo obſtinatio eius in malo proueniet, tamquam ex prima & potiſſima radice, ex propria natura Angelica, ſeu ex omnimoda immobilitate, quam habet in apprehẽſione, & electione alicuius quod ſemel perfectè apprehẽdit, cuique ſemel per liberã electionem fixè adhæſit. Hæc vltima conſequentia aperte ſequitur ex prima. Et prima ex antecedenti. Quia cùm voluntas moueatur in ſua libera electione ab apprehenſione, ſiue iudicio intellectus, oportet, electionem illius, & apprehenſionem iſtius omninò proportionari: maximè, quia apprehenſio intellectus eſt menſura electionis per volũtatẽ. Et ita, ſi apprehenſio Angelica eſt adeò firma, vt ſemel deliberatè, ſiue perfectè facta non poſſit retractari, nec Angelus in oppoſitam partem media alia apprehenſione flectibilis: oportebit, liberam electionem Angeli ſemel factam habere ſimilem firmitatem & immobilitatem, ita vt Angelus per oppoſitam electionem ſit in oppoſitum flexibilis. Vnde, quia ſenſus eſt ſingularium, idcircò appetitus ſenſitiuus, qui per ſenſum dirigitur, eſt etiam ſingularium: voluntas verò eſt boni vniuerſalis, quia intellectus, à quo ducitur, eſt vniuerſalium. Et quia in nobis apprehenſio intellectus ſolet eſſe mobilis, ideò etiam electio noſtra ſimilem habet mobilitatem, vt ita inter vires appetitiuas & apprehenſiuas, quæ comparantur interſe ſicut mobile, & motor, ſit omnimoda proportio.

Antecedens autem probatur à D. Thoma ex eo, quòd Angelus apprehendit abſque diſcurſu, & per ſimplicem intuitum: at proprium eſt intellectus ſic apprehendẽtis, quòd hoc ipſo, quòd perfectè aliquid apprehendat, habeat omnino fixè, omninòque immobiliter illud apprehendere. Sicut etiã quia nos per diſcurſum apprehendimus, idcircò non omninò fixè & immobiliter habemus apprehendere. Et propterea, quia prima principia non per diſcurſum, ſed per ſimplicem intuitum à nobis apprehenduntur: idcircò apprehenſio, & iudicium perfectum, quod circa illa habemus, eſt ex ſe ita fixum & immobile, vt nequeat per oppoſitum iudicium retractari.

D. Thom.

§. *IIII. Solutio prior ad rationem D. Thomæ.*

Aduerſariorum prima ſolutio. *Vazquez*

11 NEc obeſt, ſi occurras primò ex doctrina aduerſariorũ, nẽpe Vazquez, Suarez, & Curielis locis infra referẽdis, falſum eſſe antecedẽs huius rationis D. Thomæ ſcilicet, Angelũ ex natura ſua habere, quòd apprehẽdat ita fixè, & omninò immobiliter. Nec probationẽ ex D. Thoma adductã id con-

id conuincere. Primò quidem. Quia Angeli (vt vult Suarez) possunt circa supernaturalia discurrere, & iuxta Angelici Præceptoris & nostram doctrinam peccatum Angelorum, & obstinatio in illo debet consistere potissimè in auersione à Deo fine supernaturali. Secundò autem. Quia prædicta probatio peccat in reddendo non causam pro causa. Tũ, quia adhuc dato, Angelum circa nullum obiectum discurrere; nihilominùs, hoc non esset sufficiens causa ad hoc, vt omninò fixe & immobiliter apprehenderet. Quia etsi careret prędicto discursu, nihilominùs posset successiuè habere plures volubiles cogitationes, quarum vna apprehenderet aliquod obiectum, vt sibi conueniens, & alia iudicaret, prædictum obiectũ non esse sibi conueniens: quia hinc, & inde possent apparere diuersa principia, in quibus per simplicem intuitum semel iudicaret de conuenientia, & posteà de disconuenientia eiusdem obiecti. Tũ deinde. Quia stat immobilitas intellectus cũ mobilitate voluntatis, vt patet de homine certo de aliqua conclusione per discursum; qui tamen est mobilis per voluntatem circa illam.

Suarez. Curiel.

Tum denique. Quia est dispar ratio inter apprehensionem, qua nos absque discursu apprehendimus prima principia, & inter notitiam simplicem, siue carentem discursu, qua Angelus percipit suum obiectum, seu conclusiones in cognitione suorum principiorum. Quia nos quoad prima principia sumus determinati quoad specificationem assensus respectu illorum, secùs verò contingit in Angelis respectu conclusionum, quas per simplicem intuitum inspiciunt in primis principijs. Et ideò non mirum, quòd nos omninò fixè & immobiliter hæreamus prædictis principijs, & quòd in Angelis non sit similis immobilitas, dum in primis principijs intuentur absque discursu conclusiones.

§. V. *Euersio prima præcedentis solutionis quoad primum, quod in ea continetur.*

Impugnatur primum dictum euasionis.

12 CÆterùm hæc solutio vim rationis Angelici Præceptoris non infringit. Quoniam cuncta, vel ferè cuncta, quæ in ea continentur, videntur falsa. Nam in primis falsum est id, quod primo loco in ea habetur, scilicet, Angelum non habere ex natura sua ita perfectè apprehendere, vt talis apprehensio sit omninò fixa, omninoque immobilis. Et ratio huius satis constabit, tum ex probatione, quam ex S. Doctore in ratione facta adduximus, vt ex expensione eius statim afferenda patebit: tum etiam ex duabus probationibus, siue medijs ex eodem S. Doctore depromptis, mutuoque se ad inuicem fauentibus, quorum primum desumitur ex his: quæ docuit D. Thomas supra q. 12. art. 4. Quoniam Angelus, quippe pertinens ad supremum gradum immaterialitatis, qui intra latitudinem naturæ creatæ dari potest, debet esse tantæ perfectionis in apprehendendo, vt excludat illam mutabilitatem, quæ cum intellectualitate, & libertate creata cohærere connaturaliter possit: at cum hac cohæret prædicta immobilitas in apprehendendo, & eligendo. ergo, &c.

D. Thom.

Minor constabit, tum ex dicendis in sequẽti probatione, & eius confirmationibus: tum etiam, quia prædicta immutabilitas non dicit rationem actus puri, & summè perfecti, ac proinde identificati cum ipsa virtute intellectiua, & volitiua, sed dicit actum apprehendẽdi, qui quamuis post electionem sit immobilis, attamen semper est realiter distinctus à virtute apprehensiua: & per consequens non arguit rationem actus puri, aut pertinẽtis ad increatum gradum immaterialitatis, sed ad creatum, licèt supremum intra lineam creatam. Tum denique. Quia modus perfectissimus cohærens cum perfecta libertate creata debet concedi Angelo quoad modum apprehendendi: at hic modus perfectè apprehendẽdi finem vltimum cohæret optimè cum perfecta libertate adhuc creata. Nam, vt notauit D. Thomas 4. contra Gentes cap. 95. voluntas creata, & perfecta non petit ad sui libertatem, quòd possit mutari de bona in malam, aut de mala in bonam respectu vltimi finis; sed satis est, quòd sit mutabilis de vno volito in aliud volitum, seruato ordine ad eundem vltimum finem: ex eo quòd proprius actus libertatis est eligere: electio autem non est vltimi finis, sed eorum quæ sunt ad finẽ. Et ideò, sicut in nobis non repugnat libero arbitrio, quòd immobili voluntate desideremus beatitudinem, & miseriam fugiamus in communi: ita non erit contrariũ libero arbitrio creato, quòd voluntas immobiliter feratur in aliquid determinatum, sicut in vltimum finem, cum mobilitate tamen, seu indifferentia iam dicta ad diuersa media. vt patet in Angelo immobiliter diligente Deum, præcisè considerato vt vltimum finem naturalem, & nihilominùs manente cum libertate ad diuersa bona, & media, seruato tamen ordine ad prædictum vltimum finem, vt cõstat ex illis, quæ disput 9. num. 58. diximus, & id cernitur in Christo Domino, vt ex alibi dicendis patebit.

D. Thom.

Cõfirmatur & elucidatur.

13 Confirmatur, & explicatur vis huius medij ratione depromptæ ex eodem D. Thoma in 2. dist. 7. q. 2. artic. 2. Quoniã intellectus Angelicus medius est inter intellectũ diuinum, & humanum: sed intellectus humanus, quia est extremum summè imperfectum intra latitudinem intellectualem, & pertinẽs ad infi-

ad infimum immaterialitatis gradum, apprehendit mobiliter ante, & poſt electionem: diuinus autem, quia eſt extremum ſummè perfectum, & in ſupremo immaterialitatis gradu, apprehendit immobiliter ante electionẽ, & poſt illam: ergo Angelus, qui eſt medium inter vtrumque extremum, ac proinde habet immaterialitatem ſupremam creatam, habebit ſe medio modo, ita vt non apprehendat immobiliter ante, & poſt electionem, ſicut diuinus; nec mobiliter ante, & poſt illam, ſicut humanus, ſed mobiliter ante electionem, & immobiliter poſt eam.

Effugium.

14 Nec obeſt, ſi huic probationi, ſiue medio occurras, quod etſi intellectus Angelicus pertineat ad ſummam immaterialitatẽ creatam, non tamen ob id conueniet ei prædicta immutabilitas ex natura ſua, ſed aliunde ex dono Dei: quamuis eam habere, non dicat rationem actus puri: quia dicit talem modum eſſendi, vt non poſsit competere, niſi ex ſpeciali dono, & participatione Dei: ſicut intellectum Angelicum videre Deum, non dicit rationem actus puri, attamen eſt talis cõditionis, vt non niſi Deo ex ſe, & alijs per participationem peculiarem à Deo, non verò ex natura ſua eis conueniat.

Præcluditur

Nam contra hoc obſtat, eſſe diſparem rationem. Tũ quia viſio Dei dicit quid ſupernaturale, ſecùs hæc immobilitas, quia eſt immobilitas in operatione, & modo operandi naturali: & ideò non eſt de prædicatis ſupernaturalibus, ſed naturalibus, atque adeò connaturalibus alicui naturæ creatæ. Tum etiã. Quia eſt immobilitas tam in bono, quàm in malo, quæ proinde nequit eſſe per ſpecialem participationem à Deo.

Confirmatio diluitur.

15 Nec etiam obeſt, ſi confirmationi adductę in fauorem huius probationis dicas, quòd D. Thomas loco nuper citato affert, & reijcit eam. Quoniam non reijcit illam ſecũdùm ſe, & vt à nobis propoſita eſt, ſed quia, vt ibi proponitur, ſupponit id, quod probandũ erat: atque adeò non redditur per eam cauſa ſufficiens immobilitatis Angelicæ; ſed tantùm aſſeritur, quòd intellectus Angelicus eſt medium inter humanum, & diuinum in hoc, quòd diuinus eſt immobilis poſt electionem, & ante illã, & humanus ante, & poſt eſt mobilis: Angelicus verò nõ habet eſſe ante electionem, benè tamen poſt eam eſſe immobilem: cùm tamen hoc eſſet id, de quo ibi erat quæſtio, nempe, vtrùm Dæmones poſsint bene facere? Cæterùm nos aliter prædictam rationem formamus, reddentes cauſam, cur prędicta ratio medij inter intellectum humanum, & diuinum afferat immutabilitatem dictam, & cur ratio prædicta medij debet eſſe, & conſiſtere in tali immutabilitate.

Refutatur primo medio euaſio confirmationis.

§ VI. *Alia impugnatio eiuſdem ſolutionis quoad idem.*

Refutatur euaſio ſecũdo medio.

16 SEcunda verò probatio, ſiue medium ſuadens hunc modũ immobiliter appprehendẽdi, eſt eiuſdẽ S. Doctoris loco citato ad Annibaldum & q. 24. de Veritate art. 10. eſtque ſimul confirmatio præcedentis. Quoniam Angelus propter ſui ſimplicitatem, petit (vt loquitur S. Doctor) quòd nõ ſit in eo tanta diuerſitas potẽtiarum, ſicut in nobis, in quibus per motum vnius potentiæ datur alia via ad reparationem alterius, ſicut homo per hoc, quòd non vult deſpici ſecundùm iraſcibilem, inclinatur ad dimittendum luxuriam, in qua concupiſcibilis deformatur: & propterea non habet, ſicut nos, multiplicem potentiam vnius generis, ſed vnicam dumtaxat, eamque perfectiſsimam in genere cognitionis, & aliam itidem nobiliſsimam in genere appetitionis; ergo hoc ipſo, quòd perfectè adhæreat per ſuũ intellectum alicui obiecto, adhærebit illi omninò fixè & immobiliter. Antecedens videtur perſpicuum.

Conſequentia verò probatur à D. Thoma Nam hoc ipſo, quòd in Angelis non ſit multitudo, v.g. appetitiuarum potentiarum, ſicut eſt in nobis, oportet, quòd hoc ipſo, quòd appetitus eorum tendit perfectè in aliquid, inclinetur totaliter in illud: quia eo ipſo non erit in Angelo aliqua inclinatio inducens in contrarium: & per conſequens adhæſio, qua prædicto obiecto adhæret, quippe cõiungens Angelum totum, & totaliter eidem obiecto, erit omninò fixa & immobilis. *D. Thom.*

Animaduerſio prior pro elucidatione huius rationis.

17 Cõfirmantur hæc omnia ex D. Thoma loco citato ex quæſt. 24. de Veritate, ſupponendo tamen duo. Primum eſt, quòd in falſa æſtimatione, quam nos habemus de aliquo obiecto, poſſunt concurrere tria. Primò quidem, ipſe impetus paſsionis, puta concupiſcentiæ, vel iræ, per quam intercipitur iudicium rationis, ne actu iudicet in particulari, quod in vniuerſali habitu tenet; ſed ſequatur paſsionis inclinationem, vt conſentiat in illud, in quod paſsio tendit, v.g. in fornicationem, quaſi in quid per ſe bonum. Secundò verò, inclinatio habitus, qui quidem cùm ſit quaſi quædam natura habentis (vt Philoſophus dicit in lib. de Memoria, & reminiſcentia, quòd conſuetudo eſt altera natura) pari ratione vitij habitus, quaſi natura quædam inclinat in id, quod eſt ſibi conueniens. Vnde fit, vt habenti habitum luxuriæ, bonum videatur id, quod luxuriæ conuenit, quaſi connaturale. Et hoc eſt, quod Philoſophus dicit in 3. Ethicorum, quòd qualis intus vnuſquiſque eſt, talis & finis videtur ei. Tertiò tandẽ eſt falſa æſtimatio rationis in particulari eligibili, *Philoſop.* *Idem.*

(?.)

gibili, quæ quidē prouenit, vel ex altero prædictorum, scilicet impetu passionis, aut inclinatione habitus, vel ex ignorantia vniuersali, sicut cùm quis est in hoc errore, quòd fornicatio non sit peccatum.

Animad. uersio secunda.

Secundum autem, quod S. Doctor supponit, est, quòd contra quodlibet ex his capitibus remedium habet nostrum liberum arbitrium, per quod possit peccatum deserere. Ille enim, in quo est impetus passionis, habet rectam existimationem de fine, qui est quasi principium in operabilibus, vt Philosophus dicit in 6. Ethicorum. Vnde sicut homo per veram existimationem, quam habet de principio, potest à se repellere, siquos errores circa conclusiones patitur: ita per hoc, quòd rectè circa finem disponitur, potest à se repellere omnem impetum passionum. Vnde dicit Philosophus in 7. Ethicorum, quòd incontinens, qui propter passionem peccat, est pœnituus, & sanabilis. Similiter habet remediū contra inclinationem habitus, nullus enim habitus omnes potentias animæ corrumpit: & ita cùm vna potentia est corrupta per habitum, ex hoc quòd remanet aliquid rectitudinis in alijs potentijs, homo inducitur ad meditandum, & agendum ea, quæ sunt contraria illi habitui: sicut si aliquis habet concupiscibilem per habitum luxuriæ corruptā, ex ipsa irascibili incitatur ad aliquid arduum aggrediendum, cuius exercitatio mollitiem luxuriæ tollit, si cut dicit Philosophus in prędicamentis, quòd prauus ad meliores exercitationes deductus proficiet, vt melior sit. Cōtra tertium etiam remedium habet. Quia homo illud, quod accipit; quasi rationabiliter accipit, ideſt, per viam inquisitionis, & collationis. Vnde quando ratio in aliquo errat, ex quocumque error ille contingat, potest tolli per contrarias ratiocinationes. Et inde est, quòd homo à peccato potest tolli, & desistere.

Philosop.

Idem.

Idem.

Ex dictis enucleatur prædictum medium.

18 Hinc ergo sequens probatio desumitur. Nam idcircò homo adhæret non omninò fixè, sed mobiliter obiecto apprehenso, & electo, potestque mutare falsam æstimationem de bono, quam semel habuit, quia datur in eo passio aliqua, vel diuersitas inclinationum in diuersis potentijs appetitiuis, quibus constat, vel tandem ratiocinatio discursus: at nullum ex his capitibus retractandi falsam æstimationem habet locum in Angelo: ergo apprehendet omnino immobiliter in sua perfecta apprehensione, ita vt illam retractare nequeat. Maior quoad primam, & secundam partem constat ex his, quæ ex D. Thoma prę suppositā, & ostēsa sunt. Quoad tertiam verò partem de ratiocinatione, & discursu ex eisdem etiam liquet: & insuper explicari potest ex eo, quòd sicut discursus est motus quidam intellectualis, indicans imperfectissimū modum intelligendi intra hanc lineam: ita non affert perfectionem immutabilitatis in modo intelligendi, & apprehendendi, qui nō parum perfectionis arguit.

Minor autem quoad primam partem, nēpe de passione, est satis perspicua: siquidem Angeli carent parte sensitiua, in qua sola potest esse passio. Quoad secundam verò partē de multiplici illa & diuersa inclinatione in diuersis potentijs appetitiuis, etiam liquet ex simplicitate Angelica, ratione cuius nequit in vnico genere, nempe cognoscitiuo, aut appetitiuo, habere nisi vnicam dūtaxat in quouis eorum potentiam. Quoad tertiam verò, & vltimam de discursu, satis constat eadem minor ex his, quæ in hoc tractatu disput. 8. num. 29. diximus. Vnde sicut ex hoc, quòd Angelus non sit discursiuus, sed omnia per simplicem intuitum cognoscat, colligitur, carere modo imperfecto cognoscendi intra lineam creatam, & attingere supremum gradum immaterialitatis, & cognitionis intra eandem lineam: ita colligetur, carere mutabilitate in modo cognitionis, per quam possit retractare, aut discedere ab eo, quod semel perfectè approbauit, & elegit.

19 Confirmatur, & explicatur tandem ex eodem Angelico Doctore 4. contra Gentes cap. 95. supponendo tamen priùs ex ipso, & ex communi Philosophorum, ac Theologorum sententia, ita se habere finem in appetitiuis, sicut principia in speculabilibus: nam etiam finis vltimus (de quo loquimur) habet se in appetitiuis per modū primi principij. Vnde, sicut in speculabilibus prima principia naturaliter cognoscūtur: ita vnusquisque naturaliter habet desiderium vltimi finis: & hoc desiderium sequitur in vniuersali naturam rationalem, vt beatitudinem, quæ est vltimus finis, appetat. Et quemadmodum error circa prima principia in speculabilibus prouenit ex aliqua corruptione admista cū natura, vt in nobis potentibus errare contingit: ita etiā, quòd appetatur sub ratione beatitudinis, & vltimi finis hoc, vel illud, in quo reuerà beatitudo non consistat, nō proueniet ex ipsa naturali inclinatione, sed vel ex speciali quadam defectibilitate cum natura cōmista, vel ex alia speciali dispositione illius. Et propterea Philosophus dicit, vt nuper tetigimus, quòd qualis intus vnusquisque est, talis & finis videtur ei.

Animad. uersio.

Philos.

Et deinde, sicut error in speculabilibus aliter emendatur circa conclusiones, ac circa prima principia: quia ille emendari potest per prima principia rectè disposita in argumentatione; error autem circa principia non potest reparari, nisi per mutationem naturæ, ideſt, per ablationem dispositionis prouenię tis ex prædicto errore: quia præter hunc modum non supereſt alius, nisi qui fit per alia prin-

principia certiora, qui quoad præſens non habet locum, ex eo quod non dantur principia certiora primis: ſic, dum voluntas hoc, vel illud ſub ratione beatitudinis, & vltimi finis deſiderauit, quod reuerà rationem beatitudinis non habet, non poteſt hæc volitio immutari, niſi per remotionem illius diſpoſitionis voluntatis ex illa adhæſione cauſatæ. Quoniam nequit tolli per aliquod aliud principium, ſeu vltimum finem magis volitum, & deſideratum: quandoquidem vltimus finis eſt, quod maximè deſideratur: & ita nequit aliquis à deſiderio prædicti finis reuocari per aliquid magis deſiderabile. Quare, ſi ſemel diſpoſitio illa remoueri nequit, nec poterit prædictum deſiderium illius vltimi finis mutari, nec apprehenſio, & iudicium de cõuenientia ipſius retractari.

Ex dictis deducitur vltima confirmatio.

20 Ex quibus ſequens confirmatio deduci poteſt. Quoniam Angelus ſemel peccans, & amplectens vt vltimum finẽ aliquid, quod reuerà rationem talis non habet, non poteſt reuocari ab apprehenſione, & iudicio huius finis, nec à volitione illius per ablationem illius diſpoſitionis, ex qua ortum duxit, aut quæ ex prædicta apprehenſione cauſatur: ergo non ſupereſt ei aliquod remedium viribus proprijs relicto, per quod hæc falſa exiſtimatio, & indebita volitio reparari poſsit, ſiue retractari. Conſequentia patet ex his, quæ ex D. Thoma ſuppoſuimus, ſcilicet, falſam exiſtimationem primorum principiorũ, aut volitionem per modum vltimi finis reſpectu boni; quod reuerà non eſt vltimus finis, non poſſe retractari, niſi vel tollendo diſpoſitionem illam adiectam, aut per aliqua principia certiora, finemve magis dilectum. Cumque hic poſterior modus repugnet, vt dictum eſt, ſolùm ſupereſt ille prior.

D. Thom. Antecedens autem probatur à D. Thoma ex diſcrimine, quod intercedit inter animam noſtram vnitam corpori pro hoc ſtatu, & inter ſubſtantias ſeparatas, nẽpe Angelos: quòd diſpoſitio, quæ eſt in anima ſic vnita poteſt per accidens mutari ſecundùm aliquem motum corporis, in quantum videlicet ab aliqua diſpoſitione corporis dependet. Cùm enim anima ſit in corpore ad ſuam perfectionem acquirendam, & conſequenter in ipſo moueatur ad finem, oportet, eam diuerſimodè ſecundùm corporis diſpoſitionem diſponi, & ad finem moueri. Et propterea videmus, quòd ſtante aliqua concupiſcentiæ paſſione, anima aliquid iudicat vt bonum, & illud appetit, qua ceſſante, ceſſat etiam prædictum iudicium, & deſiderium. Sicut etiam cùm anima eſt à corpore ſeparata, non amplius ad aliquam diſpoſitionem, aut finem acquirendum mouetur, ſed in diſpoſitione habita, & fine adepto quieſcit. Cæterùm Angelus, quia non eſt vnibilis corpori per modum formæ illius, non poteſt per accidens propter aliquam corporis diſpoſitionẽ, & ab ipſo corpore primò incipientem remoueri à diſpoſitione, quàm ſemel habet circa vltimum finem, aut prima principia: nec poteſt mutatione perſe & ab ipſo Angelo incipiente illã tollere: quia ad hanc deſiderabatur, vt per principia certiora, aut finem magis deſideratum tolleretur: ſiquidem creatura intellectualis, ſi ſemel poteſt per mutationem perſe, & à ſe incipientem tollere prædictam diſpoſitionem, non habet aliam viam præter hanc, ſcilicet procedendi à primis principijs certioribus ad concluſiones per diſcurſum ſaltem virtualem: ſicut homo pro hoc ſtatu poteſt tollere ſimilem diſpoſitionem circa concluſiones, aut media per hanc viam, & non per aliam, quando hæc diſpoſitio animæ nõ eſt auferenda per accidens, & per mutationem paſsionis corporeæ, ſed per mutationẽ ab anima incipientem.

Obiectio contra ſecũdũ mediũ.

21 Nec obeſt, ſi contra hoc medium, & probationem objicias, eam referri à D. Thoma in 2. diſt. 7. q. 1. art. 2. & refutari ab eodẽ S. Doctore his verbis: *Quidam enim dicunt, quòd liberum arbitrium Angeli medium eſt inter diuinum, & humanum in hoc, quòd diuinum immobile eſt ante electionem, & poſt: humanum verò mobile ante, & poſt: Angelicũ verò mobile ante, ſed immobile poſt. Sed hæc ratio ſupponit illud, cuius cauſa quæritur, ſcilicet immobilitatem poſt Angelorum electionem.*

Diluitur. Reſpondeturenim concedendo, rationẽ, quam impugnat D. Thomas, vt ab eo proponitur, non eſſe firmam ad intentum. Cæterum ratio, & probatio noſtra alia eſt. Quia non innititur in quacumque indiuiſibilitate, ſiue eſſentiæ, ſiue potentiarum; ſed in indiuiſibilitate omniũ perfectiſsima, atque adeò dicente vnicam dumtaxat, eamque nobiliſsimã potentiam cognoſcitiuam, & ſimiliter vnicam appetitiuam. Vnde, ex quo capite dicit indiuiſibilitatem potentiarum, non poteſt eius apprehenſio retractari ex varietate & diuerſitate inclinationum: & ex quo capite hæc indiuiſibilitas eſt potentiæ appetitiuę perfectiſſimę, nequit nec ex hac varietate, nec aliunde retractari. Et propterea D. Tho. *D. Thom.* in. 2. ad Annibaldum diſt. 7. q. vnica art. 2. vtitur ratione à nobis adducta, & eam ex vtroque capite cõficit: vt ex indiuiſibilitate tollat retractationẽ preuenientem ex varia inclinatione; & ex perfectiſsima indiuiſibilitate in genere cognoſcitiuo dicente perfectiſsimã perſpicaciam, & modum cognoſcendi per ſimplicem, & perfectum intuitum, auferat omninò prædictam retractationem, vt intuẽti patebit.

Euaſio ad confirm. ſecũdi medij.

22 Nec etiam obſtat; ſi confirmationi huius ſecũdæ probationis, & medij dicas, errorem

rem circa prima principia posse tolli, vel per alia principia, vel per considerationem expressam, & perfectam eorundem principiorum, quæ antea non considerabantur. Nam contra hoc est, quòd id quod reparãdum est, inter alia debet esse inconsideratio illa primi principij, seu vltimi finis, tamquam modus quidam refusus in illum, & simul volita cum eodem fine tamquam modus eius: ergo oportet reparari per aliquod aliud medium, siue rationem formalem, aut ex aliquo alio capite, per quod reparandus est vltimus finis, & ea, quæ ad ipsum pertinent. siquidem vnumquodque reparatur per aliquod mediũ eidem proportionatum. Ergo cùm non sit aliud medium, aut caput, distinctum, præter ablationem dispositionis ex parte subiecti se tenentis, vel cõsiderationem aliorum principiorum magis vniuersalium, & illud prius quoad præsens non procedat, vt ostẽsum est: consequens est, vt solùm queat reparari per prædictam considerationem principiorum magis vniuersalium: quæ tamen, vt ex dictis constat, impossibilis est.

Præcluditur.

Antecedens quoad primam partem, nempe, quòd id, quod reparandum est, sit illa inconsideratio primi principij, scilicet vltimi finis, probatur. Quoniã hoc ipso, quòd hæc habeatur, cessat falsa existimatio prædicti principij, ac proinde indebitus amor illius. Quoad secundam verò partem, nempe, quòd hæc inconsideratio ingrediatur rationem vltimi finis, tanquam modus eius, etiam constat: quandoquidem volita est ab Angelo propria excellentia, tanquam vltimus finis, & sub hoc modo virtualiter volito, scilicet nõ subijcendo illam Deo fini supernaturali, & excellentiori: ac proinde volita est cũ modo inconsiderationis talis subiectionis.

§. VII. Eliditur eadem solutio quoad alia, quæ in ea continentur.

Impugnatur præcipua euasio quoad secũdã partem.

23 EX quo fit, falsum esse id, quod secundo loco in hac solutione habetur, scilicet, in ea reddi non causam, vt causam, nempe, defectum discursus Angelici pro radice apprehẽdẽdi immobiliter: cùm tamẽ cognoscere absque discursu, nõ sit radix prædictæ apprehensionis immobilis. Ex dictis igitur satis colligitur, modum cognoscendi absque discursu, tam actu, quàm aptitudine (de quo in præsenti loquimur, quia hic est proprius modus cognoscendi Angelorum) esse rationem apprehendendi immobiliter per iudicium plenum, & omninò deliberatũ. Tum, quia prædictus modus cognoscendi pertinet ad supremum gradum immaterialitatis creatum per modum iudicij omninò perfecti, & deliberati sub illo contenti. Et hinc, vt ex dictis constat, conuenit prædicta immutabilitas in modo cognoscẽdi. Et ideò hinc non solùm habetur defectus discursus, sed etiam defectus diuersarum cogitationũ, & intuitiuum simplicium, per quorum vnum retractetur illud, quod per aliũ iudicatũ est. Tum etiam. Quia id ex alijs probationibus §. præcedenti adductis satis constat, vt intuẽti patebit.

Tum denique. Quia idcircò nos possumus nunc vnum, nunc aliud præcedenti oppositum iudicare, quia non possumus simul & semel apprehendere obiectum, omnes circunstantias, modos, & motiua, quæ possunt inducere in amorem illius, vel ab eo retrahere: constat autem, Angelum amãtem aliquid per modum vltimi finis considerare actu, vel formaliter, vel saltem virtualiter omnia ista. Et ideò, licèt ex quo capite simul inspicit, quicquid impedit ad amorẽ, aut retrahit ab illo, possit ante electionem amare, vel non amare: attamen ex quo capite post factã electionem non apparet aliud, quod actu, vel virtute priùs non apparuit, oportet, vt nõ possit flecti ab amore boni v.g. priùs habito, nec retractare iudicium practicum priùs conceptum: quia eo ipso argueretur inconstantiæ, & imprudentiæ in modo iudicandi, & eligendi bonum: sicut etiam inter nos arguitur quis inconstantiæ, & imprudentiæ, quoties non viso nouo motiuo, circunstantia, aut modo obiecti, flectitur ab amore illius, aut iudicio circa ipsum. Quare, cùm Angelus circa naturalia præcisè nequeat imprudentiæ, ac proinde nec inconstantiæ argui, & hoc non ob aliud, nisi propter suum perfectum modũ percipiendi, scilicet per simplicem, & perfectũ intuitum: fit inde, hunc esse propriam rationem, & radicem apprehendendi immobiliter per iudicium perfectum, & omninò deliberatũ. Cùmque modus supernaturalis, quo per gratiam Angelus apprehendit obiectum supernaturale, debeat esse iuxta modum naturalis, vt ex D. Thoma suprà num. 9. dicebamus: inde est, vt hoc eodem modo debeat in ipso quoad supernaturales apprehensiones philosophari.

Obiectio.

24 Ex quo etiã obiter manet soluta obiectio quædam, quæ contra hanc probationem posset fieri, scilicet, quòd si non obstante hac simplici, & perfecta apprehensio obiectorũ & omnium circunstantiarum, & modorum occurentium, potest Angelus & eligere, & nõ eligere prædictum obiectum, & ex duobus Angelis queat vnus amplecti illud, & alius respuere ipsum: non est cur post factam electionem id non possit: siquidem permanet idem iudicium, idemque modus apprehendendi.

Ex dictis igitur constat, hanc obiectionẽ manere solutam. Quia antefactam electionem

Eradatur.

nem debet dari in Angelo libertas ad amandum, & vel odio habendum, aut ſaltem non amandum, & eò perfectior libertas, quò perfectior cognitio, quia ob id nullum ſequitur inconueniens, ſecùs verò poſt electionem, propter rationem nuper dictam, & eas quas præcedenti §. attulimus.

Reboratur ſalutio.

25 Quæ omnia poſſunt confirmari ex eo, quòd hoc ipſo, quòd Angelus hoc modo cognoſcat, oportet, vt perfectiſsimè apprehendat obiectum, & ſimiliter perfectiſsimo modo adhæreat ei per voluntatem: ergo hoc ipſo, quòd ſemel perfectè apprehendat illud, & ſic adhæreat ei per voluntatem, nequibit retractari illam apprehenſionem, & adhæſionem liberam reſpectu illius. Antecedens eſt perſpicuum ex dictis, nempe, quia eo ipſo Angeli ſunt in ſupremo immaterialitatis gradu creato. Conſtat autem, eſſe proprium potentiarum in hoc gradu collocatarum, quòd perfectiſsimè intra lineam creatam adhæreant per ſuos actus obiectis omninò deliberatè apprehenſis, & electis.

Conſequentia autem probatur. Quoniam proprium eſt intellectus perfectè apprehendentis tranſire perfectè in naturam obiecti apprehenſi: eò quòd proprium eſt intellectus apprehendentis, ſic tranſire in obiectum, iuxta illa, quæ in 1. tomo tractatu 3. diſputat. 2. num. 66. & deinceps diximus. Et ſimiliter proprium eſt voluntatis tranſire, & veluti transformari in rem dilectam: ac proinde proprium erit voluntatis perfectiſsimè amantis, tranſire, & transformarie eodem modo in obiectum amatum. Et ita, ſicut illud obiectum apprehenſum, & dilectum non poteſt eſſe ratio retractationis amoris ſui, & amandi oppoſitum: ita neque intellectus, aut volũtas, poſtquam ille per perfectam apprehenſionem, & iſta per amorem itidem perfectum in naturam talis obiecti tranſiere.

Illuſtratur ex D. Thoma.

Quæ impugnatio deſumitur ex D. Thoma quæſt. 24. de Veritate art. 10. ad 2. his verbis: *Dicendum, quod aliter eſt de natura corporali, & ſpirituali. Natura enim corporalis eſt determinatè vnius generis: & ideò non poteſt ſibi aliquid effici naturale, niſi natura eius totaliter corrumpatur: ſicut aquæ non poteſt fieri calor naturalis, niſi corrumpatur in ea ſpecies aquæ: & inde eſt, quòd redit ad naturam ſuam, remoto prohibente. Sed natura ſpiritualis eſt facta quantum ad ſecundum eſſe ſuum indeterminata, & omnium capax, ſicut dicitur in 3. de Anima, quòd anima eſt quodammodò omnia. Et per hoc, quòd alicui adhæret, efficitur vnum cum eo, ſicut intellectus ſit quodammodò ipſum intelligibile intelligendo, & volũtas ipſum appetibile amando. Et ſic quamuis inclinatio voluntatis ſit naturaliter ad vnum: tamen contrarium poteſt per amorem ei effici naturale, in tantum, quòd non reuertatur ad priſtinum ſtatum, niſi aliqua cauſa hoc agente. Et hoc modo peccatum efficitur quaſi naturale ei, qui peccato adhæret. Vnde nihil prohibet, liberum arbitrium perpetuò in peccato remanere.*

26 Neque id, quod ſecundo loco adducitur ad probandum, in hac ratione non reddi cauſam, vt cauſam, ex eo quòd homo immobiliter apprehendit aliqua, de quibus eſt certus per diſcurſum, circa quæ tamen eſt mobilis per voluntatem, intentum ſuadet. Nam ad hoc optimè reſpondet Caietanus in hoc articulo, §. *Ad obiectionem autem contra ſecundam probationem*, his verbis: *Quòd de notitia practica, ſeu affectiua in particulari cum ceteris ſingularibus circunſtantijs loquendo, nulla cognitio per diſcurſum acquiſita eſt alicui homini immobilis, naturaliter loquendo: quoniam iudicium in particulari nunc, hic, in ordine ad hæc &c. poteſt ſemper variari, vel ex aliquo paſſionis motu inſurgente, vel ex aliquo medio probabiliore nunc ſecundùm apparentiam, vel ex obliuione prioris medij, aut inconſideratione eiuſdem, quæ omnia ad diſcurſum pertinent. Non ſic autem eſt in Angelo, in quo ſemper concluſio cum ſuo medio offertur: quia non eſt ibi diſcurſus. Vnde patet, quòd differentia voluntatum penes diſcurrere, & non diſcurrere, mobilitatem, & immobilitatem inducit.*

Caietan.

27 Ex quibus omnibus etiam fit, falſum eſſe diſcrimen illud, quod vltimo loco in prædicta ſolutione adducitur, ſcilicet, non ideò nos apprehendere inflexibiliter prima principia, quia illa per ſimplicem intuitum apprehendimus, ſed quia ſumus determinati quoad ſpecificationem determinati in ordine ad prima principia, & concluſiones in eiſdem principijs per ſimplicem intuitum inſpectas.

Refellitur vltimum dictum præcipuæ cuaſionis.

Ex dictis igitur conſtat, hoc eſſe falſum in eo ſenſu, in quo ab aduerſarijs adducitur, nempe, loquendo de Angelis poſt plenum, & deliberatum iudicium, atque adeò poſt electionem. Nam ſic conſiderati, ſunt etiam quoad ſpecificationem determinati quoad ſpeciem aſſenſus, vel diſſenſus omninò deliberati, quod ſemel habuerint, vt de rationibus factis ſatis liquet.

Damaſc.

Quæ omnia breuiter, & compendiosè amplexus eſt Damaſcenus lib. 2. Orthodoxæ fidei cap. 3. vbi loquens de Angelis, ſic inquit. *Pœnitentia porrò ea ratione minimè capax eſt, quia corpore vacat. Nam quòd homo è vitiorum cœno emergere, atque ad meliorem frugem ſe conuertere queat, id ob corporis imbecillitatem eſt conſecutus.* In quibus verbis denegat Angelo capacitatem ad pœnitendum: ac proinde tribuit illi neceſsitatem & determinationem quoad ſpeciem actus ſemel amati, & dilecti. Et rationem huius aſſig-

assignat ex discrimine, quod innuit esse inter hominem, & Angelum, nempe ex eo, quòd homo est corporeus; Angelus verò omninò separatus à corpore: ac proinde ex eo, quòd Angelus attingit supremum gradum immaterialitatis creatum, in hac separatione à materia constitutem, & perconsequens est omnino indiuisibilis, & persimplicem intuitum debet intelligere.

Effugium Vazquez.

28 Nec obest solutio Gabrielis Vazquez ad hanc probationem ex Damasceno, nimirum, illum loqui de pœnitentia fructuosa, per quam Angeli semel peccantes iustificentur, non verò de pœnitentia qualicũque, prout præcisè dicit tetractationem vtcumque, & liberam respectu iudicij, & electionis semel habitæ. Nam contra hoc est, tum quòd Damascenus absolute loquitur de pœnitentia, non verò peculiariter de pœnitentia fructuosa: tum etiam, quia ratio, quam adducit, vtramque pœnitentiæ incapacitatem probat, vt ex his, quæ diximus, satis liquet: tum denique, quia si Angelus esset capax secundùm suam naturam, vt haberet qualemcumque pœnitentiam suis viribus relictus, deceret maximè diuinam misericordiam, quia ita summa, & infinita est, vt præberet ei adiumenta necessaria ad fructuosè pœnitendum. Et sicut hominibus ob suam misericordiam hæc præparauit, quamuis omninò ea demererentur: sic ob eãdem ipsa Angelis præparaturum credi posset.

Præcluditur

Obiectio.

29 Nec tandem obstat, si secundò obijcias, quòd in his impugnationibus videtur committi circulus vitiosus. Nam dum agitur de inflexibilitate voluntatis Angelicæ, redditur pro ratione immobilitas in apprehendendo. Et dum traditur ratio, propter quam Angelus apprehendit immobiliter, confugitur ad inflexibilitatem voluntatis.

Enodatio.

Respondetur enim, quòd cùm intellectus, & volũtas mutuò inter se dependeãt, inde est, vt inflexibilitas intellectus, quæ modo statim dicendo est radicaliter libera, pendeat à voluntate, vt ab applicante quoad exercitium; & ipsa voluntas habeat pendere quoad specificationem, ac in genere causæ formalis ab intellectu, qui semel applicatus quoad exercitiũ à voluntate, nõ habet ab illa, quòd in suo ordine, & in genere causæ formalis inflexibiliter moueat.

§. VIII. *Posterior euasio ad eandem rationem D. Thomæ, & eius præclusio.*

Posterior euasio.

30 EX quibus omnibus non difficulter colligitur impugnatio alterius solutionis, quæ ex doctrina aduersariorum colligi potest, nempe, quòd adhuc dato, Angelos esse inflexibiles quoad bonum semel electum; non tamen quoad malum: ex eo quòd tendunt ad bonum attendendo ad omnes rationes, & circunstantias repertas in obiecto, secùs verò ad malum, quia adhærent ei ex defectu debitæ considerationis, quam præstare debuerant: & ideò hac postea adhibita, possunt à malo in bonum flecti.

Refutatur primò.

Ex dictis igitur non difficulter deducitur impugnatio huius solutionis, vt intuenti patebit. Quod quidem potest adhuc explicari. Primò ex eo, quòd hic defectus considerationis practicæ non tollit, quominùs peccatum Angelorum processerit ex iudicio omninò deliberato, & simpliciter pleno: ergo non est cur prędictum iudicium non sit inflexibile, siue irretractabile. Vtraque consequẽtia videtur perspicua.

Antecedens autem probatur, & declaratur ex eo; quòd ad iudiciũ omninò deliberatũ, & simpliciter plenum, ac perfectum non requiritur, quòd actu, & expressè attendatur ad omnia, quæ circa aliquod obiectum cõsiderari possunt, sed satis sunt hæc duo. Primũ est, quòd actu, vel virtute attendatur ad illa: ac proinde, quòd cùm possit, & debeat facilè ad illa attendi, nihilominùs volũtariè omittatur prædicta attentio: & per consequens nõ attendens, perinde se habet in communi, & prudenti existimatione, ac si attenderet. Secundum est, quòd circa obiectum expressè volitum adsit firma & deliberata sententia, non tentatoria, dubia, aut trepidans. Et ratio horum est. Quoniam planum & certum debet esse apud omnes, Angelũ peccasse per iudiciũ omninò deliberatũ, & simpliciter plenum. Constat autem ex dictis q. præcedenti, non posse habere aliud iudicium omninò deliberatum, & simpliciter plenum, nisi hoc, quod explicuimus: & cõsequenter prædictum iudicium, ad hoc vt sit omninò deliberatum, & simpliciter plenum, non requiret alias conditiones præter recensitas. Cumque istæ repertæ fuerint in illo iudicio inuoluto cum defectu considerationis, & antecedente ad peccatum Angelicum: siquidem absolutè, & resolutoriè, ac absque aliqua trepidatione protulit sententiam de obiecto expressè tunc volendo, scilicet propria excellentia, nec curauit de consideratione practica modi volendi; cum tamen posset facile, & deberet de illa curare: inde est, vt non obstante illa inconsideratione practica modi volendi, habuerit iudicium omninò deliberatum, & simpliciter plenum.

Refellitur secundo.

31 Potestque hoc ipsum explicari secũdò ex eo, quòd nõ obstante inconsideratione illa practica modi volẽdi, est satis verosimile, quòd habuerit Angelus considerationem speculatiuam illius obiecti, circa quod deliquit, nec

necnon & omnium circunſtantiarum eius, & modorum, quomodocumq; ſint: ergo iudicium illud practicum fuit omninò deliberatum, & plenum, quantum requiritur ad hoc, vt ſemel approbatum per voluntatem ſit irretractabile. Antecedens probatur. Nam cùm in illo inſtanti, in quo Angelus peccauit, cognouerit, ex eo pendere ſuam ſalutem in perpetuas æternitates, & in eo agide amore vltimi finis, ex cuius debito amore prædicta ſalus pendebat: veroſimile eſt, Angelum in re tanti momenti omnia, quæ circunſpicienda erant, ſpeculatiuè ſaltem inſpexiſſe: quia magnitudo negotij, & perſpicacitas intellectus Angelici lumine fidei adiuta hoc exigebat. Sicut in nobis, proportione ſeruata, contingit, qui in rebus, quas apprehendimus magni momenti, ſolemus, dum facilè poſſumus, ad prædicta ſaltem ſpeculatiuè attendere: & hoc multò meliùs præſtaremus, ſi in primis principijs, ad quæ attendimus, inſpiceremus concluſiones, vt in Angelis accidit.

Conſequentia verò probatur. Quoniam conſonum eſt naturæ attendenti ſpeculatiuè ad omnes modos, & circunſtantias obiecti, vt ſi ſemel, non obſtante hac conſideratione, habuerit iudicium practicum cum carentia debitæ conſiderationis, nequeat prædictum iudicium ſemel approbatum retractari: ſiquidem non apparente ſpeculatiuè aliqua ratione, modo, aut circunſtantia in obiecto, quæ anteà non appareret, videtur exigi ex vi huius modi habendi iudicium practicum defectuoſum, quòd ſemel habito, & approbato, non poſſit retractari: quia via veluti radicalis ad illud retractandum, videtur eſſe aliqua variatio in iudicio ſpeculatiuo. Maximè, quia cùm prædicta inflexibilitas in malo nequeat dicere rationem actus puri, ac proinde dicat certam, & finitam perfectionem in *eſſe* phyſico, vnà cum defectibilitate morali: oportet, vt ſit propria (vt ſuprà dicebamus) alicuius creaturæ, & peculiariter Angeli, propter rationem ibidem traditam. Conſtat autem, huius nullam poſſe eſſe aptiorem radicem, quàm prædicta circunſpectio ſpeculatiua omnium tunc occurrentium, quæ ſtare poteſt cũ inconſideratione illa practica, & peccato Angelico. Sed de his ſuprà in hoc eodem dubio n. 23. ſermo paululùm fuſior habitus eſt.

Tertio enervatur.

32 Prætereà hoc ipſum elucidari queit tertiò ex his, quæ ſuprà tetigimus, ſcilicet, id, quod emendandum erat, ad hoc vt Angelus ex natura ſua non maneret obſtinatus, eſſe finem vltimum inordinatè, & inconſideratè ab ipſo volitum, ita vt deueniri poſſet ad eundem finem, non qualitercumque, ſed ordinatè appetitum. Cumque nihil poſſit reparari, & emendari, niſi per medium à ſe diſtinctum: oportebit, dari aliquod medium, per quod perueniatur ad prædictam conſiderationem, nempe, aliud principium practicum, quod ſit prius, & vniuerſalius vltimo illo fine inconſiderato, quodque ſit extra totam latitudinem principiorum practicorum, quæ nunc dantur: atque adeò etiam oportebit, dari alia principia ſpeculatiua, quæ etiam ſint extra totum ambitum principiorum ſpeculatiuorum, quæ ab Angelo de facto attinguntur: quia hoc exigit correſpondentia, & adæquatio inter principia ſpeculatiua, & practica. Et per conſequens, ſi hæc principia ſpeculatiua nequeunt in Angelo per ſe, & ex natura ſua inueniri, ſed ſolùm ea, quæ ſunt illi naturaliter indita, non patebit, naturaliter loquendo, aditus prædictæ emendationi.

Impugnatur tandẽ.

Tandem poteſt hoc ipſum 4. explicari ex eo, quòd ſi ſemel conceditur, Angelũ amplectentem bonum per iudicium, & voluntatem omninò deliberatam, adhærere illi immobiliter, non eſt cur hæc eadem adhæſio non tribuatur illi, dum amplectitur aliquod bonum, in cuius amore deficit, & delinquit. Nam ſicut mobilitas circa bonum arguit parem mobilitatem circa malum: ita immobilitas in bono ſemel electo debet etiam arguere eandem immobilitatem circa malum. Et propterea nos adhæremus malo mobiliter, quia bono etiam mobiliter coniungimur.

§. IX. *Aſſertio poſterior ex D. Thoma deprompta.*

Poſterior aſſertio.

33 DIcendum eſt ſecundò, obſtinationem Dæmonum non ſolum prouenire ex cauſa intrinſeca iam dicta, ſed etiam ex cauſa extrinſeca, nempe, ex conditione ſtatus, in quo ſunt: ita tamen, vt cauſa iſta ſit petita ex illa priori intrinſeca, & ab ea originetur. Aſſertio hæc eſt D. Thomæ artic. 2. huius quæſt, vbi duplicem aſsignat cauſam obſtinationis Dæmonum, ſcilicet intrinſecam illam, ex propria eorum ratione ortum ducentem (de qua in precedenti aſſertione) & extrinſecam, ex conditione ſtatus eorum prouenientem: additque, hanc poſteriorem cauſam originari ex illa priori. Idem etiam docet S. Doctor alijs locis relatis. Et propterea hanc ſententiam ſequuntur communiter Thomiſtæ.

D. Thom.

Fundamentum.

Ratio autem fundamentalis huius aſſertionis iam tacta eſt in præcedenti aſſertione, poteſtque ex locis ibidem ex D. Thoma adductis ad hanc formam redigi. Nam hoc ipſo, quòd Angelus ſemel peccans ſit ex propria ſui ratione obſtinatus in malo, ita vt poſt primam electionem omninò

ninò liberam non posſit flecti in oppoſitum: oportet, vt poſtquam habuit prædictam electionem, ſtatim ſit in termino: ergo etiam oportebit, quòd ex natura ſua exigat denegationem auxiliorum, quibus poſsit flecti à malo: & per conſequens eius inflexibilitas, & obſtinatio in malo proueniet etiam ex cauſa extrinſeca, nempe, ex conditione ſui ſtatus, ſcilicet eſſendi extra viam. Hæc ſecunda conſequentia patet ex prima. Quoniam cauſa extrinſeca ſtatus, quem habent dæmones, à qua dicimus etiam prouenire ſuam inflexibilitatem, & obſtinationem, nihil aliud eſt, quam denegatio auxiliorum diuinæ gratiæ, quibus Dæmones ex diuina miſericordia, & modo ſuprà tacto poſſent flecti à malo, quamuis ipſi attento ſuo naturali modo operandi, & moti à Deo iuxta illum ſint inflexibiles. Prima verò conſequentia ex antecedenti videtur ſatis deduci. Quoniam voluntas, quæ ſic eſt in termino ratione prauæ electionis, exigit ex natura ſua denegationem omnium auxiliorum, quibus poſsit flecti à malo. Nam dum eſt in termino, & in eo auerſa à ſuo vltimo fine, nequit vllo modo moueri ad eundem finem.

Antecedens autem probatur. Nam voluntas, quæ poſt ſuam electionem non eſt ſtatim in termino, poteſt poſt eandem electionem moueri ad ſuum finem, & per conſequens flecti a malo in bonum.

§. X. *Oppoſita ſententia, duo priora illius fundamenta, cum enodationibus eorundem.*

Oppoſita ſententia.

34 OPpoſitam tamen ſententiam noſtræ priori aſſertioni, nempe, obſtinationem Dæmonum non prouenire ex propria eorundem natura, ac proinde ex cauſa intrinſeca iam dicta, & per conſequens neque ex cauſa extrinſeca petita ex illa intrinſeca, tuentur Scotus in 2. diſtinct. 7. Gabriel, & alij ibidem. Et ex Iunioribus Molina quæſt. præcedenti art. 6. Valentia 1. part. quæſt. 15. puncto 2. Vazquez diſput. 239. Suarez lib. 8. de Angelis cap. 11. & Curiel lib. 2. ſuarum controuerſiarum controuerſia. 5.

Scotus. *Gabriel.* *Molina.* *Valentia.* *Vazquez.* *Suarez.* *Curiel.*

Primũ fundamentum. *2. Petri. 2.*

Probatur primo ex illo 2. Petri 2. vbi Petrus hoc videtur conficere argumentum. Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reſeruari, & originali mundo non pepercit &c. & ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euerſione damnauit: quid putatis iniquis, & impijs perſeuerantibus in nequitia eorũ erit, ideſt, falſis Prophetis ſeu hæreticis? Conſtat autem, quòd vt hoc argumentum vim habeat, debet ſupponi, Angelum de potentia ordinaria poſſe veniam conſequi, & Deo etiam integrum eſſe ſecundum eandem potentiam illi parcere: alioqui poſſet prædicto argumento facile occurri, reddendo diſparitatem ex eo, quòd Angeli ſecundum potentiam ordinariam ſunt incapaces veniæ, & pœnitentiæ, & propterea Deus illis non pepercit: falſi verò Prophetæ ſunt ſecundùm prædictam potentiã capaces pœnitentiæ, & veniæ, & ita non mirum, quòd iſtis non inferat pœnas pro ſuis peccatis, è contrà verò illis.

Euertitur.

Reſpondetur, Petrum in prædictis verbis arguere contra quoſdam falſos Prophetas exiſtimantes non fore à Deo puniendos propter ſua peccata, quamtumuis in illis obſtinati perſiſterent: quoniam credebant, nihil contra hoc per diuinam legem eſſe ſtabilitum: imo admittebant, contra Angelos peccantes non eſſe factam legem à Deo ad illos puniendos, ſed potius ad miſerendum. Et ideo contra prædictos Prophetas ſic arguit Apoſtolus. Si enim Deus Angelis obſtinatis, & pœnitentiæ ſecundùm communem legem incapacibus non pepercit, neque etiam originali mundo, aut Sodomitis, ſed omnes iſti debitas luere pœnas: quid vobis erit iniquis, qui licet ex propria natura non ſitis obſtinati in malo, ſed poſsitis ab illo flecti, attamen ex veſtra peruerſitate ita vos geritis, ac ſi in illo ex propria natura eſſetis obſtinati? Siquidem creditis, quòd quãtumuis obſtinati ſitis, Deus non infliget vobis pœnas. Conſtat autem, ad vim huius argumenti non eſſe neceſſarium ſupponere, Angelum ſecundum communem legem poſſe pœnitere de malo, & veniam adipiſci: quin potiùs ex eo, quòd Deus Angelis obſtinatis non pepercit, nec potuit ſecundum communem legem illis parcere, optime deducitur, quòd ſecundùm eandem legem non poſſet non punire hos falſos Prophetas, ſi in ſua iniquitate perſiſtant, & morem Angelorum quoad hoc referant

Secundũ argumentum. *Vazquez.* *Damaſce.*

35 Secundo probatur eadem ſententia à Vazquez, tum teſtimonio Damaſceni lib 2. de Fide c. 3. vbi plura ad hoc intẽtũ cõducẽtia videtur afferre. Nam in primis dicit, Angelum eſſe liberi arbitrij, & ſemper mobilẽ, ac voluntatis, & ſententiæ ratione mutabilem. Secundum eſt, omne creatum mutationi ſubdi neceſſe eſſe: liberumque eſſe Angelo, vel in bono manere, ac progreſſum facere, vel in malum deflecti. Tertium eſt, beatos Angelos non poſſe à beatitudine moueri, & hoc non eorum naturæ, ſed gratiæ tribuendum eſſe.

Con-

Confirm. 1 *Vazquez. Fulgent.*

Confirmatque hoc ipſum idem Vazquez auctoritate Fulgentij lib. de Fide ad Petrum cap. 13. vbi ex eo probat, eſſe tribuendum diuinæ gratiæ, quòd homo amiſſam bonam voluntatem recuperet, quia ſi poſsibile eſſet, vt humana natura, poſtquam à Deo auerſa bonitatem perdit voluntatis, ex ſe ipſa rurſus eam habere potuiſſet, multò poſsibiliùs hoc haberet natura Angelica, quæ quanto minùs grauatur terreni corporis pondere, hac eſſet prædita facultate. Conſtat autem, quòd ſi Angelus eſſet inflexibilis ex ſe ab eo, quod ſemel elegit, non haberet vllam vim hæc probatio Fulgentij. Nam quiſque facilè dicere poſſet, ideò Angelum nõ recuperaſſe per pœnitentiam priorem ſtatum, quia pœnitere nequit illius facti, quòd ſemel elegit: hominem vero ideò poſſe per pœnitentiam ad priſtinum ſtatum reſtitui, quia ſuapte natura pœnitere poteſt facti, & ab eo flecti.

Confirm. 2 *Angelic. Doctor.*

Confirmatur ex Angelico Doctore art. 2. huius q. in ſolutione ad 3. vbi inquit, quòd peccatum Angeli non perſeuerat quoad opinionem aſſequendæ excellentiæ: ac proinde iuxta S. Doctoris mentem apprehenſio, & volitio Angelica, quas habuit in primo peccato, non ſunt omninò inflexibiles. Poteſtque hæc eadem confirmatio fulciri, & explicari ex eo, quòd Dæmon euidenter iudicat modo, quod eſſet impoſsibilis æqualitas Dei, adhuc eo modo habita, quo ab ipſo appetita eſt: ergo nequit perſeuerare in eius appetitione: ſiquidem appetitus non poteſt ferri in obiectum, quòd iudicatur eſſe impoſsibile. Et ita, ſi cùm primùm Dæmon peccauit, conſideraſſet actu, illùd eſſe ſibi impoſsibile, certè non eſſet ab eo appetitum.

Occurritur argumento *Capreol. Nazar.*

36 Reſpondetur cum Capreolo in 2. diſtinct. 7. quæſt. 1. & Nazario in præſenti, quòd Damaſcenus in primo ex his tribus dictis adductis in hoc argumento ſolùm voluit, Angelum eſſe mutabilem, ſiue mobilem per ſucceſsionem intellectionum, & volitionum; non tamen quòd poſsit obiectum ſemel à ſe electum plena & perfecta electione poſteà refutare, vel è contra. Et ita quoad hanc partem committitur fallacia conſequentis, videlicet, *Angelus eſt vertibilis, ſiue mobilis: ergo tali modo eſt vertibilis, ſcilicet per retractationem.* Vnde cùm in eodem dicto additur ex Damaſceno, Angelum eſſe voluntatis, & ſententiæ ratione mutabilem, debet intelligi de mutabilitate quoad iudicium minimè perfectum, & de volitione non plenè deliberata, vel de Angelo ante electionem perfectam, non verò poſt illam: Et propterea, vt Damaſcenus explicaret, quid voluerit, dum dixit, quòd Angelus eſt voluntatis, ac ſententiæ ratione mutabilis, ſtatim addidit, *hoc eſt, liberam in vtramque partem voluntatem habens.* Conſtat autem ex dictis, ad hanc liberam voluntatem in vtramque partem ſatis eſſe, quoties libertas eſt ſummè perfecta inter creatas, quòd vel ante omnem electionem adſit prædicta indifferentia, vel quòd data electione non omninò perfecta & libera, & ſententiæ ratione non omninò deliberata, poſsit dari voluntatis mutabilitas in ratione voluntatis, ac ſententiæ, ex eo quòd ſit dabilis alia voluntas, & ſententia oppoſita, & omninò deliberata. Per quòd etiam ad id, quòd in ſecundo dicto Damaſceni continetur, ſatis liquet. *Damaſc.*

Ad illud autem, quòd in vltimo dicto habetur, conſtat ex illis, quæ in hoc eodem dubio num. 9. diximus, Angelum non dici eſſe inflexibilem ex natura ſua in bono ſupernaturali, quia ex proprijs viribus non eleuatis per gratiam queat in bono ſupernaturali perſiſtere, ſed quia, ſi eleuandus & mouendus eſt à Deo authore ſupernaturali iuxta modum naturæ Angelicæ, oportet, vt moueatur per gratiam inflexibilem, & ita dominantem naturæ Angelicæ, vt ratione illius debeat Angelus in bono ſupernaturali perſiſtere.

Adde (quod quidem in id, quod modò diximus tandem redit) Angelum habere ex natura ſua, modo tamen alibi tacto, quòd ſit inflexibilis circa obiectum illud, quod ſemel cum plena libertate elegit. Cæterùm quòd eligat bonum ſupernaturale, potiùs quàm malum ei oppoſitum, prouenit illi ex diuina gratia, & per conſequens ex ea etiam ortum ducit, quòd in prædicto bono perſiſtat.

Soluitur prior confirmatio. *Caiet. Nazar.*

37 Ad primam confirmationem ex Fulgentio benè reſpondent Caietanus, & Nazarius in hoc articulo, veritatem huius categoricæ, videlicet, *Angelus, poſtquam malum ſemel elegit, illi ſemper immobiliter adhæret*, non repugnare veritati conditionalis, ſiue conditionalium propoſitionum Fulgentij. Reditus enim ad bonum ex mortali peccato ſola fieri poteſt Deiformi natura, quæ gratia diuina eſt: quæ ſi naturalis eſſet homini, multò magis eſſet Angelo naturalis, qui ſpeculum eſt puriſsimum, &c. Sicut etiam vtraque prædicta conditionalis ſtat cum huius categoricæ veritate, nempe, quòd *nec homo, nec Angelus poteſt virtute ſua naturali ad bonum redire.*

Elucidatur.

Fietque facilior intellectu hæc ſolutio Caietani, & Nazarij, ſi animaduerta-

tur,duplicem posse assignari causam, propter quam nec Angelus,nec homo queit à peccato ad diuinam gratiam assurgere ex proprijs dumtaxat viribus.Prima quidem, & potissima, ac vtrique communis petita est ex excellentia huius effectus cum præcisione sumpta, & ad hanc dumtaxat rationem attendit Fulgentius, dum dixit, quòd si homo potest amissam bonam voluntatem recuperare,etiam id posset potiori iure Angelus, quippe qui est excellentioris naturæ: quod tamen Angelo concedi non posse,constat ex eo,quòd hæc excellentia prædicti effectus est tanta, vt sit proprius effectus gratiæ:& ideo nequit esse naturalis,nisi cui gratia connaturalis fuerit, quæ tamen nulli creaturæ,siue creatæ,siue creabili potest esse connaturalis. Secunda verò petitur ex peculiari conditione eius, qui bonam voluntatem amissam recuperaturus est: & ad hanc non attendit Fulgentius, sed ad illam priorem: quia hæc secunda causa non est vtrique, scilicet homini, & Angelo communis: siquidem ille flexibilis, hic verò inflexibilis est.

Fulgent.

Ad secundã confirmat. Caiet.

38 Ad secundam verò confirmationem ex D.Thoma desumptam benè etiam occurrit Caietanus in hoc art.2.§. *Ad hoc breuiter dicitur,negando consequentiam. Tum , quia apprehensio, qua peccauit, fuit iudicium talis eligibilis , & non opinio talis possibilis. Hoc autem iudicium, vt in littera dicitur, perseuerat immobile. Tum , quia opinio talis possibilis non ponitur ,sed negatiue concomitata est iudicium electionis. Non enim oportet , quòd dum iudicauit excellentiam suam appetendam , crediderit ponitiue illam possibilem ; sed satis est , quòd non reputauerit illam impossibilem: quam non reputationem modò non habet ponitiuè , apprehendendo illud esse impossibile. Sic igitur mutatio ista non est de positiuo in positiuum , neque de iudicio in iudicium oppositum.*

Bañez.

Ex quo ad explicationem eiusdem confirmationis benè respondet Bañez in præsenti dubio 1.quòd cum iudicio speculatiuo, quo Dæmon iudicat , impossibilem sibi fore æqualitatem ad Deum, non potest stare operatio voluntatis,perquam appetat hanc æqualitatem ex parte obiecti.At non repugnat illius appetitio ex parte modi:quia hæc appetitio non innititur iudicio, quo iudicatur illa æqualitas possibilis, aut impossibilis , sed iudicio , quo iudicatur, illud obiectum , ad quod voluntas se conuertit , esse appetibile: in quo tamen iudicio deest consideratio, quæ habenda erat practicè de modo , quo conuenientia illius obiecti appetenda erat : ex qua consideratione consecutum fuit, vt licet illud obiectum esset secundum se bonum , redderetur tamen malum ex parte voluntatis inconsideratè appetentis , & ex parte modi tendendi in ipsum obiectum , acsi implicite & interpretatiuè appeteretur in illo æqualitas Dei.

§. II. *Aliud argumentum pro eadem sententia & responsio ad illud.*

Tertiũ fundamẽtum. D.1 hom.

39 TErtio probatur eadem sententia argumento, quod D.Thomas quæst.16 de Dæmonibus art.5.his verbis affert. *Diabolus non reportauit commodum ex suo peccato. Sed ante peccatum tenebatur conuerti in Deum. Ergo etiam & post peccatum tenetur conuerti in Deum.Sed nullus tenetur ad impossibile. Ergo non est impossibile , diabolum conuerti ad Deum.Et sic,vt videtur , non immobiliter manet in peccato.*

Confirm.1

Confirmatur primò. Quia non stat,Angelum manere ex se immobiliter in peccato,& liberè peccare,ac proinde ei imputari continuationem talis peccati: at certum est apud Theologos,talem continuationem esse liberam,& ei imputari:ergo nequit manere immobiliter in malo. Maior videtur perspicua. Quia si ex se habet manere immobiliter in malo , debet hoc oriri ex propria natura exigente denegationem auxiliorum cõducentium ad hoc,vt flectatur de malo in bonum: Deusque secundùm communem cursum non erit paratus ad præbendum illi prædicta auxilia. Constat autem, cum hoc non stare, liberam esse continuationem peccati Angelici,& quòd hæc prædicti peccati continuatio ei imputetur. Et propterea,si Deus non esset paratus ad tribuendum nobis auxilium ad aliquem actum,nec maneremus liberi ad illum,nec nobis imputaretur , etiam si aliàs esset peccatum.

Confirm.2

Confirmatur secundò. Nam antequam Angelus per liberam electionem adhæreret malo fini,libertatem habuit ad adhærendum bono: sed illa prior electio non abstulit ab eo libertatem conuertendi se in bonum finem: ergo adhuc prædicta electione facta, potest à malo fine flecti,& in bonum conuerti. Maior & consequentia videntur perspicuæ. Minor autem probatur. Tum, quia libertas est propria conditio Angelicæ naturæ: ergo non aufertur, aut minuitur per actum electionis eiusdem Angeli , sed potiùs per eam perficitur , & completur: alioqui ex intraneis naturæ oriretur impedimentum , & diminutio eiusdem illius natu-

naturæ. Tum etiam. Quia adhuc poſita prædicta electione, non eſt facta aliqua mutatio, neque in natura voluntatis, neque in actu intellectus requiſito ad eius operationem, neque in obiecto, aut modo proponendi ipſum: ergo ſicut hæc omnia præſupponebantur ad inchoationem electionis, & relinquebant volũtatem liberam ſimpliciter ad eligendum bonum, vel malum finem: ita etiam poſt electionem, ſiue volitionem mali finis relinquetur libera ad deſiſtendum ab amore illius, & amplectendum finem bonum ei oppoſitum. Maxime, quia voluntas ſecundùm ſe, & non vt eſt ſub ſuo actu, & volitione vnius finis vltimi, poteſt eſſe cauſa volitionis alterius finis loco illius prioris.

Confirm. 3. *Suarez.* Confirmatur tandem argumento, quod latè proſequitur Suarez, inquirendo, vnde proueniat iſta immutabilitas poſt deliberatam electionem? An ex ipſo actu præterito? An ex aliquo habitu ſuperueniente? An ex naturali proprietate ipſius voluntatis, vel ab intellectu? Nullum autem iſtorum neceſsitat voluntatem, ſed liberam relinquit. Et ita, ſicut ante electionem erant liberi ad amplectendum bonum, vel malum finem ſic etiam poſt illã. Maxime quia ratio, quare Angeli, poſſunt intelligere indifferenter & liberè velle, eſt ipſa perfectio cognoſcendi obiectum cum indifferentia, fundata in natura voluntatis: hæc autem eadem, & eodem modo manet ante, & poſt electionem liberam, ac proinde eodem modo poterit electio ipſa mutari antè, & poſt.

Fit ſatisfundamento. *D. Thom.* 40 Reſpondetur ex D Thoma loco in argumento relato in ſolutione ad. 11. his verbis: *Dicendum, quòd ſicut ebrius tenetur non peccare, non quidem conſiderato præſenti ſtatu, ſed conſiderata ebrietatis voluntaria cauſa, ſecundùm quam imputatur ei aliquid ad culpam: ita etiam poteſt intelligi, quòd diabolus tenetur cõuerti ad Deũ, quamuis hoc ei ſit impoſsibile ſecundùm præſentem ſtatum, quia in hunc ſtatum ex voluntaria cauſa deuenit,*

Ad primã confirmat. Ad primam confirmationem patet ex modò dictis, negandam eſſe maiorem. Et ad probationem dicendum eſt, prædictam inflexibilitatem, & exigentiam perpetuæ carentiæ auxiliorum diuinæ gratiæ non oriri ex propria natura voluntatis Angelicæ, niſi ſub hac conditione, ſcilicet, dummodò omninò libere adhæſerit illi fini: quia voluntas Angelica non eſt ex natura ſua inflexibilis, niſi ſuppoſita electione: & propterea non mirum, quòd cum hac inflexibilitate orta ex voluntaria cauſa ſtet libertas requiſita ad peccatum. Vnde, vt dicatur peccare aſsiduè in illa praua affectione vltimi finis, ſatis fuit illa libertas, quæ interuenit in illa operatione deliberata, perquam ſe illi malo fini applicuit, eò quòd ex tali applicatione per ſe fuit conſecuta obſtinatio in illo malo fine.

Adde (& explicabitur magis hoc ipſum) quòd ſicut actus liberi diuinæ voluntatis ſunt immutabiles, ſeu irretractabiles, & nihilominus non ob id deſinunt eſſe liberi, quia propria eorum menſura eſt æternitas, & ideo quòd durent per totam æternitatem cum impotentia ad retractationem, non obeſt libertati eorundem: ita adhæſio Angelica omnino perfecta ad finem v.g. malum, ex natura ſua eſt perpetua, petitque perpetuo durare: & ideo non obeſt eius libertati, quòd non poſsit retractari: ſed ſufficit, quòd dum primò intelligitur exire à voluntate, ita exierit ab illa, vt potuerit non exire.

41 Nec obeſt, ſi vrgeas, quòd peccatum, vt dicit Auguſtinus 11. de Ciuitate Dei, eſt contra naturam: ſed nihil, quod eſt contra naturam, eſt perpetuum, ſecundum Philoſophum in principio cœli, & mũdi: ergo peccatum illud non petit perpetuo in libero arbitrio permanere. Replica. *Auguſt.* *Philoſop.*

Reſpondetur ergo ex D. Thoma quæſt. 24. de Veritate art. 10. ad. 1. vbi ſic ait: *Dicendum, quod aliquid dicitur naturale dupliciter. Vno modo, cuius principium ſufficiès habetur, ex quo de neceſsitate illud conſequitur, niſi aliquid impediat, ſicut terræ eſt naturale moueri deorſum: & de hoc intelligit Philoſophus, quòd nihil, quod eſt contra naturam, eſt perpetuum. Alio modo dicitur aliquid alicui naturale, quia habet naturalem inclinationem in illud, quamuis in ſe non habeat ſufficiens illius principium, ex quo neceſſario conſequatur: ſicut mulieri dicitur naturale concipere filium, quod tamẽ non poteſt, niſi ſemine maris ſuſcepto. Id autem, quod eſt contra hoc naturale, nihil prohibet eſſe perpetuum, ſicut quod aliqua mulier perpetuo abſque prole remaneret: hoc autem modo libero arbitrio eſt naturale tendere in bonum, & contra naturam peccare. Vnde ratio non ſequitur. Vel dicendum, quod quamuis menti rationali ſecundùm ſuam inſtitutionem conſideratæ, peccatum ſit contra naturam, tamen ſecundùm quod adhæſit peccato, effectum eſt ei quaſi naturale, vt Auguſtinus dicit in libro de Perfect. iuſtitiæ. Philoſophus dicit tamen nono Ethicorum, quod quando homo de virtute in vitium tranſit, ſit quaſi alius, eò quòd quaſi in aliam naturam tranſit.* Euaneſcit. *D. Thom.*

Poteſtque non parùm elucidari quomodo hæc perpetuitas, & conſequenter immutabilitas in prædicta electione non tollat, quominùs ſit libera reſpectu finis per illam electi, ex his, quæ docet idem S. Doctor Illuſtratur ſolutio teſtimon. D. Thomæ.

ctor quæst. 16. de Dæmonibus artic. 5. vbi vt probet, hanc inflexibilitatem, & immutabilitatem non obesse libertati Angelicæ nuper dictæ, sic ait: *Secunda autem diuersitas, in quam liberum arbitrium potest, attenditur secundùm differentiam mutationis, quæ quidem non consistit in hoc, quòd aliquis diuersa velit: nam & ipse Deus vult, vt diuersa fiant, secundùm quòd conuenit diuersis temporibus, & personis: sed mutatio liberij arbitrij cõsistit in hoc, quod aliquis illud idem, & pro tempore non velit, quod prius volebat; aut velit, quod prius nolebat: & hæc diuersitas non per se pertinet ad rationem liberi arbitrij, sed accidit ei secundùm conditionem naturæ mutabilis. Sicut non est de ratione visiuæ potentiæ, quod diuersimodè videat, sed hoc contingit quandoque propter diuersam dispositionem videntis, cuius oculus quandoque est purus, quandoque autem turbatus. Et similiter etiam mutabilitas, seu diuersitas liberi arbitrij non est de ratione eius, sed accidit ei, in quantum est in natura mutabili.* Et tandem ibi S. Doctor enumerat causas, vnde hæc mutabilitas in arbitrio nostro reperiatur, & eas ab arbitrio Angelico plenè deliberante repellit, vt constat ex illis, quæ ex eodem Angelico Præceptore in hoc eodem dubio n. 16. & sequentibus constat.

Ad secundam confirmationem.

42 Ad secundam confirmationem concedenda est maior. Et ad minorem dicendum est, per electionem omninò liberam mali finis non auferri à voluntate libertatem, quam habebat ad hoc, vt sicut elegit finem peruersum, posset loco illius eligere, siue velle finem bonum. Et similiter si propriè & in rigore loquendum est, non auferetur ab eadem potestas, siue libertas ad volendum post electionem illam bonum finem. Quia auferri à voluntate prædictam libertatem, videtur innuere, eam præfuisse in eadem voluntate, & per electionem tolli: cùm tamen voluntas Angelica nunquam habuerit libertatem ad hoc, vt post volitionem omninò liberam mali finis flectatur ad bonum, vel è contrà. Cæterum cum hoc stat, vt posita prædicta electione, ponatur aliquid ex natura rei impediens, ne voluntas possit flecti ad oppositum finem, ita vt ea posita, voluntas neque in sensu composito, neque etiam in sensu diuiso possit à malo illo flecti: vt per hoc distinguatur hæc suppositio à suppositionibus alijs, cum quibus in sensu composito non stat potestas ad oppositum, benè tamen in sensu diuiso: ex eo quòd (vt nunc dicebamus) voluntas Angelica est ab intrinseco determinata ad hoc, vt post electionem omninò liberam non fit flexibilis in oppositum, v. g. in finem bonum. Et ita ipsa secundùm se est (vt si dicamus) radicaliter impotens ad volitionem prædicti finis post talem electionem: & sit (vt sic dicamus) proximè impotens ad hoc ipsum per additionem illius electionis: ex eo quòd (vt suprà num. 25. dicebamus) veluti transit in naturam obiecti dilecti per electionem omninò liberam, quam semel habuit. Quamuis cum hoc stet, vt nuper etiam tetigimus, quòd prædicta electio semper maneat libera, quandiu durat, propter illa, quę in solutione ad hoc quartum argumentum, & eius primam confirmationem dicebamus.

43 Vnde ad primam probationem minoris, quatenus posset aliquo modo retorqueri contra ea, quę modò asserebamus, constat ex dictis, per prædictam electionem non auferri, aut minui voluntatem, quæ præerat in bonitate, sed potiùs quodammodò perfici. Quia ad hoc satis est, vt potestas, quæ erat in voluntate, ad hoc vt ex illis duobus finibus, bono scilicet, & malo, vellet vnum, potiùs quàm alterum, reducatur ad actum per primam electionem omninò liberam eiusdem voluntatis: non tamen requiritur flexibilitas ab hac electione semel habita: siquidem numquam fuit in voluntate libertas ad hoc.

Ad secundam verò probationem constat etiam ex dictis, per illam electionem non fieri mutationem in ipsa natura voluntatis, si per hoc denotetur, non variari eius naturam, siue tolli aliquid de propria entitate. Cæterùm hoc non est necessarium ad hoc, vt voluntas Angeli sit inflexibilis; sed satis est, quòd ipsa veluti radicaliter habeat hanc inflexibilitatem, & quòd per electionem habeat (vt sic dicamus) omninò proximè prædictam inflexibilitatem, & ita per talem electionem potiùs veluti stabilitur & firmatur natura voluntatis; quàm destruatur, aut variationem propriæ naturæ habeat: quamuis cum hoc stet, vt suo modo ipsa voluntas mutetur, quatenus per hoc significatur, ipsam recipere denuò determinationem illam proximam ad non retractandam prædictam electionem. Et deinde dicimus, factam etiam esse quodammodò aliquam mutationem in actu intellectus: quatenus per hoc significatur, illum post electionem esse omninò liberum, atque adeò proponere obiectum diuerso modo, scilicet, vt iam virtualiter approbatum: quia illa electio duo munia exequitur, in quorum primo virtualiter continetur secundum. Nam & est approbatio, siue electio iudicij absque debi consideratione, per quod regulatur eadē electio, vt est electio superbiēdi: & simul est electio

ctio ſuperbiendi. Et ſecundùm priorem illam conſiderationem quodammodò præſupponitur ad ſe ipſam ſecundùm poſterioremtac tandem in priori illo munere hoc poſterius virtualiter eligitur: ac proinde proponendo voluntati obiectum illud per prædictum iudicium, proponitur illi in actu exercito, vt iam virtualiter approbatum per eandem voluntatem.

Roboratur hæc ſolutio

44 Ex quo etiam tandem addimus, fieri quodammodò aliquam mutationem in ipſo obiecto. Tum, quia proponitur in actu exercito, vt quodammodò iam approbatum, ac proinde quodammodò volitum, iuxta naturam ipſius voluntatis Angelicæ, quæ eſt talis conditionis, vt hoc ipſo, quòd formaliter, vel virtualiter approbauerit aliquod obiectum, non poſsit formaliter, aut virtualiter approbare oppoſitum, nec intellectus per iudicium practicum, practicè prædictum obiectum illi proponere. Tum etiam. Quia facta electione finis v. g. peruerſi, tunc oppoſitus actus quodammodò mutatur in ratione obiecti: quia ante electionem illam priorem ſolùm habebat rationem (vt ſic dicamus) ſimplicis cuiuſdam volitionis: poſteà autem haberet, ſi amaretur, rationem retractationis prioris electionis.

Caietan. Bañez.

Ad illud autem, quod in hac probatione vltimò additur, ſcilicet, voluntatem ſecundùm ſe, & non vt eſt ſub ſuo actu, & volitione vnius finis vltimi, poſſe eſſe cauſam volitionis alterius finis loco illius prioris, dicendum eſt cum Caietano, & Bañez in preſenti, voluntatem ſub ſuo actu conſtitutam poſſe hoc ſaltem ſibi vendicare, quòd poſsit aliter ſe habere ſic ſumpta, quàm ſe haberet per ſe accepta, ſi dictio *per ſe* idem valeat, quod ſolitariè, & nudè ſumpta. Quoniam actus poteſt tribuere voluntati aliquam determinationem proximam, quæ non competat ipſi voluntati ſolitariè ſumptæ, ſed ſolùm habeat illam (vt ſic dicamus) in radice. Adde, ſatis eſſe ad intentum id, quod ſuprà num. 25. diximus, ſcilicet, voluntatem Angelicam eſſe talis conditionis, vt quodammodò tranſeat in naturam obiecti ſuæ affectionis perfectæ, & omninò liberæ.

Ad vltimã confirm.

45 Ad vltimam confirmationem reſpõdetur, hanc inflexibilitatem poſt electionem omninò liberã prouenire ex ipſa natura intellectus, & voluntatis Angelicæ, modo iam explicato, & propter rationes ex Angelico Doctore adductas.

Ad id autem, quod vltimo loco in eadem confirmatione additur, cõſtat ex dictis, quomodo perfectio cognoſcendi Angelica ſit ei ratio volendi liberè bonum, vel malum finẽ ante electionem vnius ex illis, & hæc eademmet ſit cauſa in ſuo genere inflexibilitatis ab vno fine ſemel plenè electo. Et ſimiliter etiam conſtat, quomodo indifferentia fundata in natura voluntatis nunquam fuerit in illa ad volendum aliquem finem, poſt volitionem alterius finis oppoſiti. Et ita, licèt maneat eadem perfectio cognoſcendi, vel indifferentia voluntatis, non tamen idcirco poterit voluntas flecti à fine ſemel cum plena libertate electo.

§. XII. *Cætera fundamenta eiuſdem ſententiæ, & reſponſiones ad illa.*

Quartũ argumentum

46 QVartò probatur prædicta ſententia. Nam voluntas Dei eſt immutabilis: & tamen propter variationem obiecti queit velle, quod anteà nolebat, & odio proſequi, quod anteà amabat: & ideò odit peccatorem, quem priùs diligebat, dum erat in gratia; & amat iuſtum, quem odio habebat, dum erat in peccato: ergo multò magis voluntas Angeli propter mutationem obiecti, poterit mutari. Et ita poterit proſequi odio ſuum peccatum, quod anteà amabat: quia in eo variantur aliquæ circunſtantiæ, quas anteà non habebat, nempe, quòd actu inferat punitionem, quòd priuet cœlo, &c.

Confirm. 1.

Confirmatur primò. Quia dæmones modò habent vermem conſcientiæ de ſuo peccato, quod tamen tunc non habuere, dum peccarunt, quia ſyndereſis naturaliter remittitur ſuo contrario: ergo ratione illius poterunt conſiderare malitiam peccati, quam anteà non conſiderabant, & ſic ab illo flecti.

Confir. 2.

Confirmatur ſecundò. Quia Dæmon poteſt habere nouam cognitionem ſpeculatiuam alicuius obiecti, aut circunſtãtiæ illius, quia non eſt ſemper in actuali ſpeculatione omnium: ergo eadem ratione poterit habere nouam conſiderationem practicam alicuius circunſtantiæ anteà non conſideratæ, & per cõſiderationem illius moueri ad aliqualem retractationem ſui peccati.

Diluitur argumentum

47 Reſpondetur, quòd vt Angeli voluntas mutaretur, requirebatur (vt conſtat ex his, quæ ex D. Thoma num. 41. dicebamus) quòd idem obiectum anteà amatum ſecundùm eandem rationem odio proſequatur,

vel è contrà. Cæterùm, quòd habeat odium illius secundùm vnam rationem, & secundũ alteram amorem, non inducit variationem. Et ita Angelus sine sui mutatione potest odio habere suum peccatum, propter rationes prędictas, quod tamen anteà amabat: semperque durat in amore illius, quatenus est adhæsio ad sui excellentiam sine subiectione ad superiorem.

Solvitur prior confirm. D. Thom.

Ad primam confirmationem respondetur ex D. Thoma in 2. dist. 7. q. 1. art. 2. ad 3. quòd murmur vermis conscientiæ est actus naturæ: hoc autem, licèt faciat considerare peccatum, vt contrarium iuri naturali, non tamen tollit voluntariam complacentiam Angeli in propria excellentia: quia ad mutandam illam voluntatem desideratur imperium liberum: & voluntas peruersa Angeli claudit omnes potentias inspectiuas eius ad considerandum liberè talem malitiam, ita vt imperetur oppositum, vt docet D. Thomas ibidem ex Dionysio c. 4. de diuinis nominibus.

Dionysius

Ad secundam confirmationem constat ex suprà dictis, quomodo licèt Angelus non semper sit in actuali consideratione omnium; attamen in secundo instanti, in quo peccauit, est verosimile, speculasse omnia, quæ ad illud negotium tunc occurrens, & magni ponderis spectabant.

Enodatur secunda.

Deinde addimus, quòd adhuc dato, posse aliquid circa prædictum negotium, seu conuersionem sui in vltimum finem nunc speculari, non tamen ita, vt iudicium hoc speculatiuum opponatur cum alijs iudicijs similiter speculatiuis, quod tunc habuit. Et similiter nec potest practicè aliquid nunc considerare, ex quo habeat deducere iudicium oppositum ei, quod semel habuit: quia hoc inflexibilitati conuenienti Angelo repugnat, vt ostensum est.

Quintum.

48 Quintò probatur prædicta sententia. Quoniam Angeli peccando plures actus videntur elicuisse, etiam ante terminatam viam: quia plura peccata in secundo instanti commisserunt: ergo ante vltimum peccatum poterant mutari, quia nõdum finita erat via: & tamen iam habebant electionem deliberatam: quia erat post primum instans creationis, post quod omninò deliberatè se applicuerunt malo fini, & inde adhæserunt pluribus alijs peccatis: ergo post electionem deliberatam possunt mutari, & flecti.

Confirm.

Confirmatur. Quoniam instans viæ Angelicæ fuit virtualiter diuisibile, ita vt æquiualeret nostro tempori: ergo fuit sufficiens duratio ad hoc, vt prout æquiualet huic parti temporis, adhæreret malo fini, & vt æquiualet alteri, pœniteret de hac adhæsione. Maximè, quia hoc ipso, quòd post primam applicationem ad indebitum finem restet aliquid viæ, poterit in eo, quod restat, tendere ad debitum finem, ac proinde flecti à malo.

Ad quintũ.

49 Respondetur, plures illos actus elici tos esse ab Angelo tamquam quid pertinens ad vnum & idem instans adæquatè & constituens vnum quodammodò actum adæquatum mensuratum per idem instãs. Vnde post actum dilectionis vltimi finis singuli ex illis actibus, præter vltimum, sunt ante terminatam viam adæquatè, non tamen ante terminationem illius inadæquatam: quia per quemlibet ex illis actibus inadæquatè terminatur. Cæterùm adhoc, vt electio Angelica sit immutabilis, satis est, quòd sit in instanti, quod alias intrinsecè terminat illam viam adæquatè, & quòd sit intra prędictum instans, vt saltem inadæquatè est terminus intrinsecus viæ. Diximus, *vt est terminus intrinsecus viæ.* Quia via Angeli terminatur extrinsecè per instans gloriæ, & intrinsecè per instans viæ, in quo verificatur tunc dari viam, non tamen immediatè pòst.

Ad confirmationem respondetur, negando antecedens, intellectum de correspondentia adæquata ad aliquam partem temporis adæquatè etiam sumptam, propter illa, quæ disput. præcedenti num. 86. diximus. Dato tamen gratis antecedenti, neganda est consequentia. Quoniam hoc ipso, quòd Angelus haberet retractationẽ præcedentis actus, iam prædicti actus afficerent diuersa instantia: siquidem, diuersa instantia Angelica non possunt non constitui ex diuersis operationibus inter se incomposibilibus in ordine ad vnum instans nostri temporis, vel quæ non sunt simul in ordiue ad illud, vt in præsenti contingeret. Vnde coexistentia illa instantis viæ ad aliquam partem temporis nostri adæquatè sumptam, ad summum posset conducere ad hoc, vt omnes actus facti in prædicto instanti habeant totam illam coexistentiam: non tamen ad hoc, vt in illo instanti Angelico detur vnus actus per correspondentiam ad vnam partem nostri temporis præcisè, & deinde alius ei oppositus, per correspondentiam ad alteram eiusdem temporis partem: quod tamen ad hoc, vt in eo instanti daretur retractatio, desiderabatur.

Ad confirmationem.

Vltimum.

50 Vltimò probatur eadem sententia. Quoniam Angeli de facto mutarunt iudiciũ, & voluntatem, quam semel habuerunt, vt constat in Angelis malis, qui in 2. instanti mutarunt iudicium, & voluntatem, quam in primo instanti habuerunt. & ita in primo instanti amauerunt ordinatè suam excellentiã, & in secundo inordinatè.

Confirmatur. Quia diabolus primò procurauit mortem Christi, mittendo in cor Iudæ, vt traderet eum, vt patet ex Ioannis 13. & posteà destitit ab hoc iudicio, & electione, curans per vxorem Pilati, ne Christus Dominus interficeretur, vt constat ex Matthæi 27.

Confirmatur.

Ioan. 13. *Matth.* 27.

Ref-

Fit obuiam vltimo.

51 Reſpondetur, negando antecedens intellectum de iudicio pleno, & perfectè deliberato, & ſimiliter de voluntate plenè libera. Et ad exẽplum ibidem allatum reſpondetur, nec iudiciũ, nec voluntatẽ illam habitam ab Angelis in primo inſtanti fuiſſe plenè, & omninò liberam: quia in eo inſtanti non amauerunt vltimũ finem cum libertate, tam quoad exercitium, quàm quoad ſpecificationem: & propterea in illo peccare non potuerunt.

Adde, Angelum in primo inſtanti liberè modo dicto operari, & omnes circunſtantias cognoſcere: poſſe tamen mutare dictamen, quia mutat modum operandi: ex eo quòd antea ſolùm mouebatur à Deo, licèt liberè, poſteà mouetur à ſe, & liberè, & deliberatè, & ita eſt locus mutandi dictaminis: quitamẽ non adeſt, poſtquam habetur iſta deliberatio plena in ſecundo inſtanti: quia iam non reſtat alius modus operandi, licèt plures reſtent operationes.

Corruit cõfirmatio.

Ad confirmationẽ reſpondetur, iudicium illud, quod primò habuit Dæmon circa mortem Chriſti, nõ fuiſſe omninò deliberatũ: ſed (vt ſic dicamus) tentatorium: & propterea nõ mirum, quòd illud potuerit retractare. Sicut etiam integrum fuit ei flecti ab illo ſecundo iudicio, quia ſimiliter fuit tentatorium, & nõ omninò plenum, & perfectum. Quæ ſolutio, vnà cũ præcedenti, deſumpta eſt ex Caietano in præſenti, & ex alijs S. Doctoris diſcipulis.

Caietanus

Obiectio cõtra ſolut. vltimi.

Vazquez

Suarez.

52 Cæterũ vtraque ſolutio diſplicet aduerſarijs, & peculiariter Gabrieli Vazquez, & Suarez. Vnde Vazquez ſic cõtra priorem inſurgit. Quoniã non eſt cur iudiciũ illud, quod Angeli habuerunt in primo inſtanti, non fuerit omninò plenũ, omninoque deliberatum: quia ſi quid illi potuit deeſſe in ſententia Thomiſtarũ, ſolum fuit, Angelum non habuiſſe in illo inſtãti libertatẽ quoad ſpecificationẽ, quatenus per hoc ſignificatur, nõ potuiſſe tunc peccare: at ad plenã libertatem hoc non deſideratur, & propterea Deus eſt pleniſsimæ, & perfectiſsimæ libertatis, non obſtante quòd ſit impeccabilis: quod idem in Chriſto Domino etiam cernitur.

Obiectio cõtra ſolut. cõfirm.

Deinde contra ſecundam ſolutionem arguit. Tum inquirendo, vnde colligat Caietanus, iudiciũ illud Dæmonis circa mortẽ Chriſti non fuiſſe omninò plenũ? Tum etiam iterùm inquirẽdo, quidnã requiratur ad hoc, vt aliquod iudiciũ ſit omninò plenũ? an nimirũ, quod habeat tantã deliberationẽ, quanta requiritur ad peccatum mortale? an quod non procedat ex aliqua inconſideratione? an tandẽ (addimus & nos) quod ſit omninò liberũ? Si primum: ergo prædictum iudicium Dæmonis fuit plenum: ſiquidem fuit peccatum lethale, & grauiſsimum. Si ſecundum: ergo Angelus in ſuo primo peccato non habuit iudicium omninò plenum: ſiquidem in ſententia D. Thomæ, & diſcipulorum eius, iudicium illud fuit inconſideratum, & cum carentia debitæ cõſiderationis. Si tandẽ tertiũ: ergo prædictum iudicium fuit omninò plenũ: quippe quod fuit liberum omninò, tam quoad exercitium, quàm quoad ſpecificationem.

D. Thom.

Fit fariſ priori obiectioni.

53 Reſpondetur ad primam ex his obiectionibus, tum primò, quòd eſt probabile (ſaltem in viatore iuxta cõmunem curſum) requiri ad plenum iudicium, quòd procedat ex voluntate omninò libera, tam quoad exercitiũ, quàm quoad ſpecificationem, ita vt voluntas illa poſsit liberè inter bonum, & malũ verſari: & ideò inſtantiæ adductæ de Deo, & Chriſto Domino, qui miraculoſè fuit viator, non vrgent. Tum etiam requiri ad iudicium omninò plenum, quod procedat à voluntate ſe ipſam mouente, non vero mota ab alio per ſpecialem applicationem Dei, vt cauſæ particularis. At voluntas Angelica in primo inſtanti, non illo, ſed hoc poſteriori modo mouetur, ſecùs verò in ſecundo, & poſteriori inſtanti viæ: & ideò in priori inſtanti non habuit iudicium plenè omninò liberũ.

Occurritur ſecundæ.

Ad ſecundam verò obiectionem contra ſolutionem confirmationis dicendum eſt, ad primum ex illis quæſitis conſtare, Angelum non habuiſſe plenum iudicium circa mortem Chriſti, dum illam procurandam ſuaſit Iudę. Quia obiectum illud, circa quod verſabatur tale iudicium, ſcilicet mors Chriſti, erat illi naturaliter ignotum: non enim ſciebat, Chriſtum eſſe verum Dei Filium; ſed id ſuſpicabatur, & cum formidine iudicabat: quamuis ex alia parte non deeſſent ei rationes, & coniecturę ad oppoſitum. Et ideò, vt ſe ab illo, & à damnis, quæ per eundem ipſi accreſcebant, liberaret, ſuaſit eius mortem. Poſteà verò ex aliquibus alijs indicijs iudicauit, non eſſe ſibi conueniens, prædictam mortem ei procurare: & idcircò ſuaſit oppoſitum media vxore Pilati.

54. Ad ſecundum verò quæſitum conſtat ex dictis, non ſat eſſe ad iudicium plenũ, quòd ſit talis conditionis, vt ſufficiat ad lethale, ſed requiri duo illa, quæ ſuprà n. 30. diximus. Primum eſt, quod ſit in poteſtate proxima, & omnino expedita Angeli, cognoſcere illud obiectum perfectè, & in ſuis principijs: quod tamen non habuit Dæmon: ſiquidem obiectum illud inuoluebat aliquid ſupernaturale, reſpectu cuius nõ erat in Dæmone prædicta poteſtas ad illud plenè cognoſcendum in ſuis principijs: ſiquidem non habebat principia ſupernatura alia, in quibus certò, & plenè illud attingeret: ac proinde defectus illius cognitionis non fuit illi plenè liber, nec circa illam ſic ſe habuit iuxta communem exiſtimationem, ac ſi expreſſè eſſet in eo prędicta cognitio. Secundũ eſt, quòd cognitio de obiecto expreſsè cognito fuerit reſolutoria,

lutoria, & omninò certa, non verò tentatoria, dubia, & formidolosa cuius oppositum in illo iudicio euenit. Per quod ad alia quæsita constat. Quia primum peccatum Angeli patratum fuit cum prædictis conditionibus, vt ex dictis in hoc dubio num. citato constat. Et tandem, quia his conditionibus deficientibus, non satest, quòd iudicium procedat ex voluntate libera, tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem.

DVBIVM II.

Vtrùm Dæmones, non obstante quòd sint obstinati in suo primo peccato, possint nihilominùs aliquod bonum opus ex omni capite tale patrare?

55 SEMEL explicata obstinatione Dæmonum, & quomodo in peccatis semel patratis sint ex natura sua inflexibiles, restat explicare, an hæc inflexibilitas sit tanta, vt nequeant vel minimum aliquod opus bonum ex omni capite tale patrare? Diximus, *ex omni capite tale* Quia non negamus, quin sit eis integrum efficere aliquod opus bonum ex genere suo tale, licèt vitiatum aliqua circunstãtia: sed an possint elicere aliquem actum ex omni capite bonum, ac proinde non vitiatum aliqua mala circunstantia?

§. I. *Decisio dubij, & ratio illius ex mente D. Thomæ.*

Decisio dubij. 56 DIcendum ergo est, obstinationem Dæmonum esse tantam, vt nullum opus moraliter bonum ex omni capite efficere possint: sed, si aliquando efficiunt aliquod opus ex genere suo moraliter bonum, semper illud ex adiuncta circunstantia mala ab eisdem vitiari. Ita D. Thomas art. 2. huius quæst. in solutione ad 5. his verbis: *Dicendum, quòd actus Dæmonis est duplex. Quidam scilicet ex voluntate deliberata procedens, & is propriè potest dici actus eius: & talis actus Dæmonis semper est malus. Quia, etsi aliquando aliquod bonum faciat, non tamẽ benefacit: sicut dum veritatẽ dicit, vt decipiat, & dum non voluntariè credit, & confitetur, sed rerum euidentia coactus.*

D. Thom.

Idem etiam docuit quæst. 16. de Dæmonibus art. 5. vbi loquens de Dæmonibus, sic concludit: *Et ideò, quamuis diuersa eligant per liberum arbitrium, in omnibus tamen peccant: quia in omni eorum electione permanet vis primæ electionis ipsorum.* Et in 2. dist. 7. quæst. 1. art. 2. vbi, vt ostendat, Dæmones non posse bonum facere, sic inquit: *Impossibile est, à voluntate inconuertibiliter peruerso fini aliquod rectum opus prouenire.* Constat autem ex eodem Angelico Præceptore, Dæmonem adhærere inconuertibiliter malo fini. Vnde sententiam hanc tuentur discipuli D. Thomæ, Capreolus in 2. distinct. 7. quæst. 1. Ferrara 4. contra Gentes cap. 95. Caietanus super articulum 2. huius quæst. Nazarius ibidem controuersia 2. Bañez, Ripa, & communiter alij Iuniores ex eadem Schola. Et tandem pro hac eadem sententia, quatenus denegat Dæmonibus bonum aliquod opus ex omni capite moraliter bonum, tuentur communiter Scholastici, ex quibus non paucos refert Vazquez in præsenti disput. 239.

Idem Angel. Præceptor. Capreol. Ferrara. Caietanus Nazarius Bañez. Ripa. Vazquez.

57 Ratio autem fundamentalis prædictæ assertionis tacta est à D. Thoma locis citatis, potestque sub hac forma proponi. Quoniam Dæmones solùm possunt elicere actus verè circa finem peruersum, cui semel adhæserunt, continuando adhæsionem malam in illo, vel circa alia obiecta: at quiuis ex his actibus, siue versantibus circa prædictum finem, siue circa cætera alia obiecta, sunt in illis moraliter mali. Primi quidem, quia versantur circa finem peruersè volitum: secundi verò, quia procedunt ex praua illa electione peruersi finis. Nam sicut in conclusionibus deductis ex suis primis principijs participatur, & elucet vis, & lumen illorum principiorum: ita peruersitas vltimi finis debet elucere, & participari in volitionibus aliorum obiectorum: quia vltimus finis habet se in rebus operabilibus, sicut prima principia speculatiua in conclusionibus speculabilibus. Et propterea, quia beatitudo, siue bonum in communi est finis vltimus voluntatis, oportet, vt volitio illius participetur in quauis volitione boni particularis, quod quidem ideò amatur, quia est pars illius boni in communi, siue quia aliquo modo conducit ad prædictam beatitudinem.

Ratio fundamentalis D. Thom.

§. II. *Euasiones aduersariorum ad rationem D. Thomæ, & earum præclusio.*

58 CÆterùm hæc ratio D. Thomæ, & discipulorum eius displicet Gabrieli Vazquez in præsenti, & alijs ex aduersarijs: & ideò ad illam dicunt. Tum, quòd si aliquid probaret, conuinceret vtique, quemuis hominem viatorem existentem in peccato mortali,

Impugnat. prime Vazquez hanc rationem.

mortali, non poſſe, dum in eo eſt, efficere aliquod opus ex omni capite moraliter bonum: quoniam iſte habet pro vltimo fine creaturam, atque adeò finem peruerſum: & ita in eo videtur procedere ratio D. Thomæ, ſi ſemel in Angelis procedit: ſiquidem omnes actus prędicti viatoris, quandiu peccator eſt, debent eſſe, vel circa illum vltimum finem, vel circa alia obiecta: & illi priores ſunt ex ſe mali: & poſteriores deberent etiam participare malitiã vltimi, & peruerſi finis, ſi ſemel actus Dæmonum illam participant. Tum etiam.

Secundo. Quia ad hoc, vt aliquis actus participet malitiam finis, non eſt ſatis, vt ſit ibidem concomitanter: ſed opus eſt, vt cauſetur aliquo modo ex fine prævolito: at non eſt neceſſe, vt omnes actus habiti à Dæmonibus, cauſentur ex voluntate illa priori, & peruerſa mali finis, vt in nobis cernitur, quantumuis ſimus ad malum finem vltimum conuerſi. Tum denique.

Vltimo. Quia id, quod de volitione alicuius boni particularis, in qua tranſcenditur ratio boni in communi, in hac ratione affertur, non videtur ita eſſe ad rem. Quia nec neceſſe eſt, ad volitionem boni alicuius in particulari præcedere volitionem boni in communi: nec dato hanc præceſsiſſe, oportet, vt volitio altera boni particularis ex illa priori volitione procedat.

Enucleatur præcedens ratio. D. Thom. 59 Cæterùm hæc non infringunt vim rationis D. Thomæ: quin potiùs ex ſola aliquali expenſione illius corruunt. Quoniam Angelicus Præceptor non de quauis volitione vltimi, & peruerſi finis, ſed de adhæſione inconuertibili, ſeu de eo, qui inconuertibiliter illi adhæret, loquitur. Nam in iſto quiuis actus voluntatis debet eſſe, vel prauus amor, prauaque adhæſio immediatè verſans circa illum finem, vel debet eſſe in illo aliqua participatio prædicti finis. Nam ſicut impoſsibile eſt, aliquem eſſe inconuertibiliter adhærentem vltimo fini bono, & quòd quiuis actus illius non ſit bonus, vel non ſit volitio talis finis, aut participatio prædictæ volitionis: ita impoſsibile eſt, aliquem inconuertibiliter adhærere vltimo fini peruerſo, & quòd eliciat aliquem actum ex omni capite moraliter bonum, ſiue quòd habeat aliquem actum, qui non ſit, vel formalis dilectio prędicti finis, vel in eo non participetur aliquid de prædicto fine.

D. Thom. Quæ probatio, & expenſio prædictæ rationis D. Thomæ deſumitur ex eodem in 2. diſt. 7. q. 1. art. 2. his verbis: *Dicendum eſt ergo, quòd ſicut impoſsibile eſt, à voluntate indeclinabiliter adhærente recto fini procedere opus peccati: ita è contrario impoſsibile eſt, à voluntate adhærente inconuertibiliter peruerſo fini aliquod rectum opus prouenire.*

Confirm. 1. 60 Confirmatur primò. Nam hoc ipſo, quòd Dæmon inflexibiliter adhęreat peruerſo fini vltimo, adhæret illi, nõ vtcumque, ſed vt ſtatim exiſtens in termino: ergo ita adhæret illi, vt nequeat aliquod opus vndequaque moraliter bonum efficere: ac proinde ita vt quiuis actus illius, vel ſit affectio ad talem finem, vel participet aliquid de illa. Antecedens eſt perſpicuum ex his, quæ dubio præcedenti diximus. Prima verò conſequentia ex antecedenti apertè deducitur. Quoniam creaturæ intellectuali inflexibiliter adhærenti fini vltimo peruerſo, & quæ eſt talis conditionis, vt poſt hanc adhæſionem, quippe inflexibilem ex natura ſua, exigat eſſe ſtatim in termino, oportet, vt denegentur omnia auxilia, per quæ poſſunt fieri actus vndequaque boni, quibus aliquomodo conſtituitur in via ad vltimum finem bonum, alioqui non conſtitueretur omninò in termino. Ergo ſicut ratione ſuæ naturæ exigit eſſe ſtatim in termino, vt dubio præcedenti dicebamus, & ſimiliter ei denegari prædicta auxilia: ita etiam ex natura ſua habebit, vt nequeat, dum eſt in termino, elicere aliquod opus vndequaque moraliter bonum. Ex quo etiam ſecunda conſequentia liquet. Quoniam ſi ratione illius prauæ adhæſionis, & inflexibilis reſpectu vltimi finis, nequit efficere aliquod opus vndequaque bonum, non poterit id prouenire, niſi vel ex eo, quòd quiuis actus eius debet eſſe vel dilectio talis finis, vel participatio illius: quia non aliter prædictus finis queit omnes actus Dæmonis vitiare.

Quæ probatio, & maior elucidatio rationis D. Thomæ ſumitur ex eodem q. 16. de Dæmonibus art. 5. vbi poſt quã dixit, & oſtẽdit Angelum ex natura ſua, & ab intrinſeco eſſe inflexibilem poſt electionem, addidit: *Ex parte verò extrinſeca immutabiles ſunt, vel in bono, vel in malo poſt primam electionem: quia tunc finitur in eis ſtatus viatoris. Vnde non pertinet ad rationem diuinæ ſapientiæ, vt vlteriùs Dæmonibus gratia infundatur, per quam reuocentur à malo primæ auerſionis, in qua immobiliter perſeuerant. Et ideò quamuis diuerſa eligant per liberum arbitrium, in omnibus tamen peccant: quia in omni eorum electione permanet vis primæ electionis ipſorum.* **D. Thomæ**

Confirm. 2. 61 Confirmatur ſecundò. Quoniam hoc ipſo, quòd Dæmon adhæreat indeclinabiliter vltimo fini peruerſo, illa adhæſio quodammodò vertitur in naturam Angeli. Et ideò oportet, vt ſicut in quouis actu Angelico debet quodammodo ſplendere propria natura Angelica: ita etiam virtus prædictæ adhæſionis, atque adeò quiuis actus, vel erit ipſa adhęſio, ſiue volitio peruerſi finis, vel aliqua participatio illius.

Quæ confirmatio deprompta eſt ex D. Thoma q. 24. de Veritate art. 10. ad 3. Fietque vis eiuſdem probationis facilior intellectu, ſi animaduertatur, quòd hæc adhæſio inflexibi- **D. Thom.**

flexibilis ad prædictum finem, hoc ipso quòd quodammodò vertatur in naturam, no habet propriè rationem habitus respectu Angeli quo vtimur, cùm volumus, sed quodammodò rationem naturæ, quæ non potest non influere in quemuis actum: sicut de adhæsione fini vltimo, & recto, quæ est in termino viæ in bonis Angelis, aut in nobis hoc ipsum cum proportione dici debet.

Confirm.3. Confirmatur tertio Nam sicut obstinatio viæ, hoc ipso quòd talis, non est omninò cõsummata, & propterea cohærere potest, tum cum vertibilitate, tum cum aliquo opere bono: ita è contrà obstinatio in termino debet esse omninò consummata, & propterea nequit cum aliquo horum cohærere.

Ex dictis corruit impugnationes Vazquez. 62 Ex quibus satis manent solutæ impugnationes ex Vazquez adductæ. Prima quidem, propter discrimen iam explicatum inter adhæsionem Angeli inflexibilem respectu vltimi finis præui, & adhæsionem hominis viatoris flexibilem respectu prædicti finis. Secunda verò, Quia, vt ex dictis constat, hæc necessitas operandi in quauis operatione defectuosè, per se sequitur ex illa priori, & praua adhæsione Angeli respectu finis peruersi, & vltimi. Tertia tandem. Tum, quia *D.Thom.* iuxta D. Thomam volitio boni in communi præcedit volitionem bonorum particularium, vt constat ex illis, quæ S. Doctor docet 1.2.q.9.art.6. in solutione ad vltimum: & ita vis illius prioris volitionis boni in communi participatur in alijs volitionibus bonorum particularium. Tum etiam. Quia esto prædicta volitio non præcederet, adhuc tamen in quauis volitione boni particularis virtualiter includeretur volitio boni in communi: & hoc non ob aliud, nisi quia bonum in communi est obiectum adæquatum voluntatis. Quare, cùm peruersus ille finis, cui indeclinabiliter adhæret voluntas in termino, habeat se ad instar obiecti adæquati propter rationes dictas: inde est, vt etiam in quauis volitione Dæmonis debeat includi, vel quòd sit ipsa adhæsio prædicti finis, vel participatio illius, ac proinde quodammodò includens amorem prædicti finis.

§. III. *Obiectiones contra dicta in elucidatione rationis D. Thomæ & earum solutiones.*

Prior obiectio. 63 NEC obest, si contra dicta pro assertione, & ratione D. Thomæ obijcias primò in ea supponi, Angelum peccasse per conuersionem ad malum finem: quod tamen est falsum: quia finis ab eo appetitus fuit bonus, nempe, propria beatitudo naturalis.

Diluitur. Respondetur, fuisse quidem materialiter bonum, non verò formaliter: quia fuit volitus ex parte modi volendi malè, & hic modus refunditur in obiectum volitum & reddit illud formaliter malum, quamuis alias sit materialiter bonum.

Secunda. 64 Neque obstat, si secundò obijcias, falsò etiam supponi in his, quæ diximus, Dæmonẽ persistere in suo primo peccato. Quia tale peccatum fuit amoris propriæ excellentiæ, non ordinando eam in finem supernaturalem, scilicet Deum super omnia dilectum: at peccatum hoc non perseuerat: ergo, &c. Minor probatur. Quia ad id desiderabatur, quòd nũc teneretur ad amandũ propriam excellentiam sub illa relatione, atque adeò ad amorẽ Dei authoris supernaturalis: ad quem tamen non tenetur modò, sed solùm in primo, & vltimo instanti viæ: sicut & nos non tenemur in alijs, maximè in singulis instantibus vitæ, ad istam relationem, & amorem.

Enodatur. Respondetur, negando minorem. Et ad probationem dicẽdum est, Angelũ teneri in primo, & vltimo instanti viæ ad illam relationem, & amorem Dei super omnia: & dum non apposuerit illam, semper teneri ad eandem apponendam: quia instans illud non præfigitur quasi id, in cuius honorem (vt sic dicamus) præcipitur illa conuersio, & amor propriæ excellentiæ sub illa mensura, seu quòd non ametur propria excellentia sine illa, sed præfigitur tamquam terminus, vltra quem non debet differri. Sicut etiam nos, dum in primo instanti non fuimus cõuersi ad Deum, non excusamur protinus ab illa obligatione; sed debemus, quam primùm possimus, illam habere.

Explicatur exemplo. Potestque hoc explicari exemplo eius, qui non ob honorem diei, sed modo nuper dicto vouet eleemosynam dandam tali die, qui non ideò tranfacto illo die liber est à debito illam largiendi. Quæ solutio defumitur ex D. Thoma quæst. 16. de Dæmonibus art. *D. Thom.* 5. ad vndecimum.

§. IIII. *Sententia aduersariorum, fundamenta, & responsa ad illa.*

Oppositæ sententia. 65 OPpositam tamen sententiam, nempe, Dæmones non esse ita obstinatos in malo, vt non possint elicere aliquod opus morale ex omni capite bonum, tuentur Scotus *Scotus.* in 2.dist.7 q.1. Valentia in præsenti q.15.pũ *Valentia.* cto 2. & tandem omnes illi, quos pro contraria sententia dubio præcedenti retulimus. Nã cùm prædicti Doctores teneant, nullam Angelis ineſſe causam inflexibilitatis & obstinationis ab intrinseco, docent etiam, Angelum in sua natura conũderatum, post quodcũque peccatũ posse, quantum est ex parte suæ potentiæ, bonos actus morales exercere.

Primũ fundamentum. Probatur primo. Quoniam efficere aliquod opus moraliter bonum, & ordinis naturalis, non excedit facultatem liberi arbitrij Angelici: quia naturalia per manserunt in illo

in illo integra, & ante peccatum poterat aliquod opus moraliter bonum efficere: ergo &c.

Cornit. Respondetur, opus moraliter bonum non excedere facultatem naturalem arbitrij Angelici secundùm se spectatam; secus verò vt post prauam electionem peruersi finis quodammodo transeunt in naturam prædictæ electionis, & talis electio quodammodo conuersa est in naturam eorundem. Ad illud autem de integritate Angelorum quoad naturalia dicendum est ex D. *D. Thom.* Thoma q. 16. de Dæmonibus. art. 5. ad 1. *quòd bona naturalia in Angelis sunt integra, quantum pertinet ad naturæ ordinem: sunt tamen corrupta, vel depranata, seu diminuta per comparationem ad capacitatẽ gratiæ, vel gloriæ*: & perconsequens per collationem boni moralis. Et propterea illi actus, qui in Dæmonibus sunt naturales, vt cognitio naturalis Dei, & dilectio ipsius, si considerentur, vt antecedunt omnem libertatem voluntatis, sunt boni bonitate dumtaxat naturali, non verò morali. Quòd si prædicti actus ex voluntate Dæmonis ingrediantur ordinem moralem, & referantur in finem, tunc referentur in prauum finem, & efficientur mali moraliter, eisque (vt docet D. Thomas in hoc articulo in solutione ad vltimum) Dæmones ãbutentur. *D. Thom.*

Secundum. 66 Secundò probatur eadem sententia. Quia alioqui Dæmones non manebunt liberi, quippe non manentes cum indifferentia ad malum, & ad bonum.

Euertitur. Respondetur ex dictis dubio præcedenti, negando sequelam. Nam, vt ex D. Thoma *D. Thom.* ibidem diximus, ad libertatem non est necesse, vt post electionem peruersi finis sint indifferentes ad malum, & ad bonum, sed satis est indifferentia ad diuersa mala, seruato ordine ad eundem finem. Sicut è contrà in beatis non requiritur ad libertatem eorundem indifferentia ad bonum, & ad malum, sed sufficit indifferentia ad diuersa bona, seruato ordine ad eundem finem.

Tertium. 67 Tertio probatur eadem sententia ex Valentia. Quia non apparet ratio, cur damnati non possint patrare aliquod opus vndequaque bonum moraliter. Vnde de illis di- *Sapient. 5* citur Sapientiæ. 5. *Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes.* Hic autem actus non est cur in illis non sit bonus, & cur debeat coinquinari mala aliqua circunstantia.

Fit obuiam Respondetur, redditam esse à D. Thoma sufficientem rationem, cur omnes actus damnatorum debeant esse coinquinati. *Sapient. 5* Ad illud autem ex Sapientiæ. 5. dicendum est, ibi non fieri sermonem de pœnitentia vndequaque moraliter bona, sed de pœnitentia coinquinata aliqua mala circũstantia, scilicet inuidia salutis electorum. Et propterea subdit sacer textus: *Dicentes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.*

68 Vltimo probatur prædicta sententia ex eodem Valentia. Quoniam ratione **Vltimum.** status damnationis non habet damnatus aliquid, nisi aut ex diuina voluntate, aut quia æterna pœna cruciatur, aut quia semper cogitat de illa, estque perpetuò conuersus ad suum finem malum: at ex nullo horum capitum debet damnatus esse determinatus ad hoc, vt si quod velit obiectum, amplectatur illud, aut respuat ipsum ex mala aliqua circunstantia: ergo sicut viatores conuersi ad finẽ vltimum prauum, possunt efficere bonum aliquod opus morale non vitiatum, ita & damnati: & consequenter idem etiam poterunt Dæmones.

Minor quoad primam partem de diuina voluntate liquet: quia ipsa nequit esse causa mali. Quoad secundam verò, nimirum, id non prouenire ex eo, quòd perpetuò cruciantur, perpetuoque de suis cruciatibus cogitãt, etiam constat: cùm cruciatus isti, & continua recogitatio de illis possit eosdem mouere ad dolendũ de causa eorum, qui sic actus est per se bonus moraliter. Quoad tertiam verò, & vltimam de vltimo fine peruerso, quod perpetuò amant, patet ex eo, quòd potest damnatus animaduertere, se posse quosdam actus exercere, nullam cum illo vltimo fine connexionem habentes, ad quem ipse per peccatũ se conuertit: vtputa, si aliquis sit damnatus per peccatum auaritiæ, & sit perpetuò cõuersus ad pecunias, tanquam ad vltimum finem, nõ apparet, cur dolens de hoc peccato, quatenus fuit ei causa damnationis, referre debeat hunc actum doloris ad pecunias, tanquam medium ad finem. **Enodatur.**

Respondetur, quòd transeat maior, & negetur minor, saltem quoad vltimam partem in illa virtualiter contentam: sufficit enim, damnatum esse indeclinabiliter conuersum ad finem vltimum peruersum, vt ex dictis constat. Et ad probationem in contrarium dicendum est, damnatum propter peccatum auaritiæ, ac proinde propter conuersionem eius ad pecunias, vt ad vltimum finem, ita permanere affectum ad eas, vt adhuc in illo statu sit ad eas inordinatè affectus, easque concupiscat sub ea conditione, nimirum, si posset tunc eas habere, eisque frui. Vnde dolet de illa pœna propter peccatum illud ei inflicta, quia tollit ab eo quietem, & veluti pacificum illum affectum circa diuitias.

ARTICVLVS III.

Vtrùm dolor ſit in Dæmonibus?

2. D. 5 q. 1. ar. 2 cor. Et ver. q 24. art. 1 cõ. Et q. 26. art. 1. ad 5. Et art. 8. cor. principio & ad 5

AD Tertium ſic proceditur. Videtur, quòd dolor non ſit in Dæmonibus. Cùm enim dolor, & gaudium opponantur, non poſſunt eſſe ſimul in eodem. Sed in Dæmonibus eſt gaudium. Dicit enim Auguſtinus * contra Manichæos: Diabolus poteſtatem habet in eos, qui Dei præcepta contemnunt, & de hac tam infœlici poteſtate lætatur. Ergo in Dæmonibus non eſt dolor.

† Libr. 2. de Gen. cont. Manichę c. 17 circa medium to. 1.

¶ 2 Prætereà. Dolor eſt cauſa timoris. De his enim timemus, dum futura ſunt, de quibus dolemus, dum præſentia ſunt. Sed in Dæmonibus non eſt timor, ſecundùm illud Iob 16. Factus eſt, vt nullum timeret. Ergo in Dæmonibus non eſt dolor.

¶ 3 Prætereà. Dolere de malo, eſt bonum. Sed Dæmones non poſſunt benefacere. Ergo non poſſunt dolere, adminùs de malo culpæ, quod pertinet ad vermen conſcientiæ.

SED contra eſt, quôd peccatum Dæmonis eſt grauius, quàm peccatum hominis. Sed homo punitur dolore pro delectatione peccati, ſecundùm illud Apocalypſis 18. Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum, & luctum. Ergo multò magis diabolus, qui maximè ſe glorificauit, punitur doloris luctu.

RESPONDEO dicẽdum, quòd timor, dolor, gaudiũ, & huiuſmodi, ſecũdùm quôd ſunt paſſiones, in Dęmonibus eſſe nõ poſſunt: ſic enim ſunt propriæ appetitus ſenſitiui, qui eſt virtus in organo corporali. Sed ſecundùm quòd nominant ſimplices actus voluntatis, ſic poſſunt eſſe in Dæmonibus. Et neceſſe eſt dicere, quòd in eis ſit dolor: quia dolor, ſecundùm quôd ſignificat ſimplicẽ actum voluntatis, nihil eſt aliud, quàm reniſus voluntatis ad id, quod eſt, vel non eſt. Patet autem, quod Dæmones multa vellent non eſſe, quæ ſunt, & eſſe, quæ nõ ſunt. Vellent enim, cùm ſint inuidi, damnari eos, qui ſaluantur: vnde oportet dicere, quòd in eis ſit dolor: & præcipue, quia de ratione pœnæ eſt, quôd voluntati repugnet: priuantur etiam beatitudine, quam naturaliter appetunt, & in multis eorum iniqua voluntas cohibetur.

Ad primum ergo dicendum, quôd gaudium, & dolor de eodem, ſunt oppoſita, non autem de diuerſis. Vnde nihil prohibet, vnum ſimul dolere de vno, & gaudere de alio: & maximè, ſecundùm quòd dolor, & gaudium important ſimplices voluntatis actus: quia non ſolùm in diuerſis: ſed etiam in vna & eadem re poteſt eſſe aliquid, quod volumus, & aliquid, quod nolumus.

Ad ſe-

Ad ſecundum dicẽdum, quòd ſicut in Dæmonibus eſt dolor de præſenti, ita & timor de futuro. Quod autem dicitur, Factus eſt, vt nullum timeret, intelligitur de timore Dei cohibente à peccato. Alibi namque ſcriptum eſt, quôd Dæmones credunt, & contremiſcunt.

Ad tertium dicendum, quòd dolere de malo culpæ propter ſe, atteſtatur voluntatis bonitati, cui malum culpæ opponitur. Dolere autem de malo pœnæ, vel de malo culpæ propter pœnam, atteſtatur bonitati naturæ, cui malum pœnæ opponitur. Vnde Auguſtinus dicit 19. de Ciuitate Dei, * quòd dolor amiſſi boni in ſupplicio, teſtis eſt naturæ bonæ. Dæmon ergo, cùm peruerſæ ſit voluntatis, & obſtinatæ, de malo culpæ non dolet.

† Lib. 19 c. 13. poſtmedium to. 5.

Prima concluſio.

Timor, dolor, & gaudium, ſecundùm quòd ſunt paſsiones, in Dæmonibus eſſe non poſſunt.

Secunda concluſio.

Timor, dolor &c. ſecundùm quòd nominant ſimplices actus voluntatis, queunt eſſe in illis. Et neceſſe eſt dicere, eſſe in eis dolorem.

Animaduerſio circa hunc articulum.

D. Thom.

1 CIrca primam concluſionem notandum eſt, eam optima ratione probari à D. Thoma, nempe, quia prædicti actus, vt ſunt paſsiones, ſunt proprij appetitus ſenſitiui, qui non eſt in Angelis: ex eo quòd talis appetitus eſt forma exiſtens in organo corporeo, & ab eo pendens; cum tamen id Angelo nequeat competere, vt ex dictis in quæſt. 50. conſtat.

2 Circa ſecundam concluſionem aduertendum eſt, eam optimè etiam probari à D. Thoma quoad actum doloris, tum quia dolor, ſecundùm quòd eſt actus voluntatis, nihil eſt aliud, quàm reniſus voluntatis ad id, quod eſt, vel non eſt: at Dæmones multa vellent eſſe, quæ non ſunt, & multa vellent non eſſe, quæ ſunt, vt ex ſe conſtat. Tum etiam. Quia pœnam patiuntur, de cuius ratione eſt, vt voluntati per ſe loquendo repugnet. Tum deinde, quia priuantur beatitudine, quod illis maximum ingerit dolorem. Tum denique. Quia in multis eorum iniqua voluntas cohibetur. Ex quo etiam quoad gaudium eadem concluſio, proportione ſeruata, manet oſtenſa.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm aêr iſte ſit locus pœnalis Dæmonum?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quôd aer iſte non ſit locus pœnalis Dæmon. Dæmon enim eſt naturę ſpiritualis. Natura autem ſpiritualis non afficitur loco. Ergo nullus locus eſt Dæmonibus pœnalis. 4 diſt. 47 q. 1. ar. 3. cor. & 2d 4. Et diſt. 47 q 1. artic. 3. q. 4. ad 2.

¶ 2. Præterea. Peccatum hominis non eſt grauius, quam peccatum Dæmonis. Sed locus pœnalis hominis eſt infernus. Ergo multô magis Dæmonis. Ergo non aer caliginoſus.

¶ 3. Præterea. Dæmones puniuntur pœna ignis. Sed in aere caliginoſo non eſt ignis. Ergo aer caliginoſus non eſt locus pœnæ Dæmonum.

SED contra eſt, quod Auguſtinus dicit 3. ſuper Geneſ. ad litteram * quòd aer caliginoſus eſt quaſi carcer Dæmonibus vſque ad tempus iudicij. † Lib. 3. ſuper Geneſ. c. 10 á medio tom. 3.

RESPONDEO dicẽdum, quod Angeli ſecũdùm ſuã naturã medij ſunt inter Deũ, & homines. Habet autẽ hoc diuinę pro-

uidentiæ ratio, quòd inferiorum bonum per ſuperiora procuretur. Bonum autem hominis dupliciter procuratur per diuinã prouidentiam. Vno modo directè, dum ſcilicet aliquis inducitur ad bonum, & retrahitur a malo, & hoc decenter fit per Angelos bonos. Alio modo indirectè, dum ſcilicet aliquis exercetur impugnatus per impugnationem contrarij: & hanc procurationem boni humani, conueniens fuit, per malos Angelos fieri, ne totaliter poſt peccatum ab vtilitate naturalis ordinis exciderent. Sic ergo Dæmonibus duplex locus pœnalis debetur. Vnus quidem ratione ſuæ culpæ, & hic eſt infernus: alius autem ratione exercitationis humanæ, & ſic debetur eis caliginoſus aer. Procuratio autem ſalutis humanæ protenditur vſque ad diem iudicij. Vnde & vſque tunc durat miniſterium Angelorum, & exercitatio Dæmonum. Vndè, & vſque tunc, & boni Angeli ad nos huc mittuntur, & Dæmones in hoc aere caliginoſo ſunt ad noſtrum exercitium: licet eorum aliqui etiam nunc in inferno ſint ad torquendum eos, quos ad malum induxerunt, ſicut & aliqui boni Angeli ſunt cum animabus ſanctis in cœlo. Sed poſt diem iudicij omnes mali, tam homines, quàm Angeli, in inferno erunt, boni verò in cœlo.

Ad primum ergo dicendum, quòd locus non eſt pœnalis Angelo, aut animæ, quaſi afficiens alterando naturam, ſed quaſi afficiens, voluntatem contriſtando, dum Angelus, vel anima apprehendit ſe eſſe in loco non conuenienti ſuæ voluntati.

Ad ſecundum dicendum, quòd anima ſecundùm ordinem naturæ non præfertur alteri animæ, ſicut Dæmones ordine naturæ præferuntur hominibus: vnde non eſt ſimilis ratio.

Ad tertium dicendum, quòd aliqui dixerunt, vſque ad diem iudicij differri pœnam ſenſibilem, tam Dæmonum, quàm animarum, & ſimiliter beatitudinem Sanctorum differri vſque ad diem iudicij. Quod eſt erroneum, & repugnans Apoſtoli ſententiæ, qui dicit 2. Corinthiorum 5. Si terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, domum habemus in cœlo. Alij verò, licèt hoc non concedant de animabus, concedunt tamen de Dæmonibus. Sed melius eſt dicendum, quòd idem iudicium ſit de malis animabus, & malis Angelis: ſicut idem iudicium eſt de bonis animabus, & bonis Angelis. Vnde dicendum eſt, quòd ſicut locus cœleſtis pertinet ad gloriam Angelorum, tamen gloria eorum non minuitur, cùm ad nos veniunt, quia conſiderant illum locum eſſe ſuum: eo modo, quo dicimus, honorem Epiſcopi non minui, dum actu non ſedet in cathedra: ſimiliter dicendum eſt, quòd Dæmones, licèt non actu alligentur gehennali igni, dum ſunt in aere iſto ca-

iſto caliginiſo, tamen ex hoc ipſo quôd ſciunt, illam alligationem ſibi deberi, eorum pœna non diminuitur. Vnde dicitur in quadam Gloſſa * Iacobi 3. quòd portant ſecum ignem gehennę, quocumque vadant. Nec eſt contra hoc, quòd rogauerũt Dominum, vt non mitteret eos in abyſſum, vt dicitur Lucæ 8. quia hoc petierunt, reputantes ſibi pœnam, ſi excluderentur à loco, in quo poſſunt hominibus nocere. Vnde Matthæi 8. dicitur, quòd deprecabantur eum, ne expelleret eos extra regionem.

† In Gloſſa ordinaria ſuper illud, inflammat 10. tam.

Prima concluſio.

Locus pœnalis Dæmonum debitus eorum culpæ, eſt infernus.

Secunda concluſio.

Aer iſte caliginoſus eſt locus pœnalis Dæmonum, propter exercitium hominum, & pugnam in vita ſpirituali.

Tertia concluſio.

Multi Dæmones ſunt detenti in inferno propter cruciandas animas ibidem exiſtentes.

Quarta concluſio.

Poſt diem iudicij omnes deſcendent in infernum.

CIrca hunc articulum ſolet diſputari de modo, quo Dæmones crucientur in inferno ab igne. Cæterùm quia circa hoc iam diximus ſuprà q. 52. dum de modo, quo ſunt in loco violento, & per paſsionem egimus: idirco quoad hoc, quæ ibidẽ adduximus, ſufficiant.

QVAESTIO CVI. QVOMODO vna creatura moueat aliam? Vbi de illuminatione Angelorum.

PROOEMIVM.

DEINDE Conſiderandum eſt, quomodo vna creatura moueat aliam. Erit autem hæc conſideratio tripartita, vt primò conſideremus, quomodo Angeli moueãt, qui ſunt creaturæ purè ſpirituales. Secundò, quomodo corpora moueat. Tertiò, quomodo homines, qui ſunt ex ſpiriruali, & corporali natura compoſiti.

¶ Circa primum tria conſideranda occurrunt. Primô, quomodo Angelus agat in Angelum. Secundô, quomodo in creaturam corporalem. Tertiò, quomodo in homines.

¶ Circa primum conſiderare oportet de illuminatione, & locutione Angelorum, & ordinatione eorum ad inuicem, tam bonorum, quàm malorum.

QVia ad completam huius tractatus de Angelis explicationem videbatur deſiderari, vt aliqua de illuminatione, & locutione eorundem adijceremus, idcirco expoſitionem eorum, quæ in quæſtionibus 106. & 107. D. Thomas docuit, addere placuit, vt ita diſcutiendo cum ipſo ea, quæ ipſe in prædictis quæſtionibus dixit, tractatus iſte vberior, & perfectior maneat,

ARTICVLVS I.

Vtrùm vnus Angelus illuminet alium?

2 Diſt. 9. ar. 2. Et diſt. 11 q. 2. artic. 1. Et verit. q 9. art. 1. Et 1. Cor. 13.

AD Primum ſic proceditur. Videtur, quòd vnus Angelus non illuminet alium. Angeli enim eandem beatitudinem poſſident nunc, quam nos in futuro expectamus. Sed tunc vnus homo non illuminabit alium, ſecundùm illud Ierem. 31. Non docebit vltrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum. Ergo etiam nunc vnus Angelus non illuminat alium.

¶ 2 Præterea. Triplex eſt lumen in Angelis, naturæ, & gratiæ, & gloriæ. Sed Angelus illuminatur lumine naturæ à creante, lumine gratiæ à iuſtificante, lumine gloriæ à beatificãte, quod totum Dei eſt. Ergo vnus Angelus non illuminat alium.

¶ 3 Præterea. Lumen eſt formà quędam mentis. Sed mens rationalis à ſolo Deo formatur, nulla interpoſita creatura, vt Aug.* dicit in lib. 83. quæſt. Ergo vnus Angelus non illuminat mentem alterius.

Quæſt 51. nõ procul à fine, tom. 4.

SED contra eſt, quod dicit Dionyſ. * 8. cap. cœleſt. Hier. quôd Angeli ſecundæ hierarchię purgantur, & illuminãtur, & perficiuntur per Angelos primę hierarchiæ.

† Cap. 8. paſſ. ante medium, & c. 6. Eccl Hierarch.

RESPONDEO dicendũ, quôd vnus Angelus illuminat alium. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quôd lumen, ſecũdùm quòd ad intellectum pertinet, nihil eſt aliud, quàm quædam manifeſtatio veritatis, ſecũdùm illud ad Epheſ. 5. Omne, quod manifeſtatur, lumen eſt. Vnde illuminare nihil aliud eſt, quã manifeſtationem agnitæ veritatis alij tradere: ſecundùm quem modum Apoſtolus dicit ad Eph. 3. Mihi omnium Sãctorum minimo data eſt gratia, illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſcõditi à ſæculis in Deo. Sic igitur vnus Angelus dicitur illuminare alium, in quantum ei manifeſtat veritatem, quam ipſe cognoſcit. Vnde Dionyſ. * dicit 7. cap. cœleſt. Hier. quòd Theologi planè monſtrant, cœleſtiũ ſubſtantiarum ornatus à ſupremis mentibus doceri deificas ſciẽtias. Cùm autem ad intelligendum duo concurrant, vt ſuprà * diximus, ſcilicet virtus intellectiua, & ſimilitudo rei intellectiuę, ſecũdũ hæc duo vnus Angelus alteri veritatẽ notã notificare poteſt. Primo quidem, fortificando virtutem intellectiuam eius. Sicut enim virtus imperfectioris corporis confortatur ex ſituali propinquitate perfectioris corporis, vt minus calidum creſcit in calore ex præſentia magis calidi: ita virtus intellectiuæ inferioris Angeli confortatur ex

† Capit. 7. poſt med.

Quæſt. præced. art. 3.

con-

conuerſione ſuperioris Angeli ad ipſum. Hoc enim facit in ſpiritualibus ordo conuerſionis, quod facit in corporalibus ordo localis propinquitatis. Secundò autem vnus Angelus alteri manifeſtat veritatem ex parte ſimilitudinis intellectæ. Superior enim Angelus notitiam veritatis accipit in vniuerſali quadam acceptione, ad quam capiendam inferioris Angeli intellectus non eſſet ſufficiens, ſed eſt ei connaturale, vt magis particulariter virtutem accipiat. Superior verò Angelus veritatem, quam velociter concipit, quodammodò diſtinguit, vt ab inferiori capi poſsit: & ſic eam cognoſcendam illi proponit. Sicut etiam apud nos, Doctores, quod in ſumma capiunt, multipliciter diſtinguunt, prouidentes capacitati aliorum. Et hoc eſt, quod Dionyſ. * dicit 15. cap. cœleſt. Hierarch. Vnaquæque ſubſtantia intellectualis datam ſibi à diuiniori vniformem intelligentiam prouida virtute diuidit, & multiplicat ad inferioris ſurſum ductricem analogiam.

†C. 15 non multũ remotè ante medium.

Ad primum ergo dicendum, quòd omnes Angeli, tam ſuperiores, quàm inferiores immediatè vident Dei eſſentiam: & quantum ad hoc vnus non docet alium. De hac enim doctrina Propheta loquitur: vnde dicit, Non docebit vir fratrem ſuum dicens, cognoſce Dominum: omnes enim cognoſcent me à minimo eorum vſque ad maximum. Sed rationes diuinorum operum, quæ in Deo cognoſcuntur ſicut in cauſa, omnes quidem Deus in ſe ipſo cognoſcit, quia ſeipſum comprehendit: aliorum verò Deum videntium tantò vnuſquiſque in Deo plures rationes cognoſcit, quantò eum perfectiùs videt. Vnde ſuperior Angelus plura in Deo de rationibus diuinorum operum cognoſcit, quàm inferior, & de his eum illuminat. Et hoc eſt quod dicit Dionyſ. * 4. cap. de Diuin. nomin. quòd Angeli exiſtentium illuminantur rationibus.

†C. 4 non multum á principio.

Ad ſecundum dicendum, quòd vnus Angelus non illuminat alium tradendo ei lumen naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ, ſed confortando lumen naturale ipſius, & manifeſtando ei veritatem de his, quæ pertinent ad ſtatum naturæ, & gratiæ, & gloriæ, vt dictum eſt. *

†In cor. ar.

Ad tertium dicendum, quòd rationalis mens formatur immediatè à Deo, vel ſicut imago ab exemplari, quia non eſt facta ad alterius imaginem, quàm Dei; vel ſicut ſubiectum ab vltima forma completiua: quia ſemper mens creata reputatur informis, niſi ipſi primæ veritati inhæreat. Aliæ verò illuminationes, quæ ſunt ab homine, vel Angelo, ſunt quaſi diſpoſitiones ad vltimam formam.

Prima concluſio eſt affirmatiua.

Secunda concluſio.

Vnus Angelus illuminat alium per hoc, quòd confortet virtutem intellectiuam ipſius, & proponendo illi veritatem ſecundum eius capacitatem.

Tertia concluſio in ſolutione ad primum.

Nullus Angelus illuminat alium quantũ ad viſionem diuinæ eſſentiæ, benè tamen quantum ad rationes diuinorum operum: quatenus ſuperior Angelus plura de his cognoſcit, & de illis inferiorem illuminat.

Quarta concluſio ad ſecundum.

Vnus Angelus illuminat alium confortando lumen ipſius, & manifeſtando ei veritatem de his, quæ pertinent ad ſtatum naturæ, gratiæ, & gloriæ.

ARTICVLVS II.

Vtrùm vnus Angelus poſsit mouere voluntatem alterius?

1.2 q.9 art. 4. Et 3. cõtr. c. 88. & 89.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quòd vnus Angelus poſsit mouere voluntatẽ alterius. Quia ſecundùm Dionyſ. ſicut vnus Angelus illuminat alium, ita purgat, & perficit, vt patet ex auctoritate ſuprà dicta †. Sed purgatio, & perfectio videntur pertinere ad volũtatem: nam purgatio videtur eſſe à ſordibus culpæ, quæ pertinet ad voluntatem: perfectio autem videtur eſſe per conſecutionem finis, qui eſt obiectum voluntatis. Ergo vnus Angelus poteſt mouere vo luntatem alterius.

† Art. prec. arg. ſed cõt.

¶ 2. Prætereà. Sicut Dionyſ. dicit * 7. cap. Cœleſt. Hierarch. nomina Angelorum deſignant eorum proprietates. Seraphim enim incendentes dicuntur, aut calefacientes, quod eſt per amorem, qui ad volũtatem pertinet. Vnus ergo Angelus mouet volũtatem alterius.

† Cap. 7 cę leſt. Hier. in princ. Et c. 8 cir. princ.

¶ 3. Prætereà. Philoſophus dicit in 3. de Anima * quòd appetitus ſuperior mouet appetitum inferiorem. Sed ſicut intellectus Angeli ſuperioris ſuperior eſt, ita etiam appetitus. Ergo videtur, quôd ſuperior Angelus poſſit immutare voluntatem alterius.

† Libr. 3. de Anima tex. 59. to. 2.

SED contrà. Eius eſt immutare voluntatem, cuius eſt iuſtificare, cùm iuſtitia ſit rectitudo voluntatis. Sed ſolus Deus eſt, qui iuſtificat. Ergo vnus Angelus non poteſt immutare voluntatem alterius.

RESPONDEO dicendũ, quôd ſicut ſuprà * dictum eſt, volũtas immutatur dupliciter: vno modo ex parte obiecti: alio modo ex parte ipſius potentiæ. Ex parte quidem obiecti mouet voluntatem, & ipſum bonum, quod eſt voluntatis obiectum, ſicut appetibile mouet appetitum: & ille, qui demonſtrat obiectum, puta qui demonſtrat aliquid eſſe bonum. Sed, ſicut ſuprà dictum eſt, * alia quidem bona aliqualiter inclinãt voluntatem, ſed nihil ſufficienter mouet voluntatem, niſi bonum vniuerſale, quod eſt Deus: & hoc bonum ſolus ipſe oſtendit, vt per eſſentiam videatur à beatis, qui

† Q. præc. art. 4.

† Q. præc. art. 4.

dicen-

dicenti Moyſi: Oſtende mihi gloriam tuam, reſpondit: Ego oſtendam tibi omne bonum, vt habetur Exod. 33. Angelus ergo non ſufficienter mouet voluntatem, nec vt obiectum, nec vt oſtendens obiectum, ſed inclinat eam, vt amabile quoddam, & vt manifeſtans aliqua bona creata ordinata in Dei bonitatem: & per hoc inclinare poteſt ad amorem creaturæ, vel Dei per modum ſuadentis. Ex parte verò ipſius potentiæ voluntas nullo modo poteſt moueri niſi à Deo. Operatio enim voluntatis eſt inclinatio quędam volentis in volitum. Hanc autem inclinationem ſolus ille immutare poteſt, qui virtutem volendi creaturæ contulit: ſicut & naturalem inclinationem ſolum illud agens poteſt mutare, quod poteſt dare virtutem, quam conſequitur inclinatio naturalis. Solus autem Deus eſt, qui potentiam volendi tribuit creaturæ, quia ipſe ſolus Deus eſt auctor intellectualis naturæ. Vnde Angelus voluntatem alterius mouere non poteſt.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſecundùm modum illuminationis eſt accipienda & purgatio, & perfectio. Et quia Deus illuminat immutando intellectū, & voluntatem, purgat à defectibus intellectus, & voluntatis, & perficit in finem intellectus, & voluntatis. Angeli autem illuminatio refertur ad intellectum, vt dictum † Ar. præc. eſt *: ideò etiam purgatio Angeli intelligitur à defectu intellectus, qui eſt neſcientia: perfectio autem eſt conſummatio in finem intellectus, qui eſt veritas cognita. Et hoc eſt, quod dicit Dionyſ. * 6. cap. cœleſt. Hierarch. quòd in cœleſti Hierarchia purgatio eſt in ſubſtantijs, & eſſentijs, tanquā ignotorum illuminatio imperfectiorem ſcientiam inducens: ſicut ſi dicamus, viſum corporalē purgari, in quantum remouentur tenebræ. Illuminari verò, in quantum perfunditur lumine: perfici verò, ſecundùm quòd perducitur ad cognitionem colorati.

† C. 6. cœl. Hier. p. 3. in fer. mediā, & fin.

Ad ſecundum dicēdum, quòd vnus Angelus poteſt inducere alium ad amorem Dei per modū perſuadentis, vt ſuprà dictum eſt. *

† In cor. ar.

Ad tertium dicendum, quòd Philoſophus loquitur de appetitu inferiori ſenſitiuo, qui poteſt moueri à ſuperiori intellectiuo, quia pertinet ad eandem naturā animæ, & quia inferior appetitus eſt virtus in organo corporali, quod in Angelis locum nō habet.

Prima concluſio.

Ex parte obiecti poteſt vnus Angelus alterius voluntatem mouere.

Secunda concluſio.

Ex parte potentiæ vnus Angelus non poteſt mouere voluntatem alterius.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Angelus inferior ſuperiorem illuminare poſſit?

AD Tertium ſic procedi-
tur. Videtur, quòd Angelus inferior ſuperiorem illuminare poſſit.

† 2. D. 9. ar. 1. Et veri. q. 9. art 3.

poſsit. Eccleſiaſtica enim Hierarchia deriuata eſt à cœleſti, & eam repræſentat. Vnde & ſupernalem ruſalem dicitur mater noſtra, Gal. 4. Sed in Eccleſia etiam ſuperiores illuminantur ab inferioribus, & docentur, ſecundùm illud Apoſtoli 1. ad Cor. 14. Poteſtis omnes per ſingulos prophetare, vt omnes diſcant, & omnes exhortentur. Ergo & in cœleſti Hierarch. ſuperiores ab inferioribus poſſunt illuminari.

¶ 2 Prætereà. Sicut ordo corporalium ſubſtantiarum dependet ex Dei voluntate, ita & ordo ſubſtantiarum ſpiritualium. Sed, † Q. præc. art. 6. & 7. ſicut dictum eſt, † Deus quandoque præter ordinem ſubſtantiarum corporalium operatur. Ergo etiam operatur præter ordinem ſpiritualium ſubſtantiarum, illuminando inferiores, non per medios ſuperiores. Sic ergo inferiores illuminati à Deo poſſunt ſuperiores illuminare.

¶ 3 Prætereà. Vnus Angelus alium illuminat, ad quem ſe conuertit, vt ſuprà dictum eſt *. Sed † Ar. 1. huius quæſt. cùm iſta conuerſio ſit voluntaria, poteſt ſupremus Angelus ad infimum ſe conuertere, medijs prætermiſsis. Ergo poteſt eum immediatè illuminare: & ita poteſt illuminare ſuperiores.

SED contra eſt, quod Dionyſ. dicit, * hanc legem eſſe diuinitatis immobiliter firmatam, vt inferiora reducãtur in Deum per ſuperiora. † C. 5. Eccleſ. Hier. in titulo de Sacer. perfectionibus in principio.

RESPONDEO dicendũ, quòd inferiores Angeli nũquam illuminant ſuperiores, ſed ſemper ab eis illuminantur. Cuius ratio eſt. Quia, ſicut ſuprà dictum eſt *, ordo continetur ſub ordine, ſicut cauſa continetur ſub cauſa. Vnde ſicut ordinatur cauſa ad cauſam, ita ordo ad ordinem. Et ideò non eſt inconueniens, ſi aliquando aliquid fiat præter ordinem inferioris cauſæ ad ordinandum in ſuperiorem cauſam: ſicut in rebus humanis prætermittitur mandatum Præſidis, vt obediatur Principi. Et ita contingit, vt præter ordinem naturæ corporalis aliquid Deus miraculosè operetur ad ordinandum homines in eius cognitionem. Sed prætermiſsio ordinis, qui debetur ſpiritualibus ſubſtantijs, in nullo pertinet ad ordinationem hominũ in Deum, cùm operationes Angelorum non ſint nobis manifeſtæ, ſicut operationes viſibilium corporum. Et ideò ordo, qui cõuenit ſpiritualibus ſubſtantijs, nũquam à Deo prætermittitur, quin ſemper inferiora moueantur per ſuperiora, & non è conuerſo. † Q. præc. art. 6.

Ad primum ergo dicendum, quòd Eccleſiaſtica Hierarchia imitatur cęleſtem aliqualiter; ſed non perfectè conſequitur eius ſimilitudinem. In cęleſti enim Hierarchia tota ratio ordinis eſt ex propinquitate ad Deum. Et ideô illi, qui ſunt Deo propinquiores, ſunt & gradu ſublimiores, & ſcientia clariores: & propter hoc ſuperiores nunquam ab inferioribus illuminantur. Sed in Eccleſiaſtica Hierarchia interdum qui ſunt Deo per ſanctitatem propinquiores, ſunt gradu infimi, & ſcientia non eminentes: & quidam in vno etiam ſecundùm ſcientiam eminent, & in alio deficiunt. Et propter hoc ſuperiores ab

res ab inferioribus doceri poſſunt.

Ad ſecundum dicẽdum, quòd non eſt ſimilis ratio de hoc, quòd Deus agat præter ordinem naturæ corporalis,& ſpiritualis, vt dictum eſt* . Vnde ratio non ſequitur. † In cor. ar.

Ad tertium dicendum, quòd Angelus voluntate conuertitur ad alium Angelumilluminandũ: ſed voluntas Angeli ſemper regulatur lege diuina, quæ ordinem in Angelis inſtituit.

Concluſio eſt negatiua.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Angelus ſuperior illuminet inferiorem?

† 2.D,9 ar. 2.Et d.11 q. 2.ar.1 &verit.q 9.ar.1

AD Quartum ſic proceditur. Videtur, quòd Angelus ſuperior non illuminet inferiorem de omnibus, quæ ipſe nouit. Dicit enim Dionyſ.* 12. cap.de cęleſt. Hierarch. quòd Angeli ſuperiores habent ſcientiam magis vniuerſalem; inferiores verò magis particularem, & ſubiectam. Sed plura continentur ſub ſcientia vniuerſali, quam ſub particulari. Ergo non omnia, quæ ſciunt ſuperiores Angeli, cognoſcunt inferiores per ſuperiorum illuminationem. † Cap.12.

¶ 2 Præterea. Magiſter dicit in 11.diſt. 2. Sent. quòd ſuperiores Angeli cognouerunt à ſæculis myſterium Incarnationis: inferioribus verò ignotum fuit, vſquequò complectum eſt. Quòd videtur per hoc, quòd quibuſdam Angelis quærentibus, quis eſt iſte Rex gloriæ? quaſi ignorãtibus, alij reſpondent quaſi ſcientes: Dominus virtutum ipſe eſt Rex glorię, vt Dionyſ.* exponit 7.cap.de cœleſti Hierarch. Hoc autem non eſſet, ſi ſuperiores Angeli illuminarẽt inferiores de omnibus, quæ ipſi cognoſcunt. Non ergo eos illuminant de omnibus ſibi notis. † C. 7. à med.

¶ 3 Præterea. Si omnia ſuperiores Angeli inferioribus annuntiant, quæ cognoſcunt, nihil inferioribus ignotum remanet, quod ſuperiores cognoſcant. Non ergo de cętero ſuperiores potuerũt illuminare inferiores: quod videtur inconueniens. Non ergo ſuperiores de omnibus inferiores illuminant.

SED contra eſt, quod Greg.* dicit, quòd in illa cœleſti patria licèt quædam data ſint excellenter, nihil tamen poſsidetur ſingulariter. Et Dion. dicit 4. c. cœl. Hierarch. quôd vnaquæque cœleſtis eſſentia intelligentiam ſibi à ſuperiori datam inferiori communicat, vt patet ex auctoritate ſuprà inducta*. † In homil. de centum ouibus. & eſt 34. in Euag. à medio. † C.4. à medio illius.

RESPONDEO dicẽdum, quôd omnes ceaturæ ex diuina bonitate participant, vt bonum, quod habent, in alia diffundant: nam de ratione boni eſt, quòd ſe alijs communicet. Et inde eſt etiam, quòd agentia corporalia ſimilitudinem ſuam alijs tradunt, quantum poſsibile eſt. Quanto † Art. 1. huius q. arg. ſed contra.

igitur

igitur aliqua agentia magis in participatione diuinæ bonitatis conſtituuntur, tantô magis perfectiones ſuas nituntur in alios transfundere, quantum poſsibile eſt. Vnde beatus Petrus monet eos, qui diuinam bonitatem per gratiam participant, dicens 1. Petri 4. Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Multô igitur magis ſancti Angeli, qui ſunt in pleniſsima participatione diuinæ bonitatis, quicquid à Deo percipiunt, ſubiectis impertiuntur: non tamen recipitur ab inferioribus ita excellenter, ſicut eſt in ſuperioribus. Et ideò ſuperiores ſemper remanẽt in altiori ordine, & perfectiorem ſcientiam habentes. Sicut vnam & eandem rem pleniùs intelligit magiſter, quam diſcipulus, qui ab eo addiſcit.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſuperiorum Angelorum ſcientia dicitur eſſe vniuerſalior quantum ad eminentiorem modum intelligendi.

Ad ſecundum dicendum, quod verbum Magiſtri non ſic eſt intelligendum, quòd inferiores Angeli penitus ignorauerint myſterium Incarnationis: ſed quia non ita plenè cognouerunt, ſicut ſuperiores, & in eius cognitione poſtmodum profecerunt, dum illud myſterium impleretur.

Ad tertium dicendum, quòd vſque ad diem iudicij ſemper noua aliqua ſupremis Angelis reuelantur diuinitus de his, quæ pertinent ad diſpoſitionem mundi, & præcipuè ad ſalutem electorum. Vnde ſemper remanet, vnde ſuperiores Angeli inferiores illuminent.

Concluſio eſt affirmatiua.

DISPVTATIO XIIII.

De illuminatione Angelorum.

DICET Angelicus Præceptor in hac q. 106. agat, tum de Angelorum illuminatione in art. 1. 3. & 4. tum etiam in art. 2 an voluntas vnius Angeli moueatur ab altero? nihilominùs diſputationem hanc de Angelorum illuminatione ſolùm inſcribimus: quia de illa tantummodò agemus, ex eo quòd deciſio de motione voluntatis non habet peculiarem difficultatem in Angelis, ſed deſumenda eſt ex communibus principijs de motione voluntatis in communi ab exteriori principio, quæ ſolet tradi 1. 2. q. 10. Maximè, quia nos explicantes, quomodo fiat illuminatio Angelorum, an nimirum per additionem phyſicam alicuius luminis, vel alterius ad ordinem actus primi ſpectantis, reddemus ſufficientem rationem, per quam (proportionaliter tamen applicatam) ſufficienter oſtendatur, an vnus Angelus poſsit alterius voluntatem mouere, necne.

(.?.)

DVBIVM I.

Vtrùm vnus Angelus alium illuminet?

QVIA quæstio *an est* debito iure alias naturæ ordine præcedit, ideò primo loco de *an est* prædictæ illuminationis inquirimus.

§. I. *Vera, & communis sententia ex Dionysio, & ex Præceptore Angelico, & alijs Patribus desumpta.*

Sanctorum Patrum sententia.

2 DIcendum ergo est, vnum Angelum alium illuminare. Assertio hæc habet non leue fundamentum in Sacra Scriptura: Nã Isaiæ 63. dicitur: *Isaiæ 63.* *Quis est iste, qui venit de Edom?* Et Psalm. 23. *Psal. 23.* *Quis est iste Rex gloriæ?* Quæ testimonia, iuxta interpretationem plurium ex Patribus, intelliguntur de inferioribus Angelis, qui admirati de Christi gloria, & triumpho ascendentis in cælum, scifcitantur à superioribus Angelis, *Quis est iste, qui venit de Edom, &c.* & similiter, *Quis est iste Rex gloriæ?* vt constat ex illis, quæ tradunt Hieron. super prædictum locum Isaiæ, Augustin. serm. 5. de Ascensione Domini, Origenes tr. 15. super Matth. cap. 21. & Ambros. lib. de institutione Virg. cap. 5. Eandem etiam assertionem tuentur Dionys. 8. cap. Cæles. Hierar. (quem refert D. Thomas in argumento *sed contra* artic. 11. huius quæst.) asserens, quòd Angeli secundæ hierarchiæ purgantur, & illuminantur, & perficiuntur per Angelos primæ hierarchiæ.

Hieron. Augustin. Ambros. Origenes. *Dionys. D. Thom.*

Ang. Præceptor. Idem etiam tuetur Angelicus Præceptor articulo nuper citato his verbis: *Dicendum, quod vnus Angelus illuminat alium*: Et in 2 dist. 9. quæst. 1. art. 2. & dist. 11. quæst. 1. art. 2. de Veritate q. 9. art. 1. necnon 1. Cor. 13. lect. 1. & alij Patres, vt Athan. lib. de Communione similis essētiæ, *Cherubim* (inquiēs) *& Seraphim, qui continuò, & sine vllo mediatore, aut interprete à Deo condiscunt, vt potè cæteris sublimiores, & Deo propinquiores, & ab ijs eruditi cæteri inferiores ordines, atque ita deinceps cæteri pro suo gradu.* Heraclides in Epistola ad Lausum Præpositum, quæ refertur in thesauro Catholico lib. 4. art. 2. his verbis: *Primi ordines Angelorum habent Magistram summam Trinitatem: secundi autem discunt à primis: tertij à secundis, & sic deinceps vsque ad extremos. Qui autem sunt præstantiores honore, & virtute, docent eos, qui sunt inferiores cognitione.* Sophronius in encomio de Angelis, alloquens Seraphinos, ait: *Vos estis: qui infinitum Trini, vnicique splendorem, quantum fas est, citra vllum medium excipiatis, exceptumque cæteris mentibus, & intelligentijs communem faciatis.* D. Bernard. lib. 5. de Consideratione cap. 4. de Cherubim ait. *Ex ipsa sapientiæ fonte, ore altissimi haurientes & refundentes fluenta scientiæ vniuersis ciuibus suis.* Damasc. lib. 2. Fidei cap. 3. *Illud quidem perspicuum est, eos Angelos, qui præstantiores, sublimioresque sunt splendorem, & cognitionem inferioribus impertiri.* Ac tandem hoc ipsum tuetur communis Scholasticorum sententia in 2. distinct. 11. vno excepto Durando. Vnde idem Dionys. 7. cap. Cælestis Hierar. inquit, quòd Theologi planè tradunt, *inferiores cælestium naturarum ordines à superioribus ritè diuina opera explicantes, scientias discere.*

Sophron. *D. Bern.* *Damasc.* *Durand.* *Idem Dionysius.*

3 Nec obest id, quod responderi potest ex Durando, re ipsa hanc illuminationem negante, & verbo tenus illam asserente, sensum Dionysij, ex quo Patres hanc illuminationem acceperunt, non esse, quòd Angeli inferiores illuminentur mediantibus superioribus mediatione causalitatis (quia solus Deus illuminat immediatè omnes Angelos, non tamen vnus causat illuminationem alterius) sed mediatione dignitatis, & ordinis: quia Deus non illuminat immediatè Angelos inferiores, quin priùs illuminet superiores, propter illorum dignitatem.

Solutio Durandi.

Non igitur hoc refert. Quoniam interpretatio hæc apertè pugnat cum testimonijs Dionysij, vt intuenti illa constabit. Pro quibus omnibus sufficiet adducere verba capit. 3. de Cælesti Hierarchia in quibus de Angelica Hierarchia loquens idem Dionysius, post quam dixit, quòd superiores Angeli à Verbo immediatè scientiam accipiunt, sic inquit: *Suosque in rebus diuinis collegas simulacra diuina efficit, specula maximè perlucida, & ab omni labe pura, quæ diuinum primæ lucis radium recipere possunt: facitque, vt eadem, lucis quidem, quæ eis data est, plena sint. Iam autem rursus ex diuinis legibus sine inuidia in ea, quæ sequuntur, infundant.* Vbi expendendum est verbum illud *infundant*, quod quidem non solum illuminationem illam à Durando depictam, sed communicationem sacratissimi iubaris affatim hausti, & posteà ab eisdem Angelis haurientibus alijs diffusam satis denotant. Sicut etiam verbum illud, *ex diuinis legibus*, hoc ipsum confirmat. Nã si solus Deus omnes Angelos illuminat ordine illo precisè, quē Durandus excogitauit, nimirū, illuminãdo priùs superiores, deinde se solo inferiores, non apparet, in quo superior inferiorem illuminãdo diuinis legibus obedientiã præstaret.

Reijcitur.

Idem Dionysius.

Roboratur confutatio.

Adde, quòd id, quod admittitur à Durãdo ad astruendam suam illuminationem, quod nomine tenus sit talis, suadet etiam illuminationem, quæ re ipsa sit illuminatio, vt à Dionysio, & Patribus conceditur. Nam Durandus fatetur, Angelos illuminari à Deo immediatè, & nihilominùs propter maiorem dignitatem superiorum supra inferiores, dicuntur isti illuminari ab illis: quia Deus non illuminat inferiores se solo, nisi illuminando propter prædictam dignitatem priùs superiores. Constat autem, hanc maiorem excellentiam superiorum respectu inferiorum satis congruenter suadere, quod non solus Deus, sed etiam Angeli superiores re ipsa illuminant inferiores, diffundẽdo debito modo notitiam, & illuminationem, quam acceperunt à Deo, in eosdem Angelos inferiores.

4 Et ratio congruentiæ potest facilè reddi ex eo, quòd cùm lumen diuinum, & cognitio illius sint perfectissima, & vniuersalissima, non est congruum, vt immediatè diffundantur, & communicentur ad Angelos inferiores, qui per species, & notitias magis particulares, & dearticulatas cognoscunt, sed quòd immediatiùs id fiat ad alios Angelos superiores per vniuersaliores, & actualiores species, & notitias intelligentes, vt ita illud sacratissimum iubar gradatim descendens, habeat gradatim (vt sic dicamus) particularizari, & dearticulari, ac tandem gradatim communicari Angelis inferioribus, per species, & notitias magis particulares, & dearticulatas cognoscentes.

Non secus (proportione tamen seruata) ac contingit apud nos. Nam Philosophus primus, nempè Metaphysicus attingit res in principijs vniuersalibus: & medicus considerat res valdè in particulari: & propterea non desumit immediate principia à primo Philosopho, sed à Philosopho naturali, habente principia magis contracta, quàm primus Philosophus: cùm tamen consideratio naturalis Philosophi, propter maiorem vniuersalitatem, quam habet, quàm consideratio medici, queat accipere immediata principia suæ considerationis à primò Philosopho. Sic igitur in præsenti propter paritatem rationis dicendum videtur.

Illustratur testimonio D Thom. D. Thom.

5 Quæ omnia eleganter complexus est D. Thomas quæst. 9. de Veritate artic. 1. ad 3. vbi constituens discrimen inter lumen, & illuminationem corporalem, & spirituale, sic inquit: *Dicendum, quòd non est simile de lumine corporali, & spirituali. Quodlibet enim corpus potest indifferenter illuminari à quocumque lumine corporali: quod ideò est, quia omne lumen corporale ad formas visibiles æqualiter se habet. Sed non quilibet spiritus potest æqualiter illuminari quolibet lumine: quia quodlibet lumen non æqualiter continet formas intelligibiles: lumen enim supremum continet formas intelligibiles magis vniuersales. Et ideò cùm inferior intellectus sit proportionatus ad accipiendum cognitionem per formas magis particulares, non sufficit ei, quod illuminetur a superiori lumine, sed oportet, quòd illuminetur lumine inferiori ad hoc, quòd in cognitionem rerum adducatur.*

Et hoc ipsum statim explicat exemplo adducto his verbis: *Sicut patet apud nos. Philosophus enim primus habet cognitionem rerum in principijs vniuersalibus: Medicus autem considerat res maximè in particulari. Vnde non accipit immediatè principia à primo Philosopho: sed accipit immediatè à naturali, qui habet principia magis contracta, quàm primus Philosophus. Naturalis autem, cuius consideratio est vniuersalior, quàm Medici, potest accipere immediatè principia suæ considerationis à primo Philosopho. Vnde cùm in lumine intellectus diuini rerum rationes maximè vniantur quasi in vno principio maximè vniuersali, inferiores Angeli non sunt proportionati ad hoc, quòd per id lumen solum cognitionem accipiant, nisi adiungatur lumen superiorum Angelorum, in quibus formæ intelligibiles contrahuntur.*

§. II. Duplex ratio assertionis ex D. Thoma deprompta.

6 HVius assertionis duplicem congruentiam tradit D. Thomas quæst. nuper citata de Veritate art. 1. in argumento *sed contra*, his verbis: *Sicut est ordo in hominibus, ita est ordo in Angelis, vt patet per Dionysium. Sed in hominibus superiores illuminant inferiores, vt dicitur Ephes. 3. Mihi enim sanctorum minimo data est gratia hæc, illuminare omnes, &c. Et sic superiores Angeli inferiores illuminant. Præterea Lumen spirituale est efficacius, quàm corporale. Sed superiora corpora illuminant inferiora. Ergo & superiores Angeli illuminant inferiores.* D. Thom.

Deinde eadem assertio potest suaderi ratione desumpta ex artic. 1. huius quæst. ad hanc tamen formam redacta. Nam lumen, secundùm quòd ad intellectum pertinet, nihil est aliud, quàm quædam manifestatio veritatis, secundùm illud ad Ephesios. 5. *Omne enim, quod manifestatur, lumen est.* Vnde illuminare, nihil aliud est, quàm manifestationem agnitæ veritatis alij tradere, iuxta illud, quod ex Apostolo modò dicebamus. At Angelus superior v. g. supremus tradit manifestationem agnitæ veritatis, quam à Deo accepit, Angelo sibi inferiori, & sic de alijs. Ergo

Suadetur assertio ratione D. Th. *Ad Ephes. 5.*

Ergo vnus Angelus alium illuminabit. Minor probatur. Nam Angelus ſuperior notitiam veritatis accipit in vniuerſali quadam conceptione, ad quam capiendam intellectus Angeli inferioris non eſt ſufficiens, quia eſt ei connaturale, vt magis in particulari veritatem accipiat. ſuperior verò Angelus veritatem, quam velociter concipit, quodammodò diſtinguit, vt ab inferiori capi poſsit, & ſic eam cognoſcendam illi proponit. Sicut etiã apud nos contingit, vt Doctores, quod in ſumma capiunt, multipliciter diſtinguant.

Dionyſ. Et hoc eſt, quod Dionyſius dicit cap. 15. de cæleſti Hierarchia, dum inquit, vnaquæque ſubſtantia intellectualis datam ſibi à diuiniori vniformem intelligentiam propria virtute diuidit, & multiplicat ad inferioris ſurſum ductricem analogiam.

Confirmatur. 7 Confirmatur ratione D. Thomæ, tam in art. 1 huius q. quàm q. 9. de Veritate art. etiã 1. Quoniam ad illuminationẽ ſpiritualem duo requiruntur. Primum, manifeſtatio alicuius veritatis ignotæ. Secundum verò (quodque ex præcedenti ſequitur) confortatio viſiuę potentię per lumen ab illuminante. Nam cùm prædictum obiectum ſit occultum cognoſcenti, & illum quodammodò ſuperexcedens, oportet, eius viſiuam potentiam confortari per lumen, vt illud attingat: ſed hæc duo reperiuntur in Angelis: ergo vnus alterum illuminabit. Maior videtur perſpicua. Nam de illuminatione ſpirituali debemus loqui ad inſtar illuminationis corporeæ: in illuminatione autem corporea, & manifeſtatur obiectum per lumen, & ſimul confortatur organum potentiæ viſiuæ per prædictum lumen, & propterea in compoſitione organi datur aliquod lumen: ergo etiam hæc duo debent, proportione ſeruata, in illuminatione ſpirituali inueniri. Minor autem quoad primam partem, ſcilicet, quoad manifeſtationem obiecti, conſtat. Nam cùm Angeli ſuperiores magis accedant ad diuinum lumen, diuinamque bonitatem, oportet, vt ex lumine diuino magis illuminentur, & ex bonitate diuina participent, quòd notitiam, quam acceperunt, alijs diffundant: quia bonum eſt diffuſiuum ſui: & quò bonitas magis participatur, eò etiam habet participari maior diffuſio boni accepti, & in alios diffundibilis. Quoad ſecundam verò partem prædicta minor probatur à D. Thomae ex eo, quòd ſicut in corporibus ſu-

D. Thom. periora ſunt quaſi actus reſpectu inferiorum, vt ignis reſpectu aeris, ita ſuperiores ſpiritus ſunt quaſi actus reſpectu inferiorum: omnis autem potentia confortatur, & perficitur ex coniunctione ad actum ſuum. Vnde corpora inferiora conſeruantur à ſuperioribus, quæ ſunt locus eorum: ac proindeetiam inferiores Angeli confortabuntur ex eorum continuatione ad ſuperiores, vt ſecundus ex continuatione ad primum, & ſic de alijs.

Obiectio prima. 8 Nec refert, ſi contra rationem iſtam obijcias primò, falſum eſſe id, quod in ea dicitur, ſcilicet Angelos ſuperiores veluti diuidere, & dearticulate illam notitiam communiorem & vniuerſaliorem, quam habent, & reddendo eam proportionatam intellectibus inferiorum, illos illuminare: ac proinde, ſi hoc requiritur ad illuminationem inferiorum à ſuperioribus, nequibunt illos illuminare. Antecedens probatur. Quoniam Angeli ſuperiores, hoc ipſo quòd ſuperiores, debent intelligere per vniuerſaliores ſpecies, & cognitiones: & ita non ſunt capaces intelligendi per cognitionem ita particularem, & dearticulatam, qualiter requiritur adhoc, vt ſit proportionata modo intelligẽdi particulari, & dearticulato Angeli inferioris.

Occurritur Reſpondetur enim negando antecedens Et ad probationem patet ex ſuprà dictis. Nã etſi Angelus, quando vtitur adæquatè ſua ſpecie vniuerſaliori, intelligat per cognitionem ita vniuerſalem: nihilominùs pro ſua libertate, poteſt vti illa inadæquatè, & tunc habere notitiam ita particularizatam, & dearticulatam, qualiter requiritur ad hoc, quòd veritatem illam, proportionato modo ad naturam Angeli inferioris, proponat, & reuelet. Vnde diſcrimen, quod intercedit inter Angelum inferiorem, & ſuperiorẽ quoad modum cognoſcendi vniuerſalius, non conſiſtit in hoc, quòd ſemper debeat habere vniuerſaliorem cognitionem, vtendo adæquatè ſua vniuerſaliori ſpecie, ſed in hoc, quòd poteſt pro libito eam habere, cùm tamen id non poſsit Angelus inferior.

Secunda obiectio. 9 Nec etiã obeſt, ſi contra eamdẽ rationẽ obijcias ſecũdò, quòd ſi eſſet legitima, ſequeretur ex ea, Angelos edoceri, & illuminari ab aliquibus ex hominibus: hoc autẽ eſt contra Angelicum Præceptorẽ q. 9. de Verit. art. 1. in ſolutione ad 14. ergo, &c. Sequela probatur. Nam plures ex hominibus, adhuc in via, habẽt pleniorem & perfectiorem gratiã, quã Angeli, vel ſaltem quàm plures ex eiſdem Angelis, vt conſtat in Beata Virgine, & in alijs, qui aſſumpti ſunt ad reparandas ſedes Angelorum perfectiorum quam alij Angeli non ita perfecti, qui in gratia perſtiterunt. Quare, cùm prædicti homines habuerint notitiam plurium myſteriorum gratiæ, quæ Angelis iſti ſerant occulta, non eſt cur non potuerint illos illuminare. Et propterea Paulus hanc illuminationẽ factam fuiſſe per Eccleſiam Dei, ſiue per Apoſtolos, videtur aſtruere ad Epheſios 3. *Vt innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* *Ad Epheſios 3.*

Reſpondetur enim, fatendo cũ Angelico **Satisfit.**

Præceptore super hæc verba Pauli lect. 3. testimonium hoc magnam habere difficultatem: ad quam Glossa ibidem videtur quodãmodò innuere, vt insinuat idem Angelicus Præceptor loco citato, hanc multiformẽ sapientiam Dei innotescere Principatibus, & Potestatibus per Apostolos in Ecclesia prædicantes, atque adeò per hos Angelos illuminatos fuisse, ab eisdemque prædictam sapientiam didicisse. Quæ solutio iuuari potest ex his, quæ idem D. Thom. ad iuuandum illam adducit his verbis: *Et hoc videtur quandam rationem habere. Videmus enim, quòd in cœlo inter Angelos superiores, qui immediatè à Deo illuminantur, illuminant, & docent inferiores Angelos, qui nõ immediatè illuminantur à Deo. Non videtur ergo irrationabile dici, quòd doceant Angelos Apostoli, qui immediatè à Deo sunt edocti, secundùm illud Ioann. 1. Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.*

D. Thom.

Non placet solutio. D. Thom.

10 Cæterùm hæc solutio non placet D. Thomæ, & ideò in eodem loco statim adijcit, *sed hoc quidem satis sufficienter dici posset, nisi aliud occurreret. Cùm enim in Christo sint duæ naturæ, diuina scilicet, & humana: edocti quidem sunt Apostoli à Christo immediatè, quantum ad humanam naturam: Angeli autem immediatè naturam diuinam vident, etiam inferiores, alias non essent beati, cùm in sola visione diuinæ essentiæ rationalis creaturæ beatitudo consistat. Non est ergo conueniens, nec ratio aliqua, vt dicamus sanctos, qui sunt in patria doceri à quantumcumque perfectis viatoribus. Nam licèt inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista: tamen, Qui minor est in regno cœlorum, maior est illo, vt dicitur Luc. 7.*

Optima solutio, ex D. Thoma.

Quare legitima solutio huius difficultatis est illa quam idem Angelicus Præceptor statim hic subijcit. *Dicendum est ergo, quòd innotuit Angelis per Ecclesiam id est per Apostolos prædicantes, vt dicit Glossa. Non quòd Angeli hoc didicerint ab eis, sed in eis. Nam sicut dicit Augustinus super Genes. ad lit. Deus antequam creaturas crearet (ante dico ordine naturæ, non ordine temporis, cùm secundùm tempus simul omnia creata sint) rationes rerum naturalium indidit mentibus Angelorum. Quo fit, vt Angeli dupliciter res naturales cognoscerent. Quia cognouerunt eas in Verbo, & hæc cognitio dicitur matutina. Item, cognouerunt eas in naturis propriis, & hæc dicitur cognitio vespertina. Vlterius notandum est, quòd sunt quædam rationes mysteriorum gratiæ, totam creaturam excedentes: & huiusmodi rationes non sunt inditæ mentibus Angelorum, sed in solo Deo sunt occultæ. Et ideo Angeli non cognoscunt eas in se ipsis, nec etiam in Deo, sed cognoscunt eas, secundùm quòd in effectibus explicãtur. Cum igitur rationes pertinentes ad multiformem sapientiam Dei sint huiusmodi, scilicet in solo Deo absconditæ, & postmodum in istis formis effectibus explicatæ, manifestum est, quòd Angeli eas, nec in se ipsis, nec in ipso Verbo, nec etiam ab Apostolis, nec à viatoribus aliis cognouerunt, sed in ipsis Apostolis explicatas, prius in mente diuina latentes, cognouerunt.*

Explicatur exẽplo Angelici Doctoris.

Potestque explicari exemplo, quod ad hoc intentum adducit Sanctus Doctor his verbis: *Sicut domum, quæ est in mente artificis, vel conceptum de domo facienda nullus scire potest, quandiu latet in mente, nisi solum ille, qui solus illabitur animabus, scilicet Deus: sed postquam conceptus est iam in effectu extrinseco explicatus, quia domus iam facta est, sic aliquis de domo iam facta, quæ prius latebat in mente artificis, edocetur: non autem edocetur per domum, sed in domo.*

11 Quæ omnia Angelicus Præceptor loco citato in hac obiectione complexus fuerat, iunctis illis quæ in 2. dist. 11 quæst. vnica art. 4. tradidit. Nam in priori testimonio innuit, quòd sicut ad illuminationem requiritur superabundantia, & maior plenitudo luminis in illuminante ita etiã quòd non sit inferior in perfectione status: nam qui sic inferior est, absolute dicitur inferior: & ideò non est congruum, vt superiorem propriè & in rigore loquendo illuminet. Quare, cum homines viatores, quantumuis habeant intensiorem gratiam aliquibus Angelis beatis, nihilominùs semper sunt actu imperfectiores in statu, licèt in potentia, & quodammodo in virtute habeant hanc perfectionem, quatenus postea ex vi huius gratiæ, & meritorum habebunt perfectiorem beatitudinem: idcircò Angeli propriè loquendo non illuminantur ab eis: & propterea Angelicus Præceptor in hoc testimonio sic inquit: *Dicendum, quòd ista illuminatio, de qua loquimur, fit per lumen gratiæ perficiens lumen naturæ. Nec tamen sequitur, quòd homo in statu viæ possit illuminare Angelum: non enim habet maiorem gratiam in actu, sed solùm in virtute: quia habet gratiam, per quam, vel ex qua potest mereri perfectiorem statum. Sicut etiam pullus equi statim natus est maior virtute, quàm asinus, minor autem actuali quantitate.*

In secundo verò testimonio ex secundo Sententiarum asserit, quòd per modum illuminationis nullus homo potest docere aliquem Angelum: at verò per modum expletionis rerum, quas Angeli completas vidét in prædicatione, & doctrina Apostolorũ, ipsi

ipſi Apoſtoli dicuntur Angelos docuiſſe. Et
D. Thom. ſic concordat D. Thomas pugnam inter D.
D. Hier. Hieronymum ſuper cap. 13. ad Epheſ. dicē-
Auguſt. tē, Angelos didiciſſe per homines Incarna-
Dionyſ. tionis myſterium, & Auguſt. lib. 5. citato ſu-
per Geneſ. ad litt. & Dionyſ. lib. 4. de Cœleſ-
ti Hierarchia dicentes, homines edoctos fuiſ
ſe ab Angelis de eodem myſterio.

Aduertendum tamen circa hanc ſolutio-
nem deſumptam ex D. Thoma lectione
illa. 3. ſuprà relata, quòd cùm Angelicus Præ
ceptor in ea inquit, quòd rationes myſterio-
rum gratiæ totam creaturam excedentes
non ſunt inditæ mentibus Angelorum,
non eſt ſenſus, quòd Angeli non habeant
ſpecies inditas vtcumque repræſentantes
huiuſmodi rationes, quamuis actu, & in
exercitio illas non repræſentent, niſi acce-
dente illuminatione facta à Deo immediatè
vel mediante aliquo Angelo; ſed quòd non
ſunt inditæ, tamquam non indigentes reue-
latione, aut illuminatione ad repræſentatio-
nem omninò in actu, & exercitio. Vnde idem
Sanctus Doctor quæſt. & ar. nuper citatis de
Veritate in ſolutione ad 10. fatetur, quòd dū
vnus Angelus ab alio illuminatur, nō infun-
duntur ei nouę ſpecies, ſed ex eiſdem ſpecie-
bus, quas priùs habebat intellectus eius con-
fortatus per lumen ſuperioris (modo ex
eodem Angelico Doctore in hac diſp. ex-
plicando) efficitur plurium cognoſcitiuus.

Obiectio. 12 Nec etiam obſtat, ſi contra confir-
mationem eiuſdem rationis obijcias, eſſe diſ
parem rationem inter minus calidum coniun-
ctum magis calido, & inter vnum Ange-
lum coniunctum cum altero ſuperiori. Nam
in his coniunctio non eſt aliud, quam pura
& nuda coexiſtentia vnius ad alterum, vt
conſtat ex illis, quæ ſupra diximus, & am-
plius patebit ex his, quæ in duobus ſequen-
tibus dubijs aſſeremus. Ex hac autem non
ſequitur aliqua confortatio: quia nō dicit, vt
vnus eorum imprimat aliquid alteri. Cæ-
terùm minus calidum confortatur ex coniun-
ctione ad magis calidum: quia non eſt
ibi pura & nuda coexiſtentia: ſed vltra
eam, habet minus calidum intendi in ſuo
calore per actionem, & impreſsionem ma-
ioris caloris deriuati à magis calido in ip-
ſum.

Reſponſum præbetur. Reſpondetur enim, per hanc coniunctio
nem aliquo modo confortari Angelum,
inferiorem per lumen ſuperioris, non qui-
dem per impreſsionem phyſicam, ſed per
modum confortationis artificioſæ, ſeu per
modum cuiuſdam magiſterij confortantis
ad modum artis ipſam naturam, vt dub. 4.
huius diſp. latius dicemus: quia hic modus
confortationis, & non alius eſt proportiona-
tus naturæ Angelicæ, quando ab aliquo ſu-
periori Angelo illuminatur, & confortatur.
Vnde vis confirmationis ex D. Thoma de
ductæ conſiſtit in hoc, quòd ſicut corpora
confortantur ex coniūctione ad alia ſuperio
ra iuxta ſuam naturam, ideſt, per impreſsio-
nem phyſicam: ita etiam Angelus inferior
confortatur ex coniunctione ad ſuperiorem
iuxta propriam naturam Angelicam, nempe
per modum artis adiuuantis naturam, ſeu
per modum cuiuſdam magiſterij artificioſi,
quia vnus Angelus non eſt capax illumina-
tionis ab altero tamquam à cauſa principali,
de qua in præſenti loquimur, niſi tantum iſto
modo.

§. III. *Oppoſita ſententia, cum ſuis fundamentis, & reſponſionibus.*

13 OPpoſitam tamen ſententiā noſ **Contraria ſententia.**
træ aſſertioni tuetur in re Durā *Durand.*
dus in 2. diſt. 11. q 3. circa finem. Probatur **Primū fundamentum.**
primò ex illo Apocal. 21. vbi de ciuitate
beatorum dicitur, eam non egere Sole, nec
Luna, ex eo quòd claritas Dei illuminabit
eam: vbi exponit Gloſſa, quòd diuina clari-
tas Doctores maiores, & minores illumina-
bit. Ergo cùm iam Angeli ſint ciues huius
ciuitatis, non illuminabūtur, niſi à ſolo Deo.

Reſpondetur ex D. Th. q. citata de veri- **Soluitur.**
tate art. 1. ad 13. teſtimonium hoc eſſe intel- *D. Thom.*
ligendum de his, quæ pertinent ad cognitio-
nem beatitudinis eſſentialis, & quoad ea,
quæ vnuſquiſque beatus videt in Deo, in qui-
bus omnes Angeli illuminantur ab ipſo, non
verò ab alijs Angelis.

14 Secundò probatur eadem ſententia. **Secundum**
Nam Angelorum illuminatio ſpectat ad eo-
rum beatitudinem ſaltem accidentalem: er-
go à ſolo Deo illuminabuntur: quoniam bea
tificare pertinet ad largitorem præmij: ſolus
autem Deus eſt illius largitor.

Reſpōdetur ex Bañez art. 1. huius q. dub. **Solutio Bañez.**
1. in ſolut. ad 2. quod ad præmium eſſentia-
le, ſicut ſolus Deus concurrit obiectiuè, ita ſo
lus concurrit effectiuè, conferendo lumē glo
riæ, quod eſt principium viſionis beatæ: at
verò quoniam præmium accidētale, ſeu bea-
titudo accidētalis eſt gaudium de bono crea
to, non eſt mirum, ſi creatura poſsit etiam cō
currere effectiuè ad aliquid, quod pertinet ad
præmium accidentale: nihilominùs, quia to-
tum hoc ex diuina ordinatione prouenit, id-
circò Deus dicitur præmiator, quia eſt Rex
ſupernæ ciuitatis, diſponens, & diſtribuens
ſingulis ſecundùm meritum, & proportionē
ſuæ dignitatis. Conueniūt autem omnes bea
ti in hoc, quòd cùm meruerunt ſuā beatitudi
nē eſſentialem, conſequenter etiam meruē-
rūt, vt beatitudinis aliorū quorūcūque eſſent
participes, gauderentque adinuicem, ſicut
ciues vnius Reipublicæ, de aliorum fœlicita
te. Cæterū qui in beatitudine eſſentiali ſunt
excellentiores, communicant notitiā ratione

plurium rerum, quas vident in diuina essentia, minùs beatis, eo modo, quo sibi possibile est communicare: & hanc communicationem
S. Thom. appellamus illuminationem, vt S. Thomas explicat in solut. ad primum.

15 Tertiò probatur prædicta sententia. Nam intellectus Angeli est nobilior intellectu agente animæ nostræ: iste autem nunquam illuminatur, sed solùm illuminat: ergo Angeli numquam habebunt illuminari, sed illuminabunt.

Diluitur. Respondetur, esse disparem rationē. Quia intellectus agens non est cognoscitiuus, ac proinde nec passiuus, sed solùm actiuus: intellectus autē Angelicus est suo modo passiuus, quia est intellectus cognoscitiuus: & ideò iste poterit illuminari ab intellectu superiori creato, secùs verò ille: quoniam illuminare illuminatione spirituali, tantùm conuenit intellectui cognoscitiuo. Nec indefit, intellectū agentem animæ nostræ esse simpliciter nobiliorem intellectu Angelico, sed solùm secundùm quid: quia superatur ab Angelico in immaterialitate, & gradu ipsius. Quæ solutio de
D. Thom. sumitur ex D. Thoma q. 9. de de Verit. art. 1. ad 12. his verbis: *Dicendum, quod nullares, quantumcumque materialis, recipit aliquid secundùm id, quod est formale in ipsa; sed solùm secundùm id quod est materiale in ea: sicuti anima nostra non recipit illuminationem ratione intellectus agentis, sed ratione possibilis: velut etiam res corporales non recipiunt aliquam impressionē ex parte formæ, sed ex parte materiæ: & tamen intellectus possibilis noster est simplicior, quàm aliqua forma materialis. Ita etiam & intellectus Angeli illuminatur secundùm id, quod habet de potentialitate; quamuis ipse sit nobilior intellectu agente nostro, si non illuminatur.*

DVBIVM II.

Vtrùm vnus Angelus alterum illuminet per hoc, quòd physice infundat ei aliquid in ordine ad prædictam illuminationem?

SEMEL explicata quæstione *an est* de illuminatione Angelorum, statim pulsat animum inquirere, quomodo hæc illuminatio fiat? Ceterùm quia circa hoc sunt varij modi dicendi, & si hi in vno & eodem dubio congererētur, nō posset non prolixitas, & obscuritas inde oriri: idcircò potiores ex illis in diuersis dubijs adducemus, vt ita clariùs, & absque prolixitate procedatur.

§. I. *Resolutio dubij ex mente D. Thomæ, & primum eius fundamentum.*

16 DIcendum ergo est, vnum Angelum non illuminare alterum per hoc, quòd physicè infundat ei aliquid in ordine ad prædictam illuminationem. Ita D. Thomas in 2. dist. 9. q. 1. ar. 2. ad 4. & q. 9 de Veritate. art. 1. ad 2. his verbis: *Per hoc, quòd superior Angelus suum cognitum alteri Angelo demonstrat, eius intellectus confortatur ad alia cognoscenda, quæ priùs non cognoscebat. Et sic non fit in Angelo illuminato nouum lumen naturæ, vel gratiæ: sed lumen quod priùs inerat, confortatur per lumē contentū in cognito percepto à superiori Angelo.* Vbi (vt vides) Angelicus Præceptor tantū inquit, Angelum inferiorem confortari in ordine ad capiendam aliquam veritatem sibi ignotam, ac proinde illuminari solùm per hoc, quòd superior suum cognitum illi demonstret. In hoc autem solùm significatur confortatio per modum cuiusdam magisterij artificiosi, non verò impressio, aut intensio physica alicuius luminis, aut alicuius alterius, sed satis est obiectum illud (vt innuit D. Thomas in posterioribus verbis) fuisse cognitum, & per consequens illuminatum ab Angelo superiori, & ab eo sic proponi inferiori: quia eo ipso in illo obiecto sic proposito continetur, siue splendet lumen superioris Angeli: & hoc dumtaxat modo per lumen superioris Angeli illuminatur, & eius intellectus confortatur. Asserrio D. Thomæ

Quod etiam satis colligitur ex eodem Angelico Præceptore art. 1 huius q. in corpore, & in solutione secundi: hanc que esse eius mentem, ex testimonijs eiusdem in dub. 3. huius disp. referendis satis patebit. Et tandem hanc eamdem assertionem tuentur Alensis 1. p. q. 38. membr. 3. Bonau. in 2. dist. 10. art. 2. q. 2. Ægidius distinct. 9. quæst. 1. artic. 5. Hispalens. in 2. dist. 11. quæst. 1. artic. 3. Caiet. Bañez, Zumel, Ripa, Nauarrete in præsenti, Valentia q 4. puncto 1. Vazquez disp. 216. cap. 4. Arrubal disput. 173. cap. 2. Granado tract. 5. disp. 3. sect. 3. Turrianus disput. 67. dub. 1. Suarez quoad denegationem noui luminis, & intensionis illius lib. 6. de Angelis cap. 13. *Angel. Præcept. Alensis. Bonauent. Ægid. Hispalens. Cvietan. Bañez. Zumel. Ripa. Nauarr. Valentia. Vazquez. Arrubal. Granado. Turrian. Suarez.*

17 Ratio autem prior, & fundamentalis huius assertionis desumitur ex varijs locis Sancti Doctoris, & in testimonijs nuper citatis innuitur, potestque ad hanc formam reduci: quoniam si Angelus posset illuminari ab alio Angelo superiori per hoc, quòd Ratio prior.

quòd physicè ei aliquid imprimeret, vel hoc fieret imprimendo ipsi lumen intellectuale? Vel intensionem eius, per quam confortaretur illius intellectus? Vel tandem aliquid intentionale, vt nouam aliquam speciem intelligibilem? At hæc physicè imprimere Angelo, non est alicuius alterius Angeli, quantumuis superioris, sed solius Dei: ergo vnus Angelus non illuminabit alium per prædictam impressionem. Consequentia non indiget probatione. Maior videtur certa. Quia cùm ad veritatem illam capessendam, de qua illuminatur Angelus, solùm desiderentur lumen, & species, sicut & ad quamlibet aliam cognitionem: inde est, vt si hæc illuminatio deberet fieri per physicam impressionem, seu propriam, & physicam effectionem alicuius, tantùm deberet esse per impressionem noui luminis, vel intensionem eius, vel tandem per infusionem alicuius nouæ speciei.

Minor autem quoad productionem luminis, aut intensionem eius probatur. Nam vel illud lumen esset naturale, nempe potentia intellectiua Angeli illuminati? Et hoc non: siquidem constat, physicam productionem huius solum pertinere ad Creatorem naturæ Angelicæ, quippe quod vnà cum illa concreatur tamquam proprietas illius: & similiter lumen istud debet intendi (si semel intensibile est) intensione quoad præsens idonea, ab eo solùm, qui potest illud producere: sicut illud agens solummodò potest calorem intendere, qui illum queit producere. Vel prædictum lumen est supernaturale? Et hoc, clarius est, nec posse physicè produci, nec intendi, nisi ab auctore supernaturali, vt in habitibus supernaturalibus constat: quodque potest corroborari ex eo, quòd lumen istud est longè nobilius lumine naturali. Ergo si Angelus nequit producere, aut intendere lumen naturale alterius Angeli, multò minùs hoc poterit circa lumen supernaturale.

Deinde eadem minor quoad physicam, siue veram & propriam productionem alicuius nouæ speciei intelligibilis, constat ex illis, quæ suprà diximus, vbi latè rationibus D. Thomę probauimus, species intelligibiles solùm infundi à Deo mentibus Angelicis, non verò ab vno in alium Angelum deriuari.

Euasio prima.

18 Nec obest, si occurras primò, hinc ad summum fieri, vnum Angelum non posse producere, aut intendere lumen alterius, aut producere nouam speciem, atque adeò nec illuminare illum media huiusmodi productione, aut intensione per modum causæ principalis, secùs verò in virtute diuina, & per modum causæ instrumentalis.

Impugnatur.

Nam contra hoc est. Tum, quòd si semel nequit virtute propria hoc modo illuminare, erit vtique talis illuminatio miraculosa, siue non debita Angelo illuminanti: at ad astruendum hoc genus illuminationis non adest sufficiens fundamentum: alioqui eadem facilitate posset dici, Angelum superiorem concurrere instrumentaliter ad infusionem gratiæ, aut aliorum donorum, quæ conferuntur Angelis inferioribus, aut etiam hominibus. Tum etiam. Quia quòd Angelus superior illuminet inferiorem, prouenit ex abundantia luminis existentis in superiori. vt docet D. Thom. q. 9. de Veritate ar. 1. ad 14. ac proinde ex perfectione & excellentia illius in ipso præsuppositæ: at prædictus modus instrumentalis non dicit tantam perfectionem in re, cui conuenit, quæque assumitur ad hanc causalitatem: & ideò adhuc res corporales, & infimæ notæ assumuntur ad hanc causalitatem, vt in aqua Baptismi liquet. Tum denique (per quod præcedens probatio magis elucidatur). Nam etsi causare dona gratiæ instrumentaliter, & physicè, ita vt hoc sit aliquomodo debitum illi, quod assumitur vt instrumentũ, denotet satis excellentiæ & nobilitatis, vt in Christo Domino cõtingit, & propterea hoc in illo præsupponat, & dicat maximam quamdam excellentiam: non tamen assumi, vtcumque vt instrumentum ad istam causalitatem, vt in exemplo appositò aquæ Baptismi liquet. Constat autem, vni Angelo non esse debitam hanc causalitatem respectu alterius Angeli: ergo &c. *D. Thom.*

19 Nec etiam, obest si secundò dicas ex Richardo in 2. distinct. 9. quæst. 2. art. 1. & Marsilio in 2. quæst. 7. ex hac ratione non excludi, quin Angelus superior illuminet alium, non quidem per productionem physicam, & propriam luminis, aut intensionẽ illius, sed per productionem physicam alicuius qualitatis deseruientis per modum dispositionis ad hoc, vt Deus infundat nouum lumen supernaturale aut intendat præexistens: sicut dum quis elicit actus charitatis, disponitur per illos ad infusionem, aut intensionem habitus eiusdem charitatis, quamuis prædictus actus non producat physicè talem habitum. **Secunda Richardi & Marsilij.**

Nam in contrarium obstat, quòd illa dispositio, si (vt supponitur) positiua est, & per se præparat mentem ad illuminationem, debet esse in intellectu: at in intellectu Angeli illuminati nihil est, nisi vel actus cognoscendi, vel principia illius, quæ sunt potentia ipsa, vel species, vel habitus aliquis, seu lumen ab illa distinctum, eique infusum: nihil autem horum fit ab Angelo illuminante, vt dictum est: ergo nulla dispositio producitur ab eo physicè in Angelo illuminato, per quam disponatur ad infusionem, aut intensionem propriam luminis à Deo. **Refutatur.**

Adde, tum quòd dispositio requisita **Præcluditur vlterius**

ad infusionem luminis, aut habitus supernaturalis solùm potest poni ab eo, cui infunduntur, saltem secundùm communem cursum, vt in exemplo proposito de habitu charitatis constat: & ideò vnus Angelus nequit producere dispositionem requisitam ad hoc, vt prædictus habitus alteri Angelo infundatur, sicut neque ad hoc, quòd habitus fidei recipiatur ab homine per infusionem à Deo. Tum etiam. Quia luminis infusio ad cognoscendã aliquam veritatem ignotam non est cur egeat dispositione aliqua physica distincta à lumine, & specie intelligibili, sicut nec aliæ intellectiones Angelicæ ea indigẽt. Maximè, quia hic nõ loquimur de dispositione per modum causæ meritoriæ, quæ nec ad rem est, nec vnus Angelus hanc alteri meretur.

Tertia solutio Capreoli.

20 Nec etiam refert, si tertiò respondeas ex Capreolo in 2. dist. 11. q. 2. ad priora argumenta Durandi contrà secundam conclusionem, quòd ex hac ratione ad summum sequitur, vnum Angelum nõ illuminare alium per impressionem alicuius qualitatis naturalis, aut speciei intelligibilis. Cæterùm cum hoc stare, vt illuminet illum confortando intellectum eius, & imprimendo illi participationem sui luminis per qualitatem quamdam intentionalem ad modum virtutis instrumentalis, & ad modum luminis, quo intellectus agens illuminat phantasmata.

Euertitur.

Non igitur hoc refert. Tum, quia Angelus superior non potest, naturaliter participare proprium modum intelligendi alterius: ergo neque illi potest communicare qualitatem aliquam intentionalem, quæ sit participatio luminis eiusdem Angeli superioris: ergo si hęc illuminatio debet fieri per impressionem physicam alicuius, debet esse per aliquam ex illis, quæ in hac ratione retulimus, quæ tamen impressio, vt constat, non potest astrui. Hæc secunda consequentia ex priori patet: prior verò ex antecedenti. Quoniam imprimẽs participationem sui luminis intellectualis, communicat proprium modum, quo ipse intelligit, siue proprium modum operandi: & ita phantasma illuminatum per impressionem intentionalem luminis ipsius, participat modum operandi intellectus agentis, nempe, productionem speciei intelligibilis, & spiritualis, per quam intellectus possibilis immutetur. Tum etiam. Quia videtur esse contra perfectionem Angelicæ naturæ, & modi perfectissimi intelligendi illius, quòd vnus Angelus secundùm ordinem naturæ intelligat vt instrumẽtũ alterius: ergo Angelus superior nõ illuminabit inferiorẽ per hãc qualitatẽ intentionalem ad modum virtutis instrumentalis; sed si per impressionem alicuius qualitatis id faceret, deberet esse per impressionem iam dictã alterius luminis, aut speciei, quod, vt ex ratione facta constat, nequit ab eo præstari.

Tum deinde. Quia etsi phantasmã, propter coniunctionem naturalem cum intellectu agente, tanquam cum aliquo pertinente ad idem suppositum, possit naturaliter eleuari ad participationem hanc intentionalem luminis prædicti intellectus, quia inferiora sic coniuncta possunt hoc modo perfici à superioribus; non verò ea, quæ omninò separata sunt, & ad distincta suppositapertinent, & intra suam lineam habent magnam perfectionem, vt in natura Angelica contingit. Tum denique. Quia id, per quod Angelus inferior debet confortare, pertinet ad ordinem supernaturalem: quia illuminatio, vel debet esse de mysterijs supernaturalibus, vel si est de naturalibus, ad summum erit de futuris contingentibus, vt in hac eadẽ disp. dicemus. Constat autem ex dictis q. 57. cognitionem horum excedere totam naturam, ac proinde requirere infusionem luminis supernaturalis. Et ita contra hanc solutionem vrget id, quod in ratione nostra circa infusionem, aut intensionem propriam luminis supernaturalis ab alio Angelo factam dicebamus.

Quarta euasio.

21 Nec præterea obstat, si quartò eandem rationem enodare nitaris, asserendo ex Bañez art. 1. huius quæst. dub. 2. ex ratione facta ad summum conuinci, hanc illuminationem non fieri per additionem alicuius luminis, aut speciei inhærentis in Angelo inferiori, non tamen quòd non fiat per hoc, quòd lumen Angeli superioris coniungatur cum lumine inferioris, assistendo illi, & coadiuuando ipsum ad intelligendum id, de quo illuminatur, & simul cum eo efficiendo prędictam intellectionem. Nam per prædictam assistentiam, & coefficientiam remanet intellectus Angeli inferioris confortatus ad percipiendum id, ad quod non habebat anteà sufficientes vires physicas.

Bañez.

Reijcitur.

Nam contra; hoc est, quòd etsi certum sit in doctrina D. Thomæ, Angelum inferiorem confortari ex conuersione, & coniunctione superioris ad ipsum: siquidem, vt Sanctus Doctor loquitur, id facit in spiritualibus ordo conuersionis, quod facit in corporalibus ordo corporalis propinquitatis: nihilominùs hæc coniunctio non debet ita explicari, vt explicat Bañez, nempe, ita vt Angelus superior physicè efficiat prædictam intellectionem inferioris, & inferior non sit physicè potens ad hoc, vt percipiat veritatem, de qua illuminatur, nisi per huiusmodi coefficientiam Angeli superioris.

22 Et ratio est. Tum, quia id, quod est physicè impotens ad aliquid, non redditur potens physicè ad illud, nisi ei physicè aliquid imprimatur, per quodque immutetur, & fiat potens, alioqui manebit sicut anteà: & propterea in ordine ad actus supernaturales, ad quos natura Angelica est secundùm se im-

potens

potens physice, non potest reddi potens per hoc quòd Deus, vt auctor supernaturalis, vniatur illi per solam assistentiam, sed oportet, vt illi imprimat aliquid supernaturale prę uium ad prædictos actus, ratione cuius redda tur proximè potens ad illos eliciendos. Ergo si semel Angelus inferior est physicè impotens ad capiendam illam veritatem, non poterit confortari ab Angelo superiori, nisi per impressionem alicuius inhærentis, & præsup positi per modum actus primi ad illam illuminationem scilicet vel luminis, vel speciei: & tunc aduersus hãc impressionẽ luminis, aut speciei directè ratio à nobis facta procedit.

Tum etiam. Quia nõ est minoris virtutis lumẽ gloriæ, quã aliud lumen existens in Angelo superiori: at lumen gloriæ Angeli superioris nequit hoc modo vniri cum lumine gloriæ inferioris ad producendam visionem beatificam vnà cum Angelo inferiori, quæ sit intensior, & efficacior illa, quã potest elicere prædictus Angelus inferior: ergo, &c.

Tum denique. Quia vna & eadem intellectio nequit effici à duplici causa particulari, & eiusdem ordinis: sed si illa intellectio fieret ab vtroque Angelo inferiori, & superiori, efficeretur vtique ab eis, vt à causis particularibus, & eiusdem ordinis: ergo nequibit fieri ab illis: & per consequens, si hæc confortatio debet fieri physicè, oportet, vt fiat per impressionem alicuius luminis, vel speciei productæ à solo Angelo superiori: tuncque ratio principalis à nobis facta vrgebit contrà hoc. Minor, in qua est difficultas, probatur. Quoniam si Angelus superior concurreret ad illam intellectionem per modum causæ vniuersalis, deberet assignari in illa aliqua ratio vniuersalior, quæ ipsi potissimè attribueretur, vt in concursibus aliarum causarũ particularium, & vniuersalium contingit: at hæc ratio assignari nequit: siquidem intellectus Angeli inferioris concurrit ad illam intellectionem sub quibuscunq; rationibus generalibus illius, sub quibus Angelus superior poterat concurrere, nempe, sub ratione talis intellectionis secundùm speciẽ, necnõ sub ratione intellectionis vt sic in tali gradu immaterialitatis, sinè non excedẽtis prædictum gradũ.

Confirmatur. Confirmatur hæc eadem probatio. Nam ideò Deus potest coefficere vnà cum intellectu Angelico intellectionem Angeli per modum causæ vniuersalis, quia ibidem reperitur ratio quædam vniuersalis correspondens Deo soli, vt vniuersalissimæ causæ, scilicet ratio entis creati: at Angelus superior non potest attingere aliquem effectum, aut operationem sub ratione ista, nec alia superest in prædicta intellectione, quę nõ correspondeat etiã Angelo inferiori, vt dictum est: ergo, &c.

Vltima solutio rationis D. Th. 23 Nec tandem refert, si aliter coneris præcipuam rationem dissoluere, afferendo, ex ea saltem non sequi, non posse Angelum illuminare intellectum alterius per impressionem, vel alicuius modi modificantis lumen præexistens, qui sit extensio quædam præcedentis luminis ad illam nouam veritatem capessendam, vel per productionem alicuius habentis se per modum habitus additi lumini intellectuali Angelico.

Nam contra hoc est, quòd modus extensionis ab illo naturaliter producitur, qui potest producere lumen, quod extenditur per illum, vt in habitibus scientificis ordinis naturalis constat: nam in istis additur modus extensionis per nouam demonstrationem, quæ tamen posset producere eundem habitum scientificum, si non esset productus. Ergo cũ ex ratione facta ostensum sit, hanc illuminationem non fieri per additionem luminis, fit inde, vt satis ex ea constet, non fieri per additionem prædicti modi. **Editur.**

Adde, quòd iste modus debet esse supernaturalis, vt cõtra solutionẽ Capreoli nuper dicebamus: & ita cõtra ea procedũt illa, quæ circa lumẽ supernaturale in ratione nostra addu cta sunt. Vnde etiã manet exclusa positio noui illius habitus: quia etiã iste deberet esse supernaturalis. Cui etiã addi potest, quòd vel ille habit⁹ requiritur ad facilius posse, vel ad posse simpliciter? Si ad hoc vltimũ, erit absolutè & simpliciter lumẽ: sicut lumẽ gloriæ requisitũ hoc modo ad visionẽ beatificã, dicitur absolutè & simpliciter lumẽ in ordine ad prædictã visionẽ. Si autem solùm requiratur ad facilius posse, poterit vtique fieri prædicta illuminatio absq; illo, nec erit cõgrua additio illius, vt ex statim dicendis amplius patebit.

§. II. *Alia ratio assertionis ex D. Thoma deprompta.*

Secunda ratio fundamentalis. D. Thom. 24 Secunda, & fundamentalis etiam ratio assertionis desumitur ex his, quæ innuit D. Thomas suprà q. 12. art. 4 quæ potest sub hac forma proponi. Nam Angeli sunt in supremo gradu immaterialitatis creato, nempe in tertio, quẽ D. Th. art. 4 nuper citato enumerat, importãte, quòd res, quæ in illo est, sit partim in actu, & partim in potẽtia. Partim quidẽ in actu, quia semper habet ea, quæ requirũtur ad actũ primũ: partim verò in potẽtia, quia nõ semper est in actu secũdo respectu omniũ illorũ, respectu quorũ est in actu primo. Ergo Angeli nõ illuminabuntur ab alijs Angelis per impressionẽ physicã alicuius luminis, aut speciei, vel alterius rei, aut modi pertinẽtis ad actũ primũ physicum, ac proinde nec per impressionẽ physicã veram & propriam spectantem ad actum secundum.

Antecedens probatur, & explicatur. Nã gradus prædictus petitur à maxima perfectione intellectualitatis naturæ Angelicæ, vt ita distinguatur ab illis, quæ tantùm sunt in pura

pura potentia in ordine immateriali,& intelligibili,qualis est homo pro hoc statu, cuius intellectus est tamquam tabula rasa,in qua nihil est depictum,necnon & ab intellectu diuino,qui est in supremo immaterialitatis gradu:& propterea semper est in actu primo coniuncto, siue identificato cum actu secundo: ac tandem, vt per hoc intellectus Angelicus teneat mediũ quoddam (vt reuerà tenet) inter intellectum diuinum,& humanum:quatenus communicat cum intellectu humano in hoc,quòd sit in actu primo ex parte luminis consistentis in potentia intellectiua: & cum intellectu diuino in hoc,quòd non solùm est in actu ex parte prædicti luminis, sed etiã ex parte aliorum quæ requiruntur ad actum primum,& separabilia sunt ab actu secundo.

25 Ex quo prima consequentia eiusdem primi enthymematis satis liquet. Quoniam ea,quæ requiruntur ad hoc,vt natura intellectualis sit in gradu immaterialitatis sibi debito, tribuuntur ab auctore illius naturæ, & infunduntur simul cum ipsa natura: quia ad ipsum spectat producere illam cum integritate sibi debita,qualis est prædictus gradus immaterialitatis.Et ita Angelus illuminatus ab alio non egebit,vt ab illuminante imprimatur ei physicè aliquod pertinens ad ordinem actus primi,per quod reddatur physicè potens ad capiendam illam veritatem, de qua illuminatur.

Secunda verò consequentia eiusdem primi enthymematis ex probatione præcedentis consequentiæ satis liquet. Quoniam si semel Angelus habet omnia, quæ physicè requiruntur ad actum primũ ex infusione Dei, non est cur ad hoc,vt illuminetur ab alio Angelo,egeat,quòd Angelus illuminans imprimat illi physicè aliquid pertinens ad ordinem actus secundi,quale esset, si præcisè illa intellectio,qua Angelus capit veritatem sibi ignotam,physicè causaretur ab vtroque Angelo,illuminante nimirum & illuminato, vt Bañez volebat. Siquidem semel Angelo completo in ordine actus primi absque depẽdẽtia physica ab altero Angelo,non est cur in operatione correspondẽte illi actui primo egeat physico adiutorio illius respectu prædictæ operationis.

Bañez.

Confirmatur.

Possuntque hæc confirmari ratione desumpta ex illa, quam suprà disput. 5. ex Angelico Præceptore adduximus ad probandum,Angelum nõ acquirere successu,& discursu temporis species intelligibiles, sed eas infundi illi à Deo in instanti creationis, propter proportionem,quæ debet esse inter suprema corpora quoad informationem per suas formas substantiales, & substantias supremas, & separatas, quales sunt Angeli, quoad receptionem suarum formarum intelligibilium: ac proinde, sicut illa ab initio suæ productionis,& à Deo habent suas formas substantiales, ita etiam ab initio suæ creationis,& à Deo habebunt istę suas formas intelligibiles, & per consequens quicquid ex parte intellectus requiritur per modum actus primi ad habendum,& vtendũ prædictis speciebus per se petitis ab initio productionis: quia quoad hoc par est ratio vtrobique:& quia nihil petit, tamquam quid sibi debitum,infusionem specierum,nisi dum habet ex parte luminis, quicquid in ordine actus primi requiritur ad eis vtendum.

Obiectio.

26 Nec obest,si contra secundam hanc rationem obijcias primo, ex ea solùm sequi Angelum produci à Deo in primo instanti cum omnibus ad actum primum naturalem requisitis, & respectu cognitionis ordinis itidem naturalis, non verò supernaturalis: ergo non est necesse, vt respectu illuminationis, qua illuminatur ab alio Angelo, habeat à Deo,& ab initio suæ productionis, quicquid requiritur ad actum primum. Antecedens probatur.Nam cum actus secundus supernaturalis, necnon & actus primus eidem correspondens,non debeantur Angelo, quantumuis pertinenti ad supremum gradum immaterialitatis creatum, non est necesse, vt illi infundantur ab initio productionis; secùs verò. propter oppositam rationem, ea, quæ pertinent ad actum primum naturalem,& ad aliquam cognitionem etiam naturalem. Consequentia verò ex antecedenti videtur perspicua. Quoniam actus intellectionis,quo Angelus illuminatus cepit veritatem, de qua illuminatur ab alio Angelo, est supernaturalis, & similiter lumen, per quod elicitur, est supernaturale, vt in præcedenti ratione dicebamus: & ideò non erit necesse, quòd à Deo ab instanti productionis Angeli illi infundantur.

Dilatur.

Respondetur enim, negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, quod etsi prædicta cognitio, & lumen,seu actus ille secundus, & primus sint quid supernaturale,ac proinde non debitum naturæ Angelicæ,non tamen idcircò non infunduntur secundùm communem cursum ordinis gratiæ Angelo ab initio suæ productionis. Quia etsi Deus liberaliter eleuet naturam Angelicam,eleuat tamen illam iuxta modum suum, ac proinde iuxta illum modum,quem habet, & exigit in suis actibus primis, & secundis ordinis naturalis. Vnde propter hanc rationem suprà quæst. 58.diximus,Angelum, adhuc in ordine supernaturali,non accipere à Deo lumen discursiuum circa obiecta supernaturalia: quia eleuatur iuxta modum suum naturalem; & modus suus naturalis non est intelligere discurrendo. Et similiter diximus, eleuationi, qua Angelus eleuatus est ad ordinem super-

ſupernaturalem, deberi, quòd in eodem inſtanti, in quo eleuatur, infundãtur ei gratia, & alia dona ſupernaturalia eandem concomitantia, necnon & quòd Deus per ſpecialem applicationem actualem factam ab ipſo, vt ab agente particulari, applicet illum ad actum amoris ipſius Dei ſupernaturalem: ac tandem quòd Deus eleuet liberaliter hoc modo Angelum, quia liberaliter eleuat illum iuxta modum ſuum naturalem: & hic petit, vt Angelus in ordine ad ſuum finem naturalem habeat, quicquid requiritur in ordine actus primi ad dilectionem ipſius, & inſuper actualem dilectionem eiuſdem, ad quam peculiariter applicetur ab auctore eiuſdem naturæ.

Replica. 27 Nec etiam refert, ſi vrgeas, quòd hoc non obſtante, primus Angelus, qui à Deo immediatè illuminatur, accipe phyſicè nouum lumen ab ipſo Deo in ordine ad capiendam veritatem ſibi ignotam, de qua illuminatur: ergo &c. Antecedens probatur. Quia proprium eſt Dei, illuminare infundendo lumen: ergo vbi adeſt noua illuminatio, aderit nouum lumen: maximè, cùm ſaltem plures ex iſtis illuminationibus fiant per modũ tranſeũtis: ergo requirẽt lumẽ etiã per modum tranſeuntis: & per conſequens denuò additum, & tranſiens cum ipſa perceptione obiecti, de quo illuminatur.

Soluitur. Reſpondetur, negando antecedens: alioqui etiam cæteri Angeli illuminati ab alijs Angelis ſuperioribus egerent prædicto lumine denuò infuſo à Deo: quia in illis eſt minus luminis, quàm in Angelo ſuperiori. Etita, licèt ſit proprium Dei, illuminare infundendo lumen Angelo per phyſicam impreſsionem illius, non tamen per lumen denuò additum, & non infuſum in inſtanti creationis: quia, vt modò dicebamus, infundit illud Angelo iuxta modum eiuſdem Angeli. Vnde Deus illuminat primum Angelum ei proximiorẽ, applicando ſpeciali applicatione tenente ſe ex parte actus ſecũdi lumen intellectuale eiuſdem Angeli infuſum ei à Deo in inſtanti ſuæ creationis: & media iſta applicatione Angelus elicit intellectionem, qua capiat veritatẽ illam, ad quam capiendam Deus ſpecialiter applicat: tuncque Angelus cognoſcens ſuam illam intellectionem, percipit illam eſſe factam à Deo ex peculiari applicatione, & per conſequens non poſſe illi ſubeſſe falſum: & ita hoc modo cognoſcit, ſe eſſe illuminatum à Deo, mediaque hac illuminatione illuminat Angelum ipſi immediatè inferiorem, & ſic de alijs, modo in dubio ſequenti explicando.

Per quod etiam patet ad illud, quod in eadem probatione additur, ſcilicet, ſaltem plures ex iſtis illuminationibus factis primo Angelo fieri per modum tranſeuntis. Nam ad hoc, vt illuminatio fiat per modum tranſeuntis prædicto Angelo, ſatis eſt, quòd per modum tranſeuntis detur illi à Deo prædicta applicatio tenens ſe ex parte actus ſecundi, non verò deſideratur, quòd lumen ipſum ſit per modum tranſeuntis, tranſeatque vnà cum eadem operatione. Sicut etiam illuminationes actuales actiuæ, coniunctæ cum illuminationibus paſsiuis, & actualibus aliorum Angelorum, poſſunt fieri per modum tranſeuntis (ſiquidem Angeli illuminati non debent ſemper attendere ad ea, quæ per illuminationem acceperunt) ex eo quòd applicatio vniuerſalis tenens ſe ex parte actus ſecundi, & procedens à Deo, vt à cauſa vniuerſali, datur ab ipſo per modum tranſetis.

Alia replica. 28 Nec tandem obſtat, ſi iterum vrgeas, quòd repræſentantio actualis, & in actu exercito ſpecierum inditarum pertinet ad ordinem actus primi: & tamen non eſt neceſsè, has cum prædicta repræſentatione tribui à Deo Angelo ab initio ſuæ productionis reſpectu omnium, quorum ſunt repræſentatiuæ: ergo non omnia ſpectantia ad ordinem actus primi infunduntur illi à Deo ab initio ſuæ conditionis.

Enodatur. Reſpondetur ex dictis quæſt. 55. & quæſt. 57. actualem repræſentationem, & in actu exercito non addere ſupra ſpecies, & vim earum repræſentatiuam, quaſi in actu primo ſumptam, aliquam nouam entitatem, modum, formalitatem, aut aliquid aliud intrinſecum eiſdem ſpeciebus, ſed dicere id, quod ab initio habuit Angelus, cum nouo tamen connotato, ſiue conditione. Quia hæc eſt natura harum ſpecierum propter ſui eminentiam, vt id ipſum intrinſecum, quod anteà non repræſentabat actu, & in exercitio illud obiectum denuò ſic repræſentatum, habeat ipſum hoc modo repræſentare, connotando aliquod nouum connotatum. Vnde ad hoc vt Angelus condatur cum omnibus ſibi debitis ex parte actus primi, & illi intrinſecis, ſatis eſt, quòd pruducatur cum omnibus intrinſecis ad prædictum actum: ita vt ex parte eorum non ſit neceſſaria aliqua additio, ſed ipſamet intrinſeca, addito ſolummodò nouo connotato extrinſeco, ſufficiant ad eliciendam illam intellectionem, & ad hoc vt ſpecies ſecundùm ſibi intrinſeca actu, & in exercitio repræſentent.

§. III. *Poſterior ratio aſſertionis ex eodem Angelico Doctore, & alijs Patribus deprompta.*

Vltima ratio D. Thom. 29 POſterior ratio aſſertionis deſumitur ex D. Thoma locis ſupra diſp. 6. relatis, necnon ex alijs Patribus, quos

diſp.

disp. nuper citata adduximus: quæ quidem iam tacta est ibidem, & ad aliud intentum latius expensa; sed nihilominùs potest quoad præsens sub hac forma proponi. Quoniam vnus Angelus, quantumuis superior, non potest illabi per intimum illapsum in alterum, aut in mentem illius: ergo non potest in intellectu eius aliquid pertinens ad actum primum, aut ad actum secundum physicè producere: & perconsequens nec media hac productione alium illuminare. Hæc secunda consequentia est perspicua ex priori: prior verò ex antecedenti. Quoniam si vnus Angelus physicè produceret aliquid ex prædictis in intellectu alterius, produceret vtique illud immediatè immediatione virtutis, & suppositi: quoniam, vt de se constat, non esset necessarium, vt in aliquo medio, & eo mediante, physicè illud attingeret. Maximè, quia sicut illud suppositum medium posset omninò immediatè producere prædictum effectum, sic etiam & Angelus. Ergo esset intra prædictum Angelum, siue intra illius mentem: quandoquidem Angelus ibi est, vbi est suus effectus immediatè ab eodem productus, & prædicti effectus, quippe inhærentes Angelo, essent intrinsecè in illo, siue intra ipsum. Ergo si semel Angelus non potest illabi intra alium Angelum, aut mentem eius, nequibit producere aliquem ex prædictis effectibus in illo: quoniam ad illapsum in Angelum, aut mentem eius solùm requiritur, quòd sit intra eum, aut mentem eius per prædictam productionem.

Antecedens autem habetur ex his, quæ communiter docent Patres, & Theologi, quos disput. citata adduximus, nempe, esse proprium solius Dei intimè illabi intra Angelum, aut animam nostram.

Confirmatur. Possuntque omnia hæc confirmari ex illis, quæ disp. 2. adduximus, vbi hanc eandem rationem expendimus ad probandum, vnum Angelum non posse esse in alio, aut in mente alterius tanquam in loco, ne inde sequatur intimus hic illapsus, quem Patres soli Deo, vt proprium ipsius, tribuunt.

Euasio Suarez. 30 Nec obest, si occurras primò ex Suarez, hunc non esse intimum illapsum, quem Patres vni creaturæ respectu alterius denegant, & soli Deo tribuunt, sed intimum illapsum cum plena potestate & dominio, per quemque id, quòd illabitur, contineat rem, in quam habeat illabi in suo *esse*, in eoque illam conseruet: quæ tamen non conuenirent Angelo, etiam si intimè operaretur in intellectu alterius Angeli, essetque ratione huius immediatæ operationis illapsus in illum.

Non igitur hoc obest. Nam in contrarium vrget id, quòd contra sequentem solutionem adducemus.

Alia euasio. 31 Nec etiã obstat alia solutio præcedenti satis affinis, quæ ex parte videtur desumi ex D. Thoma locis supra disputat. 2. num. 90. relatis, quatenus inquit, quòd esse intra alĩ, illabique in illo, non est vtcumque esse in eo; sed esse intra terminos ipsius, qui quoad præsens non sunt alij, quàm termini essentiæ, scilicet *esse* existentiæ. At licet vnus Angelus operaretur physicè aliquam qualitatem inhærentem in intellectu alterius, non idcircò operaretur intra terminos prædicti intellectus, scilicet intra existentiam, & (vt sic dicamus) post illam versus intrà, sed (vt sic loquamur) suprà illam: cùm prædictus effectus, quantumuis inhærens, haberet se per modum circunstantis eandem existentiam, in eodemque intellectu priùs existente reciperetur. Vnde ad summum hinc haberetur, Angelum illabi in effectu illo producto, quatenus producit aliquid, quòd est intra terminos illius, scilicet essentiam actualem illius qualitatis, quam physicè attingit, quæque per suum *esse* existentiæ est terminata. Constat autem, hũc intimum illapsum sic restrictum & limitatũ non esse illum, quem Patres Deo ob sui eminentiam tribuunt. *D. Thom.*

Non itaque hæc solutio obstat, sicut nec præcedens, quæ saltem in idem ferè cum hac redit. Nam contra vtramque vrget, quod etsi solùm daretur hic intimus illapsus ita strictus & limitatus, nõ idcircò tribueretur creaturæ illapsus proprius Dei, petens infinitam illam eminentiam Dei cum plena potestate & dominio, & cum prædicta continentia, & conseruatione in *esse*. Et similiter, licèt dato præcisè prædicto illapsu, non colligeretur, Angelum illabi in mentem, aut intra substantiam alterius Angeli: attamen quoad præsens nequit dari iste illapsus cum hac præcisione, nec cum prædicta limitatione & restrictione, sed oportet, quòd si Angelus operatur physicè aliquid inhærens in intellectu alterius Angeli, possit illabi, tam in mente eiusdem Angeli, quàm intra eius substantiam. Eliditur vtraque euasio.

Corroborat testimonio D. Tho. 32 Hoc autem ostendi potest, tum ex modo dictis, tum etiam, quia D. Thom. 3. part. quæst. 64. artic. 1. ex eo quòd solus Deus potest illabi animæ nostræ, infert, solum ipsum posse per modum causæ principalis in ea operari, dum inquit: *Dicendum, quòd operari aliquem effectum contingit dupliciter. Vno modo per modum principalis agentis: alio modo per modum instrumenti. Primo igitur modo solus Deus operatur interiorem effectum Sacramenti: Tum quia solus Deus illabitur animæ, in qua Sacramenti effectus existit: non autem potest aliquid immediatè operari, vbi non est.* Hæc autem illatio nulla esset, si ex operatione in animã,

vel

vel in Angelo per modum principalis agentis, illapsus proprius solius Dei non sequeretur.

Tum ratione ex codẽ. Tum denique ratione adducta ab eodem Angelico Præceptore 1. 2. q. 10. art. 6. quæ potest ad hanc formam reduci. Nam producens actionem connaturalem, vel iuxta modum naturæ alicuius, solum est ille, qui potest producere ipsam naturam: ac proinde ille solus poterit actiuè concurrere ad productionẽ actus cognitionis, qua Angelus percipit obiectum illuminatum, quæ est iuxta modum naturæ ipsius Angeli, qui potest producere eius naturam: & ex consequenti ex concursu ad huiusmodi operationem infertur illapsus per modum continentis, aut dantis *esse*, & quòd sic concurrens sit intra terminos essentiæ, habeatque supremum dominium. Hæc vltima consequentia patet ex prima: siquidem producens naturam Angelicam, vt potè purè spiritualem, debet id efficere per creationem, atque adeò illa omnia prædicti rigorosi illapsus habere. Prima autem apertè sequitur ex antecedenti.

Antecedens verò probatur. Quia cùm vnumquodque sit propter suam operationem, id est, ad eam ordinetur tanquam ad proprium, & particularem finem, ille solus potest producere actionem connaturalem, vel iuxta modum naturæ alicuius, qui potest ipsum coniungere cum proprio & particulari fine: hic autem solus ille est, qui potest ipsius naturam producere: vt cernere licet in operationibus connaturalibus leuium, & grauium, quibus suos proprios fines, seu loca naturalia consequuntur, quasque solus generãs illorum effectiuè principaliter producit: & similiter in operationibus connaturalibus gratiæ, quæ ab eo solo in alio producuntur, qui ad ipsam naturam gratiæ effectiuè concurrit.

Obiectio prima. 33 Nec obest, si contra hanc vltimam probationem ex ratione petitam obijcias, falsum esse antecedens. Tum quia motus cœli est operatio illi connaturalis, vel iuxta modum naturæ ipsius: & nihilominùs Angelus mouet cœlum, sine eo quòd producat naturam cœli, quæ fit per creationem à solo Deo. Tum etiam. Quia paries concurrit efficienter immittens speciem intentionalem ad potentiam visiuam, media qua fit visio, quæ est operatio ad modum naturæ talis potentiæ; non tamen producit ipsam potentiam. Tum denique. Nam habitus voluntatis mouent ad actus illius; non autem habent posse producere ipsam voluntatem.

Secunda. Tertia.

Non itaque hæc obsunt. Nam ad primam ex his obiectionibus respondetur, motum cœli, etsi sit operatio connaturalis respectu ipsius cœli, non tamen comparari ad ipsum tanquam ad principium effectiuum; sed solùm tanquam mobile ad passum: antecedens autem rationis à nobis adductæ ex D. Thoma procedit de operatione connaturali, vel iuxta modum naturæ conuenienter rei, non solùm ratione principij passiui, sed etiã actiui. Ratio autem huius differentiæ est. Nam actio respicit *esse*, quia vnumquodque agit, in quantum est: & ideò quando operatio, vel motus comparatur actiuè ad mobile, non producitur operatio, vel motus, nisi à quo producitur *esse* mobilis. Quando autem operatio, vel motus tantùm passiuè ad mobile confertur, agens non respicit *esse* mobilis, sed aliquid aliud, ad quod motus, vel operatio ordinatur.

Respondetur ad primam.

34 Ad secundam respondetur ex doctrina tradita à nostris Complut. in lib. de Anima, esse quasdam potentias, de quarum numero est potentia visiua, quæ quodammodò fiunt de nouo, cùm aliquod *esse* intentionale, quo in actu primo, & completo constituuntur, accipiunt: & ita, qui producit id, per quod in tali *esse* constituuntur, illas quodammodò denuò producit. Angeli autem à principio suæ conditionis postulant ex natura sua esse in actu primo completo, quia sunt supremi inter creaturas spirituales: sicut hoc ipsum suo modo postulant corpora cœlestia, eò quòd supremum locum continent inter corporales: & ideò ab eo solum possunt species recipere, qui eorum naturam condidit. Ad secundã N. Compl.

Ratio autem, propter quam prædictæ potentiæ cognoscitiuæ, de quarum numero est potentia visiua, quodammodò fiunt, cùm aliquod *esse* intentionale, quo in actu primo cõpleto constituuntur, accipiunt, potest reddi ex his, quæ nostri Complutens. in 3. libr. de Anima, & nos in 1. tom. tractatu 3. disp. 2. diximus, nempe, quòd cùm huiusmodi potentiæ tunc simpliciter, & perfectè fiant, cùm constituuntur completè in *esse* cognoscitiuo rum, & hoc habeant per hoc, quòd recipiant species intentionales, quibus percipiunt sua obiecta: inde est, vt has accipiendo, quodammodò de nouo ipsæ potentiæ fiant, scilicet in *esse* perfectè cognoscitiuo. Maximè, quia cùm prædictæ potentiæ accipiunt species intentionales, transeunt quodammodò in naturam earum, & obiectorum, quæ repræsentant, vt tractatu 3. nuper citato disp. 2. explicuimus: & ideò his speciebus de nouo factis, habent & ipsæ potentiæ quodammodò de nouo fieri. De hoc tamen videantur ea, quæ à nobis suprà q. 55. dicta sunt. N. Compl.

Ad tertiam

35 Ad tertiam denique respondetur, tam habitus voluntatis mouentes ad actus illius, quàm ipsos actus solùm fieri, vel ab ipsa voluntate, vel à Deo, qui ipsam produxit, & nõ ab alio operante ab ipsa distincto: quod etiam contingit in operatione, quæ est ad mo-

ad modum naturæ Angeli, quæ solùm ab ipso Angelo, vel à Deo, qui illum condidit, efficitur. Sed, qui plura circa hoc videre desiderat, legat D. Thomam 1. p. q. 111. art. 2. & quæst. 105. art. 4. & quæst. 6. de Potentiâ art. 7. ad 14. & in 2. dist. 8. quæst. vnica art. 5. ad 3. Et 3. part. quæst. 8. art. 8. ad 1. & quæst. 64. art. 1. Et 2. cont. Gent. cap. 88. & cap. 96. & 4. contr. Gent. cap. 17. & D. Augustinum libr. 6. de Ecclesiast. dogmat. capitulo 82.

D. Thom.

D. Aug.

Oppositam autem sententiam, quia non solùm militat contra ea, quæ in hoc dubio à nobis asserta sunt, sed etiam aduersus illa, quæ dubio sequenti dicemus, commodiùs ibi simul cum suis fundamentis, & eorum solutionibus afferemus.

DVBIVM III.

Quomodo in Angelis fiat illuminatio?

HVCVSQVE Diximus, quid illuminatio non sit: meritò iam accedimus ad explicandum, quomodo fiat, vel quid sit.

§. I. *Iuxta mentem D. Thomæ dubium resolvitur.*

Assertio.

36 DIcendum est, illuminationem in Angelis fieri per hoc, quòd Angelus superior per modum cuiusdam artificiosi magisterij proponat obiectum, de quo facienda est illuminatio, necnon & medium proportionatum ad illud capiendum, intellectui Angeli inferioris. Explicatur assertio. Nam, vt innuit D. Thomas infrà q. 117. art. 1. duobus modis concurrit ars: vno quidem, efficiendo formam, vt ars fabrilis producendo formam cathedræ v. g. Alio verò, non efficiendo, sed solùm coadiuuãdo naturam, præbendo videlicet instrumenta ita expedita, vt natura illis adiuta efficiat, quod sine illis non efficeret. Hoc namque est ingenium naturæ, vt quamuis illi vires secundùm se non addantur, cum eis tamen, quibus gaudet, positis artis instrumẽtis, & adiumentis, potest aliquid producere, quod aliàs non produceret: & propterea dicitur confortari ab arte, non quidem secundùm se, sed in ordine ad aliquem effectum, vt patet in arte medicinæ, quæ talia instrumenta, & adiumenta præbet naturæ, vt licèt ex illa ei non accrescant vires secundùm se, cum proprijs tamen & additis instrumentis, & adiumentis medicinæ est causa sanitatis, cuius aliàs multoties non esset causa, sed ab ægritudine superaretur: & sic ab arte medicinæ confortari dicitur in ordine ad huiusmodi effectum. Sic ergo illuminatio in Angelis fit, non quidem per hoc, quòd Angelus superior producat aliquid physicum in inferiori, sed ex eo, quòd vires inferioris confortantur ex magisterio artificioso superioris in ordine ad cognitionem obiecti, quod ab eo proponitur, præbendo instrumenta, sine quibus non cognosceretur. Modus autem, quo superior inferiori huiusmodi instrumenta præbet, est, quòd veritatem, quam à Deo cognouit sub ratione quadam magis communi, & ambiente simul alias virtutes, diuidit, & quasi masticat, eamque sic diuisam, & quasi masticatam proponit intellectui inferioris, simul cum medio proportionato ad ipsius inferioris intellectum, per quod assensum præbiturus est.

Assertio igitur sic explicata est D. Thomæ quæst. 9. de Veritate art. 1. in corpore, & ad 2. cuius verba dubio præcedenti §. 1. retulimus: & in 2. dist. 9. q. 1. art. 2. ad 4. Sanctũ Doctorem sequuntur Capreolus in 2. dist. 11. quæst. 1. art. 3. secundo ex duobus dicendi modis ab eo propositis, Hispalensis ibidem q. 1. art. 3. ad 4. Ripa ad hunc art. Nazar. ibidem referens Montagnolium, Malonium, & alios. Eandem tenent Alensis 1. p. q. 38. mẽb. 3. Ægidius in 2. dist. 9 q. 1. art. 5. Argentina q. 1. art. 3. Vazquez disp. 216. cap. 5. Valent. q. 4. punct. 1. Granado tract. 5. disp. 3. sect. 3. Arrubal disp. 173. cap. 2. Turrianus disp. 67. dub. 1 & alij. Et quidem prædicta assertio sequitur apertè ex his, quæ dubio præcedenti diximus. Eo enim ipso, quòd Angelus superior non illuminet inferiorem per hoc, quòd aliquid physicè in ipso producat, restat, vt illuminatio fiat per modum artificiosi magisterij à nobis explicati.

D. Thom. Capreol. Hispal. Ripa. Nazar. Montagn. Malon. Alensis. Ægid. Argent. Vazquez. Valent. Granado. Arrubal. Turrian.

Ratio fundamentalis.

37 Ratio autem fundamentalis, & à priori desumitur ex D. Thoma locis citatis, & potest sic efformari. Nam, vt constat ex dictis dubio præcedenti, illuminatio spiritualis Angelica sumitur ex ordine ad illuminationem corporalem, & in hac solùm duo reperiuntur, ostensio scilicet obiecti, & confortatio potentiæ: sed vtraque reperitur in artificioso magisterio Angelico à nobis explicato: ergo illuminatio Angelica in illo consistit. Maior & consequentia constant. Minor probatur. Et in primis, quod in prædicto magisterio inueniatur ostensio & propositio obiecti proportionati, apertè liquet. Quòd autem detur etiam confortatio potentiæ Angeli inferioris, ex eo suadetur, quia in tali artificioso magisterio superior Angelus inferiori

ostendit

oſtendit medium, per quod aſſenſum præbiturus eſt: medium autem quodammodò ſe tenet ex parte potentiæ, & eſt veluti inſtrumentum, quod lumen naturale illius confortat: & propterea D. Thomas quæſt. 9. de Verit. art. 1. ad 2. ex Commentatore inquit, quòd principia, ex quibus conſtat demonſtratio, ſunt inſtrumenta luminis naturalis: quatenus naturale lumen intellectus agentis inducit intellectum poſsibilem ad aſſenſum concluſionis ſub illis principijs, reſoluendo concluſionem ad ipſa prima principia.

D. Thom.

Confirm. 1. Angel. Præcept.

38 Confirmatur primò ratione, quam innuit idem Angelicus Doctor eiſdem locis ſuprà citatis. Quoniam ad illuminationem Angelicam duo requiruntur, apprehenſio ſcilicet, & iudicium: ſed vtrumque per prædictum magiſterium artificioſum reperitur: ergo in illo conſiſtit illuminatio. Minor probatur. Nam ad apprehenſionem ſufficit oſtenſio proportionata obiecti: ad iudicium autem oſtenſio medij, per quod aſſenſus ab inferiori præbendus eſt, proportionati tamẽ ad eius intellectum. Nam huiuſmodi oſtenſio talis conditionis eſt, vt per eam intellectus Angeli inferioris ita dirigatur, & veluti manuducatur, ac ſi Angelus ſuperior phyſicè infunderet illi cognitionem: quia illo medio propoſito, & cognito, inferior non poteſt errare, ſed neceſsitatur ad aſſenſum veritatis quoad ſpecificationem.

Confirm. 2. Angel. Præcept.

Confirmatur ſecundò ratione deſumpta ex eodem Angelico Præceptore quæſt. 9. de Veritate art. 1. Nam Angelus ſuperior diuidendo, & quaſi maſticando obiectum per magiſterium artificioſum, habet obiectum ipſum illuminare, & quodammodò lumen intellectus Angeli ſuperioris in eo ſplendet: proprium autem eſt luminis, quòd vbicumque fuerit, oſtendat obiectũ, & confortet potentiam: ergo ſicut per hæc duo fit illuminatio in corporalibus, ita etiam in ſubſtantijs ſpiritualibus fiet per prædictum artificioſum magiſterium.

§. II. *Obiectiones contra rationem factam, & earum ſolutiones.*

Prior obiectio contra rationem.

39 SEd contra hanc rationem obijcies primò, quòd ſi illuminatio fieret per prædictum magiſterium, ſequeretur inde, illuminationem magis principaliter tribuendam eſſe Angelo inferiori, quàm ſuperiori: conſequẽs eſt falſum: ergo, &c. Sequela probatur. Nam ſicut ex eo quòd ad ſanitatem magis principaliter concurrit natura, quàm medicina, idcircò magis etiam principaliter tribuitur ſanitas naturæ, quàm arti: ita etiam, quia magis principaliter concurrit ad cognitionem veritatis, de qua fit illuminatio, Angelus inferior, quàm ſuperior, poſito ſolo tali magiſterio artificioſo, ideo præcipuè inferiori, quàm ſuperiori tribuenda eſſet illuminatio.

Reſpõdetur, quod ſicut in ſanatione hoc, quod eſt præbere inſtrumenta, & adiumenta in ordine ad ſanitatem, magis tribuitur arti, quàm naturæ: ſic etiam, quia illuminatio Angelica impoſita eſt ad ſignificandũ hoc, quod eſt præbere inſtrumenta, & adiumẽta, quibus potentia intellectiua inferioris adiuuatur, & confortatur in ordine ad cognitionem veritatis, ideò magis principaliter tribuitur ſuperiori, quàm inferiori. *Occurritur*

40 Secundò obijcies. Nam ſi per prædictum magiſterium artificioſum fieret illuminatio, per ipſum vtique Angelus ſuperior cõpleret intellectum Angeli inferioris in actu primo in ordine ad cognitionem veritatis: hoc autem repugnat: ergo, &c. Maior videtur certa: ſiquidem per illud Angelus inferior poteſt veritatem illam capere, quam tamen ſolus, & ſecundùm ſe capere nequibat. Minor autem probatur. Nam quiuis Angelus eſt in ſupremo gradu immaterialitatis: & ſubſtantia exiſtens in hoc gradu nequit compleri in actu primo, niſi à ſolo Deo, vt ex ſuprà dictis liquet. *Secunda.*

Reſpondetur, negando maiorem. Nam per tale magiſterũ nihil phyſicè producit Angelus ſuperior, quod in inferiori intrinſecè recipiatur, cuius oppoſitũ deſiderabatur ad hoc, vt Angelus inferior compleretur quoad actũ primum ab Angelo ſuperiori. Vnde ſpecies, quas à principio ſuæ conditionis Angelus inferior habet, egent ad ſuum exercitium circa illud obiectum connotatione propoſitionis, & oſtenſionis obiecti, & medij proportionati cum intellectu ipſius inferioris, quæ fit per prædictum magiſterium. Sicut enim Angelus res contingentes per ſpecies inditas non cognoſcit, niſi quando ſunt, nec liberas cogitationes, niſi quando ſunt, & ad ipſum dirigũtur: ita etiam res, de quibus fit illuminatio, nõ percipit, niſi quãdo per prędictũ artificioſum magiſterium ei proponuntur, & oſtenduntur. *Fit obuiam*

41 Tertiò obijcies. Nã ſecundùm S. Thomam infrà q. 117 art. 1. diuerſo modo magiſter in humanis confortat intellectum diſcipuli, quàm Angelus ſuperior illuminat inferiorem. Si autem illuminatio Angelica fieret per magiſterium artificioſum, eodem modo magiſter in humanis confortaret diſcipulũ, ac Angelus ſuperior illuminat intellectum inferioris. Ergo, &c. *Testi. D. Thom.*

Reſpondetur, inter magiſterium humanum, & Angelicum hoc verſari diſcrimen, quòd magiſter in humanis non confortat intellectum diſcipuli, niſi mouendo phantaſmata, Angelus autem ſuperior confortat *Enodatur.*

intellectum inferioris, proponendo immediatè obiectum potentiæ intellectiuæ: & insuper magister humanus non confortat aliqua virtute, quæ sit superioris naturæ, sicut est Angelus superior respectu inferioris. Et ita Angelicus Doctor loco in obiectione allegato dixit: *Confortat* (scilicet magister) *intellectum addiscentis, non quidem aliqua virtute actiua quasi superioris naturæ, sicut suprà dictum est de Angelis illuminantibus: quia omnes humani intellectus sunt unius gradus in ordine naturæ.* Nomine autem *virtutis actiuæ*, non intelligit D. Thomas virtutem physicè, sed morali modo actiuam.

Angelic. Doctor.

§. III. *Sententia opposita, tam decisioni huius dubij, quàm præcedentis, cum suis fundamentis, & responsionibus ad illa.*

Sententia duobus præcedentibus dubijs opposita.

42 CONtra eatamen, quæ tam in hoc dubio, quâ in præcedēti asseruimus, sentiunt Herbeus in 2. dist. 9. q. 1. art. 2. asserēs, vnum Angelum illuminare alium, intendendo lumen præexistens illius. Scotus in 2. dist. 9. q. 2. & Basolis q. 1. dicentes, Angelum illuminantem efficere in alium, quem illuminat, ipsummet conceptum formalem, seu actum secundum, quo ille cognoscit rem, de qua illuminatur, ita vt illuminatus non efficiat, sed recipiat tantùm illam cognitionem formaliter, & in actu secundo. OKam etiam in 2. q. 20. & Gabriel q. 2. art. 4. asserentes cum Scoto, Angelum superiorem illuminare inferiorem, efficiendo in illo immediatè, & per se verbum mentis, seu actum cognoscendi: differunt tamen ab illo, quia nolunt, illum actū esse cognitionem rei extrinsecę, seu effectus extra ipsum Angelum illuminantem existentis, sed esse cognitionem ipsius conceptus formalis Angeli illuminantis. Et deinde Richardus in 2. dist. 9. art. 2. q. 2 & Marsilius in 2. q. 7. sentiunt, Angelum superiorem illuminare inferiorem efficiendo in illo aliquam dispositionem, qua posita, Angelus inferior lumen à Deo recipit, quo res de nouo cognoscit, de quibus illuminatur. Et denique pater Suarez post alios sentiens lib. 6. de Angelis cap. 13. numer. 24. illuminationem fieri ex eo, quòd Angelus illuminans imprimat illuminato speciem illius actus, quem per locutionem ei manifestat, & hunc modum dicendi inquit non esse alienum à sententia Scoti, Basolis & sequacium. Vnde, etsi isti auctores inter se, quoad explicandum, quomodo fiat illuminatio, in his, quæ inquimus, dissideant; conueniunt tamen in hoc, quòd illuminatio non fiat modo à nobis explicato; & ideò quoad hoc eorum sententia probari potest.

OKam. Gabriel. Richard. Marsilius Suarez.

43 Primò quidem ex D. Thoma in 2. dist. 9. quæst. 1. art. 2. in solutione ad 4. vbi licèt deneget Angelo superiori illuminanti productionem luminis connaturalis in inferiori, cui in nobis assimilatur lumen, quod est de compositione oculi, non tamen illi denegat productionem luminis superuenientis, & confortantis lumen connaturale, cui in visu corporali est simile lumen solis, vel candelæ, & ita inquit: *Hoc autem lumen est duplex. Vnum intrinsecum, vel connaturale intellectui: cui similatur lumen, quod est de compositione oculi: & per collationem huius luminis solus Deus docere dicitur. Secundum lumen, quod superuenit ad confortationem connaturalis luminis, cui similatur in visu corporali lumen solis, vel candelæ: & sic potest Angelus alium Angelum, vel etiam hominem illuminare ad aliquid cognoscendum.* Ergo sentit Angelicus Doctor, illuminationem fieri per hoc, quòd Angelus superior producat aliquod lumen in inferiori.

Primū fundamentum. D. Thom.

Confirmatur ex eodem Angelico Præceptore infrà quæst. 108. art. 7. vbi ait, cognitionem Angeli illuminati dependere à lumine illuminantis quantum ad conseruationem: hoc autem non posset verificari, nisi in illuminatione superior aliquid produceret in inferiorem: ergo, &c.

Cōfirmatur Angelic. Præcept.

Respondetur, D. Thomam non intelligi de productione luminis superuenientis lumini naturali Angeli inferioris per modum alicuius physicè in ipso recepti, sed tantùm moraliter confortantis, & adiuuantis illum, modo suprà explicato, totaliter, vt sic adiutus ita dirigatur, & veluti manuducatur, ac si physicè in ipso nouum lumen reciperetur.

Euertitur primū fundamentum.

Ad confirmationem respondetur cum Zumel, & Nazario, D. Thomam ideò dixisse, cognitionem Angeli inferioris per illuminationem à superiore acceptam dependere à lumine superioris quantum ad conseruationem, quia cognitio illa semper innititur lumini superioris Angeli tanquam medio, & rationi cognoscendi: ad quod (vt ex dictis patet) non requiritur influxus physicus Angeli superioris in inferiorem, sed sufficit influxus moralis per modum artificiosi magisterij iam explicati.

Ad cōfirm. Zumel. Nazar.

44 Secundò probatur eadem sententia. Quia vel per illuminationem Angelus superior producit aliquid in intellectu inferioris, vel nihil? Si primum, habetur intentum. Si secundum: ergo sicut ante magisteriū artificiosum Angelus inferior nō cognoscebat rem, de qua illuminatur: sic etiam posito magisterio, eam non cognoscet: nam

Secundum.

idem

idem manens idem, ſemper facit, vel non facit idem.

Corruit. Reſpondetur, quòd etſi Angelus ſuperior nihil phyſicè producat in intellectu inferioris: quia tamē ſpecies, quæ erant in inferiori ad ſui exercitiū, quo ad illud obiectum dependebant, tamquam à connotato, à maſticatione, diuiſione, & propoſitione medij proportionati, quod fit per magiſterium artificioſum: ideo ante illum Angelus inferior non cognoſcebat veritatem, de quâ illuminatur, & illo poſito, eam cognoſcit.

Tertium. 45 Tertio. Nam ſi oſtenſio medij proportionati, quam per magiſterium artificioſum efficit Angelus ſuperior, eſt inſtrumentum accommodatum, vt Angelus inferior illuminetur, eo ipſo debet dari actio Angeli ſuperioris tamquam principalis agentis in paſſum, ſcilicet in intellectum Angeli inferioris: ac proinde Angelus ſuperior aliquid debet producere in inferiori.

Diluitur. Reſpondetur, intellectum Angeli inferioris eſſe quidem paſſum reſpectu Angeli ſuperioris, tamquam principalis agentis, non quidem per modum paſsi phyſicè, ſed per modum paſsi præcisè diſciplinabilis: & ideò ſolùm eſſe paſſum morale, non phyſicum: ac proinde nō egere prædicta impreſsione phyſica. Nam ſicut in medicina infirmus reſpectu illius ſolum eſt paſſum artificiale, non verò naturale: & ideo medicina ſolum cōcurrit, tamquam coadiuuans naturam per modum præbentis adiumenta, & inſtrumenta apta: ita etiam Angelus inferior ſolum eſt paſſum diſciplinabile morale, & non phyſicum reſpectu actionis ſuperioris Angeli: & propterea hic ſolum concurrit ad illum illuminandum, tamquam coadiuuans, & præbens inſtrumenta, & media proportionata.

Vltimò. *Suarez.* 46 Quartò & vltimò probatur ſpecialiter argumento, quo vtitur Suarez ad probandam ſuam ſententiam. Nam Angelus ſuperior illuminans inferiorem excitat intellectum illius ad cognoſcendum id, quod anteà non cognoſcebat: ſed hæc excitatio non poteſt fieri, niſi per productionem alicuius ſpeciei intelligibilis: ergo ſine illa non poteſt fieri illuminatio.

Inſra ſatisfiet. Cæterum ad hoc argumentum commodius patebit ſolutio ex his, quæ diſp. ſequenti, agentes de locutione Angelorum, dicemus.

DVBIVM IIII.

De quibusnam rebus fiat illuminatio?

HVcuſque egimus de his, quę pertinent ad eſſentiam, & formam illuminationis: reſtabat, vt iam tandem de his, que ad materiā illius ſpectant, diſcuteremus.

§. 1. *Vera D. Thomæ deciſio, & eius fundamentum.*

47 DIcendum ergo eſt, in Angelis illuminationem fieri de rebus naturę, gratiæ, & gloriæ. Ita D. Thomas in præſenti ar. 1. ad 2. his verbis: *Dicendum, quòd vnus Angelus non illuminat alium, tradendo ei lumen naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ, ſed confortando lumen naturale ipſius, & manifeſtando ei veritatem de his, quæ pertinent ad ſtatum naturæ, & gratiæ, & gloriæ.* Sanctum Doctorem ſequuntur eius diſcipuli, Bañez in præſenti dubio. 3. & alij. **Concluſio. *D. Thom.*** ***Bañez.***

Ratio congruentiæ huius aſſertionis deſumitur ex D. Thoma q. 9. de Veritate ar. 2. & poteſt ſub hac forma proponi. Nam ſicut ad bonum ſpectat ſe communicare, ita ad ſummum bonum, quod eſt Deus, ſummè ſe communicare: huic autem ſummæ communicationi congruit, vt de rebus naturæ, gratiæ, & gloriæ creaturis ſupremis intellectualibus per illuminationem ſe communicet & quod ipſæ propter maiorem propinquitatem, & acceſſum ad ſumum bonum habeant reſpectu inferiorum hunc communicationis modum, illuminando etiam inferiores, & ſic dèincepsergo Angeli ſuperiores illuminant inferiores de rebus naturæ, gratiæ, & gloriæ. **Ratio. *D. Thom.***

48 Nec obeſt, ſi obijcias primo, potius ad ſummam bonitatem pertinere, quòd ipſa immediatè omnibus ſe communicet: ergo ex ea non infertur, quòd per illuminationem Angeli ſuperiores ſe cōmunicēt inferioribꝰ. **Obiectio prima.**

Reſpōdetur enim, quòd in hoc, quòd Deus immediatè ſuperioribus, & ſuperiores inferioribus Angelis modo dicto ſe cōmunicēt, magis ſplendet ordo diuinæ bonitatis, & ſapiētiæ. Sic enim nō ſolū Deus ſe cōmunicat, ſed etiam tribuit alijs participationem ſuæ communicationis reſpectu aliorum: qui quidem modus ſe communicandi eſt altior, & eminentior. Vnde magis in actionibus naturalibus ordo iſte ſplendet in hoc, quod **Soluitur.**

quòd prima causa se communicet, tribuendo simul causis secundis, quòd operentur, quàm si præcisè Deus operaretur: maximè, quia nō ob id cuncti effectus desinunt immediatè ab ipso Deo pendere. Quo exemplo ad hoc explicandum vsus est Angelicus Doctor in 2. dist. 9. q. 1. art. 2. in solutione ad 4. his verbis:

Angel. Doctor.

Dicendum, quòd sicut in actionibus naturalibus, inferius agens non habet efficaciam in productione effectus, nisi per virtutem agentis primi, quæ vehementiùs imprimit in effectum: ita etiam in intellectualibus, inferior illuminans nihil potest efficere, nisi per virtutem primi illuminantis: & propter hoc ipse Deus est, qui omnes docet: nec tamen excluditur ab alijs illuminatio, sicut nec ab agentibus naturalibus naturalis actio.

Secūda obiectio.

49 Nec obest etiam, si objicias secūdò, assertionem istam non cohærere cum eo, quod suprà à nobis dictum est, Angelum scilicet, quantumuis infimum, omne ens naturale comprehendere: cum hoc enim non stat, quod superior illuminet inferiorem de rebus pertinentibus ad naturam.

Enodatur.

Respondetur, id intelligi de comprehensione entis naturalis, quod est pars vniuersi: & ideò Angelum inferiorem posse superiorem illuminare de alijs, quæ ad vniuersum nō pertinent, qualia sunt futura contingentia, vt talia, & possibilia, quæ non sunt partes vniuersi.

Tertia.

50 Rursus non obest, si objicias tertiò, quòd quiuis Angelus per se, & absque adiumento alterius Angeli videt per scientiam infusam visionem beatificam illius, ac proinde omnia, ad quæ se extendit: sicut idem Angelus videns potētiam naturalem, videt etiam omnia, ad quę habet se extendere. Ergo Angelus inferior non illuminatur à superiori de rebus pertinentibus ad gloriam.

Dissoluitur

Respondetur, quòd ex eo, quòd Angelus inferior videat visionem beatificam alterius, solùm fit, videre obiectum, ad quod terminatur in confuso, non autem peculiariter, vt terminatur ad hanc, & illam creaturam possibilem.

Replica.

51 Vrgebis, quòd quiuis Angelus per se, & absque adiumento alterius videt prædictam visionem, vt fit tanto lumine: at, vt fit tanto, vel tanto lumine, debet terminari ad has creaturas possibiles tantæ, vel tantæ perfectionis in particulari, & non in confuso: ergo illo modo debet etiam illas cognoscere.

Solutio.

Respondetur, quòd hinc solum fit, quòd Angelus inferior cognoscat, visionem beatificam Angeli superioris terminari in confuso ad cumulum creaturarum possibilium tātæ, vel tantæ perfectionis, non tamen cognoscendo in particulari, quænam illæ sint, quæ sub illo cumulo continentur. Sicut ex hoc, quòd beatus videat, Deum infinito lumine videre suam omnipotentiam, tantùm cognoscit, visionem illam posse se extendere ad creaturas possibiles infinitas; non tamen quænam hæ in particulari sunt, discernit.

52 Quod si adhuc vrgeas ex hoc vltimo exemplo, ideò beatum cognoscentem visionem diuinam suæ omnipotentiæ, non cognoscere infinitas creaturas possibiles in particulari, quia solùm videt, & non comprehendit Deum, aut eius visionem, qua se ipsum videt: at Angelus inferior non solùm videt, sed etiam comprehendit visionem beatificam superioris, sicut in naturalibus non solùm cognoscit, sed etiam comprehendit naturam superioris: ergo sicut, quia Deus se ipsum comprehendit, cognoscit etiam in particulari omnes creaturas possibiles, ad quas potest se extendere: ita etiam Angelus inferior comprehendens visionem beatificam superioris, debet cognoscere in particulari creaturas possibiles, ad quas talis visio se extendit.

Alia replica.

Respondetur enim, esse disparem rationem. Nam si quis comprehenderet visionem, qua Deus se ipsum comprehendit, & consequenter cognosceret creaturas possibiles per eam comprehensas, procederet à cognitione causæ in cognitionem effectus: quia illa visio, qua Deus se ipsum intuetur, pertinet ad conceptum suæ naturæ, ac proinde est causa creaturarum. Cæterùm comprehendens visionem beatificam creatam per scientiam infusam, & exinde attingens effectus per illā cognitos, procedit quodammodò ab effectu ad causam. Quoniam creaturæ, quæ sunt obiectum secundarium illius visionis, sunt quodammodò causæ illius: quia nō est tanta perfectio illius visionis, vt nequeat descendere aliquo modo à prædicto obiecto. Constat autem, quòd in processu, quo proceditur à causa ad effectum, si perfectè attingatur causa, perfectè etiam attingitur effectus, qui in causa distinctè continetur, secùs tamen hoc requiritur, quando ex effectu proceditur ad causam: quia tunc satis est cognitio causæ, nō secundùm se, & quidditatiuè, ac omninò distincta, sed sufficit attingere illam confusè, & secundùm rationem terminandi. Et ita comprehendens visionem beatificam creatam per scientiam infusam, non est necesse, vt in particulari attingat per cognitionem propriam, & distinctam creaturas, ad quas se extendit, quæque sunt quodammodò causa illius.

Euanescit.

53 Addes, quòd comprehendens visionem, qua Deus se ipsum intuetur, cognosceret in particulari, & distinctè creaturas, ad quas prædicta visio extenditur, quia attingeret illam visionem per speciem repræsentantem distinctè omnes illas, nempe per diuinam essentiam, quæ melius repræsentat creaturas,

Illustratur solutio.

turas, quàm ſpecies propriæ creatæ earum: & ideo non mirum, quod illa cognitio ad vtrũque ſe extendat. Cæterùm ſpecies deſeruiens ſcientiæ infuſæ Angelorum, pro cognitione viſionis beatificæ non repræſentat diſtinctè, & in particulari creaturas, ad quas extenditur illa viſio, ſed ſolùm quoad *an eſt*, & quoad rationem generalem terminandi: & ita per ſcientiam infuſam, vt attingit prædictam viſionem beatam, poteſt ipſa viſio comprehendi, non cognitis in particulari creaturis, ad quas extenditur.

Roboratur vlterius.

Adde, quòd adhuc dum vnus Angelus inferior videt in Verbo viſionem beatam alterius ſuperioris, tunc, licèt eſſentia diuina deſeruiens huic cognitioni aliàs repræſentet diſtinctè eas creaturas, ad quas extenditur viſio Angeli ſuperioris, non tamen vnitur cum intellectu inferioris, vt repræſentat eas ſic diſtinctè, & in particulari, ſed ſolùm vt in cõfuſo, & (vt ſic dicamus) indirectè eſt repræſentatiua earum: ex eo quòd repræſentat viſionem beatificam Angeli ſuperioris, & hæc terminatur ad prædictas creaturas. Et ideò, ſi per impoſsibile eas non repręſentaret diſtinctè, & directè, nihilominùs poſſet vniri cum intellectu Angeli inferioris ad cognoſcendã in Verbo prædictam viſionem Angeli ſuperioris: vt contingit, dum idem Angelus inferior viſionem illam ſuperioris Angeli per ſcientiam infuſam comprehendit.

QVAESTIO CVII.

De locutionibus Angelorum, in quinque articulos diuiſa.

PROOEMIVM.

DEINDE Conſiderandum eſt de locutionibus Angelorum. Et circa hoc quæruntur quinque. Primò, vtrum vnus Angelus loquatur alij. Secundo, vtrum inferior ſuperiori. Tertiò, vtrum Angelus Deo. Quarto, vtrum in locutione Angeli aliquid diſtantia localis operetur. Quintò, vtrùm locutionem vnius Angeli ad alterum omnes cognoſcant.

ARTICVLVS I.

Vtrùm vnus Angelus alteri loquatur?

2. D. 11. q. 2. ar. 3. Et vide 12. q. 2. ar. 4. 5. & 7. Et 2. cor. in. 13.

AD Primum ſic proceditur. Videtur, quòd vnus Angelus alteri non loquatur. Dicit enim Gregorius * 18. Moralium, quòd in ſtatu Reſurrectionis v-

† Libr. 18. Moral. c. 3. in fine.

niuſcuiuſque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abſcondit. Multò igitur minùs mens vnius Angeli abſconditur ab altero. Sed locutio eſt ad manifeſtandum alteri, quod latet in mente. Non igitur oportet, quòd vnus Angelus alteri loquatur.

¶ 2 Prætereà. Duplex eſt locutio. Interior, per quam aliquis ſibi ipſi loquitur: & exterior, per quam aliquis loquitur alteri. Exterior autem locutio fit

per aliquod ſenſibile ſignum, puta voce, vel nutu, vel aliquo corporis membro, puta lingua, vel digito: quæ Angelis competere non poſſunt. Ergo vnus Angelus alteri non loquitur.

¶ 3 Præterea. Loquens excitat audientem, vt attendat ſuæ locutioni. Sed non videtur, quòd vnus Angelus excitet alium ad attendendum: hoc enim fit apud nos aliquo ſenſibili ſigno. Ergo vnus Angelus non loquitur alteri.

SED contra eſt, quod dicitur 1. Corinthiorum 13. Si linguis hominum loquar, & Angelorum.

RESPONDEO dicẽdum, quòd in Angelis eſt aliqua locutio. Sed, ſicut dicit Gregorius * 2. Moralium: Dignum eſt, vt mens noſtra qualitatem corporeæ locutionis excedens, ad ſublimes, atque incognitos modos locutionis intimæ ſuſpendatur.

† Lib. 2. Moral c. 5. parùm à principio.

¶ Ad intelligendum igitur qualiter vnus Angelorum alij loquatur, conſiderandum eſt, quôd ſicut ſuprà diximus, * cùm de actibus, & potentijs animæ ageretur, voluntas mouet intellectum ad ſuam operationem. Intelligibile autem eſt in intellectu tripliciter. Primò quidem habitualiter, vel ſecundùm memoriam, vt Auguſtinus dicit *. Secundò autem vt in actu conſideratum, vel conceptum. Tertiò, vt ad aliud relatum. Manifeſtum eſt autem, quòd de primo gradu in ſecundum transfertur intelligibile per imperium voluntatis. Vnde in diffinitione habitus dicitur, Quo quis vtitur, cùm voluerit. Similiter autem de ſecundo gradu trãſfertur in tertium per volũtatem. Nam per voluntatem conceptus mentis ordinatur ad alterum, puta, vel ad agendum aliquid, vel ad manifeſtandum alteri. Quando autem mens conuertit ſe ad actu cõſiderandũ, quod habet in habitu, loquitur aliquis ſibi ipſi: nam ipſe conceptus mentis interius verbum vocatur. Ex hoc verò, quôd conceptus mentis Angelicæ ordinatur ad manifeſtandum alteri per voluntatem ipſius Angeli, conceptus mentis vnius Angeli innoteſcit alteri: & ſic loquitur vnus Angelus alteri. Nihil eſt enim aliud loqui ad alterũ, quàm conceptum mentis alteri manifeſtare.

† Q. 82. ar. 4

† Lib. 10. de Trin. c. 5 8. 9. & 10. to. 3

Ad primum ergo dicendum, quòd in nobis interior mentis conceptus quaſi duplici obſtaculo clauditur. Primo quidem, ipſa voluntate, quæ conceptum intellectus poteſt retinere interius, vel ad extrà ordinare. Et quantum ad hoc, mentem vnius nullus alius poteſt videre, niſi ſolus Deus, ſecundùm illud 1. Corinthiorum 2. Quæ ſunt hominis, nemo nouit, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. Secundo autem clauditur mẽs hominis ab alio homine per groſsitiem corporis. Vnde cùm etiam voluntas ordinat conceptum mentis ad manifeſtandum alteri, non ſtatim cognoſcitur ab alio; ſed oportet aliquod ſignum ſenſibile adhibere. Et hoc eſt, quod Gregorius dicit * 2. Moralium: Alienis oculis intra ſecretũ mentis quaſi poſt parietem corporis ſtamus: ſed cùm manifeſtare noſmetipſos cupimus, quaſi

† Lib. 2. Moral. c. 5. paulò poſt principium.

per

per linguæ ianuam egredimur, vt quales ſumus intrinſecus, oſtẽdamus. Hoc autem obſtaculum non habet Angelus: & ideò quàm citò vult manifeſtare ſuum conceptum, ſtatim alius cognoſcit.

Ad ſecundum dicẽdum, quòd locutio exterior, quæ fit per vocem, eſt nobis neceſſaria propter obſtaculum corporis. Vnde non conuenit Angelo, ſed ſola locutio interior, ad quam pertinet, nõ ſolùm quòd loquatur ſibi interiùs concipiendo, ſed etiam quòd ordinet per voluntatem ad alterius manifeſtationem. Et ſic lingua Angelorum metaphoricè dicitur ipſa virtus Angeli, qua conceptum ſuum manifeſtat.

Ad tertium dicendum, quòd quantum ad Angelos bonos, qui ſemper ſe inuicem vident in Verbo, non eſſet neceſſarium ponere aliquid excitatiuum: quia ſicut vnus ſemper videt alium, ita ſemper videt in eo, quicquid eſt ad ſe ordinatum. Sed quia etiam in ſtatu naturæ conditæ ſibi inuicem loqui poterant, & mali etiam Angeli nunc ſibi inuicem loquuntur, dicendum eſt, quòd ſicut ſenſus mouetur à ſenſibili, ita intellectus mouetur ab intelligibili. Sicut ergo per ſignum ſenſibile excitatur ſenſus, ita per aliquam virtutem intelligibilem poteſt excitari mens Angeli ad attendendum.

Concluſio.

Cùm Angelus mentis ſuæ conceptum ad alium ordinat, conceptus vnius alteri innoteſcit: & ſic loquitur vnus Angelus alteri.

DISPVTATIO XV.

De Angelorum locutione.

QVIA Potior, & nobilior eſt in Angelis illuminatio, qua alios illuminãt, quàm locutio formaliter, & cum præciſione ſumpta, idcircò primum locum illi dedimus diſputatione præcedenti, & in hac vltimum iſti præſtamus.

DVBIVM I.

Vtrùm vnus Angelus alteri loquatur?

QVÆ Ad *an eſt* locutionis Angeli ſpectant, paucis à nobis abſoluẽda ſunt: nulla enim extat quoad hoc inter Doctores controuerſia.

§. *I. Deciſio dubij.*

1 DIcendum ergo eſt, vnum Angelum alteri loqui. Aſſertio hæc ſatis colligitur ex illo Pauli 1. ad Corinthios 13. *Si linguis hominũ loquar, & Angelorum, &c.* Vbi etſi Apoſtolus per metaphoram Angelorum linguam nominet; ſupponit tamen, eſſe in Angelis aliquem locutionis modum, per quem vnus alteri proprios conceptus manifeſtet, vt ibidem notãt Chryſoſtomus, Anſelmus, & alij. Et ideò D. Thomas in præſenti art. 1. & q. 9. de Veritate art. 4. ex hoc teſtimonio probat, reperiri in Angelis locutionem: Quia (inquit) fruſtrà eſſet lingua, non ſi eſſet locutio.

Reſolutio dubij.

1. *Ad Corinth.* 13.

Chryſoſt. Anſelm. D. Thom.

Idem etiam colligitur ex alijs Scripturæ teſtimonijs. Nam in ea ſæpè aſſeritur Angelos fuiſſe locutos, non ſolùm hominibus, ſed & alijs Angelis, vt habetur Zachariæ 2. n. 4. & Apo-

Zach. 2.

Apoc.7.9 & 14. Iudas Apostol⁹ in sua Canonica. Gregor. Basilius. Damasc. Chrysost. D. Amb. Theodor. OEucum. Theoph. D. Dion. August. Isidor. Ang. Præceptor.

& Apocalypsis c.7.9. & 14. Iudas etiam Apostolus in sua Canonica de Michaele Archangelo docet cùm Diabolo disputasse super Moysi corpus: disputatio autem nequit intelligi absque aliquo genere locutionis.

Vnde assertionem hanc tuentur communiter Sancti Patres, Gregorius lib.18. Moralium cap.3. Basilius homil.3. in illud, *Attende tibi*, Damascenus lib.2.c.3. Chrysostomus homilia 32. super citatum locum Pauli, vbi etiam D. Ambrosius, Theodoretus, OEucumenius, & Theophilactus. Idem supponit D. Dionysius cœlestis Hierarchiæ c.7. & 8. Augustinus lib.de diuinatione Dæmonum c.5. & 6. Isidorus lib.1. sentent.c. 10. & alij, quos disputatione præcedenti n. 2. retulimus, dum aiunt, vnum Angelum alterum illuminare. Nam, vt docet Angelicus Præceptor in præsenti art.2. omnis illuminatio in Angelis est locutio, quamuis non omnis locutio sit illuminatio. Atque ita idē sentiunt omnes Theologi in 2.dist 11. & expositores D. Thomæ in præsenti art.primo.

Ratio fundamentalis

2 Probatur deinde ratione, qua D. Thomas vtitur art.4. nuper citato ex q.9. de Veritate. Nam, quod potest virtus inferior, potest etiam nobiliori modo virtus superior: sed homo, qui est inferior ad Angelum, potest alteri suum conceptum manifestare: ergo idem poterit Angelus: ergo cùm hæc manifestatio conceptus sit locutio (nā vt ait D. Thomas, *In nobis enim locutio dicitur ipsa manifestatio interioris verbi, quod mente concipimus*) consequēs est, vt vnus Angelus possit alteri loqui.

D. Thom.

Confirm.

Confirmatur ex eodem D. Thoma ibidem. Quoniam ad perfectionem status Angelici, & eorum familiaritatem spectat, vt cogitationes internas vnius alij aliquando cognoscant: ergo oportebit quòd vnus alteri proprias cogitationes loquendo manifestet. Antecedens satis constat. Nam sicut familiaritas inter homines sæpe expostulat, vt interiores cogitationes, & abscōsa cordis vnius alijs detegantur: ita etiam Angelorum communicatio, & familiaritas exigit, vt vnius propriæ cogitationes alijs sæpè innotescant, & secreta cordis familiariter manifestentur. Cōsequentia verò ex illis, quæ disput.7.dubio 5.n.68. diximus, facilè suadetur: ibi enim ostendimus, vnum Angelum nō cognoscere per se internas cogitationes alterius Angeli, nisi velit is, cuius sunt cogitationes propriæ, & sic eas alteri manifestet.

§. II. Obiectiones contra assertionem, & earum solutio.

Prima obiectio.

3 QVamuis pro parte negatiua nulla sit Doctorum sententia, adsunt tamen contra assertionem aliquæ obiectiones, quibus oportet satisfacere. Prima est, quòd omnis locutio fit per aliquod signum: sed in Angelis non sunt signa ista: ergo nequit esse in illis locutio. Consequentia constat, & etiā maior. Nam in qualibet locutione oportet esse aliquid, quod loquentis conceptum significet audienti, & hoc dicitur signum. Minor verò suadetur. Quoniam de ratione signi est, quòd sit aliquid sensibile, quod moueat sensum, vt habetur ex diffinitione signi tradita ab Augustino lib.2. de Doctrina Christiana cap.1. quam omnes recipiunt: ergo in rebus purè intellectualibus, & à sensibilibus abstractis, vt sunt Angeli, nequibunt esse signa.

August.

Confirmatur. Nam in qualibet locutione debet esse aliquid, quod excitet audientem, vt loquenti attendat: at in Angelis non reperitur aliquid, per quod vnus excitet intellectum alterius, vt sibi attendat: ergo in eis requit esse locutio. Maior videtur perspicua: & propterea in nobis requiritur vox exterior ad hoc munus. Ex quo etiam minor suadetur. Quia in Angelis non apparet, quid possit esse illud, per quod vnus alium excitet, ad hoc vt attendat.

Confirm.

4 Respondetur ex D. Thoma citato art.4. ex q.9. de Verit. signum posse sumi dupliciter. Primò propriè, & strictè: qua ratione solum reperitur in sensibilibus: *est enim signū* (in hac propria acceptione) *quod præter speciem, quam ingerit sensibus* (vt ex diffinitione Augustini loco citato constat) *facit aliud aliquid in cognitionem venire*: & huiusmodi signum, certum est, non reperiri in Angelis, nec posse eorum locutioni deseruire. Secundò sumitur signum largè, & minùs propriè: qua ratione (vt loquitur S. Doctor loco citato in solutione ad 4.) *Possumus signum dicere quod cumque notum, in quo aliquid cognoscatur: & secundùm hoc forma intelligibilis potest dici signum rei; quæ per ipsam cognoscitur: & sic Angeli cognoscunt res per signa: & sic vnus Angelus per signum alij loquitur, scilicet per speciem, in cuius actu intellectus eius fit in ordine ad alium.*

Enodatur obiectio. *D. Thom.*

Ad confirmationem respondet idem Angelicus Præceptor in solut. ad 6. eiusdem articuli, vbi sic ait: *Dicendum, quòd Angeli ex hoc ipso quòd se ad alios conuertunt, dum sunt in actu aliquarum formarum in ordine ad alios, quodammodo alios excitāt ad eis intendēdum.* Sed de hoc iterùm in sequenti dubio sermo redibit.

Ad confirmationem. *Ang. Præceptor.*

5 Secunda obiectio est. Quoniam modus, quo vnus Angelus manifestat alteri suū conceptum, pertinet potiùs ad visum, quàm ad auditum: ergo talis manifestatio non est dicenda locutio, sed visio. Probatur antecedens. Nam Angeli manifestant proprios conceptus per nutus, & signa, vt ait Glossa super citatum locum Pauli ex epistola 1. ad Corin-

Secūda obiectio.

rinthios: nutus autẽ, & ſigna ad viſum pertinent, non ad auditum: ergo &c.

Diluitur. Reſpondetur ex D. Thoma loco citato
D. Thom. in ſolutione ad 12. his verbis: *Dicendum, quòd, ſecundum Auguſtinum viſus & auditus ſolummodò exterius differunt, interius autem ſunt idem in mente: quia in mente non eſt aliud videre, & audire, ſed in ſenſu exteriori tantum. Vnde apud Angelum, qui ſola mente vtitur, non differt audire, & videre. Sed tamen dicitur locutio in Angelo ad ſimilitudinẽ eius, quæ in nobis fit: nos enim per auditum ſcientiam ab alijs accipimus. Nutus autem, & ſigna hoc modo poſſunt in Angelis diſtingui, vt ſignũ dicatur ipſa ſpecies, nutus autem ordinatio ad alium: ſed poſſibilitas hæc faciendi, dicitur lingua.*

DVBIVM II.

In quo conſiſtat Angelica locutio?

SEMEL explicata quæſtione *an eſt* locutionis Angelicæ, ſtatim ſe offert explicatio eiuſdem quoad *quid eſt*: & propterea poſt dubium præcedens recto ordine ſequens ſubſequitur.

§. I. *Vera D. Thomæ ſententia, & primum eius fundamentum.*

Concluſio. 6 DIcendum ergo eſt, Angelicam locutionem non fieri per hoc, quòd Angelus loquens producat aliquid ad extra per veram, & phyſicam productionem in audiẽte, ſed conſiſtere in ipſomet conceptu interno, & actu intellectus Angeli loquentis, ſecũdum quòd ordinatur, & dirigitur per ipſius voluntatem ad alterum, vt ei innoteſcat. Ita
D. Thom. D. Thomas in hoc articulo his verbis: *Ex hoc verò, quòd conceptus mentis Angelicæ ordinatur ad manifeſtandum alteri per voluntatem ipſius Angeli, conceptus mentis vnius Angeli innoteſcit alteri: & ſic loquitur vnus Angelus alteri. Nihil eſt enim aliud loqui ad alterũ, quã conceptum mentis alteri manifeſtare.* Et art. 2. ſic ait: *Sicut dictum eſt, Angelum loqui Angelo, nihil eſt aliud, quam conceptum ſuum ordinare ad hoc, vt ei innoteſcat per propriam voluntatem.*

Eandem etiam aſſertionem docet idem Angelicus Doctor in 2. diſt. 11. q. 1 art. 3. de Veritate q. 9. art. 4 & art. 5. vbi in ſolutione ad 2. ſic ait: *Dicendum, quòd Angelus loquẽs nihil facit in Angelo, cui loquitur, ſed fit aliquid in Angelo ipſo loquente, & ex hoc ab alio cognoſcitur modo prius dicto* (ideſt eo, quem ex eodem diximus). *Vnde non oportet etiam, quòd loquens aliquid infundat ei, cui loquitur.*

Ex quibus omnibus verbis liquido patet, in ijs ſpiritualibus locutionibus, quibus Angeli inter ſe colloquuntur, nihil, quòd phyſice producat agens in audiente que recipiatur, requiri. Ad eum ſcilicet modum, quo in aliquibus locutionibus Dei cum animabus iuſtorum, adhuc in hac vita degentium, & beatorum in patria triumphantium, nihil aliud, quam conceptus loquentis, & voluntas, qua vult talem conceptum alteri innoteſcere, intenitur. Quod cœleſtis illa veræ virtutis Heroides, diuinorum arcanorum Myſta, Myſticæque Theologiæ Pallas Matriarcha ſcilicet noſtra Sanctiſsima Thereſia à Ieſu in lib. vitæ ſuæ c. 27. de ſpirituali cælitum locutione verba faciens affirmat. Quæ quidem teſtis eſt in hac parte omni exceptione maior, vtpotè quæ in Angelicis enutrita gymnaſijs, in Æthereiſque erudita Academijs, Angelorum optime nouit colloquia, cum quibus in cœlo aſsidua eius conuerſatio erat. Cuiuſque librorũ *doctrina* (ſic Reuerendiſsimi Audit. Rotæ loquuntur in actis authenticis Canonizationis ipſius relatione 2. ar. 22. §. 2.) *tanquã vera, & catholica, & à Deo infuſa cõmuniter ab omnibus eſt approbata, & laudata, præſertim ab octoginta quinque teſtibus ſuper art. 54 & 56. deponentibus.*

Hæc ergo Magiſtra Angelica, ab Angelici Præceptoris doctrina nec tranſuerſum vnguem diſcedens, omnino ſpiritualem locutionem, nullis exterioribus ſignis indigentem in cœlitibus agnouit. Cuius verba, quæ inter pauperculi ſimplicitatem eloquij ſtructos ſcholaſtici rigoris non prætergrediuntur cancellos, proprio ſermone, vt in fonte ſuo iacent, apponere libuit: vt ſic appareat, quam mirifice correſpondeat Angelicæ Palladis doctrina cum mente Angelici Apollinis.

Sic igitur inquit cap. citato: *Pues tornando à eſta manera de entender, lo que me parece es, que quiere el Señor de todas maneras tenga eſta alma alguna noticia de lo que paſſa en el cielo. Y pareceme a mi, que aſsi como allà ſin hablar* (intellige corporaliter, aut aliquo corporali, ſiue ſpirituali ſigno ad ex-

tra

tra producto) *se entienden (lo que yo nunca supe, cierto es assi, hasta que el Señor por su bondad quiso que lo viesse, y me lo mostrò en vn arrobamiento) assi es acà, que se entiẽdẽ Dios y el alma,* CON SOLO QVERER SV MAGESTAD QVE LO ENTIENDA; *sin otro artificio para darse à entender el amor que se tienen estos dos amigos. Como acà si dos personas se quieren mucho, y tienen buen entendimiento, aun sin señas parece que se entienden con solo mirarse.* Hucusque laureata nostra Magistra.

Capreol. Caiet. Bañez. Nazar.

Vnde hanc sententiam sequuntur communiter eius discipuli, Capreolus citata dist. 11.q.1.conclusione 2. & 3. Caietanus, Bañez, Ripa, Nazarius, & alij in præsenti.

Fundamẽtũ assertionis.

7 Ratio verò prior, & fundamentalis huius assertionis desumitur ex illis, quæ disp. præcedenti dubio 1. & 2. diximus, agentes de Angelorum illuminatione: ibi enim latè ostendimus, repugnare, quod vnus Angelus aliquid physicè operetur in intellectu alterius: atque adeò repugnantiam inuoluere, quòd illuminet alium, producendo verè, & propriè physicè aliquid in illo. Quoniam ex hoc manifestè deducitur, quòd nec etiam locutio Angelica fit per hoc, quòd Angelus loquens ponat sic physicè aliquid in intellectu Angeli, cui loquitur. Et ita locutio solùm poterit consistere in ipsomet conceptu Angeli loquentis, non absolutè, sine secundùm se sumpto (vt sic enim manet velatum, & occultum alijs) sed vt applicatur, & dirigitur per voluntatem ipsius loquentis in ordine ad eum cui fit locutio.

Cõfirmatur & elucidatur.

8 Confirmatur, & explicatur. Quoniã locutio ista nequit fieri per aliquid physicè productum ad extra ab Angelo loquente in aliquo alio subiecto distincto ab audiente, aut à cæteris Angelis, neque in ipso Angelo audiẽte: ergo oportet, vt fiat eo modò, quem in conclusione diximus. Consequentia videtur perspicua. Quoniam reiectis duobus illis modis in antecedenti relatis, non apparet alius, quo prædicta locutio fiat: nisi is, qui in assertione continetur. Antecedens autẽ quoad secundam partem ex dictis dubio præcedenti liquet. Quoad primam verò probatur. Quoniam id, quod ad extra physicè produceretur ab Angelo loquente, vel esset quid corporeum, & in subiecto corporeo physicè productum? vel quid spirituale, & in subiecto spirituali, aut corporeo receptum? Nõ primum. Tum quia id, quod est corporeum, ac proinde in subiecto corporeo receptum, non est accommodatum ad hoc, vt sit ipsa locutio inter substantias purè spirituales: quia hæc debet esse eiusdem ordinis cum loquente, & audiente: & propterea nos, qui sumus corporei, vtimur locutione corporea.

Tum etiam. Quia Respublica Angelica penderet necessariò ab aliquo corporeo in his, quæ ad eius integritatem & perfectionẽ spectant, qualis est familiaritas, & locutio inter ipsos Angelos, quod quidem derogat substantijs omninò separatis, & independentibus à materia. Tum denique. Quia illud, quod ad extrà produceretur, nec esset signum naturale conceptus Angelici: siquidem res corporeæ non sunt naturalia signa conceptuum Angelorum: maximè, cùm isti sint veluti in infinitum multiplicabiles, & requirant tot signa ad sui manifestationem, si semel per illa deberẽt significari. Nec etiam posset esse signum ad placitum Angelorum: quia ad hoc desiderabatur, vt Angeli priùs inter se colloquerentur circa impositionem horum signorum ad significandos suos conceptus: & ita sicut ante illa potuerunt colloqui, ita & postea sine illis. Nec similiter posset esse signum ad placitum Dei: quoniam si semel Angeli loquerentur per prædicta signa, pertineret ad eorum naturam, & perfectionem, vt ex eorum impositione, & beneplacito eorum significatio penderet: siquidem hoc etiam ad perfectionem naturæ humanæ longè ignobilioris spectat.

9 Tum præterea. Quoniam alioqui periret secretum Angelicum, & hoc ipso, quòd vnus Angelus alteri loqueretur, possent omnes rem illi manifestatam cognoscere: siquidem iam appareret in signo illo ad extrà producto: sicut dum cogitationes nostræ sufficienter elucent in aliquo ad extrà causato, statim possunt esse notæ cuiuis. Hoc autem est contrà communem Theologorum sententiam, & contra debitum ordinem, & gubernationem, ac prouidentiam Reipublicæ cõstantis ex creaturis intellectualibus. Tum denique. Quia inde fieret, vnum Angelum non posse alteri loqui ad quamcumque distantiam: siquidem nequit ad quamcumque distantiam ad extrà operari: & per consequens iam creatura purè spiritualis pẽderet in his, quæ pertinent ad complementum suæ naturæ, à locali, & corporea distantia: quod valde

pugnat cum abſtractione, & eleuatione, quam habet ſupra omnem materiam.

Ex quo etiam fit, non poſſe dici ſecundum. Quoniam in ſubiecto ſpirituali non poſſet recipi: quia vnus Angelus (vt ſupra diximus) neque in alio Angelo, neque in anima poteſt per veram actionem phyſicam aliquid producere: & non apparet aliquid aliud ſpirituale, in quo poſsit phyſicè operari: ac proinde ad ſummum poterit producere aliquid ſpirituale in ſubiecto corporeo, quod ſit ſignum ſui conceptus. Hoc autem (præterquamquòd ſatis manet impugnatum ex probationibus contra priorem partem huius dilemmatis) poteſt denuo impugnari ex eo, quod id, quod eſt ſpirituale habẽs conditiones iam dictas, non recipitur ſaltem connaturaliter in re corporea.

§. II. *Alia ratio ex D. Thoma accepta.*

Secunda ratio.

10 SEcunda, & potiſsima huius aſſertionis ratio deſumitur ex D. Thoma in hoc articulo 1. quæ poteſt ad hanc formam reduci. Quoniam primum mouens quoad exercitium intellectus Angelici eſt eius voluntas: ergo eo ipſo, quòd intellectualis cognitio, ſiue conceptus vnius Angeli per voluntatem eius applicetur, & ordinetur ad alium, vt manifeſtandus, erit ipſi notus & manifeſtus: ergo in hac cognitione, ſiue conceptu ſic ad alterum ordinato, & applicato per voluntatem ipſius manifeſtantis conſtituenda eſt Angelica locutio. Hæc ſecunda conſequentia manifeſta eſt ex priori. Nam, vt diximus dubio præcedenti, vnum Angelum loqui ad alterum, nihil eſt aliud, quam vt is, qui loquitur, proprium conceptum, ſiue cogitationem ei, qui audit, manifeſter. Quapropter in illo eodem conſtituenda eſt prædicta locutio, per quod fit formaliter talis manifeſtatio.

Antecedens etiam conſtat ex doctrina D. Thomæ ſupra quæſt. 84 art. 2. & 1. 2. quæſt. 17. art. 1. de quo plura diximus in 1. tomo tractatu. 5. diſput. 2. dubio 1. & 2. Prima verò conſequentia, quæ ſola eget probatione, ſuadetur. Quoniam intellectus poteſt ſe habere tripliciter ad cognitionem, ſeu cõceptum rei manifeſtandæ & cognoſcendæ. Primo habitualiter, quaſi in ſtatu imperfecto, medio inter actum, & potentiam, vt cùm actu non conſiderat, ſed habet ſolam ſpeciẽ intelligibilem impreſſam talis rei. Secundò omninò actualiter, vt cùm iam actu illam conſiderat, eſtque in ſtatu, & actu perfecto conceptus expreſsi, & actualis cognitionis ſolum in ordine ad ipſum cognoſcentem. Tertio in actu etiam perfecto prædictæ cognitionis, & conceptus, ſed in ordine ad alium vt cùm hanc eandem cognitionem & conceptum manifeſtat alteri. Sed ex eo, quòd voluntas mouet intellectum quoad exercitium tranſit per eius applicationem intellectus ab ſtatu imperfecto cognitionis ad ſtatum perfectum, in ordine ad ſe, & ex non cognoſcente actu fit actu cognoſcens, & notificat ſibi rem cognitam, quod eſt interiùs loqui ad ſe ipſum. Ergo propter eãdem rationem per ſimilem applicationem voluntatis in ordine ad alium tranſibit à ſtatu perfecto cognitionis & manifeſtationis in ordine ad ſe ad ſtatum cognitionis & manifeſtationis in ordine ad alterum, ſiue (quod in idem redit) ab eo, quod eſt manifeſtare ſibi rem cognitam, & loqui interiùs ad ſe ipſum, ad hoc, quod eſt manifeſtare eam alteri, & loqui ad ipſum.

Cõfirmatur *Boet.*

11 Confirmatur ex his, quæ videmus informis naturalibus, quæ ſunt (teſte Boetio) veluti imagines formarum intelligibilium. Nam forma naturalis quandoque eſt in materia ſub ſtatu imperfecto, ſicuti dum eſt in *fieri*: quandoque ſub ſtatu perfecto ſolum in ordine ad proprium ſubiectum, vt cùm perficit ipſum in *facto eſſe*, & complet in ordine ad ſe: quandoque verò ſub ſtatu perfecto in ordine ad alia, vt cùm ſe alijs communicat. Sed huiuſmodi forma naturalis tranſit ex ſtatu primo ad ſecundum, & à ſecundo ad tertium per applicationem cauſæ efficientis, eò quòd efficiens habet mouere quoad exercitium. Ergo etiam forma intelligibilis, & cõceptus Angeli tranſibit ab vno ex prædictis ſtatibus in alium, & ab actu manifeſtationis & locutionis reſpectu ipſius cognoſcentis ad actualem manifeſtationem & locutionem in ordine ad alterum per applicationem ſuæ voluntatis mouentis quoad exercitium. Et ſic idem erit, quòd vnus Angelus ſuam cognitionem & conceptum alteri manifeſtet, & ipſi loquatur, ac quòd in ordine ad illum applicet per voluntatem huiuſmodi conceptũ, ſiue cognitionem, vt ei innoteſcat.

Elucidatur ex D. Th.

Quæ confirmatio deſumitur ex D. Thoma citato articulo 4. ex quæſt. 9. de Veritate, vbi ita inquit: *Quomodo autem Angeli ſuos conceptus alijs manifeſtent, oportet accipere ex ſimilitudine rerũ naturaliũ, eò quòd formæ naturales ſunt quaſi imagines immaterialium, vt Boetius dicit. Inuenimus autẽ, formam aliquam exiſtere in materia tripliciter. Vno modo, imperfectè, medio ſcilicet modo inter potentiam, & actum, ſicut formæ, quæ ſunt in fieri. Alio modo, in actu perfecto, perfectione dico, qua habens formam eſt perfectum in ſe ipſo. Tertio modo, in actu perfecto, ſecundùm quòd habens formam poteſt communicare alteri perfectionem: aliquid enim eſt in ſe lucidum, & alia illuminare nõ poteſt. Similiter & intelligibilis forma in intellectu exiſtit tripliciter. Primò, quaſi medio*

D. Thom.

modo inter potentiam, & actum, quando scilicet est in habitu. Secundò, vt in actu perfecto quantum ad ipsum intelligentem: & hoc est, quando intelligens actu cogitat secundùm formam, quam penes se habet. Tertiò verò, in ordine ad alterum: & transitus quidem de vno in alterum est quasi de potentia in actum per voluntatem. Ipsa enim voluntas Angeli facit, vt actualiter se conuertat ad formas, quas in habitu habebat: & similiter voluntas facit, vt intellectus Angeli adhuc perfectiùs fiat in actu forma penes ipsum existentis, vt scilicet non solùm secundùm se, sed in ordine ad alium tali forma perficiatur. Et quando sic est, tunc alius Angelus eius cognitionem percipit, & secundùm hoc dicitur alteri Angelo loqui.

Confirm. 2. *D. Thom.*

12 Confirmatur secundò ex eodem D. Thoma in hac q. 107. art. 1. Nam conceptus, siue cognitio Angelica ex se practica, eò ipso quòd per voluntatem applicetur, producit ad extrà effectũ, cuius habet virtutem productiuam: ergo cùm quæritis Angelica cognitio secundùm se sit manifestatiua, & actualis manifestatio, eo ipso quòd per eandem voluntatem in ordine ad alium Angelum applicetur, manifestabit illi veritatem, cuius est manifestatiua: atque adeò in huiusmodi cognitione & conceptu sic applicato consistet manifestatio eorum ad extra, & Angelica locutio.

§. III. *Duplex obiectio aduersus doctrinam traditam, & vtriusque solutio.*

Obiectio prima.

13 NEc refert, si contra rationem hanc, & primam eius confirmationem obijcias, non benè deduci ex eo, quòd intellectus Angeli per applicationem suæ voluntatis transeat à primo illo statu formæ intelligibilis, & actualitatis eius imperfecto ad secundum statum, & actum perfectum eiusdem formæ, constituaturque in statu actualis cognitionis & locutionis in ordine ad ipsum cognoscẽtem, quòd idcircò transeat etiam per similem applicationem voluntatis ab hoc secundo statu ad alium vltimum, & in quo sine aliquo alio superaddito constituatur in actu secundo manifestationis & locutionis ad alterum: ergo, &c. Antecedens probatur. Quia per primam applicationem voluntatis Angeli ponitur in ipso intellectu noua quædam forma, & nouus actus, nempe, ipsa actualis intellectio, & eius verbum, seu conceptus: atque adeò poni etiã debet horum effectus formalis, qui est reddere intellectum actu intelligentem, & loquẽtem ad intrà, siue in ordine ad se. At per secũdã applicationem non producitur aliqua noua forma, vel actus: & ita non est vnde proueniat nouus hic effectus loquendi ad alterum.

Non itaque hoc refert: negandum est enim antecedens. Et ad probationem fatemur, per secundam applicationem nullam formam produci de nouo in intellectu Angeli, cui fit locutio, sed solùm applicari præexistentem intellectionem & conceptum in ordine ad alterum. Hoc tamen sufficiens est, vt intelligamus nouum hunc effectum formalem loquendi ad extrà. Nam cùm ipsamet intellectio & conceptus sit secundùm se actualis manifestatio obiecti, & actualis locutio: quẽadmodum dum existit in intellectu absolutè, perficit ipsum absolutè, & reddit intelligentem, & loquentem in ordine ad se: ita etiam cùm applicatur, & refertur in ordine ad alterum, constituit sufficienter eundem intellectum notificantem, & loquentem illi, ad quem ordinatur, & applicatur. Neque ex eo, quòd ponatur nouus effectus formalis, debet in vniuersum poni noua forma: sæpè enim ab vna eadem plures effectus formales ordine quodam proueniunt. Vnde eadem lux, quæ reddit corpus lucidum in ordine ad se, manifestat etiam illud, & reddit visibile ab alijs: & eadem relatione paternitatis refertur pater ad secundum filium, qua referebatur ad primum, de quo plura diximus in 1. tomo tractatu 1. disput. 1. dubio 5. n. 133. Dissolutio

14 Adde, & explicabitur magis hoc ipsum, reddeturque sufficiens eius ratio. Etenim, vel possumus loqui de Angelo loquente? vel de audiente? Si de primo, nihil difficultatis videtur hæc obiectio habere. Siquidem in eo ponitur, vel nouus actus intellectus, qui in prima sui elicientia potuit elici ordinatus, & directus ad Angelũ audientem; vel saltem additur ei actui præexistenti nouum connotatum intrinsecum, scilicet, noua illa ordinatio, & directio per voluntatem, quæ in Angelo loquente recipitur. Si autem de secundo fiat sermo, tunc etiam planum videtur, non esse necessarium addi Angelo audienti aliquid impressum physicè à loquente, sed satis esse prædictam manifestationem directam ad illum, ad hoc vt ipse eliciat actum, quo audiat & percipiat. Quia illud obiectum non erat ipsi occultum, & improportionatum, quia sit supernaturale, sed quia non erat de pertinentibus ad ipsum, quin potius erat proprium illius Angeli, à quo elicitur: at per illam ordinationem fit communis, & quasi pertinens ad Angelum audientem non physicè, sed moraliter: & ita nihil refert, quòd demus, per eam solùm addi cogitationi extrinsecam denominationẽ, aut per illam nihil reale physicum produci in eodem Angelo audiente: siquidem non fit minùs ei

Illustratur hoc amplius

com-

communis, & de pertinentibus ad ipsum, quàm si aliquid physicum, & physicè in eo produceretur.

D. Thom. Quæ doctrina desumitur ex D. Thoma in 2. dist. 11. citata quæst. 1. art. 3. in solutione ad 4. vbi sic ait: *Quàm citò autem vnus Angelus ordinat locutionem suam ad alterum, efficitur locutio eius de pertinentibus ad illum: & ita ab eo cognoscitur.*

Secúda obiectio. 15 Neque etiam refert, si secundò contra eandem rationem obijcias, sequi ex illa, quòd etiam vnus homo possit alteri manifestare suum conceptum per solam hanc voluntatis applicationem, sine eo quòd ad hoc indigeat externis signis: hoc autem est manifestè falsum: ergo, &c. Sequela suadetur. Tum, quia etiam voluntas hominis mouet eius intellectum quoad exercitium, & per applicationem voluntatis transit ab statu cognitionis imperfectæ ad statum cognitionis perfectæ, & locutionis internæ ad seipsum: ergo per eandem applicationem transibit ab actu isto cognitionis, & locutionis ad seipsum ad actum exterioris locutionis, & manifestationis in ordine ad alterum. Tum etiam. Quia eo ipso, quòd dirigat homo ad alterum suum conceptum, talis conceptus efficitur aliquid eius, ad quem dirigitur, ergo eo ipso erit apud illum notus & manifestus.

Cõfirmatur Confirmatur. Nam ex prædicta ratione etiam sequitur, actum amoris, vel odij, quo vnus Angelus alium prosequitur, non posse latere eum, qui est obiectum prædicti amoris, vel odij: hoc autem non admittimus: ergo, &c. Sequela probatur. Nam huiusmodi affectus per se pertinent ad illum, circa quem versantur: ergo, &c.

Occurritur obiectioni. 16 Non igitur hoc refert. Nam negada est sequela, si intelligatur, vt intelligi videtur, de locutione vnius hominis respectu alterius hominis. Nam in ordine ad loquendum Angelo, quod dictum est de ipsis Angelis, habet etiam locum in hominibus: & ita hoc ipso, quòd homo ordinet per motionem voluntatis ad Angelum suum conceptum, talis conceptus innotescit illi, & homo ei loquitur.

D. Thom. Ad vtrumque verò antecedentis probationem optimè respondet D. Thomas citato articulo 4. ex quæstione 9. de Veritate in fine corporis, & in præsenti art. 1. in solutione ad 1. his verbis: *Dicendum, quòd in nobis interior mentis conceptus quasi duplici obstaculo clauditur. Primo quidem ipsa voluntate, quæ conceptum intellectus potest retinere interius, vel ad extrà ordinare. Et quantum ad hoc, mentem vnius nullus alius potest videre, nisi solus Deus, secundùm illud 1. Corinthiorum 2. Quæ sunt hominis, nemo nouit nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Secundo autem clauditur mens ab alio homine per grossitiem corporis. Vnde cùm etiam voluntas ordinat conceptum mentis ad manifestandum alteri, non statim cognoscitur ab alio, sed oportet aliquod signum sensibile adhibere. Et hoc est quod Gregorius dicit 2. Moral. Alienis oculis intra secretum mentis, quasi post parietem corporis stamus: sed cùm manifestare nos metipsos cupimus, quasi per linguæ ianuam egredimur, vt quales sumus intrinsecus, ostendamus. Hoc autem obstaculum, non habet Angelus: & ideò quàm citò vult manifestare suum conceptum, statim alius cognoscit.*

Fit obiectio confirm. Ad confirmationem neganda est etiam sequela. Et ad probationem dicendum est, quod actus amoris, vel odij, quo vnus Angelus prosequitur alterum, quamuis per se dicat ordinem ad illum, circa quem versatur, tamquam ad obiectum, non tamen est propriè aliquid illius, neque ad ipsum pertinet cura de illis, vsque dum per liberam applicationem voluntatis eius, qui elicit huiusmodi affectus animo illos manifestandi, ad ipsum dirigantur. Et ratio est. Quia ordo, quem prædicti actus important ad suum obiectum, conuenit eis secundùm suam speciem, quòd verò fiat occulti, & egeant reuelatione, vt manifestentur, habent formalissimè, prout hìc, & nunc liberè exercentur. Vnde ad eorum manifestationem conducit, quòd ad illum dirigantur per consensum liberum voluntatis elicientis, & habentis eorum dominium, non verò quòd importent ordinem ad ipsum, præcisè tamquam ad obiectum.

§ IIII. *Contraria sententia tria priora fundamenta, & responsa ad illa.*

Opposita sententia. *Alensis. Richard. Aureol. Basol. Ægid. Suarez. Molina.* 17 OPpositam tamen sententiam tenent Alensis 2. part. quæst. 27. membro 3. & 5. Scotus in 2. dist. 9. quæst. 2. Richardus ibidem quæst. 1. Aureolus q. 1. art. 1. Basol. quæst. 2. Ægidius dist. 10. quæst. 3. Suarez lib. 2. de Angelis cap. 27. Molina in præsenti dicens, oppositam sententiam D. Thomæ esse, tum intellectu, tum creditu difficilem, & à se satis impugnatam suprà quæst 57. Et quamuis huiusmodi authores inter se discriminentur circa essentiam Angelicę locutionis (de quo videndus est Nazà- *Nazar.* rius in præsenti controuersia 1.) in hoc tamen omnes conueniunt contra nostram sententiam, quòd non consistit in sola cognitione & conceptu Angeli loquentis, vt modo dicto applicatur, & dirigitur per voluntatem eius ad audientem, sed vlteriùs requiritur aliquid ad extrà physicè productum ab eo, qui loqui

tur, per quod moueat & excitet intellectum audientis.

Primũ fundamentum *Glossæ.* Probatque primo hanc sententiam Molina ex Glossa super illud Pauli 1. ad Corinthios. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum:* vbi dicitur, quòd Angeli loquuntur nutibus, & signis. Si igitur Angelica locutio fit per nutus, & signa: ergo non per solos conceptus, & actus internos, sed per aliquid ad extra productum.

Respondetur. *D. Thom.* Respondetur, quod hanc glossam priùs soluit, & exposuit D. Thomas citato articulo 4. ex quæst. 9. de Veritate in solut. ad 4. & 12. dicens, quòd *nutus, & signa hoc modo possunt in Angelis distingui, vt signum dicatur ipsa species* (ea nimirum, per quam fit in actu intellectus Angeli loquentis, vt habetur in solutione ad 4. cuius verba dubio præcedenti num. 4. allata sunt) *nutus autem ordinatio ad alium: sed possibilitas hæc faciendi dicitur lingua.* Quoniam cùm dicimus, locutionem Angelorum fieri per ordinationem conceptus Angeli loquentis ad alterum, intelligitur de conceptu, prout includit speciem, per quam Angelus loquens intelligit, terminatam, & in actu factam per intellectionem, & speciem expressam.

Secundum. *Suarez. D. Thom.* 18 Secundo probatur eadem sententia ex Suarez contendente, eam esse expressam D. Thomæ in præsenti quæst. art. 1. vbi in solutione ad 1. docet, quòd sicut per signum sensibile excitatur sensus, ita per aliquam virtutem intelligibilem potest excitari mens Angeli ad attendendum: hæc autem virtus intelligibilis nequit esse alia, præter speciem intelligibilem: ergo vnus Angelus loquitur alteri imprimendo ei physicè aliquam speciem intelligibilem, & non ex eo solum, quòd ordinet suum conceptum ad illum.

Respondetur. *Caietan.* Respondetur cum Caietano, virtutem intelligibilem, per quam dicit D. Thomas excitari intellectum Angeli audientis; non esse aliquid ad extra physicè productum à loquente, atque adeò neque ei imprimi aliquam speciem intelligibilem; sed esse ipsummet conceptum, & actum loquentis ad alterum relatum, vt ei manifestandum: nam predictus conceptus habet ex hac ordinatione vim excitandi intellectum eius, ad quem dirigitur, quatenus fit per eam de pertinentibus ad illum, licet nihil physicum ex hac ordinatione eidem imprimat,

Contra insurgit Suarez primo. 19 Sed hanc solutionem pluribus impugnat Suarez loco citato dicens, verba D. Thomæ non solum posse, imo verò necessario, vt a se explicata sunt, intelligenda esse. Tum, quia expresse dicit, per hanc excitationem moueri intellectum ab intelligibili, vtique tanquam ab obiecto motiuo, sicut contingit in obiecto sensibili respectu sensus: obiectum autem motiuum, & eius motio sine aliqua reali, & physica efficientia intelligi non potest. Tum etiam. Quia si D. Thomas id dicere voluisset, vix clarioribus verbis id explicuisset. Secundò.

Tum denique. Quia quòd conceptus loquentis sit, vel non sit de pertinentibus ad eum, cui fit locutio, impertinens est ad hoc, vt vnus Angelus per illum alteri loquatur: quandoquidem totum hoc nihil reale ponit in prædicto conceptu, nisi extrinsecam quamdam denominationem, quæ efficere nequit, vt Angelus, qui loquitur per illum, excitet intellectum alterius. Vltimò.

Respondetur tamen, optimam esse Caietani solutionem, quæ etiam est communis omnium Thomistarum, & manifestè habetur ex D. Thoma locis pro nostra conclusione adductis, præcipuè art. 5. ex quæst. 9. de Veritate, vbi dicit, quòd Angelus loquens nihil physicè facit in intellectu eius, cui loquitur, cuius verba num. 6. retulimus. Et ibidem articulo 4. in solutione ad 11. docet, quòd vnus Angelus cognoscit cognitionem alterius, non per aliquam speciem, quæ ei infundatur à loquente (vt vult Suarez) atque adeò non per aliquid ab ipso loquente in intellectu eius, qui audit, productum, sed per speciem innatam, per quam ipsum Angelum loquentem cognoscit. Ac tandem explicans D. Thomas, quid sit signum illud, per quod vnus Angelus excitat alterius intellectum ad sibi attendendum, numquam recurrit ad speciem, quæ de nouo fiat in intellectu eius, qui audit, aut ad aliquid extra intellectum loquentis productum, sed ad solam formam intelligibilem, vt est sub actu perfecto in intellectu loquentis in ordine ad alterum, vt videre est in eodem articulo 4. in solut. ad 4. & in 2. dist. 11. q. 2. art. 3. *D. Thom.*

Fit obuiam primæ impugnationi 20 Quare ad primam impugnationem ex Suarez dicendum est, huiusmodi excitationem non fieri per aliquam efficientiam physicam, sed per solam efficientiam moralem, quæ in eo consistit, vt Angelus, qui loquitur, velit manifestare alteri suum conceptum: nam (vt sæpe diximus) eo ipso fit talis conceptus de pertinentibus ad illum, cui manifestatur: & per hoc aufertur velamen, quo antea illi occultabatur, & proponitur à loquente in ratione obiecti sufficienter approximati, & proportionati, vt is, cui fit locutio, exeat statim in eius cognitionem: & perconsequens dantur omnia requisita ad hoc, vt ille conceptus fiat ei notus: siquidem (vt dicebamus) solum erat ei ignotus, non propter supernaturalitatem, sed propter defectum horum: & ideo his positis, nihil aliud desideratur.

Ad

Euanescit secunda probatio.

Ad secundam dicendum est, satis constare de mẽte Angelici Doctoris ex testimonijs à nobis adductis, nec verba D. Thomæ ita esse perspicua pro sententia Suarez, vt ipse vult. Nam comparatio illa, & paritas inter sensum, & sensibile ex vna parte, cum intellectu, & obiecto intelligibili ex alia, non tenet quoad omnia, sed satis est ad intentum D. Thomæ tenere quantum ad hoc, quòd vtrumque obiectum excitat, & aliquo modo mouet suam potentiam; quamuis modus excitandi, & mouendi sit diuersus. Et propterea, quamuis obiectum sensibile moueat physicè sensum, imprimendo illi propriam speciem, perquam sentiatur, eò quòd sensibile est agens proportionatum respectu sensus: nequit tamen modus hic mouendi applicari ad obiectum intelligibile respectu intellectus Angelici, propter rationes disp. præcedenti dubio. 1. & 2. à nobis traditas: sed sufficit, quòd ei tribuamus modum illum mouendi & excitandi moraliter per solam directionem conceptus, & propositionem illius in ratione obiecti sufficienter proportionati, & approximati.

21 Ex quo etiam fit, clarioribus verbis potuisse S. Doctorem asserere locutionem Angelicam fieri per impressionem alicuius nouæ speciei, vt puta, si id absolutè assereret. Quoniam hoc explicare per quamdam cõparationem obiecti intelligibilis ad sensibile, non est ita perspicua explicatio: siquidem regulare est in similibus comparationibus, vt non teneant quoad omnia. Et propterea Angelicus Præceptor sentiens, Angelum non loqui ad alterum per impressionem nouæ speciei, id expressis, & absolutis verbis asseruit quæst. 9. de Veritate art. 1. ad 10. dicens, *quòd quando vnus Angelus ab alio illuminatur, non infunduntur ei noua species.*

Ang. Præceptor.

Ad vltimã.

Ad tertiam denique impugnationem respondetur, plurimum referre, quòd conceptus vnius Angeli ad alium ordinetur, & fiat de pertinẽtibus ad ipsum, ad hoc vt per huiusmodi conceptus sibi loquantur. Cuius ratio patet ex dictis. Nam quia conceptus vnius non occultatur alijs, nisi quia ad illos non pertinet: oportet, vt eo ipso, quòd ad illos referatur, & fiat aliquid ipsorum, reddatur illis manifestus: ad quod satis est, vt in volũtate Angeli loquentis adsit realis actus, quo velit, suum conceptum ab alijs percipi, quamuis in ipsomet conceptu non ponatur aliquid aliud intrinsecum.

Tertiũ fundamentum *Molin.*

22 Tertio suadetur prædicta sententia ex Molina. Quoniam Angelus spectatus in suis tantum naturalibus, mentiri potest alteri Angelo, non secus ac vnus homo mentiri potest alteri homini: sed mentiri est aliud manifestare exteriori signo, & aliud habere in mente: ergo Angeli loquuntur ad inuicem signis externis, ac nutibus. Minor probatur. Quia mentiri diffinitur esse, *contra mentem ire.*

Soluitur. *Nazar.*

Respondetur ex Nazario, falsam esse minorem. Primò, quia potest Angelus malus duplicem in mente sua conceptum habere, alterum verum, quem tenet occultum, & alterum falsum, quem alteri manifestat. Secundo, quia potest malus Angelus mentiri circa suæ voluntatis affectiones, de quibus sicut verum ita falsum conceptum formare potest, & eum alteri manifestare & illi mentiri.

§. V. *Alia fundamenta eiusdem sententiæ, & eorum enodationes.*

Quartum. *Suarez.*

23 QVartò arguit Suarez. Quia intellectus vnius Angeli non est secũdum se sufficienter constitutus in actu primò ad cognoscendum actum liberum alterius Angeli, priùs quàm moueatur & excitetur per eius locutionem: ergo necesse est, quòd Angelus audiens recipiat per istam locutionem aliquid à loquente: & per consequens Angeli locutio non consistit in solo actu, vel conceptu eius interno, sed in aliquo ad extra producto in intellectu alterius. Hæc secunda consequentia sequitur ex priori, & prior ex antecedenti. Antecedens verò probatur. Nam si intellectus vnius Angeli esset secundum se sufficienter constitutus in actu primo in ordine ad cognoscendum actus liberos alterius, posset pro libito suo illos cognoscere independenter ab alterius locutione, & voluntate: sicut propterea potest pro libito cognoscere cæteras res naturales independenter ab alterius volũtate, quia ex se est sufficienter constitutus in actu primo ad illarum cognitionem.

Confirm. 1

Confirmatur primò. Nam vel vnus Angelus habet in se speciem repræsentatiuam conceptus alterius, vel non? Si primum: ergo nihil deest, vt illum cognoscat independenter ab alterius voluntate. Si secundum: ergo cùm non possit illum absque specie cognoscere, recipiet illam de nouo à loquente.

Confirm. 2

Confirmatur secundo. Quia vnus Angelus non loquitur alteri, nisi alter illi attendat: neque alter potest illi de nouo attendere, nisi fiat in eius intellectu aliqua intrinseca immutatio, & variatio, vt ex se notum est: ergo oportet, vt is, qui audit, & attendit, aliquid intrinsecum a loquente recipiat, per quod illi attendat.

Enodatur argum.

24 Respondetur, negando antecedens, si intelligatur de requisitis ad actum pri-

mum præcisè ex parte intellectus audientis. Nam quiuis Angelus habet, quicquid ex parte principij requiritur ad cognoscendum actum liberum alterius: habet enim sufficiens lumen, eò quòd lumen naturale cuiusuis Angeli sufficit, quantum est ex se, ad attingendum quodcumque obiectum, quod non sit supernaturale, dummodò tale obiectum sit sufficienter approximatum cognoscenti. Et similiter, si locutio sit de obiecto supernaturali, habet etiam à Deo supernaturale lumen ad illud attingendum, quoties per prædictam manifestationem fuerit ei sufficienter approximatum, & propositum. Et tandem retinet etiam speciem, per quam illum cognoscat: nam, vt vidimus ex D. Thoma, vnus Angelus cognoscit cognitionem alterius Angeli per eandem speciem innatam, per quam illum cognoscit, vel per speciem aliam innatam. Constat autem, quòd ex parte cognoscentis nihil aliud desideratur ad cognoscendum, præter lumen sufficiens, & speciem repræsentatiuam obiecti. Et ad probationem negandum est etiam antecedens. Quia actus liber vnius Angeli non est sufficienter approximatus, nec propositus in ratione obiecti proportionati respectu alterius, priùs quàm per voluntatem eius, cuius est talis actus, ad illum ordinetur, & sic ei approximetur. Vnde non ex defectu alicuius requisiti ex parte principij cognoscentis, habentis rationem actus primi effectiui illius cognitionis, sed ex defectu huius approximationis nequit actus istius Angeli ab illo cognosci independenter ab eius voluntate.

Ad primam confirm.

25 Ad primam confirmationem respondetur, quemlibet Angelorum habere in se speciem, quæ possit alterius conceptum repræsentare, vt ex iam dictis constat. Cæterùm in actuali repræsentatione dependet prædicta species à voluntate eius, cuius est ipse conceptus: sicut etiam quilibet habet speciem, quæ repræsentet futurum contingens, & tamen actualis repræsentatio dependet ex existentia prædicti futuri contingentis.

Ad secund.

Ad secundam confirmationem concesso antecedenti, neganda est consequentia. Mutatio enim, quæ debet fieri in intellectu Angeli audientis, vt loquenti attendat, non est per aliquid physicè immissum à loquente, sed est ipsa cognitio, & actus secundus, per quem ille, qui audit, percipit & cognoscit actum alterius sibi loquentis. Ad hanc verò cognitionem, & mutationem sufficienter est constitutus ex parte actus primi intellectus cuiusuis Angeli per speciem, & lumen connaturale, vt modò dicebamus: & ideo non est necessarium, vt Angelus, qui loquitur, aliquid physicè immittat audienti; sed sufficit, vt auferat velamen sui actus liberi cognoscendi, & constituat illum in ratione obiecti sufficienter approximati respectu intellectus audientis: quod totum fit per solam ordinationem & directionem loquentis ad eum, cui loquitur, vt ex dictis constat, & ex statim dicendis amplius constabit.

Elucidatur primò.

26 Potestque hoc explicari, & elucidari primò, ex eo quòd ad suauem Dei prouidentiam videtur spectare, vt hoc ipso, quòd moueat intellectum vnius Angeli ad manifestandum, & dirigendum suum conceptum alteri Angelo; moueat etiam intellectum huius ad attendendum, & audiendum. Nam sicut pertinet ad integritatem, & perfectionem hominis, quòd generet sibi simile: & propterea spectat etiam ad suauem Dei prouidentiam à natura humana petitam, vt posita debita dispositione, quæ ab homine poni potest, creet animam rationalem desideratam ad generationem istam, quam ipse homo producere nequit, ob maximam eiusdem animæ excellentiam: ita etiam, quia ad integritatem naturæ Angelicæ pertinet, vt vnus Angelus alteri loquatur, vt ita habeant politicam, communem, & socialem vitam, quam exigunt, inde est, vt etiam pertineat ad suauem Dei prouidentiam à natura Angelica petitam, vt posita debita dispositione, seu debitis requisitis iam explicatis ponibilibus ex parte Angeli loquentis, moueat audientem ad hoc, vt audiat, & attendat: quia Angelus loquens nequit aliquid physicum in audiente producere, propter maximam excellentiam Angeli audientis, quæ tanta est, vt soli Deo quoad impressionem alicuius physici in eo recepti subdatur, vt explicatum est. Quinimò & connaturaliter loquendo, prædicta excellentia petit, vt denuò solùm imprimatur ei à Deo in ordine ad hanc auditionem, & attentionem ad alterum, Angelum loquentem aliquid se tenens ex parte actus secundi intelligendi, scilicet motio actualis, qua moueatur, & applicetur ad percipiendum: quia cætera tenentia se præcisè ex parte actus primi effectiui illius intellectionis, sunt ei indita ab initio suæ productionis.

Illustratur vlterius.

27 Et tandem potest hoc ipsum explicari, si dicatur, hanc esse propriam conditionem, & (vt sic dicamus) ingenium Angelicæ naturæ, vt posito requisito illo iam dicto manifestationis, & directionis conceptus vnius Angeli ad alterum, statim iste audiat, & attendat. Et ratio est illa, quam nuper tetigimus, quoad præsens tamen sic applicata. Quoniam ad perfectionem naturæ

turæ Angelicæ pertinet, vt vnus Angelus alteri loquatur. Cumque hoc fieri nequeat per impressionem physicam alicuius, quòd ab Angelo loquente fiat, quia hoc excedit limites Angeli loquentis, & audientis, vt dictum est: oportet, vt fiat absque prædicta impressione; & morali illo modo iam dicto, quia non superest alius. Et ita, licèt in nobis requiratur vltra conceptum internum, externa vox ad loquendum, & ad hoc vt audiens attendat, & excitetur, non tamen in Angelis desideratur aliquid ad loquendum, aut excitandum audientem, præter prædictam directionem: quia illa directio est virtualiter transiens morali modo, propter maximam sui perfectionem: & illa locutio, quia est omninò spiritualis, & spirituali modo executa, non petit aliquid amplius, sed habet quodammodò eminenter, & modo dicto ille conceptus sic directus, quicquid in nobis conuenit conceptui, & voci externæ.

Cõciliatur hæc posterior elucidatio cũ priori.

Nec hæc posterior explicatio discordat à priori, ita vt cum illa cohærere nequeat: quin potiùs id, quod in hac posteriori asseritur, potest reddi pro ratione, propter quam pertineat ad suauem Dei prouidentiam, vt dum ipse mouet vnum Angelum ad loquendum, moueat etiam alterum, ad quem fit illa ordinatio, ad audiendum: ita tamen, vt iuxta hunc modum explicandi, illa Dei motio debeat præstari à Deo, vt ab agente vniuersali: iuxta priorem verò, & præcisum ab isto, præstetur à Deo. vt ab agente particulari: eo proportionali modo, quo creatio animæ fit ab ipso Deo, quia ponitur ab homine vltima dispositio physica ad vnionem animæ cum corpore: & productio gratiæ fit etiam à Deo, vt ab agente particulari, adhuc in eorum sententia, qui dicunt, actum contritionis, & dilectionis positum ab homine, non esse dispositionem vltimam physicam ad gratiam, sed solùm moralem, & moraliter influentem.

Quintũ argumentum *Vazquez.*

28 Quintò probatur eadem sententia ex Vazquez. Quia etiamsi verum esset, secretum cordis post voluntatem, & ordinationem voluntatis manifestum fieri Angelo: in hoc tamen modo aperiendi secretum non seruaretur vera locutionis ratio: ergo. Probatur antecedens. Nam locutio non est actus voluntatis, sed intellectus exprimentis aliquid: at iuxta sententiam Diui Thomæ, & Caietani, lingua Angelorum esset voluntas: ergo &c.

D. Thom. Caietani.

Occurritur ex Nazario

Respondetur ex Nazario, falsum esse antecedens. Ad cuius probationem neganda est secunda propositio: locutio namque conceptus est intellectus, prout ordinatione voluntatis ad alterum ordinatur, vt fiat illi manifestus. Quamuis itaque locutio non fiat sine motione, & ordinatione voluntatis, est tamen substantialiter actus intellectus: sicut imperare est actus rationis, præsuppositio actu voluntatis, in cuius virtute ratio mouet per imperium ad exercitium actus, vt ait S. Doctor 1.2. quæst. 17. art. 1.

D. Thom.

29 Nec refert, si vrgeas ex Vazquez, quòd conceptus ille, prout fit manifestus ex ordinatione voluntatis, non est expressio, & ipsa significatio, quæ est de ratione locutionis, sed potiùs est res ipsa expressa, & locutione significata: ergo nulla via, vera ratio locutionis potest à prædicta sententia defendi.

Replica Vazquez.

Euanescit *Nazar.*

Respondetur ex Nazario, falsum esse antecedens. Hoc enim interest inter conceptum nostrum, & conceptum Angeli, quòd conceptus noster non potest esse locutio, nisi in ordine ad Deum, vel Angelum, quibus sine vocibus loqui possumus: & ideò conceptus noster apud nos non est locutio, sed est id, quod sensibili, corporeaque locutione significatur: at conceptus Angelici, qui vocibus non indigent, vt alteri Angelo, vel Deo manifestentur, hoc ipso locutiones sunt in Angelo loquente, quòd ad alterum Angelum ordinantur, vt cognoscantur ab eo: adeò vt cõceptus sic ordinatus sit simul expressio, vel significatio, & res expressa, & significata. Hoc enim habet ordo rerum, vt ea, quæ sunt in inferioribus dispersa, in superioribus inueniantur vnita, vt anteà diximus. Cùm igitur in nobis, propter imperfectionem naturę nostræ, & intellectus, sint omninò distinctæ res conceptus expressus, & eius expressio, siue manifestatio, quæ fit voce sensibili aerẽ permouente, & pulsante sensum auditus, congruum est, vt in locutione intellectuali substantiæ spiritualis completæ, per se subsistentis, prædicta duo in vnam quamdam simpliciorem, altioremque rationem adunentur.

Adde, etiam quoad præsens reperiri distinctionem aliquam inter locutionem, & rem per eam significatam: quia cogitatio secundùm se, siue vt volita, est res manifestata, & vt ordinata ad alterum, seu connotando prædictam ordinationem, est locutio.

Sextũ fundament.

30 Sextò potest probari prædicta sententia. Quoniam Angelus loquitur homini per impressionem alicuius physici, puta speciei intelligibilis, &c: ergo etiam vnus Angelus sic alteri loquetur. Antecedens probatur. Quia Angelus plura solet reuelare homini, quorũ non habet species. Consequentia autem

autem ex paritate rationis videtur constare.

Corruit. Respondetur, negando antecedens. Et ad probationem satis esse, vel quòd Angelus coordinet species præexistentes diuersimodè per motum localem subiecti corporei, in quo sunt, nempe organi phantasiæ, vt intellectus agens hominis possit inde alias speD. Thom. cies intelligibiles abstrahere. Vel (vt D. Thomas q. 9. de Veritate, art. 1. ad 10. loquitur) quòd confortatus per lumen Angelicum, vel diminum, in plurium cognitionem deuenire possit, quàm per se posset. Vel quòd Deus, si voluerit, nouas species infundat: quia nec homo est tantæ perfectionis, vt ex natura sua exigat, quòd ab initio suæ productionis habeat species intelligibiles, nec quòd Angelus nequeat intra illum per motum localem aliquid operari.

ARTICVLVS II.

Vtrùm inferior Angelus superiori loquatur?

Infrà q. 117 ar. 2. cor. Et verit. q. 9. ar 5. Et 1. Corin. 13.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quòd inferior Angelus superiori nō loquatur. Quia super illud 1. Corinthiorum 13. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, dicit Glossa, quòd locutiones Angelorum sunt illuminationes, quibus superiores illuminant inferiores. Sed inferiores nunquam illuminant superiores, vt suprà dictū

† Q. præc. art. 3. est. * Ergo nec inferiores superioribus loquuntur.

¶ 2 Præterea. Suprà dictū est *, quòd illuminare nihil est aliud, quàm illud, quod est alicui manifestū, alteri manifestare: & hoc idē est loqui. Ergo idē est loqui, & illuminare: & sic idem, quod prius.

† Art. 3. huius quæst.

¶ 3 Præterea. Gregorius dicit * 2. Moraliū, quòd Deus ad Angelos loquitur eo ipso, quod eorū cordibus occulta sua inuisibilia

† Lib. 2. Moral. cap. 5. in med.

ostēdit. Sed hoc ipsum est illuminare. Ergo omnis Dei locutio est illuminatio. Pari ergo ratione omnis Angeli locutio est illuminatio. Nullo ergo modo Angelus inferior superiori loqui potest.

SED cōtra est, quòd sicut Dionys. * exponit 7. cœl. Hierarch. inferiores Angeli superioribus dixerunt, Quis est iste Rex gloriæ?

† Cap. 7. à medio.

RESPONDEO dicendū, quòd Angeli inferiores superioribus loqui possunt. Ad cuius euidēntiam cōsiderandum est, quòd omnis illuminatio est locutio in Angelis: sed nō omnis locutio est illuminatio. Quia sicut dictum est *, Angelum loqui Angelo, nihil aliud est, quàm conceptum suū ordinare ad hoc, vt ei innotescat per propriam voluntatem. Ea verò, quæ mente concipiuntur, ad duplex principium referri possunt, scilicet, ad ipsum Deum, qui est prima veritas, & ad voluntatem intelligentis, per quam aliquid actu consideramus. Quia verò veritas est lumen intellectus, & regula omnis veritatis est ipse Deus, manifestatio eius, quod mente cōcipitur, secundùm quòd dependet à prima veritate, & locutio est, & illuminatio: puta, si vnus homo dicat alij: cœlū est à Deo creatū, vel homo est animal. Sed manifestatio eorū, quæ dependet ex voluntate intelligentis, nō potest dici illuminatio, sed locutio tantum: puta, si aliquis alteri dicat: volo hoc addiscere, volo hoc, vel illud facere. Cuius ratio est. Quia voluntas creata non est lux, nec regula veritatis, sed participans lucem: vnde cōmunicare ea, quæ

† Art. præc.

sunt

sunt â voluntate creata, in quantum huiusmodi, non est illuminare. Non enim pertinet ad perfectionem intellectus mei, quid tu velis, vel quid tu intelligas cognoscere; sed solùm, quid rei veritas habeat. Manifestum est autem, quòd Angeli dicuntur superiores, vel inferiores per comparationem ad hoc principium, quod est Deus. Et ideô illuminatio, quæ dependet à principio, quod est Deus, solùm per superiores Angelos ad inferiores deducitur. Sed in ordine ad principium, quod est voluntas, ipse volens est primus, & supremus. Et ideò manifestatio eorum, quæ ad voluntatem pertinent, per ipsum volentem deducitur ad alios quoscumque. Et quantũ ad hoc, & superiores inferioribus, & inferiores superioribus loquuntur. Et per hoc patet solutio ad primum, & ad secundum.

Ad tertium dicendum, quôd omnis Dei locutio ad Angelos est illuminatio: quia cùm voluntas Dei sit regula veritatis, etiam scire, quid Deus velit, pertinet ad perfectionem, & illuminationem mentis creatæ. Sed non est eadem ratio de voluntate Angeli, vt dictum est *.

† In corp. articuli.

Conclusio.

Quamuis Angelus inferior superiorem non illuminet, ei tamen loquitur, dum ea, quæ ex inferioris voluntate dependent, superiori manifestat.

Notationes circa hunc articulum.

Animaduersio circa cõclus. artic.

1 CIrca conclusionem huius articuli secundi notandum est, eam quoad locutionem manifestè deduci ex dictis pro præcedenti articulo: nam doctrina in eo tradita communis est ad omnes Angelos: & ita modo prædicto, non solùm Angelus superior ad inferiorem, sed etiam Angelus inferior ad superiorem loquetur, vt ex rationibus disputatione præcedenti factis satis constat. Cùm enim locutio Angelica consistat in sola directione conceptus ex se occulti vnius Angeli in ordine ad alterum, vt ei manifestetur, & tam inferior, quàm superior possit ad quemlibet alium internum & occultum conceptum, vt ei manifestandum, dirigere: fit inde, quòd omnes Angeli possint modo dicto colloqui inuicem inter se, & tam inferior superiori, quàm inferior superior secretum interius manifestare.

2 Neque obest, si obijcias, quòd inferior Angelus non potest illuminare superiorem: ergo neque ei loqui. Antecedens constat ex dictis disputatione præcedenti. Consequentia verò probatur. Quia nihil aliud videtur esse illuminare, quàm loqui, vtrumque enim dicit manifestare alteri, quod ei erat ignotum; ergo qui non potest illuminare, non potest loqui. Obiectio.

Non itaque hoc obest, propter apertum discrimen, quod reperitur inter locutionem ex vna parte, & illuminationem ex alia, quod consistit in duobus. Primum est, quòd illuminatio est de superioribus, & de ijs, quæ à prima veritate dependent: at locutio potest esse de quolibet occulto, etiamsi solùm dependeat à voluntate creata. Cuius optimam rationem tradidit Angelicus Doctor in præsenti articulo 2. his verbis: *Ea verò, quæ mente concipiuntur, ad duplex principium referri possunt, scilicet, ad ipsum Deum, qui est prima veritas, & ad voluntatem intelligentis, per quam aliquid actu consideramus. Quia verò veritas est lumen intellectus, & regula omnis veritatis est ipse Deus, manifestatio eius, quod mẽte concipitur secũdùm quòd dependet à prima veritate, & locutio est, & illuminatio: puta si vnus homo dicat alij, cœlũ est â Deo creatum, vel homo est animal. Sed manifestatio eorum, quæ dependet ex voluntate intelligentis, non potest dici illuminatio, sed locutio tantùm: puta, si aliquis alteri dicat, volo hoc addiscere, volo hoc, vel illud facere. Cuius ratio est. Quia voluntas creata non est lux, nec regula veritatis, sed participans lucem.* Enodatur. Angel. Doctor.

Aliud, in quo consistit prædictum discrimen, est, quòd *Illuminatio* (vt loquitur D. Thomas in 2. dist. 11. quæst. 1. articulo 3.) *fit per hoc, quòd lumen intellectus vnius Angeli per perfectius lumen superioris confortatur ad aliquorum cognitionem: sed locutio per hoc, quòd aliqua priùs occulta proponuntur, vt cognoscenda, sine hoc quòd virtus cognoscentis fortificetur: vt patet in recitationibus historiarũ, in quibus aliquis cognoscit, quod priùs nesciebat, sine hoc quòd suus intellectus clarificetur.* Ex quibus manifestè habetur quid illumina- D. Thom.

tio

tio addat ſupra locutionem: & ideò, quòd licèt omnis illuminatio ſit locutio, non tamen omnis locutio eſt illuminatio. Habetur etiam, quòd illuminare eſt proprium ſolius ſuperioris: at loqui poteſt eſſe cuiuſlibet. Per quod ſatis patet ad obiectionem.

Secunda animaduerſio.

3 Secundò notandum eſt, hinc etiam manere explicatam, tum eandem concluſionem articuli quoad alteram partem, ſcilicet quoad illuminationem, tum etiam quoad rationem, quam S. Doctor adducit ad vtramque partem probandam, ſcilicet, quod Angelus inferior non illuminet ſuperiorem, benè tamen loquitur ad illum. Quæ quidem ratio poteſt ſub hac forma proponi. Quoniam Angelus inferior manifeſtans ſuum conceptum ſuperiori, non manifeſtat illum, vt veritas quædam eſt, ſed vt volitus ab ipſo: ergo loquitur cum ſuperiori, non tamen illuminat illum. Conſequentia videtur ex antecedenti legitimè deduci. Et in primis quidem quoad primam partem patet. Quia manifeſtatio conceptus, vt voliti, eſt reuelatio ſecretarum cogitationum cordis, atque adeò locutio: ſiquidem prædicta manifeſtatio eſt ordinatio, & directio facta per voluntatem Angeli, qua dirigit ſuum conceptum, à quaque illi modo dicto innoteſcit, quod tunc liberè prædictus Angelus concipit.

Enucleatur ratio Diui Thomæ pro cõcluſione.

Quoad ſecundam verò partem, ſcilicet, quòd Angelus inferior non illuminet ſuperiorem, probatur. Tum, quia ad illuminationem deſideratur manifeſtatio conceptus, ſiue obiecti per illum percepti, vt veritas quædam eſt: ex eo quòd, ſicut veritas eſt lumen intellectus, ita manifeſtatio illius, vt veritas quædam eſt requiritur ad illuminationem. Tum etiam. Quia ad illuminationem requiritur plenitudo luminis, ita vt ex abundantia luminis exiſtentis in illuminante manifeſtetur aliquid ei, qui non habet tantum de lumine: at hoc ipſo, quòd Angelus inferior non manifeſtet ſuum conceptum ſuperiori, vt veritas quædam eſt, non manifeſtat illum ex plenitudine luminis iam dicta: quia hæc plenitudo fit per participationem à Deo, vt prima veritas eſt, ac proinde manifeſtationem eius, quod ab eo accipitur, vt veritas quædam eſt.

4 Ex quo etiam antecedens ſatis conſtare videtur. Quoniam Angeli dicuntur ſuperiores, & inferiores, quatenus magis, vel minùs accedunt ad Deum: ergo inferiores non reuelant ſuperioribus ſuum conceptum, vt veritas quædam eſt, ſed vt volitus eſt, ſiue vt concernit *eſſe* volitum. Patet hæc vltima cõſequentia. Quia reuelatio veritatis, vt veritas eſt, fit per reuelationem ipſius, vt pendet à prima veritate, ſeu ſecundùm eum modum & ordinem, quo à prædicta prima veritate habet pendere: hæc autem dependentia, & modus eſt, vt non deſcendat à prima veritate, niſi mediis Angelis ſuperioribus ad inferiores, non tamen mediis inferioribus ad ſuperiores. Sicut è conuerſo reuelatio eiuſdem veritatis, vt volita, ſiue vt concernit eſſe volitam, non fit, niſi quatenus pendet à voluntate Angelica: & ita poteſt indiſcriminatim fieri à quouis Angelo reſpectu alterius.

Obiectio.

5 Nec obeſt, ſi obijcias id, quod nuper tactum eſt, quòdque poteſt ſub hac forma vrgeri, nempe, quòd ſi illa probatio aſſumpta à D. Thoma, nempe, quòd veritas eſt lumen intellectus, aliquid probat, concludit etiam, quòd omnis locutio Angeli ſit illuminatio. Nam quotieſcumque Angelus inferior ſuum conceptum manifeſtat ſuperiori, toties ſuperior cognoſcit aliquod verum, ſiue aliquam veritatem: tum quia obiectum formale intellectus, ſiue ſuperioris, ſiue inferioris Angeli eſt verum: tum etiam, quia ſi Angelus inferior ſuperiorem non fallit, verum eſt, quod illi narrat: ergo ſuperior cognoſcit verum: ergo ſi veritas eſt lumen intellectus, per hanc illuminabitur intellectus ſuperioris ab inferiori: ac per conſequens non dabitur locutio ſine illuminatione.

Confirmatio. *D. Thom.*

Confirmatur. Quoniam ad perfectionem intellectus pertinet cognoſcere, quid rei veritas habeat, vt inquit D. Thomas in hoc articulo. ergo ad perfectionem intellectus ſuperioris Angeli pertinebit cognoſcere, quid rei veritas habeat circa id, quòd vult, vel cognoſcit inferior: ergo cùm inferior manifeſtat ſuperiori ſuam liberam volitionem, vel intellectionem, manifeſtat illi, quid rei veritas habeat: ac per conſequens illuminat ſuperiorem, oſtendendo ei ſuum conceptum: quia veritas eſt lumen intellectus.

Diluitur obiectio.

6 Reſpondetur, quòd illuminare non eſt vtcumque manifeſtare verum; ſed eſt manifeſtare verum, formaliter vt verum, per quod diſtinguitur à locutione, quæ eſt locutio tantùm. Quando ergo Angelus inferior manifeſtat ſuum conceptum ſuperiori, tunc aliquam veritatem oſtendit; non tamen vt veritas eſt: quia cùm veritas illa habeat eſſe talis dependenter à prima veritate, non poteſt deſcendere veritas, vt veritas, à prima, niſi mediantibus cauſis proximioribus eidem primæ veritati: ac per conſequens mediis ſuperioribus Angelis debet inferioribus manifeſtari. Et ideò idem conceptus, ſiue eadẽ veritas, quæ à Cherubino manifeſtatur Seraphino, ſi fuiſſet manifeſtata à Deo, eſſet illuminatio: & tamẽ manifeſtata à Cherubino, eſt tãtùm locutio. Quia cũ voluntas diuina ſit lex, & regula omnis veritatis, quicquid ab eo manifeſtatur, ſemper eſt ſub ratione veri. Cæterùm cùm voluntas Angeli inferioris non ſit regula veritatis, id, quod

ab eo,

ab eo, vt pendens ab eius voluntate, manifeſtatur, nunquam eſt verum ſub ratione veri, licèt aliàs materialiter ſit verum; ſed eſt verum ſub ratione voliti, ſiue prout à ſe liberè & voluntariè cogitatum eſt: quæ quidem manifeſtatio, vt ex dictis patet, eſt locutio.

Soluitur cõfirmatio.

Ex quo patet ad confirmationem. Dicendum enim eſt, quòd conceptus, ſiue cognitio Angeli inferioris dupliciter conſiderari poteſt. Vno modo, in quantum cognitio eſt, ſiue tendentia in obiectum cognitum, v.g. quãdo Angelus cognoſcit cælum, vel vult aliquid. Alio modo poteſt conſiderari ille cõceptus, ſiue cognitio, vel etiam volitio, in quantũ eſt quoddã verum, ſiue ſecundũ ſe, & obiectiuè. Si primo modo cõſideretur, non pertinet ad perfectionem Angeli ſuperioris cognoſcere, quòd inferior tẽdat per ſuũ conceptũ vel amorem ad aliquod obiectum:

Caiet.

quia, vt optime inquit Caietanus in præſenti, cùm res volita, aut intellecta non dependeat ab intellectione aut volitione, impertinens eſt ad perfectionem debentis intelligere res ab alijs cognitas, aut volitas, ſcire, quid alij circa illas velint, vel nouerint: ac per cõſequens manifeſtatio conceptus ſub hac cõſideratione, tantum erit locutio. Si verò conceptus Angeli inferioris ſumatur ſecundo modo tunc eſt perfectio ſuperioris cognoſcere illum eo modo, quo eſt perfectio cognoſcere cogitationes cordis. De quo plura diximus ſupra q. 57. art. 4.

Replica.

7 Nec refert, ſi vrgeas. Tum quòd obiectũ formale illius manifeſtationis eſt veritas illa ſub ratione veritatis: quia veritas ſic ſumpta eſt obiectum formale intellectus Angelici: ergo &c. Tum etiam, quòd Angelus, cui manifeſtatur ille conceptus, vt volitus, ſiue concernendo hoc, quòd eſt eſſe volitum, percipit illum, vt veritas: quia etiã eſt obiectum formale ſui intellectus: ergo reuelatur illi, vt veritas: quia ſic percipitur ab eo, ſicut illi manifeſtatur, & reuelatur. Tũ denique. Quia falſum eſt, diuinam voluntatem, formaliſsimè loquendo, eſſe primam regulam veritatis, ſed ſolum id habet idẽticè: quia quod ei correſpondet intra propriam lineam, tantum eſt, eſſe primam regulam bonitatis. Cõſtat autem, quòd ad intentum D. Thomæ, & noſtrum requirebatur illud prius, & non ſufficit hoc poſterius.

Reſponſio.

Reſpondetur ad primam ex his impugnationibus, negando antecedens intellectum de veritate ſub ratione veritatis in eo ſenſu, quo in præſenti de illa loquimur, ſcilicet, non vt præcisè (modo alibi tacto) pertinet ad obiectum intellectus, ſed vt pendet à prima veritate, & ſecundum eum modum & ordinem, quo ab ea pendet, ſic enim non manifeſtatur, niſi per plenius lumen dirigatur, & deſcendat ad inferius, vt explicatum eſt. Per quod etiam ad ſecundam impugnationẽ patet. Non enim Angelus ſuperior percipiẽs conceptum liberum inferioris, percipit illũ, vt formaliſsime pendet à prima veritate, licet percipiat eundem materialiter ſic pẽdentem. Ad tertiam verò impugnationem dicendum eſt, diuinam voluntatem eſſe primam regulam veritatis participatæ, vt à Deo pendens eſt, ſeu vt à Deo communicatur, & deſcendit: quia prima regula huius communicationis, modo alibi tacto, eſt diuina voluntas.

ARTICVLVS III.

Vtrum Angelus Deo loquatur?

Iob 4.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod Angelus Deo non loquatur. Locutio enim eſt ad manifeſtandum aliquid alteri. Sed Angelus nihil poteſt manifeſtare Deo, qui omnia nouit. Ergo Angelus non loquitur Deo.

¶ 2 Præterea. Loqui eſt, ordinare conceptum intellectus ad alterum, vt dictum eſt * Sed Angelus ſemper conceptum ſuæ mentis ordinat in Deum. Si ergo aliquando Deo loquitur, ſemper Deo loquitur: quod poteſt videri aliquibus inconueniens, cùm aliquando Angelus Angelo loquatur. Videtur ergo, quod Angelus numquam loquatur Deo.

† Art. 1. huius quæſt.

Sed contra eſt, quod dicitur Zachar. 1. Reſpondit Angelus Deo, & dixit: Domine exercituũ, Vſquequo non miſereberis Ieruſalem? Loquitur ergo Angelus Deo.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt * locutio Angeli eſt per hoc, quod conceptio mẽtis ordinatur ad alterum. Sed

† Art. 1. huius quæſt.

aliquid

aliquid ordinatur ad alterum dupliciter. Vno modo ad hoc, quòd communicet alteri: sicut in rebus naturalibus agens ordinatur ad patiens, & in locutione humana Doctor ordinatur ad discipulum. Et quantum ad hoc nullo modo Angelus loquitur Deo, neque de his, quæ ad rerum veritatem pertinent: neque de his, quæ dependent à voluntate creata: quia Deus est omnis veritatis, & omnis voluntatis principium, & conditor. Alio modo ordinatur aliquid ad alterum, vt ab eo aliquid accipiat: sicut in rebus naturalibus passiuum ad agens, & in locutione humana discipulus ad magistrum: & hoc modo Angelus loquitur Deo, vel consultando diuinã voluntatem de Angelis, vel eius excellẽtiam, quam numquam comprehendit, admirando, sicut Gregorius dicit * 2. Moralium, quôd Angeli loquuntur Deo, cùm per hoc, quòd, super semetipsos respiciunt, in motum admirationis surgunt.

† Lib 2. Moral. c 2 à medio.

Ad primum ergo dicendum, quòd locutio non semper est ad manifestandum alteri; sed quandoque ad hoc ordinatur finaliter, vt loquenti aliquid manifestetur, sicut cùm discipulus quærit aliquid à magistro.

Ad secundum dicẽdum, quòd locutione, qua Angeli loquuntur Deo, laudantes ipsum, & admirãtes, semper Angeli Deo loquuntur. Sed locutione, qua eius sapiẽtiam cõsulunt super agendis, tũc ei loquũtur, quãdo aliquid nouũ per eos agendum occurrit, super quo desiderant illuminari.

Conclusio.

Loquitur Deo Angelus, non vt Deo aliquid manifestet, sed diuinam consulendo voluntatẽ de agendis, aut eius excellentiam admirandõ.

Animaduersiones circa istum articulum.

1 CIrca conclusionem huius articuli notandum est, eam satis deduci ex dictis. Siquidem quilibet Angelus potest ad Deum dirigere, & ordinare suum conceptum: & ita poterit ad eum loqui. Nec necesse erit aliquid aliud circa hunc articulum animaduertere, aut peculiariter explicare, quomodo ad rationem locutionis vt sic, non sit necessarium, quòd id, de quo fit locutio, sit occultũ ei, cum quo quis loquitur, licèt hoc in locutionibus vnius Angeli ad alterum reperiatur. Quia omnia hæc satis perspicuè ex his, quæ D. Thomas in præsenti docet, colliguntur: & ratio eorum optimè, & clarè ab eo explicatur.

ARTICVLVS IIII.

Vtrũ localis distãtia operetur aliquid in locutione Angelica?

AD Quartum sic proceditur. Videtur, quòd localis distantia operetur aliquid in locutione Angelica. Sicut enim dicit Damascenus *, Angelus, vbi est, ibi operatur: locutio autem est quædã operatio Angeli. Cùm ergo Angelus sit in determinato loco, videtur, quôd vsque ad determinatam loci distantiam Angelus loqui possit.

2. dist 9. ar. 2. ad 6. Et dist. 11 q. 2. art 3 ad 3. Et veri q 9. art. 6.

† Libr. 6. c. 17. & lib. 2. cap. 3.

¶ 2 Præterea. Clamor loquentis fit propter distantiam audiẽtis. Sed Isaiæ 6. dicitur de Seraphim, quod clamat alter ad altum. Ergo videtur, quòd in locutione Angelorum aliquid operetur localis distantia,

SED contra est, quôd sicut dicitur Lucæ 16. Diues in inferno positus loquebatur Abrahæ, non impediente locali di-

stan-

stantia. Multò igitur minùs localis distantia potest impedire locutionem vnius Angeli ad alterum.

† Art. 1. 2. & 3. huius quæst.

RESPONDEO dicendum, quòd locutio Angeli in intellectuali operatione consistit, vt ex dictis patet. * Intellectualis autem operatio Angeli omninò abstracta est à loco, & tempore: nam etiam nostra intellectualis operatio est per abstractionem ab hic, & nũc nisi per accidens ex parte phantasmatũ, quæ in Angelis nulla sunt. In eo autem, quod est omninò abstractum à loco, & tempore, nihil operatur neque temporis diuersitas, neque loci distantia. Vnde in locutione Angeli nullum impedimentum facit distantia loci.

Ad primum ergo dicendum, quòd locutio Angeli, sicut dictum est, * est locutio interior, quæ tamen ab alio percipitur: & ideo est in Angelo loquente, & per consequens, vbi est Angelus loquens. Sed sicut distantia localis non impedit, quin vnus Angelus alium videre possit: ita etiam non impedit, quin percipiat, quod in eo ad se ordinatur, quod est eius locutionem percipere.

Art. 1. huius quæst.

Ad secundum dicendum, quod clamor ille non est vocis corporeæ, quæ fit propter distantiam loci: sed significat magnitudinem rei, quæ dicebatur: vel magnitudinem affectus, secundùm quod dicit Gregorius * 2. Moralium: Tanto quisque minùs clamat, quanto minùs desiderat.

† Lib. 2 Moral. cap. 6. paulò post princip.

Conclusio.

In his, quæ sunt omninò abstracta à tempore, & loco, neque temporis diuersitas, neque loci distantia aliquid operatur. Vnde in locutione Angeli nullum impedimentum præstat distantia loci.

Animaduersiones circa hunc articulum.

Animadversio circa conclus. *Durand. Molina. D. Thom.*

1 CIrca articuli huius conclusionem notandum est, eam negari à Durando in 2. dist. 11. citata quæst. 1. & Molina vbi suprà. Cæterùm ex doctrina tradita, & ex ratione, qua D. Thomas in præsenti, & de Veritate quæst. citata art. 7. vtitur, facilè potest suaderi. Quoniam cùm manifestatio mentis Angelicæ omninò pendeat ex eius voluntate, illi dumtaxat erit eius conceptus manifestus, ad quem voluntariè dirigitur: at potest dirigi ad vnum, ad quem fiat locutio, & non ad alios: ergo ei tantummodò erit manifestus, & non alijs.

Obiectio.

2 Sed obijcies. Quilibet Angelus potest cognoscere per se ipsum independenter ab alterius voluntate id, quod alijus necessariò cognoscit: sed Angelus, ad quem fit locutio, cognoscit necessariò conceptum loquentis: ergo quilibet alius potest per se ipsum illum cognoscere: atque adeò talis conceptus independenter à propria voluntate erit omnibus manifestus. Consequentia satis constat, & etiam maior. Quoniam naturalia Angelorum, & quæ libera non sunt, debent omnibus esse manifesta: cùm omnes ad inuicem comprehendant se ipsos, & quæcumque sunt in eis necessaria.

Minor verò probatur. Quia si vnus Angelus libere perciperet vocem, seu conceptum loquentis, libereque ei attenderet, posset pro libito non attendere, & eius locutionem aliquando non percipere: hoc autem non videtur dicendum: aliàs Angelica respublica non esset in sua politia perfectè constituta, si vnus posset locutionem alterius reijcere, & ei pro libito attendere, vel non attendere: cùm etiam inter homines incurrat inurbanitatis notam, qui ad loquentem sibi non attendit.

Confirm. 1.

Confirmatur primò. Quoniam locutio inter Angelos, nec fit ab vno, neque ab alio percipitur, nisi per aliquas species, quæ veritatem, & obiectum manifestandum loquenti, & audienti actu & in exercitio repræsentent: sed quilibet Angelus per se, independenter ab alterius voluntate, cognoscit aliorum species, & earum actuales repræsentationes, sicut & omnes illos comprehendit: ergo etiã cognoscet independẽter ab aliena voluntate eorum locutionem. Maior est per se nota. Et minor etiam videtur perspicua. Quia quiuis Angelus comprehendit species aliorum,

& earum repræsentationes. Consequentia verò probatur Quia qui cognoscit speciem actu, & in exercitio repræsentantem aliquod obiectum, non potest non attingere obiectum per illam repræsentatum.

Confirm. 2. D. Thom. Confirmatur secundò. Nam iuxta doctrinam D. Thomæ in 2. dist. citata, vnus Angelus non manifestat alteri suum conceptum, nisi per aliquid, quod est naturaliter notum, nempe, per speciem intelligibilem repræsentatiuam talis conceptus: sed id, quod est in Angelis naturaliter notum, omnes cognoscunt: ergo omnes cognoscunt conceptum, quem vnus alteri manifestat.

Dissoluitur obiectio. 3 Respondetur, negando minorem. Et ad probationem dicendum est, posse quidem Angelum, ad quem fit locutio, non attendere, & non percipere id, quod per illam locutionem ei manifestatur: numquam tamen de facto non attendet, sed semper auditum præstabit: & ita nulla sequetur ibidem quoad hoc inurbanitas. Et ratio horum omnium sumitur ex dictis. Quoniam Angelus audiens debet ex vno capite esse vrbanus, & politicus, iuxta id, quod sua natura petit: hæc autem exigit, quòd libero modo vrbanitatis leges adimpleat, ita vt licèt semper eas obseruet, possit tamen illas non obseruare: quandoquidem, vt supra dicebamus, hoc est ingenium & conditio naturæ Angelicæ, vt exigat, quòd hoc ipso, quòd Deus, motione non tollente libertatem moueat Angelum loquentem ad loquendum, moueat etiam audientem per similem motionem ad audiendum, & attendendum, ac proinde id ad suauem Dei prouidentiam spectet, iuxta id, quod numero citato explicuimus.

Ad primã confirmat. Ad primam confirmationem concedatur maior, sed negetur minor intellecta de omni repræsentatione omninò actuali, & in exercitio specierum. Et ad probationem illius dicendum est, ad comprehensionem specierum intelligibilium non esse necessarium cognoscere repræsentationem omninò actualem, & in actu exercito illarum, pendentem ex voluntate alterius, atque adeò habentem talem conditionem, vt sit quodammodò libera, vt in præsenti contingit. Quare satis erit ad cõprehensionem alicuius speciei, attingere in particulari obiectum primarium, & id, quod per illam necessariò repræsentatur. At conceptus interior, & liber, quem Angelus loquendo manifestat, non est obiectum primò repræsentatum per illam speciem, nec (vt ex terminis ipsis constat) repræsentatur per eam omninò necessariò, sed dependenter à voluntaria ordinatione eius, cuius est talis conceptus. Vnde non oportet, vt qui comprehendit talem speciem, cognoscat in particulari huiusmodi conceptum per illam repræsentatum, vsque dum per voluntariam alterius ordinationem ad ipsum dirigatur. Nam sicut species, per quam Angelus cognoscit futura contingentia, vt talia, potest comprehendi, antequam existant, sine eo quòd attingantur in particulari huiusmodi futura: ita etiam ad comprehendendam speciem, quæ repræsentat conceptum liberum Angeli, non est necesse attingere in particulari prædictum conceptum. Et est vtrobique ferè eadem ratio, videlicet, quia nec illa species repræsentat futura, nisi tamquam obiecta secundaria, & libera, & dependenter ab eorum existentia, neque ista habet repræsentare internum conceptum, nisi vt obiectum secundarium, & dependenter à voluntaria directione eius, cuius est talis conceptus: & propterea adhuc supposita hac directione, non repræsentat, nisi illi dumtaxat, ad quem dirigitur.

Quæ solutio desumitur ex D. Thoma citata quæst. 9. de Veritate artic. 7. in solut. ad 3. vbi sic ait: *Dicendum, quòd quamuis vnus Angelus alterum intueatur, non tamẽ oportet, quòd speciem, prout ea actu aliquid cogitat, videat, nisi ille Angelus conuertatur ad eum.*

Ad secundã 4 Ad secundam confirmationem respondetur, quòd licèt vnus Angelus manifestet alteri suum conceptum per speciem eius repræsentatiuam, at non per speciem sumptam præcisè secundùm se, sed vt modificatã, siue actuatam per ipsummet conceptum, & determinatam per actum liberum. Et ideò, qui attingit prædictam speciem præcisè secundùm se, non ideò cognoscit ipsum conceptum, sed qui cognoscit illam prædicto modo determinatam, & modificatam. Quamuis autem quælibet species intelligibilis Angeli sit secundùm se ab alijs naturaliter cognoscibilis, non tamen vt modificata, & determinata per prædicta: quia sic eam attingere, dependet ex libera voluntate loquentis, quæ potest speciem suam in ordine ad hunc, & non in ordine ad illum determinare, & dirigere.

ARTICVLVS V.

Vtrùm locutionem vnius Angeli ad alterum omnes cognoscant?

AD quintum sic procedit. Videtur, quod locutionem vnius Angeli ad alterum omnes Veritate q. 9 art. 7.

nes

nes cognoscant. Quod enim vnius hominis locutionem non omnes audiant, facit inæqualis loci distãtia. Sed in locutione Angeli nihil operatur localis distantia, vt dictum est.* Ergo vno Angelo loquente ad alterum, omnes percipiunt.

Art. præced.

¶ 2. Præterea. Omnes Angeli communicant in virtute intelligendi. Si ergo conceptus mentis vnius ordinatus ad alterum cognoscitur ab vno, pari ratione cognoscitur ab alijs.

¶ 3. Præterea. Illuminatio est quædam species locutionis. Sed illuminatio vnius Angeli ab altero peruenit ad omnes Angelos: quia, vt Dionysius dicit. * 15. Cælestis Hierarchiæ, vnaquęque cælestis essentia intelligentiam sibi traditam alijs communicat. Ergo & locutio vnius Angeli ad alterum ad omnes perducitur.

† Cap. 15. ante med.

SED contra est, quòd vnus homo potest alteri soli loqui. Multò igitur magis hoc in Angelis esse potest.

RESPONDEO dicendum, quôd sicut suprâ dictum est,* conceptus mentis vnius Angeli percipi potest ab altero per hoc, quòd ille, cuius est conceptus, sua voluntate ordinat ipsum ad alterum. Potest autem ex aliqua causa ordinari aliquid ad vnum, & non ad alterum: & ideò potest conceptus vnius ab aliquo vno cognosci, & non ab alijs: & sic locutionem vnius Angeli ad alterum potest percipere vnus absque alijs; non quidem impediente distantia locali, sed hoc faciente voluntaria ordinatione, vt dictum est.* Vnde patet responsio ad primum, & secundum.

Ar. 1. huius quæst.

In isto art. culo, & præced.

Ad tertium dicendum, quod illuminatio est de his, quæ emanant à prima regula veritatis, quæ est principium commune omnium Angelorum: & ideo illuminationes sunt omnibus communes. Sed locutio potest esse de his, quæ ordinantur ad principium voluntatis creatæ, quod est proprium vnicuique Angelo: & ideo non oportet, quod huiusmodi locutiones sint omnibus communes.

Conclusio.

Locutionem vnius Angeli ad alterum potest vnus absque alijs percipere ex voluntaria ordinatione loquentis.

Aliqua circa huius articuli conclusionem animaduertuntur.

Prior animaduersio.

1 CIrca huius articuli conclusionem notandum est primò, eam satis deduci ex dictis, & efficaciter suaderi ratione D. Thomæ. Nam cùm locutio hæc fiat per solam internam operationem omninò immanentem physicè, & per similem directionem conceptus, inde est, vt nec localis distantia, nec propinquitas huiusmodi locutionem impediat, neque ad eam conducat. Siquidem prædicta operatio Angelica tam intellectus, quàm voluntatis omninò est abstracta, & independens à loco, & locali distantia.

Posterior animaduersio.

Secundò notandum est, hinc sequi maiorem confirmationem, iuxta doctrinam D. Thomæ, eorum, quæ suprà diximus, scilicet, locutionem Angelicam non fieri per impressionem physicam alicuius ad extrà producti ab Angelo loquente in audientem. Nam ad hanc valdè conducit localis distantia: siquidem cuiuis Angelo præfixa est certa & determinata sphæra ad operandum per actionem, siue formaliter, siue virtualiter transeuntem physicè. Et ita locutio Angelica solùm poterit consistere in interno conceptu Angeli loquentis directo ad audientem.

2 Vnde non ita benè Suarez lib. 2. de Angelis cap. 28. num. 8. & deinceps ex vna

Suarez.

parte inquit, hanc locutionem inter Angelos fieri per realem efficientiam physicam ab Angelo loquente in audientem, & ex alia, posse fieri ad quamcumque distantiam, ex eo quod talis actio est purè mentalis, nec pendens à distantia.

Reijcitur dictum P. Suarez.

Ex dictis igitur constat, hoc non ita benè asseri. Siquidem si semel hæc locutio est virtualiter, imò iuxta opinionem huius Doctoris formaliter physicè transiens in alterum Angelum, non erit actio purè mentalis, id est purè interna, quæ non requirat determinatam sphæram quoad localem distantiam à passo. Sed de his videantur N. Complutens. in lib. Physicorum disput. 12. num. 58. nec non illa, quæ nos suprà disput. 2. dubio 3. & 4. asseruimus, vbi rationem non contemnendam reddidimus, propter quam operationes physicè transeuntes, siue formaliter, siue virtualiter in passum, petant vel coniunctionem intimam agentis cum passo per suam substantiam, vel medijs instrumentis: ita vt si agens operetur immediatè immediatione virtutis, & suppositi, debeant agens, & passum esse simul quoad localem distantiam: si verò immediatione virtutis, non verò suppositi, tunc mediante illo supposito, siue instrumento, per quod agit, debeat passum immediatè contingere.

N. Comp.

ET hæc sint satis pro toto isto Tractatu, & secundo N. Cursus Theologici tomo. Quæ omnia vtinam cedant in laudem Omnipotentis Dei, Sanctissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli, Sanctorum Parentum nostrorum Eliæ, & Elisæi, Matris N. Teresiæ à Iesu, vtriusque nostri Cyrilli, & Angelici Doctoris, ac Doctoris nostri, omniumque cœlestium ciuium. Siquid autē doctrinæ Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ aliquomodo contrarium, & siquid doctrinæ sanctissimi, & Angelici Præceptoris aliqua ratione dissonum, aut minùs consonum diximus, aut aliqualiter innuimus, illud iterùm, atque iterùm libentissimo animo retractamus.

(.2.)

INDEX

INDEX LOCORVM SACRAE Scripturæ, quæ in hac posteriori parte secundi tomi continentur.

Numerus paginam indicat: a. priorem; b. posteriorem columnam demonstrat.

EX GENESI.

1 FIANT Luminaria, &c. Et sint in signa. 433. a.
Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. 16. a. & 717. a.
2. Igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. 43. b.
3. Cur præcepit vobis Deus, &c. 669. b.
6. Videntes Angeli Dei filias hominum quia bonæ sunt, &c. Et generabant eis, &c. 22. a.
Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. 22. b.
11. Descendit autem Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim. 147. a.
18. Descendam, & videbo, &c. ibidem.
28. Viditque in somnis scalam stantem super terram, &c. 182. b.

Ex Deuteronomio.

32. Constituit terminos gentium secundùm numerum Angelorum Dei. 13. b. & 40. b.

Ex lib. 2. Paralipomenon.

6. Tu enim solus nosti corda filiorum hominum. 436. a.

Ex Tobia.

4. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas, &c. 566. a.
8. Tunc Raphael Angelus apprehendit Dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti. 85. b.

Ex Iob.

4. Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem, &c. 525. a. & 526. a.
37. In manu omnium hominum signat, vt nouerint singuli opera sua. 432. b.

Ex Psalmis.

23. Quis est iste Rex gloriæ? 793. a.
41. Abyssus abyssum invocat. 435. b.
90. Angelis suis mandauit de te: vt custodiant, &c. 410. a.
103. Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem. 15. b. & 22. b.
109. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas. 40. b.
138. Si ascendero in cœlum, tu illic es. 117. b.
Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua. ibidem.
142. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. 526. a.
148. Laudate eum omnes Angeli eius, &c. Quia ipse dixit, & facta sunt. 498. b.

Ex prouerbijs.

23. Ne attingas paruulorum terminos, &c. Propinquus enim illorum fortis est, &c. 410. a.

Ex Ecclesiaste.

5 Ne dicas coram Angelo: Non est prouidentia. 410. a.
Excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij. 1. a.
11. Da partem septem, necnon & octo: quia ignoras quid futurum sit mali super terram. 44. b.

Ex Sapientia.

2. Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum. 744. b.
5. Pœnitentiam agentes, & præ angustia, spiritus gementes 781. a.
8. Signa, & monstra scit, antequàm fiant. 422. b.

Ex Ecclesiastico.

13. *Omne animal diligit simile sibi.* 49.*b.*
18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* 501.*a.*
30. *Opera Domini universa bona valdè.* 717.*a.*

Ex Isaia.

9. *Magni consilij Angelus.* 13.*a.*
10. *Devoratur spina eius, & vepres in die una.* 156.*b.*
14. *Determinata est ad inferos superbia tua.* 564.*b.*
Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? 86.*a.* & 146.*b.* & 182.*b.* & 564.*b.* & 603.*b.*
Qui dicebas in corde tuo, &c. 564.*b.* & 586.*b.*
In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, &c. 564.*b.* & 586.*b.* & 587.*a.* & 599.*b.* & 603.*a.*
Super astra Dei exaltabo solium meum 564.*b.* & 586.*b.* & 599.*b.* & 603.*a.* & 743.*b.*
Similis ero Altissimo. 564.*b.* & 599.*b.* & 603.*a.* & 743.*b.*
In infernum detraheris. 146.*b.*
Tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti. 749.*a.*
41. *Annuntiate, quæ venitura sunt in futurũ & sciemus quia Dij estis vos.* 422.*b.*
42. *Gloriam meam alteri non dabo,* &c. *Quæ prima fuerunt, ecce venerunt, nova quoque ego annuntio,* &c. *ibidem.*
44. *Ego sum Dominus,* &c. *Irrita faciens signa divinorum,* &c. 423.*a.*
46. *Nec est similis mei annuntians ab exordio novissimum.* 422.*b.*
47. *Defecisti in multitudine consiliorũ tuorũ stẽt, & saluẽt te augures cœli.* 423.*a.*
63. *Quis est iste, qui venit de Edõ?* 476.*a.* & 793.*a.*
66. *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* 148.*a.*

Ex Ieremia.

10. *A signis cœli nolite metuere.* 433.*a.*
17. *Pravum est cor hominis, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* 435.*a.*
23. *Cœlum, & terram ego impleo.* 148.*a.*

Ex Ezechiele.

28. *Elevatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum.* 587.*a.*
Dixisti: Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi. 599.*b.*
In sapientia, & prudentia tua fecisti tibi fortitudinem: & acquisisti aurum, & argentum in thesauris tuis, &c. 606.*a.*
Elevatum est cor tuum quasi cor Dei. 599.*b.*
Tu signaculum similitudinis, &c. 280.*a.* & 389.*a.* & 564.*b.* & 606.*a.*
Omnis lapis pretiosus operimentum tuum. 564.*b.* & 606.*a.*
Tu Cherub extensus, & protegens: & posui te in monte sancto Dei, &c. 564.*b.* & 606.*a.*
Posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti, &c. 564.*b.* & 606.*a.* & 716.*b.*
In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti. 586.*a.* & 606.*a.* & 607.*b.*
Elevatum est cor tuum in decore tuo, in terram proieci te. 564.*b.* 603.*a.* & 606.*a.*
29. *Meus est fluvius, & ego feci memetipsum.* 587.*b.*
31. *Cedri non fuerunt altiores in paradiso Dei.* 747.*a.*

Ex Daniele.

3. *Benedicite omnia opera Domini Domino* 498.*b.*
Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino ibidem.
7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* 38.*b.*
8. *Deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcavit eas.* 41.*a.*

Ex Malachia.

3. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem meam* &c. 13.*a.*

Ex Zacharia.

3. *Super lapidem unum septem oculi.* 44.*b.*

Ex novo Testamento.

Ex Matthæo.

11. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem meam,* &c. 13.*a.*
Confiteor tibi, Pater, Domine cœli, & terræ, &c. 516.*a.*
18. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei.* 15.*b.*
29. *Discedite à me maledicti in ignem æternũ, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* 23.*a.*

Ex Marco.

10. *Solus Deus est bonus.* 69.*b.*

Ex Luca.

10. *Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem.* 86.*a.* & 146.*b.* & 182.*b.* & 566.*a.* & 745.*a.*

Ex Ioanne.

1. *Omnia per ipsum facta sunt.* 468.*b.*
5. *Angelus Domini descendebat secundùm tempus in piscinam.* 182.*b.*

8. *In veritate non stetit* 681. *a.*
13. *Post buccellam introiuit in eum satanas.* 173. *a.*

Ex actibus Apostolorum.

2. *Factus est repentè de cœlo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis.* 15. *b.*
8. *Si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* 435 *a.*
10. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus* 501. *b.*
17. *Non longe est ab vnoquoque nostrum: in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* 117. *b*
19. *Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* 423. *a.*

Ex Epistola ad Romanos.

1. *Segregatus in Euangelium, quod ante promiserat per Prophetas suos, &c.* 422. *b.*
Inuisibilia Dei à creatura mundi, &c. 17. *a.*
16. *Solus Deus est sapiens.* 69. *b.*

Ex Epistola 1. ad Corinthios.

2. *Nec in cor hominis ascenderunt.* 409. *a.*
Quæ sunt hominis, nemo nouit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, 434. *b.*
4. *Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 569. *b.*
18. *Si linguis hominũ loquar, & Angelorum.* 813. *b.* & 820. *a.*
15. *Stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.* 603. *b.*

Ex Epistola. 2. ad Corinthios.

10. *Nos autem non in immensum gloriabimur sed secundùm mensurã regulæ, quam mensus est nobis Deus.* 623. *a.*

Ex Epistola ad Ephesios.

1. *Quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso.* 40 *b.*
3. *Vt innotescat Principatibus, & Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei, &c.* 285. *b.* & 795 *b.*
5. *Aut auarus, quod est idolorum seruitus.* 586 *a.*
Omne enim, quod manifestatur, lumen est. 794. *b.*

Ex Epistola ad Philippenses.

3. *Quorum Deus venter est.* 586. *a.*

Ex Epistola ad Colossenses.

1. *In ipso condita sunt vniuersa, in cœlis, & in terra. &c.* 498. *b.*

Ex Epistola. 1. ad Timotheum.

2. *Non est seductus.* 669. *b.*
3. *Ne in superbiam elatus in iudicium incidat Diaboli.* 565. *b.*
6. *Solus Deus habet immortalitatem.* 69. *a* & 526. *a.*

Ex Epistola ad Titum.

1. *Quam promisit, qui non mentitur Deus, ante tempora secularia.* 501. *a.*

Ex Epistola ad Hebræos.

1. *Et cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* 597. *a.*
2. *Gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum, &c* 597. *a.*

Omnes sunt administratorij spiritus. 410. *a.*
11. *Accedentem ad Deum, oportet credere, quòd sit, & quòd remunerator sit.* 638. *b.*

Ex Epistola 2 Petri.

2 *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit,* 15. *b.* & 525. *a.*
Sibi placentes. 621. *a.*

Ex Epistola. 1. Ioannis.

3. *Ab initio Diabolus peccat.* 713. *a.*

Ex Epistola Iudæ.

Angelos, qui non seruauerunt suum principatum, in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit. 15. *b.*

Ex Apocalypsi.

6. *Cœlum recessit sicut liber involutus.* 433. *a*
12. *Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram.* 41. *a.*
Et factum est prælium magnum in cœlo, &c. 743. *a.*
Neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo, &c. 86. *a.* & 182. *b.*
Et proiectus est in terram, & Angeli eius cum eo missi sunt. 86. *a.*
Væ terræ, & mari: quia descendit Diabolus ad vos habens iram magnam. 649. *b.*
14. *Sequuntur agnum quocumque ierit,* 147. *b.*
20. *Apprehendit Draconem, serpentem antiquum, qui est Diabolus, &c.* 85 *b.*

INDEX ALPHABETICVS RERVM notabilium, quæ in hac ſecundi tomi poſteriori parte continentur.

Numerus paginam indicat, a. priorem, b. poſteriorem columnam deſignat.

A.

Abſtractum.

ABſtractum, tam à ſuſceptiuo, quàm à contractiuo, ſi prout ſic exiſteret in rerum natura, non poſſet eſſe niſi vnum, & quare. 258.b.

Accidens.

Accidens imperfectius eſt, quam materia in modo eſſendi, non vero in actualitate, & immaterialitate, 36.a

Accidia.

De eſſentia accidiæ eſt quod ſit cum quadam triſtitia, qua homo fit tardus ad actus exercendos propter laborem corporis, 650. b. Ideò non eſt propriè, & formaliter in Angelis, ibi.

Actualitas.

Quod actus purus eſt ſua actualitas, an ſit locutio identica, an formalis, 257.b.

Actio.

Solus Deus poteſt ſimul plures actiones, vt plures elicere per eandem virtutem, & quare, 152.b. & deinceps. Potentia intellectiua, & quælibet alia, prout elicit actiones ſupernaturales, eſt realiter diſtincta in ratione potentiæ à ſe, prout elicit actiones naturales, 155.b. Poſſunt ſimul plures actiones ab ea procedere, vt plures, ſi vna naturalis, & alia ſit ſupernaturalis. ibi. Plures actiones calefactiuæ ab eodem igne ſimul procedentes, in quo ſenſu plures ſint, in quoue vna. ibid. Cur actiones membrorum hominis non ſint occultæ Angelo, cum ſint liberæ, ſicut eadem ratione ſunt occultæ cogitationes cordium, 442.b.

Actus.

Actus ſumit ſpeciem ab obiecto 25.b. Immaterialitas actus ab immaterialitate obiecti deſumenda. 24.b. Ex immaterialitate actus quomodo immaterialitas principij deſumenda. ibi. Axioma illud, *Actus, & potentia ſunt ſub eodem genere*, de quonam actu intelligendum. 38.a. In ſolo Deo poſſunt plures actus ſimul, vt plures, ab vna potẽtia procedere. 152.b, & deinceps. Non ſtat, quod aliquid ſit actᵘ purus in aliqua linea, & quod non ſit actus purus in omni linea. 257. a.b. Quod actus purus eſt ſua actualitas, an ſit locutio identica, an formalis. ibi. b. Actus liberi intellectus, & voluntatis (ſiue ſint hominis, ſiue Angeli) non poſſunt certo cognoſci ab Angelo, antequam illi manifeſtentur. 435.a. & deinceps. Vide, *Cogitatio cordis*. Cur actus membrorum hominis, cum ſint liberi, non ſint occulti Angelo, ſicut cogitationes cordis. 442.b. In actibus intellectus, & voluntatis liberis, libertas eſt aliquid intrinſecum. 447. b. Stat optime quod aliqui actus ſint eiuſdem ſpeciei per ordinem ad potentiam, aliunde tamen differant ſpecie. 448.a. Quomodo id verum in actu voluntatis, qui de neceſſario tranſit in liberum, vel è contra. ibi. An poſsit dari in voluntate creata actus tendens ad impoſsibile, ſiue ſit actus efficax, ſiue inefficax, Vide, *Voluntas, Obiectum, Angeli peccatum*, verbo, *Angelus*.

Admiratio.

An, & quomodo ſit admiratio in Angelis. 476.a.

Æquæ-

Æqualitas.

Cur Angelus in primo suo peccato non potuit appetere omnimodam æqualitatem cum Deo, &c. Vide, *Angeli peccatum*, verbo, *Angelus*.

Æternitas.

Discrimen inter æuum, & æternitatem: & cur futura contingentia non sunt præsentia æuo, sicut æternitati. 426. b. & sequentibus.

Agens.

Agens, & passum debent esse simul, 118. à 119. a. Quodnam in hoc discrimen inter agens principale, & instrumentale. ibi. In agentibus spiritualibus approximatio ad passum non est conditio prærequisita, sed concomitans, bene tamen in agentibus corporeis, 125. a. 126. a.

Amor.

Omnis amor amicitiæ est etiam amor cõcupiscentiæ; & quomodo dicatur amicitiæ, quo vel modo cõcupiscentiæ. 571. b. Vt quis non sit determinatus quoad specificationem ad amorem alicuius obiecti, requiritur esse in obiecto defectum non solum negatiuum, sed etiam priuatiuum. 494. a.

In Angelis est amor naturalis. 487. b. Quid per amorem naturalem intelligendũ. ibi. Etiam datur in eis amor electiuus. 490. a. Cur voluntas Angeli sit indifferens ad amorem aliquorum obiectorum, cum tamen intellectus eius non sit indifferens ad cognitionem veritatis, vel falsitatis alicuius obiecti. 490. b. Vide, *Dilectio Angeli*, verbo, *Angelus*.

Angelus quoad substantiam.

Angelus nomen officij, non naturæ. 13. a. Quid ex primæua institutione, quidve ex cõmuni vsu significet. ibi. b. Cur Christus Dominus in Scriptura Angelus dicatur. ibi. Cur etiam Ioannes Baptista: imò & Sacerdotes, & viri sancti Angeli dicantur, ibid. & 22. a. Dantur in rerum natura Angeli, qui sunt omninò incorporei. 15. b. Quomodo hoc ex perfectione vniuersi deducendum. 16. a. Angeli appellantur in Scriptura, *Virtutes*. 24. a. Quomodo hinc deducendum, eos esse immateriales ibi. Angelus non constat ex materia (vt hic dicamus) materiali, siue sit eiusdem, siue diuersæ rationis cum nostra, & sua forma, ibidem. Neque etiam ex materia spirituali. 32. a. & sequentibus. Discrimen in modo, quo substãtia Angeli est radix indiuiduationis, & limitationis suorum accidentium, & quo materia est radix indiuiduationis, & limitationis formæ. 34. b. Cur Angelus in Scriptura signaculum similitudinis dicatur, homo autem factus ad similitudinem. 280. a. In quo sensu à D. Thoma concedatur Angelo materia, quæ non est pura potentia. 36. a. Quomodo Angelus quãdam dicat infinitatem intra suam speciem. 53. b. Idem est in eo, absque distinctione etiam virtuali, differẽtia, siue vnitas specifica & numerica. ibi. Quomodo singularitas sit de essentia cuiuslibet Angeli, & quomodo de essentia Dei. 55. b. & deinceps. Angeli sunt ex natura sua incorruptibiles, siue propria, siue impropria corruptione, & quare. 65. b. & sequent. Quomodo inter essentiam, & existentiam Angeli sit mutua, & reciproca causalitas. 342. b. In quo sensu intelligendum illud Dionysij, quod Angeli superiores sunt inferioribus quasi cibus. 363. b. In quo sensu Angelus inferior adæquet superiorem in entitate, in quoue excedatur à superiore. 378. a. Intelligibilitas, siue intellectualitas Angeli desumitur ex immaterialitate, vt constituit gradum; & quomodo in ea sint æquales Angelus superior, & inferior. 378. a. Ex qua radice sumatur intelligibilitas quasi materialis, & quomodo in ea radice sint inæquales. ibi. Angeli creati sunt simul cum mundo corporeo. 501. a. b. Angeli creati sunt in actu primo constituti ad omnes suas operationes naturales exercendas. 551. b. & sequentibus. Per quid constituantur in actu primo ad eas. ibi. Omnibus Angelis, simul atque creati sunt, fuit reuelatum mysterium Incarnationis, & huius ratio. 596. b. Probabile est quod statim atque creati sunt, impositum est eis præceptum adorandi Christum Dominum, recognoscendique eum vt verum dominũ suũ. 597. a. Imo valde probabile est quod supposita ordinatione diuina de hoc mysterio & supposita reuelatione eis facta, tenebantur naturali obligatione ad eiusmodi adorationem, absque omni prorsus præcepto positiuo. ibi. Angeli in primo instanti suæ plenæ libertatis habuerunt præceptum ordinandi se, & suam beatitudinem naturalem, in super naturalem. 621. a. b. In quo sensu intelligendum, quod Angelus in primo instanti nõ habuit perfectam libertatem. 625. a. b. 669. a. Vide, *Angeli peccatum*, Verbo *Angelus*.

Angelorum numerus.

Angelorũ numerus excedit numerum specierum materialium. 48. b. & sequentibus. Cuilibet generi, cuilibet speciei, & cuilibet indiuiduo; naturæ humanæ deputatus est in custodiam proprius Angelus. 40. a. An sint tot homines beandi, quot Angeli damnati, ibi. b. & 41. a. An per tertiam partem stellarum, quam Lucifer traxisse dicitur, Angeli reprobi intelligantur. 41. a. b. An Angelorum

rum beatorum numerus ſit duplò maior, quam damnatorum: & an ex Scripturæ teſtimonijs hoc habeatur. ibi. Quid per ſeptem Angelos qui adſtant coram Deo, intelligatur. 44. b. Non omnes Angeli creati influunt immediatè in hæc inferiora. ibi. Omnes Angeli de facto differunt ſpecie, & quare. 46. a. & ſequentibus. Quomodo ex eorum incorruptibilitate id deducendum. ibi. Inter Angelos debet eſſe ordo per ſe, & non per accidẽs. 46 b. 47. a. b. Quomodo ex hoc deducendũ, quod diſtinguantur ſpecie. ibi. In quo ſenſu intelligendi Patres aſſerentes, vnam eſſe Angelorum naturam, vnius eſſe ſpeciei, &c. 49. a. b. Diſtinctio ſpecifica Angelorum cur non obſtet, quin potius iuuet ad dilectionem mutuam eorum. ibi. b. Quomodo peculiares differentiæ Angelorum includant in ſuo conceptu formali rationẽ intellectualitatis. 51. a. b. Cur ſicut multiplicantur Angeli intra eundem gradum intellectualitatis, non ſic etiam multiplicentur animæ. ibi. b. Perfectiores Angeli deputanturad cuſtodiam hominum perfectiorum in naturalibus, licet in gratia, & gloria æqualium. 52. a. Per potentiam Dei ordinariam nõ ſunt multiplicabiles plures Angeli intra eandem ſpeciem. ibi. b. & ſequentibus. Quomodo hoc deducendum ex eo, quòd ſint formæ per ſe ſubſiſtentes, & omninò irreceptibiles in materia. 53. a. b. Quis ſenſus D. Thomæ dicentis, quod natura huius Angeli nõ prohibetur eſſe in multis, ex eo quod pertinet ad rationem ſpeciei, ſed ex eo quod pertinet ad rationem indiuidui. 55. a. Cur exiſtentia in Angelo non poſsit eſſe radix multiplicitatis individualis à qua ſumatur talis differentia. 59. a. Etiã per potentiam Dei abſolutam, non poſſunt eſſe plures Angeli intra eandem ſpeciem. ibi. b. & ſequentibus. Quomodo id deducendum ex eo quòd eſt forma ſimplex omninò irreceptibilis in materia. 60. a. b. Principiũ vnitatis & diſtinctionis in Angelis cur nequeat eſſe præternaturale, aut ſupernaturale. 61. b. & deinceps. Cur ſubſiſtentia nequeat eſſe principium ſufficiens ad diſtinctionem purè individualem intra eandem ſpeciem. 63. a. b. Cur ſicut poteſt luci addi noua lux abſque mutatione eius ſpecifica, non poſsit etiam addi Angelo noua perfectio ſubſtantialis abſque ſpecifica mutatione. 64. a.

Angelus quoad corpus.

Angeli non habent corpora naturaliter ſibi vnita. 72. b. & deinceps. Quomodo hoc deducendum ex eo, quòd vniri corpori per modum formæ informantis accidit naturæ intellectuali vt ſic. ibi. Angeli aſſumunt corpora ſenſibilia ſenſibus exterioribus. 76. b. & ſequentibus. Quid ſit Angelum aſſumere corpora. 77. b. & ſequentibus. Cur Angelus motor cœli non dicatur aſſumere illud. 78. a. Neque etiam Angelus mouens linguam Balaã, nec Dæmon affatus per ſerpentem ad Euam. ibi. Angelus (ſaltem regulariter loquèndo) non aſſumit corpora viua, & quare. ibid.

Angeli locus.

Angeli ſunt in loco 81. b. & deinceps. Angeli locus non vniuocè ſed æquiuocè conuenit cum loco corporum. 87. b. & ſequẽtibus. In quo ſenſu à D. Thoma concedatur Angelo, quòd ſit propriè in loco 91. a. b. Quis poſſit dici locus connaturalis, vel violentus Angeli, 90. a. Ratio formalis proxima, qua Angelus eſt in loco, non eſt ſua ſubſtantia. 93. b. & ſequentibus. Si ratio formalis proxima eſſet ſua ſubſtantia, cur non poſſet ſe applicare nunc maiori, nunc minori loco pro ſuo libito. 99. b. & deinceps. Ablata ab Angelo operatione circa locum, nullibi maneret, & quomodo hoc nullum ſit inconueniens, nec impoſsibile 104. a. b. Duplex ratio formalis proxima, qua Angelus eſt in loco, alia in actu primo, alia in actu ſecundo. 105. b. Ratio formalis in actu primo eſt virtus eius proximè operatiua: ratio vero formalis in actu ſecundo, ſiue exercitium rationis formalis in actu primo, eſt operatio virtualiter trãſiens. 106. a & ſequentibus. Quomodo ex ratione formali proxima, qua Deus eſt in omni loco, deducenda ratio formalis proxima, qua Angelus eſt in determinato loco. 117. a. & deinceps. Non eſt actu in loco, adhuc incomplete, per applicationem ſuæ virtutis antecedenter ad operationem. 133. a. & ſequentibus. Ratio formalis, per quam eſt in loco, debet eſſe intrinſecè in eo. 134. a. Nõ eſt in illo quid prius, eſſe vnitum loco, quam operari in ipſo, benè tamen in corporibus, & quæ diſparatio. 125. a. Eſto prius natura eſſet Angelus præſens loco, quam operaretur in illo, hoc non obſtaret, quominus eſſet in loco per operationem. ibi. b. Plus requiritur ad hoc, quòd Angelus ſit in aliquo homine, tanquam in loco, quam vt ſit in eo, vt cuſtos eius. 134. a. Multoties Angelus cuſtos dereliquit hominem loco, nunquam tamen derelinquit eũ quantum ad cuſtodiam. ibi. Angelus mouens primam ſphæram, cur nõ ſit in illa tanquam in loco. 126. b. In quanam illius parte ſit tanquam in loco. ibi. An Angeli ſint in cœlo Empyreo tanquam in loco. 127. b. & deinceps. Quidnam operentur circa illud. ibi. Quidnã influent in eo poſt diem iudicij 131. a. Cur ſicut Angelus ſe ſolo poteſt producere lumẽ in cœlo Empyreo, non poterit etiam producere qualitates alteratiuas. 132. a. Angelus nequit eſſe in vacuo, tanquam in loco. 124. a. Ratio formalis in actu primo, qua Angelus eſt in

est in loco violento, est potentia passiua: exercitium vero rationis formalis est passio. 134. b. & sequentibus. Quoties Angelus est alligatus passiue alicui loco, si permittatur ei operari, eius operatio nequit extendi vltra sphæram suæ actiuitatis, metiendam ab eo loco, in quo detinetur. 137. a. b. Quomodo tunc sit in duplici loco formaliter diuerso, per distinctos cõtactus in specie. ibi. Angeli mali cum operantur in locum ita distãtem ab inferno, vt sphæram suam prætergrediatur, tunc non sunt in inferno passiue, vt in loco, & quare. ibid.

Angelus, licet indiuisibilis sit, est tamen in loco diuisibili per realem præsentiam. 145. b. & deinceps. Non tamen est vbique. 146. b. & sequentibus. Quomodo intelligendi Patres asserentes, Angelos esse vbique. 147. b. Non potest Angelus secundum legem Dei ordinariam per vires suæ naturæ operari simul in toto orbe. 148. a. Esto sic operaretur, cur non idcirco esset vbique. ibi. Angelus est in loco diffinitiuè: & quidnam ad essendum sic in loco requiratur. 149. b. Potest esse in minori, & minori loco, prout sibi libuerit, & etiã in solo pũcto. 148. b. & deinceps. An Angelus possit operari immediate in solum punctum: & quomodo medio illo puncto possit operari in partibus immediatis. 150. a. Imò (si ei libuerit) potest absolui ab omni loco. 112. b. 115. a. Quomodo tunc diceretur esse in mundo, cum nullibi esset, tanquam in loco. 116. b. Si nullibi præexistat, potest in quocumque loco, quantumuis remoto, se collocare: si autem alicubi præexistat, non potest nisi in loco cõtento intra suæ actiuitatis sphęram, metiendã ab eo, in quo præexistit. 212. b. 223. a. Cur ex maxima Angeli perfectione supra alias creaturas non sequatur, fore absoluendum necessario à loco, sicut ex maxima perfectione cœli Empyrei supra alia corpora id sequitur. ibi. a.

Angelus nequit esse in pluribus locis (adhuc inadæquatis) vt plura sunt, sed vt vnum locum constituunt. 152. b. & deinceps. Nec potest elicere simul plures operationes, vt plures. ibi. Esto produceret plures effectus, vt plures in esse entis, cur non idcirco esset in pluribus locis, vt pluribus. 159. b. Potest elicere plures operationes, vt plures, si vna sit naturalis, & alia supernaturalis. 155. b. Quomodo respectu earum operationum sint in Angelo duæ potentiæ realiter distinctæ. ibi. Potest Angelus esse in pluribus locis inadæquatis, vt constituunt vnum adæquatum, etiã si loca inadæquata nõ sint inter se continua, neque contigua, dummodo sint intra sphærã suæ actiuitatis 158. a. An de facto Angelus præcedẽs castral Israel, per plures operationes vt plures caularet lucem, & tenebras. 159. b. Cur Deꝰ nequeat esse in locis extremis, quin simul sit in intermedijs, bene tamen Angelus. 160. a. b. Cur neque anima possit informare partes corporis extremas, quin informet intermedias: bene tamen Angelus. ibi.

Implicat, plures Angelos esse simul in vno loco. 162. b. & seqq. In quo sensu id possit cõcedi. 165. b. & deinceps. 168. a. & sequẽtibus. Cur duo Angeli non poterũt esse in vno loco, per hoc quòd producãt vnũ effectũ, vt duæ causæ totales diuersi ordinis. 163. b. 164. a. Possunt citra miraculum esse in vno loco, per hoc quod agant vt duæ causæ partiales. 168. a. & deinceps. Quare hoc est inde censnaturæ Angelorum bonorum, non tamẽ malorum. 170. b. Quare vnus Angelus nõ potest esse in alio, vel in anima rationali, tanquam in loco. 172. a. & deinceps. An quando Satam in Iudam introisse dicitur, fuerit in eius anima tanquam in loco. 173. a. Etiam si Angelus immediatè operaretur in anima, vel in alio Angelo, cur non ideo foret in eis tanquam in loco ex vi illius operationis. 174. a. Quid addit operatio Angelica, vt est ratio formalis essendi in loco, supra ipsam sumptam in ratione operationis. 200. a. b. In Angelo nulla est vbicatio formaliter distincta a se, vel a sua operatione. 204. a.

Probabile est, quod ex adiacentia loci resultat in Angelo aliquod *vbi*, aliquo modo distinctũ formaliter ab eodem cõtactu. 138. b. & deinceps. Probabilius oppositum. 142. a. & deinceps. Cur, sicut ex adiacentia loci resultat aliquod *vbi*, non resultet aliquod *quando*, ex coexistentia eius cum tempore nostro, vel ex mensura æui primi Angeli. 140. a. Probabile est quod in Angelis inferioribus relinquitur aliquod *quando*, ex adiacentia æui primi Angeli. ibi. Cur sicut in Angelo resultat illud *vbi* ex adiacentia loci, non sic in Deo. ibi. b. Probabilius est, quod *vbi* Angelicum est ipse contactus absque distinctione formali. 141. a. & sequentibus. Quomodo in eo cõtactu considerandus duplex respectus; alius contactus, alius verò *vbi* Angelici. ibi. Prædictum *vbi* non est prædicamentale. 143. b. & deinceps. *Vbi* Angelicum, formaliter in quãtum *vbi* non pertinet directe ad aliquod prædicamentum, & quare. 145. a. Ad quodnam prædicamentum pertineat reductiue. ibi.

Angeli motus localis.

Possibilis est motus localis in Angelis. 182. a. & sequentibus. Nõ motus localis proprie dictus, sed æquiuocè, & abusiue. 184. a. Quomodo intelligendus Augustinus dicens creaturam spiritualem non mutari per loca. ibi. b. Angelus dupliciter mouetur: per se scilicet, & per accidens. 185. b. In quonam consistat vnusquisque eorũ. 186. a. & sequentib. Vt Angelus moueatur motu per accidens,

non

non est necesse quod vniatur ei, quod per se mouetur aliqua vnione intrinseca vtrique 187.b. Quomodo intelligendum, quod boni Angeli portant animas iustorum ad cœlum, & Angeli mali animas damnatorum ad inferos. 127. a. Cur Angelus qui in Oriente mouet cœlum, rotante parte cœli, quam mouet, non etiam ipse per accidens roter, vel moueatur. 190. b. Angelus non potest moueri per vacuum, sicut corpus. 124. a. Quomodo Angelus existens in aliquo corpore, tamquam in loco, moueatur per accidens ad motum corporis absque eo quod mutet operationem per quam est in loco. 192. a. b. Quomodo tunc posset dici, quod operatur in alio loco, licet non in alio corpore. ibi. Qui potest mouere corpus, in quo est Angelus, potest per accidens mouere Angelum: non tamen qui potest alterare corpus, potest etiam per accidens alterare Angelum, & quæ dispar ratio. 193. a. b. Angelus potest moueri motu continuo. 194. a. & deinceps. In quo eiusmodi motus consistat. ibi. & 196. a. & sequentibus. Quomodo diuersi contactus, siue operationes Angelicæ in motu eius cõtinuo sint plures in esse rei, & distinctæ in specie, in esse tamen contactuum sint vnum quid. 199. b. 200. a. 205. b. Per motum continuum non necessariò pertransire debet Angelus omnes partes medias: & quodnam circa hoc discrimen inter motum continuum, & discretum Angeli. 202. a. b. In quo sensu interpretandus D. Thomas asserens, motum Angeli non esse continuum. 204. b. Continuitas talis motus potest cõsistere, vel in vnica forma liter operatione, licet virtualiter multiplici; vel etiam in multis contactibus, siue operationibus. 205. a. b. Si consistat in vnica forma liter operatione, tunc cõtinuitas erit tantum virtualis ex parte contactus, & formalis ex parte spatij: si vero consistat in pluribus, tunc continuitas erit formalis ex parte contactuum, & ex parte spatij. ibi. Quomodo motus continuus Angeli habeat successionem intrinsecam Angelo, & ex parte motus se tenentem, si consistat in vnica simplici operatione. 206. a. b. Cur etiam motus discretus non possit consistere in vnica dumtaxat operatione. ibi. b. Discrimen inter motum Angeli continuum, & discretum ibidem, & 208. a. b. & deinceps, & 238. b. Angelus potest moueri motu discreto. 209. a. & sequentibus. In quo ille motus consistat 208. a. & deinceps. Motus continus, & discretus Angeli immediate opponuntur 210. b. Motus discretus non fit in aliqua mora intermedia inter terminum *a quo*, & *ad quem*, sed in vtroque instanti, in quo est in vtroque termino. 213. a. Potest Angelus viribus naturæ, transire de extremo ad extremum sine transitu per medium. 213. b. & deinceps. Cur Angelus nequeat transire de præterito ad futurum, absque eo quod transeat per præsens, bene tamẽ de extremo ad extremũ sine medio. 222. a. In motu continuo ante quodlibet *mutatũ esse* præcedit *moueri*, seu motus, non autem in motu discreto: & quæ dispar ratio. 223. b. Motus Angeli tam continuus, quam discretus, secundum id quod affert in recto, est in eo tãquam in subiecto. 225. b. & sequẽtibus. Motus Angeli continuus ex parte spatij, cur nequeat fieri in instanti. 230. b. & deinceps. Motus discretus, licet non in instanti, potest tamen fieri absque successione, secus vero continuus, & ratio disparitatis. 232. b. Cur motus discretus nequeat fieri in vno instanti. 237. b. & sequentibus. Motus Angeli in quo differat à simplici mutatione 238. a. Quomodo in motu discreto comparandum instans desitionis termini *a quo*. cum instanti acquisitionis termini *ad quem*. & è contra. 239. b. & sequentibus. Quomodo in tali motu desinat terminus *a quo*, & incipiat terminus *ad quem*. 240. a. b. De inceptione, desitione, & duratione motus discreti. 249. b. & sequentibus.

Operatio Angeli. Vide, *Angeli locus.*

Intelligere Angeli, siue cognitio.

Cur intelligere Angeli non sit eius substantia. 257. a. & deinceps. Quomodo Angelus esset actus purus, si substantia eius esset suum intelligere. ibi. Quomodo ex eo, quod intelligere Angeli esset eius substantia, deducendum, quod esset intelligere per se subsistens, abstractum, vnum tantum, indistinctum ab intelligere alterius Angeli, imo, & Dei 258. a. & deinceps. Quomodo etiam deducendum quod Angelus esset omne verum. 260. a. Cur in Angelis non sit intellectus agens, & possibilis. 267. b. Cur Angelus nequeat cognoscere omnia per suam substantiam, tamquam per speciem. 275. a. & sequentibus. Quomodo hoc deducendum ex eo, quod constet genere & differentia. ibi. Cur Angelus ex vi cognitionis comprehensiuæ suæ naturæ non comprehendat omnes species intelligibiles, quas de alijs naturis habet 279. b. Essentia Angeli, & virtus intellectiua eius respiciunt, quantum est ex se, omne ens naturale, & sunt ex se indifferentes ad omne illud intelligen-

dum. 297. b. & deinceps. Cur ex hoc non ſequatur, eius eſſentiam fore infinitam. 299.a. Angelus per ſuam ſubſtantiam, tanquam per ſpeciem intelligibilem, ſe ipſum intelligit. 338.b.& ſequentibus. An tunc ſubſtantia eius concurrat actiuè, & immediatè ad huiuſmodi cognitionem. 348.a. Cur reſpectu eiuſmodi cognitionis non vniatur per modum verbi, ſicut vnitur per modum ſpeciei intelligibilis. ibi. b. Cur per modum ſpeciei intelligibilis non concurrat ad talem cognitionem vt ſubordinata intellectui, cum aliæ ſpecies ſic influant. 349 a. b. Quare vnus Angelus non cognoſcat alium per eſſentiam Angeli cognoſcentis, tanquam per ſpeciem. 351.a.& deinceps. Cur ſimilitudo, quæ eſt inter duos Angelos in natura intellectuali vt ſic, non ſufficiat, vt vnus alium ſic cognoſcat. 352.a.b. An poſſit probabiliter dici, quòd Angelus cognoſcendo ſe ipſum per ſuam eſſentiam, cognoſcat perfectè gradum intellectualitatis, & in eo perfectè cognito cognoſcat etiam perfectè alios Angelos. 352. b. Quidnam ex mente D. Thomæ quoad hoc dicendum. ibi. Si vnus Angelus non haberet ſpecies directe, & quidditatiue repræſentantes alios Angelos, poſſet concedi, quòd cognoſceret illos perfectè per ſuam eſſentiam, tanquam per obiectum cognitum. 353. a. Cur autem, ſuppoſito quòd habet tales ſpecies, non poſſit ſic alios cognoſcere. ibi. Non poteſt vnus Angelus alium cognoſcere perfectè per eſſentiam Angeli cogniti tanquam per ſpeciem intelligibilem, & quare. 353.b.& ſequentibus. In quo ſenſu intelligendus D. Dionyſius, quòd Angeli ſuperiores ſunt inferioribus quaſi cibus. 363.b. An per abſolutam Dei per potentiam poſſit intellectus vnius Angeli. v.g. ſuperioris, vniri cum eſſentia Angeli inferioris. 365.a.b. Eſto poſſet ſic vniri, an inferior cognoſceret ſuperiorem per eſſentiam Angeli cogniti, tanquam per ſpeciem. ibi.

Quilibet Angelus ſe ipſum comprehendit. 365.b. Superior etiam comprehendit inferiorem. ibi. Imo etiam inferior ſuperiorem. 367.a.& ſequentibus. Quid requiratur ad cognitionem comprehenſiuam. 366.a.b. 368.a.& deinceps. Cur ad hanc comprehenſionem ſufficiat conuenientia inter Angelos in gradu immaterialitatis, & per accidens ſit exceſſus in modo habendi talem gradum. ibi. In Angelo v. g. ſupremo duplex eſt intelligibilitas, ſiue modus intelligibilitatis, alius formalis, alius quaſi materialis: & quid per quemlibet modum ſignificetur. 371.b. & deinceps. Cum quonam ex his intelligibilitatis modis debeat potentia Angeli inferioris habere adæquationem requiſitam, vt illum comprehendat. 372.b. Vt vnus Angelus alium comprehendat, non eſt neceſſe, quod cognoſcat actus liberos Angeli comprehenſi. 374. a. In quo ſenſu Angelus inferior adæquet ſuperiorem in entitate, in quove excedatur ab illo. 378.a. Intelligibilitas, & intellectualitas Angeli ſumuntur ex immaterialitate, vt conſtituit gradum, & quomodo in hac immaterialitate ſint æquales omnes Angeli. 378. a. Intelligibilitas autem, ſiue intellectualitas quaſi materialis in eis ex qua deſumatur radice, & quomodo in ea radice ſint Angeli inæquales. ibidem. Quomodo Angelus inferior comprehendens ſuperiorem, comprehendat ſpeciem exiſtentem in ſupremo Angelo, & repræſentantem totum vniuerſum, an nimirum cognoſcat illam per vnicam aliam ſpeciem, an per plures. 379.a.& ſequentibus. Probabile eſt, quod comprehendit illam per vnicam ſimplicem ſpeciem. 383.a. Cur ex hoc non ſequatur, hanc ſpeciem fore ita vniuerſalem, ſicut illa ſupremi Angeli. ibi. Si cognoſcit per plures, an per plures etiam cognitiones, an per vnicam. 381.a. Si per vnicam cognitionem, quomodo verbum productum per illam, cum repræſentet formaliter illam ſpeciem ſupremi Angeli, non ſit ita vniuerſale, ſicut illa. ibi. Probabile eſt quòd quilibet Angelus poteſt vti ſimul omnibus ſuis ſpeciebus, & per eas vnica cognitione cognoſcit comprehenſiue totum vniuerſum. 382.b. Longe probabilius eſt, quòd licet comprehendat ſupremum Angelum, non tamen illam eius ſpeciem repræſentatem totum vniuerſum. 383. b. & deinceps. Quidnam obſtet, quominus Angelus inferior comprehendens ſupremum, non comprehendat ſpeciem illam in eo exiſtentem. 384.a.& deinceps. Comprehenſa ſubſtantia Angeli, quomodo poſſit non comprehendi eiuſmodi ſpecies, cum hæc ſit quaſi proprietas illius. 385. b. Angelus non cognoſcit Deum quidditatiue, licet abſtractiue, cognitione naturali per ſpeciem ſuperadditam, illum quidditatiue repræſentantem, licèt abſtractiuè. 387. a.& ſequentibus. Cognoſcit tamen eum per ſuam eſſentiam tamquam per ſpeciem. 388.b. & deinceps. Eiuſmodi cognitio quare in ſingulis Angelis ſit diſtinctæ ſpeciei, cum tamen viſiones beatificæ omnium ſint eiuſdem ſpeciei. 392. b. Non ſolum concurrit ad eiuſmodi cognitionē per modum ſpeciei intelligibilis, ſed etiā vt

vt ratio cognoſcendi cognita. 398.a.b.393. a. & ſequentibus. Cur hoc alijs effectibus, præter Angelum, denegandum. 389.a.b. Cur eſſentia diuina nequeat eſſe obiectum per ſe primum repræſentatum per eſſentiam Angeli in hac cognitione. 394.a.& deinceps. Angeli cognoſcunt res materiales. 406.a. & ſequentibus, & etiam ſingularia materalia 410.a.& deinceps. Hæc ſunt obiecta proportionata licet ſecundaria, intellectus Angelici. 412.b. & deinceps. Quomodo ratione ſubſtantiarum ſeparatarum reddantur obiecta proportionata. ibi. Per eandem ſpeciem, qua Angelus cognoſcit naturam communem, cognoſcit eius indiuidua. 413. a. & deinceps. Et non ſolum indiuidua actu exiſtentia, ſed etiam poſsibilia, contenta tamen in virtute cauſarum naturalium ad hoc vniuerſum ſpectantium, etiam ſi ſint infinita. 415. b. Non tamen omnia indiuidua quouis modo poſsibilia. 416.b. Imò eadem ſpecie cognoſcit omnia accidentia in eiſdem indiuiduis inhærentia. 417.a.& ſequentibus. Probabile eſt, quod non habet alias ſpecies, quibus cognoſcat accidentia, præter ſpecies naturæ ſpecificæ,& indiuiduorum. 418.a. Probabile etiam, quod licet per ſpeciem repræſentantem naturam communem, & indiuidua cognoſcat accidentia, quatenus modi, & affectiones ſunt indiuiduorum: attamen habet alias ſpecies quibus eadem accidentia cognoſcit ſecũdum proprias naturas. ibi. Quomodo omnia hæc repræſententur, antequam exiſtant, quomodove poſt exiſtẽtiam. 420.a. & deinceps. Angelus non poteſt per vires ſuæ naturæ certo cognoſcere futura contingentia,& libera. 422.b.& ſequentibus. Dupliciter poſſunt illa cognoſci, vel in ſe ipſis, vel in determinatione ſuarum cauſarum. 423.b. Non poteſt Angelus illa cognoſcere in determinatione obiectiua antecedente prædictam determinationem cauſæ, nec datur talis obiectiua determinatio. 424.b. Eſto daretur talis obiectiua determinatio, cur non poſſet viribus naturæ certo illa cognoſcere. ibi. Quomodo res præteritæ ſe habeant ad cognitionem Angelicam. 431.a. Angeli mali multoties prædicunt hominibus futura contingentia,& libera, quæ certo non norunt, & quare id faciant. 443.b. Si tamen aliquando illa certo ſciant, vnde habeant eorum notitiam. ibi. Angelus nequit certo cognoſcere cogitationes cordis, ſiue hominis, ſiue alterius Angeli, antequam ei manifeſtentur. 435.a.& deinceps. Quomodo hoc deducendum ex eo, quòd à ſolo Angelo, in quo ſunt, & à Deo procedunt. 438.a.& ſequentibus. Quomodo, ſi ad alium dirigantur, licet ab eo non eliciantur, poſsint cognoſci. 439. a. b. Cur Angelus cognoſcat actus neceſſarios alterius, licet non concurrat ad illos: & quomodo quiuis Angelus cognoſcat motum primi mobilis, licet ab eo non procedat. 440. a. Quomodo ex ea ratione non ſequatur, quod Deus non cognoſcit actum peccati, licet ab eo non procedat. ibi. Quomodo ex eo quod cogitationes cordis ſint liberæ, deducendum, eas fore Angelo occultas. 442. a. b. Cur actiones membrorum hominis non ſint occultæ, cum ſint etiam liberæ. ibi. & 447. b. Quomodo Angelus, qui ante manifeſtationem cogitationum non habebat virtutem ad earum cognitionem, poſt manifeſtationem, quæ nihil intrinſecum ponit in illo, poſsit illas cognoſcere. 444.b.

Angelus poteſt plura ſimul intelligere, non tamen vt plura, ſed vt vnum. 460. a. & deinceps. Quomodo reſpectu diuerſarum ſpecierum intelligibilium diuerſarumque cognitionum (v.g. cognitionis in verbo, & cognitionis ſui, & cognitionis aliorum extra verbum) ſint in eo diuerſæ potentiæ. 464. a. & ſequentibus. Quomodo, quando vtitur ſimul omnibus ſuis ſpeciebus ad ſimul omnia cognoſcenda, poſſit cognoſcere omnia, vt vnum. 465. a. b. Cum cognoſcit obiectum repræſentatum per aliquam ſpeciem infuſam, & retenta ea notitia vult cognoſcere aliud obiectum, non acquirit notitiam huius, manente præcedenti cognitione, ſed deperdita illa acquirit aliam perfectiorem. 469. a. Angelus mouens cœlum, per quam ſpeciem cognoſcat illum motum, & quomodo ſimul alia cognoſcat. ibi. b. Angeli cuſtodes per quam ſpeciem cognoſcant eos, quos cuſtodiunt, & quomodo poſsint ſimul alia intelligere. ibid. Angeli mali per ſuam eſſentiam, tanquam per ſpeciem, cognoſcunt proprios cruciatus,& quare. ibid.

Angeli non cognoſcunt diſcurrendo, diſcurſu propriè dicto. 471. b. & deinceps. Neque etiam circa ſupernaturalia diſcurrunt. 475. a. Cur Angelus poteſt habere plures volitiones, quarum vna cauſetur ex alia, non tamen plures intellectiones, quarum vna procedat ex alia. ibi. b. & 476. a. An, & quomodo ſit in Angelis admiratio. 476. a. Non eſt in eis ſcientia formaliter talis, ſed ſcientia, quæ formaliter eminenter eſt ſcientia, & intelligentia. ibi. b. Cur mali Angeli, quando cognoſcunt aliqua per coniecturam, non diſcurrant. 477. b. Angeli non intelligunt componendo, & diuidendo. 478. a. & ſequentibus. Cur intellectus Angeli habeat plenam determinationem circa veritatem, vel falſitatem cuiuſcumque rei: non autem circa conuenientiam, vel diſconuenientiam rerum in ordine ad aliquẽ finẽ. 490.b. In Angelis beatis manet cognitio natura-

lis. 517.b. Quomodo in Angelis non arguat infinitatem, quòd possint esse semper in actuali cognitione practica, & dilectione vltimi finis naturalis. 543.b.& deinceps. Qua ratione ea dilectio super omnia vltimi finis naturalis cohæreat cum auersione ab eodem, vt vltimo fine supernaturali. 545.b. Angelus per cognitionem necessariam sui constituitur in actu primo proximo ad cognitionem aliorum. 551.b. 552.a. b. Quare semper & incessanter debet esse in actu secundo cognitionis sui. ibi.& 553.a.b. Omnibus Angelis (adhuc dum erant in via) reuelatum fuit Mysterium Incarnationis, & quare. 596.b. Probabile est, quòd tunc impositũ est eis præceptũ à Deo, quo obligarentur adorare Christũ Dominũ, eúque vt Dominũ suũ recognoscere. 597.a. Imo est valde probabile quod supposita ordinatione diuina de vnione hypostatica, tenebantur ex naturali obligatione, absque alio præcepto positiuo, adorare eum, hoc ipso quod esset illis reuelatum prædictum mysterum. ibi.

Cur Angelus ante primum peccatum nullum habuerit defectum in principijs cognoscendi obiecta, tam naturalia, quam supernaturalia. 660. b. & sequentibus. An ad primum peccatum præcesserit in eo error, an inconsideratio. Vide, *Error*, *Inconsideratio*.

Vnde proueniat, quod Angeli immobiliter, & fixè apprehendant. 759.b.& sequentibus.

Species intelligibilis Angeli.

Angelus per suam substantiam, tanquam per speciem intelligibilem, se ipsum intelligit. 338. b.& deinceps. Quomodo in sua essentia respectu cognitionis sui adsint omnes conditiones requisitæ ad rationem speciei intelligibilis. 339.b. Quomodo possit vniri cum suo intellectu, vnione propria speciei intelligibilis. 340. b.& deinceps. Cur non obstet, quòd sit per se subsistens, quominus possit esse species respectu eiusdem cognitionis. 344.a.b. An vt sic vnita per modum speciei, concurrat actiue & proxime ad cognitionem sui. 348.a. Cur, sicut vnitur per modum speciei, non vniatur etiam per modum verbi. ibi.b. Cur per modum speciei intelligibilis non influat in cognitionem sui, vt subordinata intellectui, sicut cæteræ species. 349.a.b. Quare Angelus ex vi cognitionis comprehensiuæ suæ naturæ non comprehendat omnes species intelligibiles, quas de alijs reb⁹ habet. 279.b

Angelus non cognoscit Deum quidditatiue, licet abstractiue, cognitione naturali per speciem superadditam repræsentantem ipsum quidditatiue, licet abstractiuè. 387.a. & sequentibus. Cognoscit tamen eum per suam essentiam, tanquam per speciem. 388. b.& deinceps. Quomodo eiusmodi cognitio in singulis Angelis sit distinctæ speciei, cum tamen visiones beatificæ sint eiusdem speciei. 392.b. Non solum concurrit essentia Angeli ad huiusmodi cognitionem per modum speciei intelligibilis, sed etiam vt ratio cognoscendi cognita. 389. a.b. 393.a. & sequentibus. Cur hoc alijs creaturis, præter Angelum, non concedendum. 389.a.b. Quare essentia diuina nequeat esse obiectum per se primo repræsentatum per essentiam Angeli in huiusmodi cognitione. 394.a.& deinceps.

Vnus Angelus nequit alium perfecte, & distincte cognoscere per essentiam Angeli cognoscentis, tanquam per speciem & quare. 351.a.& deinceps An possit probabiliter dici, quod vnus Angelus cognoscendo se ipsum per suam essentiam, cognoscit perfecte gradum intellectualitatis vt sic, & in eo gradu perfecte cognito, omnes alios Angelos etiam perfecte cognoscat. 352.b. Quid circa hoc ex mente D. Thomæ dicendum. ibi. Si vnus Angelus non haberet species repræsentantes directe & quidditatiuè alios Angelos, posset concedi, vnum cognoscere alios perfecte per suã essentiam, tanquam per obiectum cognitum. 353. a. Quare autem ex suppositione quod habeat eiusmodi species, non possit hoc modo alios cognoscere. ibi. Non potest vnus Angelus alium perfecte cognoscere per essentiam Angeli cogniti, tanquam per speciem intelligibilem. 353. b. & deinceps. Quomodo hæc impossibilitas deducenda ex eo quòd Angelus cognitus est, vel maioris, vel minoris immaterialitatis, quam cognoscens, cum tamen debeat esse æqualis immaterialitatis. 354. b. An hæc ratio probet etiam, quòd neque vnus Angelus potest alium cognoscere per speciem infusam illum repræsentantem. 359.b. Quomodo hæc eadem impossibilitas deducenda, ex eo quod nullus Angelus est ipsa intelligibilitas. 360.a. & sequentibus. Cur ad hoc quòd Angelus cognitus vniatur sic per modum speciei intelligibilis debeat intime illabi in substantia Angeli cognoscentis. 354.a. Quare species infusæ Angeli vniantur in esse intelligibili cum eius intellectu, quin præcedat vnio per intimum illapsum, substantia verò vnius Angeli non potest intelligibiliter vniri cum intellectu alterius absque tali illapsu. 358. a. In quo sensu dicatur à D. Dionysio, quòd Angeli superiores sunt inferioribus quasi cibus. 363.b. Essentia cuiuslibet Angeli est intelligibilis in actu respe-

respectu sui, non autem respectu alterius Angeli. 364. a. An per absolutam Dei potentiam possit intellectus Angeli, v. g. superioris vnius cum essentia inferioris. 365. a. b. An dato quòd sic, tunc Angelus inferior intelligeret superiorem per essentiam Angeli cogniti tanquam per speciem, ibi. Quomodo Angelus inferior comprehendens supremum, comprehendat speciem intelligibilem in eo existentem, & repræsentantem totum vniuersum: an nimirum cognoscat eam per vnicam aliam speciem, an per plures. 379. a. & sequentibus. Probabile est, quod comprehendit illam per vnicam simplicem speciem. 383. a. Cur ex hoc non sequatur speciem hanc fore ita vniuersalem sicut illa. ibi. Si cognoscit illam speciem supremi Angeli per plures species, an vnica intellectione, an plurib⁹. 381. a. Si vnica intellectione, quomodo verbum productum per illam non sit ita vniuersale, sicut species supremi Angeli, cum sit eius formalis, repræsentatio. ibi. Cur species Angeli inferioris, repræsentantes quidditatiuè & distinctè illam speciem supremi, non repræsentant etiam quidditatiuè & distinctè obiectum repræsentatum per speciem supremi Angeli. 382. a. Longe probabilius est, quod licet Angelus inferior comprehendat supremum, non tamen comprehendit illam speciem Angeli supremi. 382. b. & sequentibus. Quidnam obstet quominus comprehendat illam speciem. 384. a. & deinceps. Quomodo possit comprehenso Angelo supremo ab inferiori, non comprehendi hæc species, cum sit quasi proprietas supremi. 385. b. Cur Angelus secundum communem & regularem cursum non potest habere speciem alicuius rei existentis in vniuerso, quæ non repræsentet eam prout est in se. 350. b. Probabile est quod quilibet Angelus potest simul vti omnibus suis speciebus, & per eas vnica cognitione cognoscere comprehensiuè totum vniuersum. 382. b. Eadem specie qua Angelus cognoscit aliquam naturam specificam, cognoscit etiam eius indiuidua. 413. a. & deinceps Et non solum indiuidua existentia, sed etiam possibilia, contenta tamen in virtute causarum naturalium pertinentium ad hoc vniuersum. 415. b. & sequentibus. Non tamen omnia indiuidua absolute possibilia. 416. b. Imo eadē specie repræsentantur omnia accidentia eorundem indiuiduorum. 417. a. & sequentibus. Probabile est, quod non habet alias species accidentium, præter species repræsentantes naturam communem cum suis indiuiduis. 418. a. Probabile etiam, quod licet species, quam habet Angelus naturæ specificæ, & indiuiduorum repræsentet etiam eorum accidentia, quatenus affectiones & modificationes sunt substantiæ: attamen habet alias species repræsentantes eadem accidentia secundum proprias quidditates sumpta. ibi. Quomodo omnia hæc repræsententur per eam speciem, antequam existant, quomodoue post existentiam. 420. a. & deinceps. Quomodo in Angelo respectu diuersarum specierum intelligibilium (v. g. essentiæ diuinæ quoad visionem beatificam; essentiæ suæ quoad cognitionem sui, & specierum inditarum quoad cognitionem aliorum) sint assignandæ diuersæ formaliter potentiæ. 464. a. & deinceps. Cum Angelus vtitur omnibus suis speciebus ad simul cognoscendum totum vniuersum, quomodo tunc cognoscat omnia vt vnum. 465. a. b. Angelus mouens cœlum, per quam speciem cognoscat motū: & quomodo simul alia cognoscat. 464. b. Angeli Custodes per quam speciem cognoscant eos, quos custodiunt, & quomodo alia simul cognoscant. ibi. Angeli mali per propriam essentiam, tanquam per speciem, cognoscunt proprios cruciatus, & quare, ibid. Si Deus vnam dumtaxat præter Angelum creaturam produceret, non haberet Angelus nisi vnam speciem. 302. a. Cur hoc non esset nimia coarctatio. ibi. b. Si Deus adderet nunc nouam in specie creaturam huic vniuerso, teneretur debito naturæ infundere Angelo nouam illius speciem intelligibilem. ibi.

Angeli, quò superiores, eò per vniuersaliores species intelligunt. 304 a. & deinceps. Quid per ly *superiores*, quidue per ly *vniuersaliores* intelligendum. 303. b. Quomodo id ex maiori propinquitate ad Deum deducendum. 306. a. & deinceps. Cur hæc ratio non teneat in anima Christi Domini respectu Angelorum. 311. a. Si dicatur, animæ Christi infusas fuisse à Deo species supernaturales, non est inconueniens concedere, eas fuisse vniuersaliores, quam Angelicas. ibi. Cur excessus in perfectione tantum specifica sit sufficiens, vt perfectior Angelus cognoscat per species vniuersaliores. ibid. An vt repræsententur distinctè plures naturæ ab vna specie Angelica, requiratur, quod omnes illæ conueniant in vnica natura, quæ per talem speciem per se primo repræsentatur: & quænam sit hæc vnica natura per se primo repræsentata. 315. b. & sequentibus. Data hypothesi, quod Angelus supremus, qui nunc est, intelligeret per duas tantum species totum vniuersum, an si Deus alium superiorem crearet, intelligeret per vnam tantum speciem, an per duas. 326. a. b. Quænam maior vniuersalitas requiratur in obiecto ad maiorem vniuersalitatem vnius speciei supra aliam. 327. a. & deinceps. Ex duabus speciebus existentibus in eodem Angelo, quarum quælibet repræsentet

naturam aliquam genericam (v.g. animalis) cum aliquot inferioribus eius, ea, quæ repræsentat magis perfecta inferiora, non tot in numero repræsentabit, quot ea, quæ inferiora magis imperfecta repræsentat. 329. a. Quæ nam huius ratio. ibi. An tunc illæ duæ species, & earum obiecta distinguerentur forma liter ab inuicem, an materialiter. ibi. b. & 330. a. Si ad repræsentandum centum naturas v.g. contentas sub animali, requiritur in specie virtus determinata, & ad repræsentandum bis centum maior virtus, cur ad repræsentandum infinitas non requiritur infinita virtus. 331. a. b.

Angelus non accipit species a rebus sensibilibus. 280. a. & deinceps. a. Cur anima rationalis accipiat eas à rebus, secus vero Angelus. 281. b. 285. a. Quomodo ex eo, quod Angelus careat sensibus, nec habeat corpus, deducendum, quod non accipiat eas a rebus sensibilibus. 283. b. & deinceps. Probabile est, quod etiam per diuinam potentiam nequit accipere eas à rebus sensibilibus. 284. b. Cur neque etiam à rebus immaterialibus species accipiat. 286. a. & deinceps. Probabile est etiam, non posse eas accipere per absolutam Dei potentiam, 289. a. b. Cur ex eo quod obiecta sensibilia habeant ex participatione substantiarum separatarum diffundere species sui, non recte deducendum, ipsas etiam substantias separatas posse species sui diffundere. 290. a. Species intelligibiles Angeli sunt exemplatæ à diuina essentia, vt habet rationem speciei intelligibilis, & participationes illius: & in quo nam hæc participatio consistat. 413. a. 415. a. b. Quomodo, & in quo assimilentur ideis diuinis, in quoue ab illis discriminentur, ibi.

Species Angeli non sunt in rigore proprietates, per naturalem sequelam ab eius essentia dimanantes, & quare. 292. a. & deinceps. In quo sensu possint appellari proprietates. ibi. b.

Non stat, quod sint eius proprietates sumptæ secundum *esse* entitatiuum, & non sint proprietates sumptæ secundum *esse* intentionale, & intelligibile, & quare. 293. b. Quomodo si essent propriæ passiones, sequeretur, quod ex vi cognitionis, qua se ipsum per suam essentiam Angelus cognoscit, cognosceret etiam omnia repræsentata per illas. 293. a. Quomodo etiam sequeretur, quod contineret per suam essentiam omnia intelligibilia. ibi. Per quam actionem producantur species infusæ Angelorum. 305. a.

Angeli illuminatio.

Vnus Angelus alium illuminat immediate. 793. a. & deinceps. Angeli non illuminantur ab hominibus viatoribus quantumcumque perfectis. 796. a. Quomodo verò illuminentur in hominibus. ibi. Cur Angelorum illuminatio non fit per hoc, quod illuminans imprimat aliquid physicum in illuminato. 798. b. & deinceps. Cur non possit fieri per hoc, quod superior Angelus iungendo lumen suum lumini inferioris, coefficiat simul cum illo cognitionem, ad quam se ipso non est potens inferior Angelus. 800. b. Cur talis modus illuminationis (producēdo scilicet aliquid physicum in illuminato) pugnet cum immaterialitate Angeli. 801. b. & sequentibus. Quomodo primus Angelus à Deo immediate illuminetur. 803. a. Qua ratione Angelus superior illaberetur intime in mentem inferioris, si illuminaret illum producendo in eo aliquid physice. 804. a. & deinceps. Quonam modo fiat illuminatio in Angelis. 806. a. & sequētibus. Quid intersit inter magisteriū humanum & Angelicū quoad alium illuminandum. 807. b. Quomodo in eorum illuminatione, cognitio illuminati dependeat a lumine illuminantis. 808. b. In Angelis fit illuminatio de rebus naturæ, gratię, & gloriæ. 809. b. & sequentibus. Quomodo vnus ab alio possit de rebus naturæ illuminari, cum quilibet comprehendat omne ens naturale 810. a.

Angeli locutio.

Angeli sibi inuicem colloquuntur. 803. b. & deinceps. An in locutione Angelorum sint aliqua signa. 814. b. Quidnam sint in Angelis signa, quid nutus, quidue lingua. 815. a. In quo consistat Angelorum locutio. ibi. Quomodo Angelus loquens, ab alio percipiatur, per hoc solum, quod vult illi suum conceptum dirigere. ibi. Sanctissima Mater nostra Teresia, locutionem Angelorum mirè explicans. ibidem & 816. a. Vide, *Locutio.*

Angeli peccatum, & peccabilitas.

Non potest a Deo creari Angelus, vel alia creatura omnino impeccabilis ex natura sua circa finem supernaturalem. 526. a. & sequentibus. Cur talis Angelus, si esset omnino impeccabilis deberet habere in se omnem rationem boni. ibi. Quomodo ea impossibilitas deducenda ex eo, quod talis creatura esset facta ex nihilo. 527. b. & deinceps. Quæuis indefectibilitas conueniens voluntati Angelicæ, non competit ei, vt libertas est, sed vt natura est. 530. a. Quare ad hoc vt Angelus sit indefectibilis directe circa Deum, vt vltimum finem naturalem non debet habere in se omnem rationem boni, bene tamen vt sit defectibilis ex natura sua,

ſua, per ſe, & directè circa finem ſupernaturalem. 532.b. & deinceps. Cur Angelus, hoc ipſo quòd ex nihilo factus, nequeat eſſe indefectibilis ex natura ſua circa finem ſupernaturalem, cum gratia ſantificans, & alia dona ſupernaturalia, licet ſint ex nihilo facta, ea indefectibilitate gaudeant. 534.a.b. Quo modo ea impoſsibilitas deducenda ex eo, quòd nulla voluntas creata, vel creabilis poteſt eſſe ipſa regula omnium ſuarum operationum. 535.b. & deinceps. Poteſt Deus creare Angelum, ſiue ſubſtantiam intellectualem omnino impeccabilem per ſe primo, directè, & immediate circa vltimum finem naturalem præciſe ſumptum. 542.b. & ſequentibus. Imo Angeli de facto creati, ſunt ſic impeccabiles. 549.b. & ſequentibus. Cur ad eiuſmodi impecabilitatem non obſtet, quòd ſint facti ex nihilo. 548.a. Quidnam requiratur tam ex parte intellectus quã ex parte voluntatis Angelicæ ad eiuſmodi impeccabilitatẽ 542.b. & deinceps. 551.b. & 552.a.b. Qua ratione cohæreat cum eiuſmodi impeccabilitate Angeli, quòd nunc ſaltem indirecte peccet de facto contra finem naturalem. 558.b. & ſequentibus. Quomodo in Angelo peccante contra vltimum finem ſupernaturalem maneat dilectio Dei ſuper omnia, vt vltimi finis naturalis. 545.b.

Primũ peccatũ Angeli fuit ſuperbia proprie, & ſpecialiter dicta. 564.b. & ſeqq. An per illã appetierit, non ſubijci Deo, tãquam quid expreſſe, & ex parte obiecti volitũ, an ſolũ ex parte modi volendi. 568.b. & ſeq. 26. b. An appetierit illud ex parte modi volẽdi per ſe, an per accidens. 570.a. 623.a. & deinceps. An primum peccatum Angeli fuerit amor amicitiæ inordinatus, an amor concupiſcentiæ. 571.b. Cur primum eius peccatũ non potuerit eſſe odium Dei. 573.b. Cur nõ inuidia. ibi. Cur nõ fuit, nec potuit eſſe appetitus omnimodæ æqualitatis cum Deo 574. b. & deinceps. Cur non potuit appetere omnimodam æqualitatem cum Deo, cognitam vt impoſsibilem, appetitu efficaci. ibi. Cur neque etiam appetitu inefficaci, & conditionato, conditione ſe tenente ſolum ex parte obiecti 577.a. & deinceps. 589.a. & ſequentibus. Eſto omnimoda æqualitas cum Deo foret Angelo poſsibilis, cur in primo eius peccato non potuit illam appetere. 580.a. & ſequentibus. Imo etiam ſi illam appetere potuiſſet appetitu conditionato, & inefficaci, adhuc primum peccatum Angeli non fuit nec potuit eſſe (ſeruata eius natura) talis appetitus. 585.a. & deinceps. An Angeli mali poſsint appetere *non eſſe* Dei, ſaltem tanquam appetibile per accidens. 595.a.b. Cur Angeli in primo ſuo peccato non potuerint appetere omnimodam æqualitatem cum Deo, tanquam appetibile per accidens, ſicut Dæmones hoc modo appetunt *non eſſe* Dei, ibi. Angelis malis ante ſuum peccatum, & bonis ante beatitudinem reuelatum eſt myſterium Incarnationis. 596.b. Probabile eſt, quòd tunc impoſitum eſt illis præceptum adorandi Chriſtum Dominum, & recognoſcendi illum vt ſuum Dominum 597.a. Imo eſt valde probabile, quòd ſuppoſita diuina ordinatione de hoc myſterio, & reuelatione Angelis facta de illo tenebantur ex naturali obligatione, abſque alio præcepto poſitiuo, adorare, & recognoſcere illum. ibi. Quare primum Angeli peccatum non fuerit circa vnionem hypoſtaticam. 597.b. Licet ſit impoſsibile impoſsibilitate phyſica, primum eius peccatum eſſe circa vnionem hypoſtaticam, non tamen eſt abſolute, ſiue metaphyſicè impoſsibile. 598.b. 599. a. Primum eius peccatum nõ fuit in hoc, quod noluerit ſubijci Chriſto Domino, illumque vt verũ ſuum Dominum, & caput recognoſcere. ibi, Cur non fuerit tyrannica aliqua poteſtas, ſiue dominium circa alias creaturas. 602. a. & deinceps. Primum peccatum eius fuit appetitus inordinatus ſuæ excellentiæ, ſiue beatitudinis naturalis, & quomodo circa illam ſuperbierit. 604.b. & deinceps. Cur non fuit peccatum puſillanimitatis. 610.a. Cur non fuit peccatum omiſsionis, cum conſiſtat in non ordinatione beatitudinis naturalis in ſupernaturalem. 612 b. & deinceps. 647.a. Quomodo non ſubiectio beatitudinis naturalis in ſupernaturalem comparetur cum præcepto charitatis vrgente Angelum in primo inſtanti ſuæ plenæ libertatis. 612 b. 622. a. & deinceps. Cur primum eius peccatum debuerit eſſe circa finem, nõ verò circa media. 620.a.b. Quomodo hinc deducendum peccaſſe circa propriam perfectionem, & excellentiam naturalem, non verò circa ſupernaturalem. ibi. & 621.a.b. Quare primum eius peccatum debuerit eſſe circa aliquod obiectum ſpirituale. 648.a. 949. b. & deinceps. Angeli in primo inſtanti ſuæ plenæ libertatis habuerunt præceptum ordinandi ſe, & ſuam excellentiam naturalem in ſupernaturalem. 622.a.b. In quo ſenſu intelligendum, quòd Angeli in primo inſtanti non habuerunt perfectam libertatem. 625.a.b. Quomodo intelligẽdum dictum Anſelmi, quod Angelus in primo peccato appetijt illud, ad quod peruenisſet, ſi ſtetiſſet. 628. b. Probabile eſt quòd deliquit, non ſolum circa naturalem beatitudinem, ſed etiam circa ſupernaturalem: & quomodo circa vtramque deliquerit. 631.a. & ſequentibus. Probabilius tamẽ, quòd ſolum circa naturalem. ibi. Probabile etiã in via D. Thomæ, quòd primo deliquit circa ſolam ſupernaturale. 643.b. Cur in primo inſtanti ſuæ plenæ libertatis vrgeat Angelos præceptum exercendi actus virtutum

Theologalium, non verò aliarum virtutum etiam supernaturalium. 638. a b. In eo instanti per præceptum spei Theologalis tenebantur appetere beatitudinem, vt consequendã ex auxilio diuinæ gratiæ expresè, & huius ratio. ibi. Quomodo peccatum contra hoc præceptum spei, sit peccatum commissionis, cum sit transgressio præcepti affirmatiui. ibid. Cur primum peccatum non fuerit præsumptionis contra spem Theologalem. 639. b. & deinceps. Quomodo post primum peccatum subsequatur ordine naturæ peccatum præsumptionis, & omissionis contra spem Theologalem. ibi.

In malis Angelis non potest esse ira, vel accidia, formaliter, & propriè dictæ, & quare. 650. b.

Cur illa non subiectio diuinæ legi, appetita ab Angelo ex parte modi volendi in primo suo peccato, non pertinuerit ad inobedientiam, potius quam ad superbiam. 653. a. & deinceps. Primum eius peccatum non potuit esse aliud, quam superbiæ, & quare. 647. a. & deinceps. Cur non potuit esse hæresis, infidelitatis, idololatriæ, iniustitiæ, odij Dei, & proximi, inuidiæ, pertinaciæ, discordiæ, accidiæ, iræ, præsumptionis, inanis gloriæ, ambitionis, pusillanimitatis, &c. 658. b. & sequentibus. Quænam sit hæc impotentia ad delinquendum alio peccato, præter quam peccato superbiæ. 659. b.

An ad primum peccatum Angeli præcesserit in intellectu eius error, an sola inconsideratio. Vide, *Error, Inconsideratio.*

Quomodo intelligendi Patres asserentes, hominem ex infirmitate, Angelos vero ex malitia peccasse. 669. b.

Angeli non peccauerunt, imo nec peccare potuerunt in primo instanti suæ creationis. 681. a. & deinceps. Qua ratione si in primo instanti peccarẽt, tribueretur Deo illud peccatum. 682. a. & sequentibus. Cur non etiam imputetur Deo propter eandem rationẽ peccatum originale, quod pueri cõtrahunt. 685. b. In quo sensu Angelus in primo instanti habuerit potentiam ad peccandum. 707. b. In eo instanti habuit libertatem ad amandum, & non amandũ Deum finem supernaturalem super omnia (ad huc stante præcepto amandi) non tamen ad peccandum: & quæ disparatio. 708. a. b. Cur actus, quem habuit in primo instanti, potuit esse meritorius, non autẽ demeritorius, & peccaminosus. 709. b. Angeli mali non subieruat pœnam damni in eodem instanti, in quo peccauerunt, sed in alio immediate sequenti. 730. b. & sequentibus. Cur indicium, quo regalatus fuit amor inordinatus siue peccatum primum malorum Angelorum, non maneat nunc idem omninò. 733. b. Quot instãtibus absolutum fit totum negotium Angelorum malorum, an nimirum ab inceptione sui esse vsque ad damnationẽ tria, vel duo instantia consumpserint. Vide, *Instans.* Supremus Angelus ex malis fuit supremus inter omnes. 747. a. b. Peccatum primi Angeli fuit causa inducẽs alios ad peccãdum: & in quonam consistat talis inductio. 749. a. b. Plures fuerunt Angeli, qui perstiterunt, quam qui ceciderunt, & huius ratio. 750. b. Dæmones post primum peccatum non fuerunt absoluti ab eo præcepto, quod tunc transgressi sunt. 780. b.

Angeli dilectio, siue amor.

In Angelis est dilectio naturalis. 487. b. Quid per naturalem dilectionem intelligatur ibi. Angelus naturali dilectione diligit alium Angelum, secundum quod conuenit in natura, & non aliter. 493. b. Cur non diligat alium Angelũ necessario, tam quoad specificationem, quam quoad exercitium, sicut se ipsum. ibi. Vt vnus Angelus non sit determinatus quo ad specificationem ad dilectionem alterius, non sufficit esse in eo defectum negatiuum, sed requiritur esse in eo defectum priuatiuum. 494. a. Angelus naturali dilectione, plus quam se ipsum diligit Deũ, & huius ratio. 496. b. In Angelis beatis manet cognitio & dilectio naturalis. 517. b. Quomodo non arguat infinitatem, quod Angelus possit esse determinatus ad cognitionem practicam, & dilectionem necessariam vltimi finis naturalis. 543. b. & deinceps. 550. a. b. Qua ratione illa dilectio super omnia Dei vltimi finis naturalis cohærere possit cum auersione ab ipso, vt ab vltimo fine supernaturali. 545. b. Quomodo per dilectionem necessariam prædicti finis constituatur in actu primo ad volendum quodcumque sibi placuerit. 552. a. b. Cur ad hoc, vt sibi applicetur, & constituatur in actu primo ad volendum alia non sufficiat in eo dilectio vltimi finis naturalis in communi (sicut in homine cõtingit) sed necessaria sit dilectio vltimi finis in particulari. 553. a. b. Datur in Angelis dilectio electiua. 490. a. & deinceps. Cur intellectus Angeli nullam habeat indifferentiam circa cognitionem alicuius veritatis, voluntas vere habet indifferentiam ad amorem alicuius obiecti. 490. b. In quo sensu intelligendum quod in voluntate Angeli non fuit perfecta libertas in primo instanti. 625. a. b. Vide, *Angeli peccatum.* An prima dilectio Dei super omnia finis supernaturalis, quam omnes Angeli in primo instanti habuerunt, continuata fuerit in bonis post primum instans. 719. b. & deinceps. Si cõtinuata fuit, an Deus applicuerit eos per eandem motionem, qua applicuit in primo instanti. ibi. Si per eandem motionem, an per eandem materialiter, & in *esse* rei, an etiam formaliter, & in *esse* motionis specia-

ſpecialis. ibid. Vnde proueniat in Angelis inflexibilitas à bono, quod cum plena libertate ſemel dilexerunt. 759. b. & deinceps. Vide *Obſtinatio, Demon.*

Angeli gratia, meritum, & beatitudo.

Angeli creati fuerunt beati beatitudine naturali, non autem ſupernaturali. 505. b. & deinceps. Cur homo non ſit creatus in ſua beatitudine naturali, ſicut Angelus. 506. a. Perfectius eſt in Angelo habere beatitudinem naturalem ab initio creationis, vt quid illi debitum, quam acquirere illam viribus proprijs, vel ex merito. ibi. b. Angeli mali in inſtanti ſuæ creationis fuerunt beati beatitudine naturali: & quomodo eam potuerunt amittere, cum inamiſsibilitas ſit de ratione beatitudinis. 507. a. Probabile eſt quod mali Angeli manent poſt peccatum in ſua beatitudine naturali, & quomodo hęc cohęreat cum ſtatu damnationis. ibi. b. In quo conſiſtat beatitudo poſt peccatum. ibidem. Quare, & in quo ſenſu Angelis data eſt à Deo gratia iuxta quantitatem perfectionis naturalis. 515. b. Cur non ſit data ſic hominibus in ſtatu corruptionis. 516. a. Probabile eſt quod idem foret in hominibus in ſtatu innocentiæ, & quare. ibi. In Angelis beatis manet cognitio, & dilectio naturalis. 517. b. Quare in Angelis beatis non poſsit eſſe peccatum. 519. b. Angeli boni immediate poſt primum inſtans omnino indiuiſibile ſuæ creationis, habuerunt actum plene liberum & meritorium vitæ æternæ. 724. a. Non tamen in eo inſtanti, in quo habuerunt illum actum, fuerunt beati. 725. a. Cur non poſsint eſſe in Angelis ſimul, & in eodem inſtanti meritum, & præmium, ibi. b. & deinceps. Probabile eſt, quod Angeli boni, ſtatim poſt primum inſtans fuerint beati. 735. a. Vide, *Inſtans.* Angelus non potuit ad beatitudinem peruenire ſine dono perſeuerantiæ: & quomodo habuerit illud, cum immediate poſt primum inſtans fuerit beatus. 737. b.

Anima.

Anima non poteſt informare partes corporis extremas, quin informet intermedias; Angelus verò poteſt eſſe in locis extremis, quin in intermedijs, & quæ diſparratio 160. b. Cur anima rationalis non limitatur per materiam ad hoc, vt non cognoſcat niſi ſingularia materialia, & tamen Angelus, ſi conſtaret materia, limitaretur ſic per illam. 34. b. Quare intra eandem ſpeciem ſint plures animæ rationales numero diſtinctæ, cum ſint incorruptibiles. 46. a. Cur intra eundem gradum intelligibilitatis non multiplicentur in ſpecie, bene tamen Angeli. 51. b. Anima ſeparata, relicta ſuæ naturæ, non mouet ſe actiuè, ſed paſſiue mouetur. 127. a. Probabile eſt, quod ratione ſtatus habet a Deo virtutem ad hoc, vt moueat ſe ipſa, & alia corpora. ibi. & 182. b. Quomodo iuxta hunc dicendi modum ſit in loco. ibid. Quomodo animæ exiſtentes in limbo, ſint ibi tanquam in loco paſsiuè, cum nihil patiantur. ibid. & 137. b. & deinceps. Quare anima rationalis accipiat ſpecies intelligibiles a rebus, ſecùs vero Angelus. 281. b. 285. a. Cur anima noſtra pro hoc ſtatu nõ ſe intelligit per ſe ipſam, tanquam per ſpeciem intelligibilem. 339. b. An anima Chriſti Domini intelligat per ſpecies magis vniuerſales, quam Angeli. 311. a.

Appetibile.

Appetibile duplex, aliud per ſe, aliud per accidens. 595. a. b.

Appetitus. Vide, *Amor, Dilectio, Voluntas, Obiectum, Peccatum Angeli*, verbo, *Angelus.*

Approximatio. Vide, *Agens.*

Attributum.

Omnipotentia, & immenſitas non ſunt duo attributa, ſed vnum cum duplici munere inadæquato. 123. a. b. 143. b. Probabile eſt, quod ſunt duo attributa. 139. b.

Auerſio.

Quomodo ſe habeat in peccato ſuperbiæ auerſio à Deo, & ab eius regula, & quomodo in alijs peccatis. 568. a. & deinceps.

Axioma.

Quomodo intelligendum illud axioma, quod ea, quæ ſunt ſparſè, & deficienter in inferioribus, ſunt vnite, & eminenter in ſuperioribus. 407. a. & deinceps. 411. a. b.

B.

Beatitudo, beatus.

Beatitudo naturalis non eſt beatitudo ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & quare. 505. b. In quo conſiſtat beatitudo naturalis. ibi. Probabile eſt, quod beatitudo naturalis eſt compoſsibilis cum ſumma miſeria damnatorum, ſicut in Dæmonibus. 507. b. Inamiſsibilitas non eſt de ratione beatitudinis naturalis, ſiue ſecundum quid, ſed beatitudinis ſimpliciter, ſiue ſupernaturalis. ibi. a. b. Inamiſsibilitas eſt de ratione beatitudinis naturalis, ſecun-

secundum se, & quasi in abstracto sumptæ: amissibilitas vero conuenit illi, prout medio ex diuina ordinatione (licet deficienti) ad supernaturalem. ibid. Cur homo non sit creatus cum sua beatitudine naturali, sicut Angelus. 506. a. Perfectius quid est, habere beatitudinem ab initio productionis, vt quid debitum sibi, quam acquirere illam proprijs viribus, vel ex merito. ibi. b. An magis beatus videat Deum per speciem magis vniuersalem, quam minus beatus. 311. a. Cur beatus videns essentiam diuinam, non comprehendat illam. 368. a. Cur beatus cognoscens quidditatiuè, vel etiam comprehensiuè per scientiã infusam visionem alterius beati, non debeat necessario cognoscere quidditatiuè obiectũ eiusdem visionis per illam cognitionem. 382. a. Ad beatitudinem essentialem beatorum solus Deus potest concurrere effectiue: attamen ad aliquid beatitudinis accidentalis potest etiam concurrere aliqua creatura. 797. b.

C.

Cœlum.

SVperioritas cœlorum supra alia corpora non oritur ex eorum incorruptibilitate, sed è contra. 288. a Perfectius est cœlum in ratione partis vniuersi, quam homo; licet imperfectius in gradu essendi: & vnde hæc maior perfectio desumenda. 48. a. b. Quidnam influat nunc cœlum empyreum in hæc inferiora. 127. b. & deinceps. Quidnam influet post diem iudicij. 131. a. Angeli sunt in cœlo empyreo, tanquam in loco. 127. b. & sequentibus. Quidnam operentur circa illud. ibid. Quidnam influent Angeli in illud post diem iudicij. 131. a. Cur sicut nunc se solo potest producere lumen in illo, non poterit etiã se solo producere qualitates alteratiuas. ibi. & 132. a. Sicut ex maiori perfectione cœli empyrei supra alia corpora sequitur, illud fore absoluendum ab omni loco; cur non sequatur idem in Angelo ex maiori eius perfectione supra alias creaturas. 116. a.

Calefactio.

Calefactiones ab eodem igne simul procedentes, in quo sensu plures sint, & in quo vna. 155. b.

Causa.

Quodnam discrimen inter causam principalem, & instrumentalem in hoc quod est esse simul cum passo. 119. a. b. implicat eundem numero effectum procedere a duabus causis totalibus, & eiusdem ordinis. 163. a. & deinceps. Tunc aliqua causa comprehenditur, quando cognoscuntur in ea cognita omnes eius effectus, & eorum rationes. 376. a.

Christus.

Cur Christus Dominus in Scriptura Angelus dicatur. 13. a. Quare corpus Christi Domini non sit in speciebus Sacramentalibus tamquam in loco. 87. a. 95 b. & deinceps. Quomodo ratione diuersarum virtutum essendi in loco sit in pluribus locis, vt pluribus. 159. a. An anima Christi Domini intelligat per species vniuersaliores, quã Angeli. 311. a. Omnibus Angelis in via fuit reuelatum mysterium Incarnationis & Christus Dominus, vt Dominus, & caput eorum. 596. b. Probabile est, quod tunc impositum est eis à Deo præceptum adorandi, & recognoscendi illum, vt caput suum, & Dominum 596. b. Imo valde probabile est, quod supposita ordinatione diuina de vnione hypostatica, & reuelatione facta eis de ipsa vnione, tunc ex naturali obligatione, absque alio præcepto positiuo, tenebantur adorare, & recognoscere eum. ibi.

Cogitatio cordis.

Quid intelligatur per cogitationes cordis apud Doctores. 434. b. Cogitationes cordis (siue sint hominis, siue Angeli) nõ possunt esse certo cognitæ ab Angelo viribus naturæ, ante quam illi manifestentur. 435. a. & deinceps. Soli Deo sunt notæ, & principio illas elicienti. ibi. Quomodo hoc deducẽdum ex eo quod à solo Deo, & ab eo, in quo sunt, procedunt. 438. a. & deinceps. Cur si dirigantur ad alium licet ab eo non eliciantur, possint certo ab eo cognosci. 439. a. b. Cogitationes cordis quare non pertinent ad ordinem vniuersi. 439. a. b. 448. a. Quomodo per directionem, siue manifestationem, constituantur intra ordinem vniuersi. ibi. b. & 440. a. Cur Vnus Angelus cognoscat actus necessarios alterius, licet ab eo non procedant: & quomodo quiuis Angelus certo cognoscat motum primi mobilis, cum tamen a quouis Angelo causetur. 440. a. Quomodo Deus cognoscat cogitationem cordis peccaminosam Angeli, vel hominis, cum tamen non concurrat ad illam. ibi. b. Quomodo ex eo quod cogitationes cordis sint liberæ, deducendum, fore ignotas. 442. a. b. Cur actiones membrorum externorum hominis, cum sint liberæ sicut cogitationes, nõ sint occultæ Angelo. ibi. b. & 447. b. Quomodo cogitationes cordium per solam extrinsecam manifestationem possint cognosci ab Angelo, cum ante illam non habeat sufficientem virtutem,

tem,& manifestatio nihil intrinsecum addat illi.444.b.

Cognitio.

Eadem cognitio potest esse simul intuitiua,& abstractiua respectu diuersorum obiectorum.475.b.Perfecta cognitio fit per assimilationem, & in quo hæc assimilatio debeat consistere.351.b & deinceps. Cur cognita quidditatiue,imo & comprehensiuè per scientiam infusam visione alicuius beati, vel etiam cognito verbo ab eo producto (dato quod illud produceret)non necessario debet eadem cognitione cognosci quidditatiuè obiectum visionis, vel verbi.382.a.

Comprehensio, Comprehendere.

Quilibet Angelus se ipsum comprehendit.365.b.Angelus etiam superior comprehendit inferiorem.ibi.imo Angelus inferior comprehendit superiorem.367 a & sequentibus.Quid requiratur ad comprehensionem. 366.a.b.368.a.& deinceps. Vt vna creatura intellectualis alia comprehendat, non est necesse quod cognoscat actus liberos creaturæ comprehensæ.374.a.Comprehendere aliquam causam , est cognoscere in ea omnes eius effectus,& eorũ rationes.376.a. Vt quis alium comprehendat.debet vterque esse æqualis in immaterialitate.378.a.In qua immaterialitate debeat esse huiusmodi æqualitas.ibi Cur cognita quidditatiue, vel etiam comprehensiue visione beatifica alicuius beati,non necessario debet comprehendi obiectum eiusdem visionis.382.a.

Corpus.

Triplex corporis acceptio. 14.a. Vniri corpori per modum formæ informantis, accidit naturæ intellectuali vt hic.72. b. deinceps. Quomodo hinc deducendum, quod Angelus non possit sic vniri corpori.ibi. Licet in corporibus prius sit, quod sint præsentia loco,quam quod operentur in eo,non tamen in Angelis ; & quæ dispar ratio. 125. a. Corpora,quò superiora,eò sunt magis in actu: & in quo hæc maior actualitas consistat. 287. b. Quænam proportio inter ordinem substantiarum immaterialium superiorum, & inferiorũ cũ ordine corporum superiorũ, & inferiorum:ibi. Superioritas corporum cœlestium supra alia corpora non oritur ex eorum incorruptibilitate , sed è contra.288. a. Corpus glorioſum non potest moueri in instanti. 235. b. Corpus Christi Domini est in pluribus locis, vt pluribus , ratione diuersarum virtutum essendi in loco. 159. b. Cur non sit in speciebus Sacramentalibus , tanquam in loco.87.a.95.b.& deinceps.

Creatura.

Dantur in rerum natura creaturæ purè intellectuales.16.a.& sequentibus. Quomodo hoc ex vniuersi perfectione deducendum ibi.Creatura pure intellectualis cur debeat esse omnino incorporea.ibi.b. Quoties creatura est distinguibilis per plures differentias , si datur in rerum natura contracta per differentiam inferiorem,debet etiam existere contracta per superiorem.21.a. Cur creatura intellectualis,eo ipso quod constet genere , & differentia,nequeat cognoscere omnia alia per suam substantiam,tanquam per speciem inteligibilem.275.a.& sequentibus.Quænam proportio inter creaturas spirituales superiores,& inferiores,cum creaturis corporalibus superioribus,& inferioribus.287.b.Non potest fieri à Deo aliqua creatura intellectualis, ex natura sua omnino impeccabilis circa finem supernaturalem.526. a. & sequentibus. Quare,vt ne esset omnino impeccabilis, deberet in se habere omnem rationem boni.ibi. Quomodo ex eo , quod esset facta ex nihilo, earum possibilitas deducenda.527.b. & deinceps.Cur non deducenda eadem impossibilitas in gratia sanctificante, & alijs donis supernaturalibus,cum sint facta ex nihilo. 534. a. b. Quomodo eadem impossibilitas deducenda ex eo,quod nulla voluntas creata,vel creabilis potest esse regula omnium suarum operationum.535.b.& deinceps.Potest Deus facere creaturam intellectualem impeccabilem per se primo, directè , & immediate circa finem naturalem præcisè sumptum. 542.b. & deinceps. Cur talis creatura non debeat ad hoc habere in se omnem rationem boni,bene tamen vt sit omninò impeccabilis circa vltimum finem supernaturalem. 532. b. & sequentibus.Angeli de facto producti,sunt impeccabiles ex natura sua,per se primo , directe,& immediate,circa vltimum finem naturalem præcisè sumptum.549.b. & deinceps. Quidnam requiratur in creatura intellectuali,tam ex parte intellectus,quam ex parte voluntatis,ad eiusmodi impeccabilitatem.542. b. & deinceps. Cur non obstet ad eiusmodi impeccabilitatem,quod creatura sit facta ex nihilo.548.a.

D.

Dauid.

QVomodo Dauidis musica fugaret spiritum malum a Saule.23.b.

Deitas. Deus.

Quæ sit in Deo ratio formalis proxima essendi

essendi in omni loco, seu vbique. 117. a. & deinceps. & 121. b. & sequentibus. Cur in Deo virtus proxima essendi vbique, & ipsa vbicatio actualis non pertineant ad eandem lineam, sicut virtus intellectiua, & intellectio. 122. a. b. Quomodo se habeant in Deo omnipotentia & immensitas ad constituendum eum in omni loco. ibi Deus non est actu in spatijs imaginarijs, vt in loco 123. b. Cur in Deo non resultet aliquod *vbi* ex adiacentia locorum, sicut in Angelo. 140. b. Solus Deus potest esse in pluribus locis: quia ipse solus plures elicere potest simul operationes, vt plures. 152. b. & sequentibus. Quomodo hoc oriatur ex eo, quod est vniuersale ens. 153. a. 155. a. Cur Deus nequeat esse in locis extremis, quin simul sit in intermedijs, bene tamen Angelus. 160. a. b.

Dæmon.

Cur in Dæmonibus non possit esse ira, nec accidia propriè & formaliter sumptæ. 650. b. Quomodo Dæmones fugentur rebus corporeis. 23. b. Quando Dæmones operantur in loco ita distanti ab inferno, vt prætergrediatur suam sphæram, non alligantur igni inferni tanquam loco, & quare. 137. a. b. Quoties alligantur passiuè alicui loco, si permittatur eis operari, debet operatio non progredi vltra suæ actiuitatis sphæram metiendam a loco, in quo detinentur. ibi. Quomodo tunc essent in duplici loco formaliter & per duplicem contactum specie distinctum. ibidem. Quomodo fiat hæc alligatio. 147. b. Dæmones multoties prædicunt hominibus effectus contingentes, & liberos, quos certo non norunt: & quare id faciant. 433. b. Si tamen aliquando illos certo sciant, vnde talem cognitionem habeant. ibi. Dæmones per suam essentiam, tanquam per speciem, cognoscunt proprios cruciatus. 469. b. Quomodo Dæmon, licet quandoque, per coniecturam tantum aliqua cognoscat, non discurrat. 477. b. Dæmones fuerunt creati cum beatitudine naturali: & quomodo amiserint illam, cum inamissibilitas sit de ratione beatitudinis. 507. a. Probabile est, quod Dæmones post peccatum manent beati beatitudine naturali, ibi. b. In quonam hæc beatitudo consistat, & quomodo cum statu damnationis cohæreat. ibid. An Dæmones possint appetere nõ *esse* Dei, saltem tanquam appetibile per accidens. 595. a. b. In Dæmonibus nec ablata est, nec diminuta cognitio naturalis habitualis: diminuta tamen fuit per peccatum cognitio actualis. 754. b. Quomodo hæc diminutio appareat in ignorantia, quam habuerunt de integritate B. Virginis, & modo ortus Christi Domini ex eius vtero. ibi. Cognitio supernaturalis speculatiua non fuit eis totaliter ablata sed diminuta. ibi. Supernaturalis vero affectiua fuit totaliter ablata. ibid. Dæmones sunt obstinati in suo peccato. 759. a. Quid nomine *obstinationis* intelligatur. 757. b. Prima radix, & potissima, inde prouenit obstinatio in Dæmonibus, est propria natura Angelica, & conditio suarum potentiarum. 759. b. & deinceps. Hæc obstinatio etiã prouenit ex conditione status quasi secundariò, & hæc causa oritur ab illa. 769. b. & deinceps. Qua ratione fit tanta obstinatio Dæmonum, vt non possint facere aliquod opus moraliter ex omni capite bonum. 778. a. & sequentibus. Dæmones non fuerunt absoluti post primum instans ab obligatione referendi se, & suam beatitudinẽ naturalem in Deum finem supernaturalem. 780. b. Qua ratione sit libertas in Dæmonibus, cum non sint indifferentes ad bonum, & ad malũ. 781. a. An, & quomodo sint in eis timor, dolor, & gaudium. 783. a. b. Quisnam sit nunc locus pœnalis eorum. 785. a. b. Vbinam erunt post diem iudicij ibi.

Differentia.

Quoties aliqua ratio est contrahibilis per plures differentias, si existat contracta per differentiam imperfectiorem, debet quoque existere contracta per superiorem. 21. a. 73. a. Differentia quæ attenditur penes magis & minus, quando causet diuersitatem specificam, quandoue solam numericã. 50. b. 51. a. b. Natura intellectualis constans genere & differentia, cur nequeat cognoscere omnia alia per suam essentiam, tanquam per speciem. 257. b.

Diffinitio.

In diffinitionibus rerum explicandis, standum est communi Doctorum placito, & maxime Principum illius facultatis ad quam spectãt. 89. a. Diffinitiones Ecclesiæ quomodo & per quid dignoscendæ. 502. a.

Dilectio.

Vt quis non sit determinatus quoad specificationem ad dilectionem alicuius obiecti, requiritur esse in eo obiecto defectum, nõ solum negatiuum sed etiam priuatiuũ. 494. a. In Angelis est naturalis dilectio. 487. b. Quid per dilectionem naturalem intelligendum. ibi. Etiam datur in eis dilectio electiua. 490. a. Cur voluntas Angeli est indifferens ad dilectionem quorundam obiectorum, cũ tamen intellectus eius nullam habeat indifferentiam ad cognitionem alicuius veritatis. ibi. b. Vide, *Dilectio Angeli*, verbo, *Angelus.*

Discursus.

Discursus alius improprius, alius proprius.

470. & deinceps. Quidnam sit de vtriusque ratione. ibi. In Angelis non est discursus proprie dictus. 471. b. & sequentibus. Neque etiã circa obiecta supernaturalia. 475. a. licet quandoque Dæmones cognoscant aliqua per coniecturam, non tamen discurrunt. 477. b.

Distinctio.

Tripliciter se habet res in ordine ad identitatem, & distinctionẽ. 259. b. Vnitas & distinctio proueniens a forma, vt a prima radice, est formalis. 60. a. & sequentibus. Distinctio numerica intra eãdem speciem nõ datur in rebus incorruptibilibus & quare. 46. a. b. Cur hoc non teneat in anima rationali. ibi, Distinctio penes magis & minus quando causet distinctionem specificam, quãdoue solam numericam. 50. b. 51. a. b.

Distinctiuum, Vide, *Constitutiuum.*

E.

Ecclesia.

Diffinitiones Ecclesiæ quomodo, & per quid dignoscendæ. 502. a.

Effectus.

Implicat vnum numero effectum à duabus causis totalibus & eiusdem ordinis procedere. 163. a. b. Intellectus cognoscens in causa omnes eius effectus & eorum rationes, totaliter illam comprehendit. 376. a.

Electio.

Quid inter sit inter electionem, & alium actum simplicem voluntatis, qui dicitur *voluntas*, in hoc quod est posse tendere ad impossibile, propositum vt tale. 590. b. & deinceps. Electio supponit discursum practicum intellectus, siue formalem, siue virtualem. 665. b.

Ens.

Entia, quo nobiliora, eo sunt in maiori excessu creata: & quomodo hoc intelligendum. 42. a. b.

Error.

Non potuit præcedere in intellectu Angeli in primo suo peccato aliquis error, & quare. 575. b. 660. a. & sequentibus. Nec etiam in primo peccato primi hominis. 663. a. b. Quomodo intelligẽdus D. Thomas asserẽs, ad primum Angeli peccatum præcessisse errorem circa circunstantias eligibilium. 666. b. Cur error sit malum pœnæ, secus vero inconsideratio. 667. a.

Esse.

In perpetuis idem est *esse* & *posse*, quomodo modo verum. 39. b. Quod aliquid magis multiplicetur in *esse* intelligibili, quam in *esse* naturali, quando verum. ibi. a. Quomodo intelligendum, quod, *esse per se*, conuenit formæ per se subsistenti. 67. b. & deinceps.

Essentia.

Quomodo inter essentiam, & existentiam Angeli sit mutua causalitas. 342. b. Essentia vniuersalis (etiam corporea) non habet proportionem in esse obiecti, cum potentia affixa organo corporeo. 16. b. 19. b.

Essentia Diuina.

An vniatur cum intellectu beati per intimum illapsum, & in quo hæc vnio consistat. 358. b. Quare essentia Diuina non possit esse obiectum per se primo repræsentatum per essentiam Angeli, tanquam per speciem in cognitione naturali, qua Deum cognoscit. 394. a. & deinceps.

Eucharistia. Vide, *Christus.*

Existentia. Existere.

Quomodo inter essentiam & existentiam Angeli sit mutua causalitas. 342. b. Quando intelligendum, quod existere per se, per se cõuenit formæ per se subsistenti. 67. b. & deinceps. Cur existentia rei non possit esse radix, vnitatis vel pluralitatis indiuidualis. 59. a.

Extremum.

Medium (si sit superioris gradus, & rationis) licet constitutum inter duo extrema, quorum vnum perfectissimum aliud imperfectissimum sit, non debet participare de extremo imperfectissimo. 31. a.

Eua.

Quomodo ad primum peccatum Euæ præcesserit inconsideratio, cum a serpente fuerit admonita de præcepto per ea verba: *Cur præcepit, &c.* 670. a.

F.

Forma.

Forma limitatur per receptionem in materia. 25. a. 53. a. & deinceps. Forma omnino irreceptibilis in materia, nequit naturaliter in numero multiplicari. 53. a. & deinceps Imo neque per absolutã Dei potentiam. 60. a. & sequentibus. Omnis vnitas, & distinctio

proueniens à forma, vt à prima radice est formalis. ibi. Forma, quæ recipitur secundum rationem formæ non limitatur per receptionem. 25. a, Quidnam sit formam recipi, secundum rationem formæ: & quomodo id habeat forma intelligibilis. ibi. Quare subiectum recipiens formam, secundum rationem formæ debeat esse expers omnis materiæ primæ ibidem. &. 26. b. Quomodo id verum in subiecto specierum potentiæ visiuæ 27. a. Quomodo intelligendus Boetius dicens, quod forma simplex subiectum esse non potest. 30. a. Discrimen in modo quo substantia spiritualis est radix indiuiduationis & limitationis suorum accidentium, & materia indiuiduationis suæ formæ. 34. b. Forma per se subsistēs est incorruptibilis ex natura sua, siue propria corruptione siue annihilatione. 67. a. & deinceps. Per se conuenit huiusmodi formæ, hoc, quod est existere per se: & quo modo hoc intelligendum. ibi. Quænam requirantur conditiones ad rationem formæ intelligibilis. 339. b. Cur anima nostra pro hoc statu non se intelligat per se ipsam, tanquam per formam intelligibilem. ibi. Forma naturalis tenet se ex parte subiecti in quo est, & commensuratur cum illo: forma vero intelligibilis, ex parte obiecti, & cum eo commensuretur. 345. a. Cur non sit contra rationem formæ intelligibilis, quòd sit per se subsistens, benè tamen contra rationem formæ naturalis. 344. a. b. Nulla substantia potest alteri vniri per modū formæ intelligibilis, nisi intimè in ea illabatur, & quare. 334. a Id quod vnitur per modum formæ intelligibilis cum aliqua potentia, nec debet esse maioris, nec minoris immaterialitatis, quam potentia. ibi. b. Cur forma intelligibilis, quæ est accidens, potest vniri intelligibiliter, absque eo quòd præcedat vnio per intimū illapsum, non autem aliqua substantia. 358. a. Discrimen notandum inter formas diuersi generis, & inter formas eiusdem generis. 462. b.

Fundamentum.

Quomodo à fundamento realitas, à termino species relationis sumatur. 175. a. & sequentibus. Specificatio initiatiuè a fundamento: & quomodo sumendum fundamentum. 190 a.

Futurum.

Futura contingentia, & libera, non pusūt ab Angelo certo cognosci, per vires suæ naturæ. 422. b. & deinceps. Futurum contingēs dupliciter valet cognosci, vel in se ipso, vel in suis causis. 423. b. Quid requiratur vt futurū in se ipso cognoscatur. 424. a. Futurum contingens liberum non valet cognosci in determinatione obiectiua, quam habet ad alteram partem, quia talis determinatio non datur, ante determinationem causarum. ibi. b. Esto daretur, cur non posset Angelus viribus naturæ in prædicta determinatione illa cognoscere. ibidem. Cur futura contingentia, non sint in se ipsis præsentia æuo, sicut præsentia æternitati. 426. b. & sequentibus. Quænam futurorum prænotio inferri possit ex fœlici, aut infœlici cœlorum influentia, vel ex dispositione stellarum. 443. a. Dæmones multoties futura contingentia & libera hominibus prædicunt, quæ certò futura non cognoscunt, & cur id faciant. 433. b. Si tamen illa quandoque certo sciant vnde habeant certam illorum cognitionem. ibi.

C.

Genus.

QVodlibet genus, & quodlibet etiam indiuiduum naturæ humanæ habet Angelū proprium, ad sui custodiam deputatum. 40. a. Quoties genus est contrahibile per duas differentias, quarum vna imperfecta sit, & alia perfecta, si existit contractum per differentiā imperfectam, debet etiam existere contractū per differentiam perfectam 21. a. 73. a. Natura intellectualis constans genere, & differentia, cur nequeat cognoscere omnia alia per suam substantiam tanquam per speciē. 275. b

Gradus.

Quoties aliquis gradus est contrahibilis per plures differentias, si existat contractus per differentiam imperfectiorem, debet quoque existere contractus per superiorem. 21. a. 73. a.

Gratia.

Natura non est dispositio ad gratiam, est tamen medium ex Diuina ordinatione (licet deficiens) ad eam. 515. b. Quare & in quo sensu collata est gratia Angelis iuxta quantitatem perfectionis naturalis. ibi. Cur non sic conferatur hominibus. 516. a. Probabile est quod sic foret in statu innocentiæ. ibi.

H.

Homo.

HOmo dicitur Mycocosmos, epylogus mundus paruus. 17. a Cur ad similitudinem Dei factus dicatur, Angelus autem signaculum similitudinis. 280. a. Homo perfectior est cœlo in gradu essendi, tamē in ratione partis vniuersi perfectius est cœlū quia homo

& quare. 48 a b. Cur eo quod in homine dentur simul gradus viuendi, sentiendi, & intelligendi, debent in vniuerso magno dari huiusmodi gradus separati. 17. a. Quilibet homo habet proprium Angelum deputatum ad sui custodiam. 40. a. An sint tot homines beandi, quot Angeli damnati. ibi. b. & 41. a. Hominibus perfectioribus in naturalibus (licet in gratia & gloria æqualibus) perfectiores Angeli deputantur ad custodiam. 52. a. Cur homo non sit creatus cum sua beatitudine naturali sicut Angelus. 506. a. Cur hominibus non conferatur maior gratia iuxta maiorem perfectionem in natura, sicut Angelis. 516. a. Probabile est quod foret sic instatu innocentiæ. ibi Cur primum hominis peccatum debuerit esse circa finem vltimum & nõ circa media. 598. a. In primo homine ante primum peccatum non potuit præcedere error in eius intellectu, & quare. 663. a. b. Si homo existens in peccato, attritus confiteatur, & in instanti terminatiuo verborum absolutionis moriatur, probabile est, quod non iustificabitur. 733. a. Probabile etiam quod sic: sed tunc non dabitur illi gloria per modum coronæ. 732. b. Cur vnus homo non potest manifestare alteri suum conceptum absque signis cum sola interna directione, sicut Angelus alteri Angelo. 819. a. Quomodo Angelus homini loquatur. 824. a.

I.

Identitas.

Tripliciter se habent res in ordine ad identitatem, & distinctionem. 259. b.

Illapsus.

Quare sit impossibilis illapsus vni vt substantiæ creatæ in aliam. 354. a. Non potest vna substantia vniri per modum speciei intelligibilis cum alia, quin prius vniatur per intimum illapsum. 354. a. Bene tamen species quæ est accidens: & quæ dispar ratio. 358. a. An essentia Diuina, vt habet rationem speciei intelligibilis, vniatur per intimum illapsum cum intellectu beati. ibi. b.

Illuminatio.

Ad illuminationem spiritualem duo requiruntur: manifestatio scilicet veritatis ignotæ, & confortatio potentiæ. 795. a. Vide, *Angeli illuminatio*, verbo, *Angelus*.

Immateriale. Immaterialitas.

Immaterialitas est ratio à priori intellectualitatis. 24. b. De qua immaterialitate, de qua ve intellectualitate intelligendum hoc. 378. a. Immaterialitas operationis sumitur ab immaterialitate obiecti. 24. b. Ex immaterialitate operationis quomodo immaterialitas principij sumenda sit ibi. In qua immaterialitate requiratur æqualitas vt vnus alium comprehendat. 378. a. In quo sensu solus Deus immaterialis à Damasceno dicatur. 30. a. Verbum quod est substantia cur debeat habere infinitam immaterialitatem. 348. b.

Immensitas.

An immensitas sit ratio formalis constituens Deum vbique, an potius virtus eius operatiua, seu omnipotentia: & quomodo hæc duo attributa se habeant in Deo, ad ponendum eum in loco. 121. & deinceps. Probabile est quòd omnipotentia & immensitas non sunt duo attributa in Deo sed vnum cũ duplici munere inadæquato. 223. a. b. 143. b. Probabile est, quòd sunt duo attributa. 139. b.

Immortale. Vide, *Incorruptibile.*

Impossibile.

An voluntas possit appetere obiectum impossibile, cognitum vt tale. Vide, *voluntas*, *Obiectum*, *Angeli peccatum*, verbo, *Angelus*.

Incarnatio.

Omnibus Angelis fuit reuelatum (adhuc dum erant in via misterium Incarnationis, & huius ratio. 569. b. Probabile est quod tũc impositum est eis præceptũ adorandi Christum Dominum recognoscendique eum vt verum Dominum. 597. a. Imo est valde probabile, quod supposito misterio Incarnationis, & supposita reuelatione eis facta de illo, tenebantur tunc ex obligatione naturali, illum recognoscere. ibi.

Inconsideratio.

Ad primum Angeli peccatum debuit præcedere inconsideratio aliqua. 664. a & deinceps. Cur inconsideratio in Angelo, secundũ se sumpta non sit malum pœnæ sicut error. 667. a. Si inconsideratio sumatur vt est volũtaria, etiam est malum pœnæ. ibi. Inconsideratio præcedens primum Angeli peccatum non fuit pura omissio, sed actus quidam cum incõsideratione alicuius obiecti. 668. a. Qua ratione ad primum peccatum Adami, & Euæ præcesserit inconsideratio, cum Adam iuxta D. Paulum non fuerit seductus, Eua autem admonita fuerit de præcepto per serpentem, illis verbis: *Cur præcepit* &c. 670. a. Quomodo in malis Angelis præcesserit inconsideratio, cum admoniti fuerint de præcepto ordinationis sui in Deum per bonos, illis verbis: *Quis vt Deus?* ibi. An inconsideratio præcedes primũ Angeli peccatũ sit mere negatiua

an potius priuatiua, & culpabilis. 671. a. 672. a. & deinceps. Si priuatiua & culpabilis, quomodo præcedat actum voluntatis, a quo habet esse culpabilis, & priuatiua. ibi. Quomodo illa inconsideratio, & actus voluntatis ex ea secutus sint sibi inuicem causæ, & in quo genere causæ. ibidem. Cur defectus in cõsideratione, & defectus in actu voluntatis, nõ constituant duo peccata. 676. b.

Incorporeum.

Triplex incorporei acceptio. 14. a. Dantur in rerum natura creaturæ omninò incorporeæ. 15. b. & deinceps. Quomodo hoc ex perfectione vniuersi deducendum. 16. a.

Incorruptibile. Incorruptibilitas.

Quidquid caret materia prima, est ex natura sua incorruptibile. 65. b. & deinceps. Ad hoc vt aliquid sit ex natura sua incorruptibile, non sufficit non repugnantia, vt per potentiam extrinsecam corrumpatur, sed requiritur potẽtia intrinseca ad hoc inclinans. 66 a. b. Cur in rebus incorruptilibus non fit multiplicatio indiuiduorum intra eandem speciem. 46. a. b. Quare hoc non teneat in anima rationali. ibi. Quare forma per se subsistens sit incorruptibilis ex natura sua, siue propria corruptione, siue annihilatione. 67. a. & sequentibus. Superioritas in corporibus cælestibus supra alia corpora non oritur ex eorum incorruptibilitate, sed è cõtra. 288. a. In quo sensu solus Deus dicatur immortalis, siue incorruptibilis. 69. b.

Indiuiduum.

Inter indiuidua vnius speciei, non est ordo per se, sed per accidenes. 47. a. b. Pluralitas in indiuiduis intra eandem speciem, cur non contingat nisi in rebus corruptibilibus. 46. a. Quare animæ rationales, cum sint incorruptibiles multiplicentur indiuidualiter, intra eandem speciem. ibi. b. Quodlibet indiuiduum humanæ naturæ, habet proprium Angelum deputatum ad sui custodiam. 40. a.

Indiuisibile.

Indiuisibile, additum indiuisibili, non facit maius in quantitate continua, facit tamen plus in discreta. 239. a.

Inferius.

Quomodo intelligenda illa maxima: quod ea quæ sunt sparsè & deficienter in inferioribus, præhabentur vnite & eminenter in superioribus. 407. a. & deinceps. & 411. a. b.

Inflexibilitas. Vide, *Obstinatio.*

Inobedientia.

Per peccatum inobedientiæ quomodo appetatur non subiectio ad legem, quomodo ve per superbiam. 655. a. b.

Instans.

Quid distet inter instantia Angelorum, & nostra 712. b. & deinceps. Angeli in primo instanti suæ creationis non peccauerunt, imo nec peccare potuerunt. 681. a. & sequentibus. Qua ratione imputaretur Deo illud peccatum, si in primo instanti peccarẽt. 682. a. & deinceps. Cur non inputetur Deo peccatum originale, quòd pueri contrahunt in primo instanti, bene tamen imputaretur peccatum Angeli. 685. b. Angelus in primo instanti habuit potentiam ad peccandum, non tamen ad peccandum in primo instanti 707. b. In illo instanti habuit libertatem ad amandum, & non amandum Deum finem supernaturalem super omnia (adhuc stante præcepto amandi) non tamen ad peccandum. 708. a. b. Cur actus, quẽ habuit in eo instãti, potuerit esse meritorius, non autem demeritorius, & peccaminosus. 709. b. Angeli mali peccauerunt in instanti immediate sequenti post primum, sumpto instanti pro instanti indiuisibili, tam formaliter, quam virtualiter. 715. a. & deinceps. An motio illa specialis qua omnes Angeli in primo instanti applicati sunt à Deo ad diligendum illum super omnia, manserit in bonis post primum instans: & si mansit, an manserit solum quoad entitatem materialem motionis, an etiam sub ratione motionis specialis, &c. 719. b. & deinceps. An primus actus dilectionis super omnia, quem habuerunt Angeli in primo instanti, fuerit continuatus in bonis in secundo instanti. ibi. Si continuatus fuit, an processerit à Deo applicante eadem motione, qua in primo instanti. ibid. Angeli boni immediate post primum instans suæ creationis (sumpto instanti indiuisibiliter) habuerũt actũ plene liberũ, & meritorium vitæ æternæ. 724. a. Nõ tamẽ fuerũt beati in eodẽ instanti, in quo habuerũt eiusmodi actum plene liberum. 725. a. Cur in Angelis non potest simul, & in eodem instanti esse meritum, & præmium. ibi. Angeli mali non subierunt pœnam damni in eodem instãti, in quo peccauerunt, sed in alio immediate sequenti. 730. b. & deinceps. Probabile est, quod totũ negotium Angelorum bonorum (a primum à suo *esse* vsq; ad eorũ beatitudinẽ) duob⁹ dũtaxat instãtibus peractũ est, nõ autẽ negotiũ

An-

Angelorum malorum. 735. a. & deinceps. 742. b. Diuersitas actuum intellectus in Angelis sufficit, vt varientur instantia eorum, etiamsi aliàs actus voluntatis non varientur, sed maneat idem. 739. a. b. Probabilius est, quod Angeli boni consumpserunt tria instantia ab inceptione sui esse vsque ad beatitudinem eorum. 740. a. & sequentibus. Cur per plures actus meritorios, quos Angelus habuit in via, non consumpserit plura instantia. 743. a. Quanta fuerit mora, & duratio in his Angelorum instantibus. 744. b. Dæmones post primum instans, in quo peccauerunt, non fuerunt absoluti à præcepto ordinãdi se & suam excellentiam naturalem in supernaturalem. 780. b.

Instrumentum. Vide, Causa.

Intellectio.

Eadem intellectio potest esse simul intuitiua & abstractiua respectu diuersorum obiectorum. 475 b. Plures intellectiones, vt plures, non possunt ab eodem intellectu procedere. 152. b. & deinceps. 461. a. & sequentibus. Possunt tamen, si vna sit supernaturalis, & alia naturalis. 155. b. 464. a. & sequentibus. Quomodo respectu earum non sit intellectus vna tantum potentia, sed duplex. ibi. Cur Angelus possit habere plures volitiones quarum vna ex alia cauetur. ibi. b.

Intellectus.

Non potest intellectus elicere simul plures intellectiones vt plures. 152. b. & deinceps. 461. a. & sequentibus. Potest tamen si vna sit supernaturalis. & alia naturalis. 155. b. 464. a. & deinceps. Quomodo respectu earum non sit vna tantum potentia, sed duæ. ibi. An per potentiam Dei absolutam possit intellectus vnius Angeli, v.g. superioris vniri cum essentia inferioris. 365. a. b. Intellectus cognoscẽs in causa omnes eius effectus, & eorum rationes, totaliter illam cõprehendit. 376. a. Cur intellectus humanus non cognoscat directe singularia materialia. 412. a. Quomodo sint obiectum proportionatum secundarium intellectus Angeli, & à quo habeant esse obiectum sic proportionatũ. 412. b. & deinceps. Quilibet defectus in voluntate præsuponit defectum intellectu. 664 b.

Intellectuale Intellectualitas.

Creatura purè intellectualis cur debeat esse expers omnis quantitatis. 16. b. & deinceps. Quomodo ex perfectione vniuersi deducendum, fore in eo creaturam pure intellectualem. ibi. Immaterialitas est ratio a priori intellectualitatis. 24. b. De qua intellectualitate, de quaue immaterialitate hoc intelligendum. 378. a. Naturæ intellectuali vt sic accidit, quod vniatur corpori per modum formæ informantis. 72. b. Quomodo hinc deducendum, quod hoc non conueniat Angelis. ibi.

Intelligibilitas.

Duplex intelligibilitas, alia de formali, alia de materiali importata ad rationem comprehensionis. 377. b. Ex qua immaterialitate desumatur tam intelligibilitas de formali, quam intelligibilitas de materiali. 378. a.

Ira.

De ratione iræ est, quod sit cum quadam passione. 650. b. Ideo nequit esse in Dæmonibus. ibi. Cur non sit de ratione delectationis, vel misericordiæ, quod sint cum passione, bene tamen de ratione iræ. 651. a. b.

Iustus.

An actus charitatis quo iustus vellet diligere Deum amore infinito, si posset, sit actus conditionatus, conditione se tenente ex parte obiecti, an etiam conditione se tenente ex parte actus. 593. b. 594. a.

L.

Lex.

VElle non subijci diuinæ legi, ad duplex dumtaxat vitiuum pertinere potest, scilicet ad superbiam, & ad inobedientiam, & huius ratio. 653. a. b. Quomodo Angelus in primo peccato voluerit non subiectionem ad legem, & cur ea volitio non sit peccatum inobedientiæ. ibi.

Libertas.

Libertas est aliquid intrinsecum in actibus liberis voluntatis, imo & intellectus. 447 b. Quomodo intelligendum quod Angeli in primo instanti non habuerunt plenam libertatem bene tamẽ in secundo. 625. a. b. 669. a.

Locus.

Esse propriè in loco, includit essentialiter imperfectiones repugnantes substantiæ spirituali. 88. b. Diuisio loci in naturalem & violentum, non est diuisio loci in communi sed tantum loci physicè, & propriè dicti. 90. a. Quis possit dici locus connaturalis, vel violẽtus Angeli. ibi. Locus corporũ & locus Angeli æquiuocè cõueniũt in ratione loci. 87. b. & deinceps. Ratio formalis proxima, qua substãtia materialis est in loco, cur nequeat esse ipsa

ſtantia.94.b.& ſequentibus. In Angelo non eſt prius eſſe in loco, quam operari circa illum,bene tamen in corporibus ,& quæ diſparratio.125.a.Non eſt inconueniens,quod detur in rerum natura aliqua creatura , quæ nullibi ſit,tanquam in loco.103.b.& deinceps.Ablata quantitate ab aliqua ſubſtantia materiali,non eſſet in loco.ibidem. Ex maiori perfectione cœli Empyrei ſupra alia corpora quomodo ſequatur non eſſe in loco. 116.a.Cur non idem deducendum in Angelo ex maiori eius perfectione ſupra alias creaturas. ibi. Quid ſit eſſe in loco diffinitiuè, quidue circunſcriptiuè. 149 b. Vnde vnitas loci tam circunſcriptiui quam diffinitiui deſumenda.157.a.b.167.b.Triplex diſcrimen inter locum circunſcriptiuum & diffinitiuum.ibi.& 158.a. Inter quælibet duo loca extrema ſunt infinita loca media,tam indiuiſibilia,quam diuiſibilia.217.a.Corpus Chriſti Dñi eſt in pluribus locis , vt pluribus, ratione diuerſarum virtutum eſſendi in loco 159.a.Cur non ſit in ſpeciebus Sacramentalibus tanquam in loco.87. a.95 b.& deinceps.

Quænam ſit in Deo ratio formalis proxima fundandi vbicationem in omni loco.117 a.& deinceps. 121. b. & ſequentibus. Cur ratio formalis proxima eſſendi vbique, ſeu in omni loco , & ipſa actualis vbicatio in Deo , non pertineant ad eandem lineam , ſicut virtus intellectiua , & intellectio.122.a.b.Quomodo ſe habeant in Deo omnipotentia & immenſitas ad conſtituendum eum in omni loco.ibi.Deus non eſt actu in ſpatijs imaginarijs tanquam in loco. 123.b.

Locutio.

Cur vnus homo non poſsit manifeſtare alteri ſuam locutionem abſque ſignis, cum ſola interna directione ſui conceptus,ſicut Angelus.819.b.In locutione Angelica quid ſint nutus, ſigna , & lingua. 820. a. Quomodo mens vnius Angeli excitetur per locutionem alterius ad attendendum ei.ibi. a. b. Quid ſit mentiri in locutione Angelica.821.b. An locutio in Angelis ſit actus intellectus , an voluntatis.823.a.b.Quomodo fiat locutio Angeli ad hominem.824. a. Cur Angelus inferior poteſt loqui ſuperiori , non vero illuminare illum.825.a.b.

M.

Martyrium.

PRobabile eſt , quod ad rationem martyrij nõ requiritur,quod actu per tormẽta infera tur mors,ſed ſufficit quod quis ſubierit ea tormẽta,ex viſu a illatiua mortis.732.a.Probabile etiã,quod requiritur actualis mors.ibi.b.

Materia.

Materia prima eſt principium corruptionis. 65. b. & deinceps Idcirco quod caret materia eſt incorruptibile ex natura ſua ibi.Forma omninò irreceptibilis in materia nequit naturaliter numero multiplicari.53.a & ſequẽtibus.Omnis materia,ſiue materialis (vt ſic dicamus) ſit,uue (vt alij ponunt) ſpiritualis,limitat formam & eſt radix indiuiduationis & impedit,ne id quod ex illa componitur,cognoſcat niſi ſingularia materialia.32.a & deinceps.53.a.Cur non limitet ſic animã rationalẽ.34.a.Diſcrimen in modò,quo ſubiectum ſpirituale eſt radix indiuiduationis & limitationis ſuorum accidentium, & materia ſuę formæ.34.b.Accidens excedit materiam in immaterialitate & actualitate , exceditur autem ab eo in modo eſſendi.36.a. Quid velit Auguſtinus dicens , quod Deus fecit materiam communem viſibilium & inuiſibilium. 30.a.In quo ſenſu tribuatur Angelis a D.Thoma materia,quæ non eſt pura potentia. ibi. Quid intelligat Auguſtinus nomine materiæ creaturæ ſpiritualis,dum talem in eis materiam concedit.37.b.

Maxima.

Quomodo intelligenda illa maxima, quod ea quæ continentur deficienter & ſparſe in inferioribus,præhabentur vnite & eminenter in ſuperioribus.407.a & deinceps.411.a.b.

Mendacium.

Quid ſit mendacium in locutione Angelica.821.b.

Meritum.

Meritum,& præmium ſimul eſſe quare nõ poſsint.726.b.& deinceps.

Motus.

Motus eſt duplex,alius per ſe,alius per accidens.185.b.Vt aliquid moueatur motu per accidens , non eſt neceſſe quod vniatur ei, quod per ſe mouetur, aliqua vnione vtrique intrinſeca 187.b.Motus cõtinuus,& diſcretꝰ immediate opponuntur. 210. b. De ratione motus eſt,quod mobile aliter ſe habeat nunc ac prius.226.b. Quæ diſtinctio inter motum qui eſt actus exiſtẽtis in potentia, & eum qui eſt actus perfecti.228.b.229.a.In motibus corporeis pars per ſe mouens debet diſtingui a parte perſe mota; ſecus vero in motibus ſpiritualibus. 228. a. Motus corporis glorioſi nequit fieri in inſtanti.235.b.

Mouens.

Mouens & motum oportet eſſe ſimul,quo modo intelligendum.118.a 119.a.

Musica.

Quomodo musica Dauidis fugarit spiritum malum a Saule. 23.b.

N

Natura.

NAtura non est dispositio ad gratiam, est tamen ex diuina ordinatione medium, licet deficiens, ad illam. 515.b. Quæ vnitas requiratur inter plures naturas specie distinctas, vt per vnicam speciem intelligibilem distincte repræsententur. 315.b. & sequentibus. Quomodo intelligendum quod ea quæ sunt deficienter & sparse in naturis inferioribus, continentur vnite & eminenter in superioribus 407. a. & deinceps. Potentia fixa organo corporeo nequit attingere naturas vniuersales, etiam corporeas. 16. b. 19.b. Quoties aliqua natura est contrahibilis per plures differentias, si sit in rerum natura contracta per imperfectiorem differentiam, debet necessario existere contracta per superiorem. 21.a. Cur natura intellectualis, eo ipso quòd genere & differentia cõstet, nequeat cognoscere omnia alia per suam substantiam tanquam per speciem. 275.b. & sequentibus quare & inquo sensu collata est gratia Angelis iuxta perfectionem naturæ cuiuslibet. 515.b. Cur non sic conferatur hominibus. 516.a. Probabile est quod sic foret in statu innocentiæ. ibi.

Notitia. Vide, *Cognitio.*

Numerus.

Quid per septenarium Angelorum numerum, qui adstant ante Deum, & vniuersaliter per numerum septenarium in Scriptura intelligatur. 44.b. Distinctio in numero intra eandem speciem, Vide, *Distinctio*, *Individuum.*

O

Obiectum.

QVomodo intelligendum quòd obiecta sensibilia habent ex participatione substãtiarum separatarum, immittere species sui 290.a. Cur ex hoc non deducendum quòd ipsæ etiam substantiæ separatæ eas possint diffundere. ibi. Quæ vnitas requiratur inter plura obiecta in *esse* rei specie distincta, vt per vnicam speciem intelligibilem repræsententur distinctè. 315.b. & sequentibus. Probabile est quòd species intelligibilis non est repræsentantio formalis obiecti secundario repræsentati, sed primario repræsentati. 321.b. Probabile etiam oppositum. 322.a. Quidquid de duobus dicatur, nunquam est eiusdem naturæ cum obiecto secundario, sed solum cum primario. ibi. Obiectum vnitum intellectui est principium formale intellectionis sui. 339.a. 346.a. 347.a. Cur per cognitionem qua per scientiam infusam cognoscitur visio beatifica alicuius beati, non debet necessario cognosci quidditatiue eius obiectum. 382.a. Obiectũ impossibile, cognitum vt tale, nequit appeti à voluntate appetitu efficaci prosecutionis, & quare. 575. b. & sequentibus. Non potest appeti obiectũ propositum ab intellectu per simplicem duntaxat apprehensionem, sed requiritur iudicium practicum, & imperium. 576.a. Nec etiam potest voluntas appetere obiectum impossibile, cognitum vt tale, appetitu ineffi caci & conditionato, conditione se tenente solum ex parte obiecti. 577.a. & deinceps. 589.a. & sequentibus. Potest tamen appetere prædicto appetitu obiectum impossibile per accidens per appetitũ simplicem, qui appellatur *voluntas*, non vero per electionem, & quæ dispar ratio. ibi. & 590.b. & sequentibus. An complacentia, quam quis experitur cogitando de obiecto impossibili sub conditione, sit complacentia de obiecto, an de ipso actu cogitandi. 594.a. An etiam sit complacentia voluntatis, an potius appetitus sen siti. ibi.

Obstinatio.

Dæmones post peccatum primum sunt obstinati in malo. 759.a. Quid nomine obstinationis intelligatur. 757.b. Prima, & potissima radix huius obstinationis est propria Angelorum natura, & conditio suarum potentiarum. 759.b. & deinceps. Hæc obstinatio etiam prouenit secundario ex conditione status: & quomodo hæc causa originetur ex illa. 769.b. & sequentibus. Qua ratione obstinatio Dæmonum obstet, quominus possint facere opus aliquod ex omni capite moraliter bonum. 778.a. & deinceps.

Odium.

Ad odio habendum aliquid secũdum rectam rationem non sufficit, esse in illo defectum negatiuum, sed requiritur defectus priuatiuus.

Omnipotentia.

Quomodo se habeat in Deo omnipotẽtia & immensitas ad ponendum eum in omni loco. 122.a. Probabile est, quod omnipotentia, & immensitas non sunt duo attributa,

sed vnum cum duplici munere inadæquato. 123.a.b.143.b. Probabile est quod sunt duo attributa. 139.b.

Operatio.

Immaterialitas operationis ab immaterialitate obiecti desumenda. 24.b. Ex immaterialitate operationis quomodo immaterialitas principij deducenda. ibi. Ab eodem principio plures operationes procedere nequeunt, vt plures, nisi in solo Deo & quare. 152.b. & deinceps. Si tamen vna naturalis sit, & alia supernaturalis, possunt ab eo suppositio procedere. 155.b. Quomodo tunc non esset vna tantum potentia respectu earum sed duæ. ibi. Plures operationes ab eodem igne simul procedentes in quo sensu sint plures & in quo vna, ibidem. Cur operationes membrorum hominis cum sint liberæ, non sint occultæ Angelo, sicut sunt ei occultæ cogitationes cordium propter eandem rationem. 442.b. Operatio quæ incipit cum esse rei, cur debet tribui auctori eiusdem rei, tanquam agenti particulari. 682.a. & deinceps. ibi.

Ordo.

In vniuerso & in partibus eius perfectionibus debet esse ordo per se & non per accidens. 46.b. 47.a.b. Cur si Angeli differrent inter se solum numero, non esset in eis ordo per se sed per accidens. ibi.

P.

Passum, Vide, *Agens.*

Peccatum.

IN peccato superbiæ quomodo se habent auersio à Deo, & ab eius regula: quomodo ve in alijs peccatis. 568.a. & deinceps. Quodnam fuerit primum Angeli peccatum. Vide, *Angeli peccatum*, verbo, *Angelus.* Primum peccatum cuiuscumque creaturæ intellectualis quare debeat esse circa finem vltimum, & non circa media. 597.b. 598.a.

Perfectum.

Entia, quò perfectiora, eo sunt in maiori excessu creata: & quomodo hoc intelligendum. 42.a.b. Quoties sub aliquo genere sunt duæ differentiæ, quarum vna imperfecta sit, & alia perfecta: si datur existens differentia imperfecta, etiam debet dari perfecta. 211.a. 73.a.

Perpetuum.

In perpetuis idem est esse, & posse: & quomodo hoc intelligendum. 39.a Nihil contra naturam perpetuum, quomodo verum. 759.a.b. & 773.b.

Phantasma.

Quomodo phantasma sit medium inter sensibilia, & intelligibilia. 282.b. & deinceps.

Potentia.

Ab vna potentia possunt plures operationes, vt plures, procedere. 152.b. & deinceps Potentia fixa organo corporeo nequit attingere quidditates vniuersales, etiam materiales. 19.b. 16.b. Illud axioma, *Actus & potentia sunt sub eodem genere*, de quonam actu intelligendum. 38.a Potentia intellectiua, siue quæuis alia, prout elicit actiones naturales, & supernaturales, non est vna tantum potentia sed duplex. 155.b. Sunt aliquæ potentiæ, quæ quodammodo fiunt de nouo, quando recipiunt aliquod *esse* intentionale, quo constituuntur in actu primo, & completo ad suas operationes, & quænam illæ sint. 805.b.

Propositio.

Hæc propositio: *Actus purus est sua actualitas*, an sit propositio identica, an formalis. 257.b.

Q.

Quidditas, Vide, *Essentia.*

Quies.

QVidnam sit de ratione quietis oppositæ motui. 241.b & sequentibus. Quomodo intelligendum, quod de ratione quietis est, quod quiescens eodem modo se habeat nunc ac prius. ibi. Quodnam discrimen inter quietem negatiuam ac priuatiuam. 249.a. Quomodo quies incipiat ac desinat. 241.b. & sequentibus.

Quantitas.

Ablata quantitate ab aliqua substantia materiali non esset in loco. 103.b. & deinceps. Indiuisibile additum indiuisibili non facit maius in quantitate continua, facit tamen plus in quantitate discreta. 239.a.

R.

Repræsentatio. Repræsentare.

QVodnam discrimen inter rem per se primum institutam ad repræsentandum, & eam quæ non est ad id per se primo instituta. 276.b. Id quod per se primo institutum est ad essendum, limitatur per suum genus, & differentiam vt non possit alia ase repræsentare, & quare. 277.a.b. Forma repræsentans aliquod obiectum quomodo continere debeat illud, tam in formis per se primo institutis ad repræsentandum, quam in per se primo nõ ad id institutis. 275.b. & sequentibus.

Sacer-

S.

Sacerdos.

Cur Sacerdotes Angeli in Scriptura nuncupati. 13.a.

Saul.

Quomodo Dauidis musica fugarit spiritum malum a Saule. 23.b.

Scientia.

In Angelis non est scientia, quæ formaliter tantum sit scientia, sed quæ est formaliter eminenter scientia & intelligentia. 467.b.

Scriptura.

Verba Sacræ Scripturæ in proprio sensu accipienda vbi nullum absurdum. 118. b. Omninò reijciẽdi, qui prohibito asserunt, cõ sequentias Scripturæ non esse formales, nec esse efficaces. ibi. Ex sensu spirituali alicuius loci Scripturæ quando possit aliqua veritas efficaciter probari. 565.b.

Sensus.

Sensus non potest simul plura, vt plura, sentire, sed vt vnum. 465. a. Ex sensu spirituali alicuius loci Sacræ Scripturæ quando possit aliqua veritas efficaciter deduci. 565.b.

Singulare. Singularitas.

An Angelus cognoscat singularia, siue materialia, siue spiritualia. Vide, *Angeli cognitio*, verbo, *Angelus*. Cur intellectus humanus non cognoscat directe singularia materialia. 412 a. An singularitas sit de essentia Angeli. 55.b. & sequentibus.

Species.

Distinctio duorum penes magis, & minus quãdo causet diuersitatem in specie, quando vero solo numero. 50.b. 51.a.b Quod conuenit accidentaliter alicui rationi communi, non potest reperiri in omnibus eius speciebus. 72.b. & deinceps. Quælibet species earum creatarum habet proprium Angelum deputatum ad sui custodiam. 40.a.

Species intelligibilis.

Probabile est, quod species intelligibilis non est representatio formalis obiecti secundario repræsentati, sed solum primario repræsentati. 321. b. Probabile etiam oppositum. 322.a. In nullo tamen euentu esse eiusdem naturæ cum obiecto secundario, sed solum cum primario. ibi. Quænam conditiones requirãtur ad rationem speciei intelligibilis. 339. b. 346. b. Speciei intelligibilis duo munia, aliud, vnire obiectũ cum potentia, aliud, concurrere actiue ad cognitionẽ. 348. a. Primũ est necessariũ, & indispensabile in omni specie, non autem secundum. ibi. Cur ad rationẽ speciei intelligibilis non obstet, quod sit per se subsistẽs. 344. a. b. Quomodo species repræsentans aliquod obiectum, debeat continere illud. 275. b. 278. b & deinceps. Quomodo id verũ in specie per se primo instituta ad repræsentãdũ, & quomodo in ea, quæ non est ad id per se primo instituta. ibi. Esse entitatiuũ, & accidentale non est per se primo, sed secũdario intentum à natura. 293. b. Quomodo ex hoc deducendũ, quod si species sumptæ secundũ *esse* intelligibile non sunt proprietates Angeli, neque etiã possunt esse eius proprietates sumptæ secundũ *esse* entitatiuum, & accidentale. ibi. Species, quæ est accidens, influit actiue in cognitionẽ, vt subordinata potentiæ, secus vero species, quę est forma per se subsistẽs; & huius ratio. 349. a. Quomodo concursus speciei in cognitionẽ sit vitalis. ibi. b. & 350. a. In quauis specie, ad vnionẽ in esse intelligibili præcedere debet vnio eiusdem speciei in *esse* entitatiuo cum potentia, & quare. 354. a. Forma, quæ per modum speciei intelligibilis vnitur cũ potentia, nõ debet esse maioris, nec minoris immaterialitatis, ac potentia. ibi. b. Nulla substantia potest alteri vniri per modũ speciei intelligibilis, nisi intime illabatur in ea, & quare. ibid. a. Cur species, quæ est accidens, potest in *esse* intelligibili vniri, absq; eo quod præcedat vnio per intimũ illapsum, secus vero vna substantia cũ alia. 358. a. Quæ vnitas requiratur inter plures naturas species distinctas vt per vnicã speciẽ intelligibilẽ distincte repræsententur. 315. b. & sequentibus. Quomodo intelligendũ, quod obiectũ sensibile habet diffundere species sui, non ex natura sua, sed ex participatione substantiarũ separatarum. 290. a. Quare ex hoc nõ deducendũ ipsas substantias separatas posse diffundere species sui. ibi. Cur anima nostra pro hoc statu non se intelligat per se ipsam, tanquam per speciẽ intelligibilẽ. 339 b. 347. b. Cur essentia Angeli nõ vniatur cum suo intellectu ad cognitionẽ sui per modũ verbi, sicut vnitur per modũ speciei intelligibilis. 348. b. Vide, *Species intelligibilis Angeli*, *Cognitio Angeli*, verbo, *Angelus*. Cur Angelus per cognitionẽ comprehensiuã suę naturæ non cõprehendit species intelligibiles, quas de alijs rebus habet. 279. b. Quare anima rationalis accipiat species à rebus sensibilibus, non vero Angelus. 181. b. 285. a. Idem est accipere species à rebus sensibilibus, ac accipere eas ministerio sensuũ. 283. b. Natura Angeli, quò superior, eo per vniuersaliores species intelligit, & huius ratio. 304. a. & deinceps. An anima Christi Dñi intelligat per species magis vniuersales, quã Angeli. 311. a. An vnus magis beatus videat Deũ per vniuersaliores species, quam minus beatus. ibi.

Species Sacramentales. Vide, *Eucharistia.*

Stella.

Quid per stellas, & tertiam partem earum, quam

quam Lucifer traxisse secum dicitur in Scriptura, intelligendum. 41. a. b. An stellæ cœli sint contiguæ cum cœlo, an continuæ. 46. b. An sint substantiæ completæ, vel partiales. ibi. An sint species inter se distinctæ, an solo numero. ibid.

Subiectum.

Subiectum recipiens formam secundum rationem formæ, cur debeat esse expers omnis materiæ primæ. 25. a. Quomodo id verum in potentia visiua respectu specierum. 27. a. Quomodo intelligendus Boetius dicens quod forma simplex subiectum esse non potest. 30. a.

Subsistentia. Subsistens.

Cur subsistentia in Angelis non possit esse principium sufficiens distinctionis purè individualis intra eandem speciem. 63. a. b. Id, quod est per se subsistens, nequit specificari ab aliquo extrinseco. 260. a.

Substantia.

Substantia materialis non est se ipsa ratio formalis proxima essendi in loco, & huius ratio. 94. b. & deinceps. Ablata quantitate abilla, non esset in loco. 103. b. & sequentibus. Quænam proportio inter substantias spirituales superiores & inferiores, cum substantijs corporeis superioribus, & inferioribus. 287. b. Quomodo intelligendũ, quod obiectum sensibile habet diffundere species sui ex participatione substantiarum separatarum. 290. a. Cur ex hoc non deducendũ, ipsas quoque substantias separatas posse illas diffundere. ibi. An possit dari substantia intellectualis creata, omnino impeccabilis. Vide, *Creatura, Angeli peccatum.*

Superbia.

An Angelus in primo suo peccato deliquerit peccato superbiæ, & in quo consistat. Vide, *Angeli peccatũ*, verbo, *Angelus.* Superbiæ triplex acceptio. 564. a. b. Quomodo in peccato superbiæ se habeat auersio à Deo, & eius regula, & quomodo in alijs peccatis. 568. a. & deinceps. In peccato superbiæ dupliciter potest quis velle non subijci Deo: vel ex parte rei volitæ. vel ex parte modi volendi. ibi. b. & sequentibus. Quilibet appetitus ex his duobus constituit speciem superbiæ. 569. b. Cur in primo peccato Angeli non potuerit esse volita expresse, & ex parte rei volitæ nõ subiectio ad legem, aliter ac per inobedientiam. 653. a. b.

Superius.

Quoties aliqua ratio superior est contrahibilis per plures differentias, eo ipso quod existat contracta per differentiam inferiorem, debet quoque existere contracta per superiorem. 21. a. 73. a. Quod conuenit accidentaliter alicui rationi communi, & superiori, non potest reperiri in omnibus eius speciebus. 72 b. & deinceps. Quomodo intelligendũ, quod ea, quæ sunt sparsè, & deficienter in inferioribus, debent esse vnitè, & eminenter in superioribus. 407. a. & deinceps. 411. a. b.

T.

Tempus.

TEmpus Angelicum æquiuocè conuenit cum tempore nostro. 250. a. Cur tempus nostrum nomine temporis æterni in scriptura appelletur. 502. a.

S. Theresia.

Sanctissima M. N. Theresia, locutionem Angelorum dilucide explicãs. 815. b. 816. a.

V.

Verbum.

VErbũ quod est substãtia debet habere infinitã immaterialitatẽ, & quare. 348. b. Cur essentia Angeli nõ vniatur eũ suo intellectu per modum verbi respectu cognitionis sui, sicut vnitur per modum speciei intelligibilis. ibi. Cognito per scientiam infusam quidditatiue, vel etiam comprehẽsiue verbo producto per visionem alicuius beati (dato quod illud producat) cur non debat per eandem cognitionem necessario cognosci quidditatiuè obiectum illius visionis. 382. a.

Visio beatifica.

Probabile est, quod ex adiacentia æternitatis participatæ, qua mensuratur visio beatifica Christi Domini, resultat in visionibus aliorum beatorum aliquod *quando*, formaliter distinctum ab ipsis visionibus. 140. a. Probabile etiam oppositum. ibi. Cognita quidditatiue, vel etiam comprehensiuè visione beatifica alicuius beati per scientiam infusam; non debet necessariò cognosci quidditatiue obiectum illius visionis, & quare. 383. a.

Vnio.

Vnio per intimũ illapsum inter duas creaturas est impossibilis. 354. a. Ad vnionem intelligibilem speciei intelligibilis cum potentia, prærequiritur alia vnio eiusdem speciei in *esse* entitatiuo. bi. Si vna substantia vniretur se ipsa cum alia per modum formæ intelligibilis, præcederet necessario inter illas vnio per intimum illapsum, & quare. ibi. Cur non prærequiratur talis vnio per illapsum, ad hoc vt species, quæ est accidens, informet intelligibiliter potentiam. 358. a. An essentia Diuina, vt habet rationem speciei intelligibilis, vniatur per intimum illapsum cum intellectu beati. ibi. b. An Angelus in primo suo peccato superbierit circa vnionẽ hypostaticam. Vide. *Angeli peccatum, Incarnatio, Christus, Angeli cognitio.*

Vnitas.

Omnis vnitas proueniens a forma, tanquã à prima radice, eſt vnitas formalis. 60. a. & deinceps. Vnitas loci, tã circũſcriptiui, quam diffinitiui vnde deſumenda. 157. a. b.

Vniuerſale.

Triplex genus vniuerſalis: aliud in cauſando, aliud in prædicando, aliud in repræſentando. 303. b. Duplex modus vniuerſalis in repræſentando. ibi.

Vniuerſum.

Vniuerſum hoc eſt valde perfectum, & valde ſimile Deo. 16. a. & deinceps. Quomodo hinc deducẽdum, dari creaturas omnino incorporeas in eo. ibi. In vniuerſo, & eius partibus nobilioribus debet eſſe ordo per ſe. 47. a. b. Perfectiores ſunt cœli in ratione partis vniuerſi, quam homines: licet imperfectiores in gradu eſſendi. 48. a. b. In quo hæc maior perfectio cõſiſtat. ibi. Probabile eſt, quod quilibet Angelus poteſt cognoſcere vnica cognitione comprehenſiua totũ vniuerſum, vtendo ſimul omnibus ſuis ſpeciebus per modum vnius. 382. b. Cogitationes cordiũ non pertinent ad ordinẽ vniuerſi, niſi manifeſtentur: & quomodo poſt manifeſtationem pertineant ad ordinem vniuerſi. 439. a. & ſequentibus. 448. a.

Voluntas.

Voluntas nõ mouetur ad appetendũ, per ſimplicẽ dũtaxat apprehenſionẽ intellectus, ſed requiritur iudiciũ practicũ, & imperiũ. 576. a. Quilibet defectus in voluntate præſupponit defectum in intellectu. 664. b. Quælibet indefectibilitas competens voluntari creatæ, non conuenit ei, vt libertas eſt, ſed vt natura eſt. 530. a. Voluntas non poteſt appetere appetitu efficaci proſecutionis aliquod impoſsibile, cognitum vt tale, & quare. 575. b. & deinceps. Nec etiam poteſt tendere ad impoſsibile per ſe, cognitum vt tale, per appetitum inefficacẽ, & conditionatũ, conditione ſe tenẽte ſolum ex parte obiecti. 577. a. & ſequentibus. 589. a. & deinceps. Poteſt tamen appetere impoſsibile per accidens, etiam cognitum vt tale, per actũ ſimplicẽ, qui appellatur voluntas, non autẽ per actũ electionis: & quæ diſpar ratio. ibi. 590. b. & ſequentibus. Quare intellectus poteſt tendere ad impoſsibile ſub conditione, ſecus verò voluntas. 593. a. An voluntas, qua iuſti quandoque volunt diligere Deũ infinita dilectione, ſi fieri poſſet, ſit voluntas de præſenti, an potius conditionata ex parte actus ibi. b. An quando voluntas alicuius delectatur cogitando de aliquo obiecto impoſsibili ſub conditione, illa delectatio ſit de obiecto, an potius de ipſo actu cogitandi. 594. a. An etiam ſit delectatio voluntatis, an potius appetitus ſenſitiui. ibi.

FINIS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

SEGOVIAE

EX TYPOGRAPHIA

DIDACI DIAZ DE LA CARRERA,

Anno M. DC. XXXVII.

FINIS.

SEGOVIAE

EX TYPOGRAPHIA

DIDACI DIAZ DE LA CARRERA,

Anno M. DC. XXXVII.

aun [illegible] les para admi-
[illegible]. Y porque queremos que es-
[illegible]mente, assi à Ministros, co-
[illegible]comodar el estylo, de
[illegible]oso à todos.

ENCIA

)AD

OS EX-
piedad, y
aplica à los
Pasion, y
o Hijo, que
nitencia: Por-
os confessar, que
Don el que nos co-
andonos con la Pre-
Santissimo Hijo; pero
ò solo para amigos, è
pero no tanto su mise-
y traydores haze ami-
r este Sãto Sacramẽto.
e tambien à la Confir-
n, y Matrimonio; por-
dedican para amigos, y
que los justifica. Solo el
, se instituyò para justifi-
car

DO

DEMONI
y de la Sant
y b

A TODOS LOS F
de qualquier
en



se debe añadir (aunqu
los tiempos, y de las
dad, que no sè si sea r
gularmente à esto: pc
vemos, y experimen

Signat.ª Top
Est. 26
Tab. 4
Núm. 6

SALMANT
DE
Angelis
.3.

2488